
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





~~24=1.~~ 55=2

Inst 209
m 108

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE

ETRVRIAE, VMBRIAE SABINORVM ET LATII

TOMI OCTAVI PARS TERTIA.



THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, ETRVRIAE, VMBRIAE, SABINORVM ET LATII.

TOMI OCTAVI PARS TERTIA.



THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

ETRVRIAE, VMBRIAE, SABINORVM, LATII,

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae quàm, aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI OCTAVI PARS TERTIA.





LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXIII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

F. HENRICI NORIS,

Veronensis, S. R. E. Presbyteri Cardinalis Ordin. Eremitarum S. Augustini, ejusdemque S. R. E. Bibliothecarii,

DISSERTATIONES IV, CENOTAPHIA PISANA CAJI ET LUCII CÆSARUM ILLUSTRANTES.

Coloniæ Obsequentis Juliæ Pisanæ origo, vetusti Magistratus, & Sacerdotum Collegia: Cæsaris utriusque Vita, gesta, & annuæ eorundem inferiæ exponuntur: ac aurea utriusque Cenotaphii Latinitas demonstratur.

PARERGON

De Annis regni Herodis: de Præsidibus Syriæ, ac Romanis in Asia Provinciis.

Editio Novissima, Nitidior & Auctior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO AC CELEBERRIMO

VIRO

D. D. APOSTOLO ZENO

SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS

HISTORIOGRAPHO ET POETÆ

NOSTRO TEMPORE ERUDITIONIS MEMORANDÆ

HÆC

CAJI ET LUCII CÆSARUM

CENOTAPHIA PISANA

UT ET

PARERGON

DE ANNIS REGNI HERODIS

DE PRÆSIDIBUS SYRIÆ

AC

ROMANIS IN ASIA PROVINCIIS

AUCTORE

F. HENRICO NORISIO

AD GRATUM TESTIFICANDUM ANIMUM

DE

VARIIS MSS. ET RARISSIMIS TYPIS DESCRIPTIS TRACTATIBUS

IN

MAGNUM THESAURI ITALICI ORNAMENTUM

PRODUCTIS

SUMMA CUM OBSERVANTIA

DEDICAT AC DICAT

PETRUS VANDER Aa.



NOVÆ HUJUS EDITIONIS
LECTORIS.



Emo non, qui hasce Dissertationes à Viro, toto literario orbe summis præconiis jure ac merito celebrato, HENRICO NORISIO elucubratas leget, eum Cenotaphiorum Pisanorum Interpretem esse solertissimum, & veterum Codicum Censorem diligentissimum, persentiscet. His de causis, & quoniam vires nostræ Viri, abditarum rerum cognitione apprime instructi, elucubrationes laudibus ex merito celebrare, non sufficiant, eas dimittimus, & ea solummodo paucis attingemus, quibus opus hoc à nobis sit exornatum. Præmisimus primum operi ipsi Urbis Pisanæ *Delineationem, cujus origo cap.* I. *exponitur. Deinde etiam Auctoris Effigiem, ab exemplari,* Roma *ad nos misso, sumptam apposuimus. Postea Auctoris, omni laude præstantioris, Vitam ex Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum* El. Du Pin, *aliisque Clariss. Viris excerptam Dedicationi Serenissimo Principi COSMO III.* Etruriæ *Duci, inscriptæ subjecimus. Porro Lectoribus inserviendi gratia Conspectum Capitum Commentariis hisce anteposuimus. Denique quoque, ut Editio hæc ultima esset usui majori, paginas Editionis* Venetæ, *Anno MDCLXXXI. apud* Paulum Balleonium *exornatæ, ad marginem nostræ rejecimus: quo nostro labore fruaris & valeas, ex animo precamur.*

SERENISSIMO PRINCIPI
COSMO III.
MAGNO ETRURIÆ DUCI.



Isana Cæsarum fratrum Cenotaphia *Ancyranis* tabulis antiquiora, atque ob præclaram parentalium victoris gentium populi notitiam, inscriptis toto *Romano* Orbe marmoribus superiora, MEDICEI palatii atrio sistere, eorumque mihi tentatæ interpretationi tuum toto Orbe celebratum, ac *Etruscis* gentibus adoratum nomen circumponere ausus sum, Magne Dux COSME, Principum optime, & quem à Majoribus acceptum titulum quam maxime auges, literatissime. Nemo ignorat quantum reconditam vetustioris ætatis eruditionem vestræ gentis Heroes promoverint, dum superfusis *Græciæ* barbaris, fugientes in *Etruriam* Musas, immo ipsas pene *Athenas* in suummet sinum excipientes, innumera *Græcorum* volumina ab interitu vindicarunt. Insignium sane scriptorum nuda nomina in invidiam longior ætas ac hostium furor reliquisset, eorumque doctæ cedroque dignæ elucubrationes supremo *Græciæ* fato oppressæ jacuissent, nisi easdem captarum urbium rogis subtractas, *Mediceorum* manus in *Laurentiano* Prytanæo sartas tectas servassent. Hos quidem augustæ familiæ Heroas etiamnum Princeps Juventutis æmulatus, quo propior cum literatis versarere, Bibliothecam numero, præstantia, nitore voluminum instructissimam eamdemque pulcherrimam, imperantium primus, intra Palatium dedicasti. Tum docti quique; erumpente lætitia, sæculo ac *Etruriæ* gratulari eum cælitus Principem destinatum, qui antè libros quam sceptrum regia manu tractaret, ac prius ad pluteos suamet *Pallade* erudiendus staret, quam thronum majestate verendus, insideret. Interim tuo Genitore sua inter sidera recepto, sub ipsis augustæ dominationis auspiciis, non armamentaria, non classem, non urbium mœnia, sed *Laurentianam* Bibliothecam avitam illam *Latiæ* ac *Græcæ* sapientiæ arcem, reparandam jussisti, ac in tanta accepti recens imperii mole, primam ad veterum scriptorum codices illustrandos, curam studiumque contulisti. Illud tamen tuam Celsitudinem ultra omnia præconia effert, quod cum ornatissimam Bibliothecam intra palatinas ædes dudum dedicasses, alteram nuper uni tibi adeundam, in ipsis penetralibus ac secretiori cubiculo extruxisti, in quam, profanis quibusque Scriptoribus exclusis, sacros tantum vetustioris Ecclesiæ Patrum codices admisisti, ut eos in oculis ac in complexu unice haberes. Hoc tuum est sanctius lararium, in quo pietati litas: hi tui sacri Tripodes, quorum oraculis instructus, æquitatem, clementiam, reliquasque imperandi artes, addiscis:

hoc sacrum Divorum Consistorium est, cum quo consilia communicas, quorum responsa poscis, ut pium æque ac doctum Principem referas. Hæc quæ tibi in remotioribus Palatii adytis aguntur, latere non possunt, sed foras erumpunt, suaque se luce produnt; & quamvis non modo vulgi oculis, verum etiam secretius tibi inservientium conspectui subducta, in ore famæ ac publica gentium commendatione versantur. Ceterum ab hoc tam sublimi studio, quod te Divis quam maxime proximum tenet, ad rem antiquariam promovendam, quod non curtæ supellectilis ac privatos homines, sed magnos tantum Principes opus decet, non semel animum curamque traducis. Hinc pictis tabulis, numero cum pretio certante, superiores Palatii ædes adornasti; eximii operis statuas, hoc est, vetusta *Græcorum* artificum miracula ex *Romanis Mediceorum* ædibus, Urbe dolentene, an invidente dicam? *Florentiam* advectas, regii operis Museo intulisti, ac nuper insigni veterum Numismatum gaza ex remotiori *Hispania* transmissa, avita *Mediceorum* cimelia grandi cum pretii, tum etiam splendoris incremento locupletasti. Hoc tuum, Domine, erga eruditas vetustioris ætatis reliquias studium Serenissimus Princeps FERDINANDUS Heroum suboles, ac Magni Genitoris æmulator, & nutrit, & fovet. Nam memini me ante triennium ab eodem in regium *Pisanæ* Urbis sepulchretum, immo Mausoleum deductum, ut *Caji* ac *Lucii* Cenotaphia atque alia potentissimæ quondam urbis monumenta tum primum sibi spectata, rudis licet interpres, exponerem. Tum mirificæ indolis ac præcocis sapientiæ Princeps vetustis ac paribus æternitati literis intelligendis aures accommodabat, suo postea sæculo patrocinium, avorum, ac tuo præsertim exemplo, literatis commodaturus. Hinc, ut ingenue fatear; utriusque celeberrimæ inscriptionis editis commentariis, illustrandæ consilium cepi, quod cum tuæ etiam Celsitudini aperuissem, non modo adprobasti, verum etiam annuas mihi ferias indulsisti, ut securiori otio meditatum opus exequerer. Hinc meæ quantulæcumque elucubrationes tuis auspiciis natæ, tuaque liberali ope auctæ, uni tibi debentur, quas ut deberem, ac possem, unus mihi felicissime præstitisti.

Serenissimæ Celsitudinis Vestræ

Humillimus & addictissimus Servus
F. Henricus Noris Augustinianus.

VITA AUCTORIS,
Ex Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques M. Du Pin; & autres.



ORIS (Henri) *Cardinal, & l'un des plus grands ornemens de l'Ordre des Hermites de S. Augustin, dans le XVII. siecle, nâquit à Verone le* 29. *d'Août de l'an* 1631. *Sa famille est originaire d'*Irlande, *où il y en a encore de ce nom, aussi-bien qu'en* Angleterre. *Il descend d'un* Jacques Noris, *établi dans l'Isle de Chypre, lequel après avoir defendu la principale ville de cette Isle, se retira à* Verone *quand les* Turcs *sous* Selim *II. se furent rendus maîtres de l'Isle de* Chypre *l'an* 1570. *Son pere s'appelloit* Alexandre: *il à été connu par ses Ecrits, & principalement par son* Histoire d'Allemagne. *Son fils,* Henri Noris *fit paroître dés son enfance beaucoup d'esprit, de vivacité, & de facilité pour apprendre. Son pere lui donna les premieres instructions, & il eut un habile Professeur de* Verone, *nommé* Massoleni *pour Precepteur. A l'âge de* 15. *ans il fut mis Pensionnaire dans le College des Jesuites de* Rimini, *& y étudia la Philosophie. Ce fut là où il commença à lire les Ouvrages des Peres, & principalement ceux de S. Augustin. Il prit l'habit dans le Couvent des Augustins de* Rimini, *& se fit en peu de tems distinguer par son érudition. Au sortir de son Noviciat, le Général des Augustins le fit venir à* Rome, *afin qu'il pût vaquer à des études plus solides. Il s'y donna tout entier, & passoit les jours & les nuits à lire les Livres de la Bibliotheque Angelique des Augustins. Il étudioit d'ordinaire quatorze heures par jour, & a continué ce travail jusqu'à ce quil ait été élû Cardinal. Et ainsi nous n'avons point de Cardinal depuis* Baronius *plus recommendable pour son érudition dans l'ancienne Histoire Ecclesiastique, que le Cardinal* NORIS. *Il est vrai qu'il a fait la plûpart de ses excellens Ouvrages n'étant encore que simple Religieux Augustin Bibliothequaire du Grand Duc de* Toscane. *Mais le Pape* Innocent *XII. aïant connu son merite le fit venir à* Rome, *lui donna en* 1692. *la charge de son Bibliothequaire du Vatican, & le fit Cardinal le* 12. *Septembre* 1695. *Tous ses Ouvrages d'Histoire Ecclesiastique ont été imprimés ensemble à* Louvain *en* 1702. *Le premier est son* Histoire Pelagienne *imprimée pour la premiere fois à* Padouë *en* 1673. *avec la défense de saint* Augustin. *Cet Ouvrage acquit une grande reputation à son Auteur, excita la jalousie de ses envieux, & la haine de ses ennemis, que l'on vit paroître incontinent après par un Libelle sous le nom emprunté d'Humbert Religieux de l'Ordre des Chartreux intitulé:* Germanitates Cornelii Jansenii & Henrici Noris. *On répondit à ce libelle par un écrit intitulé:* Gerræ Germanitatum Cornelii Jansenii, & Henrici Noris. *Cette querelle née en* Italie *fut portée au Tribunal de l'Inquisition de Rome.* L'Histoire *de* l'Heresie Pelagienne *y fut examinée, & n'y fut flétrie d'aucune censure. Elle fut ensuite reimprimée par deux fois, luë & estimée par un grand nombre de* Sçavans de toute l'Europe, *& l'Auteur honoré par* Clement *X. du Titre de Qualificateur du saint Office. Cependant cet Ouvrage fut encore déféré au Tribunal de l'Inquisition de* Rome *par des personnes, dit l'Auteur, qu'il seroit inutile pour l'exemple de faire connoître, & que l'honnêteté demande qu'on ne nomme pas.* Quorum nomina appellare exemplo nihil, silere humanitatis

tatis plurimorum refert. *Aïant été examiné tout de nouveau en* 1676. *on n'y trouva rien qui méritât d'être censuré. L'Auteur continua paisiblement d'enseigner l'Histoire Ecclesiastique dans l'Université de* Pise, *jusqu'à ce qu'étant nommé en* 1692. *Bibliotheqüaire du Vaticain par* Innocent *XII. ses ennemis renouvellerent leurs accusations contre son Livre & publierent des libelles dans lesquels ils lui reprochoient d'avoir soûtenu la Doctrine condamnée de* Jansenius. *Le Pape donna encore son Ouvrage à examiner à des Theologiens qui jugerent qu'il n'y avoit rien qui pût être censuré. Peu de temps après l'Auteur fut mis au nombre des Consulteurs de l'Inquisition, & enfin fait Cardinal.*

L'Histoire Pelagienne du Pere Noris *est exacte, bien écrite & fort étenduë. Il fait Origene le premier Auteur de l'Heresie Pelagienne. Il croit qu'il à soutenu les trois principales erreurs de cette Secte. Sçavoir,* 1. *que la grace est donnée selon nos mérites.* 2. *Que l'homme peut vivre sans peché.* 3. *Qu'il n'y a point de peché Originel.* Rufin d'Aquilée *fut le premier qui enseigna ces erreurs en Occident. Il étoit né, non à* Aquilée, *mais dans une Bourgade du Territoire de* Venise. *Il fut élevé dans l'Eglise* d'Aquilée, *& y reçut l'habit de Moine. Il alla en Orient en* 371. *avec* Melanie, *& y fut Disciple de* Didyme *l'un des principaux Origenistes, & de* Theodore *de* Mopsueste. *Il revint en Occident avec* Melanie *en* 390. *demeura près de deux ans à* Rome, *& y traduisit les Livres des Principes d'Origene, qui contiennent les principaux points de l'heresie Pelagienne.* Rufin *ajoûta aux erreurs d'Origene celles-ci;* qu'Adam *avoit été créé mortel; que les enfans ne contractent point de peché Originel.* Pelage & Celestius *qui étoient alors à* Rome, *& qui écoutoient assidument* Rufin, *furent imbus de ses erreurs.* Rufin *aïant demeuré deux ans à* Rome, *en sortit avec des Lettres de Communion du Pape* Sirice, *& se retira à Aquilée. Nous ne nous arrêterons point à décrire les disputes qu'il eut avec saint* Jerôme, *pour nous attacher uniquement à ce qui regarde l'Histoire Pelagienne.*

Pelage *étoit un Moine* Anglois *Abbé de* Bancor *proche de* Chichester. *Il passa en Terre ferme, & fit un long sejour à* Rome, *où il publia des Commentaires sur les Epîtres de saint* Paul *dans lesquels il enseignoit ses erreurs. Il y eut pour principal Disciple* Celestius *qui étoit* d'Ecosse. *Ces deux Heresiarques quitterent* Rome *l'an* 410. *après la prise de cette Ville par* Alaric. *Aïant demeuré quelque temps à* Siracuse, *ils passerent en* Afrique *en l'année* 411. Pelage *partit bien tôt après pour la* Palestine *laissant* Celestius *à* Carthage. *Celui-ci y aïant découvert ses erreurs fut condamné par* Aurele *dans un Synode tenu à* Charthage *en* 412. *Il se retira aussi-tôt à* Ephese *où il fut ordonné Prêtre. S.* Jerôme *& S.* Augustin *combattirent ensuite par leurs écrits les erreurs de* Pelage *& de* Celestius. Pelage *accusé en* Pâlestine *par* Orose, *se defendit dans une Conference tenuë en presence de* Jean *de* Jerusalem, *qui fut plus favorable à* Pelage *qu'à* Orose; *mais peu de temps après l'heresie de* Pelage *fut condamnée à l'instigation de* Heros *& de* Lazare *Evêques* Gaulois, *retirés en* Palestine, *dans un Concile tenu à Diospole sur la fin de l'an* 415. Pelage *évita la condamnation de sa personne en faisant semblant d'acquiescer au jugement du Synode* Orose *étant de retour en* Afrique *y rapporta ce qui s'étoit passé dans la* Palestine *contre l'heresie de* Pelage. *L'affaire y étant déferée au Synode de* Carthage *de l'an* 416. *les dogmes de* Pelage *& de* Celestius *y furent condamnés par* 68. *Evêques de la Province Proconsulaire; & peu de temps après par les Evêques de* Numidie *dans un Synode tenu à* Mileve *composé de* 61. *Evêques. Ces deux Conciles écrivirent des Lettres Synodiques au Pape* Innocent *I. qui se joignit aux Evêques* d'Afrique *en condamnant la Doctrine de* Pelage *& de* Celestius. *Ce Pape étant mort l'onziéme de Mars* 417. *les* Pelagiens *qui étoient en assez grand nombre dans la* Campanie, *commencerent à se répandre.* Pelage & Celestius *entreprirent de se défendre auprès du Pape* Zozime *successeur* d'Innocent. Pelage *le fit par écrit.* Celestius *se rendit à* Rome, *& presenta une confession de foi à* Zozime. *Ce Pape s'étant laissé surprendre par les artifices de ces Heretiques, écrivit en leur faveur aux Africains, témoignant qu'il desaprouvoit ce qui s'étoit fait contr'eux. Les Prelats* d'Afrique *assemblés à* Carthage *au commencement de l'an* 411. *soutinrent & confirmerent ce qui avoit été fait contre* Pelage & Celestius, *en écrivirent au Pape, qui aïant découvert la tromperie de* Celestius, *le fit citer. Celui-ci n'aïant osé comparoître & s'étant enfui de* Rome, *le Pape declara* Pelage & Celestius *Herétiques, & condamna leur Doctrine. Les Evêques* d'Afrique *s'étant encore assemblés à* Carthage, *dresserent huit Canons contre les erreurs de* Pelage. *L'Empereur* Honorius *condamna les* Pelagiens *par un Rescrit du* 9. *de Juin de l'an* 419. Julien *Evêque* d'Eclane *dans la* Poüille, *se mit sur les rangs pour la défense de la cause de* Pelage. *Le Cardinal* Noris *rapporte les particularitez de la vie de cet Evêque. Il fait aussi connoître qui étoit cet Anien qui fut le défenseur de la même cause, & que* Baronius, Vossius & Jansenius *ont peu connu. Il parle d'un* Fastidius *Evêque* d'Angleterre *qui avoit encore suivi les sentimens de* Pelage. *Il traite amplement de la contestation des Moines* d'Adrumet, *& finit le premier Livre de l'histoire Pelagienne en parlant des derniers Ouvrages de saint* Augustin.

Le second commence par l'origine des Semipelagiens. *Le Cardinal* Noris *considere* Cassien *Abbé de* Marseille *comme leur Chef, il le croit de Provence, & refute plusieurs choses que* Guisnay *a dites de cet Auteur. Les Moines de* Lerins *aïant lû ses Conferences où il combat le sentiment de saint* Augustin, *suivirent ses opinions. Le Cardinal* Noris *fait voir que saint* Hilaire d'Arles *les embrassa.*

A l'occasion du Monastere de Lerins *le Cardinal* Noris *traite des Monasteres des* Gaules. *Il fait voir qu'ils avoient differentes Regles, que ce n'étoit ni celle de saint* Augustin, *ni celle de saint* Benoît *suivant lesquelles ils se gouvernoient. Revenant ensuite à l'histoire des Pelagiens, il rapporte la mort de* Theodore *de* Mopsueste *arrivée l'an* 427. *la condamnation de* Pelage *par* Theodore d'Antioche, *& la maniere dont il fut chassé de* Jerusalem *par* Praile *Evêque de cette Ville. Si les Pelagiens perdirent un appui en perdant* Theodore de Mopsueste, *ils en trouverent de plus considerables en la personne de* Nestorius, *& de ses Sectateurs.*

Le nombre des adversaires de la Doctrine de saint Augustin *croissant dans les* Gaules, *saint* Augustin *averti par* Hilaire *écrivit pour se defendre contr'eux le Livre* de la Perseverance: *&* Prosper *entreprit aussi la défense de ce Docteur de l'Eglise. L'un & l'autre écrivirent avec beaucoup d'honnêteté. Les* Gaulois *qui n'étoient pas moins ennemis de* Pelage *que saint* Augustin, *puis qu'*Hilaire d'Arles *& les autres Prélats des* Gaules *qui n'étoient pas de l'avis de ce Pere, assemblés en un Concile, envoierent S.* Germain *Evêque* d'Auxerre & Loup *de* Troïes *en* Angleterre *pour combattre les Pelagiens qui s'y étoient multipliés.* Julien *& les autres Evêques Pelagiens d'Occident retirez en Orient, presenterent une Requête à l'Empereur* Theodose *& implorerent la protection du Clergé de* Constantinople. *Ce fut alors que* Marius *Mercator qui se trouva à*

Constantinople, *donna un memoire contr'eux:* Nestorius *au contraire les soûtint & écrivit pour eux au Pape* Celestin; *mais malgré son credit ils furent chassez de* Constantinople. *Le Concile General* d'Ephese *acheva de proscrire la Secte des Pelagiens.*

Quoique l'heresie Pelagienne fût condamnée dans toute l'Eglise, il y avoit toûjours des gens dans les Gaules *qui ne goûtoient pas la doctrine de S.* Augustin. *De ce nombre fut* Fauste *Abbé de* Lerins, *depuis Evêque de* Riez, Vincent *Moine de* Lerins *&* Gennade *Prêtre de* Marseille. Fauste *le principal des adversaires de saint* Augustin *ne fut pas seulement attaqué par saint* Fulgence *disciple de ce Pere & par les autres Evêques* d'Afrique; *il le fut encore à* Constantinople *par les autres Moines de* Scythie *qui furent accusez d'Eutychianisme, parce qu'ils disoient qu'une personne de la Trinité avoit souffert. Le Cardinal* Noris *prouve qu'ils n'étoient pas* Eutychiens, *quoiqu'il ne les excuse pas d'obstination. La doctrine des Semipelagiens combattue dans les* Gaules *par* Cesaire d'Arles, *fut enfin condamnée dans le Concile d'Orange tenu l'an 529.*

Le Cardinal Noris *aiant representé dans son histoire Pelagienne* Origene *&* Theodore *de* Mopsueste *comme deux des principaux chefs de cette Heresie, a cru devoir justifier dans une Dissertation particuliere la condamnation de ces deux hommes. C'est le second Ouvrage contenu dans ce Recueil. Les Moines défenseurs* d'Origene *exciterent des troubles parmi les Moines d'Orient vers l'an 540. Ceux qu'ils persecutoient, s'étant adressez à l'Empereur* Justinien, *au Pape* Vigile *& à* Mennas *Patriarche de* Constantinople *firent condamner* Origene. *Cette condamnation fut confirmée par les autres Patriarches, &* Justinien *la publia dans tout l'Empire* Romain *par une Lettre Circulaire. Les Origenistes pour se vanger de la condamnation* d'Origene *proposerent les trois Chapitres, & firent condamner par un Edit de* Justinien *donné l'an* 443. Theodore *de* Mopsueste *& les écrits de* Theodoret *faits contre S.* Cyrille, *& la Lettre* d'Ibas *Diacre* d'Edesse. *On sçait le bruit que causa cette condamnation; comme le Pape* Vigile *y resista, & que se fut principalement pour ce sujet que* Justinien *assembla le cinquiéme Concile Oecumenique. Le Cardinal* Noris *soûtient* qu'Origene *fut encore condamné dans ce Concile, aussi-bien* qu'Evagre *&* Didyme *ses Disciples. Le cinquiéme Concile fut enfin approuvé par* Vigile *& par ses successeurs; mais les Evêques* d'Italie, *qui étoient sous la domination des* Lombards, *soutinrent les trois Chapitres & se separerent de la Communion de ceux qui approuvoient la condamnation qui en avoit été faite dans le cinquiéme Concile. Ils tinrent même un Synode à Grado le 3. Novembre 579. où ils jurerent qu'ils ne recevroient point le cinquiéme Concile. Ce Schisme dura jusqu'au temps de saint* Gregoire *le Grand, que les Evêques des Provinces* d'Istrie *& de* Venise *se réunirent à l'Eglise* Romaine. *Le Cardinal* Noris *traite à l'occasion de ce schisme, du Patriarchat* d'Aquilée, *& des Primaties de* Milan *& de* Ravenne, *& en dit des choses fort curieuses. Il attaque dans presque tous les Chapitres de cette Dissertation le Pere* Alloix *défenseur* d'Origene, d'Eusebe *de* Cesarée, *de* Rufin, *& des trois Chapitres. Il réfute dans une appendice ceux qui ont tâché de justifier* Julien, Cassien, *&* Fauste. *Après avoir ainsi condamné les adversaires de saint* Augustin, *il a cru devoir vanger la memoire de ce grand Saint contre les censures de quelques Auteurs modernes. C'est ce qu'il execute dans l'Ouvrage intitulé:* Défenses Augustiniennes. *Il attaque principalement trois Auteurs Jesuites, le Pere* Adam, *le Pere* Jean Martinon *déguisé sous le nom* d'Antoine Moraines, *& le Pere* Annat: *Ces trois Auteurs ayant attaqué S..* Augustin, *& tâché d'affoiblir son autorité par divers endroits; le Cardinal* Noris *leur déclare la guerre & prend en main la défense de saint* Augustin. *Il soûtient que sa Doctrine de la Prédestination n'a d'obscurité & de difficulté que celle qui est necessairement attachée à la hauteur de ce Mystere, & que ce Pere explique ses sentimens d'une maniere nette & précise; ensorte que quoi qu'il soit difficile d'entendre la chose, il est très-aisé de comprendre quel est son sentiment. Il prouve que saint* Augustin *ne s'est point contredit sur les matieres de la grace depuis qu'il fut revenu de l'erreur où il étoit, que le commencement de la foi vient de l'homme. Il remarque que ce Saint n'a rien retracté dans les Livres de ses Retractations, de ce qu'il avoit écrit touchant la Grace & la Prédestination contre les Pelagiens. Il réfute ceux qui ont dit que ce Pere étoit tombé dans des excès contraires aux erreurs des Pelagiens, en combattant ces Heretiques. Cela lui donne occasion de traiter plusieurs points de la Doctrine de saint* Augustin, *touchant la Concupiscence, le peché Originel, les actions des Infidéles, la damnation des enfans morts sans Baptême, la Loi ancienne, la Prédestination à la Gloire, & l'usage du legitime mariage. Il prend le parti d'expliquer sur ces points les sentimens de saint* Augustin, *par les passages mêmes de ce Pere, & de prouver qu'ils sont conformes à la Doctrine des Peres & des Conciles. Il s'étend particulierement sur l'état des enfans qui meurent sans Baptême, & emploie plusieurs articles à prouver le sentiment de saint* Augustin, *qu'ils ne seront pas seulement privez du bonheur éternel, mais qu'ils souffriront aussi la peine du feu d'enfer. Il examine plusieurs autres erreurs que l'on reproche à S.* Augustin, *& fait voir que ses sentimens sont des sentimens qui étoient soutenables de son temps, & dont il a parlé douteusement; comme quand il a dit que les Anges pouvoient avoir des corps, quand il a douté de l'Origine de l'ame; ou que ce sont des sentimens qu'on lui attribuë mal à propos, comme d'avoir cru que la perception actuelle de l'Eucharistie est necessaire aux enfans pour être sauves; ou que ce sont des sentimens veritables & approuvez, que l'on veut faire passer pour des erreurs; ou que ce sont des opinions qu'il a retractées. Il examine les témoignages de 35. Auteurs que l'on allegue contre l'autorité de saint* Augustin, *& il prétend qu'ils sont mal alleguez, ou que l'on ne doit pas ajouter foi à ce que ces Auteurs disent. Il réplique aux réponses que ceux qu'il combat font aux témoignages que des Papes ont donnés en faveur de la Doctrine de saint* Augustin, *& soûtient qu'ils l'ont établie pour regle de la Doctrine qu'on doit suivre dans l'Eglise touchant la Grace. Enfin il rapporte cent trente-cinq passages d'Auteurs Modernes desavantageux à S.* Augustin, *& leur oppose autant de passages de ce Pere & de ses defenseurs qui servent de réponse à leur censure.*

Ces gros Ouvrages sont suivis de cinq Dissertations. La premiere contient une histoire exacte de la Contestation sur cette question; sçavoir si l'on doit dire, un de la Trinité a souffert. *Comme le Cardinal* Noris *dans son traité du cinquiéme Synode Oecumenique avoit excusé d'heresie les Moines de* Scythie *qui avoient soûtenu opiniâtrement cette expression, & que plusieurs personnes avoient trouvé à redire à cette opinion, il s'est cru obligé de traiter cette matiere dans une Dissertation particuliere. Il remarque que le premier qui s'est servi de cette expression est* Procle *Patriarche de* Constantinople. *Il fait voir que l'on n'a point de preuve que le Concile de* Chalcedoine *l'ait ni approuvée, ni condamnée.* Pierre *le* Foulon *donna un sens* Eutychien *à cette proposition. Le Pape* Felix *lui écrivant avoüe que* Jesus-Christ *est un de la Trinité, & qu'on peut dire qu'il a souffert*

en

en ajoûtant dans sa chair, *comme avoit fait* Procle. S. Euthyme *& saint* Sabas *n'ont point fait de difficulté de parler de même. On insera dans l'Henoticon de l'Empereur* Zenon *que* Jesus Christ *étoit un de la Trinité qui s'étoit incarné. L'Henoticon aïant été rejetté en Occident, cette expression y devint suspecte : Elle le fut encore davantage quand l'Empereur* Anastase Eutychien *l'approuva dans un Synode; & voulut que l'on ajoûtât au Trisagion ces mots,* Qui êtes crucifié pour nous. *Cependant elle fut encore approuvée par les Catholiques d'Orient dans la confession de foi qu'ils presenterent à l'Empereur* Justin. *Ce fut sous cet Empereur que commença la contestation par quelques Moines de* Scythie, *qui soûtinrent à* Constantinople *en presence des Legats du Pape* Hormisdas, *qu'il la falloit ajoûter dans l'exposition de foi. Les Legats aïant témoigné qu'ils n'approuvoient pas cette addition,* Maxence *qui étoit à la tête de ces Moines fit des écrits pour la défendre. La querelle s'échauffa, & les Moines n'aïant pu faire changer de sentiment aux Legats, prirent la resolution de s'adresser au Pape même, & allerent à* Rome. *La proposition a deux parties : l'une que* Jesus-Christ est un de la Trinité; *l'autre que* cet un de la Trinité a souffert dans sa chair. *La principale difficulté étoit touchant la premiere partie, comme le Cardinal* Noris *le fait voir par les temoignages des Auteurs qui ont agité cette Controverse. Les Moines de* Scythie *tenoient encore que* Jesus Christ après son Incarnation étoit un composé, *expression dont le Cardinal* Noris *se sert pour les justifier de l'Eutychianisme. Les Legats du Pape ne condamnerent pas la Doctrine des Moines de* Scythie, *comme heretique; mais ils ne vouloient pas approuver leurs expressions à cause de leur nouveauté. Ces Moines chagrins se separerent de leur Communion, & traiterent leurs adversaires d'Heretiques.* Justinien *n'étant pas encore Empereur, écrivit d'abord à* Rome *contre les Moines; & ensuite leur étant devenu plus favorable, manda au Pape qu'il ne prenoit point de parti, & qu'il le prioit de décider cette question. Cependant ces Moines arrivez à* Rome *avoient presente une Requête au Pape* Hormisdas, *dans laquelle ils se plaignoient fort de son Legat* Dioscore. *Le Pape voïant que la question étoit difficile, ne se pressa pas de la décider, il voulut attendre le retour de* Dioscore, *& retint les Moines de* Scythie *à* Rome. *D'un côté Denis le Petit fit une traduction de l'Epître de* Procle *aux* Armeniens, *pour appuier l'opinion de ces Moines : d'autre côté un Prêtre nommé* Trifolius *les combattit.* Justinien *étoit persuadé que toute cette contestation n'étoit qu'une dispute de mots. Ces Catholiques d'Orient ne faisoient point de difficulté d'appeller Jesus-Christ* un de la Trinité; *& les Evêques* d'Afrique, *consultez par les Moines de* Scythie, *leur répondirent que l'on pouvoit dire* qu'une personne de la Trinité a souffert. *Les Moines de* Scythie *impatiens d'être retenus à* Rome, *se sauverent après avoir affiché une protestation. Le Pape fâché de cette fuite écrivit une Lettre contr'eux, où il les accuse d'obstination & d'emportement. Maxime y fit une Replique pleine d'aigreur.* Justinien *écrivit plusieurs Lettres pour demander au Pape la décision de ce point, & envoïa exprès un Ambassadeur à* Rome *pour ce sujet. Cependant* Hormisdas *aïant entendu* Dioscore, *persista dans la resolution de ne rien ajoûter à ce qui avoit été décidé dans les Conciles précedens. Mais* Jean *II. sollicité par l'Empereur* Justinien *qui avoit donné un Edit en faveur de la proposition des Moines de* Scythie, *approuva cette proposition. Les Papes* Agapet *&* Vigile *confirmerent ce jugement, & le cinquiéme Concile Oecumenique transcrivit ce sentiment dans ses Canons. La maniere favorable dont le Cardinal* Noris *parle dans ses écrits des Moines de* Scythie, *& la contradiction apparente qu'il semble admettre entre le jugement du Pape* Hormisdas *& le decret de* Jean *II. a donné lieu à un Anonyme de l'accuser d'avoir fourni un argument contre l'Infaillibilité du Pape. Cette accusation est sensible à un Theologien de la Cour de* Rome, *Bibliothequaire du Pape, qui a depuis été revêtu de la Pourpre* Romaine. *Aussi le Cardinal* Noris *l'a-t-il vivement repoussé dans la seconde Dissertation, où il tâche de faire voir qu'il n'y a point eu de contrarieté de sentimens entre les Papes* Hormisdas *&* Jean *II. parce que l'un a rejetté la proposition dans un sens, & l'autre l'a approuvée dans un autre. Il rapporte ce qu'il appelle* les scrupules de l'anonyme, *parce que l'écrit auquel il répond est intitulé :* De his quæ spectant ad Catholicam fidem Auctore Anonymo scrupuloso, *& y satisfait.*

Mais comme cet Anonyme lui reprochoit dans la seconde partie d'avoir accusé à tort Vincent de Lerins *& les Evêques des* Gaules *d'avoir été favorables au Semipelagianisme, il se défend dans une troisiéme Dissertation contre ce reproche Il montre qu'il n'est pas le seul Auteur Moderne qui soit de cet avis, que ce sentiment est bien fondé, & que l'erreur de* Vincent *de* Lerins *& des Evêques de* Gaule, *ne porte aucun préjudice à leur autorité & à leur sainteté, parce que la question n'étoit pas encore décidée. C'est ce qu'il confirme dans la* 4. *Dissertation qui est une Réponse à l'Appendice de l'Anonyme. La* 5. *Dissertation du Cardinal* Noris *est sur un reproche encore plus odieux qui lui avoit été fait, non seulement dans les scrupules de l'Anonyme, mais encore dans un Ecrit Latin intitulé :* Information sur le Livre du Pere Noris par un Theologien de Paris, *& dans une Lettre Italienne intitulée :* Lettere d'un' Cavaliere dimorante in Parigi ad' un suo amico in Italia. *Il croit que ces écrits partent d'une même main; & que quoique celui qui a fait les deux premiers se dise Docteur de* Sorbonne, *il est d'une societé qui n'a point d'entrée dans ce Corps. Le reproche que cet Auteur lui fait est l'accusation de Jansenisme. Il a cru le trouver dans deux propositions des écrits du Pere* Noris. *Ce Cardinal sensiblement touché de ce reproche s'en justifie en faisant voir qu'il n'est pas d'accord avec* Jansenius, *& qu'il n'a rien enseigné touchant la Grace qui ne soit conforme à la Doctrine des Theologiens approuvez.*

Le dernier Ouvrage du Recueil des Oeuvres du Cardinal Noris *est intitulé;* Songes de François Macedo dans son itineraire de saint Augustin, dissipés avec facilité par Fulgence Fosseus Augustin, Professeur en Theologie, adressez au R. P. Mabillon. *Voici le sujet de cet Ecrit.* François Macedo Portugais, *autrefois Jesuite, depuis de l'Ordre des FF. Mineurs Auteur très-fécond, a donné un Tome de l'Incarnation qu'il appelle singulier.* Nom, *dit* Noris *(car c'est lui qui est caché sous le nom de Fosseus)* qu'il ne merite pas pour sa Doctrine singuliere, mais parce qu'il est seul. *Cet Auteur s'est avisé de mettre à la fin de cet Ouvrage une Dissertation contre le Monachisme de saint* Augustin, *& un Itineraire de S.* Augustin. *Comme il dit qu'il aime à se souvenir & à parler de saint* Augustin, *& que son plaisir est même à songer de lui; cela a donné lieu au Cardinal* Noris *de recueillir & de refuter sous le nom de* Songes, *les faussetez qu'il a remarquées dans cet Itineraire. Il en cotte jusqu'à* 51. *qui lui donnent matiere de se bien divertir aux dépens du pauvre Pere* Macedo. *On jugera des autres par celle-ci.* Macedo *declare* qu'à l'avenir l'année indubitable de la naissance du Baptéme, & de la mort de saint Augustin sera, pour la naissance 355. pour le Baptême 388. & pour la Mort 431. *Vous êtes bien imperieux, lui dit* Noris, *de*

de faire ainsi des Loix en songeant, mais vous ne serez obéï que par des rêveurs. Vôtre année de la naissance de saint Augustin *est un songe, car il est né le* 13. *Novembre* 354. *Celle du Baptême ne l'est pas moins, car il a été baptisé le* 24. *Avril* 387. *& enfin celle de la mort est encore une rêverie, puisqu'il est mort le* 28. *de Septembre de l'année* 430. *Plusieurs autres bévûës de cette nature donnent lieu au Cardial* Noris *de conclure ce Livre, en disant que comme le Pape* Gelase *a mis an rang des Livres Apocryphes l'Itineraire de saint Pierre:* Itinerarium Petri Apostoli, Apocryphum; *il espere que ceux qui sçauront les rêveries de l'Itineraire du Pere* Macedo, *lui appliqueront la même censure:* Itinerarium Augustini post Baptismum, Mediolano Romam, Apocryphum. *On devoit encore inserer dans cette édition la censure des Notes du Pere* Garnier *sur les inscriptions synodales des Lettres* 90. *&* 92. *de saint* Augustin.

S'il y a beaucoup d'érudition Ecclesiastique dans ces Ouvrages, il en paroît encore davantage pour le profane dans le Traité du Pere Noris *intitulé*, L'année & les Epoques des Syromacedoniens éclaircies par les Médailles des villes de Syrie, & principalement par celles qui se trouvent dans le Cabinet du Grand Duc, avec des Fastes Consulaires d'un Anonyme, plus parfaits que tous les autres, tirés d'un Manuscrit de la Bibliotheque de l'Empereur. *Il commence par l'explication de l'année des Macedoniens que ces Peuples vainqueurs de* l'Asie *y firent recevoir: Cette année etoit lunaire, comme celles de presque tous les Peuples dans les premiers temps. Elle étoit composée de* 12. *mois, dont chacun avoit* 30. *jours, & commençoit à l'Equinoxe d'Automne. L'Epoque des Seleucides est le sujet de la seconde Dissertation. Pour en fixer le commencement, il faut observer qu'après la mort d'*Alexandre, Seleucus *n'eut point de part dans la distribution des Provinces, & qu'il fut seulement chargé du commandement de la Cavalerie étrangere. Trois ans après il eut la ville de* Babylone *& le païs d'alentour, d'où il fut contraint de s'enfuir en* Egypte *par la crainte de la puissance d'*Antigonus: *mais il s'y rétablit en la premiere année de la* CXVII. *Olympiade, la* 442. *de la fondation de* Rome, *& la* 312. *avant la naissance de* Jesus-Christ, *& il y jetta les fondemens d'un puissant Empire. Onze ans après* Antigonus *aïant été tué*, Seleucus *demeura maître de toute la Haute* Syrie, *& commença à compter les années de son regne, du temps auquel il avoit été maître de* Babylone. *C'est-là la celebre Epoque marquée sur les Médailles frappées en* Syrie *dans les Livres des* Maccabées; *& dans le premier Concile tenu à* Nicée, *qui est dattée l'an* 636. *depuis* Alexandre *& de l'Empire des* Macedoniens. *Dans la suite la* Syrie *aïant passé sous la domination des* Romains *quelques villes conserverent l'Epoque des* Seleucides, *& d'autres en formerent de nouvelles, en comptant du jour qu'elles avoient été mises en liberté, & sous leurs propres loix. Ce sont ces Epoques que le Pere* Noris *recherche par les Medailles de ces Villes, où les années sont marquées. Il y en a quelques unes dont l'Epoque n'est pas fixée, comme celle d'Edesse, mais au défaut de cette preuve le Pere* Noris *a recours à* Eusebe, *qui dit que les Habitans de cette Ville comptoient le temps de la premiere année de la* CXVII. *Olympiade, qui est justement l'Epoque des* Seleucides. *Le Pere* Noris *emploie trois Dissertations sur la fondation & sur les Epoques des Villes de* Syrie. *Ce qu'il dit de celle de* Tyr *est aussi utile que curieux.* Tyr *fut bâtie* 240. *ans avant le Temple de* Salomon, *dont les fondemens furent jettez* 1012. *ans avant* Jesus-Christ. *Leur premiere Ville fut bâtie en terre-ferme, & la seconde dans une Isle. Elle fut prise & ruinée par* Alexandre, *& reparée bien-tôt après. Elle tomba sous la puissance d'*Antiochus *en la* 536. *année de la fondation de* Rome, *& commença alors à se servir de l'Epoque des* Seleucides *qu'elle changea en la* 628. *année de la fondation de* Rome, *en laquelle elle obtint sa liberté d'*Alexandre *II. Roy de* Syrie, *comme il est prouvé par les Medailles.* Suidas *prétend que cette Ville ne devint Metropole que sous l'Empereur* Adrien. *Cependant* Strabon, *qui écrivoit sous* Tibere, *dit que cet honneur étoit en contestation entre* Tyr *&* Sidon, Tyr *l'emporta.* Beryte *fut aussi érigée Metropole par* Theodose *le Jeune, mais son Evêque ne put obtenir dans le Concile de* Chalcedoine *de conserver la dignité de Metropolitain. L'Epoque des Tyriens sert à justifier la date du Concile tenu à* Tyr, *sur l'affaire d'*Ibas *Diacre d'*Edesse. Baronius *& le Pere* Petau *ont placé ce Concile en l'an* 448. *Le P.* Noris *le renvoïe à l'an* 449. *de* Jesus-Christ, *parce que l'an* 574. *de l'Epoque des* Tyriens, *positivement marqué dans le Concile de* Chalcedoine *se rapporte à cette année de l'Ere chrêtienne.* Baronius *a observé une circonstance qui contredit le calcul du Pere* Noris: *C'est qu'au mois de Septembre de la même année où fut tenue l'assemblée de* Tyr, *il y en eut une autre à* Beryte *où il fut absous. Or le faux Concile d'*Ephese *aïant été tenu constamment an mois d'Août* 449. *&* Ibas *aïant été déposé par cette assemblée tumultueuse, il est évident que l'on ne peut pas avoir agité une seconde fois cette affaire à* Beryte *en* 449. *puisqu'elle venoit d'être jugée à* Ephese. *L'Auteur pour ajuster l'Histoire à sa Chronologie prétend que l'assemblée pour juger* Ibas *aïant été convoquée à* Tyr, *ses accusateurs remplirent la Ville de ce blasphême prononcé pas Ibas:* Je n'envie point à Jesus-Christ l'avantage d'avoir été fait Dieu, puis qu'en la maniere qu'il l'a été fait je le puis aussi être. *Que* Photius *Evêque de* Tyr *choqué du scandale que causoient parmi le peuple ces paroles qu'*Ibas *nioit être sorties de sa bouche, transporta l'assemblée à* Beryte *où* Ibas *fut absous. Que tout cela se passa vers le mois de Fevrier* 449. *& que le mois de Septembre, mis dans le Concile de* Chalcedoine, *est une faute, qui étant corrigée, leve toute la difficulté, car il n'est plus impossible que tout ce qui est arrivé à* Tyr, *ensuite à* Beryte, *& en dernier lieu à* Ephese, *ne puisse être arrangé la même année. La ville de* Dor *est si ancienne, que le Roi qui la gouvernoit est nommé parmi ceux qui furent défaits par* Josué. *Pompée la délivra de la domination des* Juifs, *& la mit en liberté la* 691. *année de la fondation de* Rome, *à laquelle commence sa nouvelle Epoque. Saint* Jerôme *assure qu'elle étoit deserte en son temps, ce qui est peut-être cause que les noms de ses Evêques ne paroissent dans aucun ancien Concile. Le Pere* Noris *remarque que dans celui de Latran en* 649. *Etienne Evêque de* Dor *presenta au Pape* Martin *un écrit contre les Monothelites. Le Pere* Hardoüin *cite un exemplaire plus ancien de Baroque Evêque de* Dor *qui signa, selon lui, dans le cinquiéme Concile de* Constantinople; *mais le Pere* Noris *y trouve deux choses à redire, l'une que* Baroque *ne signa pas dans le* 5. *Concile, mais seulement dans une Lettre du Synode de* Jerusalem *celebré en* 518. *rapportée dans l'action* 5. *du Concile tenu à* Constantinople *sous Mennas en* 536. *l'autre que le Pere* Hardouin *semble confondre le Concile de* Constantinople *tenu en* 553. *qui est le* 5. *General, avec le Synode celebré son Mennas.*

Le Pere Noris *examinant ainsi plusieurs points de Chronologie, d'Histoire & de Medailles; & rencontrant souvent en son chemin le Pere* Hardoüin, *ne le ménage point du tout. Il l'accuse même de se faire honneur du travail d'autrui, de prendre les pensées & les paroles des plus habiles gens de ce* Siecle, *& de supprimer leur nom.*

Les

Les Fastes Consulaires passent pour les plus exacts que nous aïons. Ils sont tirez d'un Manuscrit de la Bibliotheque de l'Empereur qui avoit autrefois appartenu à Cuspinien : *c'est Monsieur* Toinard *qui l'avoit indiqué au Pere* Noris.

La Lettre du Pere Noris *au Pere* Pagi *est sur une Medaille* d'Herode Antipas, *dont Monsieur* Rigord *s'étoit servi dans une Dissertation pour fixer l'Epoque de la mort de* Jesus-Christ. *Cette Medaille nous apprend que l'année* 48. *du regne* d'Herode Antipas *tombe dans l'une des années de* Caligula *qui répondent aux années Juliennes* 82. 83. 84. 85. *& au commencement de* 86. *Ce ne peut être ni* 85. *ni* 86. *parce qu'il est constant* qu'Agrippa *étoit pour lors investi du Tetrarchat* d'Antipas. *Pour montrer que c'est l'an* 84. *il emploie les années du regne du Grand* Herode *&* d'Antipas, *le premier regna* 37. *ans & ce dernier* 43. *la* 6. *année* Julienne *est selon* Josephe, *&* Dion, *la premiere du regne* d'Herode *le* Grand. Antipas *fut degradé sur la fin de l'année* 83. Julienne, *or ces deux nombres d'années* 37. *&* 43. *ne sçauroient se trouver dans cet intervalle que la* 37. d'Herode *le* Grand *ne réponde à la* 42. Julienne, *& la* 43. d'Antipas *à l'année* Julienne 83. *Cela est confirmé par l'exil* d'Archelaüs *fils du* Grand Herode, *& frere* d'Herode Antipas *qui arriva la* 10. *année de son regne selon* Joseph, *& sous le Consulat de* Marcus Æmilius Lepidus, *& de* Lucius Aruntius *Nepos l'an* 759. *de* Rome, *celle-ci étoit la* 10. *de son regne, il faut* qu'Herode *le Grand soit mort l'an* 750. *de* Rome *qui est la* 42. Julienne, *dans laquelle les Astronomes trouvent une Eclipse de Lune arrivée le* 13. *de Mars à trois heures après minuit, que* Josephe *remarque être arrivée à la mort* d'Herode *le Grand. Le Pere* Noris *ne convient pas de la verité de cette Medaille, & il ne croit pas que l'on puisse trouver plus de* 42. *ans de regne à* Herode Antipas.

Cet Ouvrage du Pere Noris *étant venu en* France, *de sçavans Antiquaires entre lesquels il nomme Monsieur* Oudinet, *Garde des Medailles de Sa Majesté, Monsieur l'Abbé* Nicaise, *Monsieur* Toinard, *& Monsieur* Vaillant *lui aïant envoïé plusieurs Medailles sur lesquelles se voit l'Epoque de differentes Villes de* Syrie; *il les a fait mettre à la fin de son* 5. Livre, *& y a joint de nouvelle observations. Il y attaque encore de nouveau le Pere* Hardoüin, *en relevant quelques fautes qu'il prétend qu'il a faites, comme en assurant qu'une Medaille est frappée à* Ortesiade *Ville de* Carie, *qui l'a été à* Ortesiade *ville de* Phenicie, *en rapportant la legende & le type d'une Medaille de* Caracalla *autrement qu'elle n'est gravée, quoiqu'il dise l'avoir vuë dans le Cabinet du* Roi: *de s'être trompé de dix ans au sujet d'une Medaille de l'Empereur* Claude *en mettant* 146. *au lieu de* 156. *& en aïant cru voir dans le revers d'une Medaille de l'Empereur* Severe *une Pallas qui tient une Chouette, au lieu que c'est une Venus qui tient un Pigeon. Il approuve la correction que Monsieur* Toinard *fait sur l'explication de ces deux Lettres* B. Γ. *gravées sur le champ d'une Medaille de l'Empereur Maximin. Il avoit cru qu'elles signifioient* βελῆς γεάμματι, *au lieu que Monsieur* Toinard *lui fait remarquer qu'elles signifioient plutôt* βελῆς γνώμη, *paroles qui se trouvent dans l'Oraison de Demosthene,* pro corona. *Il reconnoît qu'il est aussi redevable à Monsieur* Toinard *de la découverte, que l'Epoque de la ville* d'Antioche *est liée avec les années de l'Empire de* Neron. *A l'occasion d'une Medaille du Cabinet de Monsieur* Dron *frappée à* Palte, *il traite dans la p.* 492. *de la situation de cette Ville & de plusieurs de ses Evêques dont les noms se trouvent dans d'anciens Conciles, & dans l'Histoire de l'Eglise. Outre ces nouvelles observations, il a augmenté ce Volume de deux Dissertations, dont la premiere sert de commentaire au Cycle Paschal des Latins, qui contient* 84. *ans, & qui est dans les Fastes consulaires de la Bibliotheque de l'Empereur, qu'il prétend être le Cycle qui étoit en usage dans l'Eglise Latine depuis le Concile de* Nicée; *qui se partageoit en six autres dont chacun étoit de quatorze ans. Et la seconde enferme un autre Cycle Paschal qui se trouve sur un marbre antique de* Ravenne, *qui est celui de Denis le* Petit; *il s'en sert pour faire voir que l'Ere vulgaire de Jesus-Christ est anterieure d'un an à celle de Denis le* Petit, *contre ce qui en avoit été cru jusqu'ici.*

Quelque-temps après que ce Livre du Pere Noris *fut publié, on vit paroître une feuille volante sous ce Titre:* Pro Eumenio Pacato ad Norisium; *qui n'est qu'une Satire écrite en bon Latin. On a cru qu'elle venoit du Pere* Hardouin, *& en effet on voit bien que c'est lui qu'on veut défendre; mais on ne le justifie point en particulier des fautes que le Pere* Noris *a relevées; l'Auteur se contente de lui donner des louanges qu'il merite, & de faire au Pere* Noris *des reproches d'ignorance & de mauvaise foi qu'il ne merite pas.*

Il n'est pas necessaire de relever l'exactitude & l'érudition du Cardinal Noris, *non plus que la netteté de ses expressions & l'élegance de son stile: tous les sçavans ont reconnu & honoré son merite, & l'on peut dire que quelque grande que soit la dignité de Cardinal, le Pape ne s'est pas fait moins d'honneur en l'élevant à cette dignité, qu'elle a fait d'honneur au Pere* Noris. *C'est avec raison qu'un Prêtre de* Dijon *a dit de ses Ouvrages en s'adressant au Mont-Liban;*

Quis neget hunc cedris scribere digna tuis.

On ne peut pas dire de cette expression: Nimis Poëticè dictum; *car s'il y a des Ouvrages dignes d'être immortels, ce sont ceux de ce grand Homme. Il est fâcheux que les continuelles occupations qu'il avoit à la Cour de* Rome *aïent interrompu le cours de ses grands travaux & que la mort l'aïant enlevé au mois de Fevrier* 1704. *nous n'aïons plus rien à esperer de lui, si ce n'est quelque Ouvrage posthume. Les Ouvrages du Cardinal Noris sont,* Historiæ Pelagianæ, Libri duo; Cenotaphia Pisana Caji ac Lucii, Cæsarum, Dissertationibus IV. illustrata. Dissertatio Historica de Synodo quinta Oecumenica; Vindiciæ Augustinianæ; Dissertatio de uno ex Trinitate passo; Apologia Monachorum Syriæ ab Anonymi scrupulis vindicata; Anonymi scrupuli circa Veteres Semi-Pelagianorum Sectatores, evulsi ac eradicati; Responsio ad Appendicem Auctoris scrupulorum; Janseniani Erroris calumnia sublata; Somnia Francisci Macedo. Epochæ Syro-Macedonum; Paræenesis ad Joannem Harduinum; Thraso, seu Miles Macedonicus, Plautino sale perfrictus. *Le Pere Noris a été un des Hommes du dernier siecle qui a eu le plus d'érudition. Ses Ouvrages sont très-savans & très-élegans, & dignes d'être immortels.*

EPITAPHIUM H. NORISII.

FR. HENRICO NORIS VERONENSI
ORDINIS AC TITULI S. AUGUSTINI
PRESBYTERO CARDINALI S. R. E. BIBLIOTHECARIO
AUGUSTINIANA EREMITARUM FAMILIA
THEOLOGO CHRONOLOGO HISTORICO
B. M. P.

Henrico monumentum ingens sese explicat orbis,
Phœnicum ad littus, littore ab Hesperio.
Inscribunt tumulo quidquid auxere perenni
Ære, argento, auro Sæcula & Historiæ.
Norisio minor est titulus. Tu grandior esse,
Augustine, potes par tumulo titulus.
Obiit VII. *Kal. Martii, Anno Æræ Christi* MDCCIV.
Ætatis LXXIII. *ex A. D. Kal. Septembris.*

APPROBATIO THEOLOGORUM.

NOs infra scripti jussu Reverendissimi P. Magistri Dominici *Valvasorii* totius Ordinis Eremitarum S. P. Augustini supremi Moderatoris, legimus librum, cui titulus: *Cenotaphia Pisana &c. Auctore F. Henrico Noris Veronensi*, ac nihil in eodem adnotavimus, quod ab editione illum excluderet. Quamvis enim ibidem funebres Gentilium ritus juxta suscepti operis rationem exponat, eos tamen ita recitat, ut illos & improbet, & irrideat. Hinc idem volumen *Romanæ* historiæ studiosis perutile publicis typis imprimi posse censemus. Quod judicium nostra manu subsignavimus *Venetiis* die 16. Julii A. 1680.

Fr. Joseph Ricci Venetus S. T. Mag. & Prior S. Stephani Venetiarum.
Magister Jacobus Florellus Venetus.

Magister F. Dominicus Valvasorius Mediolanensis totius Ord. FF. Eremitarum S. P. N. Augustini Prior Generalis.

CUm opus P. Magistri F. *Henrici Noris Veronensis*, cui titulus: *Cenotaphia Pisana Caji ac Lucii Cæsarum Augusti FF. dissertationibus illustrata:* duo nostri Sac. Theologiæ Professores, quibus id à Nobis injunctum fuerat, recognoverint, ac in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut servatis servandis, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, ac sigillo nostro munitas, dedimus *Romæ* in Cœnobio S. P. N. Augustini die 27. Julii 1680.

F. Dominicus Valvasorius Mediolanensis Generalis licet indignus Ord. Erem. S. P. N. Augustini.

Nostri muneris affixo sigillo.

Reg. lib. II.

Mag. Carolus Maria Perugia Mediolanensis Secr. Ord.

Noi Riformatori dello Studio di Padoua.

HAvendo veduto per Fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato *Cenotaphia Pisana*, *Auctore F. Henrico Noris Veronensi Augustiniano*, non esservi cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Secretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza al Baglioni di poterlo stampare, osservando gl'ordini, &c.
Dat. li 19. Settembre 1680.

(*Nicolò Venier Proc. Rif.*
(*Silvestro Valier Cav. Proc. Rif.*

Gio. Battista Nicolosi Segr.



INDEX CAPITUM.

DISSERTATIONIS PRIMÆ

DISSERTATIONIS SECUNDÆ


DISSERTATIONIS QUARTÆ





F. HEN-






FR. HENRICVS NORIS,
Veronensis,
Ord. Eremitarum S. Augustini,
S.R.E. Presbyter Cardinalis,
ac Bibliothecarius.
Creatus die XII. Decembris M.DC.XCV.
Obiit die XXIII. Febr. M.DCC.IV.



UNIVERSITARIA
SEVILLA



PISA
Urbs Etruriæ







ARNO FIUME

Explicatio Numerorum hujus Tabulæ.

1 *Templum S. Stephani.*
2 *Basilica Princeps.*
3 *Campanile.*
4 *Templum S. Ioannis.*
5 *Campus Sanctus.*
6 *Magni Ducis Palatium.*
7 *Hortus Medicus.*
8 *Navalia.*
9 *Castellum.*
10 *Ædes Archiepiscopi.*
11 *Xenodochium.*
12 *Templum* la Spina.
13 *Templum S. Laurentii.*
14 *Templum S. Francisci.*
15 *Templum S. Silvestri.*
16 *Templum* Il Carmine.
17 *Templum S. Anthonii.*
18 *Porta Maritima.*
19 *Porta Nova.*
20 *Porta Lucana.*



CENOTAPHIUM LUCII CÆSARIS AUGUSTI F.

XIII.K.OCTOBR.PISIS.IN.FORO.IN.AVGVSTEO.SCRIB.ADFVER
Q.PETILIVS.Q.F.P.RASINIVS.L.F.BASSVS.M.PVPPIVS.M.F
Q.SERTORIVS.Q.F.PICA.CN.OCTAVIVS.CN.F.RVFVS.A.ALBIVS
A.F.GVTTA

QVOD.C.CANIVS.C.F.SATVRNINVS.IIVIR.V.F.DE.AVGENDIS.HONORIBVS
L.CAESARIS.AVGVSTI.CAESARIS.PATRIS.PATRIAE.PONTIFICIS.MAXSVMI
TRIBVNICIAE.POTESTATIS.XXV.FILI.AVGVRIS.CONSVLIS.DESIGNATI.PRINCIPIS
IVVENTVTIS.PATRONI.COLONIAE.NOSTRAE.Q.D.E.R.F.P.D.E.R.I.C.
CVM.SENATVS.POPVLI.ROMANI.INTER.CETEROS.PLVRIMOS.AC.MAXSIMOS
HONORES.L.CAESARIS.AVGVSTI.CAESARIS.PATRIS.PATRIAE.PONTIFICIS.MAXIMI.TRIB
NICIAE sic POTESTATIS.XXV.FILIO.AVGVRI.CONSVLI.DESIGNATO.PER
CONSESVM.OMNIVM.ORDINVM

TETVR.DATA.CVRA.C.CANIO.SATVRNINO.IIVIRO.ET.DECEM.PRIMIS.ELIGENDI
ASPICIENDIQVE.VTER.EORVM.LOCVS.MAGIS.IDONEVS.VIDEATVR.EMENDVS
PVBLICA.PECVNIA.A.PRIVATIS.EIVS.LOCI.QVEM.MAGIS.PROBAVERINT.VTIQVE
APVD.EAM.ARAM.QVOD.ANNIS.A.D.XIII.K.SEPT.PVBLICE.MANIBVS.EIVS.PER.MAGIS
TRATVS.EOSQVE.QVI.IBI.IVRI.DICENDO.PRAERVNT.TOGIS.PVLLIS.AMICTOS
QVIBVS.EORVM.IVS.FASQVE.ERIT.EO.DIE.EIVS.VESTIS.HABENDAE.INFERIAE.MIT
TANTVR.BOSQVE.ET.OVIS.ATRI.INFVLIS.CAERVLIS.INFVLATI.DIIS.MANIBVS.EIVS
MACTENTVR.EAEQVE.HOSTIAE.EO.LOCO.ADOLEANTVR.SVPER.QVE.EAS
SINGVLAE.VRNAE.LACTIS.MELLIS.OLEI.FVNDANTVR.AC.TVM.DEMVM.FACTAM
CETERIS.POTESTATEM.SI.QVI.PRIVATIM.VELINT.MANIBVS.EIVS.INFERIAS.MITTERE
NIVE.QVIS.AMPLIVS.VNO.CEREO.VNAVE.FACE.CORONAVE.MITTAT.DVM.II.QVI.IM
MOLAVERINT.CINCTI.CABINO.RITV.STRVEM.LIGNORVM.SVCCENDANT.ADQVE
EXINDE.HABEANT
VTI.LOCVS.ANTE.EAM.ARAM.QVO.EA.STRVES.CONGERANTVR.COMPONANTVR.PATEAT
QVOQVE.VERSVS.PEDES.XL.STIPITIBVSQVE.ROBVSTIS.SAEPIATVR.LIGNORVMQVE
ACERVOS.EIVS.REI.GRATIA.QVOD.ANNIS.IBI.CONSTITVATVR.CIPPOQVE.GRANDI
SECVNDVM.ARAM.DEFIXSO.HOC.DECRETVM.CVM.SVPERIORIBVS.DECRETIS.AD.EIVS
HONORES.PERTINENTIBVS.INCIDATVR.INSCVLPATVRVE.NAM.QVOD.AD.CETERA
SOLEMNIA.QVAE.EODEM.ILLO.DIE.VITARE.CAVERIQVE.PLACVISSENT.PLACERENT
QVE.ID.SEQVENDVM.QVOD.DE.IIS.SENATVS.P.R.CENSVISSET.VTIQVE.PRIMO
QVOQVE.TEMPORE.LEGATI.EX.NOSTRO.ORDINE.IMPER.CAESARE sic.AVGVSTVM
PATREM.PATRIAE.PONTIFICEM.MAXIMVM.TRIBVNICIAE.POTESTATIS.XXV
ADEANT.PETANTQVE.AB.EO.VTI.COLONIS.IVLIENSIBVS.COLONIAE.OPSEQVENTI
IVLIAE.PISANAE.EX.HOC.DECRETO.EA.OMIA sic.FACERE.EXSEQVIQVE.PERMITTAT

CENOTAPHIUM CAI CÆSARIS AUGUSTI F.

Desunt dies ac mensis . PISIS. IN. FORO. IN. AVGVSTEO. SCRIB. AD

FVER. Q. SERTORIVS . Q. F. ATILIVS. TACITVS. P. RASINIVS . L. F. BASSVS . L. LAPPIVS
P. F. THALLVS. Q. SERTORIVS . Q. F. ALPIVS. PICA . C. VETTIVS. L. F. VIRCVLA. M. HERIVS
M. F. PRISCVS . A. ALBIVS . A. F. GVTTA . TI. PETRONIVS . TI. F. POLLIO. L. FABIVS. L. F. BASSVS
SEX. APONIVS. SEX. F. CRETICVS . C . CANIVS . C. F. SATVRNINVS . L . OTACILIVS . Q. F. PANTHERA

QVOD. ADSVNT. CVM. IN. COLONIA. NOSTRA. PROPTER . CONTENTIONES. CANDIDATO
RVM. MAGISTRATVS. NON. ESSENT. ET. EA. ACTA. ESSENT. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT.
CVM. AD. IIII. NONAS. APRILES. ALLATVS. ESSET. NVNTIVS. CAIVM. CAESAREM. AVGVSTI. PATRIS. PATRI
AE. PONTIF. MAXSVMI. CVSTODIS. IMPERI. ROMANI. TOTIVSQVE. ORBIS. TERRARVM. PRAE
SIDIS. FILIVM. DIVI. NEPOTEM. POST. CONSVLATVM. QVEM. VLTRA. FINIS. EXTREMAS. POPV
LI. ROMANI. BELLVM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. BENE. GESTA. RE. PVBLICA. DEVICTEIS. AVT
INFIDEM. RECEPTIS. BELLICOSISSIMIS. AC. MAXSIMIS. GENTIBVS. IPSVM. VOLNERIBVS. PRO. RE
PVBLICA. EXCEPTIS. EX. EO. CASV. CRVDELIBVS. FATIS. EREPTVM. POPVLO. ROMANO. IAM. DESIGNA
TVM. IVSTISSVMVM. AC. SIMILLVMVM. PARENTIS. SVI. VIRTVTIBVS. PRINCIPEM. COLONIAEQVE
NOSTRAE. VNICVM. PRAESIDIVM. EAQVE. RES. NON. DVM. QVIETO. LVCTV. QVEM. EX. DECES
SV. L. CAESARIS. FRATRIS. EIVS. CONSVLIS. DESIGNATI. AVGVRIS. PRONI. NOSTRI. PRINCI
PIS. IVVENTVTIS. COLONIA. VNIVERSA. SVSCEPERAT. RENOVASSET. MVLTIPLICASSETQVE
MOERОREM. OMNIVM. SINGVLORVM. VNIVERSORVMQVE. OB. EAS. RES. VNIVERSI. DECV
RIONES. COLONIQVE. QVANDO. EO. CASV. IN. COLONIA. NEQVE. IIVIR. NEQVE. PRAEFECTI
ERANT. NEQVE. QVISQVAM. IVRE. DICVNDO. PRAERAT. INTER. SESE. CONSENSERVNT. PRO
MAGNITVDINE. TANTAE. AC. TAM. INPROVISAE. CALAMITATIS. OPORTERE. EX. EA. DIE
QVA. EIVS. DECESSVS. NVNTIATVS. ESSET. VSQVI. AD. EAM. DIEM. QVA. OSSA. RELATA. ATQVE
CONDITA. IVSTAQVE. EIVS. MANIBVS. PERFECTA. ESSENT. CVNCTOS. VESTE. MVTATA. TEMPLIS
QVE. DEORVM. IMMORTALIVM. BALNEISQVE. PVBLICIS. ET. TABERNIS. OMNIBVS. CLAVSIS
CONVICTIBVS. SESE. APSTINERE. MATRONAS. QVAE. IN. COLONIA. NOSTRA. SVNT. SVBLVGERE
DIEMQVE. EVM. QVO. DIE. C. CAESAR. OBIT. QVI. DIES. EST. A. D. VIIII. K. MARTIAS. PRO. ALLIENSI
LVGVBREM. MEMORIAE. PRODI. NOTARIQVE. IN. PRAESENTIA. OMNIVM. IVSSV. AC
VOLVNTATE. CAVERIQVE. NEQVOD. SACRIFICIVM. PVBLICVM. NEVE. QVAE. SVPPLI
CATIONES. NIVE. SPONSALIA. NIVE. CONVIVIA. PVBLICA. POSTEA. IN. EVM. DIEM
EOVE. DIE. QVI. DIES. ERIT. A. D. VIIII. K. MART. FIANT. CONCIPIANTVR. INDICAN
TVRVE. NIVE. QVI. LVDI. SCAENICI. CIRCIENSESVE. EO. DIE. FIANT. SPECTENTVRVE
VTIQVE. EO. DIE. QVOD. ANNIS. PVBLICE. MANIBVS. EIVS. PER. MAGISTRATVS. EOSVE
QVI. PISIS. IVRE. DICVNDO. PRAERVNT. EODEM. LOCO. EODEMQVE. MODO. QVO
L. CAESARI. PARENTARI. INSTITVTVM. EST. PARENTETVR
TIQVE. ARCVS. CELEBERRIMO. COLONIAE. NOSTRAE. LOCO. CONSTITVATVR. ORNA
TVS. SPOLEIS. DEVICTARVM. AVT. IN. FIDEM. RECEPTARVM. AB. EO. GENTIVM. SVPER
EVM. STATVA. PEDESTRIS. IPSIVS. TRIVMPHALI. ORNATV. CIRCAQVE. EAM. DVAE
EQVESTRES. INAVRATAE. GAI. ET. LVCI. CAESARVM. STATVAE. PONANTVR
TIQVE. CVM. PRIMVM. PER. LEGEM. COLONIAE. DVO. VIROS. CREARE. ET. HABERE. PO
TVERIMVS. II. DVO. VIRI. QVI. PRIMI. CREATI. ERVNT. HOC. QVOD. DECVRIONIBVS
ET. VNIVERSIS. COLONIS. PLACVIT. AD. DECVRIONES. REFERANT. EORVM. PV
BLICA. AVCTORITATE. ADHIBITA. LEGITVME. ID. CAVEATVR. AVCTORIBVSQVE
IIS. IN. TABVLAS. PVBLICAS. REFERATVR. INTEREA. T. STATVLENVS. IVNCVS
FLAMEN. AVGVSTALIS. PONTIF. MINOR. PVBLICORVM. P. R. SACRORVM. ROGARE
TVR. VT. CVM. LEGATIS. EXCVSATA. PRAESENTI. COLONIAE. NECESSITATE. HOC
OFFICIVM. PVBLICVM. ET. VOLVNTATEM. VNIVERSORVM. LIBELLO. REDDITO
IMP. CAESARI. AVGVSTO. PATRI. PATRIAE. PONTIF. MAXSIMO. TRIBVNICIAE
POTEST. XXVI. INDICET
IDQVE. T. STATVLENVS. IVNCVS. PRINCEPS. COLONIAE. NOSTRAE. FLAMEN. AVGVST
PONTIF. MINOR. PVBLICORVM. P. R. SACRORVM. LIBELLO. ITA. VTI. SVPRA. SCRIPTVM
EST. IMPERATORI. CAESARI. AVGVSTO. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVN. POTEST. XXVI. PATRI
PATRIAE. REDDITO. FECERIT. PLACERE. CONSCRIPTIS. QVAE. AD. IIII. NONAS. APRILES
QVAE. SEX. AELIO. CATO. C. SENTIO. SATVRNINO. COS. FVERVNT. FACTA. ACTA. CON
STITVTA. SVNT. PER. CONSENSVM. OMNIVM. ORDINVM. EA. OMNIA. ITA. FIERI. AGI. HA
BERI. OPSERVARIQVE. AB. L. TITIO. A. F. ET. T. ALLIO. T. F. RVFO. IIVIRIS. ET. AB. EIS. QVICVM
QVE. POSTEA. IN. COLONIA. NOSTRA. IIVIR. PRAEFECTI. SIVE. QVI. ALI. MAGISTRATVS
ERVNT. OMNIA. IN. PERPETVOM. ITA. FIERI. AGI. HABERI. OBSERVARIQVE. VTIQVE. L. TITIVS
A. F. T. ALLIVS. T. F. RVFVS. IIVIRI. EA. OMNIA. QVAE. SVPRASCRIPTA. SVNT. EX. DECRETO
NOSTRO. CORAM. PRO. QVAESTORIBVS. PRIMO. QVOQVE. TEMPORE. PER. SCRIBAM. PV
BLICVM. IN. TABVLAS. PVBLICAS. REFERENDA. CVRENT

CENSVERE

1 # F. HENRICI NORIS CENOTAPHIA PISANA CAJI ET LUCII CÆSARUM

DISSERTATIONIBUS ILLUSTRATA.

DISSERTATIO I.

DE PISANÆ COLONIÆ ANTIQUITATE, EJUSQUE vetuſtis Magiſtratibus, ac Sacerdotum collegiis

Caput I.

Piſæ *in* Etruria *à* Peloponneſiis *conditæ.* Plinii *textus emendatus.* Cluverii *de* Teutonibus Piſarum *conditoribus opinio refellitur.* *Inſigne* M. Catonis *de ejuſdem Urbis antiquitate teſtimonium.* Piſæ Romano *imperio additæ.* *Varia* Romanorum *cum* Liguribus *in agro* Piſano *prælia recitata.* *Conſules* Piſis *hiemantes.* *Eadem Urbs num fuerit Præfectura?* *Colonia* Latina Piſas *deducta.* *Cives in* Tribum Galeriam *relati.*



QUicumque gentium ac urbium natales altius repetunt, uſurpato magnis Scriptoribus jure, pleraque ſine auctore vulgo prodentes, ſplendida mendacia adornant, ac poëticis propiora fabulis, quam incorruptis antiquioris ætatis monumentis tradita, in literas mittunt, ut laudatis gentibus eo nobilior quo antiquior origo aſſeratur. Hinc factum eſt, ut non una gens ex fumantis *Trojæ* cineribus originem jactet. Victoris ac principis terrarum Populi *Romani* natales à *Teucris* per tela ac gladios *Achivorum* elapſis, derivaſſe veterum tum hiſtoriæ, tum fabulæ conteſtantur. Eoſdem per *Antenorem* majores *Venetorum* Reſpublica belli paciſque artibus inclyta, veneratur. *Paullus Æmilius* conterraneus meus, *Francorum* res, opere tricenum in annum cuſo, ſeris poſteris commendaturus, bellicoſiſſimam nationem à *Trojanis* ortam autumavit. Quid quod ipſi *Turci*, vetuſta origine, *Teucri* quibuſdam putantur, unica tantum litera in ardentis *Ilii* rogo deperdita: Equidem ii ſuorum natalium primordia, per me licet, quocunque auctore, ad *Trojanos* referant. *Piſæ* vetuſtiſſima *Etruriæ* urbs vel *Ilii* excidio antiquiores, vel certe non modo *Teucris* æquales conditores, verum etiam rerum fortiter feliciterque geſtarum gloria iiſdem longe ſuperiores ſortita eſt. Etenim cum everſæ *Trojæ* reliquiæ *medias acies,*
2 *medioſque per ignes* elapſæ, atque adverſis fatis luctatæ, longiorem terra marique fugam conſciſcerent, *Græci Teucrorum* ſpoliis onuſti, ac victrici claſſe in *Etruriæ* littora delati, prima *Piſanæ* urbis fundamenta poſuerunt. Haud animum induxi rei denſa tot ſæculorum caligine perobſcuræ majus lumen inferre, quam quod vetuſtiſſima *Romanorum* Scriptorum monumenta ſuppeditant; præſertim cum inter eoſdem de *Piſanæ* urbis origine non una ſententia eſſe videatur. *Piſas* à *Piſæis* antiqua *Peloponneſi* gente, ac ludis Olympicis apud ipſam celebratis notiſſima, oriundos ſcribit Virgilius x. *Æn. v.* 179.

Hos parere jubent Alpheæ ab origine Piſæ,
Urbs Etruſca ſolo.

A *Alpheus* enim prope *Aſæam* Megapolitidis in *Peloponneſo* vicum fontem ſortitus, *Piſæorum* agrum interfluit. *Rutilius Numatianus* in Itinerario *Piſas* deſcribens, ait:

Ante diu quam Trojugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret:
Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas,
Nominis indicio teſtificata genus.

Certum eſt *Eleos* ac *Piſatas* diverſos populos fuiſſe, qui non ſemel ſecum invicem acerrime decertarint; unde apud Homerum *Iliad.* XI. *Neſtor Pyliorum* ac *Piſatarum* Rex reportatas abs ſe de *Eleis* victorias ampulloſa oratione exaggerat. At cum poſt Olympiadem quadrageſimam octavam
B *Piſæi*, Rege *Pyrrho Pantaleontis* filio ipſis imperante, bellum *Eleis* ultro intuliſſent, ultima internecione deleti ſunt, teſte Pauſania *lib.* VI. Hinc *Olympiade quinquageſima Duumviris ex ipſa Eleorum civitate ſorte ductis, Olympiorum cura mandata eſt.* Hæc idem Pauſanias *lib.* V. Strabo *lib.* VIII. *pag.* 245. ſcribit: *Spartani eo uſque Eleos juverunt, ut omnis quæ ad Meſſenen uſque eſt ditio, Elea appellata fuerit; idque nomen hodieque obtineat, cum Piſæorum, Cauconum, ac Triphyliorum ne nomina quidem ſuperſint.* Itaque *Piſatæ* una cum imperio nomen amiſere, *Elei* vulgo appellati ſunt. Arethuſa apud Ovidium V. *Met. v.* 494. ait:

C *Piſa mihi patria eſt, & ab Elide ducimus ortus.*

Laudatus etiam *Rutilius Piſas Etruſcas* ab *Elide* deductas dixit, cum tamen à *Piſæis* reapſe conditæ fuerint. Virgilius de equo Olympicis certaminibus deſtinato *Georg.* III. *v.* 202. canit:

Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas.

Athenæus quoque *lib.* XIII. ſcribit celebrari *Athenis Panathæa, in Elide Olympia*; cum ludi Olympici non quidem in *Elide*, ſed in agro *Piſæo* agerentur. Hinc *Jovem* Olympicum, ante cujus ſtatuam ludi edebantur, *Piſæum* Tonantem Statius vocavit *lib.* I. *Theb. v.* 421.

Non aliter quam Piſæo ſua luſtra Tonanti
D *Cum redeunt.*

Ovidius quoque poſtrema *elegia lib.* IV. *Triſt.* ſcribens ſe anno ætatis quinquageſimo exacto, in exilium deportatum, ait:

Poſtque meos ortus Piſæa vinctus oliva,
Abſtulerat decies præmia victor eques.

Ubi tamen *Piſæorum* quadriennes Olympiades cum *Romanis* luſtris confundit; nam certum eſt
natum *Ovidium* A. V. 711. *Hirtio* ac *Panſa* Conſſ. 3
miſſum vero in exilium A. V. 761. ipſomet poëta initio invectivæ contra *Ibin* dicente:

Tempus ad hoc luſtris mihi jam bis quinque peractis.

Placidus Lactantius, ſeu quicunque fuerit vetu-

stus *Statii* interpres ad laudatum proxime carmen ait: *Pisæ civitas Elidis, ubi Olympica corona est; id est agon in honorem Olympici Jovis celebratur, finito quinquennio.* Inepte. Etenim Olympias ineunte, non vero finito quinquennio celebrabatur. *Pisam* nusquam in *Peloponneso* urbem fuisse quidam apud *Strabonem* contendunt, *sed Pisæam regionem, in qua octo urbes fuerant. Lib.* VIII. *pag.* 245. Verum *Pisam* in *Peloponneso* urbem antiquitus extitisse auctor est locupletissimus *Virgilius* superius mihi laudatus, ubi ait *Pisas Etruriæ* urbem ab *Alphea Pisa* originem trahere; Statius quoque *Thebaid.* IV. scribit.

—— *auget resupina maniplos*
Elis, depressæ populus subit incola Pisæ.

Pausanias, qui *Elidem* cæterasque *Græciæ* regiones exactissime *lib.* VI. ait: *Murorum nulla extant amplius reliquiæ, sed undique vitibus consitus est locus, ubi olim Pisa incolebatur.* Ejus urbis conditorem nominant *Pisum Perieris* filium, *Æoli* nepotem. Ita magnis urbibus suprema dies incumbit, ipsæ earundem ruinæ pereunt, ac laborat annalium fides, ut quandoque extitisse credantur; dum ne ulla quidem in loco, ubi antea fuere, vestigia supersunt. Interim patet *Pisas* à *Piso Æoli* nepote nominatas.

Quamvis *Strabo* ac *Plinius Pisas* à *Peloponnesiis* in *Etruria* conditas contestentur, non eundem tamen illius conditorem affirmant. Etenim Strabo *lib.* V. *pag.* 154. ait: *Pisæ à Pisæis Peloponnesiis conditæ sunt, qui cum Nestore ad Trojam profecti, in reditu navigantes, ejecti sunt alii ad Metapontum, alii ad agrum Pisanum, cum universi Pylii dicerentur. Nestor Nelei* filius cum nonaginta navium classe ex *Peloponneso*, bello *Trojano* exorto, in *Asiam* transmisit, ac non semel *Homero* memoratur. At Plinius *lib.* III. *cap.* 5. scribit: *Colonia Luca, propiorque Pisæ, inter amnem Ausurem & Arnum, ortæ à Pelope, Pisisque sive Arintanis Græca gente. Pelops Tantali Phrygum* Regis filius ex *Asia* in *Græciam* navigavit, atque *Oenomao Pisæorum* rege interfecto, ejus filiam *Hippodamiam* uxorem duxit, ac vicinis gentibus bello feliciter subactis, universam regionem, quæ inter *Ionium* ac *Ægeum* extenditur, de suo nomine *Peloponnesum*, quasi *Pelopis* insulam, quod ea provincia brevi isthmo *Helladi* jungitur, nuncupavit. Nostra ætate *Morea* appellatur. *Pelops* vero regnabat ante *Ilii* excidium, teste *Eusebio* in Chronicis. Itaque *Plinius* diu ante *Trojanum* bellum *Pisas* conditas affirmavit, ad cujus opinionem *Rutilius* accessit, cujus superius recitata carmina haud vacat repetere. At si dicamus *Pisas* à *Pelope* ortas, quod eandem urbem *Nestor Pelopis* altero sæculo successor per socios *Trojani* belli in *Etruriæ* littora delatos, excitaverit, *Plinium Straboni* satis commode conciliabimus. Interea *Plinii* lectio restituenda est, ac *Cluverii* sententia refellenda, qui primos *Pisarum* conditores ex *Germania* accersit. In vulgato *Plinii* codice legimus *Pisas* ortas *à Pelope, Pisisque, sive Arintanis Græca gente.* Imprimis legendum puto *Pisæisque*; nusquam enim *Pisi* dicti sunt. In quibusdam MSS. Mediceis scribitur *sive à Tenutanis*; in aliis *Tenucanis*; in omnium optimo Chiffletii *à Teuthanis*; Cluverius *lib.* II. *Italiæ*
4 *antiquæ cap.* I. *pag.* 494. scribit *Teuthanos* non *Græcam* aliquam, sed *Ligusticam* gentem fuisse ex *Germania* oriundam; ex quibus infert: *Ergo primi Pisarum conditores fuerunt jam inde multis ante bellum Trojanum annis Ligures, Celtica gens.* In hanc vir eruditissimus opinionem descendit, quod *Germani* veteres Deum *Theuth* ipsis appellatum, adorabant, unde & iidem ab ipsorum Deo *Theutisci* nuncupati. Verum cum *Plinius Teutha-*

A *nos Græcam* gentem diserte dixerit, in *Græcia*, non vero in *Germania* iidem nobis inquirendi sunt. Pausanias *lib.* VIII. ait: *Thisoa regiuncula est, cui finitimus pagus Teuthis oppidum olim fuit, ac Trojano quidem bello ducem hinc missum narrant, cui nomen Teuthis.* Ex quibus colligo *Teuthanos* recte *Plinio Græcam* in *Peloponneso* gentem appellatos, ac frustra *Cluverium* eosdem ex *Germania* evocare. Immo nonnulli apud *Catonem*, cujus proxime verba adducam, *Pisas* antiquitus de conditorum nomine *Teutham* nuncupatas scripserunt. Itaque *Plinius* in medio relinquit, fuerintne *Pisæ* in *Etruria* à *Pisæis*, an à *Teuthanis*, utraque
B *Peloponnesia* gente, constructæ. Nec mirum nihil ea de re certi à *Plinio* affirmari potuisse, cum *Cato* Censorius diversas tantum de conditoribus *Pisarum* opiniones recitaverit, quamvis tertio ante *Plinium* sæculo floruerit. *Servius* à. *P. Daniele* editus in commentario versus Virgilii x. *Æneid. Alpheæ ab origine Pisæ*, cum prænotasset *Pisas* juxta quorundam opinionem excitatas à *Peloponnesiis*, qui cum *Pelope Lyde* venerunt; juxta alios vero à *Piso Celtarum* rege *Apollinis* Hyperborei filio, hæc subdit: *Cato* in lib. *Originum, qui Pisas tenuerunt ante adventum Etruscorum negat sibi compertum; sed inveniri Thraconem Tyrrhe-*
C *no oriundum, postquam eorundem regionem ceperit, Pisas condidisse, cum ante regionem eandem Teuthones quidem Græce loquentes possederint. Alii ubi modo Pisæ sunt, Focida oppidum fuisse ajunt, quod nobis indicio est ex Peloponneso originem id oppidum trahere. Alii incolas ejus oppidi Teuthas fuisse, & oppidum ipsum Teutham nominatum, quod postea Pisas Lydi sua lingua singularem portum significare dixerunt; quare huic urbi à portu Lunæ nomen impositum. Alii ab Epeo Trojani equi fabricatore conditum tradunt, qui cum aliis Græcis in hanc regionem rejectus est. Cato* libros Originum senex conscripsit, uti *Cornelius Nepos* ac *Plutarchus* testan-
D tur; quamvis hic eosdem expresso nomine non appellet. Cicero etiam in Bruto ait: *Summa senectute, ut antea dixi, M. Cato legem suadens, in Galbam multa dixit, quam orationem in Origines suas retulit, paucis ante, quam mortuus est diebus, an mensibus?* Obiit vero *Cato* ex eodem *Cicerone* ibidem *L. Marcio Censorino* & *M. Manlio Nepote* Coss. A. V. 605. ex quibus obiter infero satis probabiliter plerosque sensisse fictas à *Livio* plurimas orationes, quas suis libris inseruit. Nam *lib.* XXXIV. *cap.* 5. recitans orationem *L. Valerii* Trib. plebis adversus *Catonem* tum Consulem de abroganda lege Oppia, hæc illum *Catoni* obje-
E cisse refert: *Tuas adversus te Origines revolvam*; ubi pleraque exempla ex libris Originum appellat. Equidem, si *Cato* libros Originum ætate senescente exaravit, haud illos laudare potuit *Valerius* A. V. 559. quo anno orationem illam habuit, cum *Cato* id temporis annum ageret 37. ac annos insuper vixerit 46. His adde eundem Livium *lib.* XLV. *cap.* 23. narrare *Catonem* A. V. 587. *Rhodiorum* causam adjuvisse; ac statim hæc subjicere: *Ipsius oratio scripta extat Originum quinto libro inclusa.* Igitur nondum id temporis Originum libros exaraverat, quod certe *Livio* notandum erat. Utut hæc sint, ex laudato *Cato-* 5
F *nis* fragmento *Pisanæ* urbis antiquitas patet, cum vel ante sæculum undevicesimum scriptor eximiæ doctrinæ, ac omnium veterum monumentorum diligentissimus scrutator, *ut nullius*, ut inquit *Cicero* in *Bruto*, *scriptum extet dignum quidem lectione quod sit antiquius*, certos *Pisarum* conditores singulari studio sibi inquisitos, non potuerit invenire. Dionysius Halicarnassensis *lib.* I. ait: *Porcus Cato diligentissime scripsit de conditoribus Italicarum urbium.* Ibidem vero scribit *Pelasgos* quo-

A quorum natale solum *Peloponnesus* ante *Pelopis* adventum *Pelasgia* nuncupata, icto cum *Aboriginibus* fœdere, maritimæ *Etruriæ* oppida inhabitasse, partim ab ipsis condita, partim ab hostibus antea habitata, *ex quibus*, inquit, *sunt Cære dictum Agylla eo sæculo, Pisa, Saturnia, Alscium, & quædam alia, quæ postea à Tyrrhenis occupata sunt.* Quo auctore diu ante *Trojanum* bellum *Pisæ* stabant. Scio *Annium Viterbiensem* quædam fragmenta librorum Originum *Catonis* evulgasse, in quibus legitur *Pisa condita à Pisis Alpheis Pelasgis.* Verum hujus scriptoris fabulas non moror, viris eruditis dudum explosas, ac nuperrime à *Francisco Sparaverio* populari meo, B generis nobilitate ac eruditionis fama conspicuo, justo volumine confutatas. Etenim ex *Servio* vetustissimo Grammatico constat, quid de *Pisarum* conditoribus *Cato* scripserit; siquidem negavit sibi compertum esse qui *Pisas* tenuerint ante adventum *Etruscorum*, ac variis ea de re opinionibus recitatis, nihil certi ipse affirmavit. At *Pelasgos* ante adventum *Etruscorum Pisas* possedisse, aut forte condidisse, *Halicarnassensis* sententia fuit, quam *Annius Catoni* adscripsit.

Res *Pisanis* gestæ, antequam in *Romanorum* potestatem venerint, in obscuro latent. Strabo *lib.* V. *pag.* 154. scribit: C *Videtur ea urbs quondam floruisse, ac ne nunc quidem ignobilis est ob fertilitatem & lapidicinas, & navalem materiam, qua olim usi sunt ad maritima prœlia.* Livius *lib.* V. *Tuscorum*, inquit, *ante Romanum imperium late terra marique opes patuere.* Nomina utriusque maris, quo *Italia* fere cingitur, argumento sunt; inferum enim *Latinis Tuscum*, *Græcis Tyrrhenum* dictum; superum vero ab *Adria Etruscorum* colonia, *Adriaticum* vulgo appellatum. Auctor est Diodorus Siculus *lib.* XI. *C. Nautio Rutilo* & *L. Minucio* Coss. A. V. C. 296. *Syracusanos* sexaginta triremium classem, duce *Apelle*, contra *Tyrrhenos* misisse, qui *Corsicam*, *illa tempestate Etruscis subjectam*, pervastavit. D *Pisanos* vero maximam maritimi *Etruscorum* imperii partem fuisse nullus inficias ibit, cum illorum *maritima prœlia Strabo* laudaverit, antequam in *Romanorum* potestatem venirent. Nonnulli inter duodecim *Etruriæ* populos qui totidem trans *Apenninum* colonias condiderunt, laudatos Livio *lib.* IV. *initio* V. & *lib.* VII. *Pisanos* numerant; sed illorum errorem ostendit Cluverius *lib.* II. *cit. cap.* I. nam illi fuere *Cærites*, *Tarquinienses*, *Rusellenses*, *Vetulonii*, *Volaterrani*, *Arretini*, *Cortonenses*, *Perusini*, *Clusini*, *Volsinii*, *Falerii*, ac *Vejentes.* Vetus enim *Etruria Arno* terminabatur; *Pisæ* vero ultra *Arnum Liguriæ* accensebantur. E Vel forte *Pisani* rem tantum maritimam navantes, cum reliquis *Etruriæ* populis neutiquam consilia miscebant. Annus quo *Pisani Romanorum* imperio additi sunt, ignoratur, altera *T. Livii* decade deperdita. Illi quidem *Vejentibus* decennali bello à *Romano* populo expugnatis, aliisque vicinioribus *Latio* oppidis subactis, cum reliquis *Etruriæ*
6 gentibus, icto cum *Samnitibus*, cum *Tarentinis*, ac *Gallis* fœdere, diuturniori bello fata *Italiæ* atque Orbis imperium *Romanis* destinantia, remorati sunt. Anno V. 460. *Etruria* grave à *Romanis* vulnus accepit, cum *L. Posthumio Megello* iterum *M. Attilio* Consulibus, uti scribit Livius *lib.* X. F *tres validissimæ Etruriæ urbes, Etruriæ capita, Volsinii, Perusia, Arretium pacem petiere*, quam à Senatu impetrarunt, *mulcta quingentum millium æris in singulas civitates imposita.* In fastis Capitolinis Consulis triumphus signatur.

L. POSTHVMIVS. L. F. SP. N. MEGELL. AN. CDLIX.
COS. II. DE. SAMNITIBVS. ET. ETRVSCEIS. VI. K. APR.

Bello postea in *Etruria* exorto, novas iterum clades provincia accepit. Nam vetusti imperii ac libertatis memor, percusso cum *Bojis Gallis* fœdere contra *Romanos* conspiravit. Positis ad lacum Vadimonis castris, cum *P. Cornelio Dolabella* pugnam commiserunt, loco plane *Etruscis* fatali; nam ante paucos annos ibidem à *Q. Fabio Maximo* Proconsule inito prœlio, abundantes *Etruscorum* opes primum fractæ. Pugnæ cum Dolabella exitum paucis describit Polybius *lib* II. *Cæsi sunt*, inquit, *plerique omnes Etrusci, Bojorum oppido pauci evasere.* Addit id contigisse triennio priusquam *Pyrrhus* in *Italiam* trajiceret, nempe A. V. 371. *Quintus Marcius Philippus* A. V. 453. ex Fastis Capitolinis, re bene in *Etruria* gesta, triumphum egit. Cum vero A. V. 476. *Pyrrhus Epirotarum* Rex cum validissimis copiis *Tarentum* transmisisset, *Etrusci* quod sperabant *Romanos* in extrema *Italia* ad mare superum bello difficili distentos, minus virium in *Etruria* habituros, arma contra eosdem sumpserunt. At *Romani P. Valerio Levino* consule contra *Pyrrhum* misso, *Tiberium Coruncanium* ejusdem collegam contra *Etruscos* destinarunt. Hoc postremum cum *Romanis* bellum *Etrusci* gesserunt; nam acie victi, fœdus cum iisdem inire coacti sunt. Horum auctor est *Dio* apud *Zonaram*, qui scribit *Pyrrhum* destinasse iter per *Etruriam* facere, ut ea sibi gente juncta, infestis statim signis *Romam* peteret. Verum *ubi eos cum Romanis fœdus percussisse didicit*, *ac Tiberium sibi obviam venire*, *Levinum* vero reparato exercitu, à tergo instare, ne in hostili regione ab utroque consule cingeretur, in *Campaniam* copias reduxit. *Polybius* narrato *Pyrrhi* in *Italiam* adventu, statim hæc subjicit: *Romani Etruscis & Samnitibus dominationi suæ adjectis*, *multisque jam de Gallis*, *qui Italiam incolebant*, *partis victoriis*, *tunc primum ad reliqua Italiæ sunt progressi*: Hoc igitur tempore *Pisæ* universæ *Etruriæ* fatum secutæ, *Romanis* primum paruere; cum interim *Carthaginienses*, teste Polybio *lib.* I. *insulis Sardoi Etruscique maris omnibus* imperarent, quas postea bello primo *Punico* à *L. Cornelio Scipione* victi, amiserunt. *Pisæ* centum prope annos *Romani* imperii claustra fuere, valida militum manu præsidio urbi imposita, ut *Ligurum* irruptiones reprimerent. Anno V. 529. cum *Gallici* belli rumor populum *Romanum* ac socios *Latini* nominis ad arma excivisset, *Sabini ac Etrusci equitum quatuor millia*, *peditum ultra quinquaginta millia armarunt*, *quos pro finibus Etruriæ hosti objicerent*; ex Polybio *lib.* II. *Cajus Atilius Regulus* consul cum classe *Pisas* venit, ut provinciam contra barbarorum impetum tutaretur. Scribit ibidem *Polybius*: alter consul *Æmilius legiones Pisas appulisse non ignorans*, adversus *Gallos*, qui *Etruriam*, Prætore prope *Fesulas* acie victo, cædibus ac rapinis vastaverant, cum 7
legionibus *Arimino* per Apenninum venit. Cum barbari pone mare iter facerent, *Atilius* prope *Telamonem* eosdem assecutus, pugnam cum hostibus inivit, ac sub ipsum prœlii initium collega adveniente, *Gallorum* copias cæcidit, XL. millibus occisis, captis vero X. millibus. Auctor est idem *Polybius C. Atilium* in eodem prœlio cecidisse; & sane in fastis Capitolinis unius *Æmilii* triumphus recitatur.

L. AIMILIVS. Q. F. CN. N. PAPVS. COS. AN. DXXIIX
DE. GALLEIS. III. NONAS. MART

Hæc prima *Pisarum* sub *Romano* imperio mentio in *Polybio* occurrit, quam tamen *Livium* etiam in altera decade nominasse non dubito, cum bello primo *Punico Romani* insulas *Etrusci* maris, *Corsicam*, ac *Sardiniam Carthaginiensibus* eripuerunt. Anno urbis 536. qui prior belli secundi *Punici* fuit, cum *P. Scipio* consul accepisset *Hannibalem*, Alpi-

Alpibus superatis, in *Italiam* descendisse, *cum paucis Pisas navigavit*, inquit Polybius *lib.* III. ac copiis à Prætoribus acceptis, castra ad *Padum* posuit, ingenti postea clade ab *Hannibale* superatus. Anno insequenti *Punici* belli fragor in *Etruria* detonuit; etenim Dux *Carthaginiensium* duplici victoria ad *Ticinum* ac *Trebiam* tumidus, *Romam* recta contendens, *Apennini jugis*, ut ait Plutarchus, *superatis*, *per Ligures ea via*, *qua ad paludes ac planitiem fluminis Arni est iter*, *in Etruriam descendit*. Ex quibus patet errare, qui putant *Hannibalem* ex Apennino in agrum *Pisanum* descendisse, cum supra *Fesulas* in terrestrem *Etruriam* irruperit. *Pisæ* id temporis valido præsidio munitæ, nullam à *Pœnis* cladem accepere. Nam *Hannibal Romanis* legionibus cum *Flaminio* consule cæsis, ex *Etruria* per *Umbrorum* ac *Picentum* regiones transiens, prope mare superum castra posuit, unde *Carthaginem* nuntios misit, qi rerum abs se in *Italia* gestarum seriem exponerent; *nam ante illum diem*, *ex quo Italiam erat ingressus*, *ad mare numquam accesserat*. Quæ *Polybii* laudati verba sunt. Itaque nunquam agrum *Pisarum*, quæ mari proxima civitas est, attigerat. Cum bellum *Punicum* in *Bruttiis*, *Campania*, *Apulia*, ac vicinis regionibus desæviret, *Romani* Prætores, Proprætores, aut Proconsules in *Etruriam* cum binis legionibus mittebant; tum ne hostes maritima provinciæ prædatoriis classibus infestarent; tum etiam ut socias Urbes *Etruriæ*, tot passim populis post *Cannensem* cladem ad *Pœnos* deficientibus, in fide continerent, simulque *Liguribus* terrorem injicerent, ne & ipsi novi contra *Etruriam* belli consilia agitarent. Livius *lib.* XXVI. A. V. 543. scribit: *Prætoribus prioris anni M. Junio in Etruria*, *P. Sempronio in Gallia cum binis legionibus*, *quas habuerant*, *prorogatum est imperium*. Dein *C. Calpurnius*, *Cn. Sempronius Blæsus*, *Q. Fabius* annis quisque sequentibus cum eodem militum numero, *Etruriam* provinciam tenuere. At A. V. 546. qui undecimus belli *Punici* erat, teste Livio *lib.* XXVII. *Comitiorum ipsorum diebus sollicita civitas de Etruriæ defectione fuit. Principium ejus rei ab Arretinis fieri C. Calpurnius scripserat*, *qui eam provinciam proprætor obtinebat*. Verum illi *M. Marcelli* consulis designati adventu perculsi quievere; ac ne novos postea tumultus cierent, obsides dare jussi, CXX. Senatorum liberos tradidere. Interim *C. Hostilium* proprætorem *cum cetero exercitu placuit totam provinciam peragrare*; *ne qua occasio no-*
8 *vare cupientibus res*, *daretur*. Anno insequenti ab V. C. 547. *Asdrubal Hannibalis* frater cum altero exercitu *Italiam* ingressus, nova belli mole *Romanos* oppressurus, *Etruriæ* atque *Umbriæ* populos per nuntios ad defectionem sollicitavit. Equidem *Romanis* in remotiori *Italia* adversus *Hannibalem* occupatis, proximus hostis adeo *Etruscorum* animos repentino terrore concusserat, ut quidam ad *Pœnorum* partes inclinarent. Cæterum *Asdrubale* cum universis copiis à *Claudio Nerone* ac *Livio Salinatore* ad *Metaurum* cæso A. V. 548. *M. Livius* proconsul in *Etruriam* provinciam ex S. C. est profectus *ad quæstiones habendas*, *qui Etruscorum Umbrorumque populi defectionis ab Romanis ad Asdrubalem sub adventum ejus consilia agitassent*. Livius *lib.* XXVIII. Num *Pisani* cum provincialibus ea in re consilia miscuerint, haud ausim affirmare. Etenim urbs, quod hostium classibus exposita, ac *Liguribus* contermina erat, valido præsidio tenebatur, ut vix quicquam sibi ab *Asdrubale* timere posset. Post biennium *Etruriæ* rursus fides apud *Romanos* in dubium venit. Nam cum *Mago Punicæ* classis imperator *Genuam* occupasset, ac *Ligures* adversus *Romanos* sollici-

A taret, ingens pavor *Pisanos*, aliosque *Etruriæ* populos incessit, adeo ut fere universi ad spem novandi res verterentur; repentinus tamen *M. Cornelii Cethegi* consulis adventus eosdem in fide continuit, quem *non tam armis*, *quam judiciorum terrore* usum testatur Livius *lib.* XXIX. Bello *Punico* anno XIV. in *Italia* senescente, novi belli moles à *Liguribus* imminebat. Hinc cum consules provincias sortirentur, uni bellum contra *Hannibalem*, alteri *Etruria* obveniebat, hæc scribente Livio *lib.* XXIX. *M. Cornelio P. Sempronio consulibus* (*quintusdecimus is annus Punici belli erat*) *provinciæ*, *Cornelio Etruria cum vetere exercitu*,
B *Sempronio Brutii*, *ut novas scriberet legiones*, *decretæ*. Idem insequenti A. V. 551. ait: *Cæpioni Brutii*, *Servilio Gemino Etruria evenit*. Horum consulatum *Hannibalis* ex *Brutiis*, *Magonis* ex *Liguria* exercitus in *Africam* à *Carthaginiensibus* revocati, Senatui ac Pop. *Rom.* memorabilem fecerunt.

Romani Carthaginiensibus victis, totius *Italiæ* imperio inhiantes, bellum adversus *Ligures*, *Gallos Cisalpinos*, atque *Insubres* decreverunt, quod hæ gentes paullo ante cum *Annibale Italiam* invadente, arma sociassent. Itaque A. V. 559. *L. Valerius Flaccus* consul *Italiam* provinciam
C sortitus, bellum *Bojis Gallis* inferre jussus est. Inter prætores vero ejus anni, obtinuit, ut ait Livius *lib.* XXXIII. *cap.* 43. *P. Porcius Læca Pisas*, *ut ab tergo Liguribus esset*, & statim: *P. Porcio Læcæ ad Etruriam circa Pisas duo millia peditum & quingenti equites ex Gallico exercitu decreti*. *Pighius* ad A. V. Capitolinum 558. putat *Livii* testimonium corrigendum, nempe ut legatur: *ut ab tergo Lebuis Liguribus esset*. At certum est *Pighium* errasse. Nam, uti proxime ex pluribus *Livii* locis patebit, *Apuani Ligures* erant *Pisano* agro contermini, non autem *Lebui*, seu *Libui*, quorum sedes procul ab *Etruria* fuisse in
D *Italia* Transpadana ex *Plinio*, ac *Livio* nuperrime ostendit in priori epistola geographica *Jacobus Gronovius*, qui eximia eruditione, doctissimo parenti intervallo haud longo proximus, brevi ejusdem quoque famam æquabit. Ceterum eo anno urbis 559. quietæ res in *Etruria* fuerunt, nihil hostile *Apuanis* tentantibus. Anno insequenti bellum cum *Bojis* ac *Insubribus* gestum est, nec quicquam memorabile contra *Ligures* patratum. Verum *Apuani Ligures* quorum oppida præruptis ac sylvestribus jugis inter *Auserem* ac *Macram* imposita erant, sociorum cladibus ad arma exciti A. V. 561. in finitimos *Pisanorum* agros ir- 9
E ruperunt. Hoc bellum in plures annos protractum, uti initio ingentia *Pisanis* damna intulit, ita summa postea felicitate profligatum, perpetuam eisdem securitatem peperit. Ex unius *Livii* libris, quando cetera per ea tempora rerum gestarum monumenta intercidere, ea tantum exscribam, in quibus *Pisarum* mentio occurrit. *Lucio Cornelio Merula* ac *Q. Minutio Thermo* Coss. *litteræ M. Cincii* (*præfectus is Pisis erat*) *allatæ*. *Ligurum XX. millia armatorum*, *conjuratione per omnia conciliabula universæ gentis facta*, *Lunensem primum agros depopulatos*, *Pisanum deinde finem transgressos*, *omnem*
F *oram maris peragrasse*. *Lib.* XXXV. Itaque *Q. Minucius*, cui *Ligures* provincia evenerat, edixit, ut legiones duæ urbanæ post decimum diem *Arretii* adessent, sociis ac *Latini* nominis magistratibus XV. millia peditum, & quingentos equites imperavit. Adjecit Senatus, ut qui milites sociorum à *P. Scipione Africano* ac *Tito Sempronio Longo* superioris anni consulibus dimissi fuissent, ad quem diem *Minucius*, & ad quem *Etruriæ* locum edixisset, convenirent. Nec segnius bel-

bellum *Ligures* urgebant; nam quotidie affluente ad spem prædæ multitudine, *Pisas jam quadraginta millibus hominum circumsedebant. Minucius* collectis apud *Arretium* copiis, *inde quadrato agmine ad Pisas duxit; & cum hostes mille passuum ab oppido trans fluvium movissent castra, consul urbem haud dubie servatam adventu suo, est ingressus. Postero die & ipse trans fluvium quingentos fere passus ab hoste posuit castra.* Id temporis *Arnum* inter & *Ausurem* urbs sita erat, qui eandem ab utroque latere cingentes, uno postea alveo *Tyrrheno* miscebantur, uti diserte tradit Strabo *lib.* v. *pag.* 154. Ughellus *tom.* III. *Italiæ sacræ* perperam *Strabonem* redarguit, quod *Ausur* millibus passibus XII. supra *Arni* ostia in mare devolvitur, qua in re etiam *Volaterranus* cespitavit. Nam *Strabo Pisas* inviserat, ut ibidem patet, & *lib.* II. *pag.* 80. ait: *Ipsi obivimus versus occasum ab Armenia usque ad Etruriæ loca Sardiniæ opposita.* Cum vero *Etruriam* lustraret, scribit *lib.* v. *pag.* 155. se, *Populonio* conscenso, *Sardiniam*, *Corsicam*, atque *Ætoliam* conspexisse. Accedit alter oculatus testis *Rutilius Numatianus*, qui suum *Pisas* adventum in Itinerario describens, ait:

Alpheæ veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus & Ausur aquis,
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt;
Intratur modico frons patefacta solo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit.

Scripsit illud opusculum *Rutilius* A. V. 1169. Epochæ vulgaris 415. si Varronianam chronologiam secutus est, dum ibidem *Romam* alloquens, ait:

Quamvis sedecies denis & mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus erat.

Itaque quinto etiam sæculo sub ipsis *Pisarum* mœnibus *Ausur Arno* miscebatur. Adhuc incompertum est, quo primum tempore illa flumina distinctis alveis in mare defluxerint. Ex his patet *Ligures* ac *Romanos*, castra infra urbem munivisse, qua *Arnus* alterius fluminis aquis auctus, decurrebat. *Ligures* multitudine freti, in aciem exibant, parati de summa rerum decernere; passim etiam prædatum per extrema finium discurrebant, abactamque prædam, addito præsidio, sua in castella referebant. *Minucius* levibus tantum
10 prœliis sociorum agrum tutabatur, neque è re publica ducebat novum militem ac ex multis generibus hominum collectum, ferocienti hosti, instructa acie, opponere. Immo cum comitiorum tempus instaret, *Minucius* scripsit ad Senatum, non posse se à castris sine sociorum pernicie & Reip. damno discedere. Oppugnata, atque ægre defensa consulis castra scribit *Livius*. Anno insequenti V. C. 562. *Q. Minucius*, prorogato imperio, bellum contra *Ligures* jussus urgere, novem millia peditum, equites quadringentos in supplementum accepit. Hinc novis suppetiis firmatus *in agro Pisano cum Liguribus signis collatis, pugnavit: novem millia hostium occidit: ceteros fusos, fugatosque in castra compulit.* Eadem intempesta nocte ab hostibus deserta, prima luce invadit, inceditque. Deinde *ex agro Pisano in Ligures profectus, castella vicosque eorum igni ferroque pervastavit. lib.* xxxv. Interea hiems alterum *Ligustini* ad *Pisas* belli annum clausit, ac *Q. Minucius* in castra rediit. Anno V. 563. *Man. Acilio Glabrione P. Cornelio Scipione Nasica* Coss. *Ligures lege sacrata coacto exercitu, nocte improviso castra Q. Minucii proconsulis aggressi sunt.* Livius *lib.* xxxvi. Proconsul militem intra vallum usque ad lucem continuit, barbarorum aggressionem sustinens; at prima luce è castris erumpens, post acre

A certamen, hostes in fugam compulit, cæsis IV. millibus, minus CCC. suorum amissis. *Publius Scipio Bojis* in *Gallia* Transpadana devictis, *Romam* triumphum petiturus venerat. Intercessit *P. Sempronius Blæsus* Tr. plebis, *Si ipse*, inquiens, *cum victore exercitu in agrum Ligurum transisset, aut partem copiarum Q. Minucio misisset, qui jam tertium ibi annum dubio detineretur bello, debellari cum Liguribus potuisse.* At Senatus triumphum decrevit, jussitque Tribuno pl. intercessionem remittere. A. V. 564. *L. Cornelio Scipione*, *C. Lelio* Coss. *Exercitum ex Liguribus Q. Minucius (jam enim confectam provinciam scripserat, & Ligurum omne*
B *nomen in deditionem venisse) traducere in Bojos, & P. Cornelio procos. tradere jussus. P. Junius Brutus* in *Etruriam* prætor mittitur, legio una *Romana*, X. millia socium *Latini* nominis, ac CCCC. equites eidem decernuntur. *Minucius Romam* reversus, triumphum ex *Liguribus* petens, repulsam tulit. Livius *lib.* xxxvii. Anno insequenti 565. prorogatum imperium. *P. Junio proprætori in Etruria cum eo exercitu, qui in provincia esset.* Ibidem. *Ligures* non una clade contusi, biennio pacem servaverunt; at cum A. V. 566. vulgaretur eosdem graviori apparatu bellum renovaturos, *M. Valerio Messalla* & *C. Livio Sa-*
C *linatore* consulatum idibus Martiis ineuntibus, *alteri Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est.* Jussi binas legiones, quinadena peditum millia socium *Latini* nominis, & mille ducentos equites in provincias ducere. Livius *lib.* xxxviii. *M. Valerius*, cui *Pisæ* provincia obvenerat, *nulla memorabili in provincia re gesta*, sub exitum anni *Romam* ad magistratus subrogandos rediit. Equidem mixtus indignationi pudor *Romanos* subibat; quod una montana *Ligurum* gens hinc *Etruriam* conterminam ipsi Urbi provinciam, illinc deductas circa *Padum* colonias diuturniori bello infestaret, ac victricia toto pene Orbe ar-
D ma *Romana* in media *Italia* tot annos eluderet. Jam *Hannibale* victo, *Carthago* per centum ac viginti annos de Orbis imperio Urbis æmula, leges à *Romanis* acceperat, ac ab ipso *Ligustino* bello incœpto, *Philippus* Rex *Macedoniæ*, ingenti clade accepta, amissa *Græcia*, ac magna vi pecuniæ multatus, pacem servabat. *Antiochus* potentissimus *Asiæ* Rex, *Græcia* ejectus, exercitu amis- 11
so, ac castris exutus, ultra *Taurum* regnare jussus, pecunia, frumento, atque obsidibus traditis, amicitiam P. R. colebat. Soli *Ligures* novem annos resistebant, *Pisanos*, aliosque *Latini* nominis socios, ac *Romanas* colonias vel illato
E bello, vel quod bello proximum est, frequentibus latrociniis infestantes. Itaque A. V. 567. peractis comitiis, creantur consules *M. Æmilius Lepidus* & *C. Flaminius*, ac utrique *Ligustinum* bellum decernitur, nequicquam reclamante *Lepido* consule: *indignum esse consules ambos in valles Ligurum includi*, teste Livio *lib.* xxxviii. *Flaminius Friniates Ligures* aggressus, pluribus secundis præliis eosdem ad deditionem compulit, & cum iterum rebellarent, trans Apenninum victi, armis traditis, imperata fecerunt. *Translatum inde ad Apuanos Ligures bellum, qui in agrum Pisanum, Bononiensemque ita incursaverant, ut coli non pos-*
F *set. His quoque perdomitis, consul pacem dedit finitimis.* Horum auctor est Livius *libro* eodem. Verum *Apuanos* paucos tantum menses pactis stetisse sequentis anni 568. *Q. Marcii Philippi* expeditio ostendit, eidem Livio *lib.* xxxix. memorata. *Q. Marcius in Ligures Apuanos est profectus.* Ille vero in præoccupatis angustiis, loco iniquo hostes aggressus, quatuor millia militum amisit, legionis secundæ tria signa, ac undecim vexilla sociorum Latini nominis: *Saltus, unde eum Apua-*

ni fugaverant, *Marcius est appellatus.* Anno 569. *Ligustino* bello gliscente, novi consules *Appius Claudius*, & *M. Sempronius* legiones contra *Ligures* ducere jubentur. Hæc scribit laudatus toties historicus: *Sempronius à Pisis profectus in Apuanos Ligures*, *vastando agros*, *urendoque vicos & castella eorum*, *aperuit saltum usque ad fluvium Macram & Lunæ portum. Hostes montem antiquum sedem majorum suorum ceperunt*, *& inde*, *superata locorum iniquitate*, *dejecti sunt. Appius Claudius* collegæ felicitatem in *Liguribus Ingaunis* aliquot secundis prœliis æquavit. *Ligures* tot cladibus fatigati, pacem per Legatos petiere. Verum nota non uno exemplo hostium caliditate, qui reparandarum tantum virium spatium & pacem quærerent, A. V. 570. utrique consuli *Ligures* provincia decreta fuit. Cum hostes hoc anno quieverint, nihil memorabile à consulibus in provincia gestum. Anno urbis 571. consulatum iniere *M. Claudius Marcellus*, & *Q. Fabius Labeo. Consulibus*, inquit Livius, *cum iisdem exercitibus*, *quos P. Claudius & M. Porcius* superioris anni consules *habuerant*, *provincia decreta est.* Addit in fine *lib.* XXXIX. *Nec in Liguribus memorabile quicquam à Q. Fabio consule gestum.* Sub exitum anni *Q. Fabius* ex *Liguribus* scripserat: *Apuanos ad rebellionem spectare*, *periculumque esse*, *ne impetum in agrum Pisanum facerent.* Idem initio *lib.* XL. Annus V. 572. consules habuit *Cn. Bebium Pamphilium* & *L. Æmilium Paullum*, de quibus eodem *libro* Livius: *Consules ambo in Ligures*, *quæ tum una consularis provincia erat*, *proficiscuntur*, *& quia prospere ibi res gesserunt*, *supplicatio in unum diem decreta est.* Haud tamen bellum profligatum; nam *Apuani* in devios passim saltus recedentes, dimisso exercitu, suos in vicos ac castella dilapsi sunt; nec *Romani* montium ac sylvarum asperitate impediti, suis in sedibus hostes expugnare potuerunt. Cum vero consules de dimittendis exercitibus ad Senatum scripsissent, ex Livio *lib.* XL. Patres *alterum ex his*, *dimisso exercitu*, *ad magistratus in annum creandos*, *Romam venire jusserunt*, *alterum cum legionibus suis Pisis hiemare*, ne per absentiam legionum, *Apuani* prædatoria iterum agmina colligerent, ac *Pisanum* agrum cædibus ac rapinis fœdarent. *Lucius Æmilius Pisis* substitit, *Cn. Bebio Romam* profecto, quod *Marcus* frater consulatum petebat, quem A. 573. indeptus est, collega *P. Cornelio*, quibus *Ligures* provincia evenit. Decretæ *quatuor legiones quæ quina millia ducenos pedites*, *trecenos haberent equites*, *& xv. millia socium ac Latini nominis*, *octingenos equites.* Hunc legionariorum militum numerum bello *Gallico* conscriptum scribit Polybius *lib.* II. *Exiere*, inquiens, *cum consulibus legiones Romanæ quatuor*; *sunt autem in unaquaque legione Romanorum peditum V. millia*, *& ducenti*, *equites trecenti.* Quod vero Consules militum delectus diutius *Romæ* occupaturus credebatur, *Cn. Bebius* ac *L. Æmilius*, prorogato imperio, iussi sunt exercitibus imperare. Ineunte vere *M. Pinarius* prætor, cui *Sardinia* provincia obvenerat, adversus quædam oppida quæ defecerant, cum classe mittitur, jussus *quod deerat militum sumere à Cn. Bebio proconsule*, *qui Pisis hibernabat.* Is enim peractis comitiis, *Pisas* ad legiones statim redierat. Interim *L. Æmilius* copias adversus *Ingaunos* eduxit. At illi colloquia de pace miscere, spemque deditionis facere, quo colligendi militis spatium nanciscerentur, qui ubi magno numero in castra venit, *Romanorum* vallum ingenti impetu adoriuntur, ægreque repulsi, obsidium inchoarunt. Æmilius *duos equites ad Cn. Bebium* proconsulem *cum literis Pisas mittit*, *ut obsesso sibi per inducias quam pri-*

A *mum subsidio veniret.* In editis codicibus Livianis perperam legitur *ad M. Bebium*; etenim id temporis *Cn. Bebius* proconsul *Pisis* aderat; ejus vero frater *Marcus* consul *Romæ* detinebatur. At ubi *Romæ* castrorum obsidio intellecta fuit, *una*, inquit Livius, *& ipsa tardior*, *quam tempus postulabat*, *subsidii spes erat*, *si consules maturassent in provinciam ire.* Postea: *Consules*, *nisi confecto delectu*, *negare se ituros.* Itaque *M. Bebius Romæ* militum delectum habebat. Ceterum legionum obsidium tantam *Romanis* trepidationem injecit, ut consules non potuerint sustinere consensum Senatus, *quin paludati exirent*, *& militibus quos*
B *conscriptos haberent*, *diem edicerent*, *quo Pisas convenirent*; *permissum ut qua irent*, *protinus subitarios milites scriberent*, *ducerentque secum.* Et Prætori *Q. Petilio* injunctum, ut duas legiones civium *Romanorum* tumultuarias scriberet, omnibus minoribus quinquaginta annis sacramento rogatis. Alter prætor *Fabius* jussus sociis *Latini* nominis XV. millia peditum, equites octingentos imperare. Duum viri navales creati, qui primo quoque tempore *Ligurum* oram infestis classibus aggrederentur. Inter tantos belli apparatus, *Æmilius* brevi oratione militibus animatis, signo è castris erumpendi dato, tanto impetu in hostes
C inordinatos ac dispersos, quod *Romanos* extra vallum signa non elaturos credebant, invectus est, ut XV. millia *Ligurum* ea die occiderit, duobus millibus captis, ac quingentis. Triduo post *Ingaunorum* gens universa, datis obsidibus, in deditionem venit. Hac victoria *Romæ* intellecta, omnis belli apparatus dimissus, ac *L. Æmilio* triumphus decretus. Pace *Ingaunis* data, *otiosam provinciam consules habuerunt.* Anno V. 574. consules creantur *A. Posthumius Albinus Luscus*, & *C. Calpurnius Piso.* Cum *Apuani Ligures Pisanis* semper infesti, arma deponere recusarent, consulibus decernuntur *binæ legiones Romanæ cum suo*
D *equitatu*, *& socium Latini nominis quantus semper numerus*, XV. *millia peditum*, *&* DCCC. *equites*; *cum hoc exercitu Apuanis Liguribus ut bellum inferrent*, *mandatum est.* Livius *lib.* XL. Dum consules novorum militum delectus *Romæ* moratur, mors deinde *C. Pisonis*, ac comitia pro altero subrogando, omnia tardiora facerent, *P. Cornelius* ac *M. Bebius* hostem imparatum aggressuri, legiones contra *Apuanos* ducunt, qui nullum sibi in præsentia, utroque consule absente, bellum imminere arbitrati, neque milites sub signa collegerant, nec quicquam propulsando bello comparaverant. Itaque hoste undique irruen-
E te, improviso malo consternati, se suaque omnia *Romanis* dedidere. Pax ea conditione data, ut è suis montibus descendentes, alio transmigrarent. At illi arma, obsides quoscumque victores peterent, offerre, modo ne cogerentur Deos indigetes, avitas sedes, ac majorum sepulchra deserere. At consules, quod locorum asperitati magis quam armis *Apuanos* fidere norant, indictam conditionem remittere recusarunt. Cum nullæ ad resistendum vires essent, edicto paruerunt. *Traducta sunt publico sumptu ad* XL. *millia liberorum capitum cum feminis puerisque.* Uterque proconsul additis quinque viris, *Apuanos* in *Sa-*
F *mnitum* agros, qui ob bellum cum *Hannibale* ea in provincia gestum, inculti remanserant, deduxerunt. Hinc Plinio *lib.* III. *cap.* II. in *Hirpinis* nominantur *Ligures qui cognominantur Corneliani*, *& qui Bebiani*, à nomine utriusque proconsulis à quo ea in loca transducti fuerant. Iidem postea proconsules de *Apuanis* triumphum egerunt, quem describens historiæ *Romanæ* conditor ait: *Tantum hostes ducti ante currum*: *quia nec quid ferretur*, *nec quid duceretur captum*, *nec quid militibus dare-*

daretur, *quicquam in triumphis eorum fuerat.* Cicero in *Bruto* actos de *Liguribus* triumphos ob exilitatem manubiarum ac prædæ irridens, ait: *Malim mihi L. Crassi unam pro M. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duos*, quod plus Urbi dignitatis dicendo ille attulit, *quam illi qui Ligurum castella expugnaverunt, ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphi.* Hæc ille scripsit, qui tamen ob *Pindenissas*, barbaram *Amani* montis gentem, ne quidem *Romæ* cognitam, immo nec semel nominatam, expugnatos triumphum immodica cupiditate sperabat; unde illius peragendi spe diuturniori lactatus, sub initium belli civilis cum laureatis fascibus, ac imperatorio titulo tumidus & timidus huc illuc extra urbem cursitabat. Plus certe rei publicæ *Pisanæ* interfuit *Apuanorum* castella capi, quam unius *Curii* causam ornate atque eleganter defendi. Equidem tanta lætitia *Pisanos* universos incessit, ubi *Apuanis* in longinqua deportatis, perpetuo ac ferocissimo hoste se liberatos sensere, ut eodem anno Urbis 574. missa *Romam* legatione, non modo Senatui gratias egerint, verum etiam enixe postulaverint, ut *Pisas* Latina Colonia deduceretur. *Pisanis*, inquit Livius *lib.* XL. *agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab Senatu actæ. Triumviri creati ad eam rem Q. Fabius Buteo, Marcus & Publius Lenates.* Libeat hic eximiam *Pisanæ* gentis munificentiam mirari, qui suos ipsorum penates, ac partem aviti agri *Romanis* incolendam ultronea liberalitate obtulerunt. Rari id plane exempli fuit; nam coloniæ à populo *Romano* deducebantur, *hostes devictos agris mulctando, non totis, sed parte tantum, in quam emeritos deducerent, quibus si omnis quæsitus ager non sufficeret, addebatur aliquid de publico, aut parato pecunia publica*, uti loquitur *Brutus* apud Appianum *lib.* II. *de bel. civ. pag.* 516. Hinc cum coloniæ deducerentur, aderant missi *Roma* Trium viri militari præsidio terribiles, agrarias leges à tribunali indicentes; cives vero mæsti novos suæ urbis nomine tenus inquilinos, reapse vero rerum suarum fures recipere cogebantur, quippe qui vel illata vi, veteri agrorum possessione detrusi, vel divisorum arbitrio
14 pecuniam recipientes, ingentem aviti patrimonii jacturam faciebant. Hinc perpetuæ veteres inter ac recens superinductos colonos contentiones, rixæ, litigia. At *Pisani* nec vi illata, nec accepta pecunia, jussi parte agri cedere; spontanea liberalitate agrum ac domicilia victori gentium populo tradiderunt. Cum missi ab Senatu Triumviri cum novis sub vexillo colonis *Pisas* advenere, effusi in occursum cives, junctæ dexteræ, data oscula, in penates atque agros festivis acclamationibus deducti. Hoc facto pares *Romanis* vices *Pisani* retulere. *Romani Apuano* hoste in longinquas terras abire jusso, *Pisanis* pacem ac securitatem præstiterant; at *Pisani* defensi ab *Romanis* agri partem iisdem donarunt.

Igitur A. V. 574. *Pisas*, ipsis civibus postulantibus, Latina colonia deducta est. Duum quidem generum coloniæ erant, Latinæ aliæ, civium aliæ *Romanorum.* De earundem diversa constitutione locupletissime disputarunt Sigonius *lib.* II. *de antiquo jure Ital. cap.* 3. & Panvinius de *Imperio Rom. a pag.* 686. At bello sociali *Italico*, cum *Etruria* ad defectionem cum ceteris inclinaret, Senatus jus civium *Romanorum* universæ *Etruriæ* dedit, & decretum id dimisit circa *Etruriæ* populos excipientes avidissime. Id contigit A. V. 664. nonagesimo vero à colonia *Pisas* deducta. Quæri possit num *Pisæ* ante deductam coloniam præfectura esset, vel libera civitas fœderata ac socia Pop. *Romani.* Ignobilior sane erat præfecturarum conditio, quo nomine ve-
A niebant urbes, quæ neque suis legibus, neque creatis abs se magistratibus regebantur, sed à præfecto *Roma* quotannis vel ab urbano prætore, vel à Populo misso, unde & ipsa oppida vulgo præfecturæ appellata. Earum mentio sæpius in *Romanis* scriptoribus occurrit. Cicero in *Sestiana num.* 26. *Nullum*, inquit, *erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas vectigalium &c.* Vellejus *libro* II. scribit *Capuam* à *Cæsare* consule coloniam deductam *post annos circiter* 152. *quam bello Punico ab Romanis in formam præfecturæ reducta erat*; nempe, ut auctor est Livius *lib.* XXVI. cum quod ad
B *Hannibalem* defecisset, Senatui *habitari tantum tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit, corpus nullum civitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse, sine publico consilio, sine imperio multitudinem nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore, præfectum ad jura reddenda quotannis missuros.* Apud eundem Livium *lib.* XXXV. legimus: *Literæ M. Cincii (præfectus is Pisis erat) allatæ*, ex quibus *Pisæ* præfectura forte fuisse videntur, cum *Roma* in eandem civitatem præfectus mitteretur. Verum præfectum tantum rei militaris *Cincium* existimo, qui *Pisas* præsidio esset adversus *Apuanos* agrum
C continuis incursionibus infestantes. Idem Livius *lib.* XXXIII. de *Hannibale* loquens ait: *Postquam Neapolim à præfecto Romano teneri acce[illegible], M. Junius Silanus erat ab ipsis N[illegible]politanis accitus.* *Neapolis* erat socia ac fœderata civitas, non vero præfectura, à qua tamen præfectus *Romanus* cum præsidio adversus *Pœnos* accitus fuit. *Arretium* in *Etruria* erat socia ac fœderata civitas *Romanorum*, uti patet ex Livio *lib.* XXVII. ubi ait anno undecimo belli *Punici Arretinos* in suspicionem venisse defectionis ad *Hannibalem*, ac *C. Hostilium Tubulum Etruriæ* proprætorem jussum obsides à
D Senatoribus *Arretinis* petere, & cum *septem principes Senatus* cum liberis per noctem urbe evasissent, *à ceteris Senatoribus* CXX. *obsides ipsorum liberos acceptos.* Deinde scribit *C. Terentium* cum legione advenisse, *qui claves portarum cum magistratus poposcisset, negantibus iis comparere, fraude* 15
amotas magis ratus, quam negligentia intercidisse, ipse alias claves omnibus portis imposuit. Itaque *Arretium* erat civitas fœderata, suusque illi Senatus erat, qui civibus jura dabat, ac urbis custodiam tenebat; quod etiam de *Pisanis* dicendum puto. Hi quidem socii Populi *Romani*, diserte vocantur apud Livium *lib.* XXXV. Nam *Minucius*
E consul qui *Pisis* cum legionibus hiemabat, scripsit ad Senatum non posse se ad comitia *sine pernicie sociorum* & damno Reip. venire, & antea de eodem castra ad *Pisas* tenente, ait: *levibus præliis à populationibus agrum sociorum tutabatur*, *Pisanus* etiam magistratus colonos suam in urbem per legatos à Senatu deduci postulavit, ex quibus eosdem socios ac fœderatos P. R. fuisse non obscure colligitur. Livius *lib.* XXVIII. narrat socios *Etruriæ* populos *Scipioni* bellum in *Africa* contra *Carthaginem* adornanti, pro suis quosque facultatibus arma ac commeatus pollicitos. Eos inter recenset *Cærites, Populonienses, Tarquinienses,*
F *Volaterranos, Arretinos, Perusinos, Clusinos, Rosellanos*, nulla tamen *Pisanorum* mentione facta. *Arretinorum* certe militaris apparatus ibidem celebratur; ii enim obtulere, triginta millia clypeorum, galeas totidem, pila, gæsa, hastas longas, millium quinquaginta summam pari cujusque generis numero, navalia armamenta quantum in XL. longas naves opus esset. *Pisani* in eam *Africanam* expeditionem nihil contulere, non quod non essent, uti laudati *Etruriæ* populi, socii ac fœderati, sed quod bellum internecinum

cum

cum *Apuanis* sibi ipsis gerendum foret; unde nullas *Scipioni* contra *Carthaginem* suppetias offerre poterant, cum ægre patriam agrumque ab *Apuanorum* incursionibus tutarentur. Hæc apud Livium *lib.* III. legimus: *Cum quæsitum ab Hernicis & Latinis esset, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent, responsum datum, terrorem assiduum à Volscis causam attulisse.* Ita *Pisani* à vicino ac præpotente hoste vexati, ceterarum *Etruriæ* gentium in adjuvando *Scipione* promptitudinem imitari neutiquam potuere; hoc interim sibi gloriæ dantes, quod *Etruriæ* claustra adversus *Ligurum* irruptiones validissime defendentes, eam ceteris *Etruscis* securitatem præstarent, ut longa pace florentes, tantam armorum ac commeatuum copiam transmissuro in *Africam Scipioni* suppeditarent.

Pisæ in *Romanam* coloniam ita evasere, ut & municipium essent. *Asconius* in *Pisonianam* plane hæsit, cum *Placentiam*, quæ colonia erat, à *Tullio* municipium appellatam legit. Festus V. *municipium*, cum notasset trium generum municipia esse; primo atque altero explicato, ait: *Tertio: cum id genus hominum difinitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia essent sua cujusque civitatis & coloniæ, ut Tiburtes, Prænestini, PISANI, Arpinates, Nolani, Bononienses, Placentini &c.* Id vero contingebat, cum in coloniarum deductione veteres cives à Triumviris suis legibus ac sacris uti permittebantur. Livius *lib.* VIII. scribit: *Antium nova colonia missa cum eo, ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi vellent.* Coloni *Roma Antium* deducti *Romanis* sacris ac legibus utebantur; veteres vero *Antiates* suas peculiares leges, ac propria sacra servabant. Festus ibidem ait: *Municipalia sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante civitatem Romanam acceptam, quæ observare eos voluerunt Pontifices, & eo modo facere, quo fecerunt antiquitus.* Sigonius *lib.* I. *de ant. jur. Ital. cap.* 8. scribit *Romanos* in coloniam deductos, *Romana* sacra deseruisse, ac ea servasse, quæ in urbibus, in quas perrexerant, colebantur; sed doctissimi viri
16 errorem *cap.* 4. refellam. Ita in *Etruria Sutrini Nortiam*, *Vulsinii Nersiam* adorabant, ignorata *Romanis* numina teste Tertulliano *cap.* 24. *Apologetici.* Ex his constat veteres *Pisarum* cives suis legibus ac sacris vivere permissos, cum novos *Roma* colonos accepere, unde *Pisæ* inter municipia à *Festo* recitantur. Qui civitatem *Romanam* indepti erant, poterant *Romæ* magistratus petere, ac suffragium ferre in comitiis, post legem Juliam A. V. 664. promulgatam; cum antea civitas daretur etiam sine suffragio; unde Vellejus *lib.* I. ait: *Sabinis sine suffragio data civitas.* Et postea: *suffragii ferendi jus Sabinis datum.* Cum vero *Romæ* quinque ac triginta Tribus ferrent suffragia, cives urbium, quibus cum latione suffragii civitas dabatur, in aliquam tribum ex illis XXXV. referebantur. Livius *lib.* XXXVIII. *Rogatio perlata est, ut in Æmilia Tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent; atque in his tribubus tum primum ex Valerii plebiscito censi sunt.* Legatur Cicero in *Planciana*. *Pisanos* in Galeria Tribu censos fuisse docent vetustæ inscriptiones. Apud Gruterum *pag.* 558. 10. hæc militaris legitur.

P. RAMFANIVS
P. F. GAL
CYRINICVS
PISIS
VIXIT. AN. XXIII
MIL. ANN. V. IN COH
VIIII. PR. 7. SALVI
BASSI. H. S. E

A *Pisis* in atrio elegantissimarum ædium *Roncionorum* propter *Arnum* plura *Pisanæ* antiquitatis monumenta servantur, quorum ex uno ac altero Galeria Tribus civibus antiquitus assignata dignoscitur.

V. F.
Q. ANQVIRINIVS. SEC
VNDVS. OCCIA. AGILE
VXOR. Q. ANQVIRINIO
GAL. SEVERO. F. M. D. S. F

B Nempe parentes Q. Anquirinio *Galeria*, quæ Tribus illis notis GAL. signatur, acerbo fato defuncto *filio monumentum de suo fecerunt.* Rursus in alia inscriptione ibidem.

D. M.
Q. LARGENNIO
Q. F. GAL. SEVERO
AEDILI. PISAS &c.

Integram inferius exhibebo. Fragmentum alterius epitaphii producit Chimentellius *cap.* III. *de* C *honore Bisellii.*

CONIVGI. SVO C... 17
GAL. PISIS. Q. V...

Aliam inscriptionem *M. Nævii Pisani* itidem è Tribu *Galeria*, capite insequenti producam, quæ V. C. *Chimentellium* fugit. Hic laudato *cap.* 3. scribit: *carere Tribu aut servile, aut peregrinum habebatur*; quod sane falsum est. Nam civis Latinus nec servus erat, nec peregrinus, in nulla tamen Tribu censebatur, quod cives Latini suffragio carebant. Id proxime ex *Livio* indicabam, D cujus etiam verba ad hoc ipsum confirmandum exscribo. Hæc *lib.* XXXVIII. ait: *De Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Trib. pl. promulgavit, ut iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant civitatem) esset. Huic rogationi quatuor Tribuni pl. quia non ex auctoritate Senatus ferretur, cum intercederent: edocti populi esse, non Senatus jus, suffragium, quibus velit, impertiri, destiterunt incœpto. Rogatio perlata est, ut in Æmilia Tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent; atque in his Tribubus tum primum ex Valerii plebiscito censi sunt.* Ex his intelligimus civitatem cum jure suffragii dare, ac E in Tribum referre non ad Senatum, sed ad populum spectasse. Hinc idem *lib.* VIII. scribit: *Romani Acerrani facti, lege ab L. Papyrio prætore lata, quia civitas sine suffragio data.* Solius enim populi jus erat dare civitatem cum suffragio. Ibidem etiam narrat *Livius* A. V. 416. *Fundanis*, ac *Formianis civitatem sine suffragio datam*; *Arpinates* vero A. V. 451. eodem modo civitate donatos *lib.* IX. testatur. Illi vero populi anno Urbis 565. *M. Valerio Messalla* ac *C. Livio Salinatore* jus suffragii obtinuerunt, quo demum anno in *Æmiliam Tribum Formiani* & *Fundani*, in *Corneliam* vero *Arpinates* primum relati sunt. Igi- F tur longo annorum spatio fuerant non servi, non peregrini, sed cives sine suffragio ac Tribu. *Cærites* omnium primi municipes sine jure suffragii facti sunt à *Romanis*, uti scite notat Gellius *lib.* XVI. *cap.* 13. Itaque quamvis *Pisæ* A. V. 574. Latina colonia evaserint, non inde fit consequens, ut eo anno in *Galeriam* tribum coloni relati fuerint; sed id temporis, cum jus civium *Romanorum* cum suffragio *Pisanis* datum fuit. Num vero id privilegii *Pisani* A. V. 665. consecuti fuerint,

rint, cum ob metum belli socialis lege *Julia* universæ *Etruriæ* jus civium *Romanorum* datum est, an antea id obtinuerint, incompertum habeo. Primum illud probabilius dicitur; alterum affirmare, plane divinare sit; quamvis verisimili conjecturæ inniti forte videatur. Etenim cum *Etruscis* atque *Umbris*, ne cum ceteris *Italicis* gentibus, conspirarent, civitas *Romana* data fuisset, novos cives non in XXXV. tribus, quot tunc numerabantur, sed in VIII. recens tum additas, *Romanus* Senatus distribuit, in quibus hi omnium postremi supervacua plerumque suffragia ferrent, antiquis tribubus numero prævalentibus, quæ & priores ad suffragia vocabantur. Quod *Romanorum* consilium cum sibi fraudi esse Latini socii postea cognovissent, novos post biennium tumultus excitarunt conflatore ac duce *L. Cornelio Cinna* Consule A. V. 667. qui novos cives vetustis tribubus miscere pollicitus, ne dum in suffragando postremi essent, nihil in Republica possent, ingentes Urbi tumultus dedit, *Octavio* collega antiquarum tribuum auctoritatem defendente. Hæc scribunt Appianus *lib.* I. *bel. civ.* & Vellejus *libro* itidem *primo*. Quare si *Pisani* in *Galeriam* Tribum adscripti fuerunt, quæ antiquarum una Tribuum erat, ante bellum *Italicum* sociale,
18 jus civium *Romanorum* indepti videri possint. Hoc tamen est puris putis conjecturis indulgere; nam in tribubus numerandis hærent, ut ajunt, ad aquas. Sigonius *lib.* I. *de antiquo jure civ. Rom. cap.* 3. & Panvinius *de civit. Rom. pag.* 539. nec vacat rem difficilem hic in examen adducere, cum ex laudatis inscriptionibus aperte colligamus *Pisanos* colonos tribubus *Galeriis* accensitos, quamvis annus, quo eam in Tribum relati fuerint, ignoretur.

Postquam A. V. 574. *Romanorum* colonia *Pisas* deducta fuit, eadem urbs totius veluti provinciæ Metropolis evasit, ut qui antea *Romani* magistratus *Etruriam* sortiri dicebantur, *Pisas* deinceps provinciam obtinerent. Sigonius *lib.* I. *de antiquo jur. Ital. cap.* 23. scribit *Liguriam Pisarum* nomine à *Romanis* id temporis designatam, uti apud *Livium* legimus *lib.* XXVIII. *Ariminum (ita Galliam appellabant) Sp. Lucretio obtigit*; cum tamen *Ariminum* non esset urbs *Gallica*, sed *Galliæ* Cisalpinæ contermina, ac prima *Italiæ* urbium ex *Gallia* venientibus occurreret, *Rubicone* supra *Ariminum Italiam* à *Gallia* dividente; unde scribit Lucanus *lib.* I. de eodem:

—— & Gallica certus
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.

Hæc quidem recte asseruntur; nam & ante conditam *Pisis* coloniam, *Pisarum* provincia *Livio* locis superius laudatis memoratur, quod nempe ea urbs regioni hostium, contra quos bellum *Romanis* gerendum erat, adjacebat. Et exemplum de *Arimini* provincia hoc ipsum locupletissime probat. Bello secundo *Punico Etruriam* proprætores ac prætores sortiebantur; at *Ligustino* postea bello succedente, non *Etruriam*, sed *Pisas Romani* magistratus sortiri dicebantur. Livius *lib.* XXXIII. Sortitus est *P. Porcius Lecca Pisas, ut ab tergo Liguribus esset*. Idem tamen non semel *Pisas* à *Liguribus* separatim nominat. *Lib.* XXXIII. *Consulibus alteri Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est.* Item *lib.* XLI. ait: *De provinciis deinde consultus Senatus Pisas, & Ligures Consulibus decrevit.* Dein: *Pisæ Cn. Cornelio, Ligures Petilio obvenere*, A. V. 578. quarto à deducta *Pisas* colonia. Et A. 576. Ibidem: *Semel*, inquit Livius, *decretum est, ut T. Claudius prætor militibus legionis* IV. *& socium Latini nominis quinque millibus, equitum* CCL. *Pisas ut convenirent ediceret, eamque provinciam, dum consul inde abes-*

A *set, tutaretur*. Et postea: *Nero paludatus Pisas in provinciam est profectus*. Sigonius *in notis Livianis* recte tradit *Claudium Neronem Etruriam provinciam* sortitum, ut plane constet id temporis non tantum *Ligures*, sed ipsam *Etruriam Pisarum* nomine appellatam. Cum vero *Ligustina* bella per annos circiter LXXX. duraverint, *Pisis* hiemabant Prætores, Consules, Proconsules, ac legiones, uti ex laudatis *Livii* testimoniis patuit, quibus ex *lib.* XLII. adde: *Legionibus Pisas in hibernacula missis &c.* Hinc ingens urbi decus accedebat, cum toties magistratuum fasces, ac legionum aquilæ, formidata Orbi *Romanorum* insi-
B gnia, intra *Pisana* mœnia cernerentur. *Liguribus* tandem domitis, *M. Æmilius Scaurus*, qui consulatum gessit A. V. 639. *viam Æmiliam stravit, quæ per Pisas & Lunam usque Sabbatios; indeque Derthonam venit*; quæ *Strabonis* verba sunt *lib.* V. Cum lustro LXVII. à Censoribus *P. Licinio Crasso*, & *L. Julio Cæsare* A. V. 665. universæ *Etruriæ* civitas *Romana* cum jure suffragii data fuerit, nulli deinceps in *Etruriam Romani* magistratus missi sunt, ac *Pisæ* erant finitimæ provinciæ *Galliæ Cisalpinæ*, quo nomine *Liguria* etiam veniebat; *Luca* enim decem tantum milliariis *Pi-* 19
C *sis* distans, erat sub jurisdictione proconsulis *Galliæ Cisalpinæ*. Suetonius de *Cæsare Galliæ* proconsule *cap.* 24. scribit: *Crassum Pompejumque in urbem provinciæ suæ Lucam extractos, compulit, ut detrudendi Domitii causa, consulatum alterum peterent.* *Ciceroni* tamen major fides habenda, qui de *Pompejo* scribit ad *P. Lentulum lib.* I. *fam. ep.* 9. *eoque itinere Lucam ad Cæsarem venit: ubi multa de mea sententia questus est Cæsar, quippe qui etiam Ravennæ Crassum ante vidisset.* *Ravenna* altera erat *Galliæ Cisalpinæ* urbs in provinciæ finibus sita versus *Ariminum*, ubi *Crassus Cæsarem* convenit, uti postea eundem *Lucæ Pompejus* adivit.

D

CAP. II.

Coloniæ militares à Sylla *primum deductæ.* Pisæ *colonia militaris constituta à* Cæsare, *vel ab* Augusto, Julia Opsequens *nuncupatur.* *Vetustæ* Pisarum *familiæ ex utroque Cæsarum Cenotaphio, aliisque vetustis epitaphiis producuntur.*

Cum *Romana* plebs adeo excresceret, ut urbano agro ali non posset, urbes vero in ditionem populi *Romani* redactæ, diuturnioribus bellorum calamitatibus afflictæ, civium infrequentia laborarent, è re visum fuit ex urbe atque agro *Romano* colonos in devicta oppida destinare. Hinc
E *Rullus* tanta contentione agrariam legem promovebat, *ut sentina urbis exhauriretur, & Italiæ solitudo frequentaretur*, teste *Cicerone* orat. in eundem, qui in altera ad populum habita notat colonias sic *idoneis in locis à Romanis collocatas, ut esse non oppida Italiæ, sed propugnacula imperii viderentur.* Etenim recentes coloni, tum urbes in officio continebant, tum etiam finitimorum hostium incursiones reprimebant. Hæ civium *Romanorum* coloniæ nuncupatæ. *Sylla* dictator militum etiam colonias invexit, in quas non plebem urbanam, sed suos milites deduxit. Is enim cum ingenti civium edita strage, plus unus quam uni-
F versa Respublica posset, partam sibi armis potestatem, armis pariter servandam ducens, milites quorum opera ad tantæ potentiæ fastigium evaserat, colonos varias in urbes deduxit, *ut opportunis in locis dispositi in ipsius potestate Italiam continerent, translatis ad eos veterum possessorum prædiis.* Appiani verba sunt *lib.* I. *bel. civ. pag.* 410. Horum plerosque in *Etruriam* misit, quos postea *Catilina* suas in partes pellexit, eosdemque hisce Cicero *in Catil.* 2. describit: *Hi sunt homines ex*

his coloniis, quos Fesulis Sylla constituit, quos ego
universos cives esse optimos & fortissimos sentio; sed
tamen hi sunt coloni, qui se insperatis, repentinisque
pecuniis sumptuosius insolentiusque jactarunt: hi dum
ædificant tanquam beati, dum prædiis, lecticis, fa-
miliis magnis, conviviis, apparatibus delectantur,
in tantum æs alienum inciderunt, uti, si salvi esse
velint, Sylla sit iis ab inferis excitandus. Sane cen-
tum ac viginti hominum millia eo latrocinio a-
gros, exclusis antiquis possessoribus, obtinuere.
Nunquam exempla ibi consistunt, unde cœpe-
runt; nec quisquam sibi turpe ducit quod alteri
utile fuit. Hinc cum *Julius Cæsar* orbis *Romani*
imperium occupare ambitiosa mente agitaret,
20 *Syllæ* exemplis insistens, militum benevolentiam
profusis largitionibus sibi conciliavit. Ille legio-
nibus stipendium in perpetuum duplicavit ex Sue-
tonio *cap.* 26. idem bello civili exorto, effractis
ærarii postibus, publicam pecuniam in milites
erogavit, ac instante maximo prœlio ad *Pharsa-*
lum, ingentibus promissis suorum animos imple-
vit, quæ cum postea victor non solveret, miles
tumultuari cœpit, missionem petere, palamque
conqueri pollicita ad *Pharsalum* necdum exsoluta.
Cæsar, concione militum advocata, *missionem*,
inquit, *vobis do; redditurus tamen & promissa si-*
mul ac reversus fuero ex Africa; dabo & agros omni-
bus finito bello, non ut Sylla ereptos aliis, & colonos
miscendo spoliatis, ad alendam utrorumque simulta-
tem perpetuam; sed agrum publicum, & meas pri-
vatas possessiones dividam: & si non suffecerint, emam
meis pecuniis. Hac agrorum spe lactati milites,
in *Africam* primum contra *Scipionis* ac *Catonis*
exercitum, dein in *Hispaniam* contra *Pompei* fi-
lios se duci passi sunt. *Cæsar* toto *Romano* Orbe
bellis civilibus, magna felicitate, profligatis, an-
no Urbis 709. *Romam* reversus, cum quatuor,
variante pompa, triumphos egisset, milites agris
donatos in colonias passim per *Italiam* deduxit.
Ceterum in hisce militaribus coloniis condendis,
neutiquam obligatam fidem implevit; nam cum
nec ager publicus sufficeret, nec tantum pecuniæ
Cæsar possideret, qua agros à privatis dominis re-
dimeret, Proprætores deducendis coloniis impo-
suit, qui vetustis possessoribus per summam inju-
riam ejectis, in eorundem agros veteranos indu-
cerent. Horum auctor est *Brutus* in concione,
quam occiso *Cæsare*, recitavit: *In ipsa*, inquit,
Italia nihil commerita, non jure belli, sed more la-
trocinii, veteribus possessoribus ademerunt agros, do-
mos, sacra, fana, quæ ne exteris quidem adimi-
mus, contenti decimis fructuum. At isti diviserunt
vobis agros vestrorum popularium, auspiciis ipsius
Cæsaris, sociorum expeditionis Gallicæ, qui vos vo-
tis pro victoria vestra nuncupatis, prosecuti, & pa-
rum securos ab illis, qui coacti sunt agris cedere. Ap-
pianus *lib.* II. *bel. civil. pag.* 516. Suetonius *cap.*
38. fecus scribere videtur, de Cæsare inquiens:
Veteranis legionibus agros assignavit, sed non conti-
nuos, ne quis possessorum expelleretur. Verum hæc
intelligenda sunt de priori agrorum designatione,
quam anno V. 707. ante bellum Africanum *Cæ-*
sar peregit, uti diserte testatur Dio *lib.* XLII. *U-*
niversis, inquit, *agros partim publicos, partim suos*
assignavit, aliis alio collocatis, longissimeque à se
invicem distractis, ne si unum locum occupassent, vel
finitimis terrori, vel ad novas denuo res conandas
parati esse possent. Hæc statim gesta testatur eo
anno, quo jam desinente *Calenus* & *Vatinius* con-
sulum nomen habuere, nempe A. U. 707. Ex
his patet id temporis à *Cæsare* nullam militarem
coloniam deductam, cum milites sub vexillo unum
in oppidum haud deducti sint, sed in disjunctos
agros partim publicos, partim à *Cæsare* antea pos-
sessos, sparsi fuerint. Itaque post biennium mi-
A litum coloniæ in *Italia* à *Cæsare* deductæ sunt, de
quibus *Bruti* querelas audivimus. De hac agro-
rum divisione loquitur Cicero *lib.* IX. *fam. epist.*
17. ad *Pætum*, scribens: *Vejentem quidem agrum*
& Capenatem metiuntur; cum *Pætus* ab ipso per
literas petiisset, *quid de istis municipiis & agris fu-*
turum putaret. *Grævius* V. C. qui nuper erudi-
tissimis notis *Ciceronis* volumina summa cum lau-
de ilustravit, putat memoratam epistolam scri-
ptam fuisse A. V. 708. cum *Cæsar* ex *Africa Ro-*
mam victor reversus esset. Verum *Dio* ac *Appia-*
nus nullos eo anno agros militibus divisos scribunt,
sed A. V. 709. postquam idem *Cæsar Pompei* li- 21
B beris in *Hispania* profligatis, in urbem rediit.
Cicero in eadem epistola ait: *Primum quia de lu-*
cro prope jam quadriennium vivimus, si aut hoc lu-
crum est, aut hæc vita, superstitem Reipublicæ vi-
vere. At prœlio *Pharsalico* A. V. 706. res pu-
blica interiit, ad unum *Cæsarem* delata. Itaque
data est ea ad *Pætum* epistola A. V. 709. quarto
jam inito post cladem *Pharsalicam*. Et quidem
in *Etruria* agros divisos eo anno 709. constat ex
literis Ciceronis *lib.* XIII. ad *Valerium Orcam*,
quarum mox verba proferam; in iis enim *C. Cur-*
tii agros *Valerio* commendat, ne militibus tra-
dantur, quod *hoc*, inquit, *tempore cum Cæsar in*
C *Senatum legit.* At Dio *lib.* XLIII. ad A. V. 709.
cetera inter gesta *Cæsari*, postquam mense Octo-
bri *Romam* post victoriam *Hispanicam* reversus
fuisset, ait: *Adscripsit etiam complures in Senatum,*
nullo in discrimine ponens sive quis miles esset, sive
libertinus, adeo ut summa Senatorum DCCC. fuerit.
Hinc recte idem vir doctissimus eam ad *Valerium*
epistolam A. V. 709. scriptam affirmavit. At
hoc pariter anno data est altera ad *Pætum*; ete-
nim ne ad annum 707. quo prior agrorum divisio
jussu *Cæsaris* peracta est, retrahatur, vetat qua-
driennium ab eversa Republica ibidem à *Cicerone*
memoratum.
D Cæterum notandum venit in hisce coloniis con-
dendis callidum *Cæsaris* consilium, qui easdem
ita per *Italiam* distribuit, ut vel in vicinia funda-
tæ, subitario sibi præsidio essent, si quæ contra
ipsum seditio *Romæ* excitaretur; vel iis in locis
collocatæ, per quæ *Romam* iter erat, ne Senatus
ab iis, qui extra *Italiam* in *Romanis* provinciis
magistratus gerebant, auxiliares suppetias pro li-
bertate restituenda, sperare posset. Has vero
colonias vulgo *Julias* de nomine conditoris appel-
latas indicat *Vellejus*, coloniarum *militarium*, in-
quiens, *& causæ, & auctores, & ipsarum præful-*
gent nomina; & Josephus contra Appionem, *o-*
E *mnes*, ait, *qui in colonias vocati sunt, licet multum*
genere differant, à conditoribus sortiri nomen. *An-*
tonius in oratione funebri de laudibus *Cæsaris*,
cum dixisset *Æneæ* posteros *Lavinii* atque *Albæ*
regnasse, *Cæsarem*, inquit, *colonias etiam majo-*
res his urbibus, quarum illi reges fuerant, deduxisse.
Ex Dione *lib.* XLIV. Ex vetustis inscriptionibus
aliquot coloniæ *Italiæ* innotescunt. *Fanum For-*
tunæ Gruteri *pag.* 416. 8. COL. JUL. FANE-
STRIS. & *pag.* 475. 7. *Julius Titulenus* dicitur
oriundus COLONIA. JULIA. FANO. FOR-
TUNÆ. Hæc urbs est maritima prope *Me-*
taurum, ac viæ insidet, qua per angustias mon-
F tium iter *Romam* aperitur. *pag.* 351. 1. COL.
JUL. HISPELLI. Jacebat hæc urbs loco mu-
nitissimo inter *Perusiam* & *Fulgineum*, partemque
Etruriæ atque *Umbriæ* in officio erga *Cæsarem*
continebat. *Sutrium* civitas antiquissima prope
Urbem *Cassiæ* viæ imposita, *pag.* 303. appellatur
COLONIA CONJUNC. JULIA. Præterea
Julia Derthona, ubi *Æmilia* via desinebat, atque
in *Ligures* & *Etruriam* ducebat, ab eodem colo-
nia deducta fuit. Plures etiam milites colonos
aliis

aliis urbibus adſcripſit, nempe *Caſilino*, *Calatiæ*, *Æſerniæ*, *Lanuvio*, *Sinueſſæ*, quæ *pag.* 109. 8. COLONIA JULIA FELIX nuncupatur, quod cognomen *Capua*, quam *Cæſar* in ſuo conſulatu coloniam civium *Romanorum* condiderat, antea obtinuerat.

Piſas militum coloniam ab eodem Imperatore deductam cenotaphium *Lucii Cæſaris* hoc demum ſæculo indicavit, cum id hactenus incompertum fuerit. Etenim in calce ejuſdem jubentur *Piſani* legati Auguſtum adire petituri ab eo, ut COLONIS JULIENSIBUS COLONIÆ OPSEQUENTI JULIÆ PISANÆ inferias *Lucii* Manibus perpetuas juxta Coloniæ decretum, facere permittat. Auctor eſt *Cicero Q. Valerium*
22 *Orcam* proprætorem in *Etruriam* à *Cæſare* miſſum, ut veteranos in agrum *Volaterranum* deduceret; nam *lib.* XIII. *fam. epiſt.* 4. ad eundem *Valerium* ait: *abs te peto, ut ita de Volaterranis merere, ut exiſtiment eum quaſi divino conſilio iſti negotio præpoſitum eſſe.* In epiſtola ſequenti commendat *Valerio* agros *C. Curtii* Senatoris Romani: *is enim*, ait, *habet in Volaterrano poſſeſſionem, cum in eam tanquam è naufragio reliquias contuliſſet. Hoc tamen tempore eum Cæſar in Senatum legit, quem ordinem ille, iſta poſſeſſione amiſſa, tueri vix poteſt.* Et poſtea: *Minimeque convenit ex eo agro, qui Cæſaris juſſu dividitur, eum moveri; qui Cæſaris beneficio Senator ſit.* Quare ſi ipſis Senatoribus in agris militibus diſtribuendis detrimentum inferebatur, conſequens fit, ut municipales viri ingentem avitorum prædiorum jacturam ſubierint, qualem in laudata concione *Brutus* expoſuit. *Arretium* quoque militarem coloniam à *Cæſare* deductam exiſtimo; nam Plinio *lib.* III. *cap.* 5. memorantur *Arretini veteres*, *Arretini Fidentes*, *Arretini Julienſes*, ut eadem urbs dicta fuerit *colonia Fidens Julia*, quemadmodum Piſæ *colonia Opſequens Julia*, quarum civitatum agros non Triumviri, veteri Reip. inſtituto, ſed unus *Valerius* à Cæſare *rem magnam atque difficilem*, ut idem ait *Tullius*, juſſus perficere, veteranis diviſit. Equidem *Etruria* haud tanta ſibi à *Cæſare* mala timebat, quod ſub initium belli civilis in ejuſdem partes transierat, teſte Cicerone *lib.* VI. *fam. ep.* 6. *ad A. Cæcinam* de *Cæſare* hæc ſcribente: *Præterea cedit multorum juſtis & officio incenſis, non inanibus aut ambitioſis voluntatibus; in quo vehementer eum conſentiens Etruria movebit.* Plinius *lib.* VII. *cap.* 53. ſcribit: *Nullis evidentibus cauſis obiere, dum calceantur matutino, duo Cæſares; prætor, & prætura perfunctus Dictatoris pater: hic Piſis exanimatus, ille Romæ.* Hinc forte *Cæſar* Dictator *Piſas Caji* patris funere nobilitatas, honoris gratia, in *Juliam* coloniam erexit; quamvis, ut ego quidem arbitror, *Piſanam* coloniam non ob paterni obitus locum nobilitandum, ſed ad veteranorum cupiditates ſatiandas, ille condiderit; nihil enim *Cæſar* à defuncto olim genitore commodi, at plurimum ſibi præſidii à ſuperſtite milite ſperabat.

Ceterum hæc non tam certa mihi videntur, quin colonia *Julia Piſana* æque ac commode ab *Auguſto* deducta, atque ab eodem nomen ſortita dici poſſit. Nam cum ille A. V. 710. teſtamento *Cæſaris* adoptatus, in familiam *Juliam* tranſierit, *Cajus Julius Cæſar Octavianus* dictus fuit; unde & coloniæ pleræque ab ipſo deductæ, *Juliæ* nuncupatæ ſunt. Plinius *lib.* V. *cap.* I. ait: *Colonia Auguſti Julia Conſtantia*; & ſtatim: *Altera Auguſti colonia eſt Baba, Julia Campeſtris appellata.* Ita etiam *Agrippa*, cum comitium in campo Martio tabulis lapideis ac picturis exornaſſet, *Septa Julia ab Auguſto cognominavit*; ex Dione *lib.* LIII. Equidem *Julium* cognomen qui-

A buſdam coloniis impoſitum, viros eruditos in errorem induxit. Nam doctiſſimus Spanhemius *diſp.* 9. *de præſt.* & *uſu numiſ. Tingim Mauritaniæ* urbem deductam à *Julio Cæſare* coloniam ſcripſit, quod in rariſſimo CHRISTINÆ Auguſtæ numiſmate legitur: JUL. TRA. nempe *Julia Traducta.* At lapſum inſignis antiquarii inferius *diſſert.* 2. *cap.* I. oſtendam. Patinus V. C. in *notis ad cap.* 42. *Suetonii in Julio*, quod nummus cum epigraphe COL. JUL. BER. legitur ſcalptus, ſcribit *Berytum Phœniciæ* urbem unam fuiſſe coloniarum tranſmarinarum, in quas *Julius Cæſar* colonos miſit. Verum hanc urbem non *Julii*,
B ſed *Auguſti* coloniam fuiſſe tradit Ulpianus *de cenſibus*, hæc de *Beryto* ſcribens: *Auguſti beneficiis gratioſa, & ut Divus Hadrianus* 23
in quadam oratione ait, Auguſtana colonia, *quæ jus Italicum habet.* Euſebius in Chronico anno tertio Olympiadis 191. V. C. 740. ait: *Coloniæ Berytum & Patras deductæ.* In Ancyrano lapide dicuntur militares coloniæ ab Auguſto conditæ *M. Craſſo & Cn. Cornelio Lentulo Coſſ.* qui A. V. 740. magiſtratum geſſerunt. Strabo *lib.* XVI. *pag.* 520. ſcribit: *Berytus à Triphone diruta, nunc vero à Romanis inſtaurata, duabus legionibus ibi ab Agrippa collocatis.* Et ſane eo A. V. 740.
C *Agrippa Aſiæ* ac *Syriæ* præerat, quo etiam anno colonos *Auguſti* juſſu, *Berytum* miſit. Denique in Cimeliis Mediceis ſervantur duo rara numiſmata *Elagabali*, & *Gordiani* Imperatorum cum epigraphe in poſtica: COL. JUL. AUG. FEL. BER. *Colonia Julia Auguſta Felix Berytus.* Plinius *lib.* V. *cap.* 20. ait: *Berytus colonia quæ* Felix Julia *appellatur.* Hunc quoque lapidem offendit *Spanhemius* ſcribens *diſſert.* IX. *pag.* 768. *Uticam* municipium à *Julio Cæſare* in *Africa* conſtitutum ex nummo regio inſcripto: MUNICIP. JUL. UTICEN. DD. P. Verum Dio *lib.*
D XLIX. ad A. V. 717. de *Auguſto* ſcribit: *Uticenſibus civitatem dedit.* Cum vero *Romana* civitas daretur, ut cives jure coloniæ, vel municipii uterentur; ex laudato nummo conſtat *Uticenſibus* cum jure municipii *Romanam* civitatem ab *Auguſto* datam, non vero à *Julio Cæſare*, uti vir eruditus opinabatur. Plinius *lib.* V. *cap.* 4. ait: *Utica civium Romanorum*, nempe municipium, non autem colonia. *Fanum Fortunæ* prope *Metaurum Juliam* coloniam nuncupatum vetuſtæ inſcriptiones docent. Panvinius in *libro de imp. Rom.* ubi colonias recenſet, de eadem ait: *Hanc ab Auguſto deductam nomen declarat.* At Sigonius *lib.* III. *de antiq. jur. Ital. cap.* 4. putat à *Cæſare* Dictato-
E re *Fanum ac reliquas etiam, quæ Julio nomine ſunt affectæ, ab eodem eſſe deductas.* Ex his conſtat *Julium* cognomen coloniis impoſitum tum eas deſignare, in quas *Julius Cæſar* colonos adſcripſit, tum etiam alias, quas *Auguſtus* deduxit. Chimentellius *cap.* 7. *de honore Biſellii*, *Piſani*, inquit, *ab Auguſto & ejus domo, aut (quod multæ tunc fecerunt coloniæ) ad ſplendorem & opinionem dignitatis aucupandam, nomen Juliæ & Julienſis coloniæ affectaverunt. Cum enim in gentem Juliam tranſierit Auguſtus, in hanc ipſam appellationem migraverunt coloniæ addictiores.* Hæc ille, ne
F quidem de *Julio* Dictatore *Piſanæ* coloniæ militaris deductore ſuſpicatus. At ſecus ea ætate contigiſſe auctor eſt Dio *lib.* LIV. ad A. V. 739. *cognomina*, inquit, *etiam urbium honoris cauſa Senatus eis impoſuit, & non, quod nunc fit, ipſæ ſibi nomina quotquot vellent, delegerunt.* Verum *lib.* XLVII. *de Tarſenſibus*, quorum urbs erat metropolis Ciliciæ, ſcribit: *Adeo Cæſari priori, ac ejus gratia etiam poſteriori favebant, ut urbem ſuam pro Tarſo Juliopolim vocaverint.* *Auguſtus* in triumviratu, ante pugnam *Philippenſem*, præter

alia victoriæ præmia, militibus octodecim colonias promisit *Italicarum urbium tam opibus quam agri bonitate ac ædificiorum pulchritudine præcellentium:* ex Appiano *lib.* IV. *bel. civ. pag.* 591. quas inter numerat *Capuam*, *Rhegium*, *Venusiam*, *Beneventum*, *Nuceriam*, *Ariminum*, *Viboniam*. Centum ac septuaginta militum millia in agros deducenda erant ex eodem *lib.* V. *pag.* 674. nempe legiones XXVIII. cum suis appendicibus. Parta tamen victoria, legionibus XXXIV. agros in *Italia* *Augustus* divisit. Idem *pag.* 684. Hæ tamen militum coloniæ non Augustæ, sed Triumvirales dictæ sunt, quarum plerasque *Frontinus* recenset, ac eas inter *Florentiam*, qua in urbe *Italicarum* pulcherrima, hæc ipsa in literas
24 mitto. Cum vero *Augustus* *Lepido* in ordinem redacto, ac postea victo apud *Actium* *Antonio*, totius Romani Orbis imperium occupasset, plures in *Italia* colonias militares erexit. Dio *lib.* LI. ad A. V. 724. scribit *Augustum* post victoriam Actiacam *Brundusium* reversum, militibus *qui omnibus secum bellis fuissent, agrum divisisse. Nam eos conventus Italiæ, qui Antonii rebus studuissent, extorres egerat, militibusque agros eorum donaverat, extorrium autem plerique Dyrrachium, Philippos, & alia opida habitanda concessit: reliquis pecuniam pro agro, aut numeravit, aut numeraturum promisit.* Hæc ipsa mirifice firmat marmor Ancyranum, in quo Gruteri *pag.* 231. hæc *Augusti* verba leguntur.

EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT. AGRIS. QVOS. IN. CONSVLATV. MEO. QVARTO. ET. POSTEA. CONSVLIBVS. MARCO. ET. CN. LENTVLO. AVGVRE. ADSIGNAVI. MILITIBVS. SOLVI. MVNICIPIIS.

Anno Urbis 724. *Augustus* quartum consulatum gessit, quo quidem anno militum colonias in *Italia* deduxit. Alias postea erexit A. V. 740. *M. Licinio Crasso* & *Cn. Lentulo* Augure Coss. Præterea colonias etiam fundavit *Claudio Nerone* iterum & *Pisone* Coss. A. U. 747. & quosdam anno sequenti; ac denique *L. Caninio Gallo* ac *Q. Fabricio* suffectis consulibus A. V. 752. quæ omnia in eadem inscriptione Ancyrana afferuntur. Suetonius in Augusto *cap.* 46. ait: *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum abs se, frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam jure ac dignatione Urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit: excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata, Romam mitterent.* Quænam vero octo istæ ac viginti coloniæ ab *Augusto* deductæ in *Italia* fuerint, nondum pleno numero accepimus. Frontinus in *libello de coloniis*, XII. designavit. Sigonius *Capuam*, & *Augustam Taurinorum* addit. Ex opere Gruteriano habemus *pag.* 492. 5. *Coloniam Augustam Ariminum. pag.* 164. 7. *Augusta Perusia* legitur. *pag.* 1085. 14. *Colonia Felix Nolana. pag.* 492. 5. *Colonia Julia Augusta Parma. pag.* 484. 3. *Colonia Augusta Laurentum.* In arcu etiam *Veronæ*, quæ mihi patria est, legitur: COLONIA AUGUSTA VERONA; quæ inscriptio dicata est *Valeriano* II. & *Lucillo* Coss. *Gallieno* imperante. Hisce autem militum coloniis Augustanis *Pisæ* forte adjungi possint, cujus tamen rei præter coloniæ *Juliæ* cognomen *Pisanæ* urbi impositum, testem appellare non possumus. In utroque ce-

A notaphio *Pisano* jubentur legati decurionum decretum ab *Augusto* ratum habendum, *Romam* deferre. In *Cajano* quidem rogatur T. Statulenus Junctus, *ut cum legatis excusata præsenti Coloniæ necessitate, hoc officium publicum & voluntatem, libello reddito Imp. Cæsari Augusto &c. indicet.* Quam legem conditis abs se coloniis *Augustus* imposuerat, uti ex *Suetonio* proxime adnotabam.

Doctissimus *Chimentellius* superius laudatus, ait non putare se *iterum Pisas sub Augusto scriptos fuisse Colonos, nec enim sinerent historiæ id à nobis ignorari.* Vir insignis tunc de militaribus coloniis haud cogitabat, quarum tamen *auctores &*
B *ipsarum præfulgent nomina*, ut inquit Vellejus *lib.* I. Itaque cognomen *Julium Pisanæ* coloniæ superadditum, eandem vel à *Julio*, vel ab Augusto novis colonis auctam indicat. 25 Porro quot coloniæ ab alterutro conditæ ex solis nummorum, aut lapidum inscriptionibus intelliguntur, quarum tamen nulla apud Scriptores memoria reperitur, cum Augusteæ ætatis historiæ latine scriptæ perierint? Quinam historici *Parmam*, *Perusiam*, *Veronam* deductas ab eodem Imperatore colonias testantur? *Suetonius* scribit a *Julio Cæsare* LXXX. millia civium in transmarinas colonias missos, quarum tamen numerus apud scriptores
C deficit, ac ex numismatum tantum epigraphis aliqua saltem parte suppleri potest. Equidem civibus coloniarum bello vel pestilentia ad paucos redactis, in easdem urbes à Triumviris novi iterum coloni deducebantur. Livius *lib.* II. ait: *Eodem anno Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum, iterum deducta est.* Et *lib.* XXXVII. *Cum legati Placentinorum & Cremonensium dicerent colonos passim belli casibus, alios morbis absumptos, alios accolarum Gallorum tædio defecisse, L. Lælius consul sex millia familiarum scripsit, qui per Triumviros in colonias*
D *deducerentur.* At quot millia civium tota passim *Italia* bella civilia ab A. V. 706. usque ad annum 724. absumpserint, ex *Cæsaris* Dictatoris censu *Romæ* peracto, abunde intelligimus. Nam in censu A. V. 708. qui tertius erat belli civilis, *centum & quinquaginta hominum millia reperta sunt, cum antea* CCCXX. *millia fuissent. Tam magnam cladem, tantasque populi strages intestina mala peperunt præter reliquas Italiæ ac provinciarum vastitates.* Ita Plutarchus in *Cæsare*, Livius *lib.* CXV. Appianus *lib.* II. *bel. civil. pag.* 492. Itaque cum coloniæ *Italiæ* tot delectibus per bella civilia exhaustæ essent, *Augustus*, pace demum parta, mili-
E tibus in easdem missis, frequentandas curavit; quo quidem facto & militum cupiditati, ac coloniarum infrequentiæ consuluit. Cum *M. Antonius* consul ad *Ciceronem* scripsisset, num coloniam iterum *Capuam* deducere posset, Cicero, *negavi*, inquit, *in eam coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci; colonos novos adscribi posse rescripsi.* Hæc ille in *Philip.* II. ubi in *Antonium* invectus ait: *Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum jure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta, ut vexillum videres, & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam*
F *Capuæ pene perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* De Augusto scribit Dio in fine *lib.* LII. *Carthaginem quoque denuo coloniam deduxit, quia Lepidus partem ejus cum habitatoribus orbasset, videbatur jus coloniæ dissolvisse.* Profecto in iterata *Carthaginiensis* coloniæ deductione solitas cæremonias peractas, testatur Tertullianus *cap.* I. *de pallio* scribens: *Ubi mœnia Statilius Taurus imposuit, solemnia Sentius Saturninus enarravit.* Cum *Antonius* Triumvir milites *Bononiam* colonos deduxisset, Augustus *Bononiam iterum coloniam*

A *loniam militibus constituit, ut à se id beneficium habere videretur.* Dio *lib.* L. Immo intra paucos annos *Capuam* ter coloniam deductam accipimus. In eam *Cæsar* in suo consulatu A. V. 695. cives *Romanos* misit. Eandem Triumviri militum coloniam iterum fecere ex Appiano *lib.* IV. *pag.* 591. Denique etiam *Augustus*, hæc Plinio scribente *lib.* XVIII. *cap.* II. *Extat D. Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis numerari jussit à fisco suo, coloniam deducens Capuam.* Dio etiam *lib.* XLIX. auctor est, *Augustum* post *Sextum Pompejum* classe ac terrestribus copiis exutum, agros militibus paullo post divisisse; & cum ager pu-
26 B blicus non sufficeret, *alios*, inquit, *etiam coemit, multos verò à Campanis iis qui Capuam colebant, quorum urbs colonis multis indigebat*; quamvis *Cæsar* in *Stellatem* ac *Campanum* agrum XX. millia civium, quibus terni pluresve liberi essent, colonos misisset. Tantam *Campaniæ* cladem civile bellum intulerat. Hanc quoque colonici agri solitudinem, seu infrequentiam auxerat militum in eosdem agros deductorum avaritia. Nam *Cæsar* Dictator militum colonias deducens, inter cetera legis agrariæ capita novis colonis indixerat, ne ante vigesimum annum portiones suas venderent, teste Appiano *lib.* III. *bel. civ. pag.* 539. At post
C *Cæsaris* cædem, bellis civilibus in *Italia* primum, dein per Romanum Orbem sævientibus, milites nuper in agros deducti, pecuniæ largitione empti, ac prædarum spe allecti, venditis agris, ingenti numero militiam repetebant. Et quidem A. V. 713. *L. Antonio* consule à juniore *Cæsare* intra *Perusiæ* mœnia obsesso, tota passim *Italia* veterani ex agris ad castra ingentium prœmiorum pollicitatione evocabantur. Hinc *Cæsare* ipso, *M. Agrippa*, ac *Salvidieno* ejusdem legatis; illinc vero *Asinio Pollione*, *P. Ventidio*, ac *Munatio Planco*, qui *Antonii* partes fovebant, tota passim *Italia* militum delectus habentibus, coloniarum
D agri pene deserti relinquebantur. Novo postea bello contra *Sex. Pompejum* exorto, cum *Menas Pompejanæ* classis præfectus in maritimam *Etruriam* impetum fecisset, teste Dione *lib.* XLVIII. *Pisanum* agrum non levi clade affecit, *Corsica* præsertim proxima eidem insula, ac *Sardinia* in *Pompeji* ditionem redactis. Cum vero proditione *Menodori*, utramque insulam *Augustus* recuperasset, maritimam classem eidem *Menodoro* ac *Calvisio Sabino* in *Etruria* adornandam injunxit, ex Appiano *lib.* V. *pag.* 718. & hanc quidem in *Pisano* portu instructam nullus inficias ibit, cum ea in urbe navalia antiquitus extructa extarent, *Claudiano* postea etiam laudata de bello *Gildonico* ca-
E nentis

— *nec Alpheæ capiunt navalia Pisæ.*

Hinc colonorum plurimi inter classiarios relati, servi vero remigio deputati sunt; magna interim agri *Pisani* parte colonis orbata, quorum sane pauci ad patrios lares redierunt; nam paullo post eadem classis è *Pisano* portu solvens, partim sinistris prœliis, partim improvisis tempestatibus pessum ivit, uti fusius describunt Appianus *lib.* V. & Dio *lib.* XLVIII. Ex his satis probabiliter deduci potest, iterum ab *Augusto*, sopitis bellis civilibus, militum coloniam *Pisis* constitutam, quod
F magnam veterum colonorum partem civilia bella absumpserant, urbe tum infrequenti, ac parte agri inculta. Ita in tanta antiquorum scriptorum inopia conjecturis indulgere liceat, cum plane incertum sit, num *Cæsar*, vel *Augustus* militum coloniam *Pisas* miserit, idque *Julium* cognomen eidem urbi impositum sub dubio, uti ostendi, relinquat. Quod autem navalium *Pisarum* mentio proxime incidit, haud omittendam duxi insignem eorundem memoriam, quæ in vetustis inscriptionibus occurrit apud Gruterum *pag.* cIↃXXXI. 5.

M. NÆVIVS. M. F
GAL. RESTITVTVS
MIL. COH. X. PR. H. AQ
QVI. RELIQ. TESTAM. COLL
FABR. NAVAL. PIS. STATIONI
VETVSTISS. ET. PIS. H-S. IIII
N. EX. CVI. REDITV. PA 27
RENTAL. ET. ROSAR. QVOT
ANN. AT. SEPVLCHRVM
SVVM CELEBRARENT. QVOT
SI. FACTVM. AB. EIS. NON
ESSET. TVNC. EA. IPSA. CON
DICTIONE. FABR. TIG. PIS
ACCEPT. PRO. POENA. A
FABR. NAV. H-S. IIII. N. IPSI
CELEBRARE. DEBEBVNT

M. Nævius Restitutus è Galeria tribu *Pisana*, *miles cohortis decimæ Prætoriæ*, testamento reliquisse dicitur *collegio Fabrum navalium PISANÆ STATIONIS VETUSTISSIMÆ IV. millia sestertia nummum*, nempe scutatos *Romanæ* monetæ centum, cum eo, ut quotannis ad ipsius sepulcrum parentalia & rosarium celebrarent, hoc est, annuas inferias sibi mittentes, rosis tumulum conspergerent; quæ sacra funebria si iidem omisissent, tunc collegium *Fabrum Tignariorum* PISARUM eadem perageret, quatuor millibus H-S. mulctæ nomine à Fabris Navalibus acceptis. Illæ literæ tertii versus H. AQ. significant: HIC AQUIESCIT, uti ex altero *Pisano* epitaphio, aliisque *cap.* 3. monstrabo. Ex hoc autem militari epitaphio constat *Næviorum* familiam *Pisis* fuisse, quæ iis, quas eadem in colonia extitisse proxime dicam, accensenda est. Rursus patet *Pisanos* fuisse è tribu *Galeria*, quod ex pluribus aliis inscriptis antiquitus saxis superius ostendi. At ex eodem epitaphio antiquitas navalium *Pisanorum* præsertim colligitur; siquidem *Pisana Statio vetustissima* ibidem nuncupatur, ubi erat collegium *Fabrum Navalium*, qui naves ibidem fabricabant. Fabri Tignarii memorantur *L.* 2. *de excusat. art. Cod. T.* ac passim occurrunt in vetustis inscriptionibus, in quibus etiam *pag.* 168. 6. dicuntur *Tignuarii*. Vide *pag.* 99. 9. 194. 2. 235. 7. & alibi in thesauro Gruteriano.

Quædam Coloniæ à *Julio Cæsare* deductæ, ut ab Augustæis discernerentur, Juliæ Paternæ nuncupatæ sunt. Gruteri *pag.* 229. COL. JUL. PATER. NARB. MART. *Colonia Julia Paterna Narbo Martia. Narbonem* primam in *Gallia Romanorum* coloniam deduxerat A. V. 636. *Q. Marcius* Rex, cum eo anno consul *Galliam* provinciam obtineret, ex Eutropio *lib.* IV. & Velleio *lib.* I. *Cajus Cæsar* confecto bello *Alexandrino*, decimæ legionis milites *Narbonem* colonos misit, deductore *Ti. Nerone Tiberii* Imp. patre, teste *Suetonio* in *Tiberio cap.* 4. ubi de illo ait: *Ad deducendas in Gallia colonias, in queis Narbona & Arelate erant, missus est.* Quare *Arelatensis* etiam colonia nuncupatur in vetustis saxis Gruteri *pag.* 448. 5. COL. JUL. PAT. AR. quod à *Julio* patre milites *Arelatum* coloni missi fuerant. Aliquæ vero coloniæ à nomine simul ac agnomine Augusti dictæ sunt, uti *Parma pag.* 492. 5. COL. JUL. AUG. PARM. & *pag.* 429. COL. F. I. A. P. BARCIN. hoc est: *Colonia Flavia Julia Augusta Paterna Barcino*, quod iterum colonos *Flavius Vespasianus* misit; unde ibidem *num.* 5. in-

inſcribitur COL. FLAV. P. BARC. nulla vetuſtioris deductoris mentione inſerta. Ex nummorum etiam epigraphis quaſdam colonias *Julias Auguſtas* exhibet Spanhemius *diſſert.* 9. *pag*, 767. *diſſert.* 4. *pag.* 376. *diſſert.* 2. *pag.* 57. & alibi.
28 Cum plures coloniæ à nomine *Juliæ* familiæ, vel agnomine Auguſti nuncupationem ſortitæ eſſent, quo invicem diſcernerentur, agnomen quæque diverſum ſibi addiderunt. Ita Capua *Julia Felix*; Sutrium *Julia Conjuncta*; Tarraco *Julia Victrix*; Arretium *Julia Fidens* dictæ ſunt. Ita *Auguſta Emerita*, *Auguſta Prætoria* leguntur apud Dionem *lib.* LIII. In *Lucii* cenotaphio *Piſarum* urbs nuncupatur COLONIA OPSEQUENS JULIA PISANA. Porro obſequens ille dicitur, qui alterius imperata facit. Terentius *Heaut. II.* 3. 18. *Propter quam in ſumma infamia ſum, & meo patri minus ſum obſequens. Plaut. Cap. VI.* 56. *Qui imperare inſueram, nunc alterius imperio obſequor.* Hinc agnomen *opſequens* à *Piſanis* colonis aſſumptum, promptum eorundem animum ad *Cæſaris* mandata facienda deſignat, in novis præſertim colonis admittendis; cum pleræque urbes ſummis contentionibus reluctarentur, quod ægre ferebant partem aviti agri militibus cedere. Quod ſi milites ipſi *Piſas* recens ab *Auguſto* deducti, id cognomen urbi indiderunt, perpetuum eorundem erga ſuum imperatorem obſequium exprimere voluerunt, utque etiam ſe ad omnia juſſa facienda faciles ac promptos tam ſpecioſo vocabulo conteſtarentur.

Plures *Romanæ* gentis familiæ in *Piſanam* ſeu civium, ſeu militum coloniam deductæ, ex titulis utriuſque Cenotaphii Cæſarum indicantur, nempe *Petilia*, *Raſinia*, *Pupia*, *Sertoria*, *Octavia*, *Albia*, *Lappia*, *Vettia*, *Petronia*, *Fabia*, *Aponia*, *Cania*, *Otacilia*. Et in *Cajana* inſcriptione nominantur *Allia*, & *Titia*. Ita quindecim *Piſanæ* coloniæ familiæ *Romanæ* intelliguntur. Vetuſta *Albiorum* ac *Faniorum* epitaphia etiamnum *Piſis* extant in ædibus *Tortorum*.

D. M
FANIÆ. C. F. CHARIS
VIXIT. ANNIS. XXX
MENSIBVS. III. DIEB. IIII

D. M
ALBIÆ. IONICIÆ. ALBIVS. ATHICIVS
CONIVGI. BENEMERENTI. FECIT. ET. SIBI

Præterea in titulo *Cajani* cenotaphii *M. Herius* nominatur, cujus familiæ aliquot tum viros, tum mulieres laudat Gruteri *index cap.* 23. In vetuſtis inſcriptionibus, quæ *Piſis* in atrio elegantiſſimarum ædium familiæ *Roncioniorum* pone *Arnum* viſuntur, *Ovinii*, *Murtii*, *Pompeji*, *Anquirinii*, aliique nominantur, quas quidem familias non auſim *Piſanas* omnes adſtruere, cum inſcripti illi lapides ſepulchrales aliunde *Piſas* forte delati fuerint. In *Caji* cenotaphio *T. Statulenus Juncus* Princeps coloniæ ac Flamen Auguſtalis appellatur, cujus familiæ neminem uſpiam laudatum legi. Porro quindecim familiarum Decuriones, eorumdem prænomine, nomine, ac cognomine deſignato, dicuntur adfuiſſe ſcribendo utrique decreto coloniæ de inferiis quotannis *Cajo* ac *Lucio* Cæſaribus inſtaurandis. Initio cenotaphii *Lucii* legitur: SCRIB. ADFUER. & in *Cajano*, priori verſu detonſo, initio alterius legimus: FUER. nempe: *Scribundo adfuerunt.* Hac plane formula Senatus conſulta, ac decreta municipalia deſcribi ſolita ex aliis vetuſtis monumentis intelligimus. In fragmento S. C. de ludis ſæcularibus
29 apud Gruterum *pag.* 328. legitur: SCRIBUNDO ADFVER. *M. Junius M. F. &c.* Pag. 499. SCR. ADF. A. *Manlius &c.* & pag. 503. ΕΝ

A ΚΟΜΙΤΙΩΙ ΓΡΑΦΟΜΕΝΩΙ ΠΑΡΗΣΑΝ ΛΕΥΚΙΟΣ ΦΑΒΕΡΙΟΣ. nempe: *In comitio* SCRIBENDO ADFUERUNT *Lucius Faberius &c*; In eadem etiam verba initio concepta leguntur decreta municipalia pag. 355. 1. *K. Jun. in curia Auguſt. Anhian.* SCRIBUND. ADFUER. *T. Oppius Severus &c.* & pag. 456. *S. C. Ferentin. in curia Aedis Mercuri* SCRIBUNDO ADFUERUNT *Q. Segiarnis &c.* Eadem formula paſſim à *Cicerone* laudatur. In oratione poſt reditum ad Senatum, ait: *Cum præclarum caput recitaretur, ne quis ad vos referret, ne quis decerneret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne ſcribendo adeſſet.* In
B oratione de provinciis conſularibus: *Non decrevi ſolum*, inquit, *ſed etiam ut vos decerneretis, laboravi, multa diſſentientibus reſpondi, ſcribendo adfui.* Lib. IV. ad Atticum epiſt. ult. *duo conſulares, qui ſe dicerent in ornandis provinciis conſularibus ſcribendo adfuiſſe &c.* Et lib. VII. epiſt. I. *Cato autem & ſcribendo adfuit, & ad me de ſententia ſua jucundiſſimas literas miſit.* In oratione pro Flacco, ait: *Decreto ſcribendo primum video adfuiſſe Lyſaniam.* M. Cœlius *lib.* VIII. *famil. epiſt.* 8. narrat *Ciceroni* decretum à Senatu factum de provinciis conſularibus, ſcribens: *S. C. quod tibi miſi, factum eſt, auctoritateſque perſcriptæ. S. C. auctoritas. Pridie Kal. Octobris in æde Apollinis ſcri-*
C *bendo adfuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus Q. Cæcilius Q. F. Metellus Scipio*, alioſque ſex Senatores nominat. Doctiſſimus *Grævius* è vetuſto ſuo codice legit: *S. C. auctoritates*, uti olim legendum judicabat *Manutius*. Sane, ut iidem adnotarunt, Cicero initio fere *lib.* III. de *Oratore* de *L. Craſſo* ſcribit: *eundem quod in auctoritatibus perſcriptis extat, ſcribendo affuiſſe.* Ego *adfuerunt* non *affuerunt* ſcribendum cenſeo, ita enim in vetuſtis omnibus inſcriptionibus legitur, quarum princeps *Piſana*, ac altera de ludis ſæcularibus, utpote ætate aurea Latini eloquii exa-
D ratæ. Idem autem *Manutius* è codice vetuſto in notis ad *epiſt.* 2. *lib.* V *familiarium* reponit: *in auctoritatibus præſcriptis*: unde & in epiſtola laudata *Cœlii* legit: *auctoritateſque præſcriptæ*. Nobiliſſimi Senatores, ſeu decuriones in S. C. ſeu decretis municipalibus initio ſtatim ſcribebantur, qui teſtes iiſdem decretis deſcribendis adfuiſſent. Auctor eſt Lampridius *cap.* 4. *de vita Elagabali*, ab eodem matrem, ubi primum ſenatum habuit, in conſeſſum accitam: *quæ*, inquit, *quum veniſſet vocata ad conſulum ſubſellia, ſcribendo adfuit, id eſt, ſenatus conſulti conficiendi teſtis.* Itaque quod illi teſtes aderant S. C. deſcriptioni, eidem
E auctoritatem dabant; unde eorundem nomina in iiſdem præſcripta vulgo, uti ex *Cicerone* ac *Cœlio* patet, *auctoritates præſcriptæ* dicebantur. Extat in *Codice Theod. lex* 151. *de decurionibus*, ab Honorio lata: *Municipalia geſta non aliter fieri volumus, quam trium principalium præſentia, excepto magiſtratu, & exceptore publico.* Ita ſequiori ætate tres principales decuriones, ſeu tres è decem primis cuilibet decreto municipali teſtes adeſſe & præſcribi juſſi ſunt. Cum A. V. 709. à *Cæſare* Senatus conſulta ad Orientis reges ſpectantia conderentur, *Ciceronis* nomen, quaſi adfuiſſet ſcri-
F bendo, præſcribatur, cum tamen ille abfuiſſet, quo ob viri dignitatem, famamque in *Aſia* percelebrem majoris auctoritatis pondus iiſdem adjiceretur, ut idem *lib.* IX. *famil. epiſt.* 15. *ad Pætum* ſcribit. In tabula *Lucii* præſcribuntur auctoritates ſex decurionum, qui ſcribundo decreto adfuerunt; in altera vero *Caji* tredecim ſcribendo adfuiſſe dicuntur. Ex quibus colligo certum eorundem numerum non fuiſſe, cum modo plures, 30
modo pauciores teſtes adfuerint; quod ipſum conſtat ex inſcriptionibus ex *Grutero* adductis. Qui

vero

vero in *Pisanis* tabulis nominantur, erant id temporis inter decuriones præcipui, quamvis non omnes è decem primis, cum in *Cajano* cenotaphio tredecim testium auctoritates præscribantur.

CAP. III.

Pisanæ coloniæ Magistratus ex vetustis inscriptionibus producti. Duumviri juri dicundo Pisis *creati. Magistratus colonici potestas ex* Polybio *ac* Cicerone *declaratur. Duumvirorum insignia. Quo mense magistratum inirent. Annui* Pisanæ *coloniæ reditus à Proquæstoribus administrati. Quæstor* Etruriæ Pisis *residebat. Ædiles* Pisani. *Vetus inscriptio* Pisana *apud* Gruterum *mutila ac depravata restituitur. Curatores Kalendarii, ac* Decemprimi Pisarum. *Consul* Pisanus *in nuper eruto saxo inscriptus, expenditur. Triplex Ordo civium in Coloniis. Num plebs in creandis magistratibus suffragium ferret? Ineunte A. V.* 757. Pisis *ob contentionem candidatorum nulli magistratus creati.*

CUm *Romani* optime intelligerent ea quæ similia sunt, facile una simul coire, ac sese invicem fovere, nihil antiquius duxere, quam in abs se deductis coloniis magistratus Urbanis persimiles instituere. Quare uti *Romæ* florente Republica, summa penes binos consules potestas erat, ita in coloniis Duumviri eligebantur, qui annuam in iisdem jurisdictionem exercerent. *Cicero* in altera agraria *Capuanorum* superbiam perstringens, ait: *Cum ceteri in coloniis Duumviri appellentur; hi se prætores appellari volebant.* Verum postquam *Julius Cæsar* coloniam civium *Romanorum Capuam* deduxit, Duoviri pariter ibidem creati sunt. *Lucius Piso* consulatus, quem spe jam certa conceperat, imaginem formaturus, *Capuæ* duumviratum gessit, teste Cicerone in *Sestiana num.* 14. Idem in oratione contra eundem Pisonem *num.* 18. ait: *Denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent.* Tanti erat duumviratus coloniarum apud *Romanos*, ut à nobilissimis Senatoribus acciperetur. Hinc *Pompejus* jam Magnus ac triumphalis, post Orientem debellatum, cum *Juliæ* sponsæ amore captus, foro ac *Roma* relictis, *Campaniæ* hortos frequentaret, duumviratum *Capuæ* gessit, ut eo magistratu conditam à socero *Cæsare* coloniam decoraret; etenim idem *Cicero* in oratione post reditum ad Senatum *num.* 26. testatur Pompejum *in colonia nuper instituta gessisse magistratum.* In municipiis etiam Duumviros fuisse colligitur ex *lib.* 1. *bel. civ. Cæsaris cap.* 30. *Duumviris*, inquit, *municipiorum omnium imperat, ut naves conquirant, Brundusiumque deducendas curent.* Et *cap.* 23. IIviros *Corfinienses* laudat. In quibusdam tamen urbibus Dictatores, vel Ædiles jus dicebant, quod olim eruditi observarunt, quorum testimonia exscribit Chimentellius *cap.* 4. *de Bisellio.* Hinc
31 de *Hadriano* Imperatore scribit *cap.* 19. Spartianus: *Per Latina oppida* dictator, & ædilis, & Duumvir fuit. De Duumviris *Hispanarum* civitatum lege canonem 56. Concilii Eliberitani; de *Africanis* vero gesta purgationis *Felicis* Episcopi *Aptungensis.* *Pisis* Duumviros præcipuum magistratum gessisse ex utroque nostro lapide intelligimus; etenim in cenotaphio *Lucii* laudatur C. CANIUS C. F. SATURNINUS IIVIR; & in altero *Caji* nominantur L. TITIUS A. F. ET T. ALLIUS T. F. RUFUS IIVIRI. Et rursus ibidem: *Cum primum per legem coloniæ duoviros creare & habere potuerimus, ii duo viri, qui primi creati erunt, hoc, quod decurionibus & universis colonis placuit, ad decuriones referant &c.* Nempe quemadmodum *Romæ* consulibus incumbebat referre ad Senatum de iis, quæ deliberanda

A erant, unde *Cicero* consul in *Catil.* 2. ait: *Rem omnem ad Patres conscriptos retuli*; ita in coloniis ad Duumviros pertinebat ad decuriones referre, eorumque sententias rogare. Quare in cenotaphio *Lucii* legimus: *Quod C. Canius IIvir V. F.* (verba fecit) *de augendis honoribus L. Cæsaris &c.* Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. quæ familiares Romanis notæ explicantur: *Quod de ea re fieri placuit, de ea re ita censuere.* M. Cœlius *lib.* VIII. *fam. epist.* 8. Senatus consultum recitans, ait: *Quod M. Marcellus Cos. V. F. de provinciis consularibus, D. E. R. I. C.* & in Philip. 8. ait Tullius: *Quod Lucius Opimius consul*
B *verba fecit de republica, de ea re ita censuerunt.* Eædem omnino notæ in decreto municipali leguntur apud Gruterum *pag.* 227. 408. 456. & in S. C. de ludis sæcularibus pag. 328. 1. & alibi; sæpius etiam occurrunt apud Frontinum in *lib.* II. *de aquæductibus.* In aliis plerisque *Italiæ* urbibus Quatuor viri magistratum gerebant. Cicero in *Cluentiana num.* 18. *Quatuor viros, quos municipes Larinates fecerant, sustulit; se à Sylla & alios tres factos esse dixit* lib. x. ad Atticum epist. 13. de Antonio scribit: *IIIIviri venerunt ad villam ejus mane*; & lib. XIII. fam. circa finem scribit epistolam *IIIIviris & decurionibus Fregellarum.*
C In eadem urbe modo Duumviri, modo Quatuorviri laudantur in antiquis inscriptionibus. *Patavii* IIviri exhibentur à Grutero *pag.* 96. 1. & 445. 2. At IIIIviri ibidem nominantur *pag.* 472. 7. 466. 4. & 555. 2. *Comi* etiam quæ *Cisalpinæ Galliæ* colonia erat, Duumviri laudantur *pag.* 423. 2. & 449. 2. Quatuor viri autem *pag.* 478. 7. *Veronæ* Quatuorviros habemus *pag.* 410. 5. 411. 5. & 438. 8. Velserus *lib.* v. *rerum Augustæ Vindelicorum* scribit Duumviros principe loco, Quatuorviros autem inferiori loco una simul eisdem urbibus præfuisse. Rectius tamen dicemus initio quidem IIviros creatos; at postea, quo civium am-
D bitioni satisfieret, IIIIviros electos, ut ea ratione ad plures summus coloniarum, seu municipiorum magistratus perveniret. Nusquam tamen IIIIviri *Pisarum* occurrunt.

Duumviros jus in coloniis dixisse mihi plane compertum est; nam in vetustis saxis apud Gruterum legitur *pag.* 373. 8. & 375. 2. II. VIR JURIS DICUNDI. *pag.* 109. 39. IIVIR. PRÆF. JUR. DIC. vel DUUMVIR I. D. *pag.* 435. 8. Ibidem etiam IIIIviri I. D. passim leguntur. Gentilis *lib.* II. *de jurisd. cap.* 6. de Duumviris ait: *Tribunal tamen non habuerunt, nec unquam dicuntur tribunali præesse, nec juri dicun-*
E *do, quod est majorum & legitimorum P. R. magistratum proprium*; nec dissentit Reinesius *epist.* 31. Horum tamen errorem laudatæ inscriptiones redarguunt; & in nostra Pisana Caji palam dicitur. *Neque Duumviri, neque præfecti erant, neque quisquam jure dicundo præerat*; & in altera Lucii: *Per magistratus, eosque qui ibi juri dicendo præerunt.* Ubi plane de magistratibus municipalibus sermo 32
est. His addatur testimonium Suetonii *cap.* 6. *de claris Rhetoribus*: *Cajus*, inquit, *Albutius Silus Novariensis, quum ædilitate in patria fungeretur, quum forte jus diceret, ab iis, contra quos pronuntiabat, pedibus è tribunali tractus est.* Itaque ma-
F gistratus municipalis jus è tribunali dicebat. Cum *D. Paulus Philippis* accusaretur, quod novam religionem doceret, quam cives admittere se non posse dicebant, quod *essent Romani*, plebe adversus Apostolum concitata, magistratus jusserunt Paulum ac Silam *virgis cædi, & cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem. Act.* 16: 23. *Philippi* colonia *Romana* erat in *Macedonia*, ut ibidem dicitur *vers.* 12. quod etiam patet ex nummo *Gazæ Mediceæ* inscripto: IMP. CÆS.

CÆS. VESPASIANUS AUG. & in postica parte: COL. JUL. AUG. PHILIP. Hinc patet *Philippos* ab *Augusto* coloniam deductam, & forte A. V. 724 quando idem ex Dione *lib.* LI. *eos conventus Italiæ, qui Antonii rebus studuissent, extorres egerat, militibusque agros eorum donaverat, extorrium autem plerisque Dyrrachium, Philippos, & alia oppida habitanda concessit.* Ita civibus *Romanis* post Actiacam pugnam decreto *Augusti Philippos* transmigrare jussis, eadem urbs coloniæ jus primum obtinuit; ubi cum postea jussu magistratus colonici Apostoli virgis cæsi fuerint, ejusdem jurisdictio intelligitur. Graviora quidem crimina, quæ in coloniis ac municipiis *Italiæ* patrabantur, ad *Romani* Senatus cognitionem spectabant. Horum auctor venit Polybius *lib.* VI. ubi ait: *Similiter & delicta in Italia admissa, quæ animadversione publica opus habent, puta proditio, conjuratio, veneficium, aut cædes dolo malo patrata, ad cognitionem Senatus spectant. Hoc amplius, si quis privatus, aut si qua urbs in Italia aliquid controversiæ dirimendum habuerit, aut objurgatione dignum facinus admiserit, aut ope, aut præsidio indiguerit, omnia hæc Senatui sunt curæ.* Hoc ipsum diserte tradit Cicero in *Cluentiana* scribens *Sassiam* matrem *A. Cluentii*, filio veneficii ac cædis dolo malo patratæ apud municipium *Larinatum*, accusationem *Romæ* instruxisse. Do ejusdem verba *num.* 152. *Atque his*, inquit, *rebus cum instructum accusatorem filio suo Romam ipsa misisset, paulisper conquirendorum & conducendorum testium causa, Larini commorata est; postea autem cum appropinquare hujus judicium ei nuntiatum est, confestim huc advolavit.* At capitalem quæstionem in servos à municipali magistratu habitam, eosque criminum convictos, morte ejusdem magistratus sententia mulctatos ibidem *Cicero* affirmat *num.* 151. *Ab eodem scelere*, inquiens, *illæ triennio post habitæ Larini quæstiones, ejusdem amentiæ falsæ conscriptiones quæstionum; ex eodem furore etiam illa conscelerata exectio linguæ.* Nam cum *Strato* servus furtum & homicidium in municipio *Larinate* fecisset: *Strato in vincula conjectus est; constituitur quæstio de furto.* Item: *Stratonem quidem, judices, in crucem actum esse execta scitote lingua, quod nemo est Larinatium qui nesciat. Num.* 148. Ceterum cum sequiori ætate *Hadrianus* quatuor proconsules *Italiæ* provinciis imposuisset, in quorum postea locum Præsides ac Correctores successere, municipalium magistratuum jurisdictio plurimum est imminuta; quæ plerique non animadvertentes ex iis quæ Digestorum *lib.* L. ex posterioris ævi Imperatorum legibus de municipali jurisdictione recitantur, eandem coloniarum ac municipiorum potestatem priori etiam ætate fuisse perperam existimarunt. *Augustus* uti urbani Senatus ac P. R. potestatem imminuit, ita etiam coloniarum veterum jurisdictionem decurtavit. Hoc aperte testatur Suetonius *cap.* 46. de vita ejusdem, scribens duodetriginta in *Italia* co-
33 lonias ab illo deductas, *excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus urbicis decuriones colonici, in sua quisque colonia, ferrent, & sub diem comitiorum obsignata, Romam mitterent*; cum tamen stante Republica, suos sibi magistratus coloni eligerent, nec eorundem confirmationem à *Romano* Senatu postularent. Præterea graviores expensas ante impetratam ab *Augusto* facultatem, facere nequiebant. Hinc cum annuæ inferiæ, arcus, statuæ, aliaque à *Pisanis* colonis ad augendos defunctorum Cæsarum honores, decreta fuissent, legatos *Romam* ad *Augustum* miserunt, ut ab eo peterent, *uti colonis Juliensibus, Coloniæ opsequenti Juliæ Pisanæ ea omnia facere, exsequique permitteret*, quæ in cenotaphio *Lucii* verba le-
A guntur; & in *Cajano T. Statulenus Juncus* legatus à *Pisanis* colonis dicitur *Augustum* adiisse, ut eidem *officium publicum & voluntatem universorum, libello reddito, indicaret.* De jurisdictione colonici magistratus consule Cujacium *tom.* 4. *ad l.* 1. *de offic. ejus cui mand. est jurisdictio*, & Gothofredum, ad *l.* 4. *de damno infecto*, ubi plura de eadem jurisdictione adducunt.

Quidam Duumviris duos cum fascibus lictores concedunt, quod *leg.* 174. *de decurionibus Cod. Theod.* dicatur: *Duumvirum impune non liceat extollere potestatem fascium extra metam territorii.* Hanc legem Chimentellius *cap.* 5. scribit latam
B ab *Arcadio* & collegis. Verum ex hac ejusdem subscriptione: *Dat. VI. Id. Mart. Ravennæ Honorio Aug. IX. & Theod. V. Coss.* patet eandem latam anno æræ vulgaris Dionysianæ 412. ab *Honorio*, *Arcadio* ejus fratre ante quadriennium vita functo. Apulejus *lib.* X. scribit: *Gradatim permensis honoribus, quinquennali magistratui fuerat destinatus; & ut splendori capessendarum responderet fascium, munus gladiatorum triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam porrigebat.* Elmenhorstius, qui *Apulejum* notis illustravit, scribit sibi incompertum esse tempus, quo *Apulejus* floruit; at illum vixisse imperante *Antonino Pio*,
C qui obiit anno Dionysiano 161. colligo ex his ejusdem verbis in apologia *pag.* 101. *edit. Casauboni: Apud has Imperatoris Pii statuas, filius matri suæ pudenda exprobet stupra, & amores objectet.* Cum *Pium* non appellet Divum, patet eodem imperante, causam apud Proconsulem *Africæ* dixisse. Ibidem *pag.* 112. *Lollianum* Avitum proconsulem laudat; is autem consulatum gessit A. 144. æræ Christianæ, *Antonino Pio* imperatore. Recte tamen *Gothofredus* in notis ad laudatam legem 174. *de decur.* scribit veteri jure, nempe florente Republica, & priori sæculo Imperatorum, negatos fasces Duumviris. Nam Cicero
D *in agraria* 2. *Capuanorum* superbiam perstringens ait: *Deinde anteibant lictores, non cum bacillis, sed ut hic prætoribus anteunt, cum fascibus duobus.* Hinc *Cicero* ex *Cilicia* triumphum petiturus, *Romam* reversus, bello civili jam à *Cæsare* conflato, jussit lictores fasces deponere, eosque *cum bacillis in turbam conjecit ad oppidum accedens*, ne cum summo imperio advenire videretur ex *lib.* XI. *ad Atticum epist.* 6. Id ipsum mihi ex *lib.* II. Taciti probatur, de Germanico scribentis: *Hinc ventum Athenas, fœderique sociæ & vetustæ urbis datum, ut uno lictore uteretur.* Itaque *Tiberio* imperante, non-
E dum fascium usus *Romani* imperii urbibus permittebatur. Illos vero lictores habuisse certum est ex *cap.* 16. *Act. Apost.* ubi legimus: *Et cum dies factus esset miserunt magistratus lictores.* Græce ῥαβδούχους scribitur, à voce ῥάβδος, quæ bacillum seu virgam significat, quod lictores *Philipporum* bacillis utebantur.

Duumviri togæ prætextæ usus concedebatur, 34
quod eruditi ex *lib.* XXXIV. Livii dudum prænotarunt: *Magistratibus in coloniis, municipiisque: hic Romæ infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ jus permittemus.* Consule eruditissimum eundemque amicissimum Ferrarium *lib.* II. *de Re vestiaria cap.* 3. Annuum fuisse duumviratum pa-
F tet ex *leg.* 1. *quemad. mun. civ.* & *leg.* 16. *de decur. C. Theod.* De *Africæ* duumviris legimus in gestis de purgatione *Felicis* Episcopi *tom.* 1. *Concil. Labbei pag.* 1451. *Magistratus, suppleto anno, omnes actus suos domum suam tulit.* De *Hispanis* vero in Synodo *Eliberitana can.* 56. *Magistratum uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut se ab Ecclesia cohibeat.* Id moris erat quarto sæculo Æræ Christianæ. Ceterum observo ex inscriptione *Capuana* apud *Pighium tom.* 3. *Annal.*

nal. Rom. ad A. V. C. 719. initio imperii *Auguſti* nondum colonici magiſtratus tempus fixum ac certum fuiſſe; nam ibidem nominantur Duumviri creati modo EX K. SEPT. AD. K. FEBR. & EX. K. FEBR. AD. K. JUL. Poſtea: EX. K. JAN. AD. K. JAN. Denique: EX. K. JAN. AD. K. JUL. ut duumviratus quinquemeſtris, ſemeſtris, ac etiam annuus gereretur. Num *Auguſtus* in coloniis XXVIII. abs ſe in *Italia* deductis, juſſerit annuum eſſe duumviratum nuſquam obſervavi. Ex *Cajana* noſtra tabula habemus A. V. 756. uſque ad palilia, IV. Non. Apriles nondum Duumviros *Piſis* ob contentiones candidatorum creatos fuiſſe; ubi etiam poſtea ſcribitur: *Cum primum per legem Coloniæ Duoviros creare & habere potuerimus, ii Duoviri qui primi creati erunt &c.* Nominantur poſtea electi eo anno *L. Titius* & *T. Allius*; nihil tamen additur, ex quo ſciri poſſit, quantum magiſtratus illorum duraverit. Id temporis, quo ob contentiones candidatorum Duumviri *Piſis* creari non potuere, num penes prioris anni Duumviros, vel quoſpiam alios juriſdictio eſſet, haud ſatis liquet. Exponam paucis quæ mihi ea de re ſententia ex *Cajano* lapide deduci videatur. Cum *Romæ* propter civium diſſenſiones conſules creari non poſſent, interrex eligebatur, qui quinto ſtatim die ſucceſſorem accipiebat. At in coloniis ac municipiis, cum Duumviri creari ob decurionum diſſidia non poſſent, Præfectos nominatos puto, penes quos juriſdictio eſſet, quouſque Duumviri nominarentur. In laudato fragmento *Capuano* in conſulatu *Cn. Domitii* ac *C. Soſii* A. V. 722. quo bellum inter *Auguſtum* & *Antonium* erupit, hæc recitantur.

EX. K. IVL. AD. K. SEPT. PRÆFECTI
T. LICINIVS. L. CORNELIVS
EX. K. SEPT. AD. K. FEBR
C. PLOTIVS. C. ANNÆVS. II. VIR

Anno vero ſuperiori *Auguſto* iterum conſule collega *L. Volcatio*, nempe V. C. 721. ex Kal. Juliis ad Kal. Julias dicuntur facti Duumviri *C. Æmilius* ac *Q. Potienus*, qui cum anno inſequenti 722. pridie Kal. Julias duumviratu abiiſſent, nec ſucceſſores Duumviri ob candidatorum contentiones, vel aliam ob cauſam creari potuiſſent, Præfecti bimeſtres *T. Licinius* & *L. Cornelius* loco Duumvirorum juriſdictionem in Colonia acceperunt. Hinc in Cajano lapide dicitur: *Quicunque poſtea in Colonia noſtra Duumviri, præfecti, ſive qui ali magiſtratus erunt*; nempe præfecti, cum nulli
35 Duumviri in Colonia erunt. *Chimentellius* putat præfectos ærario ibidem deſignari, de quibus jam dicam.

Hic ſcriptor *cap. 7. de Biſellio* ait in colonia *Piſana* creari etiam ſolitos Præfectos ærario, quod in Cajano lapide legitur: *Quando eo caſu in Colonia; neque* IIVIR. NEQUE. PRÆFECTI ER. .. O, *neque quiſquam jure dicundo præerat.* At PRAERAT legitur, de quo *diſſert.* 4. Sed hoc omiſſo, adverti in cenotaphio ibidem diſſecto, haberi: *neque Præfecti* ER..... NEQUE *quiſquam &c.* Quare illud O præter lapidis fidem à *Chimentellio* fingitur, ut præfectos ærario *Piſis* oſtentet. Rectius *Pichena* repoſuit: *Neque Præfecti* ERANT, cum præſertim ſummus apex lineæ ſuperioris literæ T in eodem lapide appareat. Cum Duumviri in colonia non eſſent, penes Præfectos erat coloniæ magiſtratus, ut modo prænotabam. Porro *Chimentellium* defectum illum literarum perperam ſuppleviſſe patet; tum quia ærarium per diphthongum Æ ſcribitur, quod cuilibet id temporis notum erat vel ex nummis Triumvirorum Monetalium inſcriptis A. A. A.
A F. F. nempe *Auri*, *Argenti*, *Aeris flandi feriundi*; tum quia tunc in Colonia *Piſana* creabantur Proquæſtores, qui in eodem lapide nominantur. At horum munus erat publicam pecuniam, ac tabulas publicas cuſtodire, ut plane conſtet nullum locum id temporis fuiſſe in colonia *Piſana* Præfectis ærarii. De quibuſdam *Aſiæ* urbibus *Cicero* in oratione pro Flacco ait: *In ærario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus, duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut verſura, aut tributo.* At coloniæ & municipia civium *Romanorum* ſua vectigalia, ſuumque ærarium poſſidebant, quibus aliquos civium annuatim præficiebant. Suetonius
B nius *cap.* 46. ſcribit *Auguſtum* colonias abs ſe in *Italia* conditas, *operibus ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxiſſe. Veſpaſianus* Imperator in reſcripto ad *Saborenſes* in *Hiſpania* Gruteri *pag.* 164. 1. ait: VECTIGALIA. QUÆ. AB. DIVO. AUGUSTO. ACCEPISSE. DICITIS. CUSTODIO. Cicero *lib.* XIII. *fam. epiſt.* 11. ad *Brutum* ſcribit omnes reditus ſui municipii *Arpinatis* conſiſtere in iis vectigalibus, quæ habebant in provincia *Gallia Ciſalpina.* In inſigni ſaxo *Tergeſte* inſcripto legitur: *Sine ullo ærari noſtri impendio*; & inferius: *Et ærarium noſtrum jam ditatum implevit:* apud Gruterum *pag.* 408. *Eu-*
C *menes* Rhetor in panegyri ait: *Salarium me liberaliſſimi principes ex hujus Reipubl. viribus in ſexcentis millibus nummum accipere juſſerunt.* Tam grandi pretio unus Rhetor annuas voces pueris venditabat. Sane reditus ac vectigalia propria urbium paſſim occurrunt, quorum etiam mentio fit *lib.* XXVI. *de oper. publ. C. Theod.* Hæc vero pecunia in municipali ærario reponebatur, cui unus vel plures præficiebantur, qui imperante *Auguſto*, alicubi quæſtores, ſeu pro quæſtoribus, alibi præfecti ærario dicebantur. Equidem *Auguſtus* eos, qui publicæ pecuniæ, quæ *Romæ* ſer-
D vabatur, curam gerebant, præfectos ærario nuncupavit, cum antea ejuſdem cuſtodia ad quæſtores pertineret, teſte Tacito *lib.* XIII. *Annalium*, ubi ait *Claudium* Imp. ærario *quæſtores rurſum impoſuiſſe.* In inſcriptione Cæritum *pag.* 214. Gruteri legitur: *C. Suetonio Claudiano Aedile jure dicundo præf. ærari.* Emiſſum eſt illud decretum *Trajano* imperante anno Dionyſiano 113. Ita in municipio *Cæritum* Præfectus ærario publicos reditus cuſtodiebat. At in colonia *Piſana* non unus, ſed plures pro Quæſtoribus in ſingulos annos ærarii curam gerebant. De *Dorylenſibus* ſcribit *Cicero* in oratione pro *Flacco num.* 34. *Nummus commoveri nullus poteſt ſine quinque prætoribus*, 36
E *quæſtoribus, quatuor menſariis, qui apud illos à populo creantur.* Bini forte colonicæ pecuniæ ſervandæ *Piſis* præficiebantur, qui apud *Doryleum Phrygiæ* urbem quæſtores à *Tullio* appellantur. *Capuæ* etiam quæſtores dicebantur, quibus publicæ pecuniæ cura injungebatur ex laudato ſuperius fragmento apud *Pighium.* Spanhemius *diſſert.* 6. *pag.* 552. ſcribit in *Piſano* noſtro lapide de annuis inferiis *Caji* nominari *quæſtorem ad ærarium*; ſed nuſquam ea nomina ibidem leguntur, ſed in altera inſcriptione *Lucenſi*, quam laudat *Chimentellius cap.* 7. nuſquam tamen à me *Lucæ* repertam, licet per amicos diligentiſſime perqui-
F ſitam. In calce quidem Cajanæ inſcriptionis Duumviri jubentur, ut omnia de annuis inferiis decreta, *coram* PRO QUÆSTORIBUS *primo quoque tempore per ſcribam publicum in tabulas publicas referenda curent. Chimentellius* ibidem legit: *coram provinciæ quæſtoribus:* Scio florente Republica *Romana*, quæſtores provinciis *Italiæ*, juſſu Senatus, impoſitos; cum nulli majores magiſtratus in eaſdem id temporis mitterentur, uno tantum Proconſule *Galliam Ciſalpinam* provin-

ciam obtinente. Illorum munus erat vectigalia, portoria, tributa, decimas fructuum, frugumque, omnes denique publicos reditus P. R. curare, collectam inde pecuniam in usus Reipublicæ expendere, & quod ejusdem supererat, in ærarium *Romam* deferre. Tacitus *lib. annal.* XI. scribit quæstores, Regibus *Romæ* imperantibus, institutos; dein *gliscentibus*, inquit, *negotiis*, *duo additi qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus stipendiaria jam Italia*, *& accedentibus provinciarum vectigalibus. Post lege Syllæ viginti creati &c. Lucium Appulejum Saturninum* quæstorem *Ostiensem* legimus apud Ciceronem in *Sestiana num.* 31. Alterum apud Tacitum habemus *lib.* IV. *annal. Et erat*, inquit, *iisdem regionibus Curtius Lupus quæstor*, *cui provincia vetere ex more Cales evenerat.* Cicero in *Vatinium num.* 8. ait eundem creatum *Calenum* quæstorem in *Campania*, abs se consule *Puteolos* missum, ut inde aurum argentumque exportari prohiberet. Dio *lib.* LV. ad A. V. 718. *Quæstores etiam*, inquit de Augusto, *in ora maritima prope urbem & aliis Italiæ locis*, *ut præessent*, *constituit*, *idque pluribus annis fecit.* Ex his colligo quæstorem etiam in *Etruriam* missum, qui *Pisis* degeret, quod ea urbs maritima erat, ac portum prope haberet *Romanorum* navibus frequentatum; neque hujusce rei primus auctor venio; nam *Pighius* vir in *Romana* historia versatissimus, inter annuos P. R. magistratus *Pisanum* quæstorem in *Etruria* sæpe commemorat. Ceterum illis notis PRO. QUÆSTORIBUS, *Etruriæ* quæstorem non arbitror designatum; nam cum nulla ibidem verba punctis intercisa, seu abbreviata legantur, diserte *PROVINCIÆ* sculptor expressisset, nec priorem tantum syllabam sculpsisset. Itaque coloniæ Proquæstores in nostro lapide appellatos puto, cum præsertim provinciæ unus tantum quæstor præesset; at plures ibidem nominantur: *Coram pro quæstoribus primo quoque tempore per scribam publicum in tabulas publicas referenda curent*; quæ si *Chimentellius* observasset, plane intellexisset colonicos proquæstores, non provinciæ quæstorem designari. Nemo vero ignorat in vetustis inscriptionibus proconsules ac proquæstores, puncto post præpositionem posito, describi, nempe PRO. COS. PRO. Q. Cicero in *Verrem III. num.* 64. ait: Occiso *C. Malleolo* quæstore, C. Verres *à Cn. Dolabella statim pro quæstore jussus est esse*; & superius *num.* 29. *quem Cn. Dolabella postea*, *C. Malleolo occiso*, *pro quæstore habuit.* Itaque in Co-
37 lonia *Julia Pisana* Proquæstores creabantur, qui præter pecuniam publicas etiam tabulas custodiebant, in quibus reditus ac expensæ coloniæ describebantur. In horum postea locum posteriori ætate Curatores Kalendarii successere. Extat insignis de illis titulus *lib.* XII. *Cod. Theodosiani*; & in Gruterianis inscriptionibus *pag.* 444. 5. laudatur *C. Octavius Modestus honoratus ad curam Kalendari Reip. Canusinorum à Divo Trajano.* pag. 446. 7. *Curator Kalendari R. P. Aeclanensium electus à D. Pio. Pisis* in area ædium *Roncionorum* grandius saxum servatur, cujus inscriptionem apud Gruterum *pag.* 444. mutilam & depravatam, integram ac correctam exhibeo.

D M
MEITIA. IANVARIA. HIC. ADQ. CON
B. M.
QVINTVS. OBSEQVENTIVS. SEVERINVS
AVG. PISIS. CVR. KAL. FLORENTINORVM
SIBI. POSTERISQ. SVIS

Prior versus in *Grutero* deest, quem etiam omisit *Chimentellius cap.* 7. postea legitur CUR. I. ALAE. *Florentinorum*; ubi luscitiosi exscriptores

A K in I commutarunt, insertis postea literis AE, quibus nullus eo in lapide locus est. Ratiocinium pecuniæ fœnebris Kalendarium dicebatur, quod egregie junior Gothofredus in *notis ad leg.* 1. *de Curat. Kalend. Codicis laudati* probat ex panegyri *Æduorum Flavensium* nomine *Constantino* recitata: *Ob hæc igitur merita & prisca pater tuus civitatem Aeduorum voluit jacentem erigere*, *perditamque recreare*, *non solum pecuniis ad Kalendaria largiendis &c.* nempe fœnori dandas, ex qua annuos quæstus facerent. Tabulæ publicæ, in quibus scribebantur nomina eorum, qui fœnebrem pecuniam à civitatibus accipiebant, Kalendarium
B dicebantur; hinc in eadem lege ait *Constantinus* Imperator: *Itaque quotiens minus ideoneum deprehenditur ejus patrimonium*, *cujus nomen Kalendario civitatis alicujus invenitur obnoxium &c.* Nomen Kalendarii hisce tabulis inditum est, quod debitores, quorum nomina ibidem signabantur, vertentibus menstruis Kalendis, fœnus solvebant; unde Horatius *Serm.* 1. *Sat.* 3. ait:

Odisti & fugis, ut Drusonem debitor æris,
Qui nisi, cum tristes misero venere Kalendæ,
Mercedem aut nummos undeunde extricat.....

Seneca *lib.* 1. *de benef. cap.* 2. *Nemo*, inquit, *bene-*
C *ficia in Kalendario scribit: nec avarus exactor ad horam & diem appellat.* Vide *l. lecta* 40. ff. *si cert. pet.* ac Pancirolum *de magistratibus municip. cap.* 14. ubi fusius agit de Curatoribus Kalendarii, de quibus hactenus. Redeo ad Proquæstores coloniæ *Pisanæ*, qui in nostro Cenotaphio jubentur adesse, cum Duumviri decreta de inferiis *Cajo* quotannis mittendis, *per scribam publicum in tabulas referenda* curabant. Singulis magistratibus scribæ inserviebant, qui eorundem decreta in tabulas publicas referebant. Scriba hic nominatus, erat scriba proquæstorius; ita *Cicero* in Cluentiana *scribam ædilitium* appellat, qui ædilium decreta publicis tabulis consignabat. *Scriba ad æ-*
D *rarium* recitatur *Ciceroni in Pisoniana num.* 49. I- 38
dem pro *Archia poeta num.* 6. *Hic tu*, inquit, *tabulas desideras Heracliensium publicas*, *quas bello Italico incenso tabulario*, *interisse scimus omnes.* Locus in quo publicæ tabulæ servabantur, *tabularium* dicebatur.

Nulli in neutro Cenotaphio Ædiles *Pisani* occurrunt; at in inscriptione apud *Roncionos*, quæ patricia & equestris *Pisis* familia est, *Pisani* ædilis mentio fit.

D. M
Q. LARGENNIo
E Q. F. GAL. SEVERo
ÆDILI PISAS
Q. LARGENNIVs
CHRESIMVS. PA$^{T}_{E}$
QVI. OB. HONOR$^{R}_{E}$
BISELLI. H--S. L. Nv.
REI. P. PISANOR
DEDIT

Hanc inscriptionem justo volumine, cui titulus:
F *Marmor Pisanum de honore Bisellii*, illustravit *Valerius Chimentellius* in *Pisano Lyceo* eloquentiæ professor insignis, cujus modo ibidem vestigia implet V. C. *Averanus* nitore Latini sermonis, ac Græcarum literarum peritia universæ Academiæ commendatus, ac brevi exteris, posterisque noscendus. Incompertum plane est, quando hic *Q. Largennius Pisis* ædilitatem gesserit, uti etiam quot collegas eo in magistratu habuerit; nam *Arpini* tres Ædiles fuisse scribit Cicero *lib.* XIII. *fam. epist.* 11. *ad Brutum.* Velserus *lib.* V. *rerum*

Augu-

Augustan. putat, ubi in vetustis saxis legitur: AEDIL. IIVIR. AEDIL. IIIVMVIR vel IIIIVIR, binos, ternos, vel quaternos in coloniis Ædiles indicari. Verum nullus dubito diversos ibidem honorum gradus exprimi, nempe quum quis primo Ædilis, dein II. Vir, Triumvir, vel IIIIVIR fuerit. Id patet ex inscriptione Gruteriana *pag.* 461. in qua *A. Quinctilius* in eodem municipio dicitur IIIIVIR. AED. POTEST. IIIIVIR. JURE DIC. quæ pariter leguntur *Ocriculi* in altera inscriptione *pag.* 422. 8. Non possum hic omittere decretum *Tergestinorum* relatum *pag.* 408. in quo *Hispanius Lentulus Nepos Duumvir juri dicundo* verba fecit de honoribus deferendis *Fabio Severo* ob præclara ejusdem erga *Tergestem* patriam beneficia, inter quæ recensetur eundem ab *Antonino Pio* impetrasse, ut *Carni*, *Catalique adtributi à D. Augusto Pio Reip. nostræ*, *prout qui meruissent talia*, *absque censu per ædilitatis gradum in curiam nostram admitterentur*, *ac per hoc civitatem Romanam adipiscerentur*. Itaque in eadem urbe præter Duumviros, qui supremum magistratum gerebant, creabantur etiam Ædiles. In actis etiam purgationis *Felicis* superius laudatis *Cæcilianus* Duumvir municipii *Aptungensis* in *Africa* testatur se ibidem cum *Augentio* ædilitatem administrasse. Persius in priori *satyra vers.* 129. ait:

39 *Sese aliquem credens*, *Italo quod honore supinus*
Fregerit heminas Ereti ædilis iniquas.

Ædilatum *Italum honorem* appellavit, quod in vilioribus etiam oppidis, ne dum in coloniis ac municipiis insignioribus *Italiæ*, ædiles passim creabantur. Quidam quibus adhæsit *Farnabius*, legunt *Areti*, quæ antiqua est *Tusciæ* urbs. Verum *Ereti*, ignobilis in *Sabinis* oppidi, legendum esse puto; tum quia poëta ibi irridet fastum cujuspiam, qui ob infimum ædilitatis munus in vili oppido habitum, vultu elato atque inflatus procedebat. *Arretium* vero nobilissima erat colonia, diuque cum *Romanis Etruriæ* inhiantibus, vario Marte conflixerat; tum quia *Arretium* priorem syllabam longam effert ob geminatam consonantem Silius *lib.* v.

—— Pœnus nunc occupet altos
Arreti muros?

In vetustis inscriptionibus Grut. *pag.* 520. 3. *domo* ARRETIO. *pag.* 372. 12. MVNICIP. ARRETIN. & *pag.* 1022. 2. ORDO ARRETINORVM. Porro nulla in nostris lapidibus Ædilis mentio occurrit, quod neutiquam ad eorum magistratum spectabat decretum de inferiis quotannis instaurandis, sed ad Duumviros, ac Proquæstores ob publicam pecuniam impendendam. Hic mihi liceat unum & alterum subnotare ad memoratam inscriptionem explicandam. Honorem BISELLI ibi recitatum pluribus indagat *Chimentellius*; at ipse duumviralia ornamenta designata existimo. Varro *lib.* IV. LL. ait: *Quod non plane erat sella*, *subsellium dictum*; *ubi in ejusmodi duo*, *bisellium dictum.* *Romani* magistratus insigne erat sella curulis, quæ passim visitur in denariis gentium *Romanarum* ad designandos Dictatores, consules, prætores, aliosque curules magistratus. Ita in coloniis Duumviri in eadem sella jus dicebant, quæ inde bisellium dicta, quod duo in eadem sedebant. Dio *lib.* XLIV. ceteros inter honores Cæsaris post devictos juvenes *Pompejos*, hunc recitat: *Ut semper curuli sella sederet*, *exceptis ludis*: *tum etiam sessio ei in tribunicio subsellio cum iis qui quoque tempore tribunatum plebis gererent*, *concedebatur.* Tacitus *lib.* I. *hist.* ait: *Legati legionum consularibus ornamentis donantur*; inter quæ sella curulis numerabatur. Ita cum quempiam de colonia benemeritum decuriones

A publico honore decorare volebant, eundem duumviralibus ornamentis, hoc est, bisellio donabant. Apud Grut. *pag.* 347. 3.

P. AELIO. P. F. PHILOLOGO
AVG. DECVRIONI. CAPVAE
ORNAT. ORNAM. IIVIRAL
AELIA. APHRODISIA
MATER. ET. SIBI. FECIT

Rursus in eadem inscriptione legitur: AEDILI. PISAS. Ne errorem marmorario impingamus, facit altera inscriptio apud Gruterum *pag.* 301.
B posita *Torquato* & *Attico* Cos. æræ vulgaris Christi 143. *Antonino Pio* imperante; ibi nomina ac patriæ plurium exhibentur, quos inter quarto statim loco: CLEMENS PISAS. Ceterorum patriæ ablativo casu efferuntur, nempe *Bononia*, *Tiburi*, *Fano Fortunæ*, *Formis*, *Volceis &c.* *Pisæ* tantum accusativo casu inscribuntur. Chimentellius *cap.* 7. scribit *Pisam* singulari casu non semel apud veteres, Græcos præsertim pronuntiari; quare uti à Latinis dicitur *paterfamilias*, *non vero paterfamiliæ*; ita *Aedilis Pisas* pro *Pisæ* 40
sculptum fuit. Sed posterior inscriptio, quam ille non observavit, palam ostendit accusativum
C pro ablativo, non autem pro genitivo usurpatum. Extat Gruteri *pag.* 359. 1. epitaphium, quod uxori posuit

M. APISTIVS. M. F. PAL. SABINVS. DVVMVIR
VEIOS. IIII. VIR. NEPETE

Hic quoque *Vejos* pro *Vejis* sculptum est. Præterea *pag.* 14. 9. ejusdem thesauri Gruteriani legitur.

I. O. M.
L. PETRONIVS
FLORENTINVS
D DOMO. SALDAS

Saldæ erant in *Mauritania*, ac ea urbs colonia erat *Romanorum*. Est militis inscriptio, cujus patria ablativo casu latinis efferri solebat, voce *domo* sæpe præposita; *Florentinus* enim ejusdem cognomen fuit. Ita miles *domo Arretio* laudatur *pag.* 520. 3. *domo Brixia* 534. 1. *domo Philippis.* 546. 2. *domo Placentia* 554. 6. quæ dicendi phrasis passim in militaribus epitaphiis occurrit, in quibus ablativus casus gentilitius legitur. Vide indicem *Gruteri*, in quo sub titulo *casus mutatio*, *Pisas* pro *Pisis* per antiptosin scriptum dicitur.
E Extat tamen *pag.* 558. 10. militaris inscriptio, in qua *Pisis* juxta tritas Grammaticorum regulas sculptum est.

P. RANFANIVS
P. F. GAL
CYRINICVS
PISIS
VIX. ANN. XVIII
MIL. ANN. V. IN COH
VIIII. PR. 7. SALVI
BASSI. H. S. E.

F In cenotaphio *Lucii* Cæsaris datur cura *C. Canio Saturnino* IIVIRO & DECEM PRIMIS eligendi & emendi à privatis loci, in quo annuæ Cæsari Augusti F. inferiæ mittantur. Decem decuriones, qui in ordine Curiæ primi censebantur, *decem primi* vulgo appellabantur, eorumque non rara apud antiquos scriptores mentio habetur. Cicero pro *Roscio Amerino num.* 14. *Itaque*, ait, *decurionum Amerinorum decretum statim fit*, *ut decem primi proficiscantur ad Sullam.* Idem in quarta

Verrina narrat *L. Metellum* prætorem *Siciliæ* ob depositas à *Centurupinis C. Verris* statuas *evocasse ad se Centurupinum magistratum, & decem primos.* In *codice Theod. l.* 39. *de Episcopis, & l.* 54. *de*
41 *Hæret.* nominantur *decem primi curiales. Gratianus* Imper. ibidem *l.* 2. *de quæst.* decernens pœnam plumbatarum infligi posse decurionibus, addit: *Decem primos tantum Ordinis curiales ab immanitate hujusmodi verberum segregamus.* In editis codicibus *immunitate* perperam legi scite in notis *Gothofredus* observavit. Idem vero principalium curiæ numerus non ubique fuit; nam Cæsar *lib.* I. *bel. civ. cap.* 35. evocavit ad se *Massiliensium XV. primos.* Tullius *lib.* III. *de nat. Deor.* laudat chirographum *sex primorum*; & in Novella Majorani ad Basilium Pr. Prætorio nominatur *quinque primorum curiæ* subscriptio. Apud Gruterum *pag.* 348. 7. hocce epitaphium legitur.

FILI FECERVNT
D. M.
P. AEMILI. NICOMEDI. IVN
QVI. VIXIT. ANNIS. XLII. M. VI. DIB. XX
DOMINO. D. III. INTER. DECEM
PRIMOS
PATRI. BENE. MERENTI
DVLCISSIMO &c.

Item pag. 49.

DEO. CAVTE
FLAVIVS. ANTISTIANVS
V. E. DE. DECEM. PRIMIS
PATER. PATRVM

Hermogenianus antiquus J. C. ait: *Decem primi tributorum exactioni ita præerant, ut si quid detrimenti fiscus mortuorum causa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent.* Eorundem etiam meminit Firmicus *libro* III. *Mathes. cap.* 2. & 12. & plura de iisdem notat Reinesius *epist.* 31. scribens in singulis ordinibus, corporibus, ac scholis decem primos fuisse. Sane *decem primi* scholæ Domesticorum laudantur *leg.* 7. 8. *&* 9. *de domest. & protect. C. T.* & *pag.* Grut. 202. 2. nominantur X. PRIMI, qui pertinebant ad domum Augustorum, non vero ad curiam, seu Ordinem coloniæ.

Antequam institutum de antiquis *Pisanæ* coloniæ magistratibus sermonem absolvam, inventa nuper *Pisis* inscriptio producenda mihi est. Illam mihi ostendit *Jo. Baptista Ricciardus* in *Pisano* Lyceo Philosophiæ moralis professor, quem virum ob singularem eruditionem ac non vulgarem in omni literarum genere peritiam, unice observo, isque me vicissim eximia benevolentia complectitur.

D. M. S
FELIX. HERCVLEO
EQ. P. AED. II. COS. I
PONT. PERP.
REIP. PIS

42 Extat hocce saxum in horto, in quo ceræ dealbantur, literis affabre insculptis, optimeque servatis. Equidem ut à nomine incipiam, *Felix* florente Republica, ac priori Imperatorum ætate, cognominis loco erat, nec uspiam nomen viri fuit; unde posteriori Augustorum ætate ea inscriptio dicata est. Hinc sub horum imperio laudantur *Felix Publicius Pal. Furianus* pag. 303. 3. operis Gruteriani; *Flavius Herculeo Pont.* pag. 313. 3. & *M. Herculius Festus* pag. 1077. Illis vero notis EQ. P. nempe EQVO PVBLICO, idem *Felix* equo publico donatus indicatur, ac proinde vir erat ordinis equestris. Cicero in *Philippica sexta* loquens de statuis *C. Antonio* Triumviri fratri erectis ait: *Altera equitibus Romanis*
A *equo publico, qui item ascribunt:* PATRONO. Etenim licet quis esset ex ordine equestri, equo etiam publico honoris gratia donabatur. Ovidius familia antiquitus equestri se ortum testatur. *lib.* IV. *de Ponto eleg.* 8.

Seu genus excutias, equites ab origine prima,
Usque per innumeros inveniemur avos.

Idem tamen scribit *lib.* II. *Trist.* se equo publico ab Augusto honoratum.

At memini: vitamque meam, moresque probabas
Illo quem dederas, prætereuntis equo.

Nempe cum, teste Suetonio *cap.* 38. *de vita Augusti*, equitum turmas recognosceret, reducto
B post longam intercapedinem more transvectionis. Hinc apud Gruterum *pag.* 480. 5. & 484. 2. leguntur hæ notæ dignitatis equestris, EQ. R. EQ. P. scilicet: *Equiti Romano, equo publico. pag.* 486. 1. inscribitur epitaphium.

T. VETTIDIO
POTENTI FIL
EQVO PVBLICO
ANNOR. XX. M. IIII. D. V

Pag. 468. 4.

SERVILIO POPILIAN
EQVO PVB
C DECVRIONI &c.

Pag. 347. 6.

L. AELIANO. L. F
AN. PROVINCIALI
EQVO. PVBLICO. ORNATO &c.

Pag. 404. 2.

L. EGNATIO. INVENTO
PATRI. L. EGNATI. POLLIONIS
RVFI. HONORATI. EQVO. P &c.

Postea *Felix Herculeo* equo publico ab Imperatore ornatus, iterum ædilitatem gessisse dicitur, de quo colonico magistratu superius dictum est. At
D quod idem inscribitur COS. I. hoc est: *consul semel* non levem mihi difficultatem ingerit, cui vix 43 solvendæ sim. Doctissimus Chimentellius *cap.* 5. *de honore Bisellii* scribit duumviros in ambitiosa quapiam colonia potuisse nuncupari consules, cum iidem *Romanorum* consulum imaginem suis in urbibus præ se ferrent; qui quidem scriptor si epigramma quod nondum è ruderibus erutum pedibus forte *Pisis* calcavit, vidisset, in eodem suæmet opinioni triumphum cecinisset. *Cicero* in altera agraria *Capuanorum* superbiam exaggerans, qui suæ urbis magistratum non duumviros, uti ceteræ coloniæ, sed prætores nuncupassent, ait:
E *Nonne arbitramini paucis annis fuisse nomen consulis appetituros?* Equidem *Ausonius* se *Burdigalæ* consulem vocat.

Diligo Burdigalam; Romam colo; civis in hac sum,
Consul in ambabus.

Quæ carmina Velserus *lib.* V. pro arbitrio invertit præter omnium vetustorum codicum fidem. Reinesius vero *epist.* 31. putat *Ausonium* poetarum more locutum, ac metri causa pro duumviro *consulem* posuisse; quod etiam repetit *lib.* III. *variar. cap.* 16. scribens *pag.* 603. *Consules sola Roma habebat incommunicabiles municipiis & coloniis.*
F Verum, uti scite notat *Chimentellius*, si quædam municipia Dictatorem juri dicendo præficiebant, quod de *Lanuvio* testatur *Cicero* in *Miloniana*, & de *Cærete* inscriptio Gruteriana *pag.* 214. aliæ quædam urbes suos magistratus nomine consulum per ambitionem appellarunt. Major certe Dictatorum, quam Consulum dignitas atque imperium erat, quod *Syllæ* ac dein *Cæsaris* exemplo constat. *Augustus* decimum tertium consulatum accepit; idem vero dictatoris nomen ac potestatem sibi populo

pulo offerente: *vestem suam distidit, recte invidiam atque odium ejus nominis vitans*, ex Dione *lib.* LIV. & Suet. *cap.* 52. *de vita ejusdem.* Nullus ignorat Augustorum sequioris præsertim ætatis imperio consulum potestatem viluisse, ac penes nomen tantum & fasces stetisse. Ita pluribus consularia ornamenta donata; sub *Commodo* enim vigintiquinque unico tantum anno consulatum gessere. Quare vel Principum privilegio, vel coloniæ *Pisanæ* ambitione, posteriori ætate, pro Duumviris consules creati videri possint. Laudata inscriptio *COS. I.* posteriora tempora aperte indicat; nam antiquitus is qui semel consulatum gesserat, *consul* inscribebatur, numeralibus notis tunc tantum additis, cum alterum, vel plures consulatus obtinuisset. Vereor tamen ne illa nota I. præter morem addita, apud eruditos memoratæ inscriptioni fidem elevet, cum nusquam unico consulatui subjecta legatur. Casaubonus in *notis ad pag.* 112. *apologiæ Apuleji* ex Philostrato de *vitis Sophistarum* municipales consules producit, quos etiam admisit Scipio Gentilis *lib.* 11. *de jurisdict. cap.* 5. Ipse ad hunc Consulem non secus ac ad aquas, ut ajunt, hæreo.

Hactenus de vetustis coloniæ *Juliæ Pisanæ opsequentis* magistratibus disserui. Quod vero in *Cajano* cenotaphio nulli dicuntur ineunte anno magistratus *propter contentiones candidatorum Pisis* electi, hujus dissidii origo exponenda est. Quemadmodum *Romæ* cives partim patricii, partim plebeji erant, ita etiam cives coloniarum in decuriones ac plebejos dividebantur. Decurionum numerum in unaquaque colonia à Triumviris qui eandem deducebant, constitutum colligo ex Cicerone *in agraria.* 2. dicente lege *Rulli* de deducenda colonia *Capua*, *centum decuriones* ibidem decretos. Postea decurionibus accensebantur illi, quibus centum millium nummum, nempe duorum millium ac quingentorum scutatorum facultates erant.
44 cultates erant. Plinius *lib.* 1. *epist.* 19. *Esse autem*, inquit, *tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos*, videlicet Comi, *decurio es.* Qui ultra 25. jugera possidebat, inter decuriones censebatur. *L.* 33. *de decur. C. Theod.* curialibus provinciæ Mysiæ conceditur, *ut quos è plebe idoneos habent, ad decurionatus munia devocent*, hoc est, cos è plebe cives, *quos ad decurionum subeunda munera splendidior fortuna subvexit.* Ibidem *leg.* 53. Cum post fugatum *Sex. Pompejum*, ac exauctoratum *Lepidum*, milites missionem ab *Augusto* in *Sicilia* peterent, hic quo eos sub signis in castris contineret, pollicitus est unicuique suis in patriis *Senatoriam*, seu *decurionis dignitatem* ex Appiano *lib.* v. *bel. civ. pag.* 744. Plinius *lib.* x. *epist.* 117. Græcam vocem Latio donans, ait: *Solent totam bulem atque etiam è plebe non exiguum numerum vocare.* Decuriones in coloniis id erant ac *Romæ* Senatores, unde non semel Senatores nuncupati. Tacitus *lib.* XIII. ait: *iisdem consulibus auditæ Puteolanorum legationes, quas diversas Senatorius Ordo plebsque ad Senatum miserant.* Pacatus in panegyrico de laudibus *Theodosii* laudat apud Hemonam *conspicuos veste nivea Senatores.* Theodosius Imp. *l.* 85. *de decur.* vetat *decurionem* (*& si sic dici oportet*) *Curiæ Senatorem plumbatarum ictibus subdi.* Majoranus Augustus Novella 1. curialium *cætum*, inquit, *recte appellavit antiquitas minorem Senatum.* Hinc in vetustis inscriptionibus legitur *pag.* 457. 6. SENATUS. P. Q. TIBURS. *pag.* 463. 3. P. Q. NOLAN. At *pag.* 1086. 3. 4. ORDO. POPULUSQUE. NOLANUS. Quo sane nomine municipalis senatus vulgo nuncupabatur, ut ex rescriptis Principum in utroque Codice patet. Apud Gruterum *pag.* 19.

A PRO. SALVTE. COLONIAE
ET. ORDINIS. DECVRIONVM
ET. POPVLI. TVDERTIS &c.

Pag. 393. 5. ORDO SANCTISSIMUS DECUR. *pag.* 275. 2. 481. 9. & 1095. SPLENDIDISSIMUS. *pag.* 421. 7. 347. 1. 481. 9. & 484. 6 AMPL. nempe *Amplissimus.* Qui aderant *Romæ* in Senatu ac decreta condebant, *Patres conscripti* dicebantur: At decuriones coloniarum, qui in curia sententiam dicebant, non *Patres*, sed tantum *conscripti* appellabantur; licet quidam Patres Patrum in allata superius inscriptione nuncupetur. B Hinc *pag.* 355. Gruteri legitur: *Placere huic* ORDINI, nempe decurionibus; *pagina* vero 443. *Placere universis* CONSCRIPTIS; & *pag.* 456. *Placere* CONSCRIPTIS. Et in nostro Cajano cenotaphio: *Placere* CONSCRIPTIS *quæ ad IIII. Nonas Apriles &c. ita fieri agi, haberi, opservarique &c.* Ex quibus eam antiquitus formulam in condendis colonicis decretis usurpatam intelligimus. Uti vero Senatus ac plebs *Romæ* discernebantur, ita & in coloniis ac municipiis separatim nominantur. Extant inscriptiones apud Panvinium in *lib. de imperio Rom.* ubi de Coloniis agit, *pag.* 747.

C DECVRIONES ET PLEBS
COLONIÆ ANCONITANORVM

Item *pag.* 748. 45

DECVRIONES ET PLEBS
COLONIÆ ASCVLANORVM

Ex quibus infertur in coloniis decurionum decretis plebis scita adjuncta, ita ut & ipsa plebs sententiam rogaretur. Hoc ipsum ostendit celebris inscriptio Narbonensis *pag.* 229. in qua *Augusto Narbone* PLEBS NARBONENSIUM *aram in foro posuisse* dicitur, ac TRES EQVITES D ROMANI A PLEBE & tres libertini annua sacra facere jubentur in honorem Augusti, quod JUDICIA PLEBIS DECURIONIBUS CONJUNXIT; sive quia Decuriones conarentur plebejos à judiciis excludere; sive quia discrepantes utrorumque sententias idem Princeps composuerit. *Augustus* sane jus comitiorum plebi *Romanæ* servavit ex Suetonio *cap.* 40. nam *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid à quoquam candidatorum desiderarent, singula millia nummum à se dividebat.* Idem tamen in coloniis abs se in *Italia* deductis, jus comitiorum penes solos decuriones colonicos esse voluit, *excogitato*, E ut ait Suetonius *cap.* 46. *genere suffragiorum quæ de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* In nostro cenotaphio Caji hæc leguntur: *Duoviri qui primi creati erunt, hoc quod decurionibus & universis colonis placuit, ad decuriones referant, eorum publica auctoritate adhibita, legitume id caveatur, auctoribusque iis in tabulas publicas referatur.* Itaque tota auctoritas condendi decreti penes decuriones erat. Ceterum etiam plebem sententiam rogatam colligo ex iis quæ in eodem lapide leguntur: *Ob eas res universi decuriones*, COLONIQVE &c. *inter sese* F *consenserunt.* Deinde inferius: *Hoc quod decurionibus, &* UNIVERSIS COLONIS *placuit.* Ubi *colonorum* nomine plebs designatur, cum sejunctim à decurionibus nominetur. Ita apud Gruterum *pag.* 387. 1. legitur: ORDO NARNIENSIVM UNA CVM CIVIBVS. Vide inscriptionem *Mundæ* in *Hispania*, quam *cap.* 4. exhibeo. *pag.* 484. 2.

ORDO VOCONTIORVM
EX CONSENSV ET POS
TVLATIONE POPVLI &c.

Quæ postulatio populi exprimitur etiam *pag.* 423. 6. & *pag.* 431. 1. *Sextus Ligurius dicitur*: IIVIR DESIGNATVS EX POSTVL. POPVLI; qui tamen ibidem inscribitur *ornamentis quinquevir alibus* SVFFRAG. SANCT. ORDNIS *honoratus.* Immo cum plebs cuipiam ob accepta beneficia statuam, vel inscriptionem dedicabat, locus publico monumento ornandus à decurionibus concedebatur. Ita *pag.* 392. in saxo *Urbini* legitur: LOCVS PLEBEI DATVS DECRET. DECVR. & passim hæ notæ L. D. D. D. in Gruteriano opere occurrunt, nempe: *Locus datus decreto Decurionum*; ubi vero inscribuntur literæ D. D. significatur: *decreto Decurionum*, uti *Romani* Senatus consulta illis literis S. C. exprimebantur, ut plane constet integram condendorum decretorum auctoritatem solos decuriones habuisse. Libro Digestorum 50. recensetur titulus *de decretis ab Ordine faciendis.* Extat in *codice Theod. lex.* 1. *quemad. mun. civ.* in
46 qua *Constantinus* Imperator ait nominationem Duumvirorum *populi quoque suffragiis in Africa ex consuetudine celebrari*; cujus primum inductæ consuetudinis origo tempusque ignorantur; quæ tamen postea abolita fuit ex lege 84. & 142. *de decur.* quibus statuitur nominationes à duabus tertiis Ordinis in *Africa* faciendas. In decreto nostro de inferiis *Caji* laudantur *acta*, *facta*, *constituta per consensum* OMNIVM ORDINVM, quibus postremis verbis decretum Decurionum, ac consensus plebis exprimuntur, quæ decretum illud gratanter accepit. Ciceroni in *epist.* 3. *ad Brutum omnium Ordinum consensus* recitatur; nempe Senatus, equitum, ac plebis, qui triplex erat ordo civium *Romanorum.* In coloniis ac municipiis equites fuisse certum est, quorum census erat CCCC. millium nummum. Ovidius se equestri familia apud *Sulmonem* natum scribit *lib.* IV. *Trist. eleg.* 10.

Si quid id est, usque à proavis vetus ordinis hæres,
Non modo fortunæ munere factus eques.

Cicero apud *Arpini* municipium equestri familia natus erat; unde & à Juvenali *Sat.* 8. *Ver.* 237. dicitur

Hic novus Arpinas ignobilis, & modo Romæ
Municipalis eques.

Cæsar *lib.* III. *bel. civ. cap.* 71. scribit eodem die duplici prœlio desideratos equites *Romanos* notos *C. Fulginatem Placentia*, *A. Gravium Puteolis*, *M. Sacrativum Capua.* Cicero in *Planciana num.* 18. cum quædam municipia nominasset, ait: *iisdem nunc à municipiis adsunt equites Romani publice, cum legationis testimonio.* Et num 26. *Sed cum sit Cn. Plancius is eques Romanus ea primum vetustate Equestris ordinis, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes Equites Romani fuerint, summum in præfectura* Atinati *florentissima gradum tenuerint &c.* *Pisis* etiam plures equestris ordinis viros fuisse nullus inficias ibit; & illi quidem vocibus *omnium Ordinum* in Cajano marmore exprimuntur. Ordo equitum R. in coloniis dignior erat, quam ordo decurionum. Nam Plinius *lib.* I. *epist.* 19. ad *Firmum Novocomensem* scribens, ait: *Magnæ & graves causæ, cur suscipere, & augere dignitatem tuam debeam. Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur ut te non decurione solum, verum etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates CCC. millia nummum.* Juxta illud Horatii:

Si quadringentis sex, septem millia desunt,
Plebs eris;

A *Romæ* videlicet; in coloniis enim centum millium census decuriones à plebe distinguebat. Strabo *Gaditanæ* urbis splendorem describens *lib.* III. *pag.* 116. ait quingentos ibidem equites *Romanos* censos fuisse, *quot nullius vel Italicæ urbis censi fuerant, præter Patavinam.* Scribit de Augusto Suetonius *cap.* 46. *Ac nec ubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles, equestrem militiam petentes, etiam ex commendatione publica cujusque oppidi ordinabat.* Præterea *L. Munatius Plancus Lugdunum* militum coloniam deduxit ex veteri epigrammate apud *Panvinium* & *Gruterum*; illorum quidam Equites fuere, quorum mentio
B habetur apud Gruterum *pag.* 431. 1. Sigonius *lib.* II. *de antiquo jure civ. Rom. cap.* 2. recte notat Equites alios equo publico meruisse, alios privato; illos autem in Vrbe diversum à Senatoribus ordinem constituisse; hos vero in exercitu ordinem à peditibus distinctum constituisse. Ci- 47
cero in prima *Philippica num.* 14. reprehendens legem *M. Antonii*, qua centuriones in tertiam judicum decuriam conjiciebat: *Census præfiniebatur*, inquit, *non centurioni solum, sed equiti etiam Romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res & judicant & judicaverunt. Non quæro*, inquit, *istos: quicumque ordi-*
C *nes duxit, judicet. At qui si ferretis, quicunque equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis; in judice enim spectari & fortuna debet & dignitas.* Certum est legere Aurelia lata à *L. Aurelio Cotta*, *Cn. Pompejo* & *M. Crasso* Coss. A. V. 684. equestri ordini judicandi potestatem restitutam, quam postea *Julius Cæsar* confirmavit, exclusis tribunis ærariis. Suetonius in *Julio cap.* 41. *Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis, ac senatorii: tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit.* Hinc cum *Cicero* ait, nemini probari potuisse legem, qua judicia concederentur iis omnibus, *qui equo meruissent*, plane infertur,
D non omnes qui equo merebant, ad equestrem ordinem Senatorio oppositum, pertinuisse; ob defectum videlicet census, & dignitatis. Hujus generis equites fuere qui in memorata inscriptione *Lugdunensi* post decuriones nominantur, quorum fortunæ ac dignitas infra decuriones erant. Illis etiam verbis *per consensum omnium Ordinum* intelligi possunt decuriones, & varia collegia, seu corpora artificum, Fabrorum, Naviculariorum &c. Ita Gruteri *pag.* 391. 1. legitur: *ex decreto* ORDINIS *corporis Piscatorum & Urinatorum totius alvei Tiberis.* Verum cum Ordo cœtum decurionum postea significaret, plebejorum artifi-
E cum cætus seu societates passim *collegia*, ac *corpora* nuncupata sunt, uti ex innumeris inscriptionibus & ex titulo de naviculariis *lib.* XIII. *C. Theod.* ac de pluribus collegiis *lib.* XIV. per totum colligitur.

Anno urbis 756. desinente IV. Nonas Apriles ob contentiones candidatorum nulli *Pisis* magistratus novi creati fuerant, ex initio decreti de inferiis *Caji.* Extat *lex* 28. *de decurionibus C. T.* lata à *Constante*, seu *Constantio*, uti contendit *Gothofredus*, anno æræ Christianæ 339. *Constitutionibus perspicue definitum est, Kalendis Martiis nominationes fieri, ut splendidorum honorum mune-*
F *rumque principia primo tempore procurentur.* In tabula municipali apud *Pighium* ad A. V. C. 719. non eodem tempore novi magistratus unoquoque anno creati leguntur. Puto tamen imperante *Augusto*, in coloniis, quas idem *jure ac dignatione Urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit* ex Suet. *cap.* 46. novos magistratus Kalendis Januariis munus primum obivisse; cujus tamen rei in tanta veterum monumentorum inopia nullum testem appello. Profecto in laudata tabula Duumviri

viri post bellum *Alexandrinum* creati, Kalendis Januariis magistratum inisse dicuntur. Utut de hoc sit, ineunte Aprili ejus anni, quo *Cajus Cæsar* obiit, nulli *Pisis* magistratus creati fuerant, *propter contentiones candidatorum.* Non semel *Romæ* ob candidatorum ambitionem nullis consulibus designatis, interrex creabatur. Ita anno V. 701. *septimo demum mense* consules creatos scribit Dio *lib.* XL. Cicero *epist.* 8. *lib.* III. *ad Q. fratrem* ait: *Res prolatæ: ad interregnum comitia adducta.* Anno etiam insequenti 702. invalescentibus seditionum procellis, quas consularis ambitus excitarat, candidati consulatus per vim ac cædes magistratum invasuri, tribus veluti castris *Romam* occupaverant, ita ut unus tantum consul *Pompejus* V. Kal. Martias designatus fuerit. Hic idem ambitus *Pisanos* decuriones in partes distraxit, ne
48 stato tempore, novi illius anni magistratus in colonia eligerentur. Alia tamen ex causa nulli plerumque in coloniis magistratus inibant. Nam cum Dumviris, atque aliis recenter creatis magistratibus munerum editio incumberet, nonnulli, ut graviores expensas declinarent, omni contentione curabant, ne quipiam sibi magistratus deferretur; & delato, non semel aufugiebant, ex *L.* 16. & 29. *de decur.* Præterea *Magistratuum & Sacerdotiorum editiones* memorantur *L.* 1. *de spect.* Apulejus *lib.* X. ait: *Quinquennali magistratui fuerat destinatus, & ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduanis spectaculis pollicitus, latius munificentiam suam porrigebat.* Plinius *lib.* X. *epist.* 117. scribit ineuntes magistratum in *Bithynia* universis decurionibus, ac non exiguo è plebe numero binos denarios, vel singulos dare. Extat inscriptio *pag.* 409. 3.

L. FADIO. PIERO. II. VIRO
MVNIFICENTISSIMO. CIVI
QVI. OB. HONOREM. DECVR
EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST
GLAD. PARIA. XXX. ET VENATION
BESTIARVM. AFRICANAR. ET. POST
PAVCOS. MENSES. DVVMVIRATV
SVO. ACCEPTIS. A. REP. H-S. XIIIX. N. VENAT
PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX
EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS
SCAENICOR. P. S. F. AVGVSTALES
L. D. D. D.

Coloniæ Duumviris, ne in edendis ludis patrimonia decoquerent, pecunias quandoque donabant, expensas munerum ex parte suppleturæ. Item *pag.* 452. 1.

T. ANCHARIO. T. F. PAL. PRISCO
AED. QVAEST. II. VIR. QVAEST. ALIMENT.
HVIC. PRIMO II.VIR. BIGA. POSITA. OB. EXIMIAS. LIBERALITATES. ET. ABVNDANTISSIMAS. SINE. EXEMPLO. LARGITIONES. ET. QVOD. EX. INDVLGENTIA. AVG. OCTIES. SPECTACVLVM. GLADIATOR EDIDERIT. AMPLIVS. LVDOS. FLORALES &c.

Ea munerum à novis magistratibus edendorum consuetudo *Roma* in colonias ac municipia derivaverat. Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* 15. munus ædilitium *M. Scauri*, ac *M. Agrippæ* ludos in ædilitate undesexaginta diebus factos recitat; quod enim ædilitas magistratum petentibus, primum
49 obveniret, immanibus munerum expensis populi *Romani* favorem sibi conciliare conabantur. Cicero pro *Muræna num.* 38. ait: *Trinos ludos ædilis feceram*; & *lib.* II. de officiis: *Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguus sumptus ædilitatis fuit.* Plurium ædilium munera ibidem

A commemorat, additque: *Vitanda tamen est suspicio avaritiæ; nam Mamerco homini ditissimo, prætermissio ædilitatis consulatus repulsam attulit:* Et in laudata oratione pro Muræna ait: *Sunt enim populi ac multitudinis comitia. Quare si populo ludorum magnificentia voluptati est, non est mirandum eam L. Murænæ apud populum profuisse.* De novorum consulum muneribus dixi *dissert.* 1. de duobus nummis *Diocletiani* ac *Licinii cap.* 5. Vopiscus in *Aureliano cap* 15. *Furii Placidi* consulis Anno vulgari Christi 273. largitionibus narratis, ait: *Factum est enim ut jam divitiarum sit, non hominum consulatus: quia utique si virtutibus defer-* B *tur, editorem spoliare non debet. Perierunt casta illa tempora, & magis ambitione populari peritura sunt.* Eadem largitionum pestis colonias afflavit. Hinc cum *Sex. Ligurius* in colonia *Lugdunensi* ob perpetuum Pontificatum sibi collatum, plura millia nummum colonis donasset, dicitur: II. VIR DESIGNATUS EX POSTUL. POPULI. Ex Grutero *pag.* 431. 1. Quare cum populus magnificentiora munera ab uno potius quam ab altero expectaret, novorum magistratuum comitia per seditionem plerumque turbabat, quamvis electio penes decuriones esset, plebe nullum in coloniis suffragium dante. Ceterum memoratæ in C *Pisana* colonia contentiones candidatorum ambitioni potius deputandas arbitror, quam eorundem in declinandis ob spectaculorum expensas magistratibus; nam qui munus refugit, neutiquam pro eodem obtinendo candidatus contendisse dici potest. Cum *Romæ* defuncto Rege, ac postea comitiis consularibus, morbo consulum, bello, aut seditione impeditis, novi magistratus creari non possent, interrex patricia è gente prodebatur, qui ad quintum diem cum imperio in Urbe esset, qui postea successorem in quinque alios dies excipiebat, quousque comitia consularia haberentur. In quibusdam coloniis, quod nul- D li novi magistratus creari possent, penes interregem jurisdictionem fuisse indicat inscriptio Narbonensis apud Gruterum *pag.* 394. 5.

T. COMINIVS. C. F. PO
DVVMVIR. ÆDILIS
INTERREX

Pagina etiam 491. 10. ponitur inscriptio cuidam, imperante *Tiberio*, *Formiis* dicata.

AED. III. AVGVRI. INTERREGI &c.

Verum *Pisis* nullos id temporis interreges creatos diserte monstrat tabula Cajana, in qua legimus: *Universi decuriones, colonique, quando eo ca-* E *su in colonia neque IIvir, neque Præfecti erant, neque quisquam jure dicundo præerat, inter sese consenserunt &c.* At interrex juri dicundo præerat, Senatum cogebat, aliaque præstabat, quæ Reges, seu Consules summo cum imperio *Romæ* exequebantur. In illo tamen interregno coloniæ decu-
riones ac ceteri cives *Pisani* annuas inferias *Cajo* 50
decreverunt, legatos ad *Augustum* destinarunt, aliaque edixere, quæ in eadem inscriptione referuntur. Quo vero mense ejus anni Urbis 757. Duumviri *L. Titius A. F. & T. Allius T. F. Rufus*, qui in calce ejusdem decreti nominantur, magistratum capessiverint, ignoratur, priori ver- F su cenotaphii, quo dies, mensis, ac locus exprimebantur, nescio cujus imperitia detonso. Hoc tamen compertum habeo ante V. Kal. Julias Duumviros *Pisis* electos fuisse; nam ibidem *Augustus* sæpius dicitur Tribunitiæ potestatis XXVI. quæ desinebat die 27. Junii, tunc Tribunitiam potestatem XXVII. eodem auspicante, ut *dissert.* 2. *cap.* 15. fusius ostendam.

CAP.

CAPUT IV.

Sacerdotes Pisanæ *Coloniæ. Flamen Augustalis* Pisis *creatus.* Antonius *Flamen viventis adhuc* Cæsaris *designatus, sed non inauguratus.* Plutarchi *&* Appiani *interpretes notati.* Augustus *ante obitum divinis honoribus in* Italia *cultus. AUGUSTEUM eidem* Pisis *sacratum.* Romæ *S. C. & in Coloniis Decurionum decreta in templis facta.* Augustus *à poëtis passim Deus ante obitum nuncupatus. Flamines cum Augustalibus à V. C. perperam confusi. Flamines Provinciæ contra* Valesium *ac* Gothofredum *asserti. Iidem à decurionibus creati, à magistratu proditi, ab Auguribus etiam inaugurati contra Gruchium.*

AD antiquos Coloniæ *Juliæ Pisanæ* opsequentis Sacerdotes gradum facio, ut Cajanam inscriptionem, aliasque *Pisis* servatas, exponam; qua occasione insignem *Ciceronis* locum hactenus vel depravatum, vel perperam explicatum illustrabo. Et quidem in cenotaphio *Caji* nominatur *T. Statulenus Juncus Princeps Coloniæ*, FLAMEN AUGUSTALIS, PONTIF. MINOR PUBLICORUM P. R. SACRORUM. *Numa* tres tantum Flamines *Romæ* instituerat, *Jovis*, *Martis*, ac *Quirini*, quorum singuli sui tantum Dei sacris operarentur. Postea aliis Diis flamines consecrati sunt; unde Tullius *lib.* II. *de legibus*, ait: *Divisque aliis alii sacerdotes, omnibus Pontifices, singulis flamines sunto.* Varro *lib.* IV. *L. L.* à filo dictos putat, nam, cum intecto capite procedere non possent, nec apicem (galerus erat pilei rotundi formam habens) per æstatem ob æstum ferre possent, capillos filo nectebant; unde flamines quasi filamines nuncupati. Religiosos vero flaminum ritus in indicem cogit A. Gellius *lib.* X. *cap.* 15. Inter ceteros honorum titulos, quos Dictatori Cæsari post bella civilia profligata, Senatus detulit, *Jovis ipsi*, inquit Dio lib. XLIV. *cognomentum palam imposuerunt, templumque ei Clementiæ dedicari jusserunt, Sacerdotioque ejus Antonium quasi Flaminem Dialem aliquem præfecerunt.* Quod *Jupiter* Græcis Διὸς dicitur, ejusdem Flamen Dialis appellatus. Cicero in *secunda Philippica num.* 106. hunc *Cæsaris* Flaminem execratus, ait: *Est ergo Flamen ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, sic Divo Julio M. Antonius . . . Detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos est, sive quod mortui.* At *Cæsare*
51 superstite eodemque forte vetante, non fuisse *Antonium* inauguratum colligitur ex eodem Oratore ibidem dicente: *Quid ergo cessas? cur non inaugurare? Sume diem. Vide qui te inauguret; collegæ sumus; nemo negabit.* Erant ambo in augurum collegium cooptati. Ceterum *Antonius* quamvis Flamen *Cæsaris* destinatus, eodem occiso, invidiæ forte metu, seu quod stultitiæ proximum ducebat trucidati hominis Flaminem esse, inaugurationem omisit. Hujus testis est idem Cicero in *Philippica* 13. hisce *Antonium* perstringens: *Deceptum autem patrem à me Cæsarem affirmare audes? Tu, tu, inquam, illum occidisti Lupercalibus, cujus homo ingratissimus flaminium cur reliquisti?* Verum Plutarchus in *Antonio*, narrata pace inter hunc ac *Cæsarem* & *Sex. Pompejum* A. V. 714. factam, ait αὐτὸς δὲ Καίσαρι χαριζόμενος ἱερεὺς ἀπεδείχθη τοῦ προτέρου Καίσαρος. Quæ Latine reddit Leonardus Arretinus: *Essetque augur in locum prioris Cæsaris, junioris gratia, constitutus.* At falso. Nam uti ex *Cicerone* ostensum est, jam *Antonius* vivente *Cæsare* fuerat inter angures adscriptus. Cum *Parthica Appiani* ex *Plutarcho* consarcinata sint; eadem verba *pag.* 156. interpres *Gelenius* Latine vertit: *Ipse in amicorum gra-*

A *tiam, creatus est flamen divi Cæsaris.* Sed neque hæc melior est interpretatio. In primis participium χαριζόμενος voci Καίσαρι uniendum est, quod sane nomen *Cæsaris* perperam exscriptor *Plutarchi* omisit. Præterea falsum est *Antonium* eo A. V. 714. creatum fuisse flaminem *prioris Cæsaris*; siquidem adhuc superstite *Cæsare* A. V. 709. ex Dione *lib.* XLIV. proxime laudato, *Antonius* ejusdem *Cæsaris* flamen fuerat designatus. Vox ἱερεὺς, qua *Plutarchus* utitur *sacerdotem* significat, non autem speciale quoddam genus sacerdotii, flaminium nempe, aut auguratum. Hinc cum *Cæsar Octavianus Julio* patri divinos honores de-
B crevisset, *Antonius*, inquit Plutarchus, *in gratiam Cæsaris* Octaviani, *prioris Cæsaris sacerdos factus est.* Ex his patet *Augustum* primum inter principes *Romanos*, cum adhuc in vivis esset, suomet nomini tanquam numini consecratos Flamines habuisse. *Antonius* enim Flamen *Julii Cæsaris* adhuc superstitis designatus, non fuit inauguratus, seu ut vulgo dicitur, consecratus; illo vero mortuo, *flaminium reliquit*, teste *Tullio*; quamvis postea ejusdem sacerdos in gratiam *Augusti*, creatus fuerit, si vera narrat *Plutarchus*.

Cum *Augustus* A. V. 718. *Sex. Pompejum* maritimis ac terrestribus copiis exutum, ex *Sicilia*
C fugasset, ac *Lepidum* in Triumviratu hactenus collegam, à militibus desertum, in ordinem redegisset, summis & humano fastigio majoribus honorum titulis ab *Italiæ* oppidis exceptus fuit, quod sublatis bellis civilibus, quæ *Italiam* tot annos infandis calamitatibus ac miserandis cladibus oppresserant, pacem ejusdem provinciis intulisset. Hinc teste Appiano *lib.* v. *bel. civ. pag.* 746. *oppidatim inter Deos tutelares consecratus est.* Hæc prima divini cultus *Augusto* delati mentio in historiis occurrit. Cum vero superato *Antonio*, *Romanum* orbem occupasset, *Asiatici* templa eidem
D uti Deo dicarunt apud *Pergamum*, *Ancyram*, aliisque in Urbibus, quamvis ille ad declinandam, invidiam, petentibus Urbium legatis, ut ipsis templa *Augusto* consecrare permitteret, sub *Romæ* & *Augusti* nomine eadem dicari voluerit ex Tacito *lib.* IV. *Annal.* Gruteri *pag.* 105.

ROMAE. ET. AVGVSTO 51
CAESARI. DIVI. F
COLON. AVXVRN
A. AEMILIVS. EX. PECVNIA
SVA. F

E In vetustis iisdem inscriptionibus non semel legitur: *Sacerdos Romæ & Augusti.* Philo de *legatione ad Cajum*, ait: *Totus orbis cœlestes Augusto honores decrevit, templa, fana, lucos, porticus, ut his nulla pulcriora visantur in urbibus, vel vetera, vel nova.* Addit autem Augustum accepisse hujusmodi honores à cæcis assentatoribus, *non quod probaret, sed quia videbatur hoc postulare amplitudo imperii, cui veneratio quædam his artibus parabatur; ipsum vero nunquam inflatum talibus obsequiis hinc certo colligitur, quod nunquam sustinuit se appellari Deum, vel Dominum, aversatus hanc adulationem.* Suetonius *cap.* 2. *de vita Claudii*,
F scribit ipsum natum Kalendis Augusti Lugduni, *eo ipso die quo primum ara ibi Augusto dedicata est.* Anno Urbis 744. Apud Gruterum *pag.* 229. recitantur sacrificia statis anni diebus *Numini Augusto* facienda *Narbone* ex plebiscito colonico, in cujus titulo legitur.

NVMINI. AVGVSTI. VOTVM
SVSCEPTVM. A. PLEBE. NARBO
NENSIVM. IN PERPETVOM

Hæc

Hæc ara *Augusto* dicata fuit X. Kal. Octobris, *T. Statilio Tauro. L. Cassio Longino* Coss. V. C. 764. Hinc *Pisani*, ne in deferendis *Augusto* honoribus ceteris cedere viderentur, sacrarium eidem in foro dicarunt, quod de Imperatoris agnomine *Augusteum* nuncuparunt. Initio decreti de inferiis *Lucii* dicitur; PISIS. IN. FORO. IN AVGVSTEO *scribendo adfuere &c.* Chimentellius *cap.* 7. *de Bisellio scribit* Augusteum exponi posse forum, quod ab Augusto sic dictum tradit Suidas in V. *Augustus.* Recte tamen observat hanc explicationem *Pisanæ* inscriptioni non congruere. Nam si forum dixerant, cur *Augusteum* repeterent? Duo igitur ibidem designantur, forum & Augusteum. Secundo exponit Augusteum pro prætorio, seu publica domo, in quam de more Decuriones conveniebant ad consultandum, ac decreta facienda. *Tertio*, inquit, (*& puto verius*) *à cultu Augusti sic dictum, ut Serapeum, Heracleum, & multa id genus.* Vir insignis duo diversa loca putavit, quæ apud *Romanam* gentem unus idemque locus prisca religione erant. Nam ædes publica, in quam *Romæ* Senatus, & in coloniis seu municipiis decuriones ad consultandum conveniebant, erat templum alicui Deo dicatum; nefas enim erat in loca non sacra, sed profana Senatum convenire. Gellius *lib.* XIV. *cap.* 7. ait: *Varro docuit, confirmavitque nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur, Senatus consultum factum esset, justum id non fuisse; propterea & in curia Hostilia, & in Pompeja, & post in Julia, cum profana ea loca fuissent, templa esse*
53 *per augures constituta, ut in eis Senatus consulta more majorum justa fieri possent.* Lampridius in *Alexandro Severo cap.* 6. *Quum Senatus frequens in curiam, hoc est, in ædem Concordiæ, templum inauguratum, convenisset.* Equidem Senatus coacti in templis mentio passim in Romanis scriptoribus occurrit. Livius. *lib.* I. *Templumque*, inquit, *ordini ab se aucto curiam fecit, quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem appellata est.* Lib. XXXVII *Eumeni Senatus datus est.* Dein: *Eumenes templo excessit*, ut de iis quæ Rex postulaverat, Patres consultarent; quo peracto: *Reductus à prætore in templum Rex, & dicere jussus.* De templo Castoris Cicero ait Verrina 3. num. 92. *Quo sæpe numero Senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissimæ advocationes fiunt.* Sallustius in Catilinaria: *Consul in ædem Concordiæ venire jubet, eo Senatum advocat.* Audiendus iterum Cicero in Philippica 2. num. 43. *In hac cella Concordiæ, ò Dii immortales, in qua, me consule, salutares sententiæ dictæ sunt.* Et in Philip. 5. num. 176. *In cella Concordiæ collocari armatos latrones, sicarios; è templo carcerem fieri: opertis valvis Concordiæ, cum inter subsellia Senatus versarentur latrones, Patres conscriptos sententias dicere.* Idem habet in *Sestiana num.* 20. *Lib.* II. *epist. ad Q. fratrem* ait: *Senatus ad Apollinis fuit.* Et M. Cœlius *lib.* VIII. *fam. epist.* 4. idem tradit; epistola etiam 8. ait: *In æde Apollinis scribendo affuerunt*; recitatque S. C. de prætoriis provinciis. Appianus *lib.* II. *civ. bel. pag.* 507. edicto Antonii consulis *Senatus in ædem Telluris convocatus est.* Quod ipsum testatur *Plutarchus* in *Bruto.* Vetustum hunc Latinorum morem, ante *Æneæ* in *Italiam* adventum laudans Virgilius *Æneid.* VII. V. 174. ait:

— *hoc illis curia templum.*

Augustus quo Patres conscripti *& religiosius & minore molestia senatoria munera fungerentur, sanxit, ut prius quam consideret, quisque thure ac mero supplicaret apud aram ejus Dei, in cujus templo coiretur.* Hæc Suetonius *cap.* 35. Sequiori quoque Augustorum ætate, Senatum in templum


A convocari solitum testantur Capitolinus in *Maximo* & *Balbino cap.* 1. & in *Maximinis cap.* 16. Trebellius in *Valeriano cap.* 1. in *Claudio cap.* 4. Vopiscus in *Probo cap.* 10. Lampridius in *Alexandro cap.* 6. Uti vero *Romæ* Senatores in templa coire solebant, ita pariter in coloniis decuriones in sacras ædes decreta facturi conveniebant: nempe in loca per augures constituta, ut decreta justa fieri possent. Ausonius in *panegyri ad Gratianum* ait: *Non forum, non basilica olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis &c.* Forum quodlibet ex area & basilica constituebatur. *Pisis* in foro ædes sacra *Augusto* dicata *Au-*
B *gusteum* dicebatur, in quam decuriones *Juliæ Pisanæ Opsequentis* consultaturi coibant. Apud Gruterum in titulo inscriptionis *Neapoli* legitur *pag.* 355. 1. ut omittam allatam *pag.* 444. 2. K. JUN. IN. CURIA. BASILICAE AVG. ANNIAN. SCRIBUN. ADFUER. Qui locus Neapoli *Curia Basilicæ Augustæ* Pisis *Augusteum* dicebatur. Philo de *legatione ad Cajum* laudat dicatum *Augusto* templum, quod nuncupabatur Σεβάσιον, quod Latine redditur *Augusteum. Chimentellius* ideo veretur Augusteum pro domo publica accipere, in quam de more convenirent Decuriones ad consulta facienda, quia Augusteum
C *vix digna vox eo sæculo Augusteo.* At extat vetus inscriptio *pag.* 227. 3. 54

P. VEIDIVS. P. F. POLLIO
CAESAREVM. IMP. CAESARI
AVGVSTO
ET. COLONIAI. BENEVENTANAI

P. Veidius Pollio Eques *Romanus*, ex *Augusti* amicis, cui murænarum vivariis damnatos servos immergebat, quive obiens A. V. 738. *Augusto* magnam hæreditatis partem, & Pausilypum villam prope *Neapolim* eidem legavit ex Dione *lib.* LIV.
D curiam Augusti honori, ac coloniæ *Beneventanæ* ornamento æque ac commodo extructam, *Romano* quidem, sed novo nomine, *Cæsareum* nuncupavit. Equidem decuriones, uti dicebam, in ædes sacras ad consulta facienda covenisse, docet etiam inscriptio Ferentinatum *pag.* 456. 1.

M. ACILIVS. PLACIDVS. L. PETRONIVS.
FRONTO IIII. VIR. I. D. S. C. FERENTIN.
IN. CVRIA. AEDIS. MERCVRI. SCRIBVNDO.
ADFVERVNT. Q. SEGIARNVS MAECIANVS.
T. MVNNIVS. NOMANLINVS

E Utrumque vero decretum, nempe *pag.* 355. & 456. eadem plane formula, qua nostra *Pisana*, expressum apparet. Item *pag.* 1001. legitur decretum municipii *Regiensis* factum IN TEMPLO COLLEGI FABRUM. Hujus vero moris causam assignabant, ut Numinis *sacramento unusquisque conventus, consuleret in medium*, teste D. *Ambrosio* in epistola contra *Symmachum* Præfectum Urbi, qui aram *Victoriæ* dicatam in curia *Romana* reponendam dicebat, hæc ad Imperatorem scribens: *Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum; neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia juratus noster Ordo decernit.* Victoriæ
F imaginem Augustus A. V. 725. ibidem posuit, *cum curiam Juliam in honorem patris sui factam dedicavit.* Dio *lib.* LI. ubi antea dixerat eundem Principem *Asiaticis* permisisse, ut sibi templum *Pergami*, ac *Nicomediæ* extruerent. *Nam*, inquit, *Romæ & in Italia nemo unquam alicujus pretii homo id facere ausus est; quanquam defunctis Imperatoribus, qui imperio recte usi sunt, cum alii divini honores dantur, tum sacraria tribuuntur.* Aliter tamen *Sextus Aurelius Victor* de eodem Principe scribit: *Hincque uti Deo*, inquiens, *Romæ*



provinciisque omnibus, per urbes celeberrimas, vivo, mortuoque templa, Sacerdotes, & collegia sacravere : Suetonio tamen plenam fidem habeo, qui *cap.* 52. ait: *In urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore*; subindicans in aliis *Italiæ* urbibus haud vetasse, ne divinus sibi cultus deferretur. *Dionem* certe redarguit *Pisanus* lapis, in quo *T. Statulenus Juncus* Flamen Augustalis *Pisis* fuisse dicitur, itemque Augsteum, scilicet ædes sacrata *Augusto*, in quam colonici decuriones publice deliberaturi conveniebant. Tacitus *lib.* 1. *An.* cetera inter, quæ mortuo statim *Augusto* vitio dabantur, hoc refert: *Nihil Deorum honoribus relictum, cum se templis & effigie numinum per Fla-*
55 *mines & sacerdotes coli vellet.* Unus tantum Flamen *Augusti* adhuc superstitis à *Pisano* marmore exhibetur, eoque *Taciti* dictum mirifice illustratur. Et quidem poetæ, quibus cuncta pro arbitrio fingere licuit, non semel *Augustum* Dei nomine appellabant. Manilius *lib.* 1. *Astronomicon* sub initium ait:

Nunc mihi tu, Cæsar, patriæ princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus Orbem,
Concessumque patri mundum Deus ipse mereris.

Pedo Albinovanus in *elegia de consolatione ad Liviam Augusti* uxorem, *Drusum* extinctum ita fantem inducit:

Denique laudari sacrato Cæsaris ore
Et merui, lacrymas elicuique Deo.

Cui similia antea cecinerat Propertius *lib.* IV. *eleg. ult. de Augusto* itidem loquens:

Ille sua gnata dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.

Ovidius *lib.* 1. *Trist. eleg.* 3. Deos, ut sibi *Augustum* placatum redderent, precatus, ait:

Cœlestique viro, quis me deceperit error,
Dicite; pro culpa ne scelus esse putet.
Ut quæ sentitis, pœnæ quoque sentiat auctor,
Placato possim non minor esse Deo.

Et *lib.* IV. *eleg.* 4. cum Jovem ac Augustum nominasset, addit:

Causa tua exemplo superorum tuta duorum est,
Quorum hic aspicitur, creditur ille Deus.

Et *lib.* II. ad Augustum:

Per mare, per terras, per tertia Numina juro,
Per te præsentem conspicuumque Deum.

Horatius *lib.* II. *epist.* 1. ad Augustum.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Et hi quidem Deum *Augustum* fictis carminibus canebant, quem tamen ut reapse Numen *Pisani* coloni per Flaminem divinis honoribus prosequebantur, quod ipsum nobiliores *Italiæ* colonias & & municipia fecisse nullus inficias ibit. Defuncti postea *Augusti Germanicus* Flamen inauguratus est, quod præter nummos prodit lapis *pag.* 236. 4. eidem Cæsari inscriptus:

AVGVRI. FLAM. AVG
COS. II. IMP. II

Illo vero in Syria acerbo fato sublato, Senatus decrevit, teste Tacito *Annal.* 2. *ne quis Flamen, aut augur in locum Germanici, nisi gentis Juliæ crearetur.* Hic *Petri* de *Marca* Archiepiscopi *Parisiensis* sententia refellenda est, qui in *dissertatione de primatu Ecclesiæ Lugdunensis num* 58. ait: *Augustales isti sodales in unum corpus coibant, unde* Seviri Augustales *dicti, quibus ille qui præerat, flamen primus dicebatur, id est, primus collegii & corporis Augustalium.* Eadem inferius repetit *num.* 103. *Sacerdotes*, inquiens, *isti nuncupati sunt tandem* sodales Augustales, *ex instituto Tiberii, apud*
56 *Tacitum lib.* 1. *annal. qui Lugduni, quemadmodum in Bætica, & aliis provinciis erant, sex numero.*

A *Unde in inscriptionibus mentio* IIIIIV. *Aug. id est Sevirorum Augustalium, qui dicti quoque flamines Augustales. Servabant inter se ordinem &c.* Eruditio virum insignem defecit, dum flamines Augustales cum sodalibus Augustalibus perperam confudit. Unius Dei unus tantum erat Flamen, Jovis flamen Dialis, Martis Martialis &c. ita Augusti tum viventis in coloniis, tum mortui etiam *Romæ* unus tantum erat Flamen Augustalis; neque hic erat è corpore sodalium Augustalium; qui quidem sodales Augustales neque erant sex tantum, neque uspiam dicti sunt flamines Augustales. Capitolinus de *Antonino Pio cap.* 13. *Me-*
B *ruit*, inquit, *& flaminem, & Circenses, & templum, & sodales Antoninianos.* Spartianus scribit Helvium Pertinacem à Severo Imperatore in superos relatum, *addito flamine, & sodalibus Helvianis. Cap.* 7. *de vita Severi.* Et Capitolinus *cap.* 15. *de Pertinace* ait: *Filius Pertinacis patris flamen est factus, Marciani sodales, qui Divi Marci sacra curabant, Helviani sunt dicti propter Helvium Pertinacem.* Ita unus ubique Flamen, plures vero ejusdem consecrati Principis sodales laudantur. Spartianus in *Hadriano cap.* 27. scribit eidem vita functo decretos ab *Antonino Pio & flamines & sodales*; nempe ut per singulos flamines de more
C in quocunque oppido coleretur, non vero ut *Romæ*, vel alicubi uno eodemque loco plures flamines sua sacra curantes haberet. Ita etiam *Pacatus* in panegyri ad *Theodosium* laudat apud *Hemonam* urbem *reverendos municipali purpura flamines*, quod ibidem plures flamines essent, quorum singuli sui cujusque Dei sacris operabantur. Extat inscriptio apud Gruterum *pag.* 237. 1. à Seviris Augustalibus *Neroni* Germanici F. dicata.

NERONI. CAESARI
GERMANICI. F
TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG.
D PRON. FLAMINI. AVGVSTALI
SODALI. AVGVSTALI

Palam uti distincta sacerdotia recensentur flaminium, ac sodalitium Augustale. Tacitus *lib.* 1. *An.* ait: *Idem annus*, quo mortuus est Augustus V. C. 767. *novas cæremonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris, sodales Titios instituerat. Sorte ducti è primoribus civitatis unus & viginti. Tiberius, Drususque, & Claudius, & Germanicus adjiciuntur.* Igitur illud collegium sodalium ex viginti quinque sacerdotibus componeba-
E tur, ut plane demirer doctissimum *Marcam* sodales Augustales ad seviros tantum restrinxisse, de quo mox plura dicentur. Porro illud sodalitium *novam cæremoniam* historicus appellavit, quod ante nulli extiterant sodales Augustales, cum tamen A. V. 757. *Pisis T. Statulenus* fuerit flamen Augustalis, aliique etiam in ceteris *Romani* Orbis coloniis, ita ut de utriusque sacerdotii discrimine dubitare nemo possit. De seviris Augustalibus proxime fusius disseram, ac *Marcæ* opinionem iterum confutabo. Hic quidem *num.* 58. ex Grutero *pag.* 29. 12. inscriptionem adducit, in qua memoratur *Tauropolium provinciæ Narbonensis fa-*
F *ctum per C. Batonium* PRIMUM FLAMINEM AUG. ut plures flamines collegium conflasse vi- 57
deantur, in quo primus idem *Batonius* fuerit. Valesius in *notis ad lib.* XXVIII. *Ammiani Marcellini*, & in *commentariis ad cap.* 14. *lib.* VIII. *Eusebianæ Historiæ*, & Gothofredus ad *L.* 2. *quemadmodum mun. civ. C. Theod.* scribunt eos qui provinciæ sacra curabant, appellatos Sacerdotes, eos vero qui in municipiis Dei cujuspiam sacris præerant, flamines nuncupatos. Sane *Martianus*

Imp.

Imp. in Novella quarta laudat *Constantini* Augusti legem, qua vetat *Flamini municipali*, *Sacerdoti provinciæ* uxorem ancillam ducere. Hos tamen refellunt inscripta antiquitus saxa. Nam *pag.* 322. 9. laudatur *Sex. Attius Viennensis* FLAM. PROV. NARB. *Flamen provinciæ Narbonensis. pag.* 324. 8. *Tarracone* dicatur inscriptio *C. Mario Verro Gerundensi* FLAMINI. PROVINCIAE. HISP. CITER. ubi plures ejusdem provinciæ *Hispaniæ* citerioris Flamines nominantur. Item *pag.* 1096. *Mæcius Mæcianus* dicitur FUNCTUS. FLAMINATV. PROVINCIAE. HISPANIAE. CITERIORIS. *Cajus Batonius primus Flamen Augustorum* appellatur, quod inter eos, qui erant Flamines provinciæ *Narbonensis*, primus erat, nempe ante eosdem creatus. Uti coloniæ diversos Flamines diversis *Numinibus* deputabant, quorum primus is dicebatur, qui ante ceteros Flaminio ornatus fuerat: ita etiam provinciæ, habito publico provincialium conventu, Flamines distinctis Numinibus, videlicet singulis singulos assignatos creabant, quorum primus, qui flaminium prior acceperat, dicebatur. *Narbonenses* igitur de provincia benemeritis Augustis Flamines creabant, quorum prior flaminio jussus est pro salute *Septimii Severi* & *M. Aurelii* sacrificium facere. Aliam interpretationem mox afferam, & forte magis probabilem.

Flamines *Romæ* fuere perpetui, quod passim constat ex libris *T. Livii*, in quibus nusquam novus flamen, nisi in demortui locum creatus recitatur. Postea idem sacerdotium in coloniis ac municipiis pro certo quodam tempore delatum fuisse patet ex *L.* 21. *de decur.* qua statuit Constantinus Curiales *post Flaminii honorem*, *& magistratus*, *vel sacerdotii decursa insignia*, non posse cogi fieri præpositos mansionum. In antiquis saxis legitur: *Flamini* II. *Flamini iterum pag.* 489. 10. & *pag.* 321. 10.

C. SEMPRONIO. SPERATO. FLAMINI. DIVORVM AVGG. PROVINCIAE. BAETICAE

IMP. NERVA. TRAIANO. CAES. AVG. GERM. III. VICERIO. ALARIANO. ET. L. MARTIO. POSTVMO. COSS. HIC. PROVINCIAE. BAETICAE. CONSENSV. FLAMINIC. MVNVS. EST. CONSEQVVT. PERACTO. HONORE. FLAMINI. &c.

Habetur hic alter Flamen provinciæ Divorum Augustorum, à provincialibus pro certo tantum tempore nominatus. Cum ante *Trajanum* Imperatorem plures Augusti in Deos relati fuissent, ne flaminum provincialium numerus plus forte justo excresceret, quidam flamines creabantur, qui consecratorum Principum sacra peragerent, quos inter qui primo loco inaugurabatur, primus provinciæ flamen dicebatur; nusquam tamen flaminum
58 collegium legitur, secus ac *Marca* putavit. Alii Flamines erant perpetui, quorum aliquot nobis exhibent vetustæ inscriptiones *pag.* 426. 7. 446. 7. 479. 7. 480. 5. 488 3. 494. 4. & alibi. Constantinus *L.* 2. *quemad. mun. civ.* statuit *Flamines perpetuos* esse immunes ab annonarum præposituris; & in actis de purgatione *Felicis* Episcopi *Aptungensis tom.* 1. *Concil edit.* Labbei nominatur *Felix F. PP. curator coloniæ Cirtensium*; nempe *Flamen perpetuus*. Num *T. Statulenus* in nostro lapide nominatus, fuerit Flamen perpetuus Augustalis, vel tantum ad tempus creatus, incompertum mihi est; puto tamen perpetuum fuisse, uti erant *Romæ* ceteri flamines; temporarii enim flamines sequiori ætate videntur inducti.

Flamines municipales erant ex Ordine decurionum, nec prius sacerdotio ornari poterant, quam municipalia munera obivissent. *L.* 77. *de decur. C. Theod.* Hinc Flamen Augustalis *Pisanus* in cenotaphio nuncupatur PRINCEPS COLONIAE NOSTRAE; nempe primos inter colonos. Cicero *ilb.* III. *fam. epist.* II. Brutum appellat *principem jam pridem juventutis*, *celeriter*, *ut spero*, *civitatis.* In oratione pro domo sua *Pompejum* principem civitatis nuncupat. Censorinus *cap.* 4. *de* die *Natali Q. Cærelium* commendans, ait: *Tu tamen officiis municipalibus functus*, *honore sacerdotii in principibus tuæ civitatis conspicuus &c.* quibus plane honorum titulis noster municipalis Flamen insignitur. Ad augendum honorem Cæsaris *Augusti*, ejusdem sacris fas erat operari virum coloniæ *Pisanæ* principem, uti ejusdem Imperatoris demortui flaminium *Romæ* suscepit Germanicus Cæsar, dein ejusdem filius *Nero*. Creabantur Flamines in municipiis à decurionibus; unde in saxo *Comensi pag.* 438. 7. laudatur *L. Minucius* Exoratus

FLAMEN. DIVI. TITI. AVG
VESPASIANI
CONSENSV DECVRION

Nominatos à decurionibus, magistratus prodebat. Cicero in *Miloniana num.* 20. narrat *Milonem* profectum *Lanuvium ad Flaminem prodendum*, *quod erat Dictator Lanuvii Milo.* Flamines à Pontificibus inauguratos fuisse tradit Grucchius *lib.* 1. *de comitiis pag.* 10. Verum ab auguribus eosdem etiam inauguratos ait Macrobius *lib.* III. *Satur. cap.* 13. ubi inter commensales in cœna *L. Lentuli* Flaminis Martialis numeratur *L. Julius Cæsar augur*, *qui eum inauguravit.* Idem docet Cicero in *Philippica* 2. ubi de *Antonio* Flamine *Julii* nondum inaugurato verba facit.

CAPUT V.

T. Statulenus Juncus Pisis *Pontifex minor. De Pontificum majorum ac minorum distinctione* Panvinii *ac* Gutherii *opiniones ex* Cicerone *rejiciuntur. Pontifex Max. unus erat è collegio majorum Pontificum contra* Sigonium. *Pontifices minores speciale collegium constituebant. Pontifices à* Cicerone *in oratione de domo sua nominati illustrantur*, *ac de eisdem* Gutherii *sententia confu-* 59
tatur. Sigonii *ac* Panvinii *fasti corriguntur. Lectio vulgata* Suetonii *contra* Casaubonum *ex* Cicerone *ac* Dione *probata. Plures errores* Glandorpii *notantur.* Gutherii *erratum de Flamine Diali*, *ejusque juris dicendi potestate. Dii municipales* Italiæ *ex* Tertulliano *producti.* Juvenalis *locus illustratur. Pontifices modo perpetui: modo temporarii extra Urbem creati. Quinquennales in vetustis saxis nominatos*, *non fuisse sacerdotes.*

IDem *T. Statulenus Juncus* princeps Coloniæ *Juliæ Pisanæ*, & Flamen Augustalis, dicitur etiam in eodem Cenotaphio Cajano PONTIF. MINOR PUBLICORUM P. R. SACRORUM. Livio *lib.* XXII. memoratur *L. Cantilius scriba Pontificum*, *quos nunc Pontifices minores appellant.* Quæ verba exscribens Capitolinus *capite* 7. *de vita Macrini*, ait: hunc Imperatorem ac Pontificem Maximum electum, *quum scriba Pontificum esset*, *quos hodie Pontifices minores vocant.* Macrobius *lib.* 1. *Satur. cap.* 15. scribit: *Pontifici minori hæc provincia delegabatur*, *ut novæ Lunæ primum observaret aspectum*, *visamque*

regi sacrificulo nuntiaret. In vetustis inscriptionibus *pag.* 426. 5. dicatur elogium *C. Junio Flaviano* PONTIF. MINORI. *Cicero* initio fere orationis de Haruspicum responsis, *Romanos* Pontifices, qui de restituenda sibi domo judicarunt, recensens, eos inter tres minores Pontifices nominavit. Integrum textum inseram, ut insignium scriptorum in eodem exponendo errores clarius ostendam. *At vero*, inquit, *domum meam P. Cornelius Lentulus consul & Pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, Man. Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Clodius Rex sacrorum, M. Crassus, M. Scaurus, C. Curio, Sextus Cæsar Flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, Pontifices minores, cognita causa, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium astante, omni religione, una mente, omnes liberaverunt.* Hosce judices habuit *Cicero* A. V. 697. pridie Kal. Octobris, ex *lib.* IV. *ad Atticum epist.* 2. Eos inter nominantur Pontifices sedecim, duo *Flamines*, ac insuper rex sacrorum; tres vero pontifices postremo loco post flaminem Quirinalem nominatos, *minores* appellat. Viri eruditi ex hoc *Ciceronis* textu Pontifices in majores & minores dividunt; quanvis in eisdem distinguendis diversas in sententias abeant. *Symmacho* Urbis præfecto, PONTIFICI MAJORI, *Quindecim viro S. F.* dicatur inscriptio *pag.* 370. 3. Altera *pag.* 361. 1. *L. Aradio* Auguri, PONTIFICI MAJORI. Panvinius *de civitate Romana pag.* 417. scribit collegium Pontificum *Romæ* usque ad *Syllam* ex octo tantum sacerdotibus conflatum, quibus cum *Sylla* Dictator A. V. 673. alios septem addiderit ex Liviana epitome *lib.* LXXXIX. plenum eorundem collegium XV. sacerdotum evasisse. Addit majores Pontifices nuncupatos illos octo, qui lege Ogulnia ante *Syllam* collegium componebant; majores vero dictos, qui *Sullana* lege superadditi sunt, in quorum locum qui postea suffecti sunt, minores pariter sunt appellati. Hæc tamen opinio laudato superius *Livii* testimonio refellitur; narrat enim *L. Cantilium* A. V. 538.
60 fuisse *scribam Pontificum, quos nunc Pontifices minores vocant.* Itaque Pontifices minores ii postea dicti sunt, qui diu ante *Syllam Romæ* erant, non vero ii quos nova lege Dictator superinduxit. Rupertus in *Enchirid. Pomponii lib.* III. *cap.* 4. ait in collegio XV. Pontificum primo loco fuisse Pontificem Maximum, reliquos XIV. fuisse Pontifices minores. Hoc quoque falsum esse constat ex *Cicerone* qui tres tantum postremos vocavit Pontifices minores, ut plane appareat ceteros fuisse Pontifices majores, qua ratione *Panvinii* iterum opinio redarguitur. Præterea *L. Aradius* consul æræ vulgaris anno 340. in memorata inscriptione dicitur Pontifex major, itemque *Symmachus*, cum tamen id temporis Gentiles Pontificis Maximi titulum Imperatori tantum deferrent. Gutherius *lib.* I. *de vet. jur. Pont. cap.* 17. opinatur Pontifices patricia è gente appellatos majores, plebejos vero minores dictos; nam lege *Ogulnia* sacerdotiis plebi communicatis, collegia Pontificum & *Augurum* partim ex plebejis, partim ex patriciis componebantur. Hanc quoque opinionem cum superius allatis, laudato *Ciceronis* testimonio erroris manifeste convincitur. Orator ibidem sedecim Pontifices recenset, quorum postremos nuncupat minores; isti igitur neutiquam pertinebant ad collegium XV. Pontificum. Hoc secum tacite reputans *Gutherius lib.* I. *cap.* 31. *Ciceronis* textum mutilavit, quo ultra XV. collegium Pontificum non excresceret; nam referens verba *Ciceronis* post Flaminem Quirinalem ait: *Q.*

A *Cornelius, Q. Terentius Pontifices minores, causa cognita &c.* cum tamen apud *Ciceronem* legatur: *Q. Cornelius, P. Albinovanus. Q. Terentius, Pontifices minores &c.* Sciens, ac volens *P. Albinovanum* è collegio erasit, ne uno supra numerum XV. intruso, collegium Pontificum ex sedecim sacerdotibus conflaretur. *Macrobius lib.* I. *Satur. cap.* 13. referens cœnam datam sacerdotibus in inauguratione *P. Lentuli* Flaminis Martialis, ait: *Duobus tricliniis Pontifices cubuerunt: Q. Catulus, Man. Æmilius Lepidus, D. Syllanus, C. Cæsar rex sacrorum, P. Scævola Sextus, Q. Cornelius, P. Volumnius, P. Albinovanus, & L. Julius*
B *lius Cæsar augur, qui eum inauguravit.* Ex his patet *P. Albinovanum* ac *Q. Cornelium*, quos *Cicero* in oratione habita A. V. 697. minores Pontifices appellat, fuisse Pontifices ante annum Urbis 691. quo mortuus est *Metellus Pius* Pont. Max. ex cujus libris se ea exscripsisse *Macrobius* testatur, *Cæsare* in *Metelli* postea locum creato, ex Dione *lib.* XXXVII.

Ceterum duos alios Pontifices habemus eo anno 697. quo *Cicero* apud Pontifices orationem pro domo sua recitavit; qui tamen judicio non interfuerunt. Et quidem primo loco *Julium Cæsarem* Pontificem Maximum, quem supremo li-
C cet sacerdotio conspicuum, laudati scriptores non observarunt. Eo vero anno *Cæsar* bellum in *Galliis* administrabat, quam in provinciam anno 699. ineunte Aprili profectus fuerat. At Pontifex Maximus unus erat è collegio XV. Pontificum, quod locupletissimis *Livii* testimoniis ostenditur. Etenim mortuo Pontifice Maximo, prius creabatur alius Pontifex, ut integrum ac plenum esset collegium; dein ex eorum numero unus fiebat Pontifex Maximus. Livius *lib.* XXXIX. *cap.* 46. A. V. 571. *M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone* Coss. ait: *Hujus principio anni P. Licinius Crassus Pont. Max. mortuus est; in ejus locum M.*
D *Sempronius Tuditanus Pontifex est cooptatus. Pontifex Maximus est creatus C. Servilius Geminus*, qui A. V. 545. Pontifex suffectus fuerat in locum *T. Otacilii Crassi* ex eodem Livio *lib.* XXVII. *cap.* 6. Idem *lib.* XXV, *cap.* 2. *Mortuo*, inquit, *L. Cornelio Lentulo Pont. Max. in ejus locum suffectus M.* 61
Cornelius Cethegus: Et paulo post: *Comitia inde Pontifici Maximo creando sunt habita*; additque electum *P. Licinium Crassum*, competitoribus *Q. Fulvio Flacco* & *L. Manlio Torquato*, qui ambo erant Pontifices, ex eodem Livio qui *lib.* XXIII. *cap.* 21. ait *Q. Fulvium Flaccum* cooptatum fuisse Pontificem in locum *Q. Ælii Pæti* in pugna *Can-*
E *nensi* occisi. Libro vero XXX. *cap.* 39. ad A. V. 552. ait: *L. Manlius Torquatus Pontifex eo anno mortuus.* Cum *Cæsar* prætura functus Pontificatum Maximum peteret, competitores habuit nobilissimos consulares viros *Q. Catulum* ac *P. Servilium*, ex Plutarcho in *Cæsare*, & Sallustio in *Catilinaria*: quos *potentissimos duos competitores* vocat Suetonius *cap.* 13. Uterque vero erat Pontifex. *Q. Catulus* inter Pontifices in cæna à *Macrobio* memorata recensetur; *P. Servilius* dicitur Pontifex à *Cicerone* in *orat. de haruspicum responsis, & pro domo*; Cæsar vero ex Vellejo *lib.* II. *absens Pontifex factus erat*, cum in *Asia* privata sti-
F pendia juvenis faceret. Denique ipse Cæsar *lib.* III. *bel. civ. cap.* 83. in castris Pharsalibus *jam de Cæsaris*, inquit, *sacerdotio Domitius, Scipio, Spintherque Lentulus quotidianis contentionibus ad gravissimas verborum contumelias palam descenderant*; singuli enim victoriam, occiso Cæsare, sperantes ejusdem Pontificatui maximo certatim inhiabant, *Pompeji*, in cujus castris militabant, operam ad illum obtinendum inani sibi voto pollicentes. Tres isti præcoces Pontificatus candida-

ti erant è collegio XV. Pontificum. *P. Cornelius Lentulus Spinther* consul & *Pontifex* dicitur Ciceroni in *orat. citata*, ubi *num.* 19. addit: *Te appello, Lentule, tui sacerdotii sunt thensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum &c. Domitius* paulo post occisus fuit in pugna Pharsalica, in cujus locum Pontifex factus est *C. Octavius*, qui postea imperium *Romanum* occupavit, teste Nicolao Damasceno in libello de *educatione Augusti*, cujus verba exscribam *dissert.* 2. *cap.* 4. *Q. Scipio* à *Cicerone* inter judices Pontifices ibidem recitatur, quo mortuo, in ejus locum Pontifex creatus fuit *Tiberius Tiberii* Imperatoris pater ex Suetonio *cap.* 4. *in Tiberio.* Ex his constat Pontificem maximum è collegio Pontificum semper electum, ac primum in eodem fuisse. Hæc *Sigonius*, quamvis in Romana historia versatissimus, ignorans scripsit *pag.* 423. *not.* in *lib.* xxv. Livii: *L. Lentulus duobus sacerdotiis præditus fuit: Pontificatu, & pontificatu maximo. In ejus mortui locum M. Cornelius Cethegus Pontifex factus est, P. vero Crassus Pontifex Maximus*; non animadvertens Pontificem maximum ex integro Pontificum collegio creari solitum; quæ tamen ejusdem antagonista *Grucchius* acute observavit. In eundem lapidem offendit Kippingus *lib.* 11, *Antiq. Rom. cap.* 12 scribens Pontifici maximo adfuisse *Pontifices minoris authoritatis primo quatuor, tum quinque, demum quindecim.* Erant enim tantum quatuordecim.

Alterum etiam, præter Cæsarem, è Collegio XV. Pontificum eodem anno V. C. 697. indicat *Cicero* in oratione pro domo sua, ubi irridens Pontificem qui instigante *P. Clodio*, *Tullianæ* domus aream, erecto ibidem Deæ Libertatis simulacro, consecraverat, vocat eundem *num.* 104. *novum Pontificem, primam hanc post sacerdotium initum, religionem instituentem.* Dein num. 91. *Si autem scientia est quæsita, quis erat minus peritus, quam is qui paucis illis diebus, quibus in collegium venerat? qui etiam tibi erat magis obstrictus beneficio recenti, cum se fratrem uxoris tuæ fratri tuo germano antelatum videbat.* Et antea num. 90.
62 *Pontifex*, inquit, *adfuit. Non te pudet, cum apud Pontifices res agatur, Pontificem dicere, non collegium Pontificum adfuisse? præsertim cum Tribunus plebis vel denuntiare potueris, vel etiam cogere? Esto collegium non adhibuisti; quid? de collegis quis tandem adfuit &c. Frater*, inquit, *uxoris meæ.* Postea addit: *Hanc tu dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus P. R. ornatum Pontificem; non denique adolescentem quemquam, cum haberes in collegio familiarissimos, adhibere potuisti? Adfuit is, si modo adfuit, quem tu impulisti, quem soror rogavit, mater coegit.* Pontifex igitur, qui aream domus *Ciceronis* consecraverat, frater erat uxoris *Clodii*. Hæc erat *Fulvia*, quæ *Clodio* occiso, *C. Curioni* nupsit, quam tandem *M. Antonius*, *Curione* bello civili in *Africa* interempto, uxorem duxit; unde pessimum eidem fatum imprecans Cicero in *Philippica secunda*, ait: *Cujus* Clodii *te fatum sicuti Curionem, manet; quoniam id domi tuæ est, quod fuit illorum utrique fatale.* Consule Dionem in fine *lib.* XLVI. & Suetonium in *Augusto cap.* 62. Asconius in argumento Milonianæ, ait: *Ultimæ testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, & uxor Fulvia, & fletu suo magnopere eos qui astabant, commoverunt.* Ex his colligimus Pontificem *Ciceroni* tacito nomine irrisum, fuisse *Fulvium* filium Semproniæ, ac fratrem *Fulviæ Clodii* uxoris. Ejusdem prænomen ac cognomen *Glandorpius* in Onomastico ex collatis duobus *Ciceronis* testimoniis erudite indagavit. Cicero in *orat. pro domo num.* 103. de eodem Pontifice, ait: *Viderat ille Murænam vitricum suum consulem designatum, ad me consulem cum Allobrogibus communis exitii indicia afferri.* In oratione vero *pro Muræna num.* 67. ait: *Non igitur si L. Natta, summo loco adolescens, qui & quo animo jam sit, & qualis vir futurus sit, videmus; in equitum centuriis voluit esse, & ad hoc officium necessitudinis, & ad reliquum tempus gratiosus, id erit ejus vitrico*, nempe Murænæ, *fraudi, aut crimini.* Pontifex igitur suppresso nomine *Tullio* memoratus, fuit *L. Fulvius Natta*, cujus vitricum *L. Murænam Cicero* defendit; *Sempronia* enim, mortuo conjuge, *Murænæ* juncta fuerat. Ex hucusque disputatis colligo A. V. 697. pridie
B Kal. Octobris, cum *Cicero* orationem pro domo sua apud Pontificum collegium recitavit, decem & octo Pontifices *Romanos* nomine nobis cognitos, sacris Deorum præfuisse, quorum sedecim *Tullius* recensuit; duos vero ex illius temporis scriptoribus addidimus, nempe *C. Julium Cæsarem* Pont. Max. & *L. Fulvium Nattam novum Pontificem, qui paucis* ante *diebus in collegium venerat.* Neuter illorum judicio adfuit. Nam *Cæsar* in *Gallia* bellum gerebat; *Fulvius* vero, pudore vetante, ad tribunal non accessit, cum plenis collegarum suffragiis domum *Ciceroni* restituendam certo intelligeret; domi ergo procul à judicio ea die se continuit.
C *Cicero* loco laudato, ante *Sex.* Cæsarem Flaminem Quirinalem, tredecim Pontifices nominat, quibus si addantur *Julius* Cæsar Pont. Max. ac *Fulvius Natta*, qui *Tullianam* aream dedicavit, integrum collegium XV. Pontificum componetur. Hinc recte *Tullius* post recensitum Flaminem Quirinalem, addit: *Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, Pontifices minores*, ut plane intelligamus tres hosce postremos ad collegium XV. majorum Pontificum non spectasse. Pontifices minores alterum collegium inferiorum sacerdotum componebant, quod non obscure indicat Festus *V. Pontifices minores*,
D scribens: *Minorum Pontificum maximus dicitur qui primus in id collegium venit; Item minimus qui novissimus.* Non dicit *in collegium*, sed *in id collegium* 63
nempe Minorum Pontificum, quod erat diversum à collegio Majorum Pontificum, illique ministrare solitum. Lucanus *lib.* 1. describens amburbium *Romæ* peractum, fingit maximum natu vatum *Etruriæ* jussisse Urbem

Ambiri: & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est commissa potestas.
Turba minor sequitur ritu succincta Gabino.
Vestalemque chorum ducit atrata sacerdos.

E Addit Quindecim viros, quibus Sibyllinos libros consulere datum; Augures postea, dein VII. viros Epulones, &c. Post collegium XV. majorum Pontificum, memoratur poetæ *turba minor* Gabino ritu succincta, videlicet Minores Pontifices, quos immediate locat post Pontifices Majores ante Vestales, XV. viros S. F. aliosque sacerdotes. Quædam Pontificum minorum munera recitat Macrobius *lib.* I. *Saturn. cap.* 15. Quot vero fuerint Pontifices minores in suo collegio, incompertum mihi est, nec sum hariolus qui possim divinare. Existimo tamen omnes fuisse plebejos, quales plane fuere tres illi à *Cicerone* memorati,
F nempe *Q. Cornelius, P. Albinovanus*, & *Q. Terentius.* Cicero *Q. Cornelii* meminit *lib.* v. *fam. epist.* 6. ad *P. Sestium* scribens: *Sed posteaquam & Cornelia tua Terentiam convenit, & ego cum Q. Cornelio locutus sum &c.* Hic *Q. Cornelius* cognatus erat *P. Sestii*, nec ullus Corneliorum patriciorum *Quinti* prænomen tulit. *P. Albinovanus* an is sit, quem *Cicero* in Vatiniana ait instructum à *Vatinio* ad accusandum *P. Sestium*, in medio relinquo. *Publium* quemdam *Albinovanum* Sena-

torem à *Sylla* proscriptum scribit Appianus *lib.* I. *bel. civ. pag.* 386. cujus *Albinovanus* Pontifex filius videri possit. *Q. Terentius Culleo* Trib. pl. adstruitur A. V. 697. à *Pighio*; gens vero *Terentia Culleorum* erat plebeja, & aliquot ejus familiæ viri tribunatum plebis gesserunt.

Gutherius *lib.* I. laudato scribit: *Ex quindecim Pontificibus octo fuerunt patricii, septem plebei*; addens patricios appellatos Pontifices majores; plebejos vero minores. Hoc posterius evidenti ratiocinio confutatum est. Primum vero in examen vocandum est, ac recitati à *Tullio* Pontifices illustrandi; quædam enim in adversariis adnotavi, quæ bona Lectoris venia, non historiam, sed philologicos commentarios scribenti, huc advocare liceat; quæ præfari libuit, ne in interpretando *Ciceronis* textu, extra chorum saltare videar. Primus nominatur *P. Lentulus consul & Pontifex.* Is est *P. Cornelius Lentulus Spinther* Cos. A. V. 697. è gente patricia. *Ciliciam* proconsul obtinuit, ac re ibi feliciter bello gesta, triumphum egit ex Cicerone *lib.* V. *ad Atticum epist.* ultima. Bello civili partes *Pompeji* secutus, à *Cæsare* apud *Corfinium* obsessus, colloquium impetrans, inquit Cæsar *lib.* I. *bel. civ. cap.* 22. *Cæsaris in se beneficia exponit, quæ erant maxima; quod per eum in collegium Pontificum venerat &c.* Fugiens ex acie Pharsalica, *Rhodum* appulit; at ab oppidanis exclusus aliò fugam intendit, ac brevi incerta morte extinctus est; nam *Cicero* in *Bruto* eundem recenset cum iis *qui eodem bello occiderunt*, ubi insigne eidem elogium attribuit. Sæpius suis in orationibus *Cicero* plenis velis in *Lentuli* encomia fertur, quod eodem consule, ab exilio revocatus fuit. Illa plane emphatica in orat. *post red. in Sen. Princeps P. Lentulus, parens ac Deus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis &c.* Se-
64 cundo inter judices loco ponit *P. Servilium Vatiam* Cos. A. V. 675. à debellatis in proconsulatu *Cilicum* prædonum oppidis, *Isauricum* appellatum. Extrema senectute diem clausit A. V. 710. quo *Cæsar* occisus fuit. Cicero in *Philip.* 2. quam anno V. 711. recitavit, *proxime mortuum* testatur. Et hic quoque patricia gente natus erat. Tertius nominatur *M. Lucullus* è plebeja *Liciniorum* gente, qui consulatum gessit A. V. 681. in *Terentiam* gentem adoptatus à *M. Terentio Varrone*, frater *L. Licinii Luculli* rebus adversus *Mithridatem* gestis celeberrimi. Provinciam *Macedoniam* sortitus, ob victorias de *Thracibus* aliisque barbaris reportatas, triumphavit ex Livio *lib.* XCVII. ac Cicerone in *Pisoniana.* Cum A. V. 697. Kal. Octobris Senatus haberetur, scribit Cicero *lib.* IV. *ad Atticum epist.* 2. *adhibentur omnes Pontifices, qui erant Senatores*, à quibus cum *Marcellinus* quæsivisset, quidnam pridie judicio collegii Pontificum de domo *Ciceronis* statuissent. *tum M. Lucullus de omnium collegarum sententia respondit: religionis judices Pontifices fuisse, legis Senatum; se & collegas suos de religione statuisse &c.*

His quartum addit Pontificem *Q. Metellum. Pedianus* in argumento Cornelianæ notat florente *Cicerone*, plures fuisse *Quintos Cæcilios Metellos* gentis plebejæ. *Q. Metellus* Pont. Max. ante sexennium obierat. *Q. Cæcilius Metellus Celer* A. V. 694. consulatu functus est, ejusque in eo magistratu gesta laudantur Dioni *lib.* XXXVII. ubi eundem Augurem fuisse scribit. Hic *Claudiæ* uxoris fraude extinctus fuit, ejusque infelicem exitum deplorat Cicero in *orat. pro Cælio num.* 46. Veneno sublatus est A. V. 695. nam *Vatinius* eo anno Tribunus plebis *augur fieri in Q. Metelli locum contendebat*, ex Cicerone in *Vatiniana num.* 14. Ambo igitur isti *Quinti Metelli* obierant, antequam *Cicero* causam de domo sua apud Pontifices dice-

A ret. Duo vero *Metelli* solo agnomine distincti, id temporis apud scriptores *Romanos* celebrantur, *Q. Cæcilius Metellus* Nepos Cos. A. V. 697. & *Q. Cæcilius Metellus Creticus* Cos. A. V. 685. collega *Q. Hortensii* oratoris. Horum quinam fuerit Pontifex inquirendum. Cicero *pro domo sua num.* 94. ait: *C. Atinius patrum memoria, bona Q. Metelli; qui eum ex Senatu censor ejecerat, avi tui, Q. Metelle, & tui, P. Servili, & proavi tui, P. Scipio, consecravit, foculo posito, adhibitoque tibicine.* Plinius *lib.* VII. *cap.* 44. fusius describit furorem ejus Tribuni plebis: *Macedonicus*, inquiens, *in ipso tamen flore dignationis suæ ab C.*
B *Atinio* (in editis libris perperam *Catinio* legitur) *Labeone, cui cognomen fuit Macerioni, Tribuno plebis &c.* *Q. Cæcilius Metellus Macedonicus* fuit consul A. V. 611. censor vero A. 623. *Asconius Pedianus* loco superius laudato, scribit *Q. Metellum* Nepotem consulem A. 697. filium fuisse *Q. Metelli* Nepotis, qui cum *T. Didio* consulatu functus est A. V. 656. ac nepotem *Q. Metelli* Balearici; filii *Q. Metelli* Macedonici. Quare *Q. Metellus* Macedonicus fuit proavus *Q. Metelli* Nepotis Cos. A. 697. quo *Cicero* ab exilio *Romam* revocatus, orationem pro recuperanda domo recitavit. Ex his infero *Q. Cæcilium Metellum* Cre-
C ticum fuisse Pontificem quarto loco à *Cicerone* recensitum. Nam si is fuisset *Q. Metellus* Nepos, noster Orator non dixisset: *Avi tui, Q. Metelle*; sed: *proavi tui*, uti statim dixit: *proavi tui, P. Scipio.* Erravit *Glandorpius* in tabulis *Cæciliorum*, dum *Q. Metellum* Creticum non ab avo *Q. Metello* Macedonico, sed ab ignoto quodam *Q. Metello* avo ortum fingit, ignotiorem eidem etiam *L. Metellum* patrem pro arbitrio assignans. In vulgatis Plinii codicibus *lib.* VII. *cap.* 44. hæc *Q. Metelli* Macedonici, ultimo fato ur- 65
D geretur, postrema verba recitantur: *Ite, filii, celebrate exequias; numquam civis majoris funus videbitis. Et hoc dicebat Balearicis, & Creticis, & Diadematis, jam Macedonicus ipse.* Vellejus Paterculus *lib.* I. cum *Q. Metelli* Macedonici felicitatem describeret, ait: *Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt quatuor filii, unus consularis & censor, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est.* Obiit igitur *Q. Macedonicus* A. V. 639. quo *Q. Metellus* ejusdem filius cum *M. Scauro* consul fuit, & annum post alterum *C. Cæcilius Metellus* Caprarius quartus ejus filius gessit consulatum, collega *Cn. Papirio Carbone.* Profecto A. V. 639. quo
E *Q. Metellus* Macedonicus obiit, cognomen *Cretici* nondum cuipiam *Metellorum* delatum fuerat. Hoc cognomen primum obtinuit *Q. Cæcilius Metellus Creta* A. V. 685. quadragesimo sexto ab avi Macedonici morte, in P. R. potestatem redacta, ex Dione initio *lib.* XXXVI. *Cretensibus*, inquit ibidem, *servitutis jugum impositum est, cognomentumque Cretici Metello dederunt.* Florus lib. III. cap. 7. *Nec quicquam*, inquit, *amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportavit.* Ciceroni in Planciana, quam habuit A. V. 699. Plancius dicitur *miles in Creta Metello hoc imperatore.* Ex his patet *Pliniani* codicis erratum.
F In tribus MSS. Mediceis in pluteo Laurentiano LXXXII. recte legitur: *Et hoc dicebat jam Balearicis, & Diadematis, jam Macedonicus ipse.* Cognomine *Creticis* omisso, quod primus *Cæciliæ* genti intulit *Q. Metellus*, qui Pontifex sedit in causa de domo *Tulliana.* *Q. Metellus* Creticus æmulorum invidia, sub initium *Catilinariæ* conspirationis A. V. 691. nondum ex *Creta* triumphaverat, ex Sallustio *in Catilinaria*, qui tamen teste Eutropio *lib.* VI. D. *Junio Syllano* & *L. Muræna* Coss. *de Creta triumphavit* V. C. A. 692. Kal. Ju-

Juniis. Is A. V. 699. adhuc erat superstes, quòd colligitur ex allatis verbis *Ciceronis* pro *Plancio*; de quo ibidem *num.* 22. ait: *Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini propinqui tui, miles hujus Q. Metelli, quibus cum fuerit probatissimus, hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare.* Obiit paullo post cum Hortensio Oratore *ante initium bellorum civilium*, teste Vellejo *lib.* II. nempe ante A. V. 704. *Sigonius* ac *Panvinius* in fastis scribunt *Q. Metellum* Creticum fuisse filium *L. Metelli* Delmatici. Idem vero *Panvinius* ad A. V. 637. statuit consulem *L. Cæcilium Metellum* Delmaticum filium secundum *Q. Macedonici*. Quæ sententia *Sigonio* pariter placuit. Utrumque tamen insignem scriptorem erroris convincunt fragmenta triumphalia Capitolina apud Gruterum *pag.* 298. 3. ubi legitur.

L. CAECILIVS. L. F. Q. N. METELLVS. ANN. DCX...
DELMATIC. PRO. COS. DE DELMATEIS. III. NO....

Lucius Cæcilius Delmaticus ex hujus tabulæ fragmento designatur filius *L. Cæcilii Metelli Calvi*; quare errarunt laudati scriptores, ad quos etiam accessit *Glandorpius*, dum ejusdem patrem statuunt, *Q. Metellum* Macedonicum, fratrem *L. Metelli Calvi*. Hoc ipsum ex *Cicerone* colligitur. Nam in Sestiana num. 88. M. Scaurum alloquens, ait: *Aut qualis Q. Metellus patruus matris tuæ, qui cum florentem hominem in populari ratione L. Saturninum censor notasset &c.* Is fuit *Q. Cæcilius*
66 *Metellus* Numidicus ex Auctore vitarum Vir. illustrium, *Cæcilia* mater *Scauri* erat filia *L. Metelli Delmatici* Pontificis Max. quod diserte tradit *Pedianus* in Scaurianam. Itaque *Q. Metellus* Numidicus, ac *L. Metellus* Delmaticus fuere fratres germani, filii *L. Metelli Calvi*. *Marci* vero *Scauri* patruus rectè à *Tullio* appellatur *Q. Metellus* Numidicus. Præterea *Sigonius* ac *Panvinius* perperam *L. Metellum Delmaticum* ex fascia, qua ulcus frontis obligabat, Diadematum nuncupatum putarunt. Etenim *L. Metellus* Diadematus erat filius *Q. Metelli* Macedonici, teste *Plinio* laudato; *Lucius* vero *Delmaticus* ex fastis Capitolinis fuit *L. Calvi* F. Amissis indicibus consulum qui initio *lib.* XXXVI. Dionis descripti erant, ac *Q. Metellum* Creticum A. V. 785. ejusque fratrem *L. Metellum* anno insequenti consules designabant, prænomine patris de more addito, incompertum habeo, quemnam ex quatuor *Q. Metelli* Macedonici filiis *Q. Metello* Cretico patrem assignem.

Quintus in judicio Pontificali statuitur *Manius Glabrio* plebeja *Aciliorum* familia genitus, cujus pater *Acilius Glabrio* Trib. pl. legem *Aciliam* de repetundis tulit, ex Cicerone in *Verrina tertia*. Gessit consulatum A. V. 787. ac Pontum cum *Bithynia* lege *Gabinia* sortitus, in *Asiam* transmittens, partas à *Lucullo* contra *Mithridatem* victorias corrupit. Sextus ponitur *M. Valerius Messalla* patricius, qui A. V. 693. consulatu functus fuerat. De eodem hæc scribit Cicero in *Bruto*: *M. Messalla minor natu quam nos, nullo modo inops, sed non nimis ornatus genere verborum, prudens, acutus, minimè incautus patronus in causis cognoscendis, componendisque diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumque causarum.* Hisce sex Pontificibus, viris consularibus addit *L. Lentulum* Flaminem Martialem, cujus nummi prostant apud antiquarios; ejusque cœnam inauguralem Macrobius *lib.* III. *Sat. cap.* 13. describit, ut penè salivam moveat. Ejusdem meminit Cicero *lib.* II. *ad Att. epist.* 24. & *lib.* XII. *epist.* 6. & in *Vati-*
A *niana num.* 19. ait: *L. Lentulum hunc judicem nostrum Flaminem Martialem, quod erat eo tempore Gabinii tui competitor, ejusdem Vettii indicio opprimere voluisti.* Patinus vir eruditissimus in *notis ad cap.* 17. *Suetonii in Julio*, ubi dicitur Cæsar inter socios *Catilinæ* nominatus *apud Novium Nigrum quæstorem à L. Vectio indice*, reponit cum Casaubono *L. Vettio judice*; quod extat nummus inscriptus: VETTIUS JUDEX; & in altera parte: SABINUS. S. C. Verum vulgarem lectionem retinendam esse patet ex Dione *lib.* XXXVII. ubi narrans conjurationem *Catilinæ*, ait: *Alii autem qui nondum deprehensi erant, indicio L. Vettii equi-*
B *tis, qui consors eorum conjurationis, proposita impunitate, indicium professus erat, convicti atque supplicio affecti sunt.* Addit eundem alios postea mala fide indicasse, fraudemque Senatui innotuisse. Idem Cicero in Vatiniana: *Fregerisne in carcere cervices ipsi illi Vettio, ne quod indicium corrupti indicii extaret*; Vettius semel A. V. 691. *Cæsarem* aliosque uti *Catilinæ* socios detulit. Rursus A. V. 695. paris fraudulentiæ operam *C. Cæsari* pollicitus, *exposuit manum fuisse juventutis duce Curione, in qua Paullus initio fuisset, & Cn. Cæpio hic Brutus, & Lentulus Flaminis filius conscio patre &c.* ut *Pompejum* de medio tollerent. *Vettius* tamen
C falsi indicii convictus, ne *Cæsar*, aliique auctores fraudis publicarentur, in carcerem conjectus, laqueo extinctus est. Sane *Cicero* rem narrans Attico *lib.* II. *epist. penultima*, scribit: *Vettius, ille, ille noster index, Cæsari ut perspicimus, pollicitus est &c.* quo dicendi modo designat *Vettium* sibi consuli fuisse indicem conspirationis *Catilinariæ*. At 67
Vettius, qui in nummo designatur, diversus plane est à *Vettio* indice. Sane *T. Vettius* cognomine *Judex*, Prætor quæstionem de repetundis A. V. 695. sortitus est, & ex prætura *Africam* obtinuit, uti ex *Cicerone* in oratione pro *Flacco* ostendit *Pighius* ad eundem annum. Capitolino in
D *Maximo* & *Balbino cap.* 2. memoratur *Vettius Sabinus ex familia Ulpiorum*; unde cognomen *Sabini* in *Vettiorum* gente sequiori etiam ætate auditum est. In vetustis inscriptionibus ponitur epitaphium P. VETTIO. P. F. CAM. SABINO. Apud Gruterum *pag.* 486. 7.

Septimo inter Judices loco appellat *P. Galbam* è patricia *Sulpiciorum* gente in Pontificum collegium adscitum. Hic A. V. 684. Prætor fuit in quæstione de repetundis, quem tamen *C. Verres* hoc anno accusatus, *judicem rejecit*, ex *Verrina* 3. *num.* 12. *Pedianus* in argumento *orat. de toga candida*, eundem vocat *sobrium ac sanctum virum*. A.
E V. 690. cum *Cicerone*, *Catilina*, *L. Cassio* aliisque ex *epist.* I. *ad Atticum* consulatum petens, repulsum tulit. Idem Orator pro *Murænâ num.* 15. ait: *Mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbissimo atque audacissimo, altero modestissimo atque optimo viro peterem; superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam.* Hunc amplissima ex familia hominem; sed sine nervis fuisse scribebat *Quintus Cicero* de petitione consulatus. *Octavus* ibi Pontifex recitatur *Q. Scipio* è patricia *Corneliorum* gente. Hic filius fuit *P. Cornelii Scipionis Nasicæ* & *Liciniæ L. Crassi* oratoris filiæ, ejusque avos ac proavos laudat *Cicero* in *Bruto*.
F Idem tamen à *Q. Cæcilio Metello Pio* Pontifice Max. adoptatus ante A. V. 691. dictus postea fuit *Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio*, uti nominatur à *Cœlio* apud Ciceronem *lib.* VIII. *epist fam. epist.* 8. Edidit munus funebre gladiatorum in honorem *Q. Metelli Pii* ex *Tullio* in Sestiana *nu.* 107. *Glandorpius* memoratam adoptionem non advertens, duos ex uno *Scipiones* fecit in *Onomastico pag.* 261. Illam tamen diserte Dio *lib.* XL. A. V. 792. recensuerat: *Is*, inquiens, *Scipio, cum*

Nasi-

Nasicæ esset filius, testamento in genus hæreditatemque Metelli Pii adoptatus, atque hinc cognomentum Metelli ferens, filiam Pompejo in matrimonium dederat, ab eo contra consulatum, ac ne causam diceret, acceperat. Hinc generi partes secutus, bello civili acie in *Africa* victus, ac navi fugiens, manus sibi intulit, ne vivus in *Cæsaris* potestatem veniret. Itaque ex patricia *Corneliorum Nasicorum* familia ad plebejam *Cæciliorum Metellorum* gentem transierat. Ejusdem Pontificatus meminit Cicero in *Bruto*, cum *Brutum* ita loquentem inducit: *Hic Scipio collega meus*; quod *Brutus* eo A. V. 707. erat è collegio Pontificum, ut patet ex *lib. epist. ad M. Brutum* 10. in qua Cicero: *cujus vos, Pontifices, ad aram in Velabro sacrificium facere soletis. Suetonius* etiam scribit patrem *Tiberii* Imperatoris *Pontificem in locum P. Scipionis substitutum.* In *Tiberio cap.* 4.

Nonum in eodem Pontificali judicio locum tenuit *C. Fannius* stirpis plebejæ; plures autem ejus gentis Tribuni pl. in Republ. floruerunt. Partes *Pompeji* bello civili secutus, milites cum imperio habuit, ex Cicerone *lib.* VIII. *ad Attic. epist. ante penult. Nam aut cum imperio*, inquit, *sunt, ut Pompejus, Setenas, Fannius, Voconius, Sestius, ipsi consules. Sicilia* provincia eidem destinata fuerat; nam *lib.* VII. *ad Atticum epist.* 13. Cicero scribit: *Fannius cum imperio in Siciliam præmittitur*; quamvis *Cato* illuc postea missus fuerit ex Cæsare *lib.* I. *bel. civ. cap.* 22. Idem Cicero *lib.* XI. *epist.* 6. *Pompeji* miserando exitu deplora-
68 to, ait: *De Fannio consoler te? perniciosa loquebatur de mansione tua*; ex quibus colligitur eodem infelici fato A. V. 706. periisse. Decimus Pontifex appellatur *Manius Æmilius Lepidus*, quem pariter in cæna Flaminis *Lentuli Macrobius* inter Pontifices recenset. Gessit consulatum A. V. 688. Cum ob contentiones candidatorum A. V, 702. consularia comitia peragi non possent, *Manius Lepidus* fuit interrex ex *Pediano* in *Milonianum*.

Hisce Pontificibus inseritur à *Cicerone L. Claudius* rex sacrorum. Erat patricia *Claudiorum* gente natus, quem compellans *Cicero* pro domo sua ait: *Et tu, Rex, disce à gentili homine tuo*; nempe *P. Clodio*, quem ibidem insequitur. Hæc verba *Tullii* perperam intelligens *Glandorpius* in Marciis *pag.* 583. putavit ibidem designari *Q. Marcium* Regem Cos. A. V. 686. quem gentilem *P. Clodii* dicit, quod *Claudiam* illius sororem in matrimonio habebat. Verum eo in loco vocem *Rex* non *Marciorum* cognomen, sed sacerdotem regem sacrificulum significare ex oratoris contextu palam deducitur. Cum ante paucos annos in cœna augurali à *Macrobio* dicatur *C. Cæsar rex sacrorum* cum Pontificibus sedisse, & hic alter rex sacrorum à *Tullio* nominetur, vel quispiam *C. Cæsar Glandorpii* Onomastico addendus est; vel dicendus est *C. Cæsar* postea Dictator, id temporis fuisse rex sacrorum, quo sacerdotio abdicavit, cum provinciam *Hispaniam* ulteriorem cum militari imperio accepit post præturam, quam A. V. 692. gessit. Etenim *Romani*, ejectis regibus, quod insignia eorundem in rempublicam beneficia fuerant, volentes regium nomen in Urbe remanere, sacerdotem designarunt, teste Dionysio *lib.* V. *qui sacris tantum præesset, immunis à militia, vocareturque Rex sacrificulus.* Cum *L. Cornelius Dolabella*, qui Duumvir navalis classi præerat, creatus esset Rex sacrorum, *C. Servilius* Pontifex Max. jussit eidem militari magistratu abiret, antequam inauguraretur, quod & Tribus etiam jussere ex Livio *lib.* XL. Hinc *C. Cæsar* cum bellicam gloriam affectaret, antequam in provinciam abiret, sacerdotio regis sacrorum abdicavit, in ejusdem loco *L. Claudio* suffecto, de quo nihil compertum mihi est, cum *Tullius* cognomen reticuerit.

Undecimus Pontifex est *M. Crassus Liciniæ* familiæ plebejæ, duplici consulatu *Pompejo* collega, sed infelici apud *Parthos* exitu magis notus. Ejus vitam *Plutarchus* descripsit; avaritiam vero Urbs, *Palæstina*, ac Orientales *Romanorum* provinciæ expertæ sunt. *M. Scaurus* patricia *Æmiliorum* gente ortus duodecimum inter judices locum tenuit. Hujus avus ex Auctore de viris illust. *quamvis patricius, ob paupertatem carbonarium negotium exercuit*; pater vero multis in Republica honoribus floruit, Consul, ac postea Censor, quo in magistratu viam *Æmiliam* stravit, *quæ per Pisas & Lunam usque Sabatios indeque Derthonam ducit*, ex Strabone *lib.* V. *pag.* 150. Glandorpius *pag.* 35. scribit uxorem habuisse *Cæciliam Q. Metelli* Pont. Max. filiam, ex qua *M. Scaurum* Pontificem suscepit. Errat; etenim *Cæcilia* uxor patris *Scauri*, erat filia *L. Cæcilii Metelli* Delmatici Pont. Max. uti ex *Pediano* in *Scaurianam* prænotavi, quæ marito mortuo, *Syllæ* dictatori nupsit, ex Plutarcho in *Sylla*. Munus ædilitium *M. Scauri* Pontificis in causa *Ciceroniana*, describit Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* 15. Vocat *opus maximum omnium, quæ unquam fuere humana manu facta.* Quæstor antea *Pompeji* in Oriente *Palæstinam* rexit ex *Appiano* in *Syriacis*, & *Josepho lib.* XIV. *antiq. Jud. cap.* 8. Idem postea ex judice *Ciceronis* cliens, ob *Sardiniam* avare administratam, reus repetundarum à *Cicerone* defensus fuit, cujus ora- 69
tionis fragmenta *Pedianus* posteritati servavit. Cum in A. V. 701. consulatum peteret, repulsam passus, ac largitionum convictus, in exilium missus fuit A. V. 702 Lege Appianum *lib.* II. *bel civ. pag.* 442. *Pedianum* in *Scaurianam*, Ciceronem *lib.* IV. *epist. ad Atticum*, & *lib.* III. *ad Q. Fratrem.* Majorum Pontificum collegium complet *C. Curio*, qui decimo tertio loco à *Cicerone* nominatur; nam Flaminem Martialem ac regem sacrorum extra numerum Pontificum repono. *Curio* è *Scriboniis* plebejis fuit; quem sane non *C. Curionem*, qui bello civilium maximo omnium primus facem subjecit, sed ejusdem patrem fuisse ex *Cicerone* probatur. *C. Scribonius Curio* functus consulatu A. V. 678. *Macedoniam* provinciam sortitus, *Dardanos & Mœsiacos subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque pervenit*; ex *Sex. Rufo* in Breviario. Ejusdem ex *Macedonia* triumphi meminit Cicero *in Pisonem*, & Eutropius *lib.* VI. Hic tertius suæ ætatis orator est habitus, uno tantum, ut inquit Cicero *in Bruto*, *verborum splendore* commendatus. Testatur tamen ibidem neminem, qui in oratorum numero fuere, abs se cognitum *in omni genere honestarum artium tam indoctum tam rudem.* Præterea ostendit vel in scribendo turpes illum memoriæ defectus passum esse; nam in dialogo, quem cum Curione filio, *Cæsare* consule, habere fingit, *cum sermo esset institutus, senatu misso, quem senatum Cæsar consul habuisset, reprehendit eas res, quas idem Cæsar anno post, & deinceps reliquis annis administravisset in Gallia. Cæsar* A. V. 695. consulatu functus est; quare si *Curio* reprehendit ea quæ anno sequenti, & deinceps reliquis *Cæsar* in *Gallia* gessit, *Curio* vivebat A. V. 697. quo judicium Pontificale de domo *Ciceronis* habitum fuit. Eundem A. V. 700. vel insequenti mortuum esse colligo ex ejusdem *Ciceronis* epistolis. Nam *lib.* II. *fam. epist.* 2. *C. Curionem* filium ob mortem patris consolatur, scribens *C. Curionem* patrem omnium fortunam superaturum fuisse, *si ei contigisset, ut te ante videret, quam è vita discederet. Curio* filius id temporis erat in *Asia* quæstor *C. Clodii* proprætoris, qui A. V. 700. *Asiam* provinciam obtinebat, ex *epist.* 14. *lib.* IV. ad *Atticum.*

Cum

Cum *M. Antonius* dictitaret se petitionem auguratus *Ciceroni* concessisse; mendacem ejusdem jactantiam confutans in *Philip.* 2. sub initium ait: *Poteras autem eo tempore auguratum petere, cum in Italia Curio non esset? aut tum cum es factus, unam tribum, sine Curione, ferre potuisses?* At *Cicero* factus est augur in locum *P. Licinii Crassi* A. V. 701. cum *M. Crasso* patre à *Parthis* cæsi, teste Plutarcho in *vita Ciceronis.* Præterea *lib.* II. *cit. epist.* 6. scribit Curioni: *Nondum erat auditum te ad Italiam adventare, cum Sex. Julium Milonis mei familiarem cum his ad te literis misi: sed tamen cum adventare tuus adventus putaretur, & te jam ex Asia Romam versus profectum esse constaret.* Narrat ibidem *Milonem* petere consulatum, cui se omnem operam debere testatur; ipsumque *Curionem* etiam atque etiam rogat, ut *Milonis* petitioni adjumento esse velit. *Milo* A. V. 701. erat candidatus consulatus, competitoribus *Plautio Hypsæo, Metello Scipione, C. Memmio,* aliisque ex Appiano *lib.* II. *bel. civ. pag.* 442. Itaque etiam A. V. 701. *Curio* filius aberat *Roma,* ac proinde intra A. V. 700. & 701. ejusdem pater è vita migravit. Scio Dionem *lib.* XL. A. V. 704. scribere *Curionem* Trib. pl. petiisse, ut ad ferendas leges, alter mensis intercalaretur, cum nulla esset intercalationis necessitas, *quod Curionem ipsum; quippe Pontificem, minime fugiebat.* Verum novum id temporis Pontificem fuisse *Curionem* col-
70 ligo ex *lib.* II. *laudato epist.* 7. cujus legitur inscriptio: *Cicero procos. C. Curioni Trib. plebis;* ubi gratulatus *Curioni* tribunatum, ait: *De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quanquam difficili in re atque causa cognosces ex iis literis, quas Thrasoni liberto tuo dedi.* Rogat postea *Curionem,* ne sibi imperium prorogetur. Hæc epistola scripta est A. V. 703. quo *Cicero* proconsul *Ciliciam* administravit, ac *Curio* in annum insequentem Tribunus designatus fuit, quo tempore *Curio* sacerdotio in Pontificum collegio ornatus fuit, ut *Curio* Pontifex in causa de domo *Ciceronis* A. V. 697. non filius, sed pater omnino censendus sit. Hactenus de Pontificibus majoribus, qui de domo *Tulliana* judicarunt; ex quibus constat errasse *Gutherium,* dum illorum octo patricios, septem vero plebejos statuit. Nam eo anno erant in collegio Pontificum septem patricii, *C. Julius Cæsar, P. Lentulus Spinther, P. Servilius Isauricus, M. Valerius Messalla, P. Sulpicius Galba, Man. Æmilius Lepidus, M. Æmilius Scaurus;* octo vero plebeji, nempe: *M. Licinius Lucullus, Q. Cæcilius Metellus Creticus, Man. Acilius Glabrio, Q. Metellus Pius Scipio, C. Fannius, M. Licinius Crassus, C. Scribonius Curio, L. Fulvius Natta. Quibus Cicero* inserit *L. Cornelium Lentulum Flaminem Martialem, L. Claudium* regem sacrorum, ac *Sex. Julium Cæsarem* Flaminem Quirinalem, quæ sacerdotia patriciis tantum gentibus conferebantur ex Cicerone in *orat. pro domo num.* 30. neque unquam uti auguratus ac Pontificatus, plebi communicata sunt.

Idem Gutherius *lib.* I. *de vet. jure Pont. cap.* 32. cum inter judices Pontifices, qui de domo *Ciceroniana* sententiam tulere, Flamen Dialis neutiquam ab Oratore recenseatur, putavit Flaminem Dialem juris dicendi potestate caruisse, quod ex *Fabio Pictore* quotidie feriatus erat; additque ex indice Judicum in causa de domo sua à *Cicerone* memoratorum constare, Dialem non fuisse è collegio Pontificum, in quo tamen censebantur Flamen Martialis ac Quirinalis cum rege sacrorum, quoties de sacris apud collegium agebatur. Vir eruditus rem plane ignoravit. Etenim cum A. U. 697. agitabatur causa *Ciceroniana,* nemo erat id temporis flamen Dialis. Anno urbis 667. *L. Cornelius Merula* Flamen Dialis consul suffectus in locum *Cinnæ,* qui consulatu, urbeque ejectus fuerat, eodem anno *Cinna* cum victore exercitu in urbem ingresso, *sibimet ipse venas secuit, scripta prius tabella, testatus se id fecisse,* deposito apice; flaminem enim apicatum mori nefas habebatur. Vellejus vero *lib.* II. ait: *Quos sæpe pro salute Reipublicæ flamen Dialis precatus erat Deos, eos in exercrationem Cinnæ partiumque ejus tum precatus, optime de re publica meritum spiritum reddidit.* At certum est post *Merulam* neminem flaminem Dialem fuisse inauguratum ad annum usque A. U. 744. Tacitus *lib.* III. *An.* scribit: *Duobus & septuaginta annis, post Cornelii Merulæ cædem, neminem suffectum,* Dio vero *lib.* LIV. *Tum quoque primum post Merulam, Flamen Dialis creatus est.* Quæ verba perperam de Augusto dicta Pighius *tom.* 3. *An.* accepit scribens ad annum Capitolinum 743. *Augustus flamen Dialis creatus est.* Nam inauguratus fuit *Cornelius Lentulus Maluginensis,* cujus consulatus suffectus una cum flaminio Diali, imperante *Augusto* A. U. 763. ita in fastis Capitolinis designatur: EX. K. JUL. SER. CORNELIUS. CN. F. CN. N. LENTUL. MALUGIN. FLAM. DIAL. Tacitus *lib.* III. *An. Servius Maluginensis flamen Dialis, ut Asiam sorte haberet, postulavit.* Suetonius de *Augusto cap.* 31. ait: *Nonnulla etiam ex antiquis cæremoniis paullatim abolita restituit: ut salutis augurium, Diale flaminium &c.* 71
Hinc Flamen Dialis suos inter judices Pontifices à *Cicerone* non recitatur, quia nullus per ea tempora erat flamen Dialis. Equidem alterum etiam *Gutherius* peccat scribens Diales magistratus *Romæ* non cepisse, quod quotidianis feriis impediti, jus dicere non possent. Nam Servius Maluginensis *lib.* III. Taciti testatus est, *Sæpe Pontifices Dialia sacra fecisse, si Flamen valetudine, aut munere publico impediretur.* Itaque & Diales munere publico fungebantur. Livius *lib.* XXXIX. scribit A. U. 571. *Prætores ita sortiri jussi, uti flamini Diali utique altera jurisdicendi Romæ provincia esset. Is fuit C. Valerius* Flamen Dialis, eo anno prætor electus. Idem antea fuerat Ædilis curulis ex eodem *Livio;* ædiles vero circa ea quæ ad ipsorum magistratum attinebant, jurisdictione pollebant. Hinc Auctor de viris illustr. in *M. Scauro* ait: *Ædilis, juri reddendo magis, quam muneri edendo studuit.* Denique *Merula* ac *Maluginensis* aliique consules, quos *A. Gellius* tacito nomine recitat, consulatum gessere, ut plane omnis de Dialium jurisdictione dubitatio evanescat.

Hisce pro insigni *Ciceronis* testimonio de majoribus ac minoribus Pontificibus, prolixius disputatis, ad *Pisanæ* coloniæ Pontificem minorem, à quo longius excurrere libuit, revertor. Is in nostro lapide inscribitur *Pontifex Minor* SACRORUM PUBLICORUM P. R. *Italiæ* urbes, antequam in easdem *Romani* coloni deducerentur, particularia quædam Numina colebant, eorumque sacris proprii Pontifices operabantur. *Tertullianus* quorundam *Italiæ* populorum Deos recenset in Apologetico *cap.* 24. scribens: *Romanas, ut opinor, provincias edidi; nec tamen Romanos Deos earum, quia Romæ non magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur: Crustuminiensium Belventinus, Narniensium Viridianus, Asculanorum Ancharia, Volsiniensium Nursia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum in honore est pater Curis, unde accepit cognomen Juno.* Juvenalis *Sat.* 10. *v.* 74. ait:

—— idem populus, si Nurscia Thusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, ac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum.

Sejanus Tacito initio *lib.* IV. *Annalium genitus Vulsiniis* dicitur; at *Vulsinensium* Dea erat ex *Tertulliano Nursia*, quæ tamen in quibusdam codicibus perperam *Nersia* appellatur. At *Farnabius* proximo *Tertulliani* loco ignorato, putavit *Nursciam Thuscorum* omnium Numen fuisse, quam tantum *Vulsinienses* è duodecim *Etruriæ* populis adorabant. *Antiates* Fortunæ Equestri templum dicaverant; Romæ *nullum tamen tali cognomento erat.* Tacitus *lib.* III. hæc prodit, additque *Romanos* decrevisse, *cunctas cæremonias Italicis in oppidis, templaque, & Numinum effigies, juris atque imperii Romani esse.* Lepide Tertullianus: *Satis etiam video Deos decuriones, curiasque municipii, quibus honor intra muros suos determinatur.* Hinc Cicero *pro Flacco num.* 54. *Sua cuique*, inquit, *civitati religio est; nostra nobis.* Antiqua suorum Arpinatium sacra laudat initio *lib.* II. *de legibus: Hic sacra, hic genus, hic majorum multa vestigia.* Hæc particularia urbium sacra vulgo municipalia dicebantur. Extat inscriptio *pag.* 66. 3. quam dicavit *L. Calpurnius.*

72 II. VIR. BIS. FLAM
SACR. PVB. MVNICIPAL

Festus ait: *Municipalia sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt, ante civitatem Romanam acceptam: quæ observare eos voluerunt Pontifices, & eo more facere, quo fecissent antiquitus.* Sigonius *lib.* 1. *de ant. jure Italiæ cap.* 4. scribit cives *Roma* in colonias deductos, earum urbium, in quibus collocati essent, sacra secutos fuisse, *Romanis* sacris desertis, quod *Cicero* in agraria secunda adhortans plebem *Romanam*, ne sineret se lege *Rulli* in colonias mitti, hæc pro concione dixit: *Vos vero, Quirites, retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.* Quare si coloni non agebant festos dies, quos *Romæ* celebrabant, *Romana* sacra amittebant. Hanc tamen opinionem saxum *Pisanum* elidit, in quo *T. Statulenus* inscribitur *Pontifex minor sacrorum publicorum Populi Romani.* Itaque *Pisana* in colonia servabantur sacra publica victoris gentium populi. *pag.* 1011. 1. Julius Zosimus dicitur: CUR. SAC. PUB. P. R. *Curator sacrorum publicorum populi Romani.* Est tamen *Romana* inscriptio. Profecto *Cicero* ibidem ait *num.* 92. *Huc isti decem viri, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex Pontifices constituent.* Itane electi ex numero civium Pontifices, ad nova sacra transire debebant? immo una cum collegiis quæ *Romæ* summo in honore erant, *Romanorum* etiam Deorum cultum in colonias deferebant. Cum Paulus *Act.* 16. una cum *Sila Philippensibus* Christianam religionem traderet, utrumque ad tribunal traxerunt, dicentes: *Annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. Philippi*, ut ibidem dicitur, erat *prima partis Macedoniæ civitas colonia*, quod & nummus indicat inscriptus: COL. AUG. JUL. PHILIP. apud Spanhemium *dissert.* 2. *pag.* 57. Illos vero apud *Philoppopolim Romanorum* Deorum cultum secutos, ex laudatis eorundem verbis apparet. Nec oppositum *Cicero* adstruit in oratione contra *Rullum.* Nam quo plebem à mutando patrio solo revocaret, universa *Romanæ* urbis commoda, majestatem magistratuum, fori frequentiam, ludorum voluptates, tot festorum dierum solemnitates ob oculos ponit, ac statim addit: *Nisi forte mavultis, relictis his rebus atque hac luce Reipublicæ, in Sipontina siccitate, aut in Salpinorum pestilentiæ finibus, Rullo duce, collocari.* Equidem Circenses in

A coloniis celebratos ex nostro lapide Cajano *dissert.* 3. ostendam. Tertullianus *cap.* 7. *de spect.* ait: *Ea si minore cura per provincias pro minoribus viribus administrantur; tamen omnes ubique Circenses illuc deputandi, unde & petuntur, inde inquinantur, unde sumuntur.* In iis vero ludis sacrificia more *Romano* ubique fiebant, uti idem scriptor affirmat. Præterea forum habebant in coloniis, sua comitia, & alia, quæ quod ob exilitatem umbra tantum essent eorum, quæ *Roma* discedentes in colonias, amissuri erant, ideo Orator plebem monebat, ne legem *Rulli* ratam haberet.

B Pontifices *Romæ* perpetuos fuisse, nisi ultro sacerdotio abirent, vel eodem privarentur, ex Livianis monumentis superius notavi, quod initio in coloniis etiam observatum puto. Verum ad certum tempus postea creari cœperunt: In marmore *Pisano* nuper effosso laudatur *Felix Herculeo* PONT. PERP. REIP. PIS. *Pontifex perpetuus Reipublicæ Pisanæ.* 73

Ex quo constat posteriori ætate *Pisis* Pontifices temporarios inaugurari solitos; alias nullus augendi honoris causa, dictus fuisset perpetuus, si nemo ad pontificatum stato tempore finiendum, promotus fuisset. In vetustis saxis *Pontifices perpetuos* designatos vide *cap.* 3. indicis Gruteriani.

C Cicero in *Verrina* 4. annuum Pontificem *Syracusis* creari solitum testatur: *Syracusis lex est de religione, quæ in annos singulos Jovis sacerdotem sortito capi jubet.* Et inferius: *Cephaledi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat.* Num vero in coloniis annui Pontifices designati fuerint, mihi plane incompertum est. Quod quidam in antiquis monumentis dicantur *Pontifices quinquennales pag.* 437. 5. putarunt viri eruditi Pontifices ad quinquennium creatos. Verum duas ibidem dignitates expressas censeo, ut quinquennales fuerint in coloniis, qui *Romæ* censores

D dicebantur, de quibus Cicero *lib.* III. *de legibus*, XII. tabularum sanctionem refert: *Magistratum quinquennium habento*; unde singulis lustris creabantur. Cicero *in Verrina* IV. à *num.* 91. de censoribus *Siciliæ* plura narrat; præsertim: *censores binos* in singulis civitatibus creatos, & *propter magnitudinem potestatis hunc magistratum à populo summa ambitione contendi*; denique *quinto quoque anno Siciliam* totam censeri. *pag.* 366. Gruteriani thesauri inscriptio secunda legitur.

S. P. Q. NEAPOLITANVS
D. D. L. ARRVNTIO. L. F
GAL. BAEBIO. CENSORI
E REIP. NEAP

Censores colonici vulgo quinquennales dicebantur, quod quinto quoque anno crearentur. Eos vero à Pontificibus distinctos probat inscriptio *pag.* 479. 8.

D. M.
C. VALERI
PETRONIANI
DECVR. PONTIF. SACERD
IVVEN. MED. CAVSIDIC. QVINQ

F In qua cum dicatur *Pontifex, Sacerdos juvenum Mediolanensium, Causidicus*, & denique *Quinquennalis*, palam indicat Pontificatum ac quinquennalitatem diversos coloniarum honores designare; non vero Pontificem in quinquennium creatum. *pag.* 394. 7. *Cominius* quidem inscribitur PONTIF. ET. QQ. *Pontifex & quinquennalis.* Igitur erant munera diversa. Plura id genus epigrammata addensat junior Gothofredus ad *leg.* 7. *de Pistoribus C. Theod.* In inscriptione Pisaurensi

ſaurenſi *pag.* 322. 8. legitur: Huic ANNO QUINQUENNAL. *Petinii Priſci mariti ejus plebs urbana ob merita eorum . . . .* Hinc tamen non infertur quinquennalitatem fuiſſe annuum magiſtratum; nam ibidem honor à plebe uxori *Petinii* delatus indicatur anno, hoc eſt, ut vulgo dicimus, *in un anno* quinquennalitatis mariti.
74 *Apulejus lib.* x. ait: *Gradatim permenſis honoribus, quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus*; quemadmodum *Romæ* cenſores eligebantur, qui aliis magiſtratibus antea perfuncti fuerant. *Hadrianus* Imperator *Adriæ quinquennalis* creatus dicitur *Spartiano cap.* 19. ſed de his hactenus.

CAP. VI.

Augures in Coloniis. Auguſtalis Piſanus *ex vetuſta inſcriptione producitur. Auguſtalium origo deducta. Eorum ſacerdotium contra* Velſerum *probatur. Ejuſdem &* Marcæ *V. C. de numero Auguſtalium opinio rejecta. Seviri Auguſtales iidem Magiſtri nuncupati. Auguſtales ſacerdotes in ſeniorum ac juniorum collegia diſtributi. Creabantur à Decurionibus. Jus ſacrum dicebant. Plures de iiſdem* Reineſii *errores refelluntur. Liberti inter Auguſtales referri poterant. Eorum dignitas ſupra plebem at infra Decuriones. Quidam perpetui Auguſtales creati.*

Præter Pontifices erant etiam in coloniis Augures cum ad templa dedicanda, comitia decurionum habenda, aliave more *Romano*; præmiſſis auſpiciis, facienda, augures in coloniis lege Triumvirali conſtituebantur. Hinc *Rullus*, cum coloniam *Capuam* vellet deducere, *decem augures*, *ſex Pontifices* eo mittendos eſſe dicebat apud Ciceronem *in agraria*. *Sex. Voluſius* AUGUR *Spoleti* memoratur *pag.* 171. 1. Altera inſcriptio *pag.* 444. 3. dicatur *L. Octavio* AUGURI EX D. D. (*Decurionum decreto*) CREATO. Similia habentur *pag.* 172. 13. Extat *Piſis* apud *Roncionios*, uti ſuperius retuli, prægrande ſaxum, in quo uxori *Meitiæ Januariæ* epitaphium ſculpendum curavit *Q. Obſequentius Severinus*

AVG. PISIS. CVR. KAL. FLORENTINORVM

Si quis contenderet ibidem AUGUREM coloniæ *Piſanæ* deſignari, nullum cum eodem contentionis funem ducerem. Ipſe tamen arbitror Auguſtalem illis notis AUG. exprimi, quorum ſane Auguſtalium mentio iiſdem omnino literis expreſſa in innumeris inſcriptionibus toto *Romano* Orbe dicatis, occurrit. Horum originem recitat *Tacitus* ſub initium principatus *Tiberii*, ante exitum anni Juliani 59. V. C. 767. quo Auguſtus & imperandi & vivendi finem fecerat; *Idem annus*, inquit, *novas cæremonias accepit, addito ſodalium Auguſtalium ſacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris, ſodales Titios inſtituerat. Sorte ducti è primoribus civitatis unus & viginti. Tiberius Druſuſque & Claudius & Germanicus adjiciuntur.* Anno vero inſequenti ait *Falanio* equiti *Romano* crimen ab accuſatore prætentatum, *quod inter cultores Auguſti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur, Caſſium quendam mimum, corpore infamem adſciviſſet.* Uti *Piſani*, honoris cauſa, adhuc ſuperſtitis Auguſti ſacerdotem, quem Flaminem Auguſtalem dixere, in colonia *Julia obſequenti* creaverant, ita *Tiberius*, ejuſque exemplo plerique in Urbe Auguſtales ſodales inſtituerunt, qui conſecrati poſt mortem *Auguſti* tanquam Numinis ſacra curarent. Tum *Romani* orbis coloniæ aliaque oppida Auguſtalium collegia inſtituerunt, ut inſigni erga demortuum principem officio, ſucceſſoris ſibi benevolentiam

A conciliarent. Viri doctiſſimi in Auguſtalibus deſcribendis, minus feliciter ſtylum exercuerunt; 75
quamvis ex vetuſtis ſaxorum elogiis plenam eorundem cognitionem aſſequi potuiſſent. Velſerus *lib.* v. *rerum Auguſtæ Vindelicorum pag.* 103. ſcribit ex laudato *Taciti* libro Auguſtales dicendos eſſe ſacerdotes; at inquit *vetare lapides*, *in quibus ſodalium nomen numquam additum*, *& à flamine Auguſtali unus plane diſtinguit:* FLAMINI DIVI AUG. VI. VIRO AUGUSTALI; *nec enim unus aliquis ejuſdem Numinis flamen & ſodalis.* Hujus poſtremi dicti falſitas patet ex inſcriptione *Neronis Cæſaris Germanici* F. ſuperius allata,
B in qua idem dicitur *Flamen Auguſtalis*, *ſodalis Auguſtalis.* Ejuſdem etiam pater *Germanicus pag.* 236. 4. inſcribitur FLAM. AUG. quod idem tradit *Tacitus*, cujus verba ibidem adduxi; qui tamen diſerte affirmat *Germanicum* adjectum ſupra numerum ſodalibus Auguſtalibus una cum *Claudio*, de quo Suetonius in *ſexto cap. vitæ ejuſdem* ait: *Senatus quoque, ut ad numerum ſodalium Auguſtalium ſorte ductorum, extra ordinem adjiceretur, cenſuit.* Tacitus diſerte Auguſtales vocat ſacerdotes *lib.* I. ubi referens honores mortuo *Germanico* decretos, ait: *Ut nomen ejus Saliari carmine caneretur, ſedes curules ſacerdotum Auguſta-*
C *lium locis, ſuperque eas querceæ coronæ ſtatuerentur.* Nec vetant lapides, cum in iis ſæpe Auguſtalibus addatur vox *ſodalium*, ſecus ac *Velſero* viſum fuit. *pag.* 381. 1. inſcribitur elogium *C. Cæſonio Macro* SODALI AUGUSTALI. *pag.* 453. epigramma dicatur *Tiberio Plautio Silvano* SODAL. AUG. Item *pag.* 465. 5. *C. Sallio Ariſtæneto* ſeptemviro epulonum, SODALI AUGUSTALI &c. Auguſtalium ſacerdotum mentio non ſemel fit in iiſdem inſcriptis antiquitus ſaxis. *pag.* 372. 7.

L. AVRELIO. L. L
VICTORI
D DOMO. EQVO. AVG. ET
SENIAE. SACER. PRIM
CORP. AVGVSTALIVM
ORNAT. ORNAM
DECVRIONALIB
PLEB. SENIENSIVM
AERE. COLLATO

Pag. 1100. 7. *Sextus Apuſius Bæbius* VI. Vir Auguſtalis appellatur TABULARIS SACR. AUGUSTAL. Minus etiam recte idem Velſerus
E *pag.* 104. ſcribit Auguſtales ſex in unoquoque corpore fuiſſe, quod paſſim in antiquis lapidibus legitur: *VI. Vir Auguſtalis*, in qua opinione fuit etiam doctiſſimus *Marca* in diſſert. de *primatu Eccleſiæ Lugdunenſis num.* 103. *tomo* X. *Concil. edit. Labbeanæ pag.* 557. In collegium Auguſtalium *Romæ* à *Tiberio* primitus inſtitutum è primoribus civitatis unus & viginti ſortito adſciti fuerunt, quibus quatuor ſupra numerum adjecti ſunt, teſte *Tacito*, cujus verba ſemel atque iterum recitavi; tantuſque eorundem numerus ſtatim *Romæ* excrevit, Auguſti ſacri plurimis ſeſe certatim initiantibus, ut eodem auctore, *per omnes domos in-* 76
F *modum collegiorum haberentur.* Coloniæ partim adulandi calliditate, partim ambitonis ſenſu, collegia, ſeu corpora Auguſtalium ſacerdotum, imperantis Urbis exemplo, inſtituerunt, in quibus ſex primum nominati, Seviri Auguſtales dicebantur; uti in ordine Decurionum decem primos *cap.* 3. produxi. Illi vero Magiſtri quoque Auguſtales nuncupati ſunt. Cum eorum numerus in coloniis ac municipiis excreviſſet, in plura collegia partiti ſunt, nempe Juvenum, ac Seniorum quibus, diſtincti VI. Viri præerant. Hæc ex

vetustis elogiis lapidum nobis constant, cum hac de re scriptores ne verbum quidem fecerint. *pag.* 414. 2. *Reate.*

T. FVNDILIO. GEMINO. VI. AVG. MAG
IVV. AVGVSTALES. PATRONO. ET. QVINQ.
PERPETVO. &c.

Pag. 397. 1. dicatur elogium *Brixiæ L. Cornelio Prosodico.*

VI. VIRO. AVG. BRIXIAE. ET
VERON. SACERD. COLLEG
IVVENVM. BRIXIAN
PRIMVM INSTITVTI

Non unum vero tantum fuisse *Brixiæ* collegium juvenum Augustalium patet ex *pag.* 366. 6. ubi laudantur COLLEGIA JUVENUM BRIXIAN. In agro *Veronæ* patriæ *pag.* 444. 6.

Q. OCTAVIO
Q. L. POP. PRIMO
VI. VIRO. AVG
SAC. IVVEN

Nempe *VI. Viro Augustali sacerdotum juvenum. pag.* 49. 2. VI. VIR. JUN. DECUR. *pag.* 43. 8. VI. VIR. JUN. DEC. Videlicet: *Sevir juniorum decuriæ.* Item *pag.* 1088. 12. Profecto si juniores erant in decurias distincti, senarium numerum excedebant. *Mediolani* Seviri juniores nominantur *pag.* 488. 11. & 490 8. Ibidem etiam laudantur *Seviri seniores pag.* 384. 5. 416. 3. Augustales colonici, uti Pontifices & augures, à decurionibus creabantur. Extat epitaphium, quod *pag.* 409. ponit.

FAVSTVS
VI. VIR. ET. AVGVST
QVI. INTER. PRIMOS
AVGVSTALES
A. DECVRIONIBVS
AVGVSTALIS. FACTVS. EST

77 In hac inscriptione cum dicitur *Sevir & Augustalis*, idem significatur quod in aliis lapidibus sculptum legitur: *Sevir Augustalis.* Ceterum conjunctio ET passim inserta habetur in eisdem inscriptionibus *pag.* 68. 3. 472. 8. 475. 6. Item: *Sevir senior & Augustalis pag.* 43. 8. 481. 3. & in *Comensi* lapide *pag.* 477. plures eodem modo inscriptos videmus; quo quidem charactere tum Augustalitas, tum etiam peculiaris in eodem collegio dignitas Seviratus exprimitur. Verum probabilius dicentur Seviri in memoratis elogiis sex primi inter Corpora artificum designari. Uti in ordine equestri plures erant turmæ, in quarum singulis sequiori ætate VI. Viri principe loco numerabantur, quod patet ex Capitolino *cap. 6. de vita M. Aurelii*, ac vetustis inscriptionibus: ita in collegiis seu corporibus artificum seviri primo loco censebantur, à Corporatis creati, qui eisdem Corporibus præsidebant. Extat inscriptio *pag.* 445. 6. *Narbone*, in qua Decuriones & Seviri Augustales statuam decernunt *P. Olitio Apollonio* IIIIII. VIRO AUG. ET NAVIC. hoc est: *Seviro Augustali & Naviculariorum.* Cum leguntur Seviri & Augustales, ii designantur, qui præter Augustalitatem, seviratum in aliquo Corpore, seu collegio gesserunt.

Reinesius in vetustis *Romanæ* gentis monumentis summa cum laude versatus, in *epist.* 31. plura de Augustalibus congessit, quorum tamen minus perfectam notitiam assequutus est; siquidem, ut cetera omittam, tradit *Augustales fuisse magistratus municipales; ex eisdem Duumviros eligi solitos; ipsos*

A *à præsidibus etiam provinciæ Augustalitate decoratos; unde Augustalium appellatio, tanquam Augustorum jussione in colonia nominati, quia genere, meritis, & patrimonii amplitudine potiores.* Hæc omnia procul à vero abeunt. Nam Augustales non erant magistratus, sed sacerdotes, uti ex *Tacito* & vetustis elogiis probatum est. Opponit inscriptionem *Alcantarensem pag.* 421. 7. in qua *C. Julius Capito* dicitur AUG. I. D. CUR. ANNON. nempe: *Augustalis juri dicundo, curator annonæ.* Porro jurisdictio ad magistratus pertinet. Nec dissimulabo similem dicendi phrasim legi in altera prolixiori inscriptione *pag.* 215. B 2. cujus fragmentum subjicio. *M. Megonius pecuniam ac fundum testamento legat Reip. Petilinorum, jubens ex usuris comparari Augustalium nomine instrumentum duorum tricliniorum, quod* inquit, *eis, me vivo, tradidi, candelabra, & lucernas bilycnes arbitrio Augustalium, quo facilius strati JUS PUBLICUM OBIRE possint, quod ipsum ad utilitatem Reipublicæ nostræ pertinere existimavi, facilius subituris onus Augustalitatis; dum hoc commodum ante oculos habent &c.* Hæc tamen jurisdictionem tantum in rebus sacris probant, non vero in civilibus; unde nec Augustales magistratus dici possunt. Collegium Pontificum *Romæ* C jurisdictione in sacris utebatur, quod prolixe æque ac erudite probat Gutherius toto *lib.* II. *de veteri jure Pontificio.* In coloniis aliisque urbibus, in quibus erant Augustales, penes ipsos erat judicare de iis sacris, quæ ad ipsorum collegium attinebant; non vero ipsorum erat civilibus causis præesse. Itaque jus sacrum obibant, ac proinde non erant magistratus. *Alcantarensis* saxi notas perperam exscriptas probant innumeræ aliæ inscriptiones, in quibus nusquam Augustales juri dicundo præfuisse dicuntur, sed tantum Duumviri, Quatuorviri, aliique civiles magistratus. Arbitror tamen subintelligi PR D *præfectus* ante illas notas I. D. Præterea eadem *Reinesii* opinio solide confutatur, quod Duumviri ex decurionibus tantum assumebantur. In *Cod. Theod. l. 8. de decur. Decuriones ad magistratum* 78 ante tres menses vel amplius nominari debent. Paulus J. C. in *l. honorem 7. §. is qui. D. de decur.* scribit: *Is qui non sit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non potest.* Augustales ut plurimum non erant decuriones. Id evincunt inscripti lapides, in quibus legitur *Augustalis & decurio pag.* 344. 1. 447. 3. 479. 8. 1100. 7. & alibi; cur vero *decurio* adderetur, si omnes Augustales fuissent decuriones? Rursus superius ex *pag.* 372. E septimam inscriptionem recitavi, in qua *L. Aurelius Lucii* libertus *Victor* dicitur: SACER. PRIM. CORP. AUGUSTALIUM. ORNAT. ORNAM. DECURIONALIB. quæ eadem de aliis Augustalibus leguntur *pag.* 81. 7. 409. 7. 469. 4. 1099. 2. Quemadmodum *Romanis* ducibus, re feliciter gesta, ornamenta consularia ab Imperatoribus dabantur; ita in coloniis civibus plebejis optime de patria meritis ornamenta decurionum conferebantur; nempe uti dicitur *pag.* 495. 3. in lapide *Sinuessano*, ut *commodis publicis ac si decurio frueretur.* Qui ornamenta consularia obtinebat, non dicebatur consul; nec is etiam in coloniis F nuncupabatur decurio, qui ornamenta decurionalia ferebat. Hinc in eodem lapide *Sinuessano* additur: *Titio Chresimo filio ejus ob merita patris honorem Decurionatus gratuitum decrevit Ordo Decurionum, & Augustalium, & plebs universa.* Si Augustalibus summo honori deputatur ornamentis decurionalibus decorari, non omnes erant Ordinis decurionum. His addatur plurimos Augustales fuisse libertos, ut nihil frequentius in antiquis monumentis occurrat *pag.* 150. 1. Tredecim

seviri

seviri Augustales recitantur, quorum undecim sunt liberti. *pag.* 489. 1. Quinque VI. Viri Augustales liberti nominantur. Vide *pag.* 19. 6. 456. 3. 468. 2. 378. 1. 372. 7. & passim in universo *Gruteriano* opere. Liberti decurionum in coloniis, quamvis prænomen ac familiam patroni consequerentur, non tamen evadebant decuriones, si patronus erat decurio. Extat *tit.* 32. *lib.* x. *Cod. si servus aut libertus ad decurionatum aspiraverit.* Item *lib.* IX. *ad l. Viselliam*, rescribunt Impp. *Lex Visellia libertinæ condicionis homines persequitur, si ea quæ ingenuorum sunt, contra dignitates ausi fuerint attentare, vel decurionatum arripere, nisi jure aureorum anulorum à principe sustententur.* Ad imperium usque *Diocletiani* liberti curia exclusi erant, nec ad decurionatum adrepere poterant. Hinc lege Visellia citata libertus in curiam sese immiscens *damno cum infamia afficitur.* Itaque non omnes Augustales erant decuriones, cum plerique illorum essent liberti. Hic unum epigramma Augustalium subjicio ex *pag.* 237. 1. in quo è Seviris Augustalibus quatuor dicuntur liberti.

NERONI. CAESARI
GERMANICI. F
TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG
PRON. FLAMINI. AVGVSTALI
SODALI. AVGVSTALI
Q. NOVANNIVS. Q. L. SALVIVS
C. CVLMINIVS. Q. F. FVSCVS
79 L. FVLVIVS. L. F. DOCIMVS.
L. FVLVIVS. L. L. RECTVS
L. POPILIVS. L. L. APOLLONIVS
L. FVRIVS. L. L. GEMELLVS
VI. VIR. AVGVST

Est vetustissimum Augustalium sacerdotum monumentum, quippe scalptum *Tiberio* imperante, à quo Augustales Juliæ genti primum sacrati fuerant. Audiatur iterum Tacitus *lib.* II. *Hist.* ubi narrans inferias *Neroni* à *Vitellio* factas, ait: *Fa-*

A *ces Augustales subdidere: quod sacerdotium, ut Romulus Titio regi; ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacraverat.* Hic quidem *è primoribus civitatis* Augustalium collegium composuit; at in municipiis liberti quoque inter seviros Augustales relati sunt. Chimentellius *cap.* 40. *de honore Bisellii* erudite observavit in saxis antiquitus inscriptis, Augustales medium inter decuriones ac plebem ordinem conflasse, honestum quidem, sed infra decurionum amplitudinem, at supra plebis tenuitatem. Ita *pag.* 475. 3. legitur: ORDO. DECURIONUM. ET. AUGUSTALIUM. ET. PLEBS. UNIVERSA. *pag.* 344. 3. 6. DEC. VI. VIR. PLEBS. URB. quod etiam legimus
B *pag.* 68. 3. 355. 3. 395. 1. 328. 6. 434. 1. & alibi. Ex his recte refellit *Reinesium* putantem Augustales fuisse inter decuriones genere, meritis, & patrimonii amplitudine potiores. Verum minus recte idem *Chimentellius* addit illorum trium ordinum respectu in *Pisano* decreto de obitu C. Cæsaris: *Per consensum omnium ordinum* scriptum fuisse; etenim nondum anno, quo *Cajus* decessit, Augustalium collegia in *Italia* incœperant, sed illa in honorem gentis Juliæ *Tiberius* A. V. 767. post consecrationem Augusti, primum instituit. Alii quoque Imperatores post decessores inter Divos relatos, sodalitia de illorum nomine appella-
C ta, invexerunt, uti superius observabam, præeunte *Panvinio*, qui è vetustis saxis eadem singulari diligentia congessit. *pag.* 96. 10. apud Gruterum *L. Cæsius.* inscribitur VI. VIR FLAVIALIS inter sodales *Vespasiano* dicatos. Idem tamen poterat in plura collegia referri. *pag.* 19. 6. *L. Cancrius* libertus nuncupatur.

SEX. VIR. II. AVGVSTALIS. ET. FLAVIALIS
PRIMVS. OMNIVM. HIS HONORIBVS
AB. ORDINE. DONATVS

Lege *Panvinium* in *libro de civitate Romana pag.* 361. 364. & indicem Gruteri *cap.* 3. Augustalitas erat temporarium sacerdotium, unde *Cancrius*
D nuncupatur in proxime recitato elogio *iterum Augustalis*; quidam tamen perpetui designabantur, uti ex iisdem vetustis inscriptionibus intelligimus.

---

80 # *DISSERTATIO II.*

DE CAJO ET LUCIO CÆSARIBUS AUG. FF.

CAPUT I.

M. Vipsanius Agrippa *ac* Julia Cæsaris Augusti *filia*, Caji *ac* Lucii *parentes.* Augusti *cum* Agrippa *amicitiæ initium ex* Nicolao Damasceno *exponitur.* Agrippæ *gesta laudantur.* Augustus Cajum, *&* Lucium *adoptat. Quid de iisdem adoptatis dixerit* Porcius Latro. *Nummi à Coloniis in honorem utriusque Cæsaris percussi.* Coloniæ Juliæ Traductæ *numisma è Cimeliarchio* CHRISTINÆ *Augustæ exhibetur, & illustratur.* Julia Traducta *ulterioris* Hispaniæ *urbs non à* Julio *Cæsare, sed ab* Augusto *deducta. De eadem colonia insignium scriptorum errores emendati.* Pomponii Melæ *lectio vulgo solicitata, retinetur. Duo alii* Juliæ Traductæ *nummi* Caji *ac* Lucii *imagine obsignati, producuntur. Alterum singulare numisma ex Cimeliis ejusdem Maximæ reginarum, exponitur.* Cajus *Cæsar* Trojam *ludit. Idem ludis votivis pro reditu* Augusti *in puerili prætexta præsedit.* Verrius Flaccus *Grammaticus magister Cæsarum commendatur.* Avilius Flaccus *Cæsarum condiscipulus. Eosdem ipsemet* Augustus *pleraque docet.*

E Nullæ majorum imagines *Caji* ac *Lucii* Cæsarum natales illustrant. *M. Vipsanium Agrippam* novum plane hominem patrem habuere: matrem vero *Juliam Augusti* filiam, cujus avus *Octavius* sedem curulem suam in familiam primus intulit, quæ antea in equestri gradu constiterat. Et sane tantus *Vipsaniæ* familiæ pudor *M. Agrippam* subiit, ut eandem ægre à quoquam se coram nominari pateretur. Auctor est M. Seneca *in controver.* 12. *Agrippa* reum quendam defendente, accusatorem dixisse: *M. Agrippam, & quod vi medium est*; nempe, vellet, nollet, *Vipsa-*
F *nium*, priori tantum syllaba lepide inserta, indicavit. Hinc in inscriptionibus ædium amplissimarum, quas secundum post *Augustum Romano* in Orbe gradum tenens, regiis plane impensis ex- 81
truxit, se *Lucii* F. appellavit. In frontispicio Panthei *Romani* legitur: M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIUM FECIT. In fastis etiam Capitolinis, cum aliorum consulum patres, &

avi memorentur, *Agrippæ* pater solo prænomine expressus, apparet, quem Seneca *lib.* III. *de benef. cap.* 32. *ne post Agrippam quidem notum* dicit. *Cajus Caligula*, qui quartus à *Julio Cæsare* imperavit, teste Suetonio *cap.* 23. *Agrippæ se nepotem neque credi*; *neque dici ob ignobilitatem ejus volebat.* *Herodes* tamen Rex *Judæorum*, cui *Agrippæ* cognomen fuit, haud veritus fuit in literis ad *Cajum* datis, scribere: *M. Agrippa avus tuus maternus*; natus enim erat ex *Agrippina Agrippæ* filia. Plinius *lib.* VII. *cap.* 8. observat eos qui in pedes nascebantur, *Agrippas* à *Romanis* nuncupatos; *qualiter*, inquit, *M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo omnibus ad hunc modum genitis.* Verum amicitia *Augusti*, cum *miseram juventutem* eodem teste, antea vixisset, eo felicitatis evasit, ut secundum maximi post hominum memoriam imperii locum occupaverit. Nicolaus Damascenus in *libello de educatione Augusti* ab *Henrico Valesio* V.C. in lucem edito, *Agrippam* inter & *Augustum* amicitiæ initia, huc usque nobis ignorata, prodidit: *Erat*, inquiens, *Agrippa singulari amicitia ac præcipua quadam sodalitate cum Octavio conjunctissimus, quippe qui à puero simul educatus fuisset.* Cum *Cæsar* profligatis bellis civilibus, in *Parthos* expeditionem adornaret, C. *Octavium*, cujus erat major avunculus, *Apolloniam* A. V. 709. præmisit, quo liberalibus ante disciplinis eruditum, maximi postea belli commilitonem haberet. *Octavius* longinquæ peregrinationis ac studiorum comitem *Agrippam* secum ducens, *Apolloniam* transmisit; ubi cum uterque in *Theogenis* mathematici pergulam ascendisset, ingens cupido juvenes incessit, consulendi quæ se fata manerent. Auctor horum est Suetonius *cap.* 94. *de vita Augusti: Cum Agrippæ*, inquit, *qui prior consulebat*, *magna & pene incredibilia prædicerentur*, *reticere ipse genituram suam*, *nec velle edere perseverabat*, *metu ac pudore*, *ne minor inveniretur. Qua tamen post multas adhortationes vix & cunctanter edita*, *exhibuit Theogenes*, *adoravitque eum.* Cum sextum *Apolloniæ* mensem agerent, interfecti *Cæsaris* nuntium *Roma* accepere. Tum *Octavius* non modo hæsitare, verum etiam pavere, dubius quid consilii caperet, præsertim quod ignorabat, num decreto Senatus, vel paucorum conspiratione avunculi cædes perpetrata fuisset. *Agrippa* legiones, quæ in *Macedonia* hiemabant, adeundas dicebat, militari sacramento *Cæsari* obligatas, ipsum ducem ad avunculi necem vindicandam secuturas. Interim cum spe ac metu varias in partes *Octavius* traheretur, literis à matre ac *Philippo* vitrico acceptis, conspirationis in *Cæsarem* seriem intellexit; Senatorum præcipuos, auctoribus *Cicerone* ac *Bruto*, de re publica in pristinam iterum libertatem asserenda, concionari; nondum *Cæsaris* testamentum lectum; nihil sibi audacius tentandum; suadebantque Urbem cum amicorum cohorte, privatus repeteret. His ille permotus, una cum *Agrippa* aliisque amicorum præcipuis, iter in *Italiam* maturavit, ac in proximum *Brundusio* oppidum, cui *Lupiæ* nomen, transmisit; ubi primum intellexit se ab avunculo in familiam *Juliam* nomenque *Cæsaris* adoptatum, ac hæredem ex dodrante nominatum. *Neapolim* venit die 18. Aprilis, ab avunculi cæde 35. ac postridie in *Cumanum*, quo *Cicero* secesserat, se contulit. Cicero *lib.* XIV. *epist.* 12. *ad Atticum* ait: *Nobiscum hic perhonorifice & amice Octavius*; *quem quidem sui Cæsarem salutabant*; *Philippus non*; *itaque ne nos*
82 *quidem.* Etenim, teste Vellejo *lib.* II. *Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris.* Verum ille *Agrippæ* consilia secutus, adiit hæreditatem, ac veteranorum, qui à *Cæsare* in coloniis *Campaniæ* deducti

A fuerant, fide operaque implorata, altero statim anno avunculi interfectoribus partim occisis, partim *Italia* ejectis, *Romani* Orbis imperium, collegis *Lepido* ac *Antonio*, Triumvir occupavit. Ceterum omnium bellorum, quæ plurima ac periculosa postea gessit, administrationem uni *Agrippæ* commisit, uti *Dio*, *Appianus*, aliique testantur, ut quandoque *Antonius* timiditatem *Augusto* exprobrans, dixerit ipsum non prius in conspectum militum venisse, *quam à M. Agrippa fugatæ sint hostium naves*; ex Suetonio *cap.* 16. Profecto bello *Siculo Augustus* non una clade accepta, adversa sibi fata expertus, classe *Agrippæ* tradita, *Sex.*
B *Pompejum* terra marique profligatum, è *Sicilia* fugavit. Hinc *insigne coronæ classicæ*, *quo nemo unquam Romanorum donatus erat*, *hoc bello Agrippa singulari virtute meruit.* Vellejus *lib.* II. *cap.* 81. Idem bello Actiaco, in quo de totius *Romani* Orbis imperio certabatur, *Antonianis* ducibus duplici navali prœlio victis, maximi discriminis die, quo totis classibus confligendum erat, *omne classici certaminis arbitrium accepit*, ac perniciosa forte victoriæ *Augusti* consilia respuens, *Antonianas* naves ingenti virtute superavit. Contigit pugna hæc navalis apud *Actium* IV. Nonas Septembris A. V.
C 723. qua die *Cæsari Augusto* universus *Romani* imperii principatus cessit, quem deinde annos XLIV. tenuit; quamvis *Agrippa* ingenti Reipublicæ restituendæ desiderio, prolixiori oratione *Augustum* hortatus fuisset, ut è supremo fastigio ad privatam eamque securiorem vitam descenderet, quod quamvis eidem neutiquam persuaserit, effecit tamen, ut in decennium tantum imperium sibi administrandum acciperet. Virgilius Actiacam pugnam describens, *lib.* VIII. *Æneid.* V. 632. ait:

> *Parte alia ventis, & Dis Agrippa secundis*
> *Arduus agmen agens: cui belli insigne superbum*
> *Tempora navali fulgent rostrata corona.*

D *Augustus Ægypto* in provinciæ formam redacta, quo *Agrippæ* fidem tot sibi exemplis probatam, majoribus beneficiis atque honorum titulis obligaret, eundem A. V. 726. consulem iterum creavit, cum ipse sextum consul processisset; fasces vero cum eodem more majorum partitus est. Ludis quos pro Actiaca victoria edidit, una cum *Agrippa* præsedit, ac eundem in censu faciendo, condendoque lustro, collegam adscivit. Hæc scribit Dio initio *lib.* LIII. In marmore vero Ancyrano hæc leguntur. *In consulatu sexto censum populi*, *collega M. Agrippa*, *egi. Lustrum post annum alterum & quadragesimum feci*, *legi. Censita sunt capita quadragiens centum millia & sexaginta tria.* Lustrum
E ab *Agrippa* conditum memorato anno V. 726. fuit LXXI. nam ex Censorino *cap.* 6. *de die natali*, à primo lustro, quod *Servius Tullius* Rex condiderat, LXXV. lustra *Romæ* condita sunt. *Augustus* tria lustra condidit ex eodem lapide Ancyrano, cui similiter loquitur Suetonius *cap.* 27. *Claudius* Imperator post *Augustum* semel lustrum fecit, collega *L. Vitellio*, quod præter Tacitum *lib.* XI. *Annal.* Suetonium *cap.* 16. ac Plinium *lib.* X. *cap.* 2. lapidum ac nummorum inscriptiones ostendunt. Postremum omnium lustrum LXXV. *Vespasianus* V. ac *Titus* III. Coss. unaque censores peregerunt
F A. V. 827. *Panvinius*, *Goltzius* ac *Pighius* duo tantum lustra ab *Augusto* condita scripserunt, nempe 83
cum *Agrippa* A. V. 726. ac iterum cum *Tiberio* A. V. 767. Verum in tabulis Ancyranis legitur: *Nuper lustrum solus feci*, *legi Censorino* & *Asinio Coss. quo lustro censa sunt civium Romanorum quadragiens centum millia & ducenta triginta tria . . . .* A. V. 746. Itaque *Agrippa* censu peracto, condidit Lustrum LXXI. Interim hac occasione Fasti *Sigonii*, *Panvinii*, ac *Pighii* (minorum gentium exscriptores non moror) corrigendi sunt, in qui-

A quibus inter A.V.784. quo *L. Gellius* ac *Cn. Len-*
tulus censores lustrum condiderunt, & annum V.
726. plura collegia censorum lustra fecisse dicun-
tur. Nam *post annum alterum & quadragesimum* in-
termissum à censoribus lustrum, *Augustus* ac *A-*
grippa peregerunt. Equidem censores interme-
dio tempore creatos *Romani* scriptores produnt;
sed ob dissensiones inter ipsum censum erumpen-
tes, nullum lustrum, finito censu, de more fa-
cere potuerunt. Hinc Cicero *lib.* IV. *ad Atticum*
epist. penult. scribebat: *Non enim te puto de lustro,*
quod jam desperatum est, aut de judiciis quæ lege
Plotia fiant, quærere. Et in *fragmento Colotiano*
apud Gruterum *pag.* 298. ad A. V. 712. *L. Munatio*
B ac *M. Æmilio Lepido* Coss.

∴ ANTONIVS. P. SVLPICIVS. CENS.
LVSTR. N. F.

nempe: *L. Antonius P. Sulpicius censores lustrum*
non fecerunt. Lustrum anno Urbis 684. *Pompe-*
jo ac *Crasso* Coss. factum, *Sigonio* est LXX. Hæc
pro reparandis fastis libuit inserere. *Dio* proxi-
me laudatus, præter alterum consulatum *Agrip-*
pæ ab *Augusto* delatum, *eidem*, inquit, *etiam so-*
roris suæ filiam in matrimonium locavit: & si quan-
do simul in bellum proficiscerentur, tabernaculum sui
simile dedit, jussitque ut signum militare ab utroque
C *acciperetur.* *Agrippa* cum post *Philippense* prœ-
lium *Romam* rediisset, *Pomponiam T. Pomponii At-*
tici, ad quem sunt epistolæ *Ciceronis*, filiam, u-
xorem duxit, *atque harum nuptiarum conciliator*
fuit M. Antonius Triumvir Reip. teste *Cornelio Ne-*
pote in libello *de vita Attici*. Filiam ex *Pomponia*
suscepit *Agrippinam*, quæ *Tiberio*, qui rerum post
Augustum potitus est, nupta, *Drusum* peperit.
Hanc *Tacitus Vipsaniam* vocat. *Augustus* quo ve-
terem cum *Agrippa* amicitiam affinitate firmaret,
Marcellam ex sorore *Octavia* neptem matrimonio
eidem junxit, ex qua ille liberos sustulit, quorum
tamen nomina ignorantur. Cum A. V. 731. *Au-*
D *gustus* gravi adeo morbo decubuisset, ut nulla spes
salutis reliqua videretur, veluti jam vita decessu-
rus, *Agrippæ* annulum tradidit, quasi successo-
rem eundem destinans, cum *Marcello* nepoti ad-
huc adolescentulo non satis fideret; unde *Agrip-*
pam inter ac *Marcellum*, cum jam *Augustus* con-
valuisset, simultates exortæ, quas ut *Agrippa* de-
clinaret, in *Syriam* cum imperio secessit. Verum
Marcello extrema ejusdem anni parte, sive mor-
bo, sive *Liviæ* dolo, immaturo fato sublato, *A-*
grippa paulo post ex *Asia* hac occasione revocatur.
Cum *Augustus Romanas* provincias lustraret, con-
E sularia comitia per ejusdem absentiam, candida-
torum ambitu omnia sus-deque miscente, peragi
neutiquam potuerunt. Quæ *Augustus* moleste fe-
rens, cum nec soli *Romæ* præsens vacare posset,
neque eandem sine gubernatore relinquendam pu-
taret, de præficiendo eidem *Agrippa* cogitavit;
quo vero sive plus illi majestatis, sive sibi securi-
tatis adderet, jussit ut idem *Marcellam*, neptem
licet, repudiaret, ac *Juliam* filiam ob mortem
Marcelli viduam duceret. Ferunt Mæcenatem
84 harum nuptiarum auctorem fuisse; siquidem hac
de re ab *Augusto* consultus, respondit: *Tantum A-*
grippam jam fecisti, ut vel gener tuus fiat, vel occi-
F *datur, necesse est.* Dio *lib.* LIV. ad A. V. 733. quo
Agrippa Cæsaris *Augusti* filiam uxorem duxit. *Ju-*
lia annum ætatis duodevicesimum agebat; nata
enim erat *L. Marcio* ac *C. Sabino* Coss. A. V. 715.
ex Dione *lib.* XLVIII. Macrobius *lib.* II. *Satur.*
cap. 5. hæc de *Julia* scribit: *Indulgentia tam for-*
tunæ, quam patris abutebatur, cum alioqui litera-
rum amor, multaque eruditio, quod in illa domo fa-
cile erat, præterea mitis humanitas, minimeque sæ-
vus animus ingentem feminæ gratiam conciliabat, mi-
rantibus qui vitia noscebant, tantam pariter diversi-
tatem. Ibidem etiam recitat quædam *Juliæ* acu-
ta apophtegmata.

Anno V. 734. *Agrippa* filium ex *Julia* suscepit,
cui *Marci* prænomen paternum impositum puto;
nam *Caji* prænomen post triennium per adoptio-
nem, ut suo inferius loco ostendam, accepit.
Dies natalis ejusdem ignoratur; hæc tantum Dio-
ne scribente: *Sacrificium perenne natalibus ejus cum*
quibusdam aliis decretum est: privatim vero Ædiles
natalibus Augusti ludos equestres & venationes edide-
runt. Anno insequenti V. C. 735. cum *Augustus*
ex *Asia* in *Siciliam* venisset, *Agrippa* ad salutan-
dum Principem eundemque socerum eo profe-
ctum, seditiones urbanæ ob consularia comitia,
in urbem revocarunt. His sedatis, in *Gallias*
cum legionibus pergens, *Germanos Romanas* pro-
vincias igne ferroque vastantes, trans *Rhenum*
submotos, suas in sylvas compulit. Inde eodem
victoriæ impetu *Hispanias* petens, *Cantabros* bel-
licosissimam gentem, quæ per annos fere CC.
Romana arma fatigaverat, pluribus prœliis fra-
ctos, ad deditionem faciendam adegit, atque ex-
armatos ex montanis locis, quorum præsidio to-
ties legionum robur eluserant, in campestria de-
scendere jussit, ne abruptis montium receptaculis
fisi, iterum rebellarent. Cum *Augustus* ob victo-
rias triumphum eidem decrevisset, eadem animi
moderatione usus, qua alterum triumphum recu-
saverat, ab hoc pariter abstinuit; maximæ sibi
gloriæ ducens *Romani* nominis hostes ubique gen-
tium profligasse, populares Capitolii plausus con-
tempsit. Anno V. 736. inquit Dio *lib.* LIV. *A-*
grippam ad imperium quodammodo Augustus prove-
xit; nam cum sibi in aliud quinquennium impe-
rium prorogasset, *Agrippæ* potestatem Tribuni-
ciam in illud idem quinquennium detulit. C. *Fur-*
nio C. *Silano* Coss. V. C. 737. *Lucium* Cæsarem
alterum *Agrippæ* filium *Julia* enixa est, uti scribit
Dio *lib.* LIV. Diem natalem *Lucii Ricciolius* in
Chronico statuit tertio Kal. Maji, quod Dio
scribit *Augustum* festum Honoris & Virtutis in eam
diem, qua hodie agitur, transtulisse. Ego po-
tius diem adoptionis *Caji* ac *Lucii* crediderim;
illius enim mentionem *Dio* antea fecerat. Idem
historicus ejus anni gesta narraturus, à natali *Lu-*
cii statim auspicatur; quod sub initium ejusdem
anni in lucem fortassis editus sit. Addit vero nar-
rato natali Lucii, *hunc & fratrem ejus Cajum Au-*
gustus, quo tutior esset ab insidiis, non expectato
dum virilem ætatem attingerent, statim adoptavit.
Etenim cum à pluribus sibi structas insidias eva-
sisset, utrumque nepotem adoptavit, quo impe-
rantis familiæ principatum uno & altero successo-
re firmaret. Suetonius in *Augusto cap.* 64. mo-
dum adoptionis describens, ait: *Cajum & Lucium*
adoptavit domi per assem, & libram emptos à patre
Agrippa. Quamvis ceteros inter honores *Augu-*
sto à Senatu delatos, decretum esset, ut legibus
solutus, omnia pro arbitrio statueret; ille tamen
in adoptandis nepotibus, vetustam *Romanorum* 85
consuetudinem secutus est. Adoptio per manci-
pationem ac vindicationem imaginaria quædam
venditio erat; cum adhibitis non minus quinque
testibus civibus *Romanis*, atque alio insuper, qui
quod libram tenebat, libripens dicebatur, ado-
ptans dicebat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium*
meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc ære ænea-
que libra. Dein ære libram percutiens, idem æs
quasi pretii loco naturali patri dabat; quod cum
iterum ac tertio fecisset, filius de potestate patris
exibat, ac fiduciarii patris filius evadebat. Rem
juris consultis notissimam describit Boethius in
Topica Ciceronis. Hæc ortum traxisse putant ex
lege *Romuli*, qua pater vendendi filii usque ad ter-
tiam

tiam auctionem potestatem habebat. Sigonius
lib. I. *de antiq. jure civium Rom. cap.* X. in Suetonio
legendum putat *per æs & libram emptos.* Verum
magnæ vir lectionis *Casaubonus* recte observat ex
Festo *V. Rodus*, vel *Rhaudus*, æs æque pro rudi
ac signato vulgo acceptum. Varro etiam *lib.* I.
L.L. ait: *Pro assibus nonnumquam æs dicebant antiqui, à quo dicimus assem tenentes: Hoc ære æneaque libra.* Itaque adoptans æs signatum, nempe
assem tenebat, quem nomine æris adoptans exprimebat. Vellejus *lib.* II. scribit: *Agrippæ liberos, nepotes suos, Divus Augustus præpositis Caji ac Lucii nominibus, adoptaverat.* Ex quibus colligo
utrique puero tum primum duo illa prænomina
imposita fuisse; cum alia antea ab *Agrippa* tulissent. Id more majorum factum; nam qui in alienam familiam per adoptionem transibant, fiduciarii patris prænomen, nomen, ac cognomen
assumebant, retento tantum patris naturalis cognomine, vel nomine parumper immutato. Ita
P. Cornelius Scipio Nasica à *Q. Cæcilio Metello Pio*
adoptatus, dictus est *Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio.* *Augustus* ante adoptionem vocabatur *C. Octavius Thurinus*; at ab avunculo adoptatus, vocari cœpit *C. Julius Cæsar Octavianus.* Ita *Agrippæ* filii ex *Vipsaniis* in *Julios* transierunt, cognomento *Cæsares*, quod antiquum erat *Juliorum* cognomen. Hinc in *Pisanis* tabulis, atque apud
Scriptores *Cajus* ac *Lucius Cæsares* nuncupati; quæ
quidem duo prænomina fratribus *Juliæ* gentis
passim non semel imposita occurrunt. *Caji Julii* ac
Lucii Julii Cæsarum necem deplorat Cicero *lib.* II.
de Oratore. *Cajus Cæsar* Dictatoris avus *Cajum* ac
Lucium filios reliquit, quorum improvisum obitum recitat Plinius *lib.* VII. *cap.* 53. Spanhemius
dissert 8. *de præst. num. pag.* 663. scribit *Augustum
Cajo* ac *Lucio* per adoptionem in filios adscitis, appellationem *Cæsarum* addidisse, ut ea denominatione successores imperii designarentur. Errat
vir eruditus; nam id temporis *Cæsar* purum putum cognomen erat *Juliæ* familiæ, in quam ambo per adoptionem transibant. Ita cum *Octavius
Caji Cæsaris* hæreditatem, uti ex adoptione filius,
adiisset, *Cajus Cæsar* est appellatus. Suetonius
in *Aug. cap.* 7. *Postea C. Cæsaris & deinde Augusti
cognomen assumpsit: alterum testamento majoris avunculi &c.* & de Cæsare Dictatore capite 83.
scribit: *In ima cera C. Octavium etiam in familiam,
nomenque adoptavit*; eodem hærede ex dodrante
instituto. Illum Cicero in *lib.* XV. & XVI. *epistolarum ad Atticum*, *Octavianum* nominat. At in
Philippicis C. Cæsarem semper eundem vocat, uti
etiam in epistolis ad Brutum; & in quinta Philippica, cum ejusdem erga Rempubl. studium pluribus exaggerasset, prope finem exclamat: *Promitto, recipio, spondeo, Patres conscripti, C. Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime velle & optare debemus.* Brutus
86 quidem in *epistola ad Ciceronem* ait de Augusto:
*Hic ipse puer, quem Cæsaris nomen incitare videtur
in Cæsaris interfectores &c.* Postea: *Tyranni nomen ascivit sibi*; denique Ciceronem perstringens,
inquit: *Me vero post hoc ne commendaveris Cæsari
tuo, ne te quidem ipsum, si me audies.* Recte Dio
lib. XXXIII. scribit Cæsaris vocabulum *successionem
stirpis* designasse; illud enim *Augustus* obtinuit,
antequam ullum in Republica imperium acciperet. *Pisani* coloni in cenotaphio *Cajum* nuncuparunt IAM DESIGNATVM IVSTISSVMVM AC SIMILLVMVM PARENTIS
SVI VIRTVTIBVS PRINCIPEM. Id tamen præcox colonorum votum indicat, qui *Cajum Augusto* in imperio successurum speraverant.
Vel certe Principem juventutis ab *Augusto* designatum intelligunt, quod utrumque complexus

A Ovidius *lib.* I. *de arte Cajum* ipsum alloquens,
ait:


Tale rudimentum tanto sub nomine debes,
Nunc juvenum princeps, deinde future senum.


Ipse enim imperator *Augustus* erat princeps Senatus, qui titulus, eversa Republica, uni *Augusto*
ac successoribus deferri cœpit, quamvis, ut initio Annalium recte *Tacitus* notat, Augustus *cuncta discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub
imperium accepit.* *Pisani* ea loquendi formula *Cajo* totius *Romani* Orbis imperium, post *Augusti*
mortem decretum significarunt. Auctor est Seneca pater contr. 12. id temporis, quo Cæsares ad-
B optati fuerant, *Porcium Latronem*, insignem ejus
ætatis oratorem, cum apud judices cujusdam pueri adoptionem, quæ in dubium vocabatur, ratam
habendam esse contenderet, dixisse: *Nam isti adoptione nobilitati sunt.* Quibus verbis paternam
illum *Caji* ac *Lucii* ignobilitatem perstrinxisse Mæcenas *Agrippæ* sibi proximo indicavit. Nondum
imperante *Augusto*, *Romani* fori libertas extincta
erat.


Coloniæ *Romanæ*, quibus cudendæ monetæ
facultas ab *Augusto* permissa fuerat, nummos *Caji*
ac *Lucii* Cæsarum effigie signatos, scalpendos jussere, quorum aliquos, quamvis rarissimos, ad-
C huc superstites Antiquariorum scrinia custodiunt.
Binos quidem exhibet Eques *Patinus* in *notis nummariis ad cap.* 65. Suetonii *de vita Augusti*, quibus fere similes hic subjicio. Vid.

Græcum *Lucii Cæsaris* numisma servatur in Cimeliarchio REGIS Christianissimi, cujus ectypum ad me transmisit *P. Carcavius* eruditæ Nummorum gazæ custos, non minus doctrina, quam
humanitate domi forisque celebratus. Scribit
Suetonius *cap.* 94. Augustum *nummum argenteum
nota sideris Capricorni, quo natus est, percussisse*; 87
quamvis eodem signo aurei ac ærei etiam nummi
D postea scalpti fuerint. Haud ignoro *Scaligerum*,
Keplerum, ac *Petavium* varie de horoscopo *Augusti* sensisse; siquidem luxatis annis ante correctum
à *Julio Cæsare* Kalendarium, vix quicquam certi
de genethliaco themate *Augusti* demonstrari posse
videtur. *Gotifredus Vendelinus* apud *Albertum Rubenium in dissert. de gemma Augustea*, scribit natum
Augustum: *sidere Capricorni quintam sub terris domum Fortunæ signante:* unde plerumque Capricorno in nummis Augustæis adduntur insignia Fortunæ, Gubernaculum navis, Orbis, Cornucopia, uti ostendunt plura numismata, quæ exhibent Goltzius *tom.* 2. *pag.* LXVIII. ac Patinus *ad
E cap.* 94. *Suetonii.* Quænam autem *Cæsarea* laudatum nummum ob honorem *Lucii Cæsaris* percusserit, non ausim divinare, quod ejus nominis
urbes plures id temporis extiterunt. Nam, ut
inquit idem Suetonius *cap.* 60. *de vita Augusti, Reges amici atque socii & singuli in suo quique regno Cæsareas urbes condiderunt: Juba* rex *Mauritaniæ* urbem *Jol* regni metropolim *Cæsaream* nuncupavit.
Ejusdem nominis urbem, immani sumptu, *Herodes* in *Palæstina* condidit; cujus etiam filius *Philippus Paneada* ad *Jordanis* fontes sitam, ædificiis
auctam, *Cæsaream Augustam* nuncupavit, cujus
rarum numisma in Medicea gaza servatur cum e-
F pigraphe: ΚΑΙϹ. ϹΕΒ. ΙΕΡ. ΚΑΙ. ΑϹΥ. ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ:
Cæsarea Augusta sacra & asylum sub Paneo. Nam
ad pedes *Panii* montis eandem urbem sitam scribit Eusebius *lib.* VII. *Hist. Eccles. cap.* 17. ex quibus recte notat doctissimus Spanhemius *dissert.* 9.
de præst. & usu Numis. pag. 895. errasse *Plinium* qui
à vicino fonte *Paneade*, ac *Philostorgium* qui à
cultu simulacri *Panis Paneada* nuncupatam scripserunt. *Mazaca* etiam *Cappadociæ* metropolis
Cæsarea appellata fuit; quamvis in incerto sit,
quo Cæsare imperante id nomen primo sortita fuerit,










Quatuor hi Nummi pertinent ad Pag. 85.








Ad Pag. 86.



Ad Pag. 87.



rit, ut ibidem *Spanhemius* ostendit. Ceterum laudatus nummus apud *Cæsaream Palæstinæ* percussus videri possit, quod *Cæsarea Panias*, ac *Cappadociæ Mazaca* nondum id nomen forte tulerant, ac in *Mauritaniæ*, seu *Hispaniæ* urbibus *Cæsareis* Latina potius, quam Græca epigraphe idem nummus signatus fuisset. Alterum numisma in honorem *Caji Cæsaris* à colonia *Julia Traducta* scalptum, in Cimeliarchio CHRISTINÆ *Augustæ* visitur, cujus iconem ad me Reginarum Maxima eademque seris posteris, ut Plinii *lib.* V. *cap.* I. verbis utar, *studiorum claritate memorabilior etiam quam regno*, transmisit. Itaque regia beneficentia, qua pretiosa eruditi thesauri cimelia ad uberrimum literarum quæstum recludens, *Romanæ* antiquitatis studium fovet, ac promovet, jure poscit, ut in præclaro numismate explicando, properantem ad alia stylum paulisper sistam, ac *Juliæ Traductæ* tum situm, tum etiam conditorem exponam, aliisque nuper inventis nummis eandem coloniam illustrem.

Ezechiel Spanhemius ac *Carolus Patinus* magni inter antiquarios nominis, ille quidem *dissert.* 9. *pag.* 768. hic vero ad *cap.* 65. *Suetonii* scribunt *Tingim Mauritaniæ* urbem (*Tanger* hodie appellatur) *Juliæ Traductæ* nomen sortitam fuisse, cum *Julius Cæsar*, quod diserte *Spanhemius* scribit, *Romanam* coloniam eo deduxisset. Nam Plinius *lib.* V. *cap.* I. ait: *Tingi quondam ab Anteo conditum, postea vero à Claudio Cæsare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Julia.* Eundem tamen errasse putant, quod coloniæ *Juliæ Traductæ Claudium* conditorem scripsit, cum ex laudato nummo a-
88 perte colligatur eadem ante illius imperium deducta. Isaac Vossius in eruditissimis observationibus *ad cap.* 6. *lib.* II. *Pomponii Melæ* suspicatur à *Plinio* scriptum: *postea vero à C. I. C.* nempe *à Cajo Julio Cæsare, cum coloniam faceret &c.* ac librarios per imperitiam *Claudium Cæsarem* reposuisse. Verum in quatuor vetustis codicibus *Mediceis* legitur: *postea vero à cl. Cæsare &c.* quæ lectio in ceteris quoque MSS. apparet. At plane compertum habeo nullam à *Julio Cæsare* coloniam *Tingim* deductam. Nam ante *Cæsaris* necem nullum in *Mauritania Cæsariensi*, aut *Tingitana* à *Tingi* metropoli appellata, oppidum *Romani* possidebant. *Bogud* rex sub initium belli civilis *Cæsarem* inter ac *Pompejum*, *Mauritaniæ Tingitanæ*, *Bocchus* vero *Cæsariensi* imperabant, quos *Cæsar* sibi studentes, A. V. 705. reges à Senatu Cæsariano dicendos curavit, ex Dione *L.* 41. Plinius *cap.* 2. *lib. cit.* ait: *Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima; itemque Bocchi, quæ nunc Cæsariensis. Q. Cassius* qui *Hispaniam* pro Prætore A. V. 706. in obsequio *Cæsaris* tenebat, *Bogudem* cum auxiliaribus copiis è *Mauritania Tingitana* in provinciam accivit, teste Hirtio *cap.* 62. *de bello Alexandrino. Cn. Pompejus* Magni filius ex eodem *cap.* 23. *de bello Africano*, *profectus ab Utica est in Mauritaniam, regnumque Bogudis est ingressus*; verum clade accepta, in naves compulsus, re infecta discessit. Asinius Pollio in *epistola* 32. inserta *lib.* X. *fam. Ciceronis*, huic eidem scribit altero anno à nece *Cæsaris*, *Balbum* quæstorem magna vi auri in ulteriori *Hispania* coacta, *à Calpe trajecisse sese in regnum Bogudis.* Cæsar quidem *lib.* I. *de bel. civ. cap.* 6. ait: *Faustus Sylla pro prætore in Mauritaniam mittitur.* Hic tamen *Mauritaniæ* nomine ea pars *Africæ* quæ *Romanis* parebat, intelligitur; vel forte *Faustus* in *Mauritaniam* provinciam missus dicitur, ut utriusque *Mauritaniæ* Reges rebus *Cæsaris* palam studentes, bello persequeretur. At ne barbaros prior Senatus armis lacessere videretur, *de Fausto*, inquit ibidem *Cæsar*, *impedit Faustus Tribunus plebis.*

A Ceterum *Tingitanos* nondum *Romanis* subjectos fuisse, sed *Bogudi* regi ex *Dione* luculentissime demonstratur, qui *lib.* XLVIII. ad A. V. 716. scribit *Bogudem Mauritaniæ* regem cum exercitu in *Hispaniam* trajecisse, ac statim addit: *Interimque deficientibus ab eo Tingitanis, & ex Hispania recessit, neque suum regnum recepit; quippe qui in Hispania Cæsari* (qui postea Augustus dictus fuit) *favebant, ii Bocchi auxilio Bogudem vicerunt. Bogud ad Antonium se contulit; Bocchus regnum ejus occupavit, idque Cæsar ei confirmavit. Tum subdit:* καὶ τοῖς Τιγγιτανοῖς πολιτεία ἐδόθη: *ac Tingitanis civitas data est*; seu: *ac Tingitanis ut sui juris, ac* B *liberi essent, concessum.* Prior interpretatio *Dionis* menti magis congruit; ea enim loquendi formula semper utitur, quoties civitatem *Romanam* aliquibus datam recenset. Ex his patet *Tingim Mauritaniæ* urbem usque ad annum V. C. 716. *Bogudi* regi paruisse, quo anno cum ab eodem *Tingitani* cives defecissent, *Romana* civitate donati sunt; ac proinde falsum est *Romanam* coloniam à *Julio Cæsare Tingim* deductam fuisse. Alterum etiam errorem iidem scriptores admiserunt, *Juliam Traductam* in *Mauritania* coloniam locantes, quæ in Bætica maritima ab *Augusto* condita C fuit. Strabo *lib.* III. *pag.* 96. scribit: *Fuit & Zeles Tingi vicina urbs, sed eam Romani in oram è regione oppositam transtulerunt, additisque à Tingi nonnullis, colonos alios ipsi ex Italia miserunt, urbique nomen Juliæ Jozæ indiderunt.* Casaubonus Græca verba Strabonis: ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην εἰς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι reddidit Latine: *sed eam Romani in oppositam Mauritaniam transtulerunt*; cum 89
in oppositam Hispaniæ oram scribere debuisset; verbum enim περαιόω significat in oram oppositam traducere; at *Hispaniæ Bæticæ* littus ex adverso est *Mauritaniæ*, in qua *Zeles* sita erat. Salmasius in *exercit. Plinianis pag.* 288. ait: *Nec Joza quid sit* D *scio, quum Latinum nomen debeat esse.* At *Samuel Bochartus* plurium linguarum peritia insignis, *par.* 2. *Geogr. sacræ lib.* I. *cap.* 24. erudite advertit *Jozam Africanam* seu *Punicam* vocem esse, idemque significare quod Latine *Traducta. Arabes* etiamnum vocem *Giuza* mollius proferunt, priorem literam *G* sono *I* efferentes, uti etiam faciunt *Galli* cum *G* literas *E* & *I* præcedit. Vox *Giuza* in *Arabum* scriptis ac *Chaldæa* paraphrasi sæpius occurrit, quoties agitur de maris aut fluminum trajectione. Itaque auctore *Strabone*, habemus coloniam *Juliam Jozam*, hoc est, *Traductam* in ora *Bæticæ* à *Romanis* conditam. *Ptolomæo* inter ur-E bes *Bæticæ* numerantur: *Belo, Menlaria, Transducta, Barbesola, Carteja.* Marcianus Heracleota in Periplo cap. *de Bætica* scribit: *à Transductis ad Menlariam stadia non amplius quam trecenta quindecim.* Ejusdem etiam coloniæ meminit Gregorius Turonensis *lib.* II. *Hist. Franc. cap.* 2. *Post hæc*, inquit, *persequentibus Alamannis usque ad Traductam, transito mari, Vandali per totam Africam ac Mauritaniam sunt dispersi.* Idacius in Chronico ad annum V. Valentiniani III. scribit: *Geisericus Rex de Bæticæ provinciæ litore cum Vandalis omnibus, eorumque familiis mense Majo ad Mauritaniam & Africam relictis transit Hispaniis.* F Ita *Vandali Suevis Alemanniæ* populis persequentibus, conscensis ad *Juliam Traductam* navibus, ex *Bætica* in *Mauritaniam* angusto freto superato, transmiserunt. Nusquam vero *Juliæ* nomine eam urbem nuncuparunt, quod cum plurimæ *Augustæ* & *Juliæ* coloniæ in *Hispaniis* essent, hæ solo cognomine invicem discernebantur; siquidem *Julia Valentia, Augusta Emerita, Augusta Cæsarea, Julia Calpe*, aliæque solo cognomine designatæ ab historicis scribebantur. Hinc omisso *Juliæ* nomine, *Traductam* vulgo laudatam colo-

coloniam appellabant. Ejusdem *Traductæ* in ora maritima *Bæticæ* meminit vetustus *Geographus Ravennas*, cujus verba proxime laudabo.

Salmasius, *Bochartus*, ac *Vossius* scribunt coloniam *Juliam Traductam* à *Julio Cæsare* deductam, id ex *Juliæ* nomine colligentes. Verum cum pleræque coloniæ ab *Augusto*, qui in *Juliam* familiam per avunculi adoptionem transierat, *Juliæ* appellatæ fuerint, minus recte *Julius* Dictator laudatæ coloniæ auctor affirmatur. Et quidem ex superius demonstratis palam ostenditur non *Julium Cæsarem*, sed *Augustum* coloniam *Juliam Traductam* deduxisse. Nam *Strabone* auctore, *Romani Zelis* in *Mauritania* urbis cives, è vicino *Tingi* quibusdam additis, in *Bæticam* traducti, *Juliam Traductam* condidere. At *Cæsare* Dictatore superstite, *Zeli* ac *Tingi Bogud* imperabat, cui postea A. V. 716 *Bocchus* successit, quo A. V. 721. vita functo, *Augustus*, ut ait Dio *lib.* XLIX. *regnum eius nemini alii tradidit, sed inter provincias Romanas retulit.* Cum vero idem Princeps A. V. 729. in *Hispania* bellum gereret, quod etiam feliciter profligavit, cunctis ejus provinciæ nationibus in P. R. potestatem redactis, *Jubæ* regis *Jubæ* à *Julio Cæsare* una cum *Scipionis* legionibus superati, filio *Bocchi & Bogudis ditiones dedit*, ex Dione *lib.* LIII. Interim vero *Hispaniensi* bello, quod ducentos prope annos arma *Romana* vario Marte fatigaverat, confecto, *Augustus* emeritos milites in colonias deduxit tum in proximas *Hispaniæ* urbes, uti laudatus *Dio* testatur; tum etiam
90 in vicinam oram *Mauritaniæ*, ubi teste *Plinio*, tres colonias condidit, quarum primo loco eidem recensetur *Julia Constantia* XXV. *M. P. Tingi* distans versus occasum. Hanc autem in agrum oppidumque *Zelis* urbis deduxit; *Zelis* enim, *Geographis* auctoribus, XXV. *M. P. Tingi* versus Occidentem aberat; ac *Strabo* eam urbem *Tingi* proximam appellat. Hinc idem *Augustus* milites eandem in urbem colonos mittens, eamque *Juliam Constantiam* nuncupans, veteres *Zelis* colonos in oppositam *Hispaniæ* oram traducens, *Juliam Traductam* condidit, quam illi gentili vocabulo *Jozam* dixere. Plinius *lib.* v. *cap.* I. ait: *Zelis regum ditioni exempta, & jura in Bæticam petere jussa.* In tribus MSS. Mediceis legitur *Zylil.* Id primum contigisse puto, cum A. V. 716. *Tingitanis Zeli* proximis civitas data fuit; quo anno etiam *Mauritania*, quæ *Bogudi* antea paruerat, *Boccho* tradita, hujus ditioni *Zeles* quoque exempta, ad jus Proconsulis *Bæticæ* translata fuit. Hinc postea *Augustus Zelitenses Romanis* magistratibus parere suetos, in *Bæticam* transmigrare jussit, cum *Juliam Traductam* conderet. Hac sane ratione *Plinius Straboni* satis probabiliter conciliatur. Pomponius Mela *lib.* II. *cap.* 6. *Bæticam* describens, ait. *In eoque*, nempe sinu, *Carteja, & quam transvecti ex Africa Phœnices habitant, atque unde nos sumus, Tingentera, tum Mellaria, Belo &c.* Cum nusquam *Tingenteræ* mentio apud alios Geographos occurrat, viri eruditi non una correctione *Melæ* verba sollicitarunt. Sane in MSS. Mediceis variæ lectiones apparent; siquidem in uno codice legitur: *atque unde nos sumus Tingente ratum*; in altero *Tingenteratum*; in tertio *cingente ratum*; in quarto denique *ingente ratum.* Henricus Stephanus edidit: *cingente freto, Mellaria, Belo &c.* Casaubonus in *notis ad pag.* 96. *lib.* III. *Strabonis* legit: *atque unde nos sumus, Tingi contraria Mellaria &c.* Salmasius *pag.* 288. *exercit. Plin.* corrigit: *atque unde nos sumus, Tingi altera, tum Mellaria*; cui subscribit Bochartus laudato *cap.* 24. Isaac Vossius in præclaris *ad Melam notis* ait legendum: *Tingi Cetraria*, quod Anonymus Geographus *Ravennas Bæticæ* urbes recensens,

A scribit: *Salduba, Maliana, Carteja, Transducta Cetraria, Mellaria, Belon &c.* Idem vero *Vossius* tradit unam eandemque urbem variis nominibus appellatam, *Juliam Jozam* à Strabone: *Traductam* à Ptolomæo: *Traductam Cetrariam* à Geographo Anonymo, ac denique *Tingim Cetrariam* à *Mela*, quod nempe *Julius Cæsar* eo colonos miserit cohortes Cetratas, quas *lib.* I. *de bello civili narrat* in *Hispania* fuisse. Ceterum Elias Vinetus *in vita Pomponii Melæ*, vetustissimorum codicum lectionem retinens, scribit *Tingenteram* Melæ patriam fuisse. Quam sane lectionem retinendam censeo, quæ etiam in duobus MSS. Mediceis facile
B restituitur, si pro *Tingente ratum*, *Mellaria*, *Belo &c* legatur cum disjunctione: *Tingentera*, *tum Mellaria*, *Belo* &c. *Tingenteram* minus celebre ejus oræ oppidum ceteri Geographi omiserunt, quam tamen *Mela*, ibidem natus, debito erga patriam cultu & obsequio, suis libris inserendam duxit. Profecto lapsus est scriptor alioquin eruditissimus, dum Cetratas cohortes *Juliam Traductam* à *Cæsare* Dictatore missas putavit. Nam *Strabo* diserte eo traductos scribit *Zelis* incolas, quibusdam è *Tingi* additis, aliisque ex *Italia* illuc migrare jussis; quæ sane post *Julii* necem, imperante *Augusto*, contigisse demonstravi. Præterea
C cohortes Cetratæ, quarum Cæsar *lib.* I. laudato meminit, in castris *Pompejanis* in *Hispania* stipendia merebant. Nam *cap.* 39. dicuntur sub legatis *Pompeji* in *Hispania* militasse *scutatæ citerioris provinciæ, & Cetratæ ulterioris Hispaniæ cohortes* circiter LXXX. quas cum *Cæsar* obsedisset, eisdem una & extrema conditione pacem dedit, *ut hi qui haberent domicilium, aut possessiones in Hispania, statim dimitterentur.* Itaque Cetratarum *Bæticæ* cohortium milites, sacramento soluti, in suos quique lares dimissi sunt; non autem à *Cæsare* in coloniam deducti. Cur enim hostium cohortes
D agro donasset, cum nec suis militibus tantum beneficium id temporis contulerit? Hinc in Geographo Anonymo legendum est: *Carteja, Transducta, Cetraria, Mellaria &c.* ut interjecto commate, *Cetraria* diversa à *Traducta* oppidum designetur.

Ex hucusque disputatis palam fit, coloniam *Juliam Traductam* in ora maritima ulterioris *Hispaniæ* ad fretum *Gaditanum* sitam fuisse, eamque conditam non à *Julio Cæsare* Dictatore, sed ab *Augusto.* At quid Plinio faciemus, qui diserte eandem cum *Tingi* confundit, quod *à Claudio Cæsare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Julia* testatur? Verum nummi ante imperium
E *Claudii Juliam Traductam* fuisse evincunt. Num *Claudius* post occisum *Jubam* regem à decessore *Caligula*, ac rebellantes *Mauros* ad obsequium armis redactos, *Tingim* coloniam condens, *Zelitenses* ac *Tingitanos* ab *Augusto* in *Bæticam* traductos, in avitos iterum agros remeare jussit, *Juliæ Traductæ*, quam relinquebant, nomen in novam coloniam deportantes? Hæc tamen sine teste finguntur, quæ etiam ex *Ptolomæo* refelli possunt, cui in *Mauritaniæ* extimæ descriptione nominatur, ut recte *Salmasius* prænotavit, *Tingis Cæsarea.* *Pinedo* Hebræus, qui nuper *Stephanum* de Urbibus notis abs se illustratum *Latio* donavit, in
F V. *Tingis* scribit cum *Plinio Juliam Traductam* à *Claudio* appellatam, iis dissimulatis quæ *Salmasius* ac *Bochartus* ex vetustis Geographis, ac dein *Spanhemius* ac *Patinus* ex nummis prænotaverant. *Joannes Baptista Cataneus* insignis ordinis Minorum Theologus, *Bæticam* perlustrans, quædam sane rarissima ejusdem provinciæ Coloniarum numismata collegit, quæ una cum aliis alibi abs se inventis, apud *Rhegium Lepidi* in sui Ordinis Cœnobio custodit. Hos inter nummos quatuor apud *Juliam Traductam* scalpti sunt, quorum ectypa ab eo-

eodem eruditiſſimo æque ac humaniſſimo Patre mihi communicata ſubjicio, & eo quidem libentius, tum quod in duobus noſtrorum *Cæſarum* vultus exprimuntur; tum etiam quia parum notæ ante CHRISTINÆ Auguſtæ numiſma, coloniæ *Juliæ Traductæ* nomen ibidem viſitur. Porro nummi, quorum poſticam tantum partem exhibeo, in antica vultum *Auguſti* ſine laurea exprimunt cum epigraphe: PERM. CAES. AUG. In eorum altero tutulus ſeu galerus cum ſimpulo *Auguſti* Pontificatum Maximum indicat, ut cuilibet notum; de quibus etiam quædam inſeram inferius ubi de *Caji* ac *Lucii* Sacerdotio in eorundem vulgari nummo ſignato verba faciam. Nam quamvis *Auguſtus* eſſet Pontifex Maximus, hæc tamen ejuſdem dignitas in nummis iiſdem inſtrumentis exprimebatur, quibus ceterorum collegarum Pontificum ſacerdotium obſignabatur.

Vide TAB. III. fig. 3. 4. 5. 6. Pag. 80.

92 Uti in nummo *Caji* botri ſymbolum ſcalptum eſt, ita in altero ejuſdem fratris *Lucii* ſpica viſitur, ut agri *Juliæ Traductæ* fertilitas intelligatur. Plinius *lib.* III. *cap.* I. ait: *Bætica à flumine eam ſecante cognominata, cunctas provinciarum diviti cultu, & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit.* Strabo *lib.* III. *pag.* 96. cum dixiſſet: *Regionem à fluvio Bæticam nominant, ab incolis Turditaniam*, paullo inferius ait: *Exportatur è Turditania multum frumenti ac vini.* Silius *Italicus Hiſpaniam* deſcribens, canit:

Nec Cereri terra indocilis, nec inhoſpita Baccho.

Extat apud *Goltzium pag.* 34. nummus *Auguſti*, in cujus poſtica *Hiſpania* viſitur dextera binas ſpicas præferens. Cum vero *Julia Traducta Cereris* ac *Bacchi* donis ceteras inter provinciæ urbes maxime afflueret, botrum ac ſpicam in nummis ſcalpebat. Illis autem verbis in *Lucii* nummo: PERM. CAES. AUG. *Permiſſu Cæſaris Auguſti*, notatur facultas cudendæ monetæ, quam *Auguſtus Juliæ Traductæ* conceſſerat; qua de re plura erudite congerit Spanhemius *diſſert.* 6. *pag.* 554. & 555. Hactenus de *Julia Traducta*, ac nummis ab eadem utriuſque *Cæſaris Caji* ac *Lucii* effigie ſignatis. In ſcriniis veterum numiſmatum, quæ Cardinalis *Camillus* Maximus ſingulari ſtudio collegerat, ſervatur nummus, in cujus antica legitur: IMP. CAES. AUGUSTUS PONT. MAX. P. P. in poſtica vero viſuntur capita *Caji* ac *Lucii Cæſarum* cum epigraphe: C. L. CAES. AUG. F. C. V. T. cujus nummi ectypum habes apud Equitem Patinum ad *cap.* 65. *Suetonii de vita Auguſti.* Antiquarii vulgo inſcriptionem eandem ita exponunt: *Cajus Lucius Cæſares Auguſti filii. Colonia Victrix Tarraco.* Verum in inſcriptione Gruteri *pag.* III. legitur: GENIO. COL. I. V. T. TARRACO. In ſeptem aliis inſcriptionibus *pag.* 429. iiſdem literis ea colonia *Julia Victrix* deſi-
93 gnatur. Hinc ne *Tarraco* fruſtra ibidem repetatur, prioris literæ T altera interpretatio adſignanda eſt. *Antonius Auguſtinus* vir nulli eruditione ſecundus, ita olim explicuit: *Colonia Julia Victrix Togata Tarraco.* Nam cum *Scipio Tarraconem* contra *Carthaginenſium* impetum in *Hiſpania* condidiſſet, quod *Romani* toga de more induti, eandem incolebant, *Togatæ* cognomen ea urbs vulgo obtinuit. In Gaza Medicea extat æreus *Tiberii* Auguſti nummus in poſtica ſignatus: AETERNITATI AUGUSTÆ C. V. T. T. nempe: *Colonia Victrix Togata Tarraco.* Græca numiſmata, quorum unum *Caji*, alterum *Lucii Cæſarum* imagine ſignatum eſt, poſſidet proxime laudandus Comes de *Lazara*, in quibus tamen non deſignatur urbs, in qua eadem percuſſa fuerint. Scalptos apud *Smyrnam* nummos *Cæſarum* vultu obſignatos videſis apud *Triſtanum tomo priori.* Hactenus de noſtrorum *Cæſarum* nummis; modo ad hiſtoriam redeo, iterum tamen alia numiſmata laudaturus.

Anno V.C. 738. qui utriuſque *Cæſaris* adoptionem proxime inſecutus eſt, *Auguſtus* Occidentis provincias luſtraturus, in *Gallias* perrexit, cum prius *Agrippam* in Orientem miſiſſet. Auctor eſt *Nicolaus Damaſcenus* in *excerptis Valeſianis pag.* 418. *Juliam* conjugem cum eodem *Agrippa* in *Aſiam* tranſmiſiſſe, ſcribens eandem prope *Ilium*, auctis *Scamandri* undis, in lectica pene ſubmerſam; *Agrippam* vero *Ilienſibus* indignatum, quod nullos viæ comites ad eandem miſiſſent, & quamvis adventus *Juliæ* ignaros, drachmarum millibus centum multaſſe. Num *Auguſtus Cajum* & *Lucium* ſecum trans Alpes duxerit, an eoſdem *Romæ* reliquerit, in incerto ponatur. Illos forte à matre *Julia* in *Aſiam* delatos mihi videor colligere ex hoc plane ſingulari nummo *Alabandenſium*, qui in regiis cimeliis Reginarum Maximæ CHRISTINÆ cuſtoditur.

Vide TAB. III. fig. 7. Pag. 80.

In antica parte *Auguſtus* ejuſque conjux *Livia* exprimuntur; in poſtica vero *Cajus* ac *Lucius Cæſares* cum eorundem patre *M. Arippa. Liviæ* effigies cum Luna in cornua curvata in quibuſdam nummis, qui rari in honorem ejus percuſſi ſunt, apparet. Unum & alterum delineat *Goltzius* inter Auguſteos *pag.* 20. *num.* 5. & 12. Bina ſidera, quæ ſupra capita *Caji* ac *Lucii* ſcalpta ſunt, eoſdem *Julii Cæſaris* ſtirpe ortos deſignant. Nam cum *Auguſtus* ſeptimo menſe ab avunculi cæde V. C. anno 710. ludos Veneri Genitrici, ejuſdem templo in Foro à *Julio* extructo, ac tum abs ſe dedicato, faceret, ſtella crinita paruit; qua de re Plinius *lib.* II. *cap.* 25. hæc ipſa Auguſti verba recitat: *Iis ipſis ludorum meorum diebus, ſidus crinitum per ſeptem dies in regione cæli, quæ ſub ſeptentrionibus eſt, conſpectum. Id oriebatur circa XI. horam diei, clarumque & omnibus terris conſpicuum* 94
fuit. Eo ſidere ſignificari vulgus credidit Cæſaris animam inter Deorum immortalium numina receptam: quo nomine id inſigne ſimulacro capitis ejus, quod mox in foro conſecravimus, adjectum eſt. Ovidus *lib.* XV. *Metamorph.* à *v.* 746. *Cæſaris* apotheoſim deſcribens, plura hoc de ſidere canit. Hæc ait à *v.* 843.

Vix ea fatus erat, media cum ſede Senatus
Conſtitit alma Venus, nulli cernenda, ſuique
Cæſaris eripuit membris, nec in aera ſolvi
Paſſa, recentem animam, cœleſtibus intulit aſtris.
Dumque tulit, numen capere, atque igneſcere ſenſit,
Emiſitque ſimul: ſimul evolat altius illa;
Flamigerumque trahens ſpatioſo limite crinem
STELLA micat.

Idem tradunt Dio *lib.* XLV. & *Suetonius in Julio cap.* 88. ſcribens eos ludos *Cæſari* conſecratos; quamvis *Plinius* ac *Dio* rectius Veneri Genitrici eoſdem factos dicant. Eorum annua inſtauratio in fragmento Kalendarii apud Gruterum *pag.* 135. 2. ſignatur in ante diem VI. Kal. Octobris: VENERI GENETRICI IN FORO CAESARIS. Auguſtus in Actiaco prælio Virgilio *lib.* VIII. *v.* 780. deſcribitur:

Stans celſa in puppi, geminas cui tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice ſidus.

Hinc in nummis *Julii* & *Auguſti* ſupra caput ſidus conſpicitur, quorum ſane numiſmatum imagines, uti recte *P. Seguinus* ſcribit, vix præ copia enumeres; paſſim enim apud Antiquarios proſtant. *Alabanda* liberum *Cariæ* oppidum in *Caji* ac *Lucii* vertice *Julium* ſidus appoſuit, ut utrumque *Julii* ſtirpe ortos demonſtraret. In Scriniis Illuſtriſſimi Comitis *Joannis Lazara Patavini* ſervatur nummus, in quo utriuſque noſtri *Cæſaris* imago in vertice *Julio* ſidere obſignata conſpici-

Vide TAB. III. fig. 8. Pag. 80. tur. Ejusdem nummi ectypum vir nobilissimus ad me misit, neque enim eruditam supellectilem uni sibi avara custodia servat; sed eandem antiquarum rerum studiosis pari beneficentia ac alacritate communicat.

Numerus ille VIIII. annum forte Tribuniciæ potestatis *Augusti* denotat, uti plures etiam alii nummi *Augusti*, in quorum postica solæ numerales notæ intra lauream apparent apud *Goltzium pag.* 69. Anno V. 740. V. Kal. Julias Augustus annum nonum Tribuniciæ potestatis complevit.

Cum anno insequenti V. C. 741. idem *Augu-*
95 *stus* Alpinis gentibus superatis, plurimisque per *Hispaniam* ac *Galliam* militum coloniis excitatis, *Romam* rediisset, theatrum *Marcelli* dedicavit, *ludisque ejus rei gratia factis, Trojam inter alios patricios nepos Augusti Cajus lusit*, Dio *lib.* LIV. Erat equestre certamen à pueris editum, quo præ ceteris spectaculis *Augustus* delectabatur. *Suetonius* de *eodem cap.* 43. scribit: *Sed & Trojæ ludum edidit frequentissime majorum, minorumque puerorum delectu, prisci decorique moris existimans claræ stirpis indolem sic innotescere.* *Cajus* id temporis annum ætatis agebat septimum; quare in turma minorum puerorum lusit, cujus etiam princeps fuit. Hunc ludum in *Augusti* gratiam prolixius describit summus poetarum *lib.* V. *Æneid. à versu* 548. fingens illum ab *Ænea* puero *Ascanio* hisce vocibus imperatum.

Vade age, & Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum:
Ducat avo turmas, & sese ostendat in armis.

Cum ludi votivi ob reditum *Augusti* ederentur, *Tiberius Augusti* privignus ac consul *Cajum* ad spectaculum una secum ductum, proximo sibi loco sedere jussit. *Augustus* id indignanter tulit; neque enim fas erat pueros prætextatos in theatro cum Senatoribus sedere. Itaque, inquit Dio *lib.* LIV. *Tiberium increpuit, quod ludis votivis, quos pro suo reditu faciebat, Cajo juxta se sedem dedisset: populumque objurgavit, quod plausu & laudibus eam rem prosecutus esset.* Horum ludorum memoria extat in fragmento marmoreæ basis effossæ in area D. *Apollinaris* ad caput Circi Agonalis, quod suppletum ita legitur *pag.* 11. 2. apud Gruterum.

P. Quinctilius. sEX. F. VARVS
Pontifex. COS.
Ludos. votivos. prO. REDITV
Imp. Caesaris. divI. F. AVGVSTI
Iovi. Optimo. mAXIMO. FECIT
Ti. Claudio. Ti. f. NerONE. CONLEGA
Ex. S. C.

Idem tamen *Augustus* A. V. 747. cum *Cajus* adhuc esset prætextatus, permisit, ut alteros ludos votivos pro suo iterum reditu faceret, ac pro *Tiberio*, qui ad bellum *Germanicum* profectus fuerat, eisdem præsideret. Do *Dionis* verba ex *lib.* LV. ubi præmisso *Tiberii* in *Germaniam* itinere, ait: *Ac pro eo ludos votos pro Augusti reditu, Cajus ac Piso fecerunt.* Horum etiam ludorum mentio fit in altera basi ibidem pariter eruta *pag. eadem* 11. *Gruteri*; qui tamen ibidem uni absenti *Tiberio* adscribuntur.

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CAESARIS. DIVI. F. AVGVSTI
96 PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT

A Interea nihil *Augusto* antiquius erat, quam adoptatos abs se nepotes, quos in maximi omnium imperii spem alebat, optimis disciplinis præformare, ac administrando principatui pares facere. *Verrius Flaccus* homo libertinus dicendi genere ea tempestate inter Grammaticos præ ceteris celebrabatur. *Is*, ut Suetonii verbis utar *cap.* 17. *de illustr. Grammaticis, ad exercitanda discentium ingenia, æquales inter se committere solebat, proposita non solum materia, quam scriberent, sed & præmio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior.* Hunc *Augustus* suis nepotibus, immo tum filiis præceptorem imponere deliberavit.
B Verum cum *Flaccus* ægre ferre videretur, nobilissimorum adolescentium classe, quæ ejus scholam frequentabat, omissa, duos tantum pueros instructurus, in palatium transire, *Augustus* jussit hominem in imperatorias ædes cum tota schola se conferre, cum eo tamen, *ne quem amplius post hac discipulum reciperet; docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars palatii tunc erat, & sextertia centena in annum accepit*; nempe *Romanæ* monetæ scutatos bis mille ac quingentos, qui decurionis census fuit. Sequior tamen ætas *Eumenio* Grammatico sexcenta millia nummum, hoc est, quindecim millia scutatorum in annuum stipendium
C à Principe vidit destinata. Quis modo Regum Grammaticum tanti emeret? Hinc *Eumenius* plenis jam scriniis dicebat: *Quid mihi cum ullis opibus aut Midæ Regis aut Cræsi? aut ipsius qui auro dicitur fluxisse, Pactoli?* Eximiæ *Augusti* laudi vertatur, quod non intra secretiores palatii cellulas mutæ filiorum disciplinæ pædagogum præfecit, sed universam puerorum scholam intra ipsius aulæ muros admisit, quo *Cæsares* condiscipulorum ingenia æmulantes, majores in literis progressus facerent. *Flaccum* præceptorem non modo dictionis elegantia, verum etiam annalium
D victoris gentium populi peritia commendabat. Is enim est, qui *Romanos* consulares ac triumphales fastos per annos Urbis summa fide parique diligentia digestos ac in hemicyclo *Prænestino* marmoreo parieti incisos, publicavit. *Philo Judæorum* doctissimus unum condiscipulorum *Caji* ac *Lucii Cæsarum* prodit *Avilium Flaccum* equestri familia natum. Hic quinquennio ante obitum *Tiberii* Augustalis *Ægyptum* gubernarat; dein imperante *Cajo*, plurium criminum reus incusatus, cognita *Romæ* causa, in *Andrum Ægei* insulam deportatus fuit, quam cum è navi primum aspexit, in hasce voces erupit: *Viri custodes & deductores, pulchrum sane locum & fortunatam insulam Andrum*
E *accipio pro beata Italia Flaccus natus, educatus, eruditusque Romæ, nepotum Augusti sodalis, & condiscipulus, Tiberii quoque Cæsaris inter præcipuos amicos habitus.* Hæc *Philo* in invectiva contra eundem *Flaccum.* Ceterum *Augustus* tantam nepotum curam gerebat, ut haud contentus eisdem instruendis omnium optimum præceptorem selegisse, illos per se plerumque doceret tum literas, tum ceteras artes, quæ juvenes Principes tanto imperio regendo destinatos, decebant. Horum testis venit Suetonius *cap.* 64. *de Augusto* scribens: *Nepotes & literas, & natare, aliaque rudimenta per se plerumque docuit: ac nihil æque laboravit,*
F *quam ut imitarentur chirographum suum. Neque cœnavit una, nisi ut in imo lecto assiderent; neque iter fecit, nisi ut vehiculo anteirent, aut circa adequitarent.* 97 *Augustus* loquendi genus sequebatur elegans & temperatum; exoletas vero ac non usu receptas voces aversabatur. Quæ ille multorum verba emendavit, recitat Suetonius *cap.* 86. Ad rem propius pertinent quæ scribit Quintilianus *lib.* I. *Instit. cap.* 6. *Sed Augustus quoque*, inquit, *in Epistolis ad Cajum Cæsarem scriptis, emendat, quod*

quod is caldum *dicere*, *quam* caldum *malit*; *non quod illud non sit latinum*, *sed quia sit odiosum*, & *ut ipse Græco verbo significavit*, περίεργον. Sane Varro *lib.* III. *de re rustica cap.* 2. & Cato *cap.* 6. *caldum* dixerunt. Ex his facile intelligitur, quantam curam *Augustus* adhibuerit, ut nepotes secum degentes instrueret, cum eorum alterum absentem ob unicum verbum latinum licet, immo & *Ciceronianum*, per literas corrigendum putaverit.

CAP. II.

Agrippa Caji *ac* Lucii *pater moritur*. Julia Cæsarum *mater* Tiberio *desponsatur*. Cajus *ad bellum* Germanicum *cum* Tiberio *vitrico mittitur*. Dionis *locus emendatus*. Cajus *ludos votivos* Romæ *edit*. *Idem una cum fratre in toga pulla ludos gladiatorios spectat*. Lucius Cajo *consulatum petit*. *Simulata* Augusti *indignatio*. Cajus *consul designatur*. *Quædam designatorum Consulum munia recensentur*.

ANnus V. 742. quo *M. Valerius Messalla Barbatus* ac *P. Sulpicius Quirinus* consulatum gessere, funestus *Augusto* ac *Cajo* & *Lucio* Cæsaribus, luctuosus etiam populo *Romano* fuit ob *Agrippæ* mortem. Vix ille ex Oriente *Romam* redierat, cum *Augustus*, audita *Pannoniæ* rebellione, hieme licet instante, illum adversus barbaros misit, propagata eidem in alterum quinquennium Tribunicia potestate. *Agrippa* in provinciam statim profectus, ac bellum de proximo ostentans, tantum barbaris terrorem incussit, ut positis armis, datisque obsidibus, ad obsequium statim redierint. Pacata provincia, pari celeritate *Romam* reversus, in *Campaniam* secessit, ubi gravi morbo correptus, intra paucos dies extinctus, magnum sui apud universos desiderium reliquit. Plinio *lib.* VII. *cap.* 8. dicitur *Agrippa quinquagesimo uno raptus anno*. *Nicolaus* vero *Damascenus*, qui legatione apud *Agrippam Herodis Judæorum* regis nomine perfunctus fuit, in libello de educatione Augusti, scribit *Agrippam* majorem natu ipso *Augusto* fuisse; cum autem hic in lucem editus fuerit A. V. 691. IX. Kal. Octobris, præsenti anno V. 742. quinquagesimum primum ætatis annum die 23. Septembris complebat. Quare *Agrippa* natus erat prope initium A. V. 691. ante aliquot menses quam *Augustus* in lucem veniret. Mensem obitus *Agrippæ* designat Dio *lib.* LIV. *Augustus*, inquiens, *tum forte Quinquatribus munus gladiatorium* Caji ac Lucii Cæsarum *filiorum nomine exhibebat*; *qui simul ac de Agrippæ casu cognovit*, *properato ex urbe profectus*, *mortuum eum invenit*. Quinquatria Minervæ sacrata agebantur à die 19. Martii per insequentes quatuor dies. Ovidius *lib.* III. *fastorum* de eisdem diebus scribit:

Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro;
Causa, quod est illa nata Minerva die.
98 *Altera tresque super rasa celebrantur arena:*
Ensibus exsertis bellica læta Dea est.

Cum *Augustus* nomine *Cæsarum* ludos gladiatorios exhibens, nuntium morbi generi *Agrippæ* acceperit, ac prima die Quinquatrium haud fas esset ferro concurrere, intra reliquos quatuor dies *Agrippa* decessisse dicendus est. Hunc vitæ exitum *Agrippa Caji* ac *Lucii Cæsarum* pater habuit, vir citra controversiam optimus, *Augusto*, Senatui, ac Populo R. ex æquo gratissimus. Ejus elogium quod epitaphii loco sit, vide apud *Dionem* laudatum; neque enim vacat plura hic de viro inserere. Stupenda ejusdem ædificia, quæ in publicum usum extruxit, laudant Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* 15. & 25. Strabo *lib.* V. *pag.* 163. Dio *lib.* LIII. ad A. V. 728. Extat Horatii *Ode ad Agrippam lib.* I. *Carmin.* IV.

A *Augustus* corpus *Agrippæ Romam* adduxit, inquit Dio *lib.* LIV. *ac in foro expositum*, *funebri laudatione decoravit*, *cortina inter se & mortuum expansa*; cujus moris causam fatetur sibi incompertam; additque errare eos, qui ideo id velum positum putant, quod nefas erat Pontificem Maximum cadavera inspicere. Verum *Dio* Græcus homo, qui post ducentos annos res *Romanas* in literas misit, vetustas Latinæ gentis cæremonias, sua forsan ætate antiquatas, ignoravit. *Seneca* omni exceptione major testis eidem refragatur, hæc ad *Marciam* scribens *cap.* 15. *Tiberius & quem genuerat*, *& quem adoptaverat*, *amisit*; *ipse tamen*
B *pro rostris laudavit filium*, *stetitque in conspectu posito corpore*, *interjecto tantummodo velamento*, *quod Pontificis oculos à funere arceret*. *Augustus* vero anno ante obitum *Agrippæ*, mortuo *M. Æmilio Lepido* Pont. Max. quem ante annos triginta collegam in triumviratu acceperat, summum illud sacerdotium inierat, quod postea solis Imperatoribus delatum fuit, ut iidem etiam sacrorum Principes haberentur. Quamvis *Agrippa* proprium sibi sepulcrum in campo *Martio* exstruxisset, *Augustus* ejusdem ossa ac cineres in Mausoleo condi jussit, quod inter viam *Flaminiam* ac ripam *Tiberis*, in sexto suo consulatu regiis impensis perfe-
C cerat. Pedo Albinovanus in *epicedio de morte Drusi ad Liviam*, de *Augusto* ait:

Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro;
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa, tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris ecce soror.

Hæc fuit *Octavia M. Antonii* Triumviri uxor post biennium fato defuncta. *Julia Agrippæ* uxor, marito demortuo, posthumum filium genuit; quem *Augustus Marcum Agrippam* nominandum jussit, qui penes nomen tantum magno parenti similis, ceteroqui dissimillimis moribus, illatam
D à patre *Vipsaniæ* familiæ nobilitatem exstinxit. *Agrippa* tres ex *Julia* liberos reliquit *Cajum* ac *Lucium*, qui in *Juliam Cæsarum* familiam transierant, ac *Agrippam Posthumum*; duas vero filias, *Juliam*, quæ *L. Æmilio Paullo* postea nupta fuit, & *Agrippinam Germanici* Cæsaris uxorem. *Vipsanii Agrippæ* fratris unus & alter Scriptorum, quorum libri supersunt, meminere. *Nicolaus Damascenus* in libello de educatione Augusti scribit eundem bello civili ad *Pompejanas* partes transisse, ac *Marci Catonis*, cui erat acceptissimus, militiam bello *Africo* secutum fuisse, eique post cladem cum ceteris captivis ad *Julium Cæsarem* ad-
E ducto, *Augustum* in gratiam *Agrippæ* sui contubernalis, veniam ab avunculo impetrasse. 99 Dio vero *lib.* LIV. scribit *Agrippam* aliquando à Consule de fratre sententiam rogatum, eam non tulisse. Interim *Agrippæ* fratri ac nostrorum *Cæsarum* patruo eximiæ laudi vertatur, *Catoni* acceptum fuisse. *Vipsaniam Polam Agrippæ* sororem ac *Caji* & *Lucii* amitam nominat Dio *lib.* LV. ad A. V. 747. scribens eandem porticum in campo *Martio* inchoasse, cursusque equorum instituisse; sed hæc antea contigerant, neque eo anno *Pola* erat superstes.

Julia Cæsarum mater viro orbata, annum æta-
F tis agebat septimum supra vicesimum; quare *Augustus* ne filia quicquam quod imperantis familiæ dignitatem deceret minus, admitteret, eandem *Tiberio Neroni* privigno suo, nondum finito luctu, despondit, jubens eundem divortium facere cum *Agrippina*; quamvis hanc quoque idem *Augustus* vix anniculam eidem uxorem destinasset, ex Cornelio Nepote in *vita Attici*: *Suetonius* de hisce Tiberii nuptiis scribit *cap.* 7. *Juliam Augusti filiam confestim coactus est ducere*: *non sine magno* ango-

angore animi: cum & Agrippinæ consuetudine teneretur, & Juliæ mores improbaret, ut quam sensisset sui quoque sub priori marito appetentem, quod sane vulgo etiam existimabatur. Nam *Julia* magnitudinem fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur, virtutesque quibus sane multis prædita, turpi salacitate fœdabat. Et quidem, *Agrippa* superstite, variis illa se amatoribus junxerat; etenim de *Sempronio Graccho* scribit Tacitus *lib.* I. *Annal. eandem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat. Augustus* licentiorem *Juliæ* cultum, ac perspicuos comitatus moleste ferens, eandem, ut temperantius viveret, non semel monuerat; verum, ut inquit Macrobius *lib.* II. *Satur. cap.* 5. *cum ad nepotum turbam similitudinemque respexerat, qua repræsentabatur Agrippa, dubitare de pudicitia filiæ erubescebat.* Addit ibidem: *Cum conscii flagitiorum mirarentur, quomodo similes Agrippæ filios procrearet, quæ tam vulgo potestatem sui corporis faceret:* eandem respondisse: *Nunquam enim nisi navi plena, tollo vectorem.* Haud tamen *Agrippa* vir in *Romani* imperii commoda oculatissimus, domi cæcutiebat; nam Plinius *lib.* VII. *cap.* 8. de eodem scribit: *In tormentis adulteriorum conjugis, socerique prægravi servitio, luisse augurium præposteri natalis existimatur.* Hæc Principum feminarum crimina turpius vindicando publicantur, quod paucis nota, longe lateque publica vindicta diffamat. Hinc *Agrippa* silentio magis, quam ultione, sui ipsius famam minus detrimenti accipere judicavit. Interim ex *Macrobio* indicavi *Cajum* ac *Lucium Cæsares* effigie ac lineamentis corporis *Agrippæ* patri similes extitisse; licet in dissimillimos postea mores defluxerint.

Quamvis *Augustus* eo ipso anno quo *Agrippa* obierat, viduam filiam *Tiberio* desponsaverit, nisi post biennium eandem marito copulavit; ex Dione in fine *lib.* LIV. ad A. V. 744. Viduæ *Romanæ* per decem menses viros extinctos lugere jubebantur, antequam alteri matrimonio jungerentur. Nota sunt Ovidii carmina *lib.* I. *Fastorum.* Hinc Cicero *in Cluentiana* ait: *Quæ mulier obtestatione viri decem aliis mensibus ne domum quidem ullam, nisi socrus suæ nosse debuit, hæc quinto mense post viri mortem, ipsi Oppianico nupsit. Augustus* licet omnibus legibus decreto senatus esset solutus, tum honestati *Juliæ*, quæ tamen nulla illi inerat, tum *Agrippæ* meritis, quæ maxima fatebatur, consulens, statum viduis tempus ultra alterum annum, antequam novo marito copularetur, prorogavit;
100 quamvis paulo post prioris obitum sponsalia celebranda curasset, quæ sane nulla lege vetabantur; unde Paulus *lib.* X. ad edictum scribit: *Quæ virum eluget, intra id tempus sponsam fieri non nocet.* Anno insequenti V. C. 745. *Liviæ Augusti* uxori ac Cæsarum novercæ, ipsique *Romano* imperio grave vulnus illatum est ob mortem *Drusi*, in ipso juventæ flore, medioque victoriæ cursu in æstivis castris, crudelibus fatis erepti. Ejusdem mortem eleganti carmine ad *Liviam* deflet *Pedo Albinovanus*, matrem postea consolatus; honores vero funebres fusius recitat Dio *lib.* LV. Obiit anno ætatis tricesimo. Cum *Drusi* cadaver *Romam* deportaretur, auctor est Tacitus *lib.* III. *An.* Augustum *asperrimo hiemis Ticinum usque progressum.* At *Valerius Maximus*, qui *Tiberio* imperante, scripsit, *lib.* V. *cap.* 5. *de Tiberio* ait: *Cum Ticini, quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, gravi illum*, nempe Drusum fratrem, *& periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosset &c.* Itaque æstate adulta, ante obitum *Drusi*, *Augustus* una cum *Livia* erat *Ticini.* Num *Julia* quoque cum *Cajo* ac *Lucio* filiis illuc patrem secuta, *Tiberium* maritum exceperit, in incerto est, nec vacat esse tam curiosos.

Anno V. C. 746. *C. Mario Censorino* & *C. Asinio Gallo* Coss. *Germanis* iterum bellum restaurantibus, *Augustus Tiberium* copiis præfecit, jubens ut *Cajum Cæsarem*, puerum licet duodennem, secum in castra duceret, non solum ut sub disciplina vitrici militaria rudimenta poneret; verum etiam ut adolescentulum imperio destinatum, legionibus de facie notum faceret, militumque benevolentiam & obsequium eidem maturaret. *Tiberius Rhenum* transgressus, bellum de proximo tantum ostentans, barbaros ad pacem per legatos petendam compulit. Scribit Dio *lib.* LV. *Barbari omnes, exceptis Cantabris, legatos miserant, pacem petentes*, quam Augustus, *nisi Cantabris ad causam adjunctis*, se daturum negavit. Nullus dubito, quin *Dionis* codici error obrepserit; etenim nulli *Cantabri* in *Germania*, cum ea gens *Hispanorum* bellicosissima tam procul à *Rheno* degeret. Leunclavius *Cattuarios* reponendos censet. *Vellejus* de hac expeditione *Tiberii*, res ejusdem per adulationem in majus augens, *lib.* II. ait: *Peragratus victor omnes partes Germaniæ, sine ullo detrimento commissi exercitus, quod præcipuæ huic duci semper curæ fuit, sic perdomuit eam, ut in formam pene stipendiariæ redigeret provinciæ. Tum alter triumphus cum altero consulatu ei oblatus est. Cajus Cæsar* eo bello *Germanico* militaris tirocinii rudimenta ponens, bellicosissimas gentes longo terrarum tractu ultra *Rhenum* adiit, ac deditorum populorum voluptatem præsens accepit. *Augustus* donativum militibus dedit, non quidem victoriæ nomine, *sed quod Cajum tunc primum militaribus exercitiis deditum secum habebant.* Dio *lib.* LV. qua sane pecuniæ largitione magnam *Cajo* apud milites gratiam conciliavit. Hoc anno *Mæcenas Augusti* amicitia celebris sed poëtarum insignium patrocinio illustrior, è vita discessit. Epicedium cecinit *Pedo Albinovanus*, vel ignotus alter poëta, cujus adhuc elegia superest, in qua sub finem *Mæcenatem* jam jam moriturum, hæc superstiti *Augusto* precantem inducit:

Vive diu, mi care senex; pete sidera sero,
Est opus hoc terris: te quoque velle decet.
Et tibi succrescant juvenes bis Cæsare digni;
Sed tradant porro Cæsaris usque genus.
Et tibi securo, quod primum Livia conjunx, 101
Expleat amissi munera rupta gener.

Tiberium generum *Augusti* appellat, ac *Cajum* & *Lucium Cæsares*, quos optat adolescere *bis Cæsare dignos*, nempe tum sanguinis conjunctione, tum virtutum similitudine, patre *Augusto* dignissimos. Salianus *in annalibus sacris*, opinatur *Augustum* hoc anno *Aquilejam* se contulisse, ut *Tiberio* bellum adversus *Germanos* gerenti, propior esset. Verum *cap.* 5. in quo de *Herodis Romam* peregrinationibus disputabo, *Saliani* opinionem apertæ falsitatis convincam; *Augustus* enim censui peragendo, ac lustro condendo eo anno occupatus *domi substitit*, uti *Dio* diserte testatur. Cum ante biennium *Augustus* una cum *Druso* ad bellum *Germanicum Roma* proficisceretur, Senatus pro ejusdem felici reditu vota nuncupaverat, quæ tamen non ante annum V.C. 747. persolvi potuerunt. Nam cum decreto Patrum votorum solutio *Tiberio* incumberet, idemque novis *Germanorum* tumultibus compescendis, procul ab Urbe distineretur, *pro eo ludos votos pro Augusti reditu Cajus ac Piso fecerunt. Dio* citatus. *Cneus Piso* gerebat consulatum, *Tiberio* collega, pro quo *Cajus Cæsar* ejusdem privignus superiori autumno *Romam* reversus, ludos votivos dedit, qui tamen in veteri inscriptione superius allata à *Tiberio* editi dicuntur. *Romani* cum defunctis parentibus inferias dabant, gladiatorios ludos exhibebant, quos omnium primus *Junius Brutus* invexerat. Horum

rum testis venit *Livius* in epitome *lib.* XVI. *Junius Brutus*, inquit, *munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus.* De ludis gladiatoriis quos honori *Q. Metelli Pii* dedit *Q. Scipio*, scribit Tullius in *Sestiana: num.* 107. *Maximum vero populi Romani judicium universo consensu gladiatorio declaratum est; erat enim munus Scipionis dignum & eo ipso, & illo Q. Metello, cui dabatur. Justus Lipsius* in *libris Saturnal.* hocce argumentum singulari, qua pollebat, eruditione profligavit. Hos pariter ludos *Agrippæ* ante triennium defuncto, jussu *Augusti*, datos testatur Dio *lib.* LV. *spectantibus omnibus, ipsisque adeo filiis Augusti (is eam non sumpserat) in pulla veste.*

Inter lascivientis fortunæ illecebras, ac in summo felicitatis fastigio aut virtus, aut virtuti constantia deficit. *Cajus* ac *Lucius*, quamvis sub oculos *Augusti* in palatio educati, in pravos statim mores defluxere. *Lucius* minor natu *Cæsar*, nondum duodennis A. V. 748. inscio Augusto, *theatrum ingressus, cum omnium plausu, partim ex animo, partim ab adulatione profecto exciperetur, aucta petulantia, ausus est petere, ut Cajo fratri nondum ex ephebis egresso, consulatus daretur.* Dio *lib.* LV. qui addit *Augustum* filiorum temeritati indignatum optasse, *ne quando ea quæ ipsi quondam impenderat, temporum iniquitas eveniret, ut consulatus ei mandandus esset, qui nondum vicesimum annum attigisset.* Etenim *Augustus*, cum bellum apud *Mutinam* proprætor administraret, *M. Antonio* fugato, ac utroque consule acceptis inter dimicandum vulneribus extincto, quadringentis militibus *Romam* legatis, consulatum à Senatu petere ausus fuerat. Cum vero Patres ambitiosa juvenis postulata rejecissent, quod consulatus nusquam ab urbe condita adolescenti dari consueverat; sed annum tertium supra quadragesimum agenti tantum deferretur, *Augustus* victrices copias *Romam* rapiens, consulatum invitis extorsit. Livius *lib.* CXIX. ait *Augustum* cum annos XIX. haberet, creatum fuisse consulem. Suetonius *cap.* 26. tradit eundem XX. anno ætatis
102 consulatum invasisse. Vellejus *lib.* II. pridie quam XX. annos impleret, X. Kal. Octobris. *Usserius* notat ad A. Mundi 3961. mensem integrum cum diebus quinque complendo vigesimo anno defuisse. Natus est *Augustus* A. V. 691. die 23. Septembris. Consulatum obtinuit die 19. Sextilis, qui postea de ipsius agnomine Augustus dictus est, A. V. 711. quo *Hirtius*, ac *Pansa* Coss. *Mutinensi* bello cecidere. De mense non sinit dubitare S. C. recitatum Macrobio *lib.* I. *Satur. cap.* 12. *Cum imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum consulatum inierit &c.* Diem vero XIX. produnt Dio *lib.* LVI. scribens: *Vita excessit XIV. Kal. Septembris, qua die quondam primum consulatum inierat*; & Tacitus *lib.* I. *An.* scribens multos de *Augusto* sermones jactatos, *plerisque vana mirantibus quod idem dies accepti quondam imperii princeps, & vitæ supremus.* Verum notandum venit *Cæsarem* in anno *Juliano* reformando jussisse ut annus, quem confusionis vulgo appellarunt, esset dierum CDXLV. ex Censorino *cap.* 8. *de die Natali.* Hæc dierum additio facta est ante annum, quo *Augustus* consul fuit, nempe A. V. 710. fuitque ille annus bissextilis dierum 366. quibus si addantur dies LXXIX. fiet annus dierum 445. Ex his infertur *Augustum* anno ætatis vicesimo, ac mense insuper expleto, consulatum extorsisse. Hoc tamen juveni sibi patratum facinus, senex improbabat, utpote qui adversus patrias leges summum in Republica magistratum, juvenili impetu tantaque ambitione, invasisset. At longe turpius ducebat puero adhuc prætextato, ac decimum quartum ætatis annum nato,

A consulatum deferri. Tacitus auctor est *Augustum* in speciem tantum Cæsarum petulantiæ indignatum, cum nil magis in votis haberet, quam *Cajum* ac *Lucium* summis magistratibus exornatos, ac præcoci Senatus populique *Romani* obsequio cultos, certos sibi successores quam primum maturare. Hæc ille ait: *Genitos Agrippa Cajum ac Lucium in familiam Cæsarum induxerat; nec dum posita puerili prætexta, Principes juventutis appellari, destinare consules specie recusantis, flagrantissime cupiverat.* Cum vero Senatus ac populus palam *Cajo* consulatum peterent, *Augustus* rem nec exempli, nec sui sæculi judicans consulatum pue-
B ro adhuc prætextato concedi, decrevit, ut post quinquennium à deposita puerili prætexta *Cajus* consulatum iniret, atque interim consul designatus appellaretur. Hinc in fragmento Gruterianæ inscriptionis *pag.* 228. 5. legitur de *Cajo Cæsare:*

QVEM. COS. POPVLVS. CREAVIT ANN. NAT. XIIII

Pag. vero 231. ubi Ancyrani lapidis inscriptiones exhibentur, de utroque Cæsare consule destinato, hæc ipse *Augustus* loquitur:

HONORIS. MEI. CAVSA. SENA-
C TVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. ANNVM. QVINTVM. ET. DECIMVM. AGENTIS CONSVLIS. DESIGNAVIT. VT. EVM. MAGISTRATVM. INIRENT. POST QVINQVENNIVM. EX. EO. DIE. QVO. DEDVCTI. IN FORVM. VT. INTERESSENT. CONSILIIS. PVBLICIS. DECREVIT SENATVS.
D EQVITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM Cajum HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT.

Ex utroque elogio patet Cajum *annos natum XIV.* 103
ac jam *quintum & decimum agentem* A. V. 748. consulem designatum fuisse, cum eo tamen, *ut eum magistratum iniret post quinquennium*, non quidem inchoandum ex eo die, quo consul designatus fuerat, sed *ex eo die quo deductus in forum*, deposita puerili prætexta, virilem togam sumpsisset; nempe quinquennium inchoandum erat
E à Kal. Januariis A. V. 749. ad Kal. Januarias A. V. 754. quo die consulatum inivit. Nusquam ejusmodi consulatus designatio contigerat; nam comitia consulum paucos ante menses, quam magistratum inirent, celebrabantur. *Cæsar* Dictator, Republica oppressa, ad bellum *Geticum* ac *Parthicum* profecturus, ne *Romæ* in magistratibus eligendis, se absente, seditiones erumperent, consules in triennium (tantum enim temporis utrique expeditioni sibi impendendum putabat) designandos curavit. Verum uti novi in *Romana* gente exempli res erat, in unum & alterum tantum annum consules designari potuerunt; *tantum*
F *abfuit, ut tertii quoque anni magistratus ordinarentur.* Dio in fine *lib.* XLIII. Ceterum paulo post occiso *Cæsare*, *Vibius Pansa* & *A. Hirtius* qui in proximum annum V. C. 711. designati consules fuerant, magistratum inierunt. Alterius anni 712. consules nominati erant *D. Brutus* ac *Munatius Plancus*. *Cicero* in fine *Philippicæ* III. quam anno V. 710. recitavit, hosce quatuor consules designatos nominans ait: *Senatum ad summam Reipublicæ pertinere arbitrari à D. Bruto & ab L. Planco*

A *co imperatoribus, consulibus designatis, itemque à ceteris qui provincias obtinent, obtineri ex lege Julia &c.* & statim addit: *Senatui placere uti C. Pansa, A. Hirtius consules designati, cum magistratum inierint, si eis videretur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referant.* At *Bruto* in fuga occiso, collega *Plancus* consulatum capessivit, qui sibi biennio ante fuerat destinatus. Rursus A. V. 715. pace inter *Sex. Pompejum* ac Triumviros facta, *consules in octo annos designatos* tradit Dio *lib.* XLVIII. Appianus vero *lib.* V. *bel. civ. pag.* 714. ait: *Consules designati sunt in quadriennium*, eosque ibi recenset, quorum tamen designationem renovatum statim civile bellum antiquavit.
B Itaque *Cajus Romanorum* primus, consul in puerili prætexta designatus, post quinquennium magistratum capessere jussus est. *Claudius* Imperator *Neroni* privigno eosdem postea honores detulit. Do Taciti verba *lib.* XII. *Adulationibus Senatus libens cessit, ut vigesimo ætatis anno consulatum Nero iniret: atque interim designatus, proconsulare imperium extra urbem haberet, ac princeps juventutis appellaretur. Nero* anno ætatis XIV. uti noster *Cajus*, consul designatus est; verum mortuo *Claudio*, consulatum iniit A. V. 808. cum ante dies duodeviginti decimum septimum ætatis annum
C complevisset. Sequiori ætate *Constantinus* Magnus filium natu majorem ex *Fausta* susceptum sexto anno ætatis consulem non quidem designavit, sed datis insignibus plane creavit; & *Jovianus* Imperator *Varronianum* filium adhuc in cunis vagientem infantulum, consulem fecit. Ita summa imis longa dies miscuerat, cum consulum fasces ac secures Orbi quondam formidatæ, pueris prælatæ, risui essent antiquiora reputantibus. Huic Principum ambitioni, ac cæco prorsus filiorum amori *Augustus* in *Gajo* filio omnium primus aditum aperuit.

Cum consules designatos in annum proximum
D decessores publicabant, vota solemni precatione nuncupabant. *Cicero* in oratione pro *Muræna*, cum hunc ipsum designatum consulem publicaret, hac se precandi formula usum dicit: *Ut ea res mihi, magistratuique meo, populo, plebique Ro-*
104 *manæ bene ac feliciter eveniret.* Ipsi vero consules designati, cum domi promiscua gratulationum officia exciperent, laureis majorum imagines coronabant, teste ibidem *Cicerone num.* 79. Eisdem literas ad Senatum missas, tradi consuevisse auctor est Dio in fine *lib.* XL. Illi etiam primi in Senatu sententias passim rogabantur. Sallustius in *Catilinaria* scribit: *Tum D. Junius Silanus primus sententiam rogatus, quod eo tempore*
E *consul designatus erat.* Quamvis tunc in Senatu fuerint viri amplissimi, antea consulatu perfuncti; *Catulus, Servilius, Lucullus, Curio, Torquatus, Lepidus, Gellius, Volcacius, Figulus, Cotta, L. Cæsar, C. Piso, Man. Glabrio*, ex Cicerone *lib.* XII. *ad Atticum epist.* 19. Marcus Cœlius *lib.* VIII. *famil. epist.* 4. Ciceroni scribens, ait: *Ego tamen nihil expecto, quomodo Paulum consulem designatum, primum sententiam dicentem.* Cicero *de haruspicum resp. num.* 12. *Te consule designato, Lentule, sententiæ principe.* Idem tradit *lib.* IV. *ad Atticum epist.* 2. *à quibus Marcellinus,*
F *qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus, quæsivit &c.* Loquitur de causa domus suæ quam defendit A. V. 797. cum *Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus* designatus esset consul in annum proximum. A. Gellius *lib.* IV. *capite* 10. *Ordo*, inquit, *rogandi sententias in Senatu varius fuit; alias primus rogabatur, qui à censoribus princeps in Senatum lectus fuerat; alias qui designati consules erant.* Cum vero eversa Republica, unus imperator Princeps Senatus semper esset, consules designati primi sententiam rogabantur. Hinc de *Tiberio* scribit Tacitus *lib.* III. *An.* in causa *Æmiliæ Lepidæ* feminæ nobilissimæ, quæ à marito incusabatur, *exemit Drusum consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ.* Libuit hanc in rem plura veterum testimonia recitare, quod *Josephi* de *Cajo Cæsare* narratio cap. 5. mihi recensenda, multum inde roboris accipiet. *Caji Cæsaris* ejusque fratris *Lucii* consulum designatorum numisma suis in Cimeliis servat Illustrissimus ac Excellentissimus *Jo. Dominicus Theupolus* Patricius *Venetus*, ac modo *Veronæ* Prætor, qui ditissima veterum nummorum gaza intra lustrum collecta, ingentia ad Augustam historiam, in qua idem versatissimus est, augendam, subsidia antiquæ eruditionis studiosis, nunquam satis laudata beneficentia, suppeditat. At vero *Caji Cæsaris* non jam designati, sed reapse consulis numisma vidi in scriniis Illustrissimi & Excellentissimi *D. Julii Justiniani* Divi *Marci* Procuratoris, cujus ectypum cap. 13. exhibebo. Idem etiam eximiæ doctrinæ, ac eruditionis Senator alterum utriusque *Cæsaris* nummum mihi ostendit, quem in *Romana* quapiam colonia scalptum puto, antequam iidem Consules designarentur, quod nullus ibidem magistratus iisdem destinatus, exprimitur.

CAP. III.

Cajus Cæsar *Princeps juventutis ab Equitibus appellatur. Ordo equestris cur* Juventutis *nomine à* Romanis *nuncupatus. Seviri turmarum Equitum* Romanorum. *Cuneus Equitum juniorum ex* Tacito. *Candidati imperii Principes juventutis dicti.* Dio Tacito *conciliatur.* Tiberius *Tribuniciam potestatem accipit. Idem Caji ac* Lucii Cæsarum *causa*, Rhodum *transmittit. De anno secessus ejusdem disputatur.*

AUgustus, quamvis indignationem simularet, hilari tamen animo insignes honorum titulos *Cajo* ab universis Ordinibus certatim delatos, excepit. Nam cum *Cæsares* in spem imperii educaret, gratanter accipiebat eosdem maximis dignitatibus decoratos; in proximo sibi fastigio ultro à Senatu ac populo *Romano* collocari. Cum in singula tantum decennia imperium reciperet, restituendæ quandoque Reipublicæ auctor futurus videbatur; nec satis dignosci poterat, num ex animo, vel in speciem tantum, decennale imperium susciperet, ut interim pristinæ libertatis reddendæ spe universos lactaret. Interea civium adulatione duo *Cæsares* adolescentuli in id honorum fastigium tollebantur, ut uno tantum gradu ab *Augusto* distarent, ac ubi is fatis concessisset, principem locum de proximo nullo negotio occuparent. Hoc quod ille in votis habebat, aliena opera parari lætabatur; hinc præcocem *Cæsarum* ambitum cum reprimere pro imperio posset, prompte promovit. Et quidem *Cajum* equester Ordo Principem juventutis appellavit. Extat fragmentum inscriptionis *Romanæ* laudatum à Panvinio *lib.* II. *fast. ad* A. V. 749. eamque suppletam exhibeo.

PRINCipem. IVVENTVTIS. Appellaverunt
QVEM. COS. POPVLVS. CREAVIT
ANN. NAT. XIIII
ac SENATVS. ET. POPVLVS. ROMANVS
ob HONOREM. DOMVS. AVGVSTAE. KALAtis
comitiis. Pontificem fecit

In priori versu, qui deest, equester Ordo nominabatur; quod patet ex inscriptione Ancyrana superius recitata, ubi legimus:

... EQVITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI.
PRINCIPEM
Cajum HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM.
APPELLAVERVNT

Mutius

TAB. IV.

Fig. 1.






Fig. 2.




Fig. 3.



ad Pag. 100.

Fig. 4.





Pag. 108.

Fig. 5.



Pag. 151.

Fig. 6





Pag. 188.

Fig. 6.




Fig. 7.



Pag. 225


Fig. 8.



Pag. 335

Fig. 9.





Pag. 386



Mutius Scævola ad *Porsenam* tractus, quo regi qui priores insidias evaserat, novarum metum injiceret: *Trecenti*, inquit, *juravimus principes juventutis Romanæ*; *ut in te hac via grassaremur*; ex Livio *L.* 2. quibus plane verbis juvenes virtute ac natalibus conspicuos significavit. Ita Cicero
106 *lib.* III. *fam. epist.* II. vocat *Brutum Principem jam pridem juventutis*; & in Vatiniana C. Curionem itidem *Principem juventutis* appellat, quod nullos id temporis magistratus egisset; quæstor enim *C. Clodii* fuit anno V. 700. ut *dissert.* I. *cap.* 5. monstravi. Quæstura primus erat magistratus, qui civibus *Romæ* dabatur, quem qui obtinuissent, facultatem eundi in senatum habebant, & ex ordine equestri, cum primum census agebatur, in senatorium ordinem referebantur; interim vero è senatu dicebantur. Hoc illustri testimonio ex Valerio Maximo *lib.* II. *cap.* 2. probatur, nam *Q. Fabius Maximus* decretum de tertio bello Punico indicendo in curia factum *P. Crasso* significavit *memor eum triennio ante quæstorem factum*, *ignarusque nondum à censoribus in ordinem senatorium allectum.* Quæsturæ vero tempus erat ætas annorum duodetriginta. Hinc cum viri nobiles, & quibus erat census equestris, priusquam, quæstura obtenta, in Senatum allegerentur, dicebantur ordinis equestris; ita *Augustus* apud Suetonium cap. 2. *nihil amplius quam equestri familia ortum se scribit*, *vetere ac locuplete*, *& in qua primus senator pater suus fuerit.* Itaque cum ætatis defectu ingens civium multitudo à capessendis magistratibus excluderetur, inter equites censebantur, quousque annum vigesimum octavum ingressi, quæsturæ candidati ad comitia descendentes, primum magistratum obtinebant. Hinc factum est, ut equester Ordo juventutis nomine designaretur; quamvis plurimi eo in ordine consenescerent, quos inter celebratur *Mæcenas Augusto* carissimus, qui, ut inquit Dio *lib.* LV. *cum apud hunc plurimum posset*, *adeo ut ab eo multis honores magistratusque impetraverit*, *tamen animo nihil elatus*, *in equestri statu vitam suam exegit.* Idem de *Attico* scribit in ejus vita *Cornelius Nepos*, ac de *Crispo* Sallustii historici nepote Tacitus *lib.* II. *An.* Valerius Maximus *lib.* II. *cap.* 2. scribit: *Equestris vero Ordinis juventus omnibus annis bis Urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat die Lupercalium*, *& equitum probatione.* Hoc ipsum firmat locupletissime *Q. Cicero* de petitione consulatus ad *Marcum* fratrem: *Jam equitum*, inquit, *centuriæ multo facilius diligentia teneri posse videntur. Primo cognoscendi sunt equites*; *deinde adipiscendi*; *multo enim facilius illa adolescentulorum ad amicitiam ætas adjungitur*; *deinde habebis tecum ex juventute optimum quemque studiosissimum humanitatis. Tum equester Ordo sequetur illius auctoritatem ordinis. Jam studia adolescentulorum in suffragando*, *in obeundo*, *in nunciando*, *in assectando mirifice & magna & honesta sunt.* Ita in equestri ordine juvenes primas veluti partes ferebant, ut eorum tantum gratiam *Ciceroni* pro obtinendo consulatu aucupandam suaserit; qua quidem semel inita, seniorum equitum suffragia à junioribus levi opera captata fuissent. *Perseus* Rex *Macedoniæ* apud Livium *L.* 43. suos milites ita allocutus dicitur: *Equitatum Romanum*, *quo invictos se esse gloriabantur*, *fudistis. Equites enim illis principes juventutis*, *equites seminarium Senatus*; *inde lectos in Patrum numerum consules*, *inde imperatores creant.* Ex his colligo pro eodem accipi esse Principem juventutis, ac Principem equitum. Hoc ipsum allatæ inscriptiones evincunt. Nam ubi in una dicuntur equites *Romani Cajum* appellasse *Principem juventutis*, in altera Ancyrana legitur: *Equites autem Romani universi* PRINCIPEM

A *Cajum hastis argenteis donatum appellaverunt.* Scio *Casaubonum* ac cum *Lipsio Gruterum* legere: *Principem* IVV. C. nempe *juventutis Cajum*; sed nulla ibi verba abbreviata, ac lacunæ spatium quinque tantum literis exarandis sufficit; quare rectius *Cajum* restituimus. Extat inscriptio *pag.* 236. II.

NERONI. CLAVDIO DRVSO. GER. COS. DESIG 107
EQVESTER. ORDO. PRINCIPI. IVVENT.

Princeps Senatus à Censoribus nominari solebat; & illorum indicem stupendæ eruditionis vir *Panvinius* contexuit usque ad postrema ruentis Reipublicæ tempora; siquidem eadem in Cæsarum potestatem redacta, ipsimet Imperatores nomen
B Principis soli usurparunt. *Tacitus* initio statim Annalium de *Augusto* scribit: *Cuncta discordiis civilibus fessa*, *nomine Principis*, *sub imperium accepit.* Dio initio L. 53. ad A. V. 726. de eodem ait: *Censum etiam peregit*, *princepsque Senatus ipse in eo dictus est*, *pro eo more*, *qui integro etiamnum populi in Republica statu erat receptus*; & *lib.* LVII. *de Tiberio*: *Principisque Senatus more antiquo nomen sibi tribuebat.* At Ordo equestris, quo *Augusto* blandiretur, *Cajum Cæsarem* Principem juventutis, nempe equitum appellavit, qui titulus tum primum inventus fuit, quo secundus ab *Augusto* in *Romano* Orbe Princeps designabatur. O-
C vidius *lib.* I. *de Arte amandi*; nostrum *Cajum Cæsarem* alloquens, ait:

Tale rudimentum tanto sub nomine debes,
Nunc juvenum princeps, *deinde future senum.*

Principis Senatus titulum eidem *Cajo*, utpote futuro *Augusti* successori, augurabatur, cum jam esset Princeps juvenum, hoc est, Equitum. *Cajo* autem ac *Lucio* acerbo fato sublatis, *Augustus Tiberium* adoptavit ea lege, ut & ipse *Germanicum* sui fratris filium prius adoptaret. Tum *Germanicus* dictus fuit Princeps juventutis; non autem *Tiberius*, quod Tribunicia potestate auctus, ipsi
D pene *Augusto* æquatus censebatur. Idem Ovidius *lib.* II. *de Ponto eleg.* 5. de *Germanico* loquens, scribit:

Tu juvenum Princeps, *cui dat Germania nomen*,
Participem studiis Cæsar habere solet.

Honores mortuo eidem *Germanico* decretos recensens Tacitus *lib.* II. *Annalium* ait: *Equester Ordo cuneum Germanici appellavit*, *qui Juniorum dicebatur*; *instituitque uti turmæ Idibus Juliis imaginem ejus sequerentur.* Ordo equestris *Romæ* in sex turmas dividebatur, quarum singulis unus præerat, ac sevir equitum *Romanorum* dicebatur.
E *Antoninus Pius* Imp. *Marcum Aurelium*, teste Capitolino *cap.* 5. *Sevirum turmis equitum Romanorum jam consulem designatum*, *creavit.* Et in vetustis elogiis apud Gruterum *L. Æmilius Arcanus* dicitur IIIIII. VIR EQUITUM ROMANOR. *pag.* 3481. *M. Marius Titius Rufinus* SEVIR TURMAR. EQ. ROM. *pag.* 436. 7. Et *pag.* 412. 2. *L. Flavio Septimio* SEVIR. TURM. II. EQUIT. Lazius *lib.* III. *cap.* 6. *Casaubonus* in notis ad *cap.* 6. Capitolini proxime laudatum, aliique eruditi huc trahunt lapides, in quibus Seviri juniores, & seviri seniores nominantur. Verum ibidem non equitum turmas, sed
F collegia sacerdotum Augustalium designari mihi jam probatum est *dissert.* I. *cap.* 4. Ita *pag.* 42. 2. legitur VI. VIR. JUN. DECUR. & Augustales in decurias distinctos constat ex inscriptione Tiburtina *pag.* 1088. 12.

CLAVDIAE. RVFINAE
IVLI. HERACLAE
ALLECTAE. AB. ORDINE
IN. DEC. AVGVSTAL

108 SENATVS. POPVLVSQ
TIBVRS
POSS

Et ſane equites in ſeniores ac juniores diviſos *Taciti* teſtimonio probatur; laudat enim *cuneum juniorum* equitum. *Ezechiel Spanhemius* magni inter antiquarios nominis *diſſert.* 8. *de uſu & praeſtantia Numiſmat. pag.* 667. non improbabili ratione ductus, putat tres fuiſſe turmas equitum juniorum ac totidem ſeniorum. Lampridius *cap.* 2. *de Commodo* ſcribit: *Cooptatus inter tres ſolos principes juventutis, quum togam ſumpſit*; quem *Lampridii* locum *Lipſium* ſecuti *Caſaubonus*, ac *Salmaſius* parum feliciter ſollicitarunt, ut acute idem *Spanhemius* oſtendit. *Marci Aurelii* Imperatoris modeſtiae argumentum ſcriptor, qui *Commodum* die virilis togae non totius equeſtris Ordinis, immo ne juniorum quidem principem creavit, ſed ſatis honori filii conſultum putavit, ſi inter tres Principes turmarum juniorum ſupra numerum cooptaretur; quemadmodum *Pius* Imperator ipſum unum ſevirorum turmae equitum *Romanorum* creaverat, non totius ordinis equeſtris, vel trium turmarum juniorum Principem conſtituerat.

In *Piſanis* tabulis *Lucius Princeps juventutis* inſcribitur; at is titulus *Cajo* in altero cenotaphio non defertur; ſed coloni ibidem conqueruntur *crudelibus fatis ereptum populo Romano jam deſignatum juſtiſſumum ac ſimillumum parentis ſui virtutibus* PRINCIPEM; quibus ſane verbis *Cajus* Princeps juventutis indicatur acerbo fato populo *Romano* ſurreptus; neque enim arbitror ea phraſi deſignari *Cajum Auguſti* in imperio ſucceſſorem; quamvis per adulationem id ipſum à *Piſanis* civibus ſignificatum videri poſſit. Illud conſtat imperii candidatos Principum juventutis titulo deſignatos. Suetonius *de Caligula cap.* 15. ait: *Fratrem Tiberium die virilis togae adoptavit, appellavitque Principem juventutis. Claudius* quoque cum virilem togam *Neroni* privigno daret, adulationibus Senatus libens ceſſit, ut conſul deſignatus *Princeps juventutis appellaretur*, cujus tituli honore filii Imperatorum Auguſtae majeſtatis haeredes paſſim declarati ſunt, uti ex nummorum ac lapidum inſcriptionibus conſtat. Ceterum omnium primus *Cajus Caeſar* eo honore ab Ordine equeſtri decoratus fuit, dein *Lucius* ejuſdem frater, ut ſuo inferius loco narrabitur. Quo tamen anno *Cajus* appellatus fuerit Princeps juventutis dubium vetuſti ſcriptores fecere. Tacitus *lib.* 1. *Ann. de Auguſto* ſcribit: *Nam genitos Agrippa Cajum ac Lucium, in familiam Caeſarum induxerat; nec dum poſita puerili praetexta, Principes juventutis, appellari, deſtinare conſules, ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiverat.* Eos vero honores tuliſſe *Cajum* annos natum XIIII. ex vetuſta inſcriptione oſtenſum eſt. Itaque A. V. 748. *Cajus* eos honores ſibi accumulatos accepit. At Dio in excerptis à *Zonara* ait: *Auguſtus vero anno ſequenti duodecimum conſul Cajum, toga virili data, in curiam adductum, Principem juventutis deſignavit, & praefectum Tribus eſſe juſſit. Auguſtus* A. V. 749. duodecimum conſulatum Kal. Januariis inivit, qua die *Cajo* cum virili toga Principis juventutis titulum datum autumat *Dio*. Verum *Dionem Tacito* conciliare poſſumus, ſi *Cajus* ante virilem togam eos honores ab equitibus ac aliis ordinibus tuliſſe dicatur, quos tamen *Auguſtus* die tantum virilis togae eidem reapſe deferri voluit. Ita conſul deſignatus dici-
109 tur in lapide Ancyrano, ut eum magiſtratum iniret poſt quinquennium, non quidem ab eo die inchoandum quo à populo deſignatus fuerat conſul, ſed ab eo die, quo *deductus in forum*, to-

A gam virilem acceperat. Cum *Tiberius Druſi* filius, ac poſtea etiam *Nero* die virilis togae, Principes juventutis dicti fuerint, idem de *Cajo* credendum eſt; quamvis Equeſtris ordinis acclamationibus in puerili praetexta Princeps juventutis appellatus fuerit. Viſuntur etiamnum in antiquariorum ſcriniis numiſmata, in quibus delatus *Cajo* ac *Lucio* fratri ab Equitibus honor, figuris equeſtribus exprimitur. *Franciſcus Lotus Bononienſis* vetuſtae ſtelographiae ſtudioſus, nummum habuit, in quo duae figurae equeſtres viſebantur cum epigrapha: C. L. CAESARES PRINC. JUVENTUTIS. Haec ille mihi per literas ſigni-
B ficaverat; eo vero poſtea vita defuncto, ectypum nummi obtinere non potui. In Gaza Medicea rariſſimus *Veſpaſiani* nummus aereus mediocris magnitudinis ſervatur, in cujus poſtica parte apparent duae figurae equeſtres inſcriptae: TITUS ET DOMITIANUS CAESARES PRIN. JUVENT. Itemque alter *Domitiani*: CAESAR AUG. F. DOMITIAN. COS. V. in cujus altera parte figura equeſtris haſtam ſiniſtra tenet cum inſcriptione: PRINCEPS JUVENTUTIS. *Joſeph Magnavacca Bononienſis* rei antiquariae callentiſſimus, hujuſce *Caji Caeſaris* numiſmatis iconem ad me tranſmiſit.

C Similem fere nummum habes inter Auguſteos *Goltzii*, ubi tamen praeter haſtam, *Cajus* altera manu parmam geſtat, ut plane Princeps juventutis ibidem deſignetur. At non ſemper *Caeſares* Principes juventutis equeſtribus figuris exprimebantur; nam in Cimeliis Mediceis viſuntur nummi *Caeſarum Maximini*, *Philippi*, ac *Numeriani* cum epigrapha: PRINCIPI JUVENTUTIS; ubi tamen figura pedeſtris militaris ſcalpta eſt, manu ſignum militare, ſive haſtam tenens. Sed de his hactenus.

Praecox *Caeſarum* ambitio, quam vehementior totius populi *Romani* aura latius inflarat, *Tiberii*
D animum altius pupugit; ſiquidem optime animadvertebat, ſecundo ſibi loco cedendum, privignis eo in gradu non jam dubia *Auguſti* deſtinatione collocatis. Huc uſque ſpem imperii nutriverat, arbitratus vitricum non quidem familia propinquiorem, ſed rerum geſtarum gloria ceteris in *Romano* orbe inſigniorem, *Auguſtae* potentiae haeredem deſignaturum. *Auguſtus* tum ut filiorum ambitionem, aemulo interjecto, fraenaret; tum etiam ne *Tiberius* ob tot in *Cajum* congeſtos honores, in ordinem ſe redactum ſuſpicaretur, eidem *Tiberio* poteſtatem Tribuniciam in quinquennium detulit, qua aequa cum *Auguſto* digni-
E tas eidem conferebatur, ut citra piaculum à ne- 110
mine ne verbo quidem laedi poſſet; eidemque *Armeniam* poſt *Tigranis* mortem rebellantem, attribuit. *Verum*, inquit *Dio* in excerptis à Zonara, *ea re nihil profecit; nam pueri* Cajus ac Lucius, *cum ſe negligi putarent, ſuccenſebant, & Tiberius illorum iram veritus in Armeniam non abiit, ſed Rhodum profectus eſt.* Certum eſt A. V. 748. Tribuniciam poteſtatem *Tiberio* collatam; nam illam eidem *Auguſtus* contulit, ut filiorum ambitioni, cui tamen nimium indulſerat, obicem poneret, & quidem antequam virilem togam *Cajo*
F daret, ut diſerte produnt Vellejus *lib.* II. Dio *in excerptis* laudatis, ac Suetonius *cap.* 9. Improviſa *Tiberii* ſeceſſio variis ubique judiciis excepta eſt, cum pleriſque monſtro propius videretur virum ſupra iteratum conſulatum, ac geminatos triumphos, nuper collatae Tribuniciae poteſtatis conſortio ipſi rerum domino *Auguſto* pene aequatum, ad haec *Liviae* matris ac *Auguſti* uxoris amore, atque artibus ſuffultum, è ſummo potentiae faſtigio ad privatum hominem non modo deſcendere, ſed tam procul à patria in voluntarium veluti exilium

lium abire. *Tacitus* auctor est *Tiberium Juliæ* uxoris tædio id consilium cepisse. Hæc de Julia scribit *lib.* I. *An. Fuerat in matrimonio Tiberii, florentibus Cajo ac Lucio Cæsaribus, spreveratque ut imparem: nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum abscederet.* Suffragatur Suetonius in Tiberio cap. 7. *Cum Julia*, inquiens, *primo concorditer & amore mutuo vixit; mox dissedit, & aliquanto gravius, ut etiam perpetuo secubaret, intercepto communis filii pignore, qui Aquilejæ natus, infans extinctus est*; cum præsertim uxorem teste eodem cap. 10. *neque criminari, neque dimittere auderet.* Quidam apud *Dionem* in excerptis editis ab *Henrico Valesio*, eam secessus causam putant, quod non fuisset, uti privigni, *Cæsar* renuntiatus. Verum lubrica, immo falsa conjectura est; etenim *Cajus* ac *Lucius* adoptionem ante annos undecim in *Cæsarum* familiam transierant; eratque illud cognomen Juliæ gentis insigne, non futuræ in imperium successionis indicium. Ipse sane *Tiberius* in literis post quinquennium ad *Augustum* datis apud Suetonium *cap.* 11. confessus est *nihil aliud secessu devitasse se quam æmulationis cum Cajo Lucioque suspicionem*; quæ itidem affirmat *Vellejus*, cujus mox verba recitabo. At in præsentia honorum satietatem, ac laborum requiem prætexens, commeatum ab *Augusto* tanta constantia postulavit, ut cum initio repulsam tulisset, cibo per quatriduum abstinuerit, qua pertinacia *Augustum* vel invitum postulatis morem gerere coegit. Variant rerum *Romanarum* scriptores in assignando anno, quo *Tiberius Rhodum* secessit. Vellejus *lib.* II. scribit: *Cum Cajus Cæsar sumpsisset jam virilem togam, Lucius item maturus esset viris, ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis, dissimulata causa consilii sui, commeatum à socero atque eodem vitrico acquiescendi à continuatione laborum petiit.* Cum vero *Cajus* ineunte anno sequenti V.C. 749. virilem togam acceperit, eodem quoque anno, ex *Vellejo Tiberius Rhodum* se contulit. At secus scripserunt *Suetonius* ac *Dio*. Hic in excerptis à *Zonara* ait: *Tiberius illorum iram veritus, in Armeniam non abiit, sed Rhodum profectus est. Augustus vero anno sequenti duodecimum consul Cajum, toga virili data, in curiam adductum, Principem juventutis designavit.* Idem ex *Suetonio* colligitur; nam de Tiberio *cap.* 11. scribit transacto quinquennio Tribuniciæ potestatis, petiisse ab *Augusto* facultatem *Romam* revertendi, qua non
111 impetrata, *cap.* 13. ait: *Redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali biennio fere permansit*; & initio cap. 14. *Rediit octavo post secessum anno.* At constat illum rediisse, ipso *Vellejo* teste, *Lucio Cæsare* adhuc superstite, qui cum obierit A.V. 755. uti ex ejusdem cenotaphio *Pisano* aperte colligitur, & quidem ante Septembrem, palam fit *Tiberium* Roma discessisse A. V. 748. circa Autumnum, ut anno postea octavo labente V.C. 755. *Romam* reversus dicatur. Vellejus vero diserte ait Tiberium *septem annos Rhodi moratum*, ut plane annos exactos intelligere putandus sit; nam si A. V. 749. *Roma* egressus, *Rhodum* transmisisset, id non hieme sæviente, sed aperto jam mari, circa Aprilem fecisset; cum autem ante *Augustum* A. V. 755. in Urbem remeaverit, vix septimi anni unum & alterum mensem *Rhodi* substitisset, ac perperam septimum *Rhodiensis* secessus annum *Vellejus* obstrusisset. Itaque septem exactis, octavo jam labente *Romam* reversus est. Fateor *Vellejum* sub nostro *Cajo* in *Armenia*, ac sub *Tiberio* postea in *Germania* stipendia fecisse, cum *Suetonius* uno, & *Dio* altero postea sæculo floruerint. Verum *Dio* quod annales scribebat, rerum gestarum tempora diligentissime in vetustiorum Scriptorum libris adnotata, observavit; ut rerum quæ *Augusto* imperante contigerunt, chronologia ex uno tantum *Dione* haberi possit, ceteris illius ætatis historicis malo posterorum fato, nomine tantum notis. *Suetonius* vero *Tiberii* vitam ex coetaneis ejusdem scriptoribus collectam in literas misit, ut integra eidem fides præstanda videatur. Interim non de anno, sed de aliquot tantum mensibus *Vellejus* ab utroque discrepat; quod quamvis leve dissidium videri possit, magni tamen momenti est, cum inde chronologia anni, quo *Cajus Cæsar* in Orientem summo cum imperio profectus fuit, deducenda sit, in qua indaganda nobiles scriptores inanem operam posuere. Baronius in *Apparatu ad annales* scribit: *Anno ab V. C. septingentesimo quadragesimo octavo præficitur Syriæ totique Orienti Cajus Cæsar Augusti filius adoptivus*; quam chronologiam secutus est *Torniellus ad A. Mundi* 4048. *num.* 1. cum tamen hoc anno 748. *Cajus* nondum virilem togam induisset, quam ineunte anno insequenti; *Romæ* ab *Augusto* in forum deductus, accepit, ut jam mihi statim demonstrabitur.

CAP. IV. 112

Cajus Cæsar *togam virilem induit. Die virilis togæ adolescentes in forum ducti. Eorundem sacrificia.* Salianus *diem XVII. Martii sumendæ togæ puræ definitum ex* Ovidio *perperam deducit. Toga virilis ineunte anno XVI. dabatur.* Suetonius *minus recte ab* H. Valesio *erroris notatus.* Nicolai Damasceni *de anno datæ* Augusto *togæ liberæ prochronismus confutatur. Ea in re ab Imperatoribus variatum. Quædam* Casauboni *ac* Salmasii *correctio rejicitur.* Cajus Cæsar *Præfectus Tribus designatur. Congiarium die virilis togæ* Caji *ab* Augusto *datum. Ejusdem summa ex tabulis Ancyranis deducta.*

Augustus undecim consulatus gesserat, quorum postremo perfunctus fuerat A. V. 731. multos postea oblatos recusaverat; majorem enim potestatem nactus, amicos eo magistratu honoratos voluit: *Duodecimum*, inquit Suetonius *cap.* 26. *magno, id est, septemdecim annorum intervallo, & rursus tertium decimum biennio post ultro petiit: ut Cajum & Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in Forum.* Dio similiter in excerptis à Zonara ait: *Augustus anno sequenti consul duodecimum Cajum, virili toga data, in curiam adductum, Principem juventutis designavit, & præfectum Tribus esse jussit.* Idem produnt fragmenta Ancyrana capite secundo exscripta, in quibus dicuntur *Cajus* ac *Lucius* consules designati, ut eum magistratum inirent post quinquennium EX DIE QUO DEDUCTI IN FORUM. Cum autem *Cajus Cæsar* A. V. 754. Kal. Januariis consulatum inierit, patet eundem Kal. Jan. A. V. 749. sumpta virili toga, ab *Augusto* Consule XII. in forum deductum. Juvenes cum ex ephebis exeuntes, deposita prætexta, togam puram induebant, in forum prius deducebantur, inde in Capitolium, Jovi sacrificium facturi. Seneca epist. 4. *Quantum*, inquit, *senseris gaudii, cum prætexta posita, sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es.* Plutarchus in Bruto ait: *Alii Cassio congregati, ejus filium tunc sumentem virilem togam, deducebant in forum.* De sacrificiis vero ab eisdem factis, passim scriptores contestantur. Valerius Maximus *lib.* v. *cap.* 4. scribit *M. Cottam* eo ipso die, quo togam virilem sumpsit, protinus ut è Capitolio descendit, *C. Carbonem*, à quo pater ejus damnatus fuerat, apud judices accusasse. Appianus *lib.* IV. *bel. civ. pag.* 607. inter ceteros à Triumviris proscriptos, ac interfectos, recenset Attilium, *qui tum primum virilem togam sumpserat, ac sacra ex more petebat, deducentibus amicis.*

Sed omnium locupletissimum est *Nicolai Damasceni* testimonium in libello *de educatione Augusti* edito inter Valesiana excerpta *pag.* 476. *Inde*, ait, *annos circiter quatuordecim natus, in forum descendit, posita prætexta, togam puram indutus, quod virilis tirocinii argumentum est: omniumque civium oculis in eum defixis, cum ob nobilitatem, tum ob egregiam adolescentis virtutem, Diis sacrificavit, & in collegium Pontificum adscriptus est in locum L. Domitii, qui è vivis abierat, quod quidem populus suis*
113 *suffragiis libentissime jussit.* Tertullianus *cap.* 16. *de Idololatria* quærens liceatne homini Christiano solemnitati *togæ puræ*, nuptiarum, aut nominalium interesse, respondet: *Toga vero etiam appellatione virilis est. Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quam nomen imponi. Sed his accommodantur sacrificia. Si in vocatu, nec in sacrificiis sit titulus officii, & operæ meæ expunctio, quid tum? si libet &c.* Propertius canit:

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo
Matris, & ante Deos libera sumpta toga.

Salianus ad A. Mundi 4049. scribit *Cajum* anno ætatis decimo sexto togam virilem induisse die 17. Martii, quod ea die dari esset solita adolescentibus teste Ovidio *lib.* III. *fastorum*, ubi Liberalia Baccho dicata describit. At hæc falso pronuntiari certissimis exemplis ostendo. Cicero *lib.* IX. *ad Atticum epist.* antepenultima data VI. Kal. Aprilis ait: *Volo Ciceroni meo togam puram dare.* Epistola vero ultima narrat se *Arpini* togam puram filio dedisse. De *Galba* qui imperium post *Neronem* obtinuit, scribit Dio *lib.* LV. ad A. V. 767. eundem *ipsis Kalendis Januariis ejus anni virilem togam sumpsisse. Cassii* qui *Cæsarem* occidit, filius ea die qua ille à patre interemptus fuit, nempe die XV. Martii, virilem togam accepit ex *Plutarcho* in *Bruto. Attilius* superius nobis ex *Appiano* memoratus, sæviente proscriptione jussu Triumvirorum publicata, die virilis togæ occisus fuit; at ea clades contigit *Romæ* exeunte anno; nam *Cicero* peremptus est VII. Idus Decembris, cum illi V. Kal. Decembris Triumviratum inierint, ex inscriptione vetusti lapidis Gruteri *pag.* 298. *Augustus* inito Autumno, ut postea declarabo, liberam togam induit. *M. Aurelius* Imp. *Commodo* togam dedit 27. Novembris ex *Lampridio cap.* 12. *in Commodo.* Spartianus de *Severo Septimio* scribit *cap.* 16. *Deinde cum Antiochiam transisset, data virili toga filio majori, secum consulem designavit, & statim in Syria consulatum inierunt.* Itaque *Antoninus Caracalla* circa Kal. Januarias togam sumpsit. Denique ex marmore Ancyrano ostendi *Cajum Cæsarem* ipsis Kal. Januariis, toga accepta, in forum ab *Augusto* deductum. Ex *Ovidio* tantum colligitur die 17. Martii pueris prætextatis licitum fuisse uti toga libera, ut majori frequentia ac pompa Liberalia Baccho dicata peragerentur; etenim ibidem scribit:

Ergo, ut tironum celebrare frequentia possit,
Visa dies dandæ non aliena togæ.

At de anno ætatis, quo adolescentes, posita prætexta, togam liberam induebant, non una est scriptorum sententia, sed diversæ plane, atque contrariæ. Nam doctissimus *Henricus Valesius* laudato *Nicolai Damasceni* testimonio convictus, putat exacto anno ætatis XIV. usum virilis togæ pueris permissum, quæ sententia fuerat *Kepleri cap.* 10. de anno natali Christi Domini, cui etiam video adhærere *Octavium Ferrarium* eruditissimum virum, & quod honori meo deputo, amicissimum, *lib.* II. *de re Vestiaria cap.* 1. ubi ineditum *Juvenalis* interpretem idem sentientem producit. Sigonius *lib.* III. *de Judiciis Rom. cap.* 19. ait togam datam exacto anno XV. ac decimo sexto ineunte. Grucchius *lib.* II. *de comitiis cap.* 3. arbitratur eam-
A dem traditam initio anni XVII. quam sane opinionem intelligo celeberrimis Scriptoribus commendatam, Scaligero in *Eusebium ad num.* 1964. Pamelio *in notis ad cap.* 16. Tertulliani *de Idololatria*, Salmasio *in commentariis ad vitam Commodi*,
Manutio *in epist. de toga*, aliisque. Denique Cal- 11
vinus J.C. *in Lexico V. Toga*, ad initia anni XVIII. togæ virilis usum prorogat. Quis tantam de re adeo apud *Romanos* vulgari opinandi diversitatem non miretur? Ceterum pene certa mihi sententia stat, adolescentes florente Republica, ac sub prioribus *Cæsaribus*, expleto decimoquinto ætatis anno, ac decimosexto inito, virilem togam induisse.
B Cicero *epist.* 1. *ad Atticum* scribit sibi filium natum fuisse *L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo Coss.* A. V. 690. Miror *Manutium* laudatum dixisse filium eidem natum *Cotta* & *Torquato* Coss. A. V. 689. Togam eidem dedit initio belli civilis *L. Corn. Lentulo*, & *C. Claudio Marcellino* Coss. A. V. 705. quo juvenis *Cicero* annum XV. explevit. Hoc ipsum de *Cicerone* patre demonstro. Is natus est *Q. Servilio Cæpione* & *P. Rutilio* Coss. A. V. 648. eodemmet teste in *Bruto*, III. Nonas Jan. ex *lib.* VII. *ad Atticum epist.* 5. & *lib.* XIII. *epist.* 41. & *in oratione pro Roscio Amerino.* Idem vero designans tempus, quo sumpta virili toga, in forum primum
C venit, in Bruto ait: *Hoc igitur florescente, Crassus est mortuus, Cotta pulsus, judicia intermissa bello, nos in forum venimus*; addens se tunc audivisse orantes Curionem Trib. pl. & *C. Julium* ædilem curulem. *Lucius Crassus*, cum Idibus Septembris declamasset contra *Philippum* consulem, septimo postea die morbo interiit ex *lib.* III. *de Oratore* sub initium, nempe A. V. 663. quo *L. Marcius Philippus* consulatum gessit, ac bellum *Marsicum*, seu sociale *Italiæ* erupit, ut ex Capitolinis fragmentis constat. *Cajus* vero *Curio* ac *C. Julius* gerebant magistratus A. V. 664. *quo*, inquit ibidem, *me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cot-*
D *ta cum est expulsus.* Deinde: *Jam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus, excesserat. Ego autem juris civilis studio multum operam dabam Q. Scævolæ P.F.* nempe A. V. 665. Tum statim subjungit: *Atque huic anno proximus Sylla consule & Pompejo fui*, hoc est, A. V. 666. Habes ex eodem rectam chronologiam. Idem etiam in tertio de Oratore scribit: *C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi, depulsus per invidiam Tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus ejectus est è civitate.* Ex his patet *Ciceronem* A. V. 663. togam virilem accepisse, cum
E anno sequenti antequam *C. Cotta*, paucis mensibus à morte *Crassi*, urbe pelleretur, forum oratores auditurus, frequentaverit. Idem Cicero initio *lib. de Amicitia*, laudato *Q. Mucio Scævola* Augure, ait: *Ego autem à patre ita eram deductus ad Scævolam, sumpta virili toga &c. quo mortuo me ad Pontificem Scævolam contuli. Q. Mucius Scævola* augur gessit consulatum A. V. 637. collega *L. Cæcilio Metello*, & in tabula apud Gruterum *pag.* 204. legitur: Q. MUCIO Q. F. COS. & inducitur loquens in dialogo librorum trium de Oratore, qui fingitur habitus mense Septembri A. V. 663. ex initio *lib.* III. At A. V. 665. *Ci-*
F *cero* jus civile didicit apud *Q. Scævolam* P.F. Pontificem Max. ut ex ejusdem verbis in *Bruto* ostensum est; quare anno superiori audivit *Q. Mucium* augurem, cum virilem togam sumpsisset, labente XVI. ætatis. Donatus in *vita Virgilii* narrat ipsum natum in priori consulatu *Pompeji* & *Crassi* A. V. 684. sumpsisse vero togam virilem in altero eorundem consulatu A. V. 699. quo annum XVI. inibat. At perperam addit id contigisse A. XVII. ætatis ejusdem poetæ; nisi error in codicem irrepserit. *Galba* natus est ex Suetonio *cap.* 4. *M. Valerio*

Valerio Messallino Cn. Lentulo Coss. A. V. 751. IX. Kal. Januarias; togam puram induit A. V. 767. ipsis Kal. Januariis ex Dione *lib.* LVI. nempe inito ante decimum diem XVI. anno ætatis. Valerius Max. *lib.* III. *cap.* 1. ait: *Æmilius Lepidus*
115 *puer etiam tum, progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit; cujus tam mirabilis operis index est in Capitolio statua bullata & incincta prætexta S. C. posita.* Ejus etiam rei memoria extat in nummis Liciniæ gentis cum epigraphe: M. LEPIDUS A. XV. H. O. C. S. nempe: *Anno decimoquinto*, vel *annorum quindecim hostem occidit: civem servavit.* Ita anno XV. gestabat prætextam, ut ex dicata eidem statua apparet. Suetonius *cap.* 8. *de Augusto* scribit: *Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit. Quadriennio post virili toga sumpta, militaribus donis triumpho Cæsaris Africano donatus est.* *Valesius* contendit *Suetonium* errasse, quod *Nicolaus Damascenus* diserte scribit anno circiter XIV. *Augustum* togam virilem accepisse. At *Nicolaus* non modo coetaneus *Augusto* fuit, verum etiam semel & iterum apud eundem Principem legatione functus est, de cujus etiam educatione libellum lectu plane dignissimum scripsit. Verum ipsum *Nicolaum Damascenum* errasse evidenti ratiocinio demonstro, ipsius tantum testimonio usus. Scribit *Augustum* eadem die togam puram, deposita puerili prætexta, induisse, ac Pontificem creatum *in locum L. Domitii, qui è vivis abierat.* At *L. Domitius* Pontifex A. V. 707. in castris *Pharsalicis* cum *Lentulo Spinthere* & *Q. Metello Scipione* de obtinendo Pontificatu Maximo Cæsaris acerrime contendit, teste eodem Cæsare *lib.* III. *bel. civ.* cujus verba dedi *dissert.* 1. *cap.* 5. Pugnatum est ad Pharsalum *adulta æstate* ex *Plutarcho* in *Bruto*; & *Cæsar* scribit eodem libro tertio, cum venisset cum exercitu in *Thessaliam*, de summa rerum cum *Pompejo* dimicaturus, segetem prope jam maturam fuisse. Hinc *Pompejus* ante pugnam apud Lucanum *lib.* VII. ait:

Ad præmaturas segetum jejuna rapinas
Agmina compulimus.

Porro ea in pugna *L. Domitius* Pontifex occubuit, cum dextrum cornu *Pompejani* exercitus regeret; cujus necis auctorem *Cicero Antonium* incusavit in *Philipp.* 2. *num.* 79. *Fueras*, inquiens, *in acie Pharsalica antesignanus; L. Domitium nobilissimum & clarissimum virum occideras.* Lucanus cit.

Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum
Pugnacis Domiti; quem clades fata per omnes
Ducebant.

Augustus natus est A. V. 691. die 23. Septembris. Anno V. 706. præcipiti jam æstate, *L. Domitius* in pugna Pharsalica occisus fuit, in cujus locum cum *Augustus* Pontifex creatus fuerit eo ipso die, quo togam virilem obtinuit, optime infertur illum eandem primum induisse sub initium A. XVI. ac integram *Suetonio* fidem constare, eique à *Valesio Damasceni* testimonium frustra opponi, cum eodem *Suetonii* narratio solide firmetur, ac perperam annus XIV. datæ *Augusto* togæ puræ, Græco Scriptori adstruatur. Hæc quidem locupletissime probant togam virilem vulgo tradi solitam pueris, cum XVI. annum ætatis inibant. At non dissimulabo Imperatores modo celerius, modo tardius eandem filiis dedisse. *Nero* in lucem venerat A. V. 790. die 16. Decembris; at Tacitus *lib.* XII. ait: *Ti. Claudio V. Ser. Cornelio Orphito Coss.* V. C. 804. *virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reip. habilis videretur.* Quare *Nero* vix annum XIV. auspicatus, prætextam puerilem exuit. *Commodus* optimi Imperatoris *M. Aurelii* pessimus filius; natus est *M. Aurelio* patre ac *L. Vero* patruo Coss.

A V. C. 914. seu vulgaris Epochæ Christianæ 161. die 31. Augusti, ex Lampridio *cap.* 1. *de vita ejusdem*, qui *cap.* 12. scribit: *iisdem consulibus*, 116
nempe *Pisone* & *Juliano*, *togam virilem accepit*, hoc est A. Christi 175. *Casaubonus* ac *Salmasius* hunc *Lampridii* textum pervertunt, ita legentes: *Profectus in Germaniam XIV. Kal. Aelias, ut postea nominavit, iisdem consulibus. Togam virilem accepit, cum patre appellatus Imperator V. Kal. Exuperatorias, Pollione iterum & Apro Coss.* ut toga virilis eidem hisce consulibus, exeunte Novembre data videatur. Sed perperam interponi punctum inter verba illa *consulibus. Togam &c.*
B patet ex eodem superius *cap.* 2. ubi ait: *Indutus autem toga est Nonarum Juliarum die, quo in terris Romulus non apparuit.* Quare contra sententiam historici, periodo distincta, toga obtruditur *Commodo* data V. Kal. Exuperatorias, hoc est, die 27. Novembris (Decembrem stultus ille Exuperatorium vocabat) cum diserte prænotet datam Nonis Juliis. Itaque legendum est: *iisdem consulibus togam virilem accepit. Cum patre appellatus Imperator V. Kal. Exuperatorias &c.* Ex his colligitur *Commodum* togam à patre *M. Aurelio* accepisse ante duos fere menses, quam XIV. annum exegisset. Rursus prorogatum etiam ejus-
C dem togæ tempus ex *Dione* ostenditur, qui scribit *Agrippam Posthumum* nostrorum *Cæsarum* fratrem natum A. V. 742. cum antea ejus pater *Agrippa* mense Martio vita defunctus fuisset. At *lib.* LV. ad A. V. 758. ait: *Eodem anno Agrippæ nihilo eorum quæ fratribus obtigissent, potito, virilis toga data est:* nempe exacto fere anno decimo sexto. *Augustus* in puerili prætexta præferocem adolescentulum diutius detinuit, ut ejusdem morum duriciem, honorum dilatione corrigeret. *Cajus Caligula* natus est A. V. 765. *Germanico* patre ac *Fontejo Capitone* coss. pridie Kal. Septem-
D bris. Idem *Liviam* proaviam, *Augusti* uxorem ac *Tiberii* matrem *defunctam prætextatus etiam tum pro Rostris laudavit*, ex Suetonio *cap.* 10. Obiit autem *Livia* A. V. 782. *Rebellio* & *Fusio* coss. teste *Tacito* initio *lib.* V. quo anno *Caligula* agebat annum decimum septimum, quod cum præter morem esset, recte dixit Suetonius, *prætextatus etiam tum*; statim addens: *vicesimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, uno atque eodem die togam sumpsit, barbamque posuit.* Hoc eo consilio *Tiberius* egit, ut *Cajum* procul à foro ac curia detineret, ne toga celeriter data, præcocem eidem gratiam apud populum conciliaret, sibique imperii simul ac vitæ insidiatorem maturaret. Hic
E subjiciam quæ primo statim loco ad meam de anno dandæ virilis togæ opinionem probandam, adducenda fuerant. Tacitus *lib.* 1. diserte ait *Cajum ac Lucium Cæsares in puerili prætexta consules designatos*, quæ quidem de *Cajo* vere eidem narrata probat inscriptio allata, in qua dicitur consul factus *annos natus XIV.* & in alia *agens annum XV.* quo tempore nondum virilem togam induerat, quam tamen designati consulatus causa, eidem annum adhuc agenti XV. Augustus dedit Kal. Jan. A. V. 749. Ex quibus constat togam liberam neutiquam dari solitam ante exactum annum XV. etenim *Augustus*, si eo anno ineunte
F dari consuevisset, nequaquam *Cajum* filium sibi carissimum, & in spem imperii educatum, tanto honore ætati jam debito fraudasset. *Keplerus* sane erravit scribens *cap.* 10. de Natali Christi, datam togam *Cajo* labente anno XIV. cum ceteris daretur inito statim XV. ætatis; nam Kal. Januariis A. V. 749. agebat, uti dixi, annum XV.

Hac ipsa die Kal. Januarii, qua *Cajus* in viros relatus est, *Augustus* tum consulatus designationem, tum etiam titulum Principis juventutis,

quibus paulo ante à S. P. Q. R. *Cajus* ornatus
117 fuerat, rata habuit, ac ut idem iisdem imposterum honorificis titulis uteretur, decrevit. Dio *lib.* LV. scribit *Cajum hastis aureis* donatum ab Ordine equestri, *cum virilem togam sumeret.* Verum in laudato marmore Ancyrano eumdem HASTIS ARGENTEIS DONATUM legimus; quamvis *Dio* in aureas commutaverit. Hæ vero hastæ visuntur in vulgari numismate, quod proxime ubi de Pontificatu *Caji* sermonem instituam, exhibebo. Idem Dio in *excerptis à Zonara* addit eumdem *Cajum Præfectum Tribus* ab *Augusto* creatum. Et hoc novo exemplo. Cicero in *sexta Philippica* toto orationis impetu invehitur adversus statuam *L. Antonio M. Antonii* Triumviri fratri dicatam cum titulo: QUINQUE ET XXX. TRIBUS PATRONO; exclamatque: *Populi Romani igitur est patronus L. Antonius; malam quidem illi pestem. Sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se Populi Romani victoris dominique omnium gentium tutorem dicere auderet? Augustus* quo *Cajo* Principi juventutis ab Ordine Equestri appellato, plebis etiam favorem conciliaret, eundem Præfectum Tribus esse jussit. Idem vero Imperator, quo diem virilis togæ *Cajo* datæ, universæ plebi gratiorem redderet, congiarium eidem donavit, cujus memoriam solæ Ancyranæ tabulæ ad posteros transmiserunt. Fragmentum, quod ad institutum facit, produco, priori verbo cum *Lipsio* aliisque correcto.

DVODECIMVM CONSVL TRECENTIS ET VIGINTI MILLIBVS PLEBIS VRBANAE SEXAGENOS DENARIOS VIRITIM DEDI

Scriptum perperam erat *Duodevigentesimum consul* ab iis qui easdem tabulas in *Galatia* primum exscripserant, cum *Augustus* ter ac decies tantum consul fuerit. Illis è plebe congiarium dedit, qui ut ibidem dicitur: FRUMENTUM PUBLICE ACCIPIEBANT. Cum denarius *Julio Romano* eruditorum judicio comparetur, *Augustus* trecentis ac viginti plebejorum millibus senos scutatos viritim dedit, nempe *Romanæ* monetæ millionem nongenta ac viginti scutatorum millia; qua quidem profusa liberalitate *Augustus* suo *Cajo* plebis amorem redimere conabatur, ut carum, si fata sinerent, imperii successorem, se moriente, relinqueret. Hinc *Augusti* exemplo *Tiberius* cum togam virilem *Neroni* Cæsari *Germanici* filio daret, *quo primum die forum ingressus est, congiarium plebi* donavit, ex Tacito *lib.* II. *An.* At cum *Cajum Caligulam Neronis* fratrem toga virili ornavit, nullum plebi congiarium dedit, quod tamen die virilis togæ *Drusi* itidem fratris distribuerat, ex *Suetonio* in *Tiberio cap.* 54. *Maximos natu*, inquit, *de Germanici liberis Neronem & Drusum P. C. commendavit, diemque utriusque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit.* At *Cajus* ægre ferens *Romanam* plebem eo munere die suæ togæ virilis fraudatam, imperium indeptus, ex Dione *lib.* LIX. *viritim sexagenos denarios, quos cum ipse virilem togam acciperet, non persolverat, cum fœnoris causa additis quindenis denariis, numeravit.* Ita numerus pecuniæ viritim datæ à *Cajo*, idem servatus, quem die tirocinii nostri *Caji Cæsaris Augustus* primum largitus fuerat. Tacitus *libro* XII. cum scripsisset *Neroni* à *Claudio* Imperatore togam maturatam, ait: *Additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi.* Hic postea mos ad privatos per *Romanas* provincias transiit; uti patet ex Plinio *lib.* X. *epist.* 117. Verba *dissert.* I. recitavi.

CAP. V.

Cajus Cæsar *in Pontificum collegium cooptatus. Numisma* Caji *ac* Lucii Cæsarum *explicatur. Togæ prætextæ usus in sacris. Triplex vestis Pontificum à* Gutherio *invecta rejicitur.* Romani *capite cooperto sacris operabantur. Insignia Pontificum & Augurum exposita. De iisdem* Sigonii *error notatus. Sacerdotes supra numerum in collegium ab Imperatoribus cooptati. Vetus numisma perperam* Gutherio *expositum. Collegium VII. Virum Epulonum unum è quatuor præcipuis contra eundem ostenditur.* Cajus Cæsar *Kalatis comitiis Pontifex creatus. Vetus inscriptio suppletur, & explicatur. Pontifex Maximus tributis comitiis semper creatus.* Dionis *ea in re error correctus. Plures* Gutherii *lapsus notantur. Pontifices tributis comitiis creatos, nunquam centuriatis confirmatos contra eundem demonstratur. Sacerdotia antiquitus adolescentibus non collata. Num* Julius Cæsar *adolescens Flamen Dialis factus?* Suetonii *error de anno delati* Cæsari *flaminii.* Casaubonus *minus recte* Plutarchum *cum* Suetonio *committit. Flaminium* Cæsaris *nusquam in nummis obsignatum. Celebris recentium Scriptorum sententia de anno Natali Christi Domini proponitur.*

HUcusque profanos *Caji* honores explicui; de illius modo sacerdotio dicendum est. Hujus quidem nulla in *Cajano* nostro Cenotaphio *Pisano* mentio habetur, quamvis in altero *Lucii* fratris sacerdotium non semel nominetur, ubi AUGUR appellatur. At Dio *lib.* LV. ait: *Deinde sacerdotium Cajo, utque in Senatum ire, ac inter Senatores spectaculis, epulisque interesse liceret, dedit.* Extat vetus inscriptio *pag.* 234. 4.

C. CAESARI. AVGVSTI. F
PONTIFICI. COS.
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Ex hoc elogio constat *Cajum Cæsarem* in Pontificum collegium adscitum fuisse; cujus sane, quemadmodum & *Lucii* fratris, sacerdotium scalptum visitur in nummis, qui vulgo apud antiquarios servantur. Æreum rariorem continet gaza Medicea; alterius iconem dabo *cap.* 13. in quo vultus *Caji* expressus est cum epigraphe: C. CAESAR PONT. COS. Argenteum antiquam scalpturam undique exprimentem, vidi in scrinio *Apollonii Basseti* Serenissimo Magno *Etruriæ* Duci à secretis, viri vetustæ eruditionis studiosissimi, ut inscripta antiquitus saxa, ac ingens veterum numismatum congeries eidem singulari diligentia collecta, demonstrant. Ejusdem etiam nummi ectypum ad me transmisit *Cæsar Leopardus Auximas* vetustissimæ familiæ nobilitate insignis, ac *Romanæ* antiquitatis studio percelebris. In aliis nummis in antica parte legitur: CAESAR AUGUSTUS DIVI F. PATER PATRIAE; in hoc vero laudati *Basseti* primum ac ultimum vocabulum non apparent, quæ sane longior ætas detrivit.

Hoc vulgare licet numisma non vulgare nostris de utroque *Cæsare* commentariis pondus adjicit; nam omnes delatos eisdem honores sub oculos ponit. In epigraphe quidem CONSULES DESIGNATI, ac PRINCIPES JUVENTUTIS inscribuntur. Utriusque postea figura habitu sacerdotali induta visitur, una cum instrumentis sacerdotii eorundem, additis insuper hastis, quas argenteas ab equitibus *Romanis* die virilis togæ acceperunt. Uterque *Cæsar* cum toga prætexta, cooperto capite, cernitur. Equidem sacerdotes usos toga prætexta, cum sacra facerent,

rent, conſtat ex Lampridio *cap.* 40. *de vita Alexandri Severi*, ubi ait: *In urbe tamen ſemper togatus fuit, & in Italiæ urbibus.* Nempe togam candidam puram, nulla purpura circumtextam induebat. Deinde: *Accepit prætextam etiam, quum ſacra faceret, ſed loco Pontificis Maximi, non Imperatoris:* hoc eſt, tanquam Pontifex, non velut Imperator. At non tantum cum ſacris operabantur, ſed extra eadem ſacra Sacerdotes prætexta amiciebantur; erat enim collatæ dignitatis inſigne. Livius *lib.* XXXIV. *Purpura viri utemur: prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis; liberi noſtri prætextis purpura togis utentur &c.* Cicero in fine *Seſtianæ de Lentulo P. Lentuli Spintheris* conſulis filio in Augurum collegium cooptato, ait: *Cui ſuperior annus idem & virilem patris, & prætextam populi judicio dedit.* Toga virilis tota candida erat, nulla purpura prætexta; unde *Ciceroni* in epiſtolis ad Atticum *pura* appellatur; toga enim prætexta in extrema ora ſeu limbo purpuram prætextam, ſeu circumtextam habebat. Gutherius *lib.* I. *de vet. jure Pont. cap.* 29. ſcribit Pontifices triplicem veſtem induiſſe: candidam, quæ pura erat, cui duplicem togam imponebant, quarum una in modum tunicæ brevior erat, altera oblonga in modum pallii; & utramque fuiſſe totam purpuream. Adducit ibidem ex *Panvinio* figuram *Romani* Sacerdotis veſtibus ſacris induti. Miror virum eruditum minus oculatum fuiſſe, non quidem cum illa ſcripſit; ſed cum eandem figuram contemplatus eſt; etenim ea in figura tunica tantum interior, more *Romano*, conſpicitur, ſupra quam toga prætexta viſitur ritu *Gabino* præcincta. Præterea ſi binæ veſtes, quæ, uti putat, tunicæ imponebantur, ita formatæ erant, ut una in modum tunicæ brevior, altera in modum pallii oblonga eſſet, neutra togæ prætextæ formam habebat. Perpe-
120 ram etiam utraque tota purpurea dicitur, cum certe veſtis ſacerdotum *Romanorum* fuerit toga prætexta: nempe tota candida præter extremam oram, in qua erat purpura, à qua prætextæ nomen datum, ut notum eſt.

Cajus Pontifex ac *Lucius* Augur capite eadem prætexta adoperto, conſpiciuntur; eo enim habitu ſacris operabantur; cujus moris cauſam reddit poëtarum maximus *lib.* III. *Ænead. v.* 404. hæc vatis ad *Æneam* dicta referens:

Et poſitis aris, jam vota in litore ſolves;
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.

Aurelius Victor in *libello de origine Romanæ* gentis ſcribit *Æneam* ſacrificium in littore facientem, *forte advertiſſe Argivam claſſem, in qua Ulyſſes erat; cumque vereretur ne ab hoſte cognitus, periculum ſubiret: itemque rem divinam interrumpere ſummum nefas duceret, caput velamento obduxiſſe, atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe: inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi, ut ſcribit M. Octavius lib.* I. Livius *lib.* I. narrat in ipſis gradibus Comitii ad lævam curiæ ſtetiſſe ſtatuam Accii auguris *capite velato*; & *lib.* X. *de Sacerdote* ait: *Cum capide, ac lituo, capite velato, victimam cædat.* Joſephus *lib.* VII. *de bello Jud. cap.* 24. de *Veſpaſiano* ſcribit: *Amictu magnam partem capitis adopertus ſolemnia vota peregit.* Curtius *lib.* IV. *de geſtis Alexandri cap.* 30. *de Ariſtandro* ait: *Ille in candida veſte, verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis*; ut è Græcia in Latium ritus ille deductus videatur. Hinc *Vitellius*, cum *Syriam* præſes rexiſſet, *Romam* à *Cajo* revocatus, cum *Cajum* uti Deum per adulationem adorare decreviſſet, *non aliter adire auſus eſt, quam capite velato*, ex Suetonio in *Vitellio cap.* 2. Hunc

A precandi ritum irridens *Tertullianus cap.* 30. Apologetici ait ſe ac Chriſtianos ceteros Deum precari *capite nudo, quia non erubeſcimus.* Præterea in eodem nummo viſuntur Pontificum atque Augurum inſignia; nempe prope *Cajum* ſimpulum, ac prope *Lucium* lituus. Feſtus ait V. Simpuvium: *Vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur.* Varro *lib.* IV. *de L. L.* ait: *Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, Guttum appellaverunt; & quo ſumebant minutatim, à ſumendo ſimpulum nominavere. In hujuſce locum è Græcia ſucceſſit epichyſis & cyathus; in ſacrificiis remanſit guttum & ſimpulum.* Hoc vero fuiſſe vas
B fictile tradit Plinius *lib.* XXXV. *cap.* 12. *In ſacris,* inquiens, *etiam inter has opes non murrhinis, criſtallinisve, ſed fictilibus prolibatur ſimpuviis.* Id Numa inſtituerat. Hinc Juvenalis *Sat.* VI. *v.* 343. *Simpuvium ridere Numæ.* Simpulum vel ſimpuvium dicebatur, quod Lexicographi prænotarunt. Apud *Ciceronem* proverbii loco ponitur; *Excitare fluctus in ſimpulo*, nempe de re levi ingentes tumultus conflare. Præter ſimpulum alia etiam in nummis Pontificum inſtrumenta ſcalpebantur, nempe ſecuris, urceolus, flagellum, & galerus inſuper, quæ eruditi noſtra ætate doctiſſime explicarunt; cum antea ad eadem magnæ vir
C lectionis *Sigonius* hæſerit. Nam in libello de nominibus *Romanorum*, producens *Cæſaris* Dictatoris nummum cum elephanto, & in alia parte cum ſecuri, flagello, ac ſimpulo, putavit illa *eſſe inſtrumenta quibus Romani elephantos perimebant.* Cum tamen elephantus ibidem victoriam *Cæſaris Africanam* de *Juba* ac *Scipione* reportatam ſignet ex Appiano *lib.* II. *bel. civ. pag.* 488. galerus ve- 121
ro ac alia ibidem ſcalpta, *Cæſaris* ejuſdem Pontificatum Maximum exprimant. Lituus Augurum inſigne erat, quo illi in captandis auſpiciis utebantur. Livius *lib.* I. ait: *Augur ad lævam ejus capite velato, ſedem cepit, dextra manu bacu-*
D *lum ſine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt.* De eodem lituo Cicero *lib.* I. *de divinat.* ait: *Quid lituus iſte veſter, quod clariſſimum eſt inſigne auguratus, unde nobis eſt traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id eſt, incurvum & leviter à ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit.* Apulejus in Apologia: *Hæc*, inquit, *Diogeni & Antiſtheni pera & baculus, quod regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus.* Video tamen lituum in *Lepidi*, ac *Cæſaris Octaviani*
E Triumvirorum nummis ſcalptum; quamvis ambo fuerint Pontifices, non vero Augures; & rurſus idem lituus cernitur in vulgato numiſmate *L. Lentuli* Flaminis Martialis. Conſulatur hac de re Gutherius *lib.* I. *de vet. jure Pont. cap.* 29. neque enim vacat id modo diligentius inquirere.

In eodem nummo viſuntur parmæ & haſtæ, quas, ut inquit Dio *lib.* LV. prope A. V. 757. *aureas ab Equitibus, cum virilem togam ſumerent, acceperunt.* Ex marmore Ancyrano oſtendi eas haſtas fuiſſe argenteas; nam legimus ibidem *Cajum* HASTIS ARGENTEIS DONATUM. Hæ vero haſtæ dicebantur *puræ*, quod nulla ferrea
F cuſpide munirentur. Virgilius *Æneid.* VI. v. 755.

Ille, vides, pura juvenis qui nititur haſta.

Servius ibidem: *Nam hoc fuit præmium apud majores, qui tunc primum viciſſent in prœlio.* Cerda tamen haſtam pro ſceptro poëtæ acceptam contendit. Propertius *lib.* IV.

Sed tua ſic domitis Parthæ telluris alumnis,
Pura triumphantes haſta ſequatur equos.

Claudius Poſiden ſpadonem libertorum cariſſimum,

A mum, *Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit*, Suetonius *cap.* 28. In vetustis inscriptionibus plures dicuntur HASTA PURA ab Imperatoribus donati. *Pag.* 350. 1. 365. 6. 369. 5. 387. 8. Et *pag.* 375. 1. HASTIS PURIS IIII. Idem de *Probo* antequam ad imperium vocaretur, scribit Vopiscus *cap.* 5. *Publice in concione donatus est hastis puris quatuor.* Parmæ etiam in eodem numismate apparent, quæ tamen *Dioni* perperam πέλται nuncupantur; etenim peltæ erant oblongæ, Numidarum cetris persimiles. Livius *lib.* XXVIII. ait: *Menippum item quendam ex regiis ducibus cum mille peltatis (pelta cetræ haud dissimilis est) Chalcidem misit.* B In nummo palam parmæ scalpuntur, cum rotundam figuram habeant. Hinc parma *Polybio* L. VI. recte dicitur περιφερὴς, scilicet, *rotundæ figuræ*. Varro *lib.* IV. L. L. parmam inde dictam putat: *quod à medio in omnes partes par.* Eas vero equitibus gestatas tradit Livius *lib.* XXVI. scribens: *Parmas iis fuisse breviores, quam equestres.* Nonius ait: *parma scutum breve*; laudatque hæc Sallustii verba ex *lib.* IV. hist. *Quod inopia scutorum fuerat, ad ea arte se quisque in formam parmæ equestris armabat.* Porro parmæ à scutis differebant, quia hæc erant oblonga: à clypeis vero, quod hi grandio- C res erant; quamvis uti parmæ, essent rotundi, sed ob magnitudinem ab equitibus non gestabantur; plurimum enim incommodi in pugna equestri attulissent. Ex hoc tantum numismate discimus Equites *Cajo Cæsari* non quidem peltas, uti
122 scripsit Dio *lib.* LV. sed parmas donasse, eodemque suppletur lapis Ancyranus, in quo hastæ tantum argenteæ, non vero etiam parmæ eidem *Cæsari* ab equitibus datæ inscribuntur. Tantum lucis vetusta numismata antiquioris ætatis monumentis important.

Incompertum mihi est, num *Cajus Cæsar* inauguratus fuerit Pontifex in locum alicujus vita defuncti, qui perpetuus mos servatus fuerat ab Ur- D be condita, ut ex Liviana historia colligitur; an vero in collegium Pontificum supra numerum cooptatus fuerit. Lege Syllana, seu Cornelia tum collegium Pontificum, tum alterum collegium Augurum ex quindecim sacerdotibus componebantur. At *Cæsar* in *Africam* contra Pompejanas reliquias transmissurus, quo plures delatis honoribus, sibi amicos aut faceret, aut servaret, singulos sacerdotes tribus summis collegiis supra præscriptum à *Sylla* numerum addidit, ex Dione *lib.* XLII. qui *lib.* LI. inter cetera privilegia à Senatu concessa *Augusto* post subactam *Ægyptum*, recenset: *Ut sacerdotes quotcunque vellet,* E *etiam neglecto numero antiquitus recepto, constitueret; quod quidem ab eo acceptum, deinceps in infinitum excrevit.* Hæc ille ad A. V. 725. At hanc sibi jam antea potestatem in Triumviratu usurpaverat; nam *M. Valerium Messallam inter augures, numerum eorum etiam augens, adscripsit*, ex eodem *lib.* XLIX. Sane successores *Augusti* hac potestate usos scimus. Extat nummus *Neronis* Principis Juventutis cum epigraphe: CLAUD. CAES. DRUSUS GERMAN. PRINC. JUVENT. & in postica: SACERD. COOPT. IN. OMNI. COL. SUPRA. NUMER. S. C. scilicet: *Sacerdos cooptatus in omnia collegia supra* F *numerum Senatus consulto.* Hic *Drusum Germanici* filium designari Gutherius *lib.* I. *cit. cap.* 9. falso existimavit. Nam *Tiberius Neronem* majorem natu filiorum *Germanici* Pontificem creavit ex Tacito *lib.* II. *An.* ubi de eodem, die virilis togæ, scribit: *Additur Pontificatus, & quo primum diforum ingressus est, congiarium plebi &c.* Ejus vero fratrem *Drusum* in collegium augurum adscripsit. Suetonius in *Caligula cap.* 12. ait: *Deinde augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam inaugararetur, ad pontificatum traductus est.* *Tiberius Augustum* imitatus, alterum nepotum Pontificum, alterum Augurum collegio adscripsit. Itaque ibidem designatur *Nero* à *Claudio* Imperatore adoptatus, cujus ex adoptione nomen ac cognomina, ac quatuor collegiorum sacerdotia accepisse palam ostendit inscriptio Gruteri *pag.* 236. 9. cujus fragmentum subjicio.

NERONI
CLAVDIO. AVG. F. CAISAri
DRVSO. GERMANICo
PONTIF. AVGVRI. XVIR. S. F.
VII. VIR. EPVLONi
COS.
PRINCIPI. IVVENTVTIs

Nero igitur, qui ex *Julia* stirpe ultimus imperavit, à *Claudio* factus est Pontifex, Augur, XV. Vir sacris faciundis, & Septemvir Epulo. Hinc alii *Gutherii* errores corrigendi sunt. Nam cum in postica parte nummi scalpta appareant insignia Sacerdotalia, simpulum, lituus, tripus, ac patina, scribit tria ibidem indicari summa collegia sacerdotum: nempe Pontificum, Augurum, ac XV. Virum. Sed plane quatuor collegia designantur; siquidem simpulum notat Pontificatum, lituus auguratum, quæ optime *Caji* ac *Lucii* numisma cum iisdem insignibus illustrant; dein tripus *Apollini* sacer XV. Viros quorum erat carmina Sibyllina consulere; postremo patina VII. Viros Epulones significat, qui instituti fuerant, ut epulare sacrificium facerent, ex Cicerone *lib.* III. de *Oratore num.* 42. At vir alias eruditus, hunc in errorem lapsus est, quod *lib.* I. *cap.* 3. scripsit Septemvirorum Epulonum collegium non fuisse è quatuor præcipuis sacerdotum collegiis; concludens, *in quatuor summis collegiis Aruspices agnoscimus, non Epulones.* At Dio initio *lib.* LIII. scribit ludos Actiacos curatos fuisse à quatuor sacerdotum collegiis: nempe *Pontificibus*, *Auguribus*, *Septemviris*, & *Quindecimviris*. Reponit collegium Epulonum non fuisse unum *summorum collegiorum*, uti eadem vocat Suetonius in *Augusto cap.* 101. sed ex Tacito refellitur *lib.* III. *An.* scribente: *Ludique magni à Senatu decernuntur, quos Pontifices, & Augures, & Quindecimviri, Septemviris simul & sodalibus Augustalibus ederent.* Addit collegium Fecialium sententia *L. Apronii* additum, sed contradixisse *Tiberium*: *neque enim unquam Fecialibus hoc majestatis fuisse.* Igitur Epulones Septemviri constituebant unum è quatuor summis collegiis sacerdotum. Fecialium vero collegium, quod tantæ *majestatis* non esset, à curatione ludorum exclusum fuit. Quod collegium VII. Virum Epulonum è quatuor summis esset, patet eo quod *Nero* filius *Claudii* Imperatoris in illud supra numerum cooptatus fuit, ut quatuor summis sacerdotiis majoris honoris gratia, initiaretur. Quid? quod ipse *Tiberius* Imperator iisdem collegiis adscriptus memoratur in vetusta inscriptione *pag.* 235. 10.

TI. CAESARI. DIVI. AVG. F. DIVI.
IVLI. N. AVGVSTO. PONT. MAX.
TRIB. POT. XXIIX COS. IIII.
IMP. VIII. AVGVRI. XV. VIRO. S.
F. VII. VIRO. EPVLON &c.

Ita Tiberius *Pontifex Maximus*, *Augur*, *Quindecimvir sacris faciundis*, ac *Septemvir Epulonum* inscribitur, quod Auctor prodit. Miror autem ab

ab eodem *Gutherio* haruspices inter quatuor summa collegia sacerdotum numerari, cum ne quidem secundo loco inter collegia sacerdotum à *Romanis* collocati fuerint. Lucanus *lib.* I. publicam sacerdotum Urbis supplicationem describens, recensito collegio Pontificum, ac Vestalibus, addit:

Tum qui fata Deum, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellem;
Et doctus volucres Augur servare sinistras;
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales;
Et Salius læto portans ancilia collo;
Et tollens apicem generoso vertice Flamen.
Dumque illi effusam longis anfractibus Urbem
Circumeunt &c.

Recenset post Pontifices, Quindecimviros Sibyl-
124 linorum carminum scrutatores, Augures, Septemviros Epulones, Sodales Titios, Salios, ac tandem Flamines. Nullus haruspicibus, utpote non tantæ majestatis, locus inter memorata Sacerdotum collegia. Nulli consules, aut viri triumphales, nulli provinciarum præsides, aut legati Imperatorum in vetustis inscriptionibus haruspices nuncupantur; cum tamen iidem Septemviri Epulonum honoris gratia dicantur. Vide indicem Gruterianum *cap.* 3. Cicero *lib.* VI. *fam. epist.* 19. suo demum tempore, eversa per Cæsarem Republica, qui haruspicinam facerent, in Senatum lectos scribit. *Livius* sæpius Pontifices, Augures, ac Quindecimviros mortuos, ac Sacerdotes in locum eorundem suffectos recenset. Cum vero *lib.* XXXV. scripsisset A. V. 558. Triumviros Epulones primum creatos, *lib.* XL. narratur eidem mortuus *P. Manlius*, *qui nuper ex ulteriori Hispania* (prætor eam provinciam obtinuerat) *redierat Triumvir Epulo. Q. Fulvius M. F. in locum ejus Triumvir cooptatus; tum prætextatus erat.* Nusquam autem Haruspicum mortem ac novorum designationem recenset. Immo observo in edendis ludis Actiacis Septemviros Epulones ante Quindecimviros à *Dione* nominatos. Et sane Septemviri præsederunt tertiis ludis Actiacis: quartis vero Quindecimviri, uti ostendam *cap.* 16. §. 8. ex quibus eorundem Epulonum dignitas innotescit. Hæc cum scripsissem, incidi in *lib.* IV. *Observationum Gisberti Cuperi* viri eruditissimi, qui *cap.* 13. eodem de argumento contra *Gutherium* disputans, pleraque mihi antea collecta, præoccupavit. Ad *Caji* sacerdotium redeo.

Cajum tributis comitiis Pontificem creatum mihi videor colligere ex lacera inscriptione apud *Panvinium* ac *Gruterum*, quam *cap.* 3. suppletam exhibui; ibi enim de *Cajo* legitur:

SENATUS. ET. POPULUS. ROMANUS
ob HONOREM. DOMUS. AUGUSTAE.
KALATis
comitiis Pontificem creavit

Gellius *lib.* XV. *cap.* 17. scribit *Labeonem tradere Kalata comitia esse quæ pro Pontificum collegio habeantur.* Sane ab urbe condita usque ad *Cn. Domitium* Tribunum plebis, qui teste Vellejo *lib.* II. in tertio consulatu Marii A. V. 651. *legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet.* Paulo post *Sylla* Dictator eam legem antiquavit, quam tamen alter Tribunus plebis *T. Atius Labienus* A. V. 691. *Cicerone* consule, restituit, uti tradit Dio *lib.* XXXVII. qui tamen errat scribens *Labienum* à *Cæsare*, qui Pontificatum Maximum petebat, ad eam legem rogandam impulsum; uti & *Pighius* ad A. V. Capitolinum 690. scribens: *Qua lege mox C. Cæsar nondum Prætorius &c. Pontifex Max. in Q. Metelli Pii eo anno mortui locum factus est.* Etenim Pontificis Ma-

A ximi electio nunquam à collegio, sed comitiis tributis à populo facta fuerat ante legem Domitiam, quod locupletissimis *Livii* testimoniis ostendit Grucchius *lib.* II. *de Comitiis cap.* 2. *pag.* 82. ac cum eo Gutherius *lib.* I. *cap.* 8. Hoc ipsum aperte tradit *Cicero* in secunda agraria, ubi ait minorem partem populi vocatam ad creandum Pontificem Maximum, nempe Tribus XVII. ex quibus novum eligebant Pontificem Max. *Atque hoc*, inquit, *idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius Trib. plebis V. C. tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur, ab ea parte qui esset factus, is à collegio 125
B cooptaretur.* Julia lex à Dictatore *Cæsare* lata, *quæ lex est de sacerdotiis proxima*, inquit Tullius in *epistola ad M. Brutum*, populo creandorum sacerdotum potestatem relinquebat; unde ibidem ait *Cicero*, *Pansa* superstite, *ante prætoria, sacerdotum comitia fuissent.* Quare A. V. 711. quo post mortem *Pansæ* consulis, data est eadem epistola, sacerdotes comitiis populi creabantur. *Augustus* in Philippicis eodem anno recitatis, atque in aliis priori anno habitis, dicitur Ciceroni *C. Cæsar Pontifex*; ipsum vero factum Pontificem A. V. 706. ex *Nicolao Damasceno* superius ostendi, cujus hæc verba adduxi: *In collegium Pontificum ad-
C scriptus est in locum L. Domitii, qui è vivis abierat, quod quidem populus suis suffragiis libentissime jussit. Cæsar* igitur *Octavianus*, qui postea *Augusti* agnomen retulit, factus est Pontifex comitiis tributis. Panvinius in *libro de civitate Romana pag.* 419. scribit sub *Augusto*, lege Domitia abrogata, Collegiorum primo, dein *Romanorum* Principum arbitrio Pontifices creatos. Hoc tamen falsum esse vel inde constat, quod *Augustus* legem Juliam, quam *Panvinius* non observavit, neutiquam abrogasse credendus est; erat enim ab avunculo eodemque per adoptionem patre promulgata, cum
D ipse quoque tributis comitiis Pontifex factus fuisset. Hoc ipsum ex recitata inscriptione deducitur; nam cum dicitur: OB HONOREM DOMUS AUGUSTAE KALAT.. hoc postremo verbo *Kalata comitia* designantur, quibus *Cajus* sacerdotium obtinuit. Sane nusquam legimus *Augusto* imperante, Pontifices à collegio creatos. Suetonius de eodem scribit *cap.* 40. *Comitiorum quoque pristinum jus reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu, Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum à se dividebat.* Consularia comitia populo servasse constat ex Dio-
E ne *lib.* LIV. ad A. V. 733. ac Vellejo *lib.* II. qui ait *C. Sentium Saturninum* consulem obstitisse ne *Egnatius* sibi sufficeretur, ac jurasse: *etiamsi factus esset consul suffragiis populi, tamen se eum non renunciaturum.* In hoc elogio quo de loquor, de *Cajo* legimus: QUEM. COS. POPULUS CREAVIT. Quare *Augustus* sacerdotum, uti etiam consulum comitia populo permisit. His tamen obiter notatis, vox illa KALATis in examen vocanda est. Etenim scribit *Gellius* loco prænotato ex libris *Lælii Felicis: Labeonem tradere Kalata comitia esse quæ pro Pontificum collegio habentur, aut Regis aut Flaminum inaugurandorum
F causa; eorum autem alia esse curiata, alia centuriata &c.* Regem sacrorum centuriatis comitiis, Flamines vero curiatis creatos eruditi observarunt, easdem conjecturas Sigonius *lib.* I. *de antiquo jur. civ. Rom. cap.* 19. ac Panvinius *pag.* 314. *de civit. Rom.* desumentes ex Grucchio *lib.* I. *de Comit. Rom. cap.* 2. *pag.* 11. At cum Pontificum creandorum jus ad populum, lege Domitia, ita spectaret, ut non in curias, neque in centurias discretus, ad comitia descenderet, sed Tribus XVII. sortito ad suffragia venirent, Pontifices tributis

comitiis creabantur, & quidem sine auspiciis, uti patet ex laudata epistola *Ciceronis* ad *Brutum*, quæ tamen auspicia semper captabantur in comitiis curiatis ac centuriatis. Ex his cuipiam haud forte probabitur allatam inscriptionem ea ratione suppleri, videlicet ut *Cajus* KALATis *comitiis Pontifex* factus fuerit, cum Kalata comitia, uti proxime prænotavi, fuerint aut curiata aut centuriata, eademque pro collegio Pontificum haberentur, aut Regis sacrorum, aut Flaminum tantum
126 inaugurandorum causa; non autem Pontificum quoque creandorum gratia. His accedit *Q. Antistium Labeonem*, cujus testimonium produxi ex *Gellio*, floruisse sub imperio *Augusti*, cujus doctrinam laudat Tacitus in fine *lib.* III. *An.* libros vero juris ab eodem scriptos Pomponius *D. de origine juris.* At *Labeo* scripsit *Kalata comitia esse, quæ pro Pontificum collegio habentur &c.* nempe eo quo scribebat tempore, ita eadem comitia appellari solita; & statim addit iisdem Kalatis comitiis *testamenta fieri solebant &c.* qua phrasi suo tempore eam condendorum testamentorum consuetudinem antiquatam fuisse designat; ita *lib.* II. *Institut. cap.* 10. *de testamentis ordinandis*, dicuntur eadem olim *calatis comitiis* facta, ac de eisdem scribit Theophilus *lib.* II. *Institut. Testamentum calatis comitiis tempore pacis fiebat bis in anno, hoc modo; Præco universam circuibat civitatem, populum convocans; tum qui testamentum condere volebat, in concione populi, ipso teste populo, testamentum scribebat, ex quo etiam dictum est, calatis comitiis;* nam calare *est vocare: comitia vero populi congregatio; quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum calatis comitiis.* Hæc ille. Hujusce difficultatis tollendæ ratio in tanta veterum scriptorum inopia, vix certa mihi inveniri potest, ut plane conjecturis indulgendum esse videatur. In primis constare arbitror ibidem novam *Cajo Cæsari* à Senatu ac populo *Romano* delatam dignitatem designari, & quidem Kalatis comitiis; vox enim illa KALAT de solis comitiis intelligi potest, ubi civium congregatio appellatur, uti in eadem inscriptione fit, in qua legimus:

... SENATUS. ET. POPULUS. ROMANUS
.. HONOREM. DOMUS. AUGUSTAE. KALAT..

At ibidem prænotatur *Cajum* ab Equitibus appellatum fuisse *Principem juventutis*, eundemque annos natum quatuordecim à Populo *consulem* creatum; diversa postea dignitas eidem Kalatis comitiis à Senatu populoque *Romano* collata indicatur, quæ nulla alia videri potest, nisi Pontificatus; cum *Cajus* tres hosce honorum titulos tulerit, ac Kalata comitia dicerentur quæ pro collegio Pontificum fiebant, ex *Labeone* laudato à *Gellio* ex libris *Lælii Felicis*. Ceteri quidem Pontifices Tributis comitiis creabantur, quæ ex eodem *Labeone*, Kalata nequaquam dicebantur, cum Kalata comitia essent curiata, aut centuriata. Verum *Cajum Cæsarem* S. P. Q. R. ob HONOREM DOMUS. AUGUSTAE. KALATis comitiis Pontificem fecit, sive centuriatis uti Regem sacrorum, sive curiatis uti Flaminem. Cum ibidem legitur: *Ob honorem domus Augustæ*, quid peculiare atque insolitum indicat, quod in aliis Pontificibus designandis, non fiebat. Cum igitur ceteri Pontifices tributis comitiis crearentur, *Cajus Cæsar* Kalatis comitiis Pontifex præter morem factus est, eo modo quo Rex sacrorum, vel Flamines creabantur: nempe per præconem populo calato, seu vocato ad comitia sive per curias, sive per centurias habenda. Macrobius *lib.* I. *Satur. cap.* 15. ait: *Itaque sacrificio à rege sacrorum & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe, juxta curiam Calabram, quæ casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Calendis ad Nonas superessent, pronuntiabat &c. Verbum enim* καλῶ *Græcum est, id est voco.* Hinc καλήτωρ præconem, qui po- 117
pulum convocare solet, apud Lexicographos significat; quamvis *Festus* putet servos designari, *quia semper*, ait, *vocari possent ob necessitatem servitutis.* Illud certe compertum est ministros tantum sacerdotum Kalatores in vetustis epigrammatis appellatos. KALATOR FLAMINUM pag. 305. & *pag.* superiori 304. 9. KALATORI SACERDOTII TITIALIUM FLAVIALIUM; ut plane appareat ea voce significari quæ ad sacerdotes pertinebant; unde posita interpretatio detruncati illius verbi KALAT iterum confirmatur, ut scilicet indicet sacram dignitatem, qua *Cajus Cæsar* Princeps juventutis ac consul designatus, exornatus fuit.

Hic iterum quædam *Gutherii* dicta corrigenda sunt. In primis *lib.* I. *cap.* 8. ubi de Pontificibus Maximis disputat, scribit: *Populum non illos creasse, propter religionem sacrorum, sed suis suffragiis designasse, postea que à collegio cooptatos;* additque; *Nos hodie jus nominationis, quod vocant Populo Romano daremus, canonicam vero institutionem collegio.* At *Romani* scriptores non semel sacerdotes à populo *creari* dixerunt. Livius *lib.* XXV. ait: *Comitia inde Pontifici Maximo creando sunt habita;* & in epitome *lib.* LXVII. *Cn. Domitius Pontifex Maximus populi suffragio creatus est.* Vellejus *lib.* II. *Cn. Domitius*, inquit, *Tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet.* Idem vero erat creare ac designare. Cæsar *Vellejo* dicitur *Flamen Dialis creatus*; Suetonio vero cap. I. *Flamen Dialis destinatus.* Ita noster *Cajus* in nummis dicitur *consul designatus*, & in Ancyrano lapide: *Quem populus annos natum XIIII. consulem creavit.* Pejus etiam dicta *Gutherius* explicavit; nam Populus *Romanus*, si Ecclesiæ vocibus uti velimus, jus canonicæ institutionis, non vero puræ putæ nominationis habuit; neque enim Principes, qui nominant, sed Pontifex *Romanus*, penes quem est canonica institutio, dicitur Antistites creare. Ceterum populus *Romanus* habitis comitiis, Pontifices creare dicebatur, ut sane non nominationis tantum, sed plenæ institutionis eorundem jus habuerit. In Pontifice faciendo hæc tria apud *Romanos* post latam legem Domitiam distinguebantur, creari videlicet, nominari seu cooptari, ac inaugurari. Pontifex comitiis tributis à populo creabatur, uti ex *Vellejo* & *Livio* ostendi. Deinde ab uno vel à duobus è collegio nominatus, cooptabatur in collegium. Cicero in *Philippica XIII.* cum recitasset ea quæ Senatus *Sex. Pompeji* honori decreverat, ait: *Hæc Senatus; reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, prosequetur, in primis paternum auguratus locum: in quem ego eum, ut quod à patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo.* Et in Philippica 2. *Quo enim tempore me augurem à toto collegio expetitum, Cn. Pompejus & Q. Hortensius nominarunt (neque enim licebat à pluribus nominari) &c.* & initio libri ad Brutum de *Q. Hortensio* loquens, ait: *Cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo juratus judicium dignitatis meæ fecerat, & inauguratum ab eodem, ex quo augurum institutis in parentis cum loco colere debebam.* Ita inauguratio cooptationem sequebatur, quæ idem erat ac consecratio, quæ regiam nominationem, ac factam à Pontifice *Romano* Antistitis creationem consequitur; quæ quidem omnia & clara & vulgata, haud majori indigent disquisitione. Tertium etiam Gutherius peccat, cum *lib.* I. *cap.* 8. scribit: *Si igitur tributis comitiis patricius Pontifex designaretur, propter vim auspiciorum,*

128 *ciorum*, *curiatis confirmabatur*, *cum plebeji ſacerdotes comitiis tantum tributis fierent*, *quod nulla auſpicia haberent.* Et cap. 9. idem repetens ait: *Tributis facti comitiis Pontifices*, *antequam curiatis confirmarentur*, *vel à collegio cooptarentur &c. deſignati dicebantur.* Hæc ille, quæ ubinam veterum monumentorum legerit, neſcio. Nomine Patriciorum Pontificum haud intelligere poteſt regem ſacrorum, aut Flamines, quaſi latius voce *Pontifices* uſurpata; nam illi neutiquam tributis comitiis creabantur, ut ex *Cicerone* de domo, & *Labeone* ſuperius laudato patet; numquam enim populus eos ſacerdotes ſuis comitiis, quæ tributa erant, deſignavit. Sed perperam illud etiam adſtruitur de Pontificibus proprie dictis, quorum collegium ex lege Ogulnia partim ex plebejis, partim ex patriciis componebatur. Etenim poſt legem Domitiam collegium XV. Pontificum tributis comitiis creabatur, nec quolibet eorum creato, cogenda erant comitia curiata, ut idem confirmaretur. Plane fingit Pontifices, qui eſſent Patricii, curiatis comitiis confirmatos fuiſſe, non vero Pontifices plebejos. Cicero in agraria, ait: *Atque hoc idem de ceteris ſacerdotiis Cn. Domitius Trib. plebis V. C. tulit*, *quod populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat*, *ut minor pars populi vocaretur*, *ab ea parte*, *qui eſſet factus*, *is à collegio cooptaretur.* In hac lege Domitia curiata comitia non nominantur, ſed tantum tributa; nempe ut ſuperius notat, Tribus XVII. ad comitia deſcendebant ſorte ductæ, à quarum parte majore, novem ſcilicet, qui eſſet factus, is non quidem curiatis comitiis confirmaretur, ſed ſtatim, inquit *Tullius*, à collegio cooptaretur. Cum *Rullus* Decemviros agris dividundis tributis comitiis creandos contenderet, Tribus XVII. ut in creandis ſacerdotibus, ſuffragia ferentibus; *Vidit*, inquit Cicero, *& perſpexit ſine curiata lege Decemviros habere poteſtatem non poſſe*, *quoniam per novem Tribus eſſent conſtituti.* At Rullus ut huic incommodo occurreret, teſte eodem Oratore, *curiatis ea comitiis*, *quæ vos non finitis*, *confirmavit*; lege per Prætorem lata: *ut hi decemviratum habeant*, *quos plebs deſignavit.* At cum ſemel *Rullus* Decemviros eo modo quo Pontifices, creari vellet, ſi Pontifices curiatis comitiis confirmabantur, ut *Gutherius* opinatur, & in hoc quoque ſuos X. Viros Pontificibus ſimiles *Rullus* feciſſet, neutiquam *Tullius* objeciſſet: *curiatis ea comitiis*, *quæ vos non finitis*, *confirmavit*; ſi & ipſi Pontifices eodem omnino modo confirmabantur. Præterea ante legem Domitiam Pontificum creatio ad collegium tantum pertinebat, nec ullis populi comitiis curiatis confirmabantur, ſed ipſi Pontifices creabant, cooptabant, inaugurabant, nullæque erant ea in re populi partes. At *Cn. Domitius* totam eam creandorum Pontificum poteſtatem à collegiis ad partem minorem populi tranſtulit, à qua qui factus erat Pontifex, vel augur, ſine alia rogatione populi, cooptabatur ab ipſis Pontificibus vel auguribus in collegium. Denique ideo *Cn. Domitius* ad comitia ſacerdotum partem tantum populi vocavit, teſte Tullio, *quod populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat.* At ſi comitia curiata habita fuiſſent, lex lata fuiſſet: *Velitis*, *jubeatis*, *ut quem novem Tribus Pontificem deſignarunt*, *Pontificatum ineat?* Sane populus, tunc curiatis comitiis ſacerdotia mandaſſet.

Verum neque hic *Gutherii* errorum finis; ſiquidem *lib.* 1. *cap.* 17. ſcribit: *Cæſar Octavius Cajo Cæſari filio in ipſis fere cunabulis ſacerdotium dedit*; cum tamen *Cajus* ageret annum ætatis XV. cum Pontificatum accepit, ac pro-
129 inde jam diu è cunabulis exiiſſet. Sacerdo-

A tium ſeveriori veterum *Romanorum* diſciplina iis tantum dabatur, quos honoribus commendatos, gravior etiam ætas veneranda majeſtate decorabat. Scribit Livius *lib.* XXIX. *Augur T. Sempronius admodum adoleſcens*, *quod tunc perrarum in mandandis ſacerdotiis erat.* Idem *lib.* XL. ait mortuo *P. Manl.o* Triumviro Epulone, *Q. Fulvius M. F. in ejus locum Triumvir cooptatus*; *tum prætextatus erat.* Cicero pro *Seſtio* in fine ait *P. Lentulum* eodem anno & virilem togam, ac prætextam ob delatum auguratum obtinuiſſe. *Auguſtus* vero eodem die, uti ex *Nicolao Damaſceno* notavi, virilem togam ac Pontificatum accepit, aliquot tan-
B tum menſibus natu grandior *Cajo* Cæſare, cum hic eadem dignitate ornatus fuit. De *Cæſare* Dictatore ſcribit Vellejus *lib.* II. *Cum in Cottæ conſularis locum pene puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus*, *victoria Sullæ*, *qui omnia ab iis acta*, *fecerat irrita*; *amiſiſſet id ſacerdotium.* Suetonius vero ab his volumen auſpicatur: *Julius Cæſar Divus annum agens ſextum decimum*, *patrem amiſit*, *ſequentibuſque conſulibus Flamen Dialis deſtinatus &c.* additque à Dictatore *Sulla ſacerdotio & uxoris dote multatum.* Itaque *Julius Cæſar* circa annum decimum ſeptimum Flamen Dialis deſtinatus fuit. Quod hunc *Suetonii* locum *Caſau-*
C *bonus* aliique *Suetonii* commentatores infeliciter attigerunt, pauliſper in eodem, bona Lectoris venia, immorabor, præſertim quod intelligo eoſdem utroque *Velleji* ac *Suetonii* teſtimonio *Plutarchum* falſi reum arguere, qui ſcripſit *Cæſarem* ſacerdotii candidatum, L. *Syllæ* opera, à populo illud non impetraſſe. *Cæſar* natus eſt A. V. 654. *Mario* VI. conſule, III. Idus Julii, tunc Quinctilis. Annum igitur ætatis XVI. init eadem die A. V. 669. Flamen Dialis deſtinatur A. V. 670. *Cn. Papirio Carbone* II. *L. Cornelio Cinna* IV. Conſ. annos natus ſexdecim. Hæc *Suetonio* ſcri-
D buntur, quæ tamen ex *Vellejo* falſa probantur. Nam *Marius* A. V. 668. Idibus Januarii morbo obiit, teſte Floro *lib.* III. *cap.* 21. cum ante paucos dies ſeptimum conſulatum iniviſſet. *Cinna* vero occiſus eſt A. V. 670. cum quartum conſul eſſet ex Appiano *lib.* 1. *bel. civ. pag.* 397. Qui igitur fieri potuit, ut *Cæſar* à *Mario* & *Cinna* A. V. 670. Flamen crearetur, cum *Marius* ante triennium vivendi finem fecerit? Præterea A. V. 667. *L. Cornelius Merula* erat Flamen Dialis, qui eo anno in locum *Cinnæ* magiſtratu pulſi, conſul ſuffectus, paulo poſt capta urbe à *Cinna*, venas ſibi ſecuit, ne vivus in hoſtium poteſtatem
E veniret, ex Appiano, *cit. pag.* 395. Vellejo *lib.* II. *Floro* loco laudato, ubi ait: Merula *Flamen Dialis in Capitolio Jovis ipſius oculos venarum cruore reſperſit.* At *cap.* 5. oſtendi poſt *Merulam* uſque ad *Ser. Cornelium Maluginenſem* neminem Flaminem Dialem creatum, ipſo Flamine Diali *Maluginenſi* in Senatu atteſtante: *Sæpe Pontifices Dialia ſacra feciſſe*, *ſi Flamen valetudine*, *aut munere publico impediretur*, *duobus & ſeptuaginta annis poſt Cornelii Merulæ cædem*, *neminem ſuffectum*; apud Tacitum *lib.* III. Hæc virum oculatiſſimum *Panvinium* fugere; etenim in *lib. de civit. Rom. pag.* 345. ſcribit poſt *Cornelium Merulam*, *C. Cæ-*
F *ſarem* id ſacerdotium conſecutum, ac paulo poſt eodem à victore *Sulla* dejectum; ac dein vacaſſe flaminium Diale annos plus minus centum. *Vellejus* diſerte teſtatur *Cæſarem* non quidem in *Cornelii Merulæ*, ſed *in Cottæ conſularis locum Flaminem Dialem ſuffectum.* Ex proxime dictis conſtat A. V. 667. *Cæſarem* annum agentem ætatis decimum tertium, non fuiſſe Flaminem Dialem, cum *L. Merula* eo anno id ſacerdotium obtineret, ne- 130
que huic poſtea ſuffectum fuiſſe, ac ex conſequenti *Suetonium* in ipſo limine in errorem impegiſſe.

Rursus cum *Vellejus* scribat *Cæsarem* creatum Flaminem à *Mario* ac *Cinna* pene puerum, ac postea victoria *L. Syllæ* eo sacerdotio privatum fuisse: hæc *Mario* ac *Cinna* viventibus contigere. *Sylla* Urbem bis victor ingressus est. Nam A. V. *666.* cum idem consul apparatui belli *Mithridatici* in *Campania* incumberet, *Marius* quamvis privatus, curavit, ut lata à *Sulpicio* Tribuno plebis lege, *Syllæ* provincia abrogata, sibi committeretur; *Sylla* vero re intellecta, exercitum *Romam* duxit, ac cum duabus legionibus Urbem ingressus, quatuor aliis in suburbanis castris relictis, obviam ad Esquilias *Marium* acie fudit, ac cum universa ejusdem factione *Roma* ejectum, Populi *Romani* hostem judicavit, pari Marianis omnibus sententia damnatis. Tum victor *Sylla*, rebus in urbe pro arbitrio constitutis, in *Asiam* contra *Mithridatem* transmisit. Interim *Marius* ac *Cinna* rerum iterum *Romæ* potiuntur, multa Senatorum cæde urbem fœdantes. At *Sylla* bello *Mithridatico* intra triennium magna felicitate confecto, in *Italiam* rediit, ac *Brundusii* copias exposuit Olympiade CLXXIV. ex *Appiano* citato *pag.* 401. anno ejusdem primo, *L. Scipione Asiatico*, *C. Norbano Flacco* Coss. V. C. 671. ex eodem ibidem, *Livio* in *epitome lib.* LXXXV. Eutropio *lib.* V. Toto fere biennio, vario Marte, in *Italia* bellum civile flagravit; donec A. V. 672. Kal. Novembris, maximo ac periculosissimo certamine ad portam Collinam inito, ingenti hostium strage edita, *Sylla* iterum armatus Urbem occupavit. Ex his infertur *Cæsarem* non fuisse dejectum flaminio Diali hac posteriori *Syllæ* victoria; nam anno V. *667.* quinquennio antequam iterum *Sylla* Urbem irrumperet, *Merula* fuerat Flamen Dialis, cui nemo usque ad imperium *Augusti* suffectus fuit. Hinc *Sylla* post priorem victoriam quam in suo consolatu A. V. *666.* de Marianis reportavit, *Cæsarem* flaminio privavit, *Merula* eidem suffecto. Porro *Cæsar* eo anno erat puer duodennis, cum natus fuerit ex dictis A. V. 654. Illum tamen *Marius*, qui *Juliam Cæsaris* amitam in matrimonio habebat, puerum licet, Flaminem creavit; arbitror tamen defectu ætatis non fuisse inauguratum; unde *Suetonio* dicitur *Flamen Dialis destinatus*, qua dicendi formula usus, scribit de *Caligula capite* 12. *Augur in locum fratris sui Drusi destinatus*, *prius quam inauguraretur*, *ad pontificatum traductus est.* Cum vero *Sylla Mario* hosti infensus, universam ejusdem factionem partim S. C. partim metu Urbe expulisset, *Cæsarem*, etiam puerum *Mario* affinitate conjunctum, flaminio privavit. Plutarchus initio *de vita Cæsaris* scribit eundem post reversum ex *Asia Syllam*, sacerdotium à populo petiisse; at obstante *Sylla*, suffragia populi non tulisse. Id contigit ante latam à *Sylla* Dictatore legem A. V. 673. qua potestas creandorum sacerdotum, antiquata lege Domitia, à populo ad collegia translata est. Igitur non loquitur de flaminio, quod antea *Cæsar* amiserat, sed de altero sacerdotio, quod postea idem petebat. Fallitur vero vir eruditus, arbitratus nummos quorum ectypum producit, flaminium *Cæsaris Suetonio* memoratum, designare; etenim in iisdem non albogalerus, sive apex Flaminum insigne, ut idem putat, exprimitur, sed tutulus insigne Pontificum; unde *Apulejus* in apologia loco superius indicato *Pontificibus galerum* pro insigni assignavit. Eundem galerum habes in nummis *Augusti* Triumviri, quo quidem *Augusti* pontificatus designatur.
131 Profecto in laudatis nummis *Cæsaris* Dictatoris non flaminium, quo nunquam inauguratus fuit, quamvis esset destinatus Flamen, sed Pontificatus Maximus, quem A. V. 691. obtinuit, scalptus est.

Hujus A. V. 749. initium lætum *Augustæ* domui, atque Orbi *Romano* reddidit *Cajus Cæsar* Imperatoris *Cæsaris Augusti* filius, togam virilem induens, idemque sacris ac profanis dignitatibus exornatus; verum ejusdem anni exitum longe lætiorem fecit universo terrarum Orbi, immo cœlestium etiam spirituum choris æterni Patris Filius in terris natus, *habitu inventus ut homo.* De anno Natalis Christi Domini jam inde ab Ecclesiæ crescentis exordio diversæ fuerunt Sanctorum Patrum sententiæ; & quamvis doctissimi Scriptores summo studio ac singulari diligentia certam illius epocham indagare conati sunt, nihil hucusque explorati, & quod in dubium à pluribus optimo jure non revocetur, traditum est. Recte S. Augustinus *lib.* II. *de doctr. Christ. cap.* 28. *Per Olympiadas*, inquit, *& per Consulum nomina multa sæpe quæruntur à nobis*, *& ignorantia consulatus*, *quo natus est Dominus*, *& quo passus est*, *nonnullos coegit errare.* Haud animum induxi ad difficillimam controversiam divertere, de qua quidam justa volumina conscripsere. Illorum sententiam hic selegi uti ceteris anteferendam, cum qua *Caji Cæsaris* historia, quam prosequor, maxime congruit; quædam enim de eodem Cæsare vetusta monumenta recensent, quæ juxta aliorum de natali Christi opiniones, nulla plane veritate subsistunt, uti in proximo capite demonstrabo. Æra vulgaris, quam modo *Romana* Ecclesia sequitur, auctorem habet *Dionysium Exiguum*, qui ineunte sexto Christi sæculo floruit. Ab hac tamen epocha meus *Panvinius* anno discordat, biennio *Baronius*, triennio *Sulpicius Severus.* At pleno quadriennio ante æram vulgatam natale Domini anticipandum contendunt doctissimi recentiores è Societate Jesu, quos honoris meique erga eorundem familiam, in cujus scholis educatus sum, obsequii causa nomino; nempe Joannes Dekerius *in thesibus*, Bucherius in *canonem Paschalem Victorii cap.* 12. *pag.* 221. Senescallus apud eruditissimos collegas *Henschenium* ac *Papebrochium in diatriba* præliminari ad mensem Aprilem *exercit.* 2. *num.* 7. qui tamen in superiorem annum Natale Domini retrahunt, quæ pariter sententiæ cum historia *Caji* recte consentit. Eandem *ceteris anteponendam* judicat Petavius *lib.* XII. *doct. Temp. cap.* 7. Usserius in *rebus Chronologicis* summa cum laude versatus, eidem opinoni adhæret *tomo* 2. *Annal. pag.* 527. quam sibi pariter probari mihi testatus est *P. Antonius Pagy* vir doctissimus, ac historiæ Ecclesiasticæ bono natus. Igitur Christus Dominus natus est die 25. Decembris A. V. 749. Augusto XII. *L. Cornelio Sylla* Coss. Anno vero Juliano exeunte XXXXI. Olympiadis 193. anno IV.

CAP. VI. 132

Herodes *Rex* Judæorum *certam talentorum summam* Cajo *&* Lucio Cæsaribus *testamento legat.* Cajus Cæsar *inter judices in causa successionis regni ejusdem. Herodiani regni chronologia stabilitur. Interpretum* Josephi *errores correcti. Ludi Apollinares pluribus diebus continuati. Ex iisdem ludis initæ* Cæsarem *inter &* Antonium *Triumviros pacis, ac regni* Herodi *delati tempus eximio charactere demonstratur. Annus captæ ab* Herode Hierosolymæ *ostenditur, ac* Josephi *metachronismus notatur.* Riccioli *hallucinationes contra* Dionem. *Chronologia trium navigationum* Herodis *in* Italiam *proponitur, ac Saliani de iisdem anachronismi confutantur. Insignis character anni obitus* Herodis *ex historia* Caji Cæsaris *producitur.*

Historiam in præsenti aggredior plenam litigiis, quorum fons *Josephus* qui res *Hebræorum* à prima gentis origine ad ejusdem usque excidium

cidium in literas misit. Nam *lib.* XVII. *Antiquit. Judaic.cap.* 8. scribit *Herodem*, cum postremo fato urgeretur, testamentum condidisse, ac regni successore *Archelao* filio nominato, ingentem vim pecuniæ legasse: Augusto quidem χίλια τάλαντα, τῇτε γυναικὶ, καὶ τέκνοις αὐτοῦ, καὶ φίλοις, καὶ ἀπελευτέροις περὶ πεντακόσια: *Mille talenta, & uxori, & filiis ipsius adolescentulis, nec non amicis, & libertis circiter quingenta. Gelinus* vertit quinquaginta; sed Typographo erratum est, nam πεντακόσια *quingenta* significat. Tota vero ea legatæ pecuniæ summa valet nongenta scutatorum millia. Addit *Josephus Herodem* paulo post regnandi ac vivendi finem fecisse. At cum in prioribus tabulis regni hæredem constituisset *Herodem Antipam*, quem ex alia uxore, novem enim duxit, susceperat, statim ab obitu regis contentionem de successione regni inter fratres erupisse, qui paulo post *Romam* transmisere, apud *Augustum* de paterna hæreditate disceptaturi. Rem fusius narrat Josephus *lib.* XVII. *Antiquit. cap.* II. scribens *Augustum* judices cognoscendæ causæ destinasse, qui coram ipso sententiam ferrent, Σὺν οἷς καὶ Γάϊον τὸν Ἀγρίππου μὲν καὶ Ἰουλίας τῆς αὐτοῦ θυγατρὸς υἱὸν, ποιητὸν δὲ αὐτοῦ γεγονότα, πρῶτον τε καθεδούμενον παρέλαβε. *Et in his Cajum filium Agrippæ & Juliæ ipsius filiæ, à se autem adoptatum, primo supra ceteros loco sedentem.* Mirum quanti ob hæc Josephi verba tumultus inter scriptores excitentur. *Salianus* perpetuus ille *Josephi* hostis ad A.M. 4054. *num.* 4. Hebræum historicum splendidi mendacii reum peragit, quod *cohonestandi concilii gratia, in quo de Hebræorum rege ac regno agebatur, Caji præsentiam adjecit. Baronius Herodis* regis mortem recitat ad annum V. 759. biennio post obitum *Caji Cæsaris*, qui ex *Pisana* tabula decessit *ante diem IX. Kal. Martias Sex. Aelio Cato, C. Sentio Saturnino Coss.* Anno. V. 756. ut plane judicio de successione in demortui *Herodis* regnum, interes-
133 se non potuerit. Idem vero Annalium conditor in apparatu *num.* 114. ait: *Labyrinthos & inextricabiles offendere errores, & in eis mergi necesse sit eos, qui de annis Herodis regni tam facile eidem Josepho acquiescendum existimant.* At *Dionysius Petavius* omnium Jesuitarum eruditissimus, & cui vix parem nostra ætas tulit, *lib.* XI. *doctr. temp. cap.* I. *Josephi* vicem dolens, ejusdem adversariis ingratitudinis notam inurit: *Ex Josephi*, inquiens, *fontibus rivulos suos duxerunt, & tamen incredibile est quantum ab authore ipso, magistroque suo dissentiant.* Equidem si *Saliani* voluminibus quæcunque ex *Josepho* exscripsit, demerentur, plurimum sane ponderis tomi illi prægrandes amitterent. Eadem vero terricula idem Petavius contemnens *lib.* X. *cap.* 65. scribit: *Quoniam ad verum Christi natalem investigandum, & ad Evangelicam illustrandam historiam Herodis Epocha plurimum confert*, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. *Ad id nobis facem præfert Josephi præstantissimi scriptoris historia, qui unius Herodis initia, resque gestas fidelissime perscripsit.* Et in notis ad *S. Epiphanium* ad hæresim LI, Alogorum *Josephi* fide in scribendo commendata, ait: *Tum ubi hæc attentius excussi quæ ad Josephum evertendum validissima credebantur, nihil atroci illa castigatione iniquius est visum.* Hic sane non timuit, facem præferente *Josepho*, labyrinthos & inextricabiles offendere errores. Non is sum, qui *Baronium* aut *Petavium* judicio meo sistere ausim. Equidem, magni viri,

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Nec pariter animum induxi constantem ac perpetuam *Josepho* advocationem commodare; cum præsertim tantulam hæreditatem sibi ab *Herode* legatam *Cajus, Augusti* exemplo, dimiserit; quam licet diligentiori opera eidem *Cæsari* contra *Sa-*

A *lianum* assererem, ne illius quidem teruncius in advocati sportulam veniret. Verum quod ad annum natalis Christi Domini certiori tramite indagandum, *Herodis epocha plurimum confert*, uti scite *Petavius* pronuntiavit, celeberrimam in controversiam libens ac volens descendo, in qua *Saliani* adversus *Josephum* insultus ita comprimo, ut eundem tamen *Josephum* in quibusdam corrigendum ostendam. Porro rem altius repetam.

Anno V. C. 712. Juliano IV. Olympiadis CLXXXIV. anno tertio, *M. Æmilio Lepido* iterum *L. Munatio Planco* Coss. pugnatum est apud *Philippos*, victisque *Bruto* ac *Cassio*, *Romani* Or-
B bis imperium Triumviri inter se partiti sunt. Prœlium vero Philippense exeunte autumno commissum colligo ex Plutarcho *in Bruto*, quo loci narrata *Cassii* clade ac morte, de militibus *Antonii* & *Cæsaris Octaviani*, antequam postremo prœlio cum *Bruto* confligerent, scribit: *Ex castrorum concavitate asperrimam hiemem expectabant; paludibus etiam impliciti, præterea post pugnam autumnalibus pluviis copiosi, limo omnia contubernia impleverant, aquaque quæ ex frigore in glaciem densabatur.* Appianus etiam de iisdem militibus ait *lib.* IV. *pag.* 660. *Appetente hieme quoque molesta, in planicie cœnosa manentibus &c.* Dein victo etiam *Bruto*, *Cæsar* in
C *Italiam* agros militibus divisurus, transmisit; *Antonius* vero in *Græciam* descendens, *Athenis* hiemavit, teste Plutarcho in *Antonio.* Dum hic ea in urbe hiemem transigebat, inquit ibidem *Plutarchus*, ad doctorum hominum disputationes, ad theatra, ad ludos se totum converterat, in judicando mitis, in largiendo magnificus. *Vere appetente, L. Censorino Græciæ præfecto, ipse in Asiam transmisit.* Ibidem, nempe A. V. 713. *P. Servilio L. Antonio* Triumviri fratre Coss. Scribit *Josephus Antonium* in *Bithyniam* primum ad- 134
vectum, ubi aderant Hebræorum legati *Herodem* accusaturi, quod regiam potestatem invasisset,
D *Hyrcano* penes titulum tantum regnante; *Herodem* vero ab *Antonio* primum in colloquium admissum, adeo sibi *Antonium* conciliasse, ut accusatores ne quidem auditi, re infecta, discesserint. *Salianus* hoc *Antonii* in *Bithyniam* iter *Josepho* recitatum, in dubium vocat, quod *Romanorum* rerum scriptores dicunt ipsum *Ephesum* transmisisse. Cur enim, inquit, cum ex *Græcia* recta sit navigatio *Ephesum*, in *Bithyniam* divertisset? Sane verebar, ne *Salianus Josephum* apud *Antoninum* Imperatorem accusaret, cujus extat rescriptum *Ulpiano* memoratum *L.* 4. *D. de off. Proconsulis*, ubi ait: *Im-*
E *perator noster Antoninus Augustus ad desideria Asianorum rescripsit: proconsuli necessitatem impositam per mare Asiam applicare, & metropolim Ephesum primam attingere.* Hanc quoque *necessitatem impositam* Antonio Triumviro *Salianus* opinatur. Sed *necessitatem* quæ *Antonium* in *Bithyniam* primum traxit, *Saliano* exponamus. *Bithyniam* A. V. 711. *Tullius Cimber*, unus interfectorum *Cæsaris*, obtinebat, qui classe *Turullio* quæstori tradita, terrestres copias adversus *Dolabellam Antonii* collegam duxit, ex *lib.* XII. *Fam.* Ciceronis *epist.* 13. ac Tarsenses expugnavit ex Dione *lib.* XLVII. Anno insequenti Urbis 712. *M. Brutus*, bello contra Trium-
F viros instante, in *Asiam* pecuniam ac militem collecturus, se contulit. Plutarchus in *Bruto* ait: *Classem in Bithynia, & apud Cyzicum reliquit, terrestrique itinere proficiscens civitates sibi confirmat.* Ecce tibi *Brutum* in *Bithyniam* primum classe advectum. Cum vero copias cum *Cassio* in *Europam* trajiceret, *Apulejum* à Triumviris proscriptum, *Bithyniæ* præfecit. Hinc *Antonius Bruto* victo, atque occiso, recta in *Bithyniam* transmisit, ut provinciam triennio fere ab hostibus *Cæsaris* gubernatam, omnium primam lustraret.

 Scri-

Scribit Appianus *lib.* IV. *pag.* 616. *Apulejus Bruti auſpiciis rexit Bithyniam; quo cæſo, & tradita Antonio provincia, reditum impetravit.* Idem vero hiſtoricus recenſens provincias, quas *Antonius Epheſo* profectus, adiit, numerat *lib.* V. *bel. civ. pag.* 675. *Phrygiam, Myſiam, Gallogræciam, Cappadociam, Ciliciam, Cœleſyriam, Palæſtinam, Ituræam, ceteraſque Syrorum provincias.* *Bithyniam* non recenſet, quod eam provinciam *Antonius* adierat, antequam *Epheſum* veniret. Dum *Antonius per æſtatem* in *Phœnicia*, quæ unà provinciarum *Syriæ* eſt, moraretur, *L. Coccejum* ac *Cæcinam Cæſaris* legatos excepit; ex eodem *lib.* V. *pag.* 706. Interim exactis tota *Aſia* ac *Syria* tributis, relicto in *Aſia L. Munatio Planco*, in Syria vero *L. Decidio Saxa*, *militibus per hiberna diſtributis, in Ægyptum poſt Cleopatram profectus eſt, à qua exceptus ſplendide, hiemavit ibi ſine inſigniis imperii.* Appianus *lib.* V. pag. 677.

Dum hæc in *Aſia* ab *Antonio* geruntur, Cæſar in *Italia* agros militibus dividebat. Cum vero *Romani* cives ægre ferrent avitis ſe poſſeſſionibus pelli, ac eaſdem in civilium bellorum prædam venire, ingentes tumultus tota paſſim Italia erupere, quos etiam bellum inter *L. Antonium* ac *Cæſarem Octavianum* circa Autumnum conſecutum eſt. *Lucius Antonius*, qui eo A. V. 713. conſulatum gerebat, pleriſque fruſtra tentatis, *Peruſiam* tandem ſe recipiens, caſtra ibidem metatus eſt. *Cæſar* eundem ſtatim inſecutus, triplici exercitu *Peruſiam* cinxit. Obſidium per hiemen protractum eſt; urbs enim in collibus ſita, ac numeroſis copiis munita, niſi fame expugnari poterat. Scribit Appianus *lib.* V. *pag.*
135 689. L. Antonium *nocte quæ Kalendas Januarias præcedit*, eruptione facta, caſtra *Cæſaris* aggreſſum, ac cum multa ſuorum clade repulſum. Interea ciborum inopia deditionem facere coacti ſunt. *Cæſar L. Antonii* militibus, teſte eodem pagina 699. *hiberna deſignavit oppida, ſimulque qui eos deduceret.* Suetonius *cap.* 15. deditionem *Peruſiæ* recitans ait: *Scribunt quidam trecentos ex dedititiis electos utriuſque ordinis, ad aram D. Julio extructam, Idibus Martiis hoſtiarum more mactatos*; ut hoſtium ſanguine ea die, qua *Cæſar* Dictator occiſus fuerat, ejuſdem manes ſatiaret. Ex his intelligimus *Peruſiam* à *L. Antonio* deditam A. V. 714. à parilibus inchoando, antequam hiems exiret. Obſeſſam vero eandem Urbem inſtante hieme A. 713. ex eodem ſcriptore *Græco* colligitur, qui de *L. Antonio* conſule pag. 689. ſcribit: *Peruſiam* autem ideo venerat, *ut, ſi opus eſſet, in urbe munita hiemaret, donec Ventidius veniret cum ſociis.*

A. V. 714. *Juliano* VI. *Parthi* appetente vere, cum ingenti exercitu in *Syriam* irruperunt. Nam *Labienus* ex clade *Philippenſi* ad barbaros fugiens, auctor *Orodi* Regi fuerat, ut *Italia* bello civili inter *Cæſarem Octavianum* ac *L. Antonium* conſulem flagrante, *Antonio* vero in hibernis *Ægypti* voluptatibus turpi ſocordia indulgente, *Syriam* occuparet. *Parthi Pacoro* Regis filio ac *Labieno* ducibus, *Syriam* aggreſſi, nullo negotio univerſam, excepta *Tyro*, ſubegerunt. *Saxa* enim, quem *Antonius Syriæ* præfecerat, prœlio à *Labieno* victus, ac in fuga captus, neci traditus eſt; eoque mortuo, *Syria* in *Parthorum* poteſtatem venit. Tum diviſis copiis, *Labieno* cum parte exercitus in *Aſiam* miſſo, *Pacorus* in *Palæſtinam* movit, ex Dione *lib.* XLVIII. *Joſephus lib.* XIV. *Antiq. cap.* 23. ſcribit hanc *Parthorum* in *Syriam* irruptionem contigiſſe *altero anno* ab *Antonii* in *Aſiam* adventu. Recte; nam A. V. 713. *Antonius* in *Aſiam* è *Græcia* tranſmiſerat, ac anno colligendis tributis conſumpto, *Alexandriam* hieme inſtante, perrexerat; *Parthi* vero altero

A A. V. 714. *Syriam* invaſerunt. Hæc *Joſephi chronologia* obſervanda eſt; nam ipſius poſtea teſtimonio eundem metachroniſmi convincam. *Plutarchus* cum narraſſet ludos, convivia, ceteraſque voluptates, quibus *Antonius* per hiemem apud *Cleopatram* indulſerat, ſcribit: *Ejuſmodi rebus intento Antonio, duo nuntii eodem tempore afferuntur: alter quo certior factus eſt Lucium fratrem & Fulviam uxorem primo inter ſe diſſidentes, deinde cum Cæſare pugnantes, amiſſis rebus, Italia pulſos: alter Labienum Parthorum ducem omnem Aſiam ab Euphrate & Syriam, & Lydiam, & Ioniam occupaſſe narrabat.* Hinc tanto armorum B fragore excitus, inquit Appianus *lib.* V. *pag.* 701. *Verno tempore Alexandria Tyrum profectus eſt*; ubi cum accepiſſet Aſiaticas provincias in *Parthorum* poteſtatem veniſſe, *Italicum* bellum prætexens, *Athenas* navigavit, ut cum *Sexto Pompejo Magni* filio, qui *Siciliam* cum inſtructiſſima claſſe tenebat, belli adverſus *Cæſarem* ſocietatem iniret, illataſque *Lucio* fratri apud *Peruſiam* injurias ulciſceretur.

Palæſtinæ id temporis *Hyrcanus* imperabat, omnia tamen unius *Herodis* ejuſdem generi arbitrio gerebantur, quod ægre ferens *Antigonus*, cujus pater *Ariſtobolus Judææ* regno quondam à C *Pompejo* privatus fuerat, *Parthos* tota *Syria* victores, ingentium præmiorum promiſſis allectos, in *Palæſtinam* accivit, ut eorundem opera paternum regnum recuperaret. *Pacorus* cum ſciret *Hyrcanum Romanorum* partibus ſtudere, cum duplici exercitu in *Judæam* ſtatim venit, ut dejecto *Hyrcano*, *Antigonum* regno præficeret. *Antigonus* cum copiis, quas privata pecunia collegerat, *Hieroſolymam* movit, atque à civibus *Herodis* regimen ſuperoſis, intra urbem admiſſus eſt; regiam tamen non occupavit, quod & ſitu munita, & valido milite inſtructa, ab *Herode* tenebatur. *Pacorus* D exercitum procul ab urbe caſtra metari juſſit, expectans *conventuras à tota regione turbas ad Pentecoſtem, quam vocant ſolemnitatem*, ex Joſepho *lib.* XIV. *cap.* 24. Ubi feſta dies advenit, ac in urbe paſſim cædes fierent, aliis *Antigoni*, aliis *Herodis* partes foventibus, *Pacorus* prætextu ſeditionis componendæ, partem exercitus urbi admovit, ac *Hyrcanum* in colloquium amice venientem, ac nullos dolos veritum, ſpecie legationis ad *Barzapharnem* ducit, qui cum altero exercitu longius *Hieroſolyma* ſubſtiterat. *Hyrcanus*, ubi in caſtra venit, in vincula conjicitur, ac *Antigonus Judæis* rex ſtatim imponitur. *Herodes* qui in regia E remanſerat, *Hyrcani* captivitate intellecta, *Hieroſolymis* relictis, ſuos ſecum milites cum familia ducens, *Maſſadam* munitiſſimum oppidum ſe recepit; eodem vero valido præſidio ac copioſo commeatu inſtructo, quo obſidium diutius protraherent, ſi eo *Antigonus* cum exercitu veniſſet, magnis itineribus in *Arabiam* ad *Malchum* regem *Nabatæorum* pluribus ſibi beneficiis obſtrictum, perrexit. Verum à *Malcho* juſſus regni finibus excedere, in *Ægyptum* iter intendens, venit *Rhinocoluram*, inde *Peluſium*; ubi à nautis *Alexandriam* navigaturis excluſus, à magiſtratu ejus urbis ſummo cum honore in *Ægypti* regiam dedu- F ctus fuit. *Cleopatra Herodis* vicem miſerata, eundem *Alexandriæ* detinere conata eſt; *haud tamen efficere potuit ne Romam properaret procelloſo licet tempore, & parum tranquillis, ut nuntiabatur, rebus Italiæ.* Joſephus *lib. cit. cap.* 25. *Salianus Joſephum* antilogiæ reum peragit, qui cum ſcripſiſſet, capta à *Parthis* diebus feſtis Pentecoſtes *Hieroſolyma*, *Herodem* celeri fuga urbe elapſum, *Alexandriam* ſe contuliſſe, hyberno tempore *Alexandria* ſolviſſe poſtea affirmaverit. Verum nullus hic *Joſephi* error eſt, ſed *Saliani* pravam

vam *Rufini* interpretationem secuti. *Josephus* Græce scripsit: χειμῶνος τε ὄντος, quæ verba *Rufinus* ac *Gelenius* Latio donantes dixere: *hiberno licet tempore.* At vox χειμῶνος tum hiemem, tum maris procellam promiscue significat. Appianus *lib.* v. *pag.* 728. narrat plurimos remiges classis Augusti per hiemem interiisse, ac statim eandem classem improvisa tempestate huc illuc jactatam refert; hiemen ac procellam eadem vox χειμῶνος ibidem exprimit. Dio *lib.* XLIV. ad A. V. 706. scribit *Cæsarem* per hiemem piscatoria navicula ex *Epiro* solvisse, ac statim sæviente maris tempestate, pene submersum. Nomen autem χειμῶνος hiemen ac procellam ibidem designat. In Actis Apostolicis *cap.* 27. describitur tempestas, qua *D. Paulus*, cum in *Italiam* deduceretur, conflictatus est; illi vero Græce χειμῶνος scribitur; postea ibidem hiemare ab eadem ipsa voce dicitur παραχειμάσαι. Ex varia hujusce vocis significatione non semel *Josephi* interpretes lapsi, viros eruditos in errores traxere, quod iterum inferius proxime demonstrabo. Itaque Herodes A. V. 714. post Pentecosten, labente Junio, *Alexandriam* venit, *procelloso licet tempore* transmittens, fluctibus jactatus, ac sarcinis amissis, ægre *Rhodum* applicuit, ubi amicorum pecunia adjutus, triremi extruendæ intentus, aliquandiu ibidem degere coactus est.

Cæsar Octavianus, cum accepisset *Antonium* ex *Asia* in *Græciam* venisse, veritus ne idem inito cum *Sex. Pompejo* fœdere, bellum sibi denuntiaret, animum induxit *Fufii Caleni*, qui *Antonii* nomine *Galliam* ac *Hispaniam* tenebat, legiones suas in partes trahere. Dum cunctatur, honestam occasionem perficiendi consilii expectans, *Calenus* legatus morbo absumitur, ac *Cæsar* pro-
137 pere in *Galliam* profectus, Antonianas legiones sibi adjunxit, simulque *Galliam* ac *Hispaniam*, quæ hucusque *Antonii* legato paruerant, occupavit. *Antonius* hisce intellectis, cum *Sex. Pompejo* contra *Cæsarem* conspirans, cum classe in *Italiam* venit, ac statim *Sipuntum* cepit; inde *Brundusium* copias admovit, & cum oppidani in urbem illum admittere recusassent, obsidium terra marique inchoavit. Dio *lib.* XLVIII. & Appianus *lib.* v. *pag.* 704. *Cæsar Sex. Pompeji* amicitiam quæsiverat, ne cum duobus hostibus una simul bellum gerere cogeretur; at cum *Pompejus* nullas pacis conditiones admitteret, inquit Dio *lib.* XLVIII. ad A. V. 714. *M. Vipsanio Agrippæ bellum contra eum gerendum injunxit, ipse vero in Galliam profectus est. Qua re cognita, Pompejus, observato eo tempore, quo Apollinaribus ludis exhibendis, occupatus erat Agrippa (præturam enim tum gerens, ac præcipuus amicus Cæsaris splendide omnia agebat, ludosque inter cetera equestres biduo præbebat &c.) in Italiam transmisit, ac tandiu in ea prædas agendo commoratus est, donec Agrippa adveniret.* Etenim *Antonius* contracta societate cum *Sex. Pompejo*, auctor eidem fuerat, ut classe educta, *Italiæ* maritima infestaret, dum interim ipse in altera provinciæ parte *Brundusium* obsidio premebat. Insignem characterem, quo *Dio* tempus hujus belli civilis palam designavit, eruditissimi chronologi atque historici non observarunt; cum tamen ex eodem *Herodiani* regni initium non obscure deducatur. Scribit *Dio Sex. Pompejum* in *Italiam* transmisisse, cum *Agrippa* prætor urbanus *Romæ* ludos Apollinares ederet. Horum ludorum editio prætori Urbis incumbebat ex fatidicis Marcii carminibus, in quibus legebatur, *iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebique dabit summum.* Initio nulla stata anni die edebantur; at A V 546. *P. Licinius Varus* prætor Urbanus lege ad populum lata, jussus est cer-

A tum Apollinaribus diem statuere. *Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium Nonas Quintiles.* Horum testis est Livius *lib.* XXVII. Hos vero ludos iterum datos fuisse III. Idus Quintiles patet ex veteri Kalendario, quod integrum publici juris fecit *Lambecius* V. C. ac de Republica literaria ob tot veterum monumenta & vulgata, & eruditis notis illustrata, ultra omne nostrum præconium benemeritus. Etenim tertio Non. Julii signantur ludi Apollinares; dein *IV. Idus Julii Cæsaris Natalis*; & statim: *III. Id. Ludi Apollinares.* Dio *lib* XLVII. ad A. V. 712. ait: *Ac quoniam die Cæsaris natali Apollinares ludi fie-*
B *bant, pridie ejus diei Natalitia Cæsaris peragi jusserunt.* Julius Cæsar natus est *ad quartum Idus Quintilis*, ex Macrobio *lib.* I. *Satur. cap.* 12. Lupos vero Apollinares datos fuisse IV. Idus Quintilis, patet ex Cicerone *lib.* XVI. *ad Atticum epist.* 4 ubi de Bruto ait: *Quam ille doluit de Nonis Juliis! mirifice est conturbatus; itaque sese scripturum ajebat, ut venationem etiam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, III. Idus Quintilis. M. Brutus* prætor Urbanus A. V. 710. quo Idibus Martii *Cæsarem* interfecerat, ludos Apollinares absens *Romæ* per *L. Antonium* edendos curavit, quorum splendorem, ac magnifi-
C centiam exaggerat *Cicero* in Philippica prima prope finem, & iterum in secunda, ac denique fusius in decima. *L. Antonius* proscripserat ludos edendos III. Nonas Julias. At moleste tulit *Brutus* Nonas à tyranni nomine *Julias* appellatas; itaque cum ludi *IV. Idus Julias* proscripti fuissent, nec ob angustias temporis id prohibere posset, curavit per literas, quas statim *Romam* misit, ut venationi, quæ postridie ludos Apollinares danda erat, dies statueretur: *III. Id. Quintilis.* Interim ex collatis testimoniis *Macrobii*, 138
Dionis, ac *Tullii* constat ludos Apollinares factos
D fuisse IV. Idus Julias, ac postea decretum, ut Natalitia Cæsaris eo die celebrarentur. Livius *lib.* XXXVII. ad A. V. 564. ait: *Ludis Apollinaribus ante V. Idus Quintiles, cælo sereno, interdiu obscurata lux est, cum Luna sub orbem solis subisset.* Editores ludorum Apollinarium, quo plebis aures captarent, ludos ab ante diem III. Nonas Quintiles ad IV. Idus continuabant; immo alios insuper adjiciebant. *Brutus* postridie Apollinares venationem dedit III. Idus. *Agrippa* binis diebus equestres ludos edidit ex *Dione* laudato. Scænicos ludos datos inter Apollinares festivos scribit Cicero *lib.* II. *ad Atticum epist.* 19. & in *Philippica decima* commendans ludos Apollinares nomi-
E ne *M. Bruti* prætoris exhibitos ait: *Quanquam qui unquam aut ludi, aut dies lætiores fuerunt, quam cum in singulis versibus populus Romanus maximo clamore & plausu Bruti memoriam prosequebatur.* Et statim pluribus diebus eos ludos datos prodit, hæc de Bruto dicens: *Atque hunc his ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli propinqui sui &c.* Habemus igitur ex *Dione Agrippam* prætorem A. V. 714. mense Julio dimidia fere sui parte exacto, περὶ τὰ Ἀπολλώνεια ἔχοντα *circa ludos Apollinares occupatum*, quo tempore *Sex. Pompejus Thurios* ac *Cosentiam* obsedit; *Antonius* vero *Brundusium* militari corona
F vallatum premebat. *Cæsar Octavianus* novis legatis *Galliæ* ac *Hispaniæ* impositis, in *Italiam* venit, statimque jussit *Agrippæ*, ut contra *Pompejum* copias duceret, ipse vero contra *Antonium* movit, ac prope ejusdem vallum castra metatus est. *Agrippa Sipuntum* levi negotio recepit; *Pompejus* vero à *Thuriis* repulsus, *Cosentiæ* obsidium continuabat. *Antonius* diuturnioris obsidionis impatiens, machinas dejiciendis mœnibus parabat, nec *Cæsari* ulla spes erat munitiones *Antonii* supe-

ſuperandi. Hæc menſe Septembri contigiſſe nullus inficias ibit. Nam *Cæſar* antequam *Brunduſinum* in agrum veniret, *Canuſii per aliquot dies corpore languens* decubuerat, ex *Appiano cit. pag.* 704. Interea utriuſque partis milites moleſte ferre ducum ambitione, mutuiſque ſuſpicionibus *Italiam* civilibus armis devaſtari, colloquia de componendis mutuo fœdere imperatoribus miſcere, pacem publice loqui, ſuam in bello operam negare. Tum *L. Coccejus Cæſari* ac *Antonio* ex æquo pergratus ultro citroque ad eoſdem commeans, pacem tandem inter utrumque certis quibuſdam conditionibus conciliavit. *Antonius Ventidio* in *Aſiam* adverſus *Parthos* ire juſſo, una cum *Cæſare* in Urbem profectus eſt. Senatus autem decreverat ob initam concordiam, ut ambo ovantes, *Romam* ingrederentur. In faſtis Capitolinis legitur:

M. ANTONIVS. M. F. M. N. III. VIR. R. P. C. OVA . . . . QVOD. PACEM. CVM. IMP. CAESARE. FECIT

Annum ac diem malo chronologiæ & hiſtoriæ fato longior ætas abraſit. Annum tamen Urbis 714. colligo ex triumpho *L. Cenſorini*, qui in eiſdem tabulis poſtea recitatur.

L. MARCIVS. L. F. C. N. CENSORINVS. COS. A . . . . EX. MACEDONIA. K. IAN.

139 Ineunte A. V. 715. *Marcius Cenſorinus* eadem die Kal. Januarii, qua conſulatum capeſſivit, triumphum egit. Igitur ovatio *Antonii* anno ſuperiori contigerat; omnes enim triumphi & ovationes continuata annorum ſerie ibidem deſcribuntur. Rurſus ineunte Octobri utrumque imperatorem *Romam* ovantem intraſſe non obſcure demonſtrant res breviſſimo illo bello *Romanis* ſcriptoribus narratæ; bellum enim eruperat circa dimidium Julii, *Agrippa* ludis Apollinaribus occupato, ac *Cæſare Galliæ* ac *Hiſpaniæ* ſtatum *Roma* procul diſponente, qui cum ex *Gallia* revertiſſet, ac contra *Antonium* legiones duceret, iiſdem, quod contra ſuum dudum imperatorem pugnare recuſarent, caſtra deſerentibus, alium exercitum accire coactus fuit; dein per aliquot dies ægrotavit, antequam prope *Antonium* caſtrametaretur. Ad hæc apud *Brunduſium* geſta vix bimeſtri ſpatio una cum ſuperioribus contingere potuerunt; unde vel ineunte Octobri, uti dicebam, vel exeunte ſaltem Septembri uterque imperator ac Triumvir *Romam* ovantes rediere, ac non modo Urbem, verum etiam *Italiam* univerſam ingenti lætitia affecerunt; cum civili bello in ipſa *Italia* ſæviente, agrorum vaſtationem, urbium direptiones, ceteraque incommoda ſibi coloniæ ac municipia timerent, quam tamen ſollicitudinem pax improviſa ſuſtulerat. Hinc ejuſdem occaſione hanc inſcriptionem in agro *Caſinate* repertam, dicatam ſuſpicor, ex qua poſita opinio de inita circa exitum ſaltem Septembris pace, probabili conjectura firmatur.

M. PAPIVS. M. F. L. MATRIVS. L. F
DVO. VIRI. I. D
SIGNVM. CONCORDIAE. EX. S. C. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT
ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA
FACIVNDA. COER. EIDEMQVE. PROBAVER
AD. III. EID. OCT. CN. DOMIT. C. ASINIO. COS

Dum hæc in *Italia* geruntur, *Herodes* inſtructa apud *Rhodum* trireme, vela faciens, *Brunduſium appulit*; *inde Romam profectus* ad *Antonium*, teſte Joſepho *lib.* XIV. *cap.* 25. eidem narravit occu-

A patam *Parthorum* auxiliis ab *Antigono Palæſtinam*, dejectum regno *Hyrcanum*, ac turpiter inter vincula mutilatum, ſe tamen διὰ χειμῶνος, (recte hic interpres, *per procellas*) ad ipſum navigaſſe, à quo afflictæ, atque tum ab hoſte obſeſſæ familiæ meliora fata ſperaret. *Antonius* amici vicem dolens, ſimulque indignatus *Antigonum Parthorum* copiis inſtructum, *Judæam* invaſiſſe, re cum collega Triumviro communicata, communi conſilio decreverunt *Herodem Judæorum* regem per Senatum deſignare. Itaque convocatis Patribus, regnum *Palæſtinæ Herodi* S. C. delatum eſt. Joſephus *cap.* 26. ubi addit: *Antonius &*
B *Cæſar medium habentes exiverunt*, *Conſulibus ceteriſque magiſtratibus deducentibus*, *aſcenderuntque in Capitolium ſacra ibi facturi &c.* Atque hoc pacto ille regium faſtigium adeptus eſt Olympiade CLXXXV. V. C. 714. *Cn. Domitio Calvino* iterum *C. Aſinio Pollione* Coſſ. Ex chronologia validis ratiociniis ſtabilita, palam mihi colligitur, *Herodem* labente Octobri regnum à *Romanis* accepiſſe. Hinc patet pleroſque inſignes ſcriptores 14 in aſſignandis initiis regni *Herodiani*, eſſe deceptos. Nam Montacutius in *Apparatu* V. *num.* 10. annum Urbis 717. menſe Junio quartum regni *Herodis* vocat. Keplerus *cap.* 8. *de Natali Chriſti*
C ait *Antonium* ac *Cæſarem* circa æquinoctium vernum *Romam* veniſſe, ac *Herodem* regem factum primo quadrante anni VI. Juliani, cum æſtate ſequenti expectaretur Olympias 185. Idem tradit *Calviſius* in *Iſagoge Chronol. cap.* 44. ſcribens eundem *adulto vere* regnum obtinuiſſe. *Uſſerius* inito *Auguſto* regem creatum putat, dum anno 38. ante vulgarem epocham ſcribit *Herodem* anno tertio ineunte, poſtquam *Romæ* declaratus fuerat Rex, *Hieroſolymam* obſediſſe; ac poſtea ſcribit urbem occupaſſe ultima die ejus anni, obſidionis menſe quinto. Nullus horum in *Dione* notavit circa medium Julii, cum ab *Agrippa* prætore ur-
D bano ludi Apollinares *Romæ* ederentur, primum civilis belli inter *Antonium* ac *Cæſarem* turbinem detonuiſſe, *Pompejo Magni* filio, auctore *Antonio* hoſtili claſſe *Italiæ* maritima infeſtante. *Joſephus* etiam minus recte initium regni *Herodis* poſuit Olympiade centeſima octogeſima quarta; nam hæc circa Solſtitium ejus anni V. 714. deſierat, ac inita erat Olympias 185. cum *Herodes* regnum accepit. Si tamen *Joſephus* Olympiadas ab Octobri inchoavit, quod *Syris* in uſu fuiſſe quidam ſentiunt, in exitu Olympiadis 184. *Herodes* regia poteſtate ab Senatu ornatus fuit. *Torniellus* extra veram chronologiam abiit ſcribens ad A.
E Mundi 4014. num. 4. *Herodem* prope finem A. V. 714. qui terminari ſolebat die 25. Aprilis regiam dignitatem fuiſſe conſecutum. At eo anno erant conſules *L. Marcius Cenſorinus*, ac *C. Calviſius Sabinus*; *Joſephus* vero ad ſuperioris anni conſules initia *Herodiani* regni rejicit. Præterea certum eſt *Antonium* ante hiemem A. V. 716. *Roma* digreſſum, *Athenis* hiemaſſe, nec unquam poſtea *Romam* rediiſſe. At *Antonius Romæ* degens, *Herodi* præſenti regnum deferendum curavit. *Joſepho* ſuffragatur Appianus *lib.* v. *bel. civ. pag.* 715. ubi cum dixiſſet *Idumæorum Samaritarumque Herodem* regem ab *Antonio* conſtitutum,
F ſtatim addit: *His diſpoſitis, hibernavit Athenis cum Octavia, ſicut ante Alexandriæ cum Cleopatra.* Igitur perperam ſcribit num. 5. *Verno tempore anni primi Olympiadis* 185. *Herodes factus eſt rex*; nam id temporis *Antonius* erat *Athenis*, ac deſinente tantum vere, inde diſceſſit, ut mox oſtendam. Sed peſſime loquitur num. 6. *Quare neque ſupponi neque affirmari ullo modo poteſt Calvini & Pollionis conſulatum partem anni quarti Olympiadis* 184. *& partem anni ſequentis obtinuiſſe*, *ſed tantummodo quod*

quod ipſi tunc conſules erant, quando Herodes declaratus eſt rex, videlicet ſub finem anni Olympiadis 185. *qui annus pene totus concurrebat cum A. V.* 714. Præmiſerat vero non eſſe certum quanto tempore *Calvinus* ac *Pollio* fuerint conſules, cum Triumviri conſulatus tempora magiſtratibus pro arbitrio definire conſueverint. Verum ex *Dione* ac vetuſtis inſcriptionibus *Tornielli* dicta refelluntur. Dio *lib.* XLVIII. circa Decembrem A. V. 714. ait: *Interea temporis, etſi jam in exitu erat annus, abrogato Prætoribus & Conſulibus magiſtratu, alios iis ſuffecerunt, nihil curantes quod ii paucos dies eſſent cum ea dignitate futuri. Fuit inter eos qui tum conſules facti ſunt L. Cornelius Balbus Gadibus natus &c.* Lapis vero Colotianus tum ordinarios conſules *Calvinum* ac *Pollionem*, tum ſuffectos ita deſignat apud Gruterum *pag.* 298.

CN. DOMITIVS M. F
141 C. ASINIVS. CN. F
sVF. L. CORNELIVS. L. F. SVF. P.
CANIDIVS. P. F

Habemus *P. Canidium* alterum conſulem ſuffectum, quem *Dionis* hiſtoria non nominat. Quamvis vero Triumviri tempus conſulatus pro arbitrio diſponerent, numquam tamen fecere, ut prioris anni conſules ultra ſequentes Kalendas Januarias magiſtratum continuarent. Hinc in faſtis Capitolinis ipſis Kal. Januariis anni inſequentis V. C. 715. *L. Marcius Cenſorinus* conſul dicitur triumphaſſe, ut ſuperius oſtenſum eſt. Porro *Calvini* & *Pollionis* conſulatus continet partem anni quarti *Olympiadis* 184. & à ſolſtitio æſtivo uſque ad ſuffectos conſules *Balbum* ac *Canidium* initium Olympiadis 185. uti recte dicebat *Baronius*, quem *Torniellus* ſatis infeliciter ibidem impugnat. Hactenus de aliorum anachroniſmis in aſſignando initio regni *Herodiani.* Nullus enim hucuſque characterem chronologicum, quem ludi Apollinares *Agrippæ* prætori ſuppeditant, obſervavit, quo tamen à me primum, abſit verbo invidia, deſignato, regni *Herodis* initium circa Octobrem contigiſſe convincitur.

Herodes ſeptimo die poſtquam *Romam* fugitivus advenerat, ne ſomniata quidem ſibi, quod celeritatem attinet, felicitate, Rex inde diſcedens, proſpera navigatione uſus, *Ptolomaidem* appulit, ac ſibi noto dudum milite ſtatim collecto, amicis etiam operam atque opes conferentibus, per *Galilæam* ad matrem, uxorem, reliquamque familiam, quæ ab *Antigono* apud *Maſſadam* longiori obſidio premebatur, liberandam properavit. Interea *Ventidius* ab *Antonio* poſt initam cum *Cæſare* apud *Brunduſium* concordiam, in *Aſiam* miſſus, in *Syriam* advenerat, cui *Antonius*, literas deferente *Dellio*, injunxit, ut *Herodem* regem ab Senatu declaratum, ejecto *Antigono*, in *Judæorum* regnum deduceret. Is quod adverſus *Labienum* ac *Parthos* expeditionem parabat, *Popedium Silonem* cum copiis in *Palæſtinam* miſit, jubens ut agmina cum *Herodianis* conjungeret. *Herodes Maſſada* obſidione liberata, auxiliaribus *Romanorum* copiis aucto exercitu, *Hieroſolymam* recta contendit, regiam urbem imparato hoſti erepturus. Verum ne obſidionem inciperet, *Silonis* milites fecere, *cum & pecuniam in alimenta flagitarent, abducique ſe in hiberna ad commodiora loca poſtularent.* Quare caſtra movens, *Hierichuntem* ab incolis deſertam cepit, ac *Romanis* in prædam conceſſit. Hæc Joſephus *lib.* XIV. *cap.* 27. addens: *Rex vero relicto in ea præſidio reverſus eſt, & Romanum exercitum hibernatum in recens deditas regiones dimiſit. Antonius* vero ac *Cæſar*, cum Urbs fame premeretur, *Sex. Pompejo* numeroſa claſſe impediente, ne commeatus *Romam* adveherentur, populi *Romani* convi-

A ciis coacti, pacem cum eodem *Pompejo* fecerunt, qui in colloquium cum Triumviris venerat. Conditiones recitant Dio *lib.* XLVIII. & Appianus *lib.* v. *pag.* 713. *Sextus* in *Siciliam* reverſus eſt; *Antonius* vero una cum Cæſare terreſtri itinere in urbem rediit, ac paulo poſt ex Italia diſcedens, *hibernavit Athenis cum Octavia, ſicut ante* (anno ſuperiori) *Alexandriæ cum Cleopatrâ*, uti ſcribit Appianus cit. *pag.* 716. Habemus igitur primam hiemem, poſtquam *Herodes* à *Romanis* regnum obtinuit. Plutarchus in *Antonio: Mandata*, inquit, *Cæſari rerum ſuarum cura, ipſe ex Italia* 142
migravit, Octavia uxore, quæ jam filiolam pepe-
B *rerat, uſque in Græciam comitante. Ibi cum Athenis hiemaret, afferuntur lætiſſimi nuntii, Ventidium profligatis Parthorum copiis, Labienum & Pharnapatem bellicoſiſſimum Orodis regis Ducem occidiſſe. Antonius Octaviam Cæſaris Octaviani* ſororem, pace apud *Brunduſium* facta, uxorem duxerat ex *Marcello* nuper defuncto viro *prægnantem*, ex Dione *lib.* XLVIII. quæ conſulto adnotata volui, ne cum circa initia Octobris, vel exitum ſaltem Septembris compoſitam inter Triumviros pacem adſtruxerim, eamque nuptiis *Octaviæ* firmatam, per hiemem filiolam *Octaviæ* natam legens apud *Plutarchum*, ex *Antonio* ortam
C putaret, & inde initum matrimonium aliquot ante Octobrem menſibus arbitraretur. Ex laudatis tamen *Plutarchi* verbis infero *Ventidium*, miſſo cum auxiliaribus copiis in Judæam *Silone*, circa exitum autumni ſignis cum hoſte collatis, *Parthos* ac *Labienum* ſuperaſſe, cum victoriæ nuntium *Antonius Athenis* hibernans acceperit.

Annum V. 715. Julianum VII. *L. Marcius Cenſorinus* ac *C. Calviſius* conſules aperuere, ipſas vero Kalendas Januarias *Cenſorinus* non conſulatu tantum, verum etiam triumpho illuſtravit. *Antonius* vero *Athenis* in alterum mutatus, relicto
D imperatorio cultu ac *Romana* toga, more Græcorum palliatus, abſque inſigniis Triumviratus, duobus amicis, totidemque famulis comitatus, *Athenienſium* profeſſorum ſcholas frequentabat. Bacchi ſibi nomen impoſuit, ac deſponſata ſibi ab *Athenienſibus* Minerva, nuptias cum eo celebrandas juſſit, ut earundem conciliatores dotis nomine quadragies ſeſtertium, hoc eſt, centum millia ſcutatorum ſolverent. Scribit vero Appianus *pag.* 716. *deſinente vero hieme* (λήξαντος δὲ τοῦ χειμῶνος) *tanquam alius factus ad priſtinum cultum rediit, perſonamque mutavit; rurſumque circa fores obverſabantur lictores, duces, & ſatellites, omnia ad terrorem compoſita.* Interea *Pacorus* O-
E *rodis Parthorum* regis filius, ut acceptam anno ſuperiori à *Romanis* cladem ulciſceretur, copiis ex hibernis eductis, contra *Ventidium* iter intenderat. Hæc ubi *Ventidius* accepit, non levi metu perculſus eſt, cum neque urbes eſſent adhuc in *Romanorum* amicitia confirmatæ, *& exercitus in hibernis etiamnum diſperſus*, uti ſcribit Dio *lib.* XLIX. Quare ut properanti *Pacoro* moram injiceret, ac tempus colligendis copiis nanciſceretur, hac fraude uſum tradunt *Dio* laudatus ac Frontinus *lib.* I. *de ſtratag. cap.* I. *Chauno* cuipiam regulo, quem occulte *Parthis* ſtudere noverat, quam-
F vis ſe *Romanorum* amicum ſimularet, inter familiaria colloquia ſignificavit vereri ſe, ne barbari omiſſo breviori tranſitu *Euphratis* prope *Zeugmam*, ubi colles *Romanis* legionibus ad *Parthorum* numeroſiorem equitatum de ſuperiori loco propulſandum, percommodi ſurgebant, inferius flumen, injectis pontibus, tranſirent, ubi lata planicies ad equeſtrem pugnam commodior prætendebatur, in qua legiones *Romanæ* tot millium cataphractorum equitum impetum ſuſtinere non poterant. *Chaunus* per ſecretos nuntios rem *Par-*

this significavit, qui longiori circuitu ad *Euphra-
tem* descendentes, multum temporis consumpse-
runt. Auctor est *Frontinus Parthos* quadraginta
amplius dies construendis pontibus impendisse;
ibi enim *Euphrates* latissimo alveo fluebat. Hac
igitur arte *Ventidius* parte exercitus, qui in *Cap-
padocia* ultra *Taurum* hiemaverat, ceteris copiis
adjuncta, motisque castris, in Cyrrhesticos cam-
pos perrexit, ac *Parthos* fluvium transire passus
est, quo timoris opinionem illis injiceret. Signis
143 postea collatis, iterumque metu simulato, jussit
legionarios quasi hostilium sagittarum nimbis con-
fixos procumbere, ac in hostem victoriæ opinio-
ne securum, ac spe prædæ laxatis ordinibus ir-
ruentem, insurgere. Ita consilio primum ducis,
dein militum manu victi, ac fugati *Parthi*, toto
inter *Orontem* atque *Euphratem* spatio lata strage
ceciderunt, viginti millibus una cum *Pacoro* in
acie desideratis. Dio *lib.* XLIX. *Videbatur*, inquit,
*Crassi calamitatem Pacorus abunde compensasse, præ-
sertim cum eadem anni die utraque res evenisset.* I-
dem testantur Latini scriptores *Sex. Rufus* in Bre-
viario, ac Eutropius *lib.* VII. At *M. Crassus* VI. I-
dus Junii à *Parthis* cæsus fuit ex Ovidio *lib.* VI.
fastorum die octava Junii; ibi enim descriptis so-
lemniis *Vestæ*, quæ ea die celebrabantur, ait:

Scilicet interdum miscentur tristia lætis:
Nec populum toto pectore festa juvant.
Crassus ad Euphratem aquilas, natumque, suosque
Perdidit; & leto est ultimus ipse datus.

Hoc autem anno 715. ab V. C. insignem hanc *P.
Ventidii* victoriam contigisse colligo ex *Plutarcho*,
qui cum narrasset quæ *Antonius Athenis* egerat, ait:
*Inde ad bellum proficiscens, sertum excerpit è sacra
oliva, & ex clepsydra vas aquæ plenum secundum
quoddam oraculum secum tulit. Interea Pacorum Re-
gis filium una cum magnis Parthorum copiis in Syriam
irrumpentem, Ventidius in Cyrrhestica delevit. Tor-
niellus* hanc *Parthorum* cladem recenset anno V.
716. *Claudio Pulchro* & *Norbano Flacco* Coss. *Dio*
quidem, ne *Parthicis* rebus *Italicas* misceret, *lib.*
XLIX. cum recitasset necem *Sex. Pompeji*, quæ con-
tigit A. V. 719. ineunte, orditur bellum à *Ventidio*
contra *Parthos* gestum. Verum illud prœlium
ipsius *Dionis* testimonio incidisse in annum Urbis
715. aperte monstratur. Nam ait statim ab *Antonio
Ventidium* præfectura privatum, neque tunc, ne-
que deinceps illum ulla re ejusdem opera usum
fuisse. *Cajus autem Sosius*, inquit, *Syriæ & Ci-
liciæ ab Antonio præpositus*, Aradios expugnavit,
ac *Hierosolymam* una cum *Antigono* rege cepit;
tempus vero designans, ait: *Id factum Claudio &
Norbano consulibus.* Quare cum hi magistratum
gesserint A. V. 716. eo anno *Sosius* erat legatus
Antonii in *Syria*; anno vero superiori 715. *Ven-
tidius* eandem *Syriam* administrabat, quo etiam
anno *Parthos* insigni clade profligavit. *Ventidius
Parthis* devictis, eaque victoria *Syriæ* urbibus in
Romanorum amicitia confirmatis, legiones in *Com-
magenam* duxit, ac *Antiochum* ejus regionis Re-
gem *Samosatis* obsedit. Cum vero *Antiochus* mil-
le se talenta daturum, ac jussa prompte facturum
polliceretur, jussus est à *Ventidio* legatos ad *An-
tonium* mittere; *nam is jam prope aderat, nec per-
mittebat Ventidium rem cum obsessis transigere, ut
saltem hoc unum suum, & non Ventidii factum vi-
deretur.* Plutarchus in *Antonio*.

Redeo ad *Herodem*, cujus res *Romanis* scripto-
ribus omissas, *Josephus* descripsit, sed quæ plu-
rimum lucis, quod chronologiam attinet, ex
Romanorum gestis recipiunt. Scribit *lib.* XIV. *cap.*
27. *Eodem tempore Antonius morabatur Athenis.
In Syria vero Ventidius Silonem accersens contra Par-
thos, jussit primum Herodi navare operam, deinde
ad proprium bellum excire provinciales auxiliarios.*

A *Silo* tamen cum iis copiis, quas in vicinia colle-
gerat, *Ventidii* de summa rei cum *Parthis* dimi-
caturi, castra secutus est. *Herodes Romano* mili-
te destitutus, contra latrones, qui locorum fidu-
cia freti, provinciam cædibus ac rapinis infesta- 144
bant, profectus est. Legatur *Josephus*, qui sta-
tim in eodem *cap.* 27. addit: *Interea cæso in pugna
Pacoro, & Parthis profligatis, Ventidius Herodi
in auxilium mittit Machæram cum duabus legionibus
& mille equitibus, jubente hoc Antonio.* Cum ve-
ro *Machæra* dolorum *Antigoni* ignarus, bellum
suo ipsius arbitrio administrare vellet, & *Herodis*
consilia admittere recusaret, hic *properavit ad
B Antonium oppugnantem Samosatam sitam ad Euphra-
tem fluvium ducens auxiliares tam equites quam pe-
dites.* Idem ibidem. Scribit vero Plutarchus de
*Samosatenis: Ob desperationem in audaciam versi,
diu Antonium oppugnationi intentum tenuere.* Ita
obsidium in adultam æstatem protractum est. Se-
quitur *Josephus: Antiocho autem paulo post urbem
dedente, & hoc pacto finito bello, Sosio provinciam
Antonius cum exercitu tradidit: cap. eodem* 27. *He-
rodes* summo cum honore ab *Antonio* dimissus, qui
advenientem etiam pari comitate exceperat, apud
Daphnem Antiochiæ intellecta nece fratris *Jose-
phi*, acceptis ab *Antonio* duabus legionibus, quæ-
C dam oppida vi cepit ac diripuit; dein cum *Pappo
Antigoni* duce signa contulit, atque hostes ad in-
ternecionem cæcidit; eodemque victoriæ impe-
tu ad expugnandam *Hierosolymam* exercitum du-
xisset; εἰ μὴ χειμὼν ἐπέσχε βαθὺς, inquit *Jose-
phus*; hoc est: *nisi eum hiems aspera prohibuisset.*
Interpres vertit: *nisi repente valida tempestas ir-
ruisset.* Recte tamen *lib.* I. *belli Jud. cap.* 13. ubi
eadem historia repetitur, hæc Græca *Josephi* ver-
ba: εἰ μὴ χειμῶνι διεκωλύθη σφοδροτάτῳ, interpre-
tatur: *nisi vehementi hieme prohibitus fuisset:* Post
tredecim vero versus scribit: λήξαντος δὲ τοῦ χειμῶ-
νος, *&c.* Latine reddit interpres: *Post hæc ubi
D tempestas desævit, moto inde exercitu, venit Hiero-
solymam, & castra prope urbem metatus est, anno
tertio postquam Romæ rex declaratus fuerat.* Hic
quoque ambigua vox χειμῶν interpretem in erro-
rem induxit. At in *libro* I. *belli cit.* ubi eadem
narrans ait: λωφήξαντος δὲ τοῦ χειμῶνος, optime le-
git: *Ubi autem rigor hiemis cessit.* Equidem hie-
mem instasse rerum eo anno gestarum series evin-
cit. Mense Junio *Ventidius* cum *Pacoro* conflixit,
cum *Antonius Athenis* in *Asiam* transmissurus esset,
qui mense Julio in castra apud *Samosatam* venit.
Obsidium vero diu perdurasse auctor est *Plutar-
chus*; etenim cives obstinata defensione eo rem
E adduxere, ut *Antonius* oppugnatione omissa, tre-
centis dumtaxat talentis turpiter acceptis, ab ob-
sidione desisteret. Igitur usque in autumnum
obsidium protractum fuit. Cum vero *Herodes*,
deditis *Samosatis*, *Antonium Antiochiam* usque
prosecutus, binis ab eodem legionibus acceptis,
in *Palæstinam* venerit, ac quinque oppida haud
magni momenti, ac proinde *Josepho* nequidem
nominata, cepisset, inito cum *Pappo* certamine,
superior evasit. Harum rerum series exitum *Au-
tumni* indicat, ac propterea vox χειμῶν apud *Jo-
sephum* non subitam aeris procellam, sed hiemem
instantem designat. Ex his intelligimus bis hie-
F mem contigisse ab accepto regno ab *Herode* ad
obsidium *Hierosolymæ*, quod statim post alteram
hiemem exactam, Josephus *cap.* 28. fuse descri-
bit. Cum autem constet *Herodem* per autumnum
A. V. 714. regem *Romæ* declaratum fuisse, eviden-
ter ipsius *Josephi* testimonio A. V. 716. *Hierosoly-
ma* ab *Herode* & *Sosio* obsessa est. Ceterum idem
historicus obsidionem celeberrimæ Urbis narrans,
ait Herodem *ubi hiemis rigor cessit*, castra prope
Hierosolymam metatum, quæ mox propius ad-
mo-

A movit, urbem qua maxime parte oppugnationi obnoxia erat, expugnaturus. Interim dum
145 aggeres, ac turres exstruuntur, in *Samariam* divertit, ducturus in uxorem *Mariamnem Aristobuli* regis neptem, celebratisque nuptiis, in castra reversus est. *Sosius* etiam *Antonii* in *Syria* legatus cum undecim legionibus ac sex millibus equitum per *Phœniciam* iter faciens, *Herodis* exercitui se junxit. Intus certatim *Judæi* resistebant, *templum Domini* jactantes, ac populo prospera ominantes. Interim tres aggeres operariorum frequentia absoluti erant, *æstas enim erat, & opus fervebat, nulla interturbatum aëris intemperie.* Machinis vero admotis muri quati B cœperunt, obsessi nova intus mœnia exstruebant, quibus pariter expugnatis, *Romani* in urbem irruperunt. Annum ac diem captæ urbis *Josephus* describens ait: *Ea clades Hierosolymorum incidit in consulatum M. Agrippæ & Canidii Galli, Olympiade CLXXXV. mense tertio, in Jejunii solemnitate: tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Judæis à Pompejo calamitate post annos viginti septem.* In fine *lib.* XIV. *M. Agrippa* & *Caninius Gallus* consulatu functi sunt A. V. 717. *Dio* vero in superioris anni 716. consules *Hierosolymæ* expugnationem retrahit *lib.* XLIX. scribens: *Id factum Claudio & Norbano Consulibus. Anno inse-* C *quenti nihil memoratu dignum à Romanis in Syria actum est. Nam Antonius in Italiam eundo, ac inde revertendo, totum annum exegit. Sosius Antonii, non suam gloriam aucturus, metu invidiæ iræque ejus, ita id tempus consumpsit, ut non quomodo re aliqua egregie gesta Antonium offenderet, sed quomodo otiatus ejus gratiam iniret, cogitaverit.* Petavius *lib.* X. *doct. temp. cap.* 66. putat apud Dionem *in consulatu errorem esse*, ac scribendos *Agrippam* & *Canidium.* Errat vir eruditus; nam *Dio* addit, *anno insequenti nihil memoratu dignum in Syria gestum*, quod eum annum inutili navigatio- D ne in *Italiam Antonius* exegit. At admissa correctione *Petavii*, nempe posito consulatu *Agrippæ* ac *Caninii* V. C. 717. annus insequens erit ejusdem urbis 718. quo anno *Antonius* bellum *Parthis* inferens, periculosam expeditionem suscepit, quam in eadem pagina *Dio* narrare incipit. Præterea A. V. 718. non *Sosius*, sed *L. Munatius Plancus* erat legatus *Antonii* in *Syria*, ex Appiano *lib.* V. *bel. civ. pag.* 753. At *Dio* post recitatos consules *Claudium* ac *Norbanum*, statim addit *Sosium* anno insequenti otiosum legatum *Antonii* in *Syria* egisse, cujus etiam facti causas adducit. Igitur *Dio* nulla indiget correctione, ac plane constat ejus chronologia de expugnatis à *Sosio* E *Hierosolymis Claudio* & *Norbano* Coss. A. V. 716. qui cum ex incorruptis *Romanorum* monumentis atque annalibus scripta concinnarit, rectam ubique chronologiam eundem secutum videmus. Quare integram eidem fidem quod annum captæ *Hierosolymæ* commodemus necesse est. *Josephi* vero metachronismum aliosque errores ostendam. Nam scribit urbem expugnatam in consulatu *M. Agrippæ* & *Canidii Galli.* *Canidia* gens *Romæ* à *Caninia* erat diversa, ac recte Dione in indice *lib.* XLVIII. collega *Agrippæ* dicitur *L. Caninius L. F. Gallus*; etenim *Gallus* erat cognomen gentis *Caniniæ*. *Valerius Maximus Caninium Gallum C.* F *Antonii* generum laudat *lib.* XLVIII. *cap.* 2. Ciceroni *lib.* II. *fam. epist.* 8. memoratur *Caninius Gallus.* Doctissimus idemque amicus noster Patinus *in notis nummariis ad caput* 21. Suetonii *de vita Augusti* numisma producit cum epigraphe L. CANINIUS GALLUS IIIVIR. Præterea peccat *Josephus*, uti eruditis antea adnotatum est, in annis supputandis à captis *Hierosolymis* à *Pompejo*, usque ad eandem urbem iterum à *Sosio* expugnatam, scribens eosdem fuisse viginti septem completos. *Pompejus Hierosolymam* in potestatem 146
P. R. redegit *C. Antonio* ac *Tullio Cicerone* Coss. ex eodem Josepho *lib.* XIV. *cap.* 8. & Dione *lib.* XXXVII. nempe A. V. 691. Si vero dicatur eadem rursus capta *M. Agrippa* & *Caninio Gallo* Coss. A. V. 717. anni tantum sex supra viginti inter utramque expugnationem numerantur. Sed in anno *Josephum* errasse mihi pariter compertum est. Nam ex ipsius scriptis *Herodi* ab accepto regno à *Romanis* A. V. 714. ad captam *Hierosolymam*, una tantum & altera hiems exacta colligitur, quod miror neminem hucusque observasse. Igitur anno Urbis 716. *Herodes Hierosolymam* armis occupavit. Rursus monstratum est *Herodem* A. V. 715. *Samosatis* in *Palæstinam* reversum, quinque parva oppida nullo negotio occupasse, ac signis cum *Pappo Antigoni* duce collatis, insignem victoriam reportasse. Quæ autem A. V. 716. gessit? *Josephus* post illam pugnam scribit prohibitum Herodem *hiemis asperitate*, ne *Hierosolymam* obsideret, quam demum corona militari vallavit, expugnavitque *M. Agrippa* & *L. Caninio* Coss. si *Josepho* fides præstatur; ac proinde toto A. V. 716. *Herodes* positis armis, ansatus domi sedit, ac *Sosius* cum XI. legionibus otiosus in *Syria* fuit; cum tamen *Dio* scribat altero A. 717. ob memoratas causas, *Sosium* otio indulsisse. Hactenus mihi videor ex scriptoribus *Romanis* ac ex ipsius *Josephi* scriptis, hujus auctoris metachronismum de captis ab *Herode Hierosolymis* demonstrasse. Existimo annum Sabbaticum *Josepho* errandi occasionem dedisse; siquidem initio *lib.* XV. describens rapinas, quas paulo post captam urbem, *Herodes* faciebat, ac annonæ caritatem, qua cives vexabantur, ait: *Agri inculti manebant propter tempus anni Sabbatici, quo nobis non est fas serere.* Annus Sabbaticus inchoatus fuit A. V. 716. mense *Thisri*, qui Septembris parti respondet: exiit vero anno evoluto V. C. 717. *M. Agrippa* & *Caninio Gallo* Coss. ut ex perpetua annorum Sabbaticorum observatione eruditi chronologi tradiderunt. *Josephus* annum captæ urbis illum putavit, quo annus Sabbaticus exibat, cum reapse fuerit A. V. 716. quo paulo post urbem expugnatam, Sabbaticus inchoatus est. Ita etiam scripsit Herodem *anno tertio postquam Romæ declaratus fuerat Rex*, castro prope *Hierosolymam* metatum, cum *altero anno* scribere debuisset.

Ex hac chronologia qua initia *Herodis* regni à *Romanis* accepti, atque annum redactæ ab eodem suam in potestatem *Hierosolymæ*, capto, ac paulo post occiso *Antigono* Rege, in bono lumine collocavi, ad exitum regni ejusdem transeundum est. Josephus *lib.* I. *de bello Jud. cap.* ultimo scribit illum decessisse, annos quidem *quatuor ac triginta ab interfecto Antigono, regno potitum*; *triginta vero & septem, postquam Rex à Romanis designatus est.* Illum vero obiisse circa festum Paschatis ex ejusdem scriptoris narratione colligitur. Regnum obtinuit A. V. 714. mense Octobri; *Antigonus* vero juxta *Josephi* opinionem A. V. 717. occisus fuit. Igitur A. V. 751. à palilibus annum agebat prope Pascha regni à *Romanis* accepti XXXVII. à morte autem *Antigoni* XXXIV. Hæc autem firmantur chronologia etiam ejusdem successorum. Mortuo *Herode*, ejusdem filii *Romam* ad *Augustum* transmiserunt de successione in paternum regnum secum invicem litigantes. *Augustus Archelaum, Herodem Antipam*, ac *Philippum*, tres in partes paterno regno diviso, Dynastas instituit. Mortem *Philippi* narrat postea Josephus *lib.* XVIII. *cap.* 6. scribens illum è vita migrasse anno imperii *Tiberii* vicesimo, cum ipse præfuisset *triginta septem annis Trachonitidi*, & *Gaulonitidi*, ac *Ba-*

taneæ. Anno Urbis 787. die 19. Augusti, *Ti-*
147 *berius* annum imperii vicesimum explebat. *Philippus* vero ante duos fere menses annum regni trigesimum septimum inchoaverat. Idem Josephus *lib.* XVIII. *cap.* 3. narrat *Philippum Bethsaidæ* vicum splendidis ædificiis in speciem urbis exornasse, *quam*, inquit, *Juliæ Cæsaris filiæ cognominem esse voluit.* At *Julia* ab *Augusto* patre A. V. 752. in exilium deportata, nequaquam eos honores à *Judæo* Tetrarcha tulisset. Hinc A. V. 751. *Philippus*, mortuo *Herode* patre, parti regni paterni imperabat. Hæc dudum *Keplerus* adnotaverat in libro de Natali Christi. Neque reponi potest eo loci *Liviam* nomine *Juliæ* venire, quæ testamento *Augusti* in filiam ac familiam *Juliam* adoptata fuit, de eadem Vellejo *lib.* II. scribente: *quam postea conjugem Augusti vidimus: quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam*; unde & *Josepho*, etiam cum viveret *Augustus*, *Julia* nominatur. Hæc, inquam, dici nequeunt; nam ibidem *Josephus* ait *Herodem Philippi* fratrem, urbem etiam *Juliada ab uxore Imperatoris* appellasse: *Liviam* uxorem *Augusti* à *Julia* ejusdem filia paucos intra versus manifeste distinguens. Annus idem obitus *Herodis* ab annis regni *Archelai* ejus filii rursus ostenditur. Josephus *lib.* II. *belli Jud. cap.* 6. de eodem ait: *Nono principatus sui anno, legatis contra se ab utrisque ad Cæsarem missis, ipse quidem in exilium pellitur Viennam Galliæ civitatem.* Ibi etiam *Archelai* somnium narrat, nempe visas illi fuisse per quietem *novem spicas plenas & maximas à bobus comedi*; atque *Simonem Essenum* hanc somnio interpretationem dedisse: Regnaturum quidem illum esse tot annos, quot significasset numerus aristarum. Et statim: *Hisque auditis, Archelaus quinque diebus post ad causam dicendam est evocatus.* Dio vero *lib.* LV. ad consulatum *Manii Æmilii Lepidi* & *L. Arruncii* V. C. 759. ait: *Herodes Palæstinus à fratribus accusatus, trans alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta.* Anno V. C. 751. à palilibus, ante Pascha mortuo *Herode Archelaus* succedit, novies spicæ maturarunt ab eodem anno ad A. V. 759. Igitur *Archelaus* reapse patri demortuo successit A. V. 751. ac nono anno suæ Ethnarchiæ currente, regno exeunte Autumno privatus, *Viennam* in exilium deportatus fuit. *Baronius* ad annum Christi decimum sextum, *Augusti* imperantis 57. V. C. 767. scribit eo anno *Archelaum Viennam* relegatum fuisse; *Dioni* vero *Josephum* imposuisse, à quo *res Judæorum creditur mutuatus.* Hæc certe admitti non possunt. Nam Josephus *lib.* XVIII. *antiq. cap.* 1. scribit, ditione *Archelai* in fiscum redacta, ac *Syriæ* legato subjecta, missum Equitem *Romanum*, qui ibidem *Cæsaris* procuratorem ageret; ac primum quidem advenisse *Coponium*, qui successorem postea excepit *M. Ambivium*, quo abeunte ex provincia, *Rufus* in eandem missus fuit; eoque *Judæam* regente, *Augustum* imperandi ac vivendi finem fecisse. *Augustus* obiit memorato anno Urbis 767. die 19. Augusti; quare si eodem anno *Archelai* ditio *Romanis* provinciis addita, à *Cæsare* rectores accepit, tres Procuratores intra semestre spatium sibi succedentes ante diem 19. Augusti accepisse. Nec *Dio* ea quæ de *Archelao* relegato scripsit, à *Judæo* historico mutuatus est; non enim *Archelaum* ibidem perperam *Herodem* nominasset, si *Josephi* codicem exscripsisset. Ex *Romanis* Augusteæ ætatis scriptoribus, qui injuria temporum intercidere, illa exscripsit, quorum plerique uti *Livius* ac *Tacitus* per consules rerum *Romanarum* monumenta digesserunt, iidemque semper consueverunt redacta in provincias regna commemorare. *Ricciolius tom.* 1. *Chronol. lib.* VI. *cap.* 14. *num.* 7. scribit *Archelaum* relegatum an-

A no Juliano 57. V. C. 765. quo anno *Coponius* Ju- 148
deæ procurator erat, cui anno insequenti successit *Ambivius*, ac deinde A. V. 767. *Annius Rufus*, quo *Judæam* gubernante, *Augustus* decessit, additque: *Erravit igitur Dio aut qui ejus lacunam supplevit, relegationem Archelai annis quinque, aut sex anticipans.* At Dio lib. LV. ad A. V. 759. scribit provincias populo singulis bienniis rectores accepisse, *cum alioquin Cæsaris provincias iidem multos per annos soliti essent regere.* Unde igitur annua *Judeæ* procuratorum administratio homini fingitur? Sane sub *Tiberio* Gratus XI annos, *Pilatus* vero decem Judæam gubernarunt. Eidem B etiam somniatur eo loci apud *Dionem* lacuna; nihil enim ibidem deest; & ubi ab A. 757. latior lacuna emersit, nullus hucusque eandem implevit; quamvis quædam in excerptis *Valesianis*, & exscriptis à *Zonara* suppleantur. Monstro propius est quod subjicit *Ricciolius num.* 8. ubi arguit *Dionem* falsitatis, quod res diversis annis gestas recitet ad consulatum *Antistii Veteris* ac *Lælii Balbi.* Nam ibidem decem annorum historia intercidit, quam lacunam dudum viri eruditi observarunt, quos inter Baronius in apparatu *num.* 95. quod evidenter patet ex laudatis excerptis, ac ex legat. 39. à *Fulvio Ursino* edita, ibi enim quædam ex C *Dionis* libris referuntur, quæ tamen in ejusdem modo historia desiderantur, in qua consulibus *Antistio* ac *Balbo* succedunt *Cornelius Cinna* ac *Valerius Messalla* Coss. A. V. 758. cum priores A. V. 748. consulatu functi fuerint. Addit *Tiberium Archelao* de successione regni cum fratribus *Romæ* litiganti, patrocinatum fuisse coram *Augusto*, quod probat hisce Suetonii de *Tiberio* verbis *cap.* 8. *Civilium officiorum rudimentis Archelaum, Trallianos, & Thessalos, varia quosque de causa, Augusto cognoscente defendit.* At certum est, inquit, teste *Vellejo Tiberium* ex secessu *Rhodiensi Romam* venisse anno secundo vulgaris Epochæ, Juliano 47. V. C. D 755. quo anno *Archelaus Tiberio* patrocinante, Ethnarchiam ab *Augusto* obtinuit, non vero A. V. 751. aut superiori. Nominis similitudo *Ricciolium* in errorem traxit. Nam *Archelaus*, cujus causam *Tiberius Romæ* defendit, non fuit *Archelaus Herodis* Regis *Judæorum* filius, sed *Archelaus* Rex *Cappadociæ*, uti diserte tradit Dio *lib.* LVII. anno Urbis 769. scribens *Tiberium Romam* ex *Cappadocia* evocasse *Archelaum* regem, *cui erat infensus, quia cum olim sibi is supplicasset, suoque patrocinio usus, cum ab incolis apud Augustum accusatus fuisset, Rhodi se neglexisset &c.* Alios Ricciolii de *Archelao* rege *Cappadocum* errores *cap.* 11. E confutabo.

Recte Cardinalis *Baronius Josephum* antilogiæ incusat, quod cum in *libro* II. belli scripsisset *Archelaum* novem annos regnasse, in libris postea antiquitatum decem annos Ethnarchiæ *Archelao* attribuerit. *Usserius* aliique utrumque componunt, ut illic de nono anno exacto, hic vero de decimo inito intelligatur. Cataplasma huic ulceri inutile. Nam Josephus *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 15. idem *Archelai* somnium narrans, ait: *Visus est sibi videre decem spicas maturas tritico plenas*; tum subjicit *Simonem* interpretatum de decem regni annis, ac dixisse: *Unam futuram æstatem, qua exa-* F *cta, regno depelleretur*; ac quinto postea die à somni interpretatione *Romam* ab *Augusto* evocatum. Qui visus est novem tantum spicas sibi per quietem videre, quod scribitur in libro priori de bello Judaico, neutiquam vidit decem. Spicæ vero totidem æstates, quas Ethnarcha transacturus erat, designabant, hoc est, totidem annos regiminis. *Josephus* fortassis vel legit, vel ab aliis grandioribus natu accepit *Archelaum* somniasse tot 149
spicas vidisse, quot plane annos regnavit, atque hos

hos ab eisdem spicis *Simonis* interpretatione designatos; quamvis numerus præcisus spicarum sibi indicatus non fuerit. Hinc cum in prius abs se editis libris de bello *Judaico*, annos completos Ethnarchiæ *Archelai* vellet designare, novem spicas eidem visas affirmavit. At in libris Originum decimum inchoatum dominii annum numeraturus, unam priori numero spicam addidit. Et quidem in libello de vita sua idem *Josephus* ait ipsius patrem natum fuisse *anno decimo regni Archelai*, ac publicas tabulas appellat. Hinc *Petavius*, *Keplerus*, *Usserius*, quos nuper secuti sunt viri eruditissimi *Henschenius* ac *Papebrochius* loco superius mihi laudato *num.* 10. scribunt *Herodem* obiisse *Calvisio Sabino* iterum & *L. Passieno Rufo* Coss. A. V. 750. quod etiam confirmant eclipsi *Josepho* memorata paulo ante *Herodis* obitum; itemque ex annis decem dominii *Archelai*. At mors *Herodis* non potuit contingere anno V. 750. à parilibus, ante Pascha, immo nec ante exitum Septembris, quia mense Octobri *Herodes* annum regni XXXVI. explebat, quod evidenti chronologia mihi probatum est. *Usserius* ad annum IV. ante æram *Dionysianam pag.* 535. ex *Hebræorum* festis ostendit *Herodem* obiisse die 7. Cislevi mensis, quæ anno V. 750. Novembris Juliani diei XXV. correspondebat. In hac sententia *Herodes* mortuus est altero mense anni XXXVII. Tum *Archelaus* A. V. 759. exeunte anno Juliano LI. Ethnarchia pulsus dicetur, anno principatus decimo inchoato. Et quidem ex illis verbis: *Unam futuram æstatem, qua exacta, regno depelleretur*, circa finem anni regno privatus intelligitur, cum post quinque dies ab *Augusto Romam* ad causam dicendam, evocatus fuerit, ac postremam æstatem *Romæ* sub judice exegerit.

Quicunque de anno Natali Christi Domini scripsere, *Herodiani* etiam regni epocham sibi necessario exponendam duxerunt, ne *Herodes* mortuus videretur, antequam Christus natus esset. Etenim Euangelica fide credimus Magos natum Christum adoraturos, vivente *Herode*, *Hierosolymam* venisse; eundem Regem infanticidium per summam sævitiam imperasse, ejusque iræ Christum à parentibus, maturata in *Ægyptum* fuga, subductum. Baronius in apparatu *num.* CXI. scribit: qui *Josephi* chronologiam de annis regni *Herodis* sibi sequendam proposuerit, *ab Euangelica veritate (proh nefas) declinet necesse est.* At Torniellus sacrorum annalium scriptor ad annum Mundi 4014. num. 6. ait: *Manifestum est dictum Josephi de initio regni Herodis nequaquam sacro Euangelio adversari.* Quod vero animadverto epocham regni *Herodiani* ex triplici ejusdem navigatione in *Italiam* illustrari, de annis earundem navigationum disputationem hoc loco inserendam decrevi, cujus si nulla te, amice Lector, curiositas teneat, poteris eandem una & altera versa pagina, transilire: in quibus tamen Chronologiæ studiosorum oculi hærebunt; istæ enim tricæ ipsorum amores ac deliciæ sunt. Antequam tamen *Herodem* jam regem in *Italiam* primum deducam, quædam eidem gesta paucis prænarrabo. Josephus *lib.* XV. *cap.* 12. describit gravitatem annonæ, quam Palæstina *anno decimo tertio Herodis* passa est, narrans Regem à *C. Petronio* præfecto *Ægypti* magnam frumenti copiam impetrasse. Petronius A. V. 728. in locum *Cornelii Galli*, qui *Romanorum* primus *Ægypto* jus dixerat, successerat ex Dione *lib.* LIII. Hic *Josephus* annos regni *Herodis* à captis, uti putat, A. V. 717. *Hierosolymis* numerat; nam annus XIII. regni à *Romanis* accepti, *Herodi* anno V. C. 727. exierat. Sub-
150 jicit statim Josephus: *Eodem tempore auxilia misit Cæsari quingentos selectos è suo satellitio, quos Æ-*
A *lius Gallus duxit in expeditione Arabica. Ælius Gallus Romanorum* ducum primus Latina arma *Arabiæ* intulit, ex *Dione* A. V. 730. Itaque recte scripsit *Josephus eodem tempore*. Petavius *lib.* XI. *doctr. temp. cap.* 1. ait: *Non est dubium quin Ælii Galli nomen depravate scriptum sit; legendum est Ælius Largus*; uti à *Dione* nuncupatur. Immo non est dubium quin *Petavius* cum *Dione* cognomen *Largi* perperam scripserit. Strabo *lib.* 1. *pag.* 81. ait: *Quin & in Arabiam Felicem Romani jam cum exercitu profecti sunt, ductore Ælio Gallo amico ac sodali nostro.* Et postea: *Quo tempore Gallus Ægypto præfuit, ad ipsum veni.* Plinio *lib.* VI. *cap.*
B 28. idem *Ælius Gallus ex equestri Ordine* laudatur. *Ælii Galli* expeditionem *Arabicam* fusius idem Strabo describit *lib.* XVI. ubi inter auxiliares *Galli* copias recenset *Josepho* similiter *quingentos Judæos*. Idem *Josephus* capite insequenti 13. narrat *Herodem* in loco, cui turris Stratonis nomen erat, novam urbem *Cæsaream* condere inchoasse; & statim: *Hac jam altera urbe post Sebasten inchoata, decrevit Romam mittere filios Alexandrum & Aristobulum, ut salutarent Cæsarem.* Dein quibusdam interjectis, præcipue vero Augustum *excepisse adolescentes summa humanitate*, hæc scribit:
C *Interea in Asiam Agrippa mittitur, administraturus transmarinas provincias pro Cæsare.* Eum, quod esset amicissimus, *Herodes* apud *Mytilenem* cum salutasset, in *Judæam* reversus est. *Agrippa* in Orientem missus fuit A. V. 731. ex Dione *lib.* LIII. Igitur anno superiori V. C. 730. *Cæsarea* condi cœpta est, ac ambo filii *Herodis Romam* missi. Hæc cum non notasset Torniellus ad A. M. 4038. *num.* 2. imprudenter *Josephum* arguit, scribens haud simile vero esse *Herodem* ante filios *Romam* misisse, *quam sciret aut verisimiliter crederet Cæsarem de Asia Romam rediisse. Cæsar Augustus* in *Asiam* profectus est verno tempore A. V. 734, cum in *Samo* insula hiemasset, teste Dione
D *lib.* LIV. cum filii *Herodis* quartum annum *Romæ* jam degerent.

Josephus *lib.* XVI. *cap.* 1. narrat *Herodem Romam* navigasse, ac inde reducem secum filios optimis disciplinis instructos, in *Palæstinam* duxisse; ac statim juvenes ingenti apud *Salomem* amitam invidia laborasse. In capite sequenti recitatis nuptiis, quas iidem filii *Herodis* nobilibus feminis copulati, celebrarunt: ait: *Post hæc audito quod M. Agrippa ex Italia rediisset in Asiam, profectus illo, invitavit eum in regnum suum. Agrippa* iterum in Orientem missus fuit A. V. 738. ut ad eum
E annum testatur Dio *lib.* LIV. Igitur *Herodes* anno superiori V. C. 737. *Romam* transmiserat, ibidem ab Augusto *humanissime tractatus*, ex eodem *Josepho* initio laudati *lib.* XVI. *Salianus* cum in *Josepho libro primo de bello Jud. cap.* 17. legisset *Herodem* annuos reditus decrevisse pro edendis ludis Olympicis, *eo lustro, quod cum Romam navigaret, offendit*, putavit *Herodem* priori vice cum Rex *Romam* navigavit, ludos Olympicos in *Græcia* offendisse. Hinc scribit *tom* 6. *ad* A. M. 4042. *Olympiade* 192. A. V. 742. *Romam* primum transmisisse, *ut felicem Augusto reditum, & novam Pontificatus dignitatem gratularetur, & cum S. P. Q. R. patrem patriæ salutaret*; hoc enim titulo eo
F demum anno *Augustum* appellatum existimat. Ibi laudat *Torniellum Josephi* anachronismum refellentem, quod hic iter *Romanum Herodi* susceptum eo anno asseveret, quo *Augustus Roma* aberat. Miror hunc scriptorem adeo secure chronologiam navigationum *Herodis* suo in cerebro fingere, relicto Auctore, qui ejusdem regis nepotibus convixit, ac commentarios de 151
illius vita sincere ac diligenter conscriptos evolvit. Anno V. C. 736. & 737. *Augustus Romæ* substi-

tit, teste *Dione* in libris annalium. Sane A. V. 737. *Cæsares* nostros adoptavit; anno vero insequenti exhibitis in Urbe ludis, *Roma* discessit, cum prius eodem anno *Agrippam* in Orientem misisset. Sed antequam *Agrippa* Orientalibus iterum provinciis præficeretur, *Herodes* filios *Roma* in regnum reduxerat, ac ex ingenti ac nimium noto patris erga eosdem amore *Salomæ* livor erupe-rat, atque uterque uxores jam duxerat. Itaque iter primum *Herodis* ante secundum adventum *Agrippæ* in *Asiam* contigit A.V.737. vel forte superiori; utroque enim *Augustus Romæ* degit. Quod vero *Salianus* addit de titulo patris patriæ A. V. 742. vel ut ipse juxta Capitolinas tabulas supputat 741. *Augusto* delato, falsissimum esse, inferius *cap.* 7. evidenter demonstrabo. At *Torniellus* ea scripsit, quæ cum primum legi, non potui non mirari hominis anti-historias, & pinguissimos anachronismos. Profecto ne quidpiam *Torniello* affingere videar, quæ scribit, sub ipsius verbis ponam. Is igitur ad A. Mundi 4037. V. C. 737. num.7. ait: *Eodem item circiter tempore, ut credimus, Herodes, ut primum cognovit Cæsarem de Syria, Asiaque Romam rediisse incolumem, quod non nisi per hæc circiter tempora contigisse inferri potest, misit Romam filios suos ex Mariamne genitos Alexandrum & Aristobulum.* Dein anno insequenti Mundi 4038. V.C.738. scribit num. 2. *Eodem anno quo Cæsar Romam rediit, M. Agrippa iterum venit in Asiam, ad quem salutandum & invitandum protinus cucurrisse Herodem, dubitare nemo debet; ergo necesse est, quod Herodes longe prius reduxerit Agrippam de Asia, quam filios suos è Roma. Nemo igitur miretur, si nos in hisce rebus Herodis recensendis, non sequamur ordinem, quo hæc eadem ab ipso Josepho sunt tradita.* Denique ad A. M. 4040. V.C. 740. ait: *Eodem, ut arbitror, anno, qui erat quartus, ex quo miserat Romam filios, Herodes navigavit in Italiam, salutatum Cæsarem, à quo humanissime tractatus, filios domum reducendos recepit.* Superius vero A.M.4035.num. 2.dixerat ea quæ *Josephus* narrat in octo prioribus capitulis *lib.* XVI. *Antiq.* esse *confuse tradita. Nos autem*, addit, *ea satis probabiliter suis locis ac temporibus adnotabimus.* Hæc Torniellus. Singula in examen vocemus, inspecturi num *satis probabiliter* dicta sint; ac suppono eundem, ut contestatur ad A. M. 3300. pag. 158. *æram ab Urbe condita Varronianam*, cum *Dione* aliisque sequi. Et quidem quod scribit reditum *Cæsaris* ex *Asia* ac *Syria Romam* contigisse A.V.737.quo intellecto, *Herodes* filios *Romam* misit, metachronismum sapit. Nam *Augustus*, cum ineunte A. V. 735. alter consul collega *C. Sentii Saturnini* per seditionem comitiorum creari non posset, *Q. Lucretium*, inquit Dio *lib.* LIV. *consulem designavit, ac ipse Romam contendit.* Quæ eo anno ibidem egerit Imperator, ex eodem Scriptore intelliguntur. Anno etiam insequenti 736. *Romæ* substitit, ac examen Senatus habuit, leges etiam promulgavit laudato *Dioni* memoratas. At *Torniellus* in annum V. 737. reditum *Augusti* protrahit, vel eo certe anno Imperatoris reditum *Herodi* innotuisse imaginatur, ut tabellarii tardiores quam cucurbitæ in mari, nuntium de *Augusto* in *Italiam* reverso, *Herodi* in *Palæstinam* attulerint. Itaque si *Herodes Augusti Romam* reditum expectabat, antequam filios in Urbem mitteret, cum ille ante biennium *Romam* reversus fuerit, poterat *Torniellus* ante biennium regios juvenes *Romam* deducere. At nec minus falsa loquitur, cum scribit:
152 *Eodem anno quo Cæsar Romam rediit, M. Agrippa iterum venit in Asiam*; nempe A.M. 4038. V.C. 738. Immo eodem hoc anno Urbis *Augustus*, & *Agrippa Roma* discessere, Urbis custodia *Statilio*

A *Tauro* commissa. Hæc Dio scribit de Augusto: *L. Domitio & P. Scipione Coss. in Galliam profectus est, obtendens causas hujus profectionis bella quæ ibi conturbata essent*; & post duodeviginti versus ait: *Nam statim Agrippam in Syriam miserat.* Qua autem ratione ex his inferatur prius ab *Herode Agrippam* suum in regnum ex *Asia* deductum, quam filios in patriam, plane non video. Hoc tamen scio, perperam regios adolescentulos A. V. 740. ab *Augusto Herodi Romam* advenienti traditos dici, in patriam reducendos. Nam A.V. 738. Imperator *Roma* in *Gallias* profectus, anno demum Urbis 741. reversus est. Hæc Dio scribit *lib.* LIV.

B *Augustus rebus Gallicis, Germanicis, Hispanicisque omnibus confectis &c. Romam reversus est, Tiberio & Quintilio Varo consulibus*, A.V.741. Uterque vero consul ludos pro reditu *Augusti* celebravit, ut ex vetusta inscriptione constat, quam recitavi *cap.* I. Augustus vero, inquit idem Auctor, *Tiberium increpavit, quod ludis votivis, quos pro suo reditu faciebat, Cajo juxta se sedem dedisset.* Et tamen *Torniellus* scribit *Herodem* A.V. 740. Romæ *humanissime tractatum* ab *Augusto*, cum id temporis *Augustus Roma* procul Transalpinas provincias perlustraret. Satius huic homini fuerat *Josephi*, ut cum *Petavio* loquar, *præstantissimi scri-*

C *ptoris* vestigiis insistere, quam sine duce ac præmonstratore, res ante sexdecim sæcula gestas, in literas mittere, ac subinde dicere, *ut arbitror, ut credimus*, quibus vocibus, si in historia condenda, uti liceret, quilibet optimo jure posset novam *Alexandri Magni* vitam describere, procul abire jussis *Curtio* ac *Arriano*. Ego interim *& arbitror & credo* Torniellum, *Josephi* historia, vel saltem ejusdem ordine relicto, bellas fabulas lusisse, quas unus *Josephi* hostis *Salianus* commendet. Idem autem *Salianus* A. Mundi 4032. Olympiade ineunte 192. V.C. 742. qui juxta tabulas Capitolinas, quas hic Auctor sequitur, est 741.

D scribit *Herodem* ex *Josepho* ivisse *Romam* eo anno quo celebrabantur ludi Olympici, quos inter navigandum offendit, quod non potuit contingere, nisi Olympiade 192. *Non*, inquit, *Olympiade* 190. *quia Cæsar erat in Syria cum Herode. Initio* 191. *ab Urbe aberat.* Rectæ hæ duæ Olympiades *Saliano* excluduntur, ac Annalibus *Dionis* similiter loquitur. Illud tamen errat, quod primum iter *Herodis* recenset anno quo Olympici ludi in *Elide* celebrabantur, quod tamen nusquam scribitur à *Josepho*, quem unum auctorem navigationibus *Herodis* sub ipsis ludis Olympicis habemus; ille

E enim solummodo narrat *Herodem Romam* transmittentem, interfuisse ludis Olympicis. Quare pro arbitrio *Salianus* hoc primum iter regis alligat anno, quo Olympia celebrabantur, cum illi ludi contigerint, ut mox ostendam, cum iterum una cum filiis *Romam* profectus est. At in priori navigatione filios regiis disciplinis excultos, in *Palæstinam* reduxit, quod hoc A. V.742. quo celebrata est Olympias 192. nequaquam evenit. Nam *Josephus* testatur diu antea filios *Herodis* in patriam remeasse, nempe antequam A. V. 738. Olympiade 191. *Agrippa* iterum in *Asiam* veniret. Præterea *lib.* XVI. *cap.* I. & 2. nuptiis filiorum recitatis,

F alterum *Agrippæ* in *Asiam* adventum recenset, qui contigit A.V.738. In *cap.* 3. narrat *Herodem* perrexisse ad *Agrippam* bellum in *Bosphoro* gerentem. Hoc bellum ejusque originem atque exitum paucis describit *Dio* A.V.740. In *cap.* 4. recensetur oratio à *Nicolao Damasceno*, jussu præsentis *Herodis* ad *Agrippam* pro *Judæis* contra *Asiaticos* habita, cum ipsi ex bello Bosphorano in *Samum* venissent. In *cap.* 5. narratur reditus *Herodis* in *Judæam*. Quare tria hæc capita continent gesta *Herodis* A. V.740. In *cap.* 6. dissidia regiæ domus commemorat, ac delationes

lationes contra *Alexandrum* & *Ariſtobulum*, cum cetera inter crimina, *his*, inquit, *affinxerunt Archelaum Cappadocem eis ſpem facere*, *quod ope illius perventuri ſint ad Cæſarem*, *& patrem accuſaturi.* Nempe quia *Archelaus* erat ſocer *Alexandri*, cui filiam *Glaphyram* in uxorem tradiderat. Hinc ſcribit *Herodem* filiis memoratis ſubinfenſum, Antipatrum utroque natu minorem, quem ex altera conjuge ſuſceperat, in aulam accitum, ſummis honoribus decoraſſe, ut ferocientibus filiis æmulum validiorem opponeret. Denique in fine ejuſdem capitis ait: *Et cum navigaret ad ſalutandum Agrippam poſt decennalem adminiſtrationem Aſia deceſſurum*, *ſolum ex filiis Antipatrum ſecum duxit*, *quem ei cum multis muneribus tradidit Romam deducendum.* *M. Agrippa* ex *Aſia Romam* reverſus eſt A. V. 741. & quidem ante hiemen, qui tamen menſe Martio anni inſequentis V. C. 742. morbo interiit; uti fuſe oſtendi *cap.* 2. hujuſce diſſertationis. Et tamen *Salianus* fingit *Herodem* hoc anno, incumbente æſtate, *Alexandrum* & *Ariſtobulum* ſecum *Romam* duxiſſe, jam *Agrippa* demortuo; cum & *Roma* reverſi, ac cum uxoribus juncti fuiſſent, antequam *Agrippa* A. V. 738. iterum Orienti præfectus, in *Aſiam* tranſmitteret. Cum narratio *Joſephi* adeo diſtincta ſit, ac juxta ſeriem rerum ab *Herode* geſtarum *Romanis* ſcriptoribus adeo conformis, *Saliano* A. M. 4044. *num.* 11. dicitur *admodum perturbata eſſe in hac re*; quas ille voces ſibi redditas audiat. Hactenus de anno prioris navigationis ab *Herode Romam* ſuſceptæ.

Contextum hiſtoriæ *Joſephi* proſequamur, ex qua annum ſecundæ peregrinationis in *Italiam* certiſſimis characteribus deſignabo. In capite ſeptimo ſequenti narrat *Antipatrum Romæ* degentem frequentibus literis fratribus inſidias ſtruxiſſe, veritum ne illi, ſe abſente, paternam gratiam, qua exciderant, recuperarent. Accedebant affinium accuſationes, qui moleſte ferebant *Alexandrum* & *Ariſtobulum* materna cognatione tumidos, *Herodis* regis propinquis generis humilitatem exprobrare. Hinc *Herodes* eiſdem indignatus, *decrevit Romam navigare*, *& ibi filios accuſare apud Cæſarem*, *ne propter indignationem videretur parum pius erga filios.* Quo poſtquam pervenit, non inventum ibi *Cæſarem*, *Aquilejam* uſque ad eundem perrexit. In *capite* 8. recitat orationem, qua *Alexander* illata ſibi à patre crimina apud *Cæſarem* confutavit. Addit *Auguſtum* eadem commotum, *Herodem* filiis conciliaſſe; ac ſtatim: *Tum igitur poſt actas Cæſari gratias una diſceſſerunt*, *& cum eis Antipater*, *ſimulans ſe gratulari reverſis in gratiam. Sequentibus deinde diebus Herodes CCC. talentis Cæſarem donavit*, *munera edentem Romæ*, *& congiarium populo dividentem.* Inde ait *Herodem* in regnum reverſum, advocato in templum populo, publice pro concione expoſuiſſe, quæ in *Italia* peregiſſet, ac poſtea concionem dimiſiſſe, quibus verbis octavo illi capiti finem imponit. Tum ſtatim caput nonum ita exorditur: *Per idem tempus perfecta eſt Cæſarea*, *decimo anno poſtquam ædificari cœpta eſt*, *regni vero anno octavo ſupra viceſimum*, *Olympiade* 192. In hac hiſtoria evidenter deſignatur annus V. 742. quod quidem ex rebus *Auguſto* geſtis, vetuſtis inſcriptionibus, ac characteribus chronologicis demonſtro. *Pannonii* A. V. 742. audita *Agrippæ* morte, à quo per hiemem ad obſequium, bello tantum
154 oſtentato, redacti fuerant, iterum rebellarunt. *Auguſtus* contra eoſdem *Tiberium Neronem* cum legionibus miſit. Suetonius in *Auguſto cap.* 20. ſcribit eundem plura per legatos bella geſſiſſe, *ut tamen quibuſdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret*, *aut non longe abeſſet*, *Ravennam*, *vel Mediolanum*, *vel Aquilejam uſque ab Urbe progre-*

A *diens.* Quare memorato A. V. 742. *Pannonico* bello excitato, *Auguſtus Aquilejam* ſe contulit, ut de proximo ſuos Divos, inquit *Horatius*, & auſpicia pugnantibus præberet. In *Pannoniam* per *Aquilejam* iter fit, ſupra quam *Norici* ſunt, *Pannoniis* contermini. Præterea auctor eſt *Joſephus Herodem* ac filios redeuntis *Romam Auguſti* comitatum ſecutos fuiſſe, addens: *Herodes CCC. talentis Cæſarem donavit* θέας τὲ καὶ διανομὰς ποιούμενον τῷ Ῥωμαίων δήμῳ: *ſpectacula edentem*, *& congiarium dividentem populo Romano.* In ſaxis Ancyranis hæc *Auguſti* congiaria recitantur.

B Nomine. meo .... dringenos. ex. bellorum. manubiis. conſul. quintum. dedi. iterum. autem. in. conſulatu. decimo. ex. patrimonio. meo. bis. quadringenos. congiari. viritim. aere. meo. merui. &. conſul. undecimum. duodecim. frumentationes. privatim. columello. emenſus. ſum. & Tribunicia. poteſtate. duodecimum. quadringenos. nummos. tertium. viritim. dedi.

C Duo poſtea inſuper congiaria abs ſe plebi data recenſet; nempe cum DUODECIMUM CONSUL die virilis togæ *Cajo Cæſari* datæ ineunte A. V. 749. ac CONSUL TERTIUM DECIMUM die tirocinii *Lucii Cæſaris* Kal. Januariis A. V. 752. ſexagenos denarios plebi viritim dedit. *Auguſtus* undecimum conſulatum geſſit A. V. 731. duodecimum iniit A. 749. Intermedio ſpatio temporis ſemel tantum congiarium plebi dedit, nempe: TRIBUNICIA POTESTATE DUODECIMUM, cum *quadringenos nummos tertium viritim dedit.* *Auguſtus* A. V. 731. poteſtatem Tribuniciam accepit, & quidem die 27. Junii, uti *Panvinius* omnium primus obſervavit,
D idque ex *Piſanis* noſtris tabulis poſtea monſtrabo. Annum *Dio* etiam prodit ac fragmenta Capitolina, innumeræque inſcriptiones, omnibus eruditis conſentientibus. Igitur A. V. 742. die 27. Junii tribuniciam poteſtatem DUODECIMUM inibat, cum *Aquilejæ* propior bello *Pannonico* ſubſiſteret; unde ob victoriam per æſtatem à *Tiberio* de hoſtibus reportatam, victor *Romam* reverſus una cum *Herode* abs ſe filiis jam apud *Aquilejam* conciliato, plebi congiarium dedit. *Herodes* vero trecenta talenta *Cæſari* donavit, nempe centum & octoginta millia ſcutatorum. Hoc plane
E Ancyrano ſaxo refelluntur anachroniſmi illorum ſcriptorum, qui hanc ſecundam *Herodis* peregrinationem *Romanam* aliis à ſtabilito, annis aſſigunt. Itaque *Herodes* tranſacta in *Italia* æſtate A. V. 742. labente Octobri, in *Judæam* reverſus, acta apud *Auguſtum* populo in concionem vocato ſignificavit. Subjicit ſtatim Joſephus: *Per idem autem tempus perfecta eſt Cæſarea decimo anno poſtquam ædificari cœpta eſt*, *regni vero octavo ſupra viceſimum*, *Olympiade* 192. Error in primis qui in priorem numeralem notam irrepſit, ex ipſomet *Joſepho* corrigendus eſt. Etenim legitur tum in editis, tum in MSS. Mediceis, quæ conſului, 155
δεκάτῳ μὲν ἔτει, *decimo anno* perfectam *Cæſaream*;
F ſed legendum eſſe δωδεκάτῳ conſtat ex libro ſuperiori *capite* 13. ubi ſcribit *Cæſaream* ab *Herode* condi cœptam, eamque poſtea abſolutam δωδεκατῇ χρόνῳ. Et poſt aliquot verſus ait: *Interea in Aſiam Agrippa mittitur &c.* *Agrippa* autem miſſus eſt primum in *Aſiam* A. V. 731. Cum vero *Cæſarea* ante illius adventum in Orientem, exſtrui cœpta ſit, anno ſuperiori V. C. 730. *Herodes* novæ urbis fundamenta poſuit, quæ poſtea δωδεκατῇ χρόνῳ *duodecimo anno* abſoluta eſt. Annus

nus autem duodecimus ab eadem urbe inchoata expletur A. V. 742. quo pariter anno *Herodes* vigeſimum octavum annum regni à *Romanis* V. C. 714. accepti, menſe Octobri complebat, Olympiade 192. quæ cum eo anno acta fuerit die ſeptima *Auguſti*, colligimus *Herodem* id temporis ludis Olympicis inter navigandum *Romam*, interfuiſſe. *Salianus* hanc alteram *Romanam Herodis* peregrinationem toto quadriennio protrahit ad conſulatum *C. Marcii Cenſorini*, ac *C. Aſinii Galli* V. C. anno Varroniano 746. Olympiade 193. *Saliani* tamen errorem *Dio* confutat, qui *lib.* LV. ad annum memoratum de *Auguſto* ſcribit: *Bellum in Germanos molitus, ipſe DOMI ſubſtitit. Tiberius autem Rhenum tranſiit &c.* Ita *Romæ* degens, pomœrium protulit, Sextilem de ſuo agnomine *Auguſtum* appellavit; & quod *Dio* ſiluit, nec *Salianus* advertit, cenſum egit, ac luſtrum fecit, uti patet ex tabulis Ancyranis, in quibus eo anno dicuntur cenſa *Romanorum* civium quadragies centum millia, & ducenta ac triginta tria millia. Nemo neſcit tot millium civium cenſum vix majori parte ejus anni abſolvi potuiſſe; cum in Senatorum vitam inquirendum eſſet, ac mores tot millium equitum *Romanorum* in examen vocandi. His adde nullum eo anno congiarium populo datum, quod tamen contigit, cum *Herodes* Rex iterum in *Italiam* advectus, apud *Aquilejam Auguſtum* convenit, ac cum eodem *Romam* profectus fuit. Denique *Herodes* hac ſecunda peregrinatione peracta, *Cæſaream* dedicavit Olympiade 192. At anno Urbis 746. acta eſt Olympias 193. die 24. Julii. Nec reponi poteſt *Herodem* vere ineunte in *Italiam* profectum, & antequam exiret annus quartus *Olympiadis* 192. in *Judæam* reverſum, *Cæſaream* dedicaſſe. Nam *Saliano* auctore, *Auguſtus* eo anno *Aquilejam* uſque profectus eſt, ut Germanico bello propius aſſiſteret; quare ſi ante Solſtitium *Herodes* cum *Auguſto Romam* reverſus fuit, *Auguſtus* procul à *Germaniæ* confiniis ſeceſſit, cum per æſtatem ardor belli ferveret. Nec numerus annorum regni *Herodis* congruit cum chronologia *Saliani*. Nam A. V. 746. Kalendis Januariis *Herodes* agebat annum regni à *Romanis* accepti triceſimum ſecundum, à captis *Hieroſolymis*, ſive morte *Antigoni* viceſimum nonum. Hæc monſtra loquantur neceſſe eſt, qui *Joſephi* hiſtoria contempta, ſeriem rerum ab *Herode* geſtarum ſuo ſibi in cerebro diſponunt. At reponit *Salianus* anno 746. Imperatoris titulum ex *Dione Auguſto* iteratum fuiſſe, *quod*, inquit, *ridiculum eſſet, ſi ipſe domi reſediſſet.* Vix hoſpes in *Romanorum* Principum hiſtoria tam ridicula pronuntiaret. Cum milites victoriam de hoſtibus reportabant, *imperatoris* titulum *Cæſari* tum rerum potienti deferebant: quamvis ille procul à caſtris *Romæ* id temporis degeret. Cum A. V. 769. Germanicus exercitum *Germanorum* fudiſſet: *Miles in loco prœlii Tiberium* Imperatorem *ſalutavit*, ex Tacito *lib.* II. *Annal.* Cum idem ante biennium demortuo *Auguſto* ſucceſſiſſet, in nummis appellatus eſt IMP. VII. At rurſus à
156 Germanicis legionibus Imperator ſalutatus, inſcribi cœpit IMP. VIII. quod patet ex nummis, atque inſcriptionibus lapidum *pag.* 153. 7. 160. 2. 187. 13. & 235. 8. 10. Et tamen de *Tiberio* ſcribit Suetonius *cap.* 38. *Biennio continuo poſt adeptum imperium, pedem porta non extulit.* In Claudio vero ſcribit: *Expeditionem unam omnino ſuſcepit*; qui tamen *Claudius* in nummis ac lapidibus nuncupatur IMP. XXIIII. Sed de *Auguſto* loquamur. Cum *Craſſus Auguſti* legatus *Thraces* viciſſet, ex Dione *lib.* LI. *neque tamen imperatoris nomen Craſſus accepit, ſed ſolus Cæſar.* Et quidem *Auguſtus* poſtremo decennio imperii ſemel tantum

A A. V. 761. ex eodem in fine *lib.* LV. *quo propius quæ in Pannonia ac Dalmatia gerenda eſſent, ſubinde monere poſſet, Ariminum ſe contulit.* Hæc vel ipſe in *Ponto* exul *Ovidius* cum intellexiſſet, *lib.* II. *eleg.* 2. *ad Meſſallinum* ſcribit:

Adde triumphatos modo Pæonas, adde quieti
Subdita montanæ brachia Dalmatiæ,
Nec dedignata eſt abjectis Illyris armis,
Cæſareum famulo vertice ferre pedem.
Ipſe ſuper currum placido ſpectabilis ore,
Tempora Phœbea virgine nexa tulit.
Quem pia vobiſcum proles comitavit EUNTEM,
Digna parente ſuo, nominibuſque datis.

B Sane *Auguſtus* ab A. V. 757. uſque ad A. 767. quo vivendi finem fecit, ſemel tantum *Roma* profectus, *Ariminum* uſque progreſſus eſt; ceteris vero annis *Romæ* ſubſtitit, bellum per *Tiberium* in *Germania*, *Pannonia*, ac *Dalmatia* adminiſtrans, cui poſtea collegam *Germanicum* miſit. Hæc idem Ovidius teſtatur *lib.* II. *Triſtium ad Auguſtum* ſcribens;

Sic aſſueta tuis ſemper victoria caſtris,
Nunc quoque ſe præſtet: notaque ſigna petat,
Auſoniumque ducem ſolitis circumvolet alis:
Ponat & in nitida aurea ſerta coma:
Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas:
C *Auſpicium cui das grande: deoſque tuos.*
Dimidioque tui præſens, & reſpicis urbem:
Dimidio procul es, ſævaque bella geris.

Corpore enim præſens in Urbe erat, animo tamen procul aberat, bello adminiſtrando per *Tiberium*, quem poeta *Auſonium ducem* appellat, intentus. Scribit Dio *lib.* LIX. *De Germanis Imperatoris nomen non Auguſtus modo, ſed Tiberius accepit* A. V. 759. Auctor eſt Vellejus *lib.* II. ac Dio *lib.* LV. *Tiberium* legionibus in hibernis caſtris collocatis, *Romam* ad *Auguſtum* ſingulis fere annis ſe contuliſſe. *Vellejus* per adulationem id pietati *Tiberii* tribuit, qui *Auguſtum* patrem ſalutaturus, obſtructas gelu Alpes toties ſuperaret. Dio vero
D ait: *partim ob negotia quædam, potiſſimum vero metuens ne quem ipſi abſenti alium Auguſtus præferret.* *Auguſtus* apud Gruterum *pag.* 187. inſcribitur *P. Lentulo Scipione T. Quinctio Criſpino* Coſſ. TRIB. POT. XXX. IMP. XV. *Onuphrius* noſter ac *Pighius* ex eodem notant memoratos conſules fuiſſe ſuffectos à Kal. Jul. A. V. 760. quo anno *Auguſtus* quindecies tantum Imperatoris titulum obtinuerat. Anno vero quo obiit *nomen Imperatoris ſemel atque vicies partum* eidem teſtatur Cornelius Tacitus *lib.* I. *Annalium* ſub initium, qua de re plura dabo inferius *cap.* 16. Igitur *Auguſtus* ſæpius nomen illud obtinuit *Romæ* ſubſiſtens,
E bella per legatos, aut privignum, nepotemque *Germanicum* adminiſtraret. Bello Dalmatico confecto, *Romæ* degenti *Auguſto*, inquit Dio *lib.* LVI. ad A. V. 762. *Victoriæ nuntium attulit Germanicus, ejuſque cauſa Auguſto & Tiberio nomen Imperatoris, ac triumphus decretus.* Hactenus contra errorem *Saliani*, ac de anno ſecundæ navigationis *Herodis*.

Ceterum quo anno tertium idem Rex in *Italiam* tranſmiſerit, mihi prorſus incompertum eſt; nulla enim chronologica nota, aut tenui ſaltem ejus veſtigio tempus poſtremæ navigationis *Herodianæ* apud *Joſephum* ſignatur. Keplerus *cap.* 8.
F *de anno natali Chriſti pag.* 65. ſcribit *Herodem* tertio in *Italiam* veniſſe quo anno Olympias 193. celebrabatur, V. C. 746. affirmans hoc iter *Herodis* ſtatui à *Joſepho* eo anno, *quo Olympias celebrata fuit.* Hoc poſtremum falſo *Joſepho* imponitur; nam hic ſcriptor, ut oſtendi ex ejuſdem verbis, narrat in eo capite, in quo plura Herodianæ munificentiæ exempla addenſat, eundem *Romam* navigantem, offendiſſe ludos Olympicos, quos cum

cum exili pompa agi videret, annuos reditus, augendæ illorum solemnitati, destinavit. Nullam autem trium ibi navigationum designat. Porro idem Josephus *cap.* 13. scribit *Herodem* cum tertio *Romam* transmissurus esset, *Titium Syriæ* Præsidem *Archelao* Regi *Cappadociæ* conciliasse. *Salianus* cum in titulo A. M. 4046. scripsisset: PRÆSIDE SYRIÆ N. N. in titulo anni insequentis ponit: PRÆSIDE SYRIÆ TITO. Proximo deinde anno *Syriæ* præsides designat *Saturninum* & *Volumnium*. Hinc tertium iter *Herodis* recenset A. M. 4047. *Tiberio Nerone* II. & *Calpurnio Pisone* Coss. V. C. 747. anno quo *Titus Syriam* obtinebat. Anno V. 741. *Agrippa Syriam* regebat, quod ex *Dione* recte *Salianus* didicit. Per quadriennium insequens Præses *Syriæ* eidem statuitur N. N. At A. V. 747. ecce illi natum præsidem *Syriæ Titum*, cui proximis consulibus binos successores attribuit *Saturninum* & *Volumnium*. In primis ex vetustis MSS. Mediceis, ac editis antiquis exemplaribus patet à *Josepho* scribi *Titium*, non *Titum*; neque enim historici ad personam designandam purum prænomen scribebant, quod pluribus gentibus *Romanis* commune erat, sed nomen gentile, vel cognomen, quod proprium genti erat. *Strabo* etiam eundem præsidem *Syriæ* diserte *Titium* appellat, de quo *cap.* 15. plura dicentur, ac ejusdem numisma producam in quo M. TITIUS inscribitur. At *Salianum* interrogatum velim, cur *Titium* unico tantum anno *Syriæ* præsidem facit, cum imperante *Augusto* Rectores provinciarum P. R. per biennium magistratu fungerentur, præsides vero ac legati qui *Augusti* provinciis praeerant, diuturniorem magistratum gererent, uti ex *Dione* superius observabam. *Salianus* annuum tantum regimen *Titio* permittit, qui *Quinctilio Varo* tertio à *Titio* ejusdem *Syriæ* Præsidi ab A. M. 4052. usque ad A. M. 4061. magistratum prorogat. Idem Scriptor cum A. Mundi 4046. *Herodem Romam* euntem exhibuisset; anno statim insequenti 4047. eundem *Herodem Romanum* rursus iter metientem inducit. Ita, si *Saliano* fides, *Herodes* vix ex *Italia* in *Palæstinam* redierat, cum statim de altera *Romana* peregrinatione deliberat, commeatum parari, triremes seu naves adornari jubet, ut tam celeriter in *Italiam* remeans, *Romanis Judæorum* non quidem Rex, sed tabellarius videatur. Hæc tam levia omitto, ac quæ probabilis mihi conjectura judicetur ad annum postremæ hujus navigationis *Herodis* indagandum, expono. Anno V. 751. quo *Herodes* decessit, *Quinctilius Varus* præses ac legatus *Augusti* nuper
158 in *Syriam* venerat, uti colligitur ex Josepho *lib.* XVII. *cap.* 7. & Tacito *lib.* v. *Hist.* ubi ait: *Post mortem Herodis, nihil expectato Cæsare, Simon quidam regium nomen invaserat; is à Quinctilio Varo obtinente Syriam, punitus, & gentem coercitam, liberi Herodis tripartito rexere. C. Sentius Saturninus Vari* decessor fuit, uti ex *Josepho* intelligitur. Hic A. V. 749. quo die 25. Decembris Christus natus est, *Syriam* regebat. Hujus rei testem locupletissimum habemus Tertullianum *lib.* IV. *con. Marcionem cap.* 15. scribentem: *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus*, scilicet Christi, *inquirere potuissent*; nempe quando *exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*: Lucæ 2. At si *Sentius Saturninus* per quadriennium *Syriam* obtinuit, is in provinciam venit A. V. 746. ac A. V. 750. circa Autumnum *Quinctilium Varum* successorem accepit. Quare cum *Josephus* scribat *Herodem* ex *Italia* in *Judæam* reversum, invenisse præsidem *Syriæ Saturninum*, eodem quoque anno *Romam* navigavit. Verum quod *Saturninus* per quadriennium, vel per triennium tantum

A legatum Augusti in *Syria* forte egerit, annus certus tertiæ navigationis *Herodis* designari non potest, nec historico licet divinare, nisi velit cum *Saliano* fabulas, vel proximiora fabulis in literas mittere.

Cardinalis *Baronius* admittens annos regni *Herodis* 37. à *Josepho* numeratos, contendit eosdem inchoandos ab anno *quo Augustus navali bello Antonium & Cleopatram debellavit, eodem Augusto tertium & Messalla Coss. Olympiadis* 187. *anno secundo.* V. C. 723. Cujus sententiæ rationem adducit, quod cum *Herodes Antonii* partes contra *Augustum* fovisset, *ac postea Augustus ex senatus consulto rescidisset, irritaque reddidisset, quæ ab Antonio in Imp.*
B *perduelle gesta essent; non licuit Herodi illos regni sui numerare annos, quibus regnavit, postquam illud ab Antonio sibi restitutum accepit, sed ab eo tempore quo ab Augusto sibi redditum fuit, & ex S. C. confirmatum.* Hæc ille in *Apparatu numero* 116. Prænotaverat autem *num.* 114. *Josephum* in annis *Herodis* numerandis varium fuisse & inconstantem; nam *lib.* XIV. *antiq. cap.* 15. scribit eo tempore quo confecto bello *Alexandrino*, *Judææ* regimen *Antipatro* commisit, *Herodem Antipatri* filium fuisse *adolescentem annos natum quindecim*, nempe A. V. 707. Postea vero *lib.* XVII. narrans
C obitum *Herodis*, dicit eundem obiisse anno ætatis ferme septuagesimo, circa A. V. C. 762. Hic chronologicus *Baronii* calculus sectatores non invenit, ac passim ab omnibus confutatur. Victoria Actiaca contigit die secunda Septembris A. V. 723. *Augusto* III. & *Messalla* Coss. ex Dione initio *lib.* LI. Cum vero *Herodes* circa Pascha labente anno 37. ab Actiaca victoria, *Baronio* mortuus credatur, decessit A. V. 760. *Q. Cæcilio Metello Cretico A. Licinio Nerva Silano* Coss. At obitus *Herodis* à *Baronio* in Annalibus statuitur anno Christi juxta ipsum VIII. *M. Æmilio Lepido*, *L. Arruntio* Coss. V. C. 759. quo tamen anno circa
D Pascha *Herodes* ab Actiaca victoria egisset annum regni XXXV. ac mensem sextum. Ita annos triginta septem perperam subduxit. Sed nec initium recte deduxit; siquidem cum *Augustus* anno tantum altero ab Actiaca victoria, bellum contra *Antonium* profligaturus, in *Asiam* transmisisset, *Herodes* eundem apud *Rhodum* convenit, depositoque diademate veniam supplex postulavit, quod *Antonio* contra ipsum suppetias misisset. Quare si 37. anni regni *Herodis* inchoentur *ab eo tempore quo ab Augusto illi redditum fuit & ex S. C. confirmatum*, quod apud *Rhodum* contigit, obitus *Herodis* alligandus est A. V. 760. non vero 159
E A. V. 759. uti *Baronius* opinatur. Dio *lib.* LI. scribit de Augusto: *In Italiam properavit, media hieme, se quartum, M. Crasso (hunc enim collegam habebat &c.) consulibus.* Postea: *In Græciam avectus est tricesimo quam in Italiam venerat, die, ac propter hiemem navibus per Isthmum Peloponnesiacum translatis, tanta celeritate in Asiam advenit, ut de ejus discessu simul redituque Antonius ac Cleopatra cognoverint.* Quare ut minimum exeunte Februario A. V. 724. à parilibus *Augustus* iterum in *Asiam* venit. Nec enim dici potest *Herodes Cæsarem* adiisse cum A. V. 723. *Ab Actio Samum insulam in hiberna se recepisset*, ex Suetonio in *Augusto cap.* 17. Nam *Herodes* apud *Rhodum Cæsarem*
F convenit, ac in colloquium admissus, suam cum *Antonio* amicitiam non modo fassus est, verum laudi quoque sibi vertendum dixit, quod ne post Actiacam quidem cladem illum deseruerit, neque fortuna jam aperte mutata, ad novas spes se transtulerit, apud Josephum *lib.* XV. *cap.* 11. Cum vero *Augustus Rhodo* discederet, Herodes *deduxit eum in Ægyptum*; Ibidem. *Herodes* igitur haud statim post cladem Actiacam *Antonium* deseruit, sed altero postea anno re ejusdem peni-

tus desperata. Ex his patet eruditissimum Car-
dinalem nec initium, neque exitum annorum re-
gni *Herodis* recte assignasse. Eadem opinio lucu-
lentissimo exemplo rejicitur. *Archelaus* ab *Anto-
nio Cappadociæ* regnum acceperat A. V. 718. ex
Dione *lib.* XLIX. opera *Glaphyræ* matris, cujus a-
more *Antonius* exarserat; extatque ea de re impu-
dicum ipsius *Augusti* hexasticon apud Martialem
libro XI. *epigr.* 21. *Archelaus* in *Antonii* castris
cum regiis copiis contra *Cæsarem* stetit, ex *Plu-
tarcho* in *Antonio*. Huic tamen *Cæsar* post victo-
riam veniam dedit, eique regiam dignitatem ac
nomen reliquit. *Tiberius* demortuo *Augusto*, eun-
dem *Romam* evocavit, *Tacito* hæc scribente: *Rex
Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potie-
batur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nul-
lo officio coluisset.* Porro *Romam* accitus fuit ex eo-
dem ibidem ac Dione *lib.* LVII. *Cæcilio Rufo* ac
Pomponio Flacco Coss. A. V. 770. Ita anni regni
Archelai neutiquam numerati sunt ab eo tempore,
quo in regno confirmatus est ab *Augusto* post vi-
ctoriam Actiacam; nam septem supra quadragin-
ta tantum intercessere ad eum usque annum, quo
Romam venire jussus fuit. Video tamen *Tacitum*
cum *Dione* non congruere, quod attinet ad ini-
tium regni *Archelai*; etenim *Archelaus* regnavit
annos LII. at *Tacitus* rotundo numero usus est,
quod scriptoribus familiare esse nullus ignorat.
Montacutius in *Apparatu* V. *num.* 102. & *sequ.*
ingenti verborum strepitu memoratam *Baronii*
opinionem insequitur; at in eos ipse errores de-
labitur, ut verear, ne per somnium illa eructa-
rit. Exclamat num. 106. *Hanc autem sententiam
inauditam, stupenda plane portenta consequuntur.*
Eia age; pande hæc portenta. *Non effugiet*, in-
quit, *quin omnino fateatur, Archelaum relegatum,
non à superstite Augusto, sed post excessum, rerum
jam potiente Tiberio, ad minus per biennium. Nam
ab A. V. C. DCCXXII. quo, quod omnes fatentur,
pugnatum erat ad Actium III. Non. Septemb. anni
XXXVII. numerati, desinent in annum DCCLXIX.
quo Cæcilius Ruffus & Pomponius Flaccus, impe-
rante Tiberio, fuerunt cum consulatu. Non possum
non cum indignatione quadam admirari &c.* At ipse
non possum non admirari *Montacutium* tam inepte
annorum calculum subduxisse. Pugna ad Actium
non tertio, sed quarto Nonas Septembris conti-
160 git. Hoc tamen erratum *Typographi* incuriæ ver-
tatur. Annus pugnæ juxta fastos Capitolinos,
quos *Montacutius* sequitur, adstruitur V. C. 722.
addantur his XXXVII. pervenies ad A. V. 759.
quo *Æmilius Lepidus* ac *L. Arruntius* consulatum
gessere, post quem annum *Augustus* octennio su-
perstes fuit. Debebat computare annos regni
XXXVII. at hallucinatus, XXXXVII. subdu-
xit, eaque depravata computatione, regnum *He-
rodis* protraxit ad A. V. 769. quo *Tiberius* impe-
rabat. Idem vero *Montacutius* in fine ejusdem V.
Apparatus scribit *Herodem* à regno à *Romanis* ac-
cepto regnasse *annos XLII. ut omnino sit error apud
Josephum, vel ab ipso admissus, vel potius per in-
curiam librariorum.* Næ librarii scripsissent *Ar-
chelao* relegato, *Judæam Syriæ* provinciis additam
annis post Actiacam victoriam 37. quorum prior
inchoabatur die 2. Septembris A. V. 723. juxta
epocham Varronianam, cum regnasset annos no-
vem, seu novem æstates, quarum prima incœpit
A. V. 751. à quo anno si per annos XXXVII.
regni *Herodis* retrocedas, devenies ad A. V. 714.
Calvino ac *Asinio Pollione* Coss. in quorum magi-
stratu *Herodes* insignia regni à *Romanis* accepit.
Hæc tam exacta sibique plane conformis compu-
tandi ratio librarios auctores habet?

Fatendum tamen est in codicem *Josephi* erro-
rem irrepsisse, cum in *cap.* 15. *lib.* XIV. eo tem-
A pore, quo *Cæsar* Dictator à bello Alexandrino
A. V. 707. adversus *Pharnacem* movebat, dicitur
Herodes adolescens annos natos quindecim; nam cum
in codice Græce sine dubio scriptum fuerit κέ,
vigintiquinque: in ιε, hoc est, *quindecim* librario-
rum errore mutatum est. Josephus *lib.* XIV. *cap.*
12. scribit *Antipatro* quatuor filios fuisse: *Phasae-
lum*, *Herodem* secundo genitum, ac *Pheroram*,
filiam vero *Salomen*; ab illo maxime cultum *Are-
tam* Regem Arabum, *apud quem*, inquit, *& libe-
ros deposuit, dum bellum contra Aristobulum gere-
ret.* Hoc bellum gestum est A. V. 689. ante epo-
cham vulgarem Christi 65. ut erudite ostendit
B *Usserius* in *Annalibus*, & quidem ineunte vere;
nam inter solemnia Paschalia *Antigonus* intra *Hie-
rosolymam* ab *Areta* & *Antipatro* obsidebatur, ex
Josepho *lib.* XIV. *cap.* 3. At anno superiori *Anti-
pater* ad *Aretam* Regem *Arabum* confugiens, eun-
dem ad bellum contra *Antigonum* suscipiendum
sollicitavit, & ut fidem eidem faceret, filios apud
illum deposuit. Igitur A. V. 688. *Herodes* vive-
bat, obses *Arabi* datus. Cum autem major natu
esset *Pherora* (volo enim concedere *Salomen* non-
dum natam) anno superiori 687. idem *Herodes*
erat puer. Hinc ad A. V. 707. anni viginti nu-
merantur vitæ *Herodis*; ac proinde error codicis
C *Josephi* ex eodem auctore corrigendus venit. *Ric-
ciolius* cum aliis contendunt *Josephum* eo loci hanc
correctionem non admittere, cum diserte *Hero-
dem* appellet *adolescentem*; sed neque hoc nomen
annos XV. probat. Nam ut omittam eo de no-
mine *Casaubono* in exercitationibus prænotata,
Sallustius in *Catilinaria* scribit *Q. Catulum Cæsari*
infestum fuisse, quod in petitione Pontificatus
Maximi *ab adolescentulo Cæsare victus discesserat.*
Cæsar Pontificatum maximum adeptus est. A. V.
691. ex Dione *lib.* XXXVII. annos natus XXXVII.
Eodem anno idem *Cæsar* fuit designatus Prætor.
Cicero *in divinatione* contra *Verrem L. Metellum*
D Prætorem *Siciliæ* alloquens, ait: *M. Cæcilium
fratrem tuum lectissimum atque ornatissimum adole-
scentem?* qui tamen erat itidem Prætor designa-
tus, ut ibidem *Cicero* testatur. De *Metello Pio*
scribit Auctor vit. virorum illustr. *Adolescens in
petitione præturæ & pontificatus, consularibus viris
prælatus est*; de quo ait *Sallustius* ubi de bello Ju- 16
gurt. *Is eo tempore in contubernio patris Q.* Me-
telli Numidici *ibidem militabat, annos natus circi-
ter viginti*; nempe ante primum consulatum Ma-
rii, A. V. 647. At *Metellus Pius* fuit candidatus
præturæ A. V. 664. ut ex oratione Ciceronis pro
Archia poeta erudite *Pighius* ad eum annum obser-
E vavit. *Germanicus* Cæsar apud Tacitum *lib.* I.
A. V. 767. *adolescens* nuncupatur, qui tamen an-
nos erat natus 29. Illa vero correctio *Josephi* hi-
storiæ congruit. Nam *lib.* XVII. *cap.* 8. scribit
Herodem defunctum *circa annum septuagesimum.*
Si anno V. 707. *Herodes* erat natus annos vigin-
tiquinque: adde annos quatuor supra quadragin-
ta, habebis annum Urbis 751. ætatis vero *Hero-
dis* 69. Non est hic tamen omittendum *Josephum*
gestarum ab *Herode* rerum seriem non ex suo ce-
rebro procudisse, sed eandem ex *Nicolai Dama-
sceni* voluminibus, quæ de vita *Herodis* compo-
suit, exscripsisse, quibusdam tamen additis, quæ
F *Nicolaus* Regis gloriæ tantum studens, quod erant
impie facta, adulando conticuit, ut patet ex *lib.*
XVI. *antiq. cap.* 11. *Nicolaus* vero *Damascenus* a-
micorum fidissimus *Herodi* habebatur, ac in rebus
gravissimis nomine *Herodis* apud *Augustum* lega-
tione perfunctus fuit; cui etiam Regi historias
sciendi cupido, supra centum ac viginti quinque
volumina rerum in Orbe gestarum ex antiquis
quibusque scriptoribus compilata, nuncupavit;
cujus sane prægrandis operis excerpta quædam
vir

vir doctissimus *Henricus Valesius* publicavit. Hinc orationes ejusdem *Nicolai* libris *Josephi* insertæ leguntur, ut eadem historia ejusdem manu majori ex parte scripta videatur. *Ptolomæi* quoque de vita *Herodis* codices ad manum eidem *Josepho* fuere; quibus plane suppetiis instructus, prolixiores de gestis *Herodis* libros composuit. Hinc postea in describenda vita *Archelai*, qui *Herodis* successor per novennium *Judæis* Ethnarcha imperavit, adeo jejune atque exiliter scripsit, ut paucis illam versibus absolverit; non tam quod ignavia Principis nullam scribendi materiam suppeditabat, quam quod nullis domesticorum, aut exterorum scriptis adjutus, *Archelai* gesta ignoravit, paucis tantum exceptis, quæ avorum traditione cognovit.

Prolixiori hucusque de annis regni ac vitæ *Herodis* disputatione peracta, ad *Cajum* ac *Lucium Cæsares* redeo, à quibus tamen validissimum argumentum desumo, quo *Herodiani* principatus epocha mihi superius firmata, demonstratur. Auctor est *Josephus* filios *Herodis* de paterni regni successione litigantes, *Romam* ad *Augustum* integram causam detulisse; *Augustum* vero in amicorum concilio rem discussisse, *Nicolao Damasceno Archelai* causam defendente. Hæc de Augusto scribit Josephus *lib.* XVII. *cap.* 12. interprete Gelenio: *Amicos in consilium advocat, & in his Cajum Agrippæ & Juliæ filiæ suæ filium, jam à se adoptatum, primum ei locum in consistorio tribuens.* Hoc judicium habitum est A. V. 751. ita ut nec in annum superiorem, nec in quempiam proxime insequentium protrahi possit. Primum illud infertur ex annis *Herodis*; siquidem A. V. 750. mense Octobris complevit annum regni à *Romanis* dati XXXVI. quare etiamsi vixisset alterum mensem, ac decessisset die circiter 25. Novembris, inito anno trigesimo septimo, quæ est *Usserii* sententia, causa successionis regni A. V. 751. agitata fuisset. Nam *Archelaus* celebrato apud *Hierosolymam* Paschate, *Romam* navigavit ad *Augustum*. Alterum vero, nempe memoratum judicium in proximos annos, quod pro arbitrio faciunt vulgo scriptores, protrahi non posse, eo manifeste ostenditur, quod unus *Cajus Cæsar* ab *Augusto* inter judices sedere jussus est. Anno Urbis proximo 752. *Lucius Cæsar* virilem togam induit, ac omnibus honoribus exornatus est, quos die sui tirocinii *Cajus* ejusdem frater ante triennium tulerat. Et sane eidem permissum fuerat, *ut in Senatum iret*, ex Dione *lib.* LV. & in excerptis à *Zonara.* Quare si judicium illud habitum fuisset A. V. 752. aut quopiam insequentium, *Augustus Lucium* quoque *Cæsarem* ad idem judicium accersivisset; quod præsertim *Lucius* erat eo anno consul designatus; superius vero *cap.* 2. pluribus veterum testimoniis ostendi, consules designatos ut plurimum sententiam ante alios rogari solitos. Neque fingi potest *Lucius* ab eo judicio ab *Augusto*, quod esset junior, exclusus fuisse. Nam erat Princeps juventutis, consul designatus, in Augurum idem collegium cooptatus, omnibus denique honorum titulis *Cajo* majori natu fratri æquatus. Quas quidem tum sacras tum profanas dignitates eidem *Augustus* contulerat, ne qua inter filios invidia erumperet, cui sane aditum Princeps aperuisset, si admisso *Cajo*, *Lucium* pari cum illo dignitate præditum, à memorato concilio exclusisset. Non desunt tamen Scriptores, qui de *Lucio Cæsare* ne quidem cogitantes, affirment *Cajum* solum A. V. 754. ad illud judicium ab *Augusto* accersitum; quod sane imaginatur *Ricciolius* in magno Chronico, anno primo vulgaris Epochæ *Dionysianæ*; cum tamen proximo anno *Lucius Romanis* legionibus in *Hispania* Rector im-

162

A positus fuerit; nempe post triennium ab accepta toga virili, ut exercitus præfectura par *Cajo* esset, quem pariter post sumptam ante triennium togam puram, exercitui *Augustus* præposuerat A. V. 752. ut postea narrabo. Hinc vides, optime Lector, historiam *Josephi Romanorum* annalibus mirifice congruere. Dixi initio capitis *Salianum Josepho* mendacii notam inurere, qui *Cajum* præsentem judicio adfuisse scripserit *cohonestandi concilii gratia, in quo de Hebræorum rege ac regno agebatur*; cum tamen eo anno *Cajus* in Oriente esset; putat enim eam causam *Romæ* ab *Augusto* cognitam A. V. 754. At *Josephus* poterat etiam *Lucium* B *Cæsarem* nominare, qui anno tantum proxime insequenti 755. *Roma* discessit. Illum sane antea nominaverat scribens *filiis Augusti*, qui nulli erant alii à *Cajo* ac *Lucio Cæsaribus*, testamento *Herodis* pecuniam legatam. Nullus dubito, quin *Nicolai Damasceni* manu totius causæ series descripta fuerit, quo loco etiam vehemens æque ac elegans ejusdem oratio pro *Archelao* recitatur. Profecto omnes circumstantiæ adeo exacte recensentur, ut nisi eidem judicio præsens, illas in literas mittere potuerit. Cui vero major fides habenda est, illine qui causæ discussioni advocatus interfuit, an iis qui post sexdecim sæcula de eodem C judicio, ejusque circumstantiis sine vetustarum tabularum auctoritate, quæcunque pro libito sibi finxere, scripturiunt?

CAP. VII. 163

Lucius Cæsar *togam virilem induit. Idem consul designatus, ac Princeps Juventutis, inter Augures cooptatus. Augurum magna apud* Romanos *auctoritas.* Cicero *eorundem disciplinam vanam fatetur. Idem tamen ambitione auguratus ductus. Affines poterant simul esse in collegio Augurum; sed non ex eadem familia. Plures ex eadem gente unà simul fuisse in collegio Pontificum* D *contra* Panvinium *ac* Gutherium *ex* Cicerone *ac* Livio *ostenditur.* Julius Cæsar, *dein* Augustus *vetustam de sacerdotiis legem mutarunt. Plures Imperatores sequiori ætate simul Pontifices Maximi contra* Gutherium. Balbinum *ac* Pupienum *collegas* Augustos *omnium primos simul fuisse Pontifices Maximos, ex Capitolino ac nummis Mediceis ostenditur. Congiarium ob honores* Lucii *ab* Augusto *datum.* Lucius Cæsar *Patronus coloniæ* Juliæ Pisanæ Opsequentis. *Formula rogati, ac suscepti Patrocinii.*

INeunte A. V. 752. virili toga *Lucio Cæsari* maturatur. Is agebat annum ætatis decimum E quintum, cum natus fuisset A. V. 737. quod annalibus *Dionis* debemus. *Augustus*, ut eadem pompa, qua *Cajum Lucii* fratrem ante triennium in forum deduxerat, *Lucio* quoque virilem togam daret, consulatum decimum tertium accepit. Auctor est Suetonius *cap.* 26. *Augustum* plures sibi delatos consulatus recusasse; *duodecimum*, inquit, *magno, id est, septemdecim annorum intervallo, & rursus tertium decimum biennio post ultro petiit, ut Cajum & Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum.* Hinc vides recte fastos digestos; nam inter A. V. 731. quo *Augustus* consulatum undecimum gessit, F & A. V. 749. quo consul XII. processit, septemdecim collegia Consulum numerantur. *Augustus Lucium* die virilis togæ Principem Juventutis ac Præfectum Tribus declarandum curavit, consulem etiam eundem ea qua *Cajum*, lege designavit, ut post quinquennium ex eo die, quo in forum ductus fuerat, magistratum iniret. Nummus *Lucii Cæsaris* Principis Juventutis servatur in Cimeliis *Ludovici* XIV. MAGNI Regis *Galliarum*, cujus ectypum à *P. Carcavio* regiæ Gazæ

Vide Tab. IV. Fig. 5. pag. 96.

numismatum custode, eximiæ doctrinæ atque omnium plane gratiarum viro, impetravi. In priori parte ejus nummi caput *Augusti* laureatum visitur cum epigraphe: AUGUST. TRIBUNIC. POT. alterius iconem pono.

164 *Augustus*, cum *Cajum* in Pontificum collegium cooptasset; *Lucium* collegio Augurum adscripsit. Extat vetus inscriptio *pag.* 234. Gruteriani operis.

L. CAESARI. AVGVSTI. F
AVGVRI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Alia id genus elogia eidem in *Hispania* dicata, apud *Gruterum* laudatum exhibentur; sed haud opus est aliunde petere quæ præ manibus habemus. In *Pisano* cenotaphio memorantur honores L. CAESARIS. AUGUSTI FILI. AUGURIS. CONSULIS. DESIGNATI. PRINCIPis JUVENTUTIS. PATRONI. COLONIAE. NOSTRAE. Hi pariter honorum tituli nummo *cap.* 4. producto leguntur, de quibus cum plura adnotaverim, de sacerdotio tantum *Lucii* quædam exponam. Compertum est Augures in ipsius *Romanæ* urbis natalibus apud *Romulum* fuisse; siquidem auspicato *Romam* condidit. Quanto vero in honore apud *Romanos* esset augurum disciplina prodit Livius *lib.* I. scribens: *Auguriis certe sacerdotioque Augurum tantus honor accessit, ut nihil belli domique postea nisi auspicato gereretur, concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non addixissent, dirimerentur.* Cicero eandem vocat in oratione de haruspicum resp. *ab ipsis Diis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriæ traditam disciplinam.* Hujus tamen, quod plane ridiculum est, *puerum auctorem* faciebant, ex eodem Cicerone *lib.* II. *de divinatione.* Ovidius rem describit *lib.* XV. *Met.* ubi *v.* 558. pueri ejusdem nomen prodit:

Indigenæ dixere Tagen: qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Idem Cicero *libro* II. *de Legibus* prolixius de Auguribus disputat; ubi *maximum*, inquit, *& præstantissimum in Republica jus est Augurum, cum est auctoritati conjunctum; neque vero hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse.* Et lib. I. de divinat. *Principio*, inquit, *hujus Urbis parens Romulus non solum auspicato Urbem condidisse, sed ipse etiam optimus Augur fuisse traditur. Deinde Auguribus & reliqui Reges usi: & exactis regibus nihil publice sine auspiciis, nec domi, nec foris agebatur.* Erat lex de Auguribus in XII. tabulis apud Tullium *lib.* II. *de leg. Quæque Augur injusta, nefasta, vitiosa, dirave dixerit: irrita infectaque sunto. Qui non paruerit,*
165 *capitale esto.* Ibi etiam laudantur *Interpretes Jovis Optimi Maximi Augures.* Plerique tamen *Romanorum* auguralem disciplinam uti dubiam ac fallacem contemnebant, quod præsertim accidit postremo jam ruentis rei publicæ tempore, cum passim auguria sinistra fingerentur, ut populi comitia eo mendacio solverentur; cum quæcunque sinistris auspiciis fierent, infecta essent. Ea arte leges ferri impediebant, ac frequenter *alio die* audiebatur. Cicero augur licet, omnem auguribus fidem detrahit *lib.* II. *cit. de legibus* scribens: *Sed dubium non est quin hæc disciplina & ars Augurum evanuerit jam & vetustate & negligentia. Itaque neque illi assentior, qui hanc scientiam negat unquam in nostro collegio fuisse: neque illi, qui esse etiamnum putat.* Ne invidiam sibi contraheret, augurum scientiam quondam veram fuisse dicebat, quam tamen, uti antea quoque reapse fuerat, sua ætate fallacem esse fatebatur. Cum bellum ci-

A vile *Pompejum* inter ac *Cæsarem* erupisset, *lib.* VI. *fam. epist.* 6. *ad Cæcinam* scribebat: *Ego quoque Augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem augurii & divinationis meæ, debet habere fidem nostra prædictio. Non igitur ex alitis involatu, nec è cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec è tripudiis solistimis, aut somniis tibi auguror, sed habeo alia signa quæ observem, quæ etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis, vel erroris.* Ea autem notabat, seu deducebat partim à *Cæsare* ipso, partim è temporum civilium natura atque ratione. Illa sane *Cæsaris* ad tyrannidem aspirantis signa plane
B certa præviderat, scribens *lib.* II. *ad Atticum epist.* 16. *Quid enim ista repentina affinitatis conjunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecuniæ significant? quæ si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut hæc extrema esse non possint.* Et plane divinavit, cum ibidem dixit: *Tyrannidem simul fabricant*; quam epistolam scripsit ante octennium quam bellum civile oriretur.

Numa quatuor Augurum collegium instituerat, ex patriciis tantum conflatum. At lege Ogulnia sacerdotiis plebi communicatis, quinque insuper Augures additi fuerunt, quos *Sylla* etiam auxit lege lata, ut collegium Augurum ex XV. sacer-
C dotibus componeretur. Quanti vero illud sacerdotium fieret, ostendunt viri consulares ac triumphales, qui eodem initiabantur, ac ambitus, quo auguratum petebant. Cæsar ex *Gallia*, scribit Hirtius *lib.* VIII. *de bel. Gallico*, *contra consuetudinem in Italiam quam maximis itineribus est profectus, ut municipia & colonias appellaret, quibus M. Antonii quæstoris sui commendaret sacerdotii petitionem.* Etenim *Antonius* auguratum petebat, quem tamen exagitat *Cicero* in Philippicæ secundæ initio, testatus *C. Curionis* familiares de vi condemnatos, quod *Antonii*, dum auguratum petebat, *nimis studiosi fuissent.* Cum *Crassus*, *Pompejus*, ac *Cæsar*
D supra ceteros sese extulissent, ac tres viri omnia possent, *Cicero* procul à partium studio publicæ libertati invigilans, nulli illorum nomen dare voluit; attamen ingenue ad Atticum scribebat *lib.* II. *epist.* 5. *Quoniam Nepos proficiscitur, cuinam auguratus deferatur, quo quidem uno ego ab istis capi possum.* At tunc à Tricipitina, ut *Varronis* verbo utar, auguratum non obtinuit; immo *P. Clodii* furori expositus, amissis bonis, in exilium missus fuit. Inde autem post annum reversus, uti scribit *lib.* XV. *fam. epist.* 4. *ad Catonem*, *meam non modo non calamitatem, sed etiam gloriam studui*
E *quam ornatissima Senatus populique de me judicia intercedere. Itaque & Augur fieri volui.* Cæsar quamvis esset Pontifex Maximus, post *Pompejum*, *Ptolomæum Ægypti*, ac *Pharnacem Ponti* Reges ... devictos, *Romam* victor reversus, augurum collegio adscribi voluit, uti ceteris quoque collegiis, ex Dione *lib.* XLII. ac ipse Cicero *lib.* XIII. *fam. epist.* 68. Cæsarem *collegam* suum appellat.

Hinc factum est, ut *Augustus Lucium Cæsarem* in Augurum collegium cooptandum curaverit, ut tam insigni apud *Romanos* sacerdotio majorem filio dignitatem quæreret. Ille, quod erat adolescentulus annos tantum natus quatuordecim, omnia
F sane ignorabat, quæ recondita Augurum disciplina continebat, quorum *Cicero* A. V. 797. annum agens ætatis LIX. se nescium fatebatur in Oratione *pro domo num.* 31. inquiens: *Venio ad augures, quorum ego libros, si qui sunt reconditi, non scrutor; non sum in inquirendo jure augurum curiosus.* Idem tamen postea in collegium augurum cooptatus, libros augurales, quos *Appius Pulcher* elucubraverat, legere peroptans, ex Cilicia *lib.* III. *fam. epist.* 11. *Appio* scribebat: *Augurales libros ad commune utriusque nostrum otium serva.* ...

berius Augusti exemplum imitatus, *Neronem* alterum nepotum, Pontificem creavit ex Tacito *lib.* III. alterum vero *Drusum* Augurem fecit ex Suetonio in *Caligula cap.* 12. utrique die virilis togæ eadem sacerdotia conferens. Gutherius *lib.* 1. *de vet. jure Pont. cap.* 17. producto numismate, in quo *Cajus* ac *Lucius* sacerdotii prætextis induti exhibentur, ait: *Nummus probat duos ex eadem domo Pontifices esse non potuisse, ut nec ex eadem gente. Nam si illud per leges licuisset, Cæsares illi Principes juventutis, & consules designati solo sacerdotio distincti non fuissent.* Id probat ex Dione *lib.* XXXIX. ad A. V. 698. ubi ait *P. Cornelium Lentulum Spintherem* curasse, ut *P. Cornelius* filius in gentem *Manliam* adoptaretur, ut ea ratione in collegium Augurum cooptaretur, in quo cum antea esset scriptus *P. Cornelius Sylla Faustus*, ejusdem *Spintheris* filius excludebatur, quod lex vetabat, ne *duo simul ex eadem gente* idem sacerdotium haberent. Idem vero *Gutherius* recte advertit interpretem vocem apud *Dionem* οἰωνιςὰς perperam *Pontifices* Latine reddidisse, cum *augures* eadem significet. Equidem duo affines poterant simul esse in Augurum collegio, quod colligo ex Cicerone in *Bruto*, ubi ait: *C. Fannius M. F. Caji Lælii gener, & moribus & ipso genere dicendi durior, is soceri instituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat; præsertim cum ille Q. Scævolam sibi minorem natu generum, prætulisset.* Hic *Q. Mucius augur* dicitur *Ciceroni* initio statim dialogi de amicitia, qui inter *Lælium* socerum ac ambos eosdem generos habitus fingitur. Nec in collegio Pontificum affinitatis rationem habitam ex eodem Oratore pro domo sua dicente: *C. Atinius patrum memoria, Q. Metelli, qui eum ex Senatu censor ejecerat, avi tui Q. Metelle; & tui P. Servili, & proavi tui P. Scipio, consecravit.* Hi tres Pontifices, ad quos eam orationem habuit *Cicero*, erant consobrini, eorumque avus fuerat *Q. Metellus Macedonicus*, cujus bona *Atinius* Tribunus plebis consecraverat. Uti hæc mihi certa sunt, ita illud dubium videtur, num duo ex eadem gente potuerint una simul esse in eodem collegio, quod *Gutherio* ac *Panvinio* de omnibus collegiis affirmatur. In primis duos ejusdem familiæ in idem collegium nunquam legi cooptatos. *Marcus Crassus* erat Pontifex teste *Cicerone* initio orat. *de haruspicum responsis*; *Publius* vero *Crassus* filius erat è collegio Augurum, in cujus postea *Parthico* bello occisi locum *Ciceronem* cooptatum tradit *Plutarchus* in *Cicerone*. Hic idem *Cicero* Augur ad *M. Brutum* scribebat: *Ciceronem nostrum*
167 *in vestrum collegium cooptari volo*; nempe Pontificum; in quorum numero erat *M. Brutus*, ut ex altera epistola ad eundem patet, in qua scribit: *Vos Pontifices*; & in *Bruti* dialogo, ubi ait Brutus: *Et hic Scipio collega meus. Scipio* vero erat Pontifex, uti fusius ostendi *dissert.* 1. *cap.* 4. & ex proxime laudata oratione *Tullii* pro domo apparet. *P. Cornelius Spinther*, ut in eadem dissertatione dixi, erat Pontifex, & initio orationis *de harusp. resp.* dicitur *Consul & Pontifex.* Idem vero, ut ex *Dione* observabam, *P. Cornelium Lentulum* filium in augurum collegium referendum dolosa adoptione curavit. At si loquamur de pluribus non quidem ejusdem familiæ, sed gentis, non possum *Gutherii* ac *Panvinii* sententiam universim admittere. Nam ex *Livio* ac *Cicerone* satis aperte mihi colligere videor, plures ex eadem gente una simul in collegium Pontificum cooptatos fuisse. Equidem Livius *lib.* XXXII. *cap.* 7. ad A. V. 556. scribit: *Ser. Sulpicius & L. Galba Pontifices eo anno mortui sunt.* At certum est *L. Galbam* fuisse è gente *Sulpicia*, cui tantum *Gal-*

A *bæ* cognomen proprium fuit. *M. Cornelius Cethegus* creatus fuit Pontifex A. V. 542. ex eodem Livio *lib.* XXV. *cap.* 2. qui *lib.* XXXII. *cap.* 7. narrat *Cn. Cornelium Scipionem* itidem factum Pontificem A. V. 556. *libro* vero 33. *cap.* 42. *M. Cornelii Cethegi* Pontificis mortem recenset. Itaque duo ex gente *Cornelia* una simul Pontifices fuere. Præterea ex eodem *lib.* XXIII. *cap* 2. *Cn. Servilius Cæpio* A. V. 542. cooptatus est in collegium Pontificum; & ex *lib.* XXVII. *cap.* 6. *C. Servilius Geminus* A. V. 546. in idem collegium adscitus fuit. *Cn. Servilius Cæpio* Pontifex gessit consulatum A. V. 551. & *Cajus Servilius Geminus* Populi *Romani* suffragiis A. V. 571. creatus fuit Pontifex Maximus,
B ex eodem Livio *lib.* XXXIX. *cap.* 46. ac diem obiit A. V. 574. ex *lib.* XL. *cap.* 42. *Servilius* vero *Geminus* post quinquennium decessit A. V. 579. teste eodem Historico *lib.* XLI. *cap.* 21. Itaque A. V. 555. duo gentis *Sulpiciæ*, ac duo insuper *Servilii* erant in eodem Pontificum collegio. *Sylla* Dictator legem de sacerdotiis tulit, ac collegia ampliavit; eundem vero non vetasse duos ejusdem gentis cooptari simul in collegium Pontificum, ex *Cicerone* ostenditur, qui in *orat. cit. de haruspicum resp.* ceteros inter Pontifices qui de domo sua judicarunt, nominat *P. Lentulum Spintherem, Q.*
C *Metellum Creticum*, ac *P. Scipionem.* Hic autem *Scipio* patrem habuerat *P. Cornelium Scipionem Nasicam*, ac ex Dione *lib.* XL. ad A. V. 702. *testamento in genus hæreditatemque Metelli Pii adoptatus, Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio* dictus fuit, ex *epistola* 8. M. Cœlii *ad Ciceronem lib.* VIII. *familiarium.* Si gens consideretur, è qua *Scipio* natus est, habuit collegam *P. Lentulum Spintherem* gentis ejusdem *Corneliæ.* Si vero ratio habeatur gentis, in quam adoptatus fuit, aderat in eodem collegio *Q. Cæcilius Metellus Creticus.* At certum est ex historia *Dionis* de *P. Lentulo Spinthere* superius recitata, non venisse in consideratio-
D nem gentem, in qua quis natus fuerat, sed in quam per adoptionem transisset. Rursus *Cicero* ibidem laudat Pontifices *M. Scaurum*, ac *M. Lepidum*; & hi quoque erant gentis *Æmiliæ.* Ex his mihi luculenter probatur, nulla unquam lege interdictum fuisse, ne duo ejusdem gentis una simul Pontifices essent. Hoc etiam licitum fuisse in Coloniis, insignis inscriptio *Albæ* in *Latio* prodit apud Gruterum *pag.* 235. 8.

TIBERIO. CAESARI. DIVI. AVG. F 168
DIVI. IVLI. N. AVGVSTO
PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVN
POTEST. XVIII
E PONTIFICES. ALBANI
Q. IVLIVS. Q. F. FAB. RVFVS
C. IVLIVS. C. F. SCA. BASSVS
TI. IVLIVS. TIB. F. FAB. MERVLA
M. IVLIVS. C. F. FAB. SENICIO

Hi quatuor Pontifices coloniæ *Albæ* erant omnes *Juliæ* gentis, tres è tribu *Fabia*, unus vero è *Scaptia*, quæ erant *Juliorum Cæsarum* propriæ. Num vero duo ejusdem gentis potuerint una simul esse Augures in eodem collegio? *Dio* laudatus negat, nec secus unquam contigisse hactenus cognovi. *Cicero* Augur plures suos collegas nominat, sed omnes diversarum gentium. Pompejum Magnum
F ac *Q. Hortensium* in Philip. 4. & initio Dialogi, cui à *M. Bruto* nomen imposuit. *Marcum Antonium* ac *Cornelium Dolabellam in Philip.* 2. *Aulum Hirtium, Vibium Pansam*, ac *Q. Cornificium*, ad quem scribens *lib.* XII. *fam. epist.* 25. ait: *Hirtium quidem & Pansam collegas nostros, homines in consulatu Reipubl. salutares, alieno sane tempore amisimus.* P. Servilium, ac C. Julium Cæsarem *lib.* XIII. *fam. epist.* 68. ubi: *Sperare*, ait: *tamen videor Cæsari collegæ nostro fore curæ; & esse, ut ha-*

habeamus aliquam Rempublicam. Adde his M. Valerium Messallam, qui Macrobio *lib.* I. *Sat. cap.* 9. dicitur *Cn. Domitii in consulatu collega* A. V. 701. *idemque per annos quinquaginta & quinque augur.* Adde ex Dione *lib.* XXXIX. *P. Cornelium Lentulum Spintherem* quadriennio ante *Ciceronem* in Augurum collegium adscitum, & quidem adolescentulum, teste *Cicerone* in fine Sestianæ, ubi de eodem ait: *Cui superior annus idem & virilem patris, & prætextam populi judicio dedit.* Præterea *L. Julium Cæsarem* ex Macrobio *lib.* III. *Satur. cap.* 13. Hic fuerat consul A. V. 690. ac licet avunculus ab *Antonio* Triumviro proscriptus fuit. Cicero in *Philip.* 12. appellat *L. Cæsarem fortem ac constantem Senatorem, avunculum tamen*, nempe *Antonii.* Habuit quoque *Cicero* collegam *Appium Claudium Pulchrum* in proconsulatu *Ciliciæ* ejusdem *Ciceronis* decessorem, cujus etiam libros augurales idem, uti superius dixi, laudabat; Item *L. Cornelium Syllam Faustum*, ex Dione *lib.* XXXIX. Inter hosce Augures tres erant è gente *Cornelia*, *P. Lentulus Spinther*, *P. Dolabella*, ac *Sylla Faustus.* At teste *Dione Spinther*, ut cooptaretur in collegium augurum, in *Manliam Torquatorum* gentem adoptione transierat, nec unquam *Cornelium* appellatum legi. Cicero *lib.* XIV. *ad Atticum epist.* 1. in fine ait: *Lentulus Spinther hodie apud me.* Idem ipse in *epist.* 14. & 15. inter familiares Ciceronis *lib.* XII. se ita inscribit: *P. Lentulus P. F.* cum *Asiam* pro Quæstore obtineret A. V. 711. *L. Cornelius Sylla Faustus Syllæ* Dictatoris filius, quod *Pompejam Pompeji* Magni filiam uxorem habebat, bello civili *Pompejanas* partes secutus, è prœlio *Tapsensi* in *Africam* fugiens, ac dein captus à *Sitio*,
169 una cum *Afranio* necatus fuit, auctore Hirtio *de bello Africano cap.* 95. ubi addit: *Pompejæ cum Fausti liberis Cæsar incolumitatem, suaque omnia concessit.* Hunc infaustum vitæ exitum *Faustus* habuit A. V. 708. Eutropio etiam *lib.* VI. inter duces, qui cum Scipione in *Africa* ad *Tapsum* contra *Cæsarem* pugnarunt, memoratur *L. Cornelius Faustus Syllæ Dictatoris filius. Cornelius Dolabella Laudiceæ* à *Cassio* obsessus, urbe prodita, satelliti cervicem secandam præbuit A. V. 711. Num vero *Cornelius Dolabella* in augurum collegium cooptatus fuerit ante necem *Cornelii Syllæ Fausti*, haud ausim statuere; nam *Dolabellæ* auguratum laudat *Cicero* in *Philip.* 2. quam recitavit A. V. 710. exeunte, eodem *Dolobella* ac *M. Antonio* Coss. *Cæsar* qui contra patriam bellum civile excitaverat, eamque cum copiis ingressus, haud religioni duxerat sacram pecuniam apud Saturni ædem à majoribus servatam, per vim auferre, potuit *Dolabellam* in Augurum collegium referre; cum præsertim ad eundem A. V. 705. scribat Dio *de Cæsare: Pontificesque defunctis suffecit, non quidem omnibus eorum legibus in ea re observatis, lib.* XLI. Idem Dio *lib.* XLII. scribit *P. Dolabellam* ingentes seditiones *Romæ* excitasse, cum *Cæsar* A. V. 707. contra *Pharnacem* movisset; ac diem præsertim constituisse: *qua die pollicitus est se leges de novis tabulis perlaturum*; *Cæsarem* vero omnium opinione celerius, victo *Pharnace*, *Romam* ad seditiones componendas statim rediisse, quas ut composuit, *omnibus*, inquit, *perpercit, aliquosque ex iis honoribus insuper affecit, Dolabellam in primis.* Itaque eo A. V. 707. quo *Cæsar* ex *Pontico* bello *Romam* reversus est, videri possit *Dolabella* auguratus sacerdotio honoratus à *Cæsare.* Res plane incerta est. Hic tamen advertendum est *Cæsarem* quod legibus ex S. C. solutus fuisset, sese augurum collegio addidisse, cum tamen in eodem esset *L. Julius Cæsar*, qui eidem superstes fuit. Idem etiam *Augustus* postea fecit, ac successores deinceps. Prostant nummi in quibus *Augustus* AUGUR inscribitur. *Tiberius* quoque in inscriptione quam ex *pag.* 235. 8. *cap.* 4. exhibui AUGUR nuncupatur. Et tamen *Augustus* filium *Lucium Cæsarem*, *Tiberius* vero *Drusum* nepotem in idem collegium Augurum cooptarunt; cum antea idem *Tiberius Germanicum* ex adoptione filium in eodem collegio habuisset, quod inscripti nummi ac lapides produnt; & ipsius *Tiberii* verba de *Germanico* apud Tacitum *lib.* 1. *Neque imperatorem auguratu & vetustissimis cæremoniis præditum, attrectare feralia debuisse.* Etenim ægre tulit *Germanicum* suismet manibus Variana clade occisorum ossa collegisse, quod etiam tradit Suetonius *cap.* 3. *in Caligula. Augustus* cum unus esset è collegio Pontificum, idemque etiam Augur, *Cajum* ac *Lucium* sacerdotio exornaturus, priorem Pontificem, alterum Augurem creandum curavit, quamvis ambo ejusdem gentis *Juliæ* ac filii per adoptionem evasissent. Quare *Gutherius* scribens ideo filios ab *Augusto* in diversa Collegia relatos, quod duo ejusdem gentis non poterant in idem sacerdotum collegium cooptari, de ipso *Augusto* haud cogitavit, qui tamen erat in utrumque collegium adscitus; siquidem Pontifex Maximus unus erat è collegio XV. Pontificum. Hinc falso scribit in fine *cap.* 17. *Vespasianum* Pontificem Maximum, dum *Titum* in collegium Pontificum cooptavit, *primum illud sibi arrogasse.* Nam *Augusti* ac *Tiberii* exempla præcesserant. Auctor est Suetonius *in Claudio cap.* 4. hunc ab Augusto *auguralis sacerdotii honore* decoratum, quod sacerdotium *Germanicus* etiam ejusdem *Claudii* frater obtinuerat. Itaque *Augusto* imperante, si consideretur familia, in qua quis nascebatur, *Germanicus* ac *Claudius* fratres una simul inter Augures fuerunt; at si ratio habeatur familiæ, in quam quispiam per adoptionem adscribebatur, habemus non quidem duos, sed plane tres in eodem collegio Pontificum, nempe *Augustum* avum, *Tiberium* filium, ac *Germanicum Tiberii* F. *Augusti* nepotem, cum omnes in *Juliam* familiam transierint. Idem Suetonius in *Caligula cap.* 12. ait: *Augur in locum fratris sui Drusi destinatus, priusquam inauguraretur, ad Pontificatum traductus est. Cajus Cæsar* erat è familia *Claudiorum*; at ex adoptione *Germanici* patris in gentem *Juliam* transierat. Si naturalis familiæ ratio habeatur, *Claudium* patruum collegam in auguratu sibi destinato habuit; si vero adoptiva familia spectetur, avum *Tiberium* in Pontificatu collegam itidem habuit. Hac occasione alterum ejusdem *Gutherii* errorem confuto. Etenim *lib.* 1. *cap.* 15. scribit quoties duo Augusti Principes una simul imperabant, unum eorum Pontificem Maximum fuisse, alterum vero tantummodo Pontificem, quod ex nummis *M. Aurelii* ac *L. Veri*, atque etiam, inquit, *ex Diocletiani Maximianique nummis & ceteris licet observare.* Fateor id moris initio servatum fuisse, verum diu ante *Diocletiani* imperium secus factum ostendam. *L. Verus* Augustus in vetustis inscriptionibus Gruteri *pag.* 253. *Pontifex* dicitur, & in nummis legitur: L. VERUS AUG. PONT. TR. P. VI. COS. II. IMP. IIII. P. P. cum *M. Aurelius* collega Augustus Pontifex maximus diceretur. *Septimius Severus M. Antoninum Caracallam* filium in imperii augusti societatem admisit; hic tamen in Gruterianis inscriptionibus *pag.* 265. 3. & 379. 6. solum PONTIFEX dicitur. Extat in Cimeliis Mediceis nummus cum epigrapha: ANTONINUS PIUS AUG. PONT. TR. P. VII. COS. LUD. SAEC. FEC. S. C. alter etiam in postica signatus: PONTIF. TR. P. XII. COS. III. S. C. Item *Getæ* fratris num-

nummus inscriptus: GETA CAESAR PONTIF. COS. & in altera parte: SAECULARIA SACRA. S. C. ex quo posteriori numismate habemus duos fratres simul Pontifices; & quod obiter notatum velim, *Getam* nondum A. 205. quo consul cum *Antonino* II. fuit, Augusti titulum obtinuisse, secus ac visum est eruditissimo *Petro Possino* in notis ad acta SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis; quod ipsum demonstrat insignis inscriptio, quam post *Panvinium* produxit Gruterus *pag.* 45. 13. ea enim dicitur dicata

VII. IDVS IANVAR. D. D. N. N
IMP. ANTONINO PIO AVG. III. ET
GETA NOBILISSIMO CAES. II. COS

Anno Dionysiano 208. *Antoninus* III. & *Geta* II. consules fuere, quo anno ineunte, nondum *Geta* erat Augustus, sed tantum nobilissimus Cæsar. In laudatis etiam Cimeliis Mediceis æreus nummus visitur inscriptus: P. SEPTIMIUS GETA CAES. & in postica: PONTIF. COS. II. S. C. Vir eruditus ex *Scaligero* laudat nummum inscriptum: *Imp. Cæs. P. Sept. Geta Pius Aug. Sæcularia sacra S. C.* Cum vero Sæcularia sacra, sive ludos *Severus* Imperator peregerit A. 204. putat ex iisdem sacris in *Getæ* nummo obsignatis, certo colligi eundem memorato anno Imp. Augustum fuisse. Verum nummi illius inscriptio editos an-
171 tea à *Geta* adhuc Cæsare ludos sæculares designat, quamvis post aliquot annos ab editis ludis, idem numisma cusum fuerit. Extat nummus Augusti cum epigraphe: CAESAR COS. VI. & in altera parte: AEGYPTO CAPTA. At Augustus in quarto suo consulatu A. V. C. 724. *Ægyptum* ceperat. Res passim in nummis occurrit, ut eosdem versantibus notum. Ex his constat ad annum usque Dionysianum 211. quo pridie nonas Februarias *Septimius Severus* obiit, nunquam duos Augustos simul fuisse Pontifices Maximos. *Getam* nec patre superstite, nec eo anno quo ab ejusdem obitu cum *Caracalla* imperavit, fuisse Pontificem Maximum nummi demonstrant. Extant duo in Gaza Medicea cum inscriptione: IMP. CAES. P. SEPT. GETA PIUS AUG. & in postica: PONT. TR. P. II. COS. II. S. C. & alter: P. SEPTIMIUS GETA PIUS AUG. BRIT. & in altera parte: TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. Nummus apud Occonem, in quo *Geta* dicitur P. Max. TR. P. II. COS. II. vel adulterinus est, vel perperam exscriptus; siquidem *Geta* Tribuniciam potestatem secundam exegit vivente *Severo* patre, cum occisus fuerit A. 212. Februario exeunte, cum esset TR. P. IIII. cum hoc tantum numero anni ejusdem TR. P. in nummis scalpti appareant, ac ex laudata inscriptione ineunte anno æræ Christianæ 208. nondum Augustus diceretur. Hoc ipsum aperte testatur Dio qui *lib.* LIII. ait Imperatores omnibus sacerdotiis inauguratos esse, *semperque unus eorum* (*siquidem duo vel tres simul Imperatores sunt*) *summum Pontificatum gerit.* Semel tantum ad ætatem *Dionis* tres Augusti simul imperaverant, videlicet *Septimius Severus*, duoque ejusdem filii *M. Aurelius Antoninus* ac *P. Septimius Geta*, quos tantum ibidem *Dio* designat, qui historiæ finem imposuit *Alexandro Severo* imperante, cum anno epochæ vulgaris 233. *Artaxerxes Romanis* in Oriente bellum intulisset. Ceterum post quadriennium *Cælio Balbino*, ac *Pupieno* Maximo adversus *Maximinum* Imperatoribus ab Senatu creatis, una cum ceteris imperii augusti titulis, Pontificatus Maximus utrique delatus fuit. Capitolinus *cap.* 8. *de vita eorundem* scribit: *Decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus atque*

A *insignibus, percepta Tribunicia potestate, jure proconsulari, PONTIFICATU MAXIMO, patris etiam patriæ nomine, meruerunt imperium.* In Gaza Medicea exstant ærei nummi utriusque Augusti inscripti: IMP. CAES. D. CAEL. BALBINUS AUG. & in postica: P. M. TR. P. COS. II. P. P. S. C. Item: IMP. CAES. M. CLOD. PUPIENUS AUG. & in aversa parte: P. M. TR. P. COS. II. P. P. S. C. Hi primum duo fuere in *Romana* gente una simul Pontifices Maximi. Horum exemplo *Gallus* & *Volusianus*, dein *Valerianus* & *Gallienus* & imperii & Pontificatus Maximi collegæ in eorundem nummis designan-
B tur. Immo cum contra *Gallienum Postumus* in *Galliis* rebellasset, ceteros inter imperii titulos, Pontificatum Maximum usurpavit. In laudatis cimeliis Magni Ducis *Etruriæ* visitur nummus cum epigraphe: IMP. C. M. CASS. LAT. POSTUMUS P. F. AUG. & in postica: P. M. TR. P. COS. II. P. P. S. C. *Diocletianus* ac *Maximianus* in vetustis inscriptionibus Pontifices Maximi appellantur, Gruteri *pag.* 166. 7. & 281. 5. 7. Ita in titulo edicti apud Eusebium *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* 17. quem è Græco codice Mediceo supplectum, & integrum produxi in *disser.* 2. *de Nummo Licinii cap.* 1. *Galerius*, *Constantinus*, ac *Li-*
C *cinius* sigillatim *Pontifices Maximi* nuncupantur. Immo in celebri inscriptione *Romana* Gruteri *pag.* 160 4. *Valentinianus*, *Valens*, ac *Gratianus*, qui 172
simul imperarunt, *Pontifices Maximi* à Gentibus appellantur. Num vero uterque collega imperii Pontificatus Maximi sacris initiatus fuerit eo ritu ridiculo, quem *Prudentius* describit, vel senior tantum Augustus Pontifex Maximus inauguratus, ac sacra ea potestate uni sibi reservata, titulum solummodo Pontificis Maximi juniori collegæ concesserit, in tanta veterum monumentorum inopia haud ausim divinare. Interim ex hucusque fusius adnotatis, patet *Augustum* omnium
D primum cooptasse *Cajum* ac *Lucium* filios in ea sacerdotum collegia, in quæ ipse antea adscriptus fuerat. Nam cum ipse *Augustus* A. V. 706. Pontifex factus fuit, ac collegam habuit *Lucium Julium Cæsarem* avunculum, erat è gente *Octavia*, cum in *Juliam* post *Cæsaris* necem, anno demum V. C. 710. per adoptionem transierit. Extat nummus apud *Jo. Mariam Bidellum* J. C. Mediolanensem in antica parte inscriptus: AUGUSTUS PONT. MAX. & in postica: C. CAESAR PONT. COS. cujus iconem *cap.* 5. exhibui.

Augustus, quo *Romana* plebs *Lucium* novum Augurem, Principem Juventutis, ac consulem
E designatum, lætis acclamationibus exciperet, congiarium eidem dedit, tantum pecuniæ viritim numerans, quantum die tirocinii *Caji Cæsaris* iisdem honorum titulis decorati, distribuerat. Hujusce congiarii memoriam Ancyranæ tabulæ servarunt, in quibus hæc leguntur:

CONSVL. TERTIVM. DECIMVM SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEPIT. DEDI

In Dionis *libro* LV. quo loco spaciosam decem an-
F norum lacunam temporum injuria fecit, hæc recitantur: *Ceterum Augustus multitudinem eorum, qui frumentum ex publico accipiebant, ad hominum ducenta millia redegit; in singulos eum dedisse ducentos quadraginta denarios nonnulli auctores sunt.* Statim vero narrat Naumachiam ac exilium *Juliæ*, quæ cum hoc A. V. 752. contigerint, inde colligo hoc eodem anno numerum plebis quæ publicum frumentum accipiebat, ad CC. hominum millia redactum, ac proinde congiarium ob honores *Lucii Cæsaris* datum, confecisse *Romanæ* monetæ

netæ unum, ut vocant, millionem ac ducenta millia ſcutatorum. Suetonius, *cap.* 41. *de Auguſto*, ait: *Congiaria populo frequenter dedit, ſed diverſæ fere ſummæ: modo quadragenos, modo tricenos: nonnunquam ducenos quinquagenoſque nummos; ac ne minores quidem pueros præteriit, quamvis nonniſi ab undecimo ætatis anno accipere conſueſſent.* Ibi tamen nummos ſexagenos, quos die virilis togæ noſtrorum Cæſarum dedit, omiſit. Illa vero major altera ſumma in Ancyranis tabulis non apparet; ſed arbitror inſcriptionem Ancyranam ibidem mutilatam; nam hujus anni congiarium poſtremo loco recitatur, quod tamen ultimum non fuiſſe indicant ſexdecim anni, quibus adhuc *Auguſtus* ſuperſtes fuit; neque enim vero ſimile videtur nullum deinceps congiarium à beneficentiſſimo Principe populo *Romano* datum. Cum *Claudius Neroni* abs ſe adoptato virilem togam daret, ſcribit Tacitus *lib.* XII. additum nomine ejus donativum militi, congiarium plebi. At congiaria, quæ *Auguſtus* diſtribuit, ſuo ipſius, non filiorum nomine dediſſe dicitur in Ancyranis tabulis. Secus de ludis venationum datis ibidem legitur:

173. . TEMPUS. DEFUNCTARUM. AFRICANARUM. MEO. NOMINE. AUT. FILIORUM. MEORUM. ET. NEPOTUM. IN. CIRCO..... AUT. IN. FORO. AUT. IN. AMPHITHEATRIS &c.

Hinc colligas venationes ferarum non in ſolo amphitheatro, aut Circo, ſed etiam in Foro ab *Auguſto* exhibitas. Harum vero aliquas *nomine filiorum ac nepotum* ſe dediſſe teſtatur. Fragmentum hocce Ancyranæ tabulæ ibidem lacerum, ſupplere tentavit Gutherius *lib.* III. *de vet. jure Pont. cap.* 20.

Hos quidem honorum titulos ineunte anno V. C. 752. *Lucius Cæſar Romæ* tulit, qui in utraque *Piſana* tabula leguntur. At ibidem ſcalptum inſuper eſt: PATRONI COLONIAE NOSTRAE, quod non *Lucii Cæſaris*, ſed Coloniæ *Juliæ Piſanæ* honori deputatum fuit. Libera adhuc Republica Coloniæ ac provinciales in clientelam præpotentium civium *Romanorum* veniebant, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi *lib.* II. *Tanta*, inquit, *illis erat in omni vita temperantia, & felicitatem virtute, non fortuna metiebantur; nec tantum in ipſa urbe plebs tota erat patrocinio, ſed & coloniarum, & ſociarum & amicarum civitatum, ac bello ſubactarum, quæque ſuos habebant patronos quoſcunque vellent è Romanis civibus; & ſæpe numero Senatus controverſias civitatum ac gentium ad earum patronos remiſit, eorumque judicia rata habuit.* Ita *Tralliani* erant in clientela *Flaccorum*, ex *Cicerone* in oratione pro *Flacco num.* 42. *Marcelli* erant patroni *Siculorum* ex *Verrina ſexta*. *Claudii Lacedæmoniorum* ex Suetonio *cap.* 6. *de vita Claudii*. Appianus *lib.* II. *bel. civ. pag.* 430. ait: *Allobroges ancipites conſilii, rem cum Fabio Sanga communicant, Allobrogum patrono.* Perperam recentior interpres vertit: *ſuæ civitatis patrono*; ſiquidem *Sanga Appiano* dicitur τῶν Ἀλλοβρόγων προστάτης; *Allobroges* enim non unius urbis cives, ſed provinciæ ad *Rhodanum* populi, vulgo nunc *Sabaudienſes* nuncupati. *Allobroges* à *Fabio* Maximo victi, *Siculi* vero à *Marcello* debellati, eorum familias ſuæ gentis patrocinium ſuſcipere voluerunt. Valerius Maximus *lib.* IX. *cap.* 15. narrat *Herophilum* medicum ſemet nepotem *C. Marii* ſepties conſulis finxiſſe, magnique nominis veneratione tantam ſibi auctoritatem conciliaſſe, *ut coloniæ veteranorum complures, & municipia ſplendida, collegiaque fere omnia patronum adoptarent.* Hic à *C. Cæſare* Dictatore extra *Italiam* relegatus, cum eodem occiſo, *Romam* reverſus, de interficiendo Senatu cogitaret, in carcerem conjectus, ac neci traditus, uſurpati per dolum patrocinii pœnas dedit. Hunc intelligit *Tullius* initio *Philip.* I. cum ait: *Uncus impactus eſt fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaſerat.* *Itali* univerſi *Scipionem Africanum* patronum ſibi elegere, ex Appiano *lib.* I. *bell. civ. pag.* 361. *Junii Bruti* erant patroni *Puteolanorum* ex *Philip.* 2. Ciceronis; *Antonii Bononienſium*, ex Suet. *cap.* 17. *in Auguſto*. Plinius junior *lib.* IV. *epiſt.* I. ſcribit ſe à Tiphernatibus *pene adhuc puerum patronum cooptatum.* Quod poſtremum verbum plures fuiſſe ejuſdem urbis patronos ſignificat. Hinc *Cicero* gloriæ ſibi vertit, quod ſolus fuerat adoptatus patronus à *Capuanis*. Hæc ille contra *Piſonem num.* 19. *Me inaurata ſtatua donaverant; me patronum unum aſciverant.* Et in *Seſtiana* gloriatur, quod *Capua* ſe *unum patronum* adoptaſſet. Auctor eſt Cæſar *lib.* I. *de bello civ. cap.* 35. à Maſſilienſibus deſignatos *Cn. Pompejum & C. Cæſarem patronos civitatis, quorum alter agros Volcarum, Arecomicorum, & Helviorum publice iis conceſſerit: alter bello victas Gallias attribuerit, vectigaliaque auxerit.* Verum uterque patronus urbi illi bello civili nocuit; *Cæſar* cum illos obſedit, *Pompejus* cum obſeſſis ſuppetias non miſit. Extant plurimæ apud *Gruterum* inſcriptiones, in quibus coloniarum ac municipiorum Patroni laudantur. Pag. 439. 6. *Neapoli* regio primaria *Herculanenſium L. Munacio.*

PATRONO MIRABILI STATUAM PONENDAM DECREVIT

Leguntur etiam in eodem opere formulæ, quibus civitates ſuos ſibi Patronos adoptabant. Unam ex *pag.* 362. ſubjicio.

DD. NN. CRISPO. ET. CONSTANTINO. JVNIORE. NOBILISSIMIS. CAESS. COSS. IIII. KAL. SEP.

Municipes. Municipi. T. Æli. Hadriani. Aug. Civilitani. Q. Aradium. Rufinum. Valerium. Proculum. C. V. liberos. poſteroſque. ejus. ſibi. liberis. poſteriſque. ſuis. Patronos. cooptaverunt. teſſeramque. hoſpitalem. cum. eo. fecerunt.

Q. Aradius. Rufinus. Valerius. Proculus. liberi. poſterique. ejus. Municipes. Municipi. T. Ælii. Hadriani. Aug. Civilitani. liberos. poſteroſque. eorum. in. fidem. clientelamque. ſuam. receperunt. In. quam. rem. gratuitam. legationem. ſuſceperunt. Inſteus. Renatus. &. Apollonius. Gallentius. Duoviri. T. Ælius. Nigozinus. &. Ælius. Fauſtinus. Ædiles. L. Ælius. Optatianus. Cammarianus Flavius. Secundinus. Domitius. Optatianus. &c.

Alia id genus decreta pro cooptandis patronis habes *pag.* 363. 443. & 456. Ex quibus patet Patronos nobiliſſimorum civium, immo ipſorum Magiſtratuum legatione deſtinata, civitatum tutelam ſuſcepiſſe, in quorum etiam palatiis cives, ſi quando *Romam* venirent, hoſpitarentur; is enim honor erat teſſeræ hoſpitalis. Quare nullus dubito, quin coloni *Juliæ Piſanæ opſequentis*, præcipuorum civium legatione *Romam* miſſa, *Lucium Cæſarem* coloniæ Patronum adoptaverint.

CAP.

175 CAP. VIII.

Quinam Romanorum PATRES PATRIÆ *nuncupati?* Augustus *eum titulum sero obtinuit. Annus perperam ab aliis statutus, ex* Prænestina *inscriptione indagatur. Ejusdem explicatio. Quædam inscriptiones lapidum ac nummorum expositæ. Templi Martis Ultoris dedicatio. Naumachia* Augusti. *Ejusdem spectacula nomine* Caji *ac* Lucii Cæsarum *edita.* Julia *eorundem* Cæsarum *mater ob adulteria in exilium deportatur. Quid* Tacitus *ac* Seneca *de* Augusti *severitate senserint. Fasti consulares suppleti.* Cajus Cæsar *ad legionum castra circa* Istrum *dimissus.* Saliani *falsum de* Dione *judicium.*

Annum V. C. 752. cujus initia tot in *Lucium Cæsarem* honorum titulis congestis, ac congiario plebi dato, *Augustus* ac universus populus *Romanus* feliciter auspicatus fuerat, Patris Patriæ cognomen Principi delatum, ac splendidissimi ludi exhibiti, templique Martis bis-ultoris dedicatio, lætiorem longe reddidere. Singula ordine memorabo. Cum in *Pisanis* tabulis Augustus PATER PATRIAE sæpius nuncupetur, annus quo primum eo titulo idem Imperator appellatus fuit, indagandus est, quod in eodem assignando viri eruditione ac multiplici literatura præstantes errarunt. Plinius noster Veronensis *lib.* VII. *cap.* 30. hisce *Ciceronem* compellat: *Salve primus omnium Parens Patriæ appellate, primusque in toga triumphum, linguæque lauream merite.* Hunc vero titulum *Camillo* primum delatum auctor Livius *lib.* V. *Dictator*, inquit, *recuperata ex hostibus patria, triumphans in Urbem redit: interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, PARENS PATRIÆ, conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellabatur.* Quem titulum per jocum à militibus *Camillus* retulit, eundem in Senatu *Cicero* ob compressam *Catilinæ* conjurationem obtinuit. Plutarchus in *Cicerone*, ac ex eodem Appianus *lib.* II. *bel. civ. pag.* 431. delati hujusce *Tullio* cognominis *Catonem* auctorem prodiderunt. Verum ipse potius *Cicero* audiendus venit in Pisoniana: *Me Q. Catulus princeps hujus Ordinis, & auctor publici consilii, frequentissimo Senatu, parentem patriæ nominavit.* Idem in Sestiana num. 105. *Me, me ille*, ait, *absentem ut patrem deplorandum putarat, quem Q. Catulus, quem multi alii sæpe in Senatu patrem patriæ nominarunt.* Idem tamen Cicero C. *Marium* municipem suum eo cognomine nuncupaverat in *Rabiriana num.* 20. laudans *Cajum Marium quem vere patrem patriæ, parentem, inquam, vestræ libertatis, atque hujusce Reipublicæ possumus dicere.* Cum *Cæsar* Dictator *Pompejis* fratribus difficili ac cruento prœlio in *Hispania* superatis, bellis civilibus finem imposuisse videretur, maximos à *Romano* Senatu, tanta civium clade adulationem edocto, honores retulit, quos recenset Dio *lib.* XLIV. addens: *Ad hæc Patris Patriæ nomen imposuerunt.* Idem tradit Suetonius *cap.* 76. Ita virum tanto adhuc civium sanguine fumantem, tam miti vocabulo, per detestandam adu-
176 lationem, appellarunt. Prostant *Cæsaris* nummi inscripti: CAESAR PARENS PATRIAE. Recte Juvenalis *Sat.* 8. *v.* 244.

Roma patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.

Hic enim à servitute, quam conjurati eidem minabantur, patriam liberaverat; unde à libera ac per ipsum tum liberata Republica, tam dulce nomen audivit. At *Cæsar* cum patriam tot nobilissimis ac fortissimis filiis orbasset, *Parens patriæ* appellatus fuit, cui etiam à conjuratis occiso, solidam columnam populum in foro statuisse inscriptam: PARENTI PATRIAE, tradit Suetonius *cap.* 85. At Cicero *lib.* XII. *fam. epist.* 3. de

A M. Antonio scribit: *Primum in statua, quam posuit in Rostris, inscripsit:* PARENTI OPTIME MERITO. Utrobique ille titulus inscriptus videtur, præsertim cum *Ciceroni* laudetur initio primæ philippicæ facta per *Dolabellam eversio illius execratæ columnæ.* Hinc Idus Martias, qua die *Cæsar* Pater Patriæ occisus fuerat, *Parricidium* ignominiæ causa nominarunt, ex Suetonio in *Cæsare cap.* 88. Ægre tamen ferebat *Cicero*, quod datum sibi quondam nomen, *Cæsari* vel trucidato deferretur, ita tamen ut eodem *Cæsarem Octavianum* adolescentem nondum vicesimum ætatis annum egressum, eodem potius exornandum contestaretur. Hæc ille in Philippica 13. contra *Antonium* declamavit: *Si enim ille* (Cæsar Dictator) *parens patriæ est, ut tu appellas; ego quid sentiam, videro: cur non hic*, nempe Octavianus, *PARENS verior, à quo certe vitam è tuis facinorosissimis manibus ereptam habemus?* Ita *Augustus* Parens patriæ audivit à *Cicerone* uno & quadragesimo anno antequam id cognominis à S. P. Q. R. obtineret. Scribit Suetonius *cap.* 58. plebem *Romanam* missa *Antium* legatione, eum titulum *Augusto* obtulisse, quem cum ille recipere recusasset, ineunti *Romæ* spectacula, iterum detulisse, ac mox Senatum in curia per *Valerium Messallam*, id mandantibus cunctis. Addit *Messallam* ita locutum: *Quod bonum faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste, (sic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicæ, & læta huic precari existimamus) Senatus te consentiens cum populo Romano, consalutat PATRIAE PATREM.* Cui lacrymans Augustus respondit, *compotem se suorum votorum factum, precarique Deos, ut illum omnium consensum ad ultimum vitæ finem sibi perferre liceret.* Diem qua Cæsar Augustus *Pater Patriæ* fuit appellatus, designat Ovidius *lib.* II. fastorum, videlicet Nonas Februarias.

Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,
Maximus his fastis accumulatur honor.
Sancte PATER PATRIAE, tibi plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit: hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit; sero quoque vera tulisti
Nomina; jam pridem tu pater Orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in æthere Juppiter alto,
Nomen habes: hominum tu pater, ille Deum.

Annus tamen, quo *Augustus* Pater patriæ dictus fuit, hucusque dubius apud Scriptores evasit. Ovidius sane ait: *sero quoque vera tulisti nomina*, & Hadrianus teste *Spartiano cap* 6. delatum sibi initio imperii titulum Patris patriæ recusavit: *quod hoc nomen Augustus sero meruisset. Panvinius* magnus ille librorum helluo, & in *Romana* historia ad stuporem usque versatus, scribit *lib.* II. *com. in fastos Augustum* A. V. 758. Patrem patriæ appellatum; idem postea tradidit *Casaubonus* ad laudatum locum *Spartiani*, *Calvisius*, ac ceteri eorundem exscriptores. *Salianus* tamen longe prius illud 177
cognomen delatum *Augusto* scribit, nempe A. V. 742. quo putat *Herodem* primum *Romam* navigasse; ut Imperatorem *cum S. P. Q. R. Patrem patriæ salutaret. Saliani* errorem inscripti lapides refellunt; nam nec illo anno, neque novem aliis insequentibus, eo cognomine in vetustis elogiis appellatus legitur, quod erudite *Panvinius* observarat. *Joannes Petrus Bellorius Romanarum* antiquitatum indagator solertissimus idemque doctissimus earundem interpres, in libro de duobus Nummis Antonianis pag. 10. & 11. binas inscriptiones profert *Augusto* dicatas, in quarum priori dicitur TRIB. POTEST. XV. ac ibidem designantur consules *Nero Claudius Drusus* ac *Titus Quinctius Crispinus* A. V. 746. in altera vero sculpta legitur TRIBUNIC. POTEST. XVIIII.

C. Calvisio Sabino L. Passieno Rufo Coss. A. V. 750. nusquam vero titulus *Patris patriæ* ceteros inter ibidem inscriptos, apparet. *Panvinii* ac *Casauboni* metachronismum refellunt *Pisana* Cæsarum cenotaphia. Nam in tabula de annuis inferiis *Lucii Augustus* dicitur: TRIBUNICIAE POTESTATIS XXV. nempe XIII. Kal. Octob. A. V. 755. & ibidem idem Princeps *Pater patriæ* nuncupatur, qui pariter titulus in *Cajano* etiam lapide legitur. Ita viri eruditi, *Pisanis* hisce monumentis malo adhuc fato latentibus, illud nomen serius Principi delatum existimarunt; quod tamen etiam ante quadriennium quam *Lucii* cenotaphium dicaretur, eidem Imperatori attributum ostendit *Prænestina* inscriptio *pag.* 136. Gruteri, quam etiam notis illustravit doctissimus, ac quondam amicus Joseph Suarezius *lib.* I. *Antiq. Prænest. cap.* 18. Est fragmentum veteris Kalendarii, in quo hæc tantum leguntur:

NON. N. CONCORDIAE
IN. ARCE. FERIAE. EX
S. C. QVOD. EO. DIE
IMPERATOR CAESAR
AVGVSTVS. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIB. POTEST
XXI. COS. XIII. A. SENATV
POPVLOQVE. ROMANO. PATER
PATRIAE. APPELLATVS

Augustus A. V. 731. ut præter *Dionem* testantur plurimæ inscriptiones & fragmenta ipsa Capitolina, Tribuniciam potestatem accepit V. Kal. Julias, quod scite notavit meus *Panvinius*; cum vero quotannis eandem potestatem iteraverit, A. V. 752. Nonis Februariis erat Tribuniciæ potestatis XXI. ac Consul XIII. qua quidem die Pater patriæ dictus fuit. *Suarezius* laudatus legit IN ARCE FERINAE; sed cum *Grutero* FERIAE legendum est; cujus interpretatio ex Varrone desumenda est *lib.* v. *de L. L. Harum rerum*, inquit, *vestigia apparent in sacris Novalibus in Arce: quod tunc ferias primas menstruas, quæ futuræ sunt eo mense, Rex prædicit.* Etenim rex sacrorum in arce, quæ erat in Capitolio, ferias cujusque mensis populo prædicebat; erant enim, ut ait Livius *lib.* v. *arx, Capitoliumque sedes Deorum.*
178 Macrobius *L.* I. *Satur. cap.* 15. scribit sacrificio à rege sacrorum ac Pontifice minore celebrato, plebe in Capitolium juxta curiam *Calabram* vocata, Pontificem minorem edicere solitum quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent: *Rusticos vero ex agris in urbem confluere solitos accepturos causas feriarum à Rege sacrorum, scituros que, quid esset eo mense faciendum.* Eas autem ferias ex *Varrone* rex sacrorum in Arce prædicebat. In fragmento Kalendarii apud Gruterum *pag.* 134. ad diem 2. Augusti, legitur:

F. IIII. N. FERIAE. QVOD. HOC. DIE. IMP.
CAESAR. HISPANIAM. CITERIOREM. VICIT

Romani dies victoriis ab Augusto reportatis, vel novis honorum titulis eidem delatis, insignitos, inter feriatos, adulandi gratia, referebant. Ita cum A. V. 735. *Græcia, Asia*, ac *Syria* perlustratis, in Urbem rediisset, *diem sui reditus inter ferias referri & Augustalia dici passus est.* Ex Dione lib. LIV. Hinc explicatio *Prænestinæ* inscriptionis deducitur; nempe: *Nonis Novalia Concordiæ*, quod in eam diem à rege sacrorum *feriæ in Arce* prædicebantur, ob delatum *Augusto* titulum Patris patriæ.

Quidam ex lapidum ac nummorum inscriptio-
A nibus existimarunt ante A. V. 752. eum titulum *Augusto* delatum fuisse. Salianus *tom.* 6. A. Mundi 4058. in scholio secundo producit fragmentum laceræ inscriptionis apud *Sedunum*, in qua *Augustus* dicitur . . RIBUNICIA POTESTATE XV. & postea *Pater Patriæ*. Verum Gruterus *pag.* 226. 6. advertit eam inscriptionem perperam à *Lipsio* aliisque recitari; siquidem ex *Simlero* ac *Commelini* schedis scalptum ibi apparet POTESTATE Xv . . . inferiori parte alterius decennalis notæ, aliarumque insequentium ibidem detracta. Hubertus Goltzius *lib.* II. *veterum Numismatum pag.* 216. plures nummos producit, in qui-
B bus *Augustus* longe ante annum 752. Pater patriæ inscribitur. Nempe: *Imp. Cæsari Divi F. Cos. V. P. P. Imp. VII. S. P. Q. R.* Anno V. C. 725. Augustus quintum consulatum gessit. Item: *Cæsar Divi F. Augustus Cos. VIII. P. P. Imp. VII.* Anno V. 728. fuit consul VIII. Idem titulus cum Trib. Pot. III. & VIII. in aliis nummis Augusteis junctus apud eundem Antiquarium legitur. Ego sane hisce nummis haud integram fidem habere possum. Prior sane, nisi adducenda mox explicatione utamur, adulterinus est, quod miror *Goltzium* non observasse ex *Suetonio*, qui in *Augusto cap.* 58. hæc ipsa verba *Messallæ* Patrem
C patriæ *Augustum* publico Senatus nomine appellantis, recitat: *Quod bonum, faustumque sit tibi, domuique tuæ, Cæsar Auguste &c. Senatus te consentiens cum Pop. Rom. consalutat patriæ Patrem.* At *Cæsar Octavianus* in suo consulatu VII. A. V. 726. *L. Munatii Planci* sententia *Augusti* cognomen obtinuit, ex Dione *lib.* LIII. ac Censorino *cap.* 8. *de die Natali*, quo quidem cognomine cum à *Messalla Patris patriæ* titulum eidem deferente, appellatus fuerit, plane evincitur falsam esse ejus nummi inscriptionem, in qua consul V. P. P. nuncupatur. At si quis religioni habeat tot nummos inter spurios rejicere, unum reponi posse vi-
D detur, nempe posterioribus imperii ejusdem annis nummos jussos recudi, in quibus una simul tum consulatus, tum etiam anni Tribuniciæ potestatis *Augusto* jam exacti per ordinem scalperentur: cum vero id temporis *Augustus* P. P. jam diceretur, hunc titulum consulatibus post victum *Antonium Augusto* gestis, ac singulis annis TRIB. 179
POT. additum à Monetariis. Equidem *Dio*, qui singulos *Augusti* titulos suis quosque annis primum recenset, *Patris patriæ* cognomen usque ad A. V. 748. nusquam *Augusto* attributum memorat; cum vero insequentis decennii lacuna in ejusdem annalibus sit, intra illud annorum spatium *Augustus*
E P. P. appellatus fuit. Præterea cum ad annum usque V. C. 750. plurimæ dicatæ *Augusto* inscriptiones apud *Panvinium* ac *Gruterum* legantur, prodigio propius videri possit, nusquam eundem Imperatorem P. P. inscribi: si eo titulo id temporis decoratus fuisset; præsertim cum *Augustus* eo sibi delato, *lacrymans* dixerit: *Compos factus votorum meorum P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari &c.* Extat Gruteri *pag.* 58. 1. saxi inscriptio, in qua *Augustus* dicitur: *Pont. Max. Trib. Pot. VII. Cos. IIII. P. P.* Omnia digna risu. *Augustus* Pont. Max. factus est A. V. 741. Tribunicia potestas VII. eidem exiit A. V. 738.
F Denique A. 724. fuit consul IV. Ne quid tamen dissimulem, ex *Prænestina* inscriptione fateor annum decreti Augusto tituli P. P. non adeo certo deduci, quin reponi possit eundem inscribi Trib. Pot. XXI. ac Cos. XIII. non quod eo anno 752. appellatus fuerit P. P. sed quod eo anno à *Prænestinis* decretum emissum fuit, ut dies Nonarum Februarii inter feriatos referretur ob delatum eo die titulum P. P. Imperatori Cæsari *Augusto*. Ceterum nemo ignorat Colonias ac Municipia insigni

gni decreto delatos à S. P. Q. R. *Augusto* honores statim, ut ita dicam, auxisse. Legitur altera inscriptio Gruteri pag. 199. 3. *Prænestino* Kalendario similiter:

IMP. CAES. AVG
PONT. MAX. TRIB
POT. XXI. COS. XIII
PAT. PATR
TERM. AVG. INTER
LANC. OPP. ET
IGAEDIT

Hoc anno V. 752. die 12. Maji *Augustus* templum Martis Ultoris dedicavit. Hoc templum diu antea *Augustus* bello civili adversus *Cæsaris* interfectores voverat A. V. 712. sed rebus prospere succedentibus, voti oblitus, anno demum 734 idem templum extrui jussit, ut in eodem recepta à *Parthis Romana* signa suspenderet, ex Dione *lib.* LIV. Ovidius *lib.* V. *fastorum* ad IV. Idus Maji, hoc votum in acie *Philippensi Augusto* nuncupatum scribit:

Si mihi bellandi pater est, Vestæque sacerdos
Auctor; & ulcisci nomen utrumque paro.
Mars ades, & satia scelerato sanguine ferrum:
Stetque favor causa pro meliore tuus.
Templa feres, & me victore vocaberis ultor.
Voverat, & fuso lætus ab hoste redit.

Deinde cum narrasset *Parthos*, bello tantum de proximo ab *Augusto* ostentato, immo solius *Augusti* nominis terrore perculsos, raptas *Crasso Aquilas* ad eundem remisisse, ait:

180 *Rite Deo, templumque datum, nomenque Bis-ultor:*
Emeritus voti debita solvit honor.
Solemnes ludos Circi celebrate, Quirites;
Non visa est fortem scæna decere Deum.

Nummos *Augusti* cum effigie templi inscriptos MARTIS ULTORIS, exhibet doctissimus Patinus ad *cap.* 29. *Suetonii*, & in fragmento Ancyrano legitur: ULTORIS TEMPLUM; quod sane templum hoc A. V. 752. dedicatum fuisse auctor est Vellejus *lib.* II. *At in urbe*, inquiens, *eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorii muneris naumachiæque spectaculis, Divus Augustus, abhinc annos XXX. se & Gallo Caninio Conf. dedicato Martis templo, animos oculosque P. R. repleverat, fœda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit.* Scripsit *Vellejus Vinicio* consule, cui libros dicavit, à cujus consulatus exordio ad exitum A. V. 752. triginta anni numerantur. *Augustus* postremis annis imperii semestres consules creabat, quod ex fragmentis Capitolinis colligitur. Ipse vero quinque tantum consulatus annuos gessit, à sexto scilicet ad undecimum, quem annuum non gessit, suffecto sibi *L. Sestio*, ut ex fastorum fragmentis Capitolinis ac *Dione* alii jam antea observarunt. Suetonius in *Augusto cap.* 26. ait: *Ceteros autem sex aut novem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus, secundum vero paucissimis horis.* Cum vero hoc A. V. 752. *Augustus* Kal. Januariis consulatum XIII. inierit, collega *M. Plautio Silvano*, ac *Vellejus* eidem *Augusto* in eodem tertio decimo consulatu *Caninium Gallum* collegam addat, infero *Caninium Gallum*, cum *M. Plautius* pridie Kal. Julias abdicasset, in reliquos sex menses consulem suffectum, ac *Augustum* novem menses in eodem magistratu continuasse. Nescio vero cur fastorum concinnatores *Panvinius, Sigonius*, ac *Pighius Caninio Caji* prænomen imponunt; cum *Vellejus* qui unus nobis eum suffectum consulem indicavit, prænomen omittat. At certum est eundem *Lucii* prænomen tulisse, ut sit filius *L. Caninii Galli* consulis A. V. 717.

A Extat nummus *Augusti* cum epigraphe in postica parte: L. CANINIUS GALLUS III. VIR. cum effigie *Parthi* signum curvato genu offerentis. *Augustus* viros tres prætura functos ærario præfecit, ex Tacito *lib.* XIII. *Annal.* quos inter post A. V. 734. quo signa idem à *Parthis* recepit, fuit *L. Caninius Gallus*, postea consul suffectus, ac collega *Augusti* postremus; hic enim post decimum tertium, nullum postea consulatum gessit, ut contra *Baronium* demonstrabo. Quamvis autem *Vellejus Caninio* consule nominato, templum Martis dedicatum recenseat, non tamen post Kal. Julias dedicatio peracta fuit; nam gladiatorium
B tantum munus ac naumachia eodem consulum collegio signantur, addita postea templi Martis consecratione, ne rem ejus anni memorandam omisisse videretur. *Ovidius* haud sinit nos de die ac mense dedicati templi Martis Ultoris dubitare.

Naumachiæ ab *Augusto* exhibitæ meminere Dio in fragmento L. 55. dicens: *Aquam in Circum Flaminium induxit, in ea triginta sex crocodili sunt concisi:* & Suetonius *cap.* 43. narrans *Augustum* inter cetera spectacula exhibuisse *navale prælium circa Tiberim cavato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est.* Navalem *Persarum* cum *Atheniensibus* pugnam ad *Salaminam* repræsentasse ocula-
C tus testis Ovidius prodit *lib.* I. *de arte* canens:

Quid modo cum belli navalis imagine Cæsar
Persidas induxit, Cecropidasque rates.
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellæ 181
Venere: atque ingens Orbis in urbe fuit.

Nero etiam *Augusti* exemplo, ex *Dione* apud *Xiphilinum*, *bellum navale Persarum cum Atheniensibus fecit*; & quidem, marina aqua, innatantibus belluis, quod *Suetonius* etiam affirmat in Nerone *cap.* 12. Situs Augustæ Naumachiæ in Ancyranis tabulis proditur.

NAVALIS. PRAELII. SPECTACVLVM. POPVLo. ex-
D hibui LIBERVM. IN QVO. LOCO. NVNC. NEMVS. EST. CAESARVM. CAVATO. solo. in LONGITVDINE. MILLE. ET. OCTINGENTOS. PEDES. IN. LATITVDINE. PEDES. DVCENTI. IN. QVO. TRIGINTA. ROSTRATAE. NAVES. TRIREMESQVE. PLVRIMAE .... INTER. SE. CONFLIXERVNT ..... occubueRVNT. PRAETER. REMIGES. MILLIA .... CIRCITER ....

Ex hoc fragmento colligimus in eo loco, in quo *Augustus* naumachiam exhibuerat, densas postea arbores consitas, quæ *Nemus Cæsarum* dictæ, *Caji*, ac *Lucii* memoriæ dicatæ sunt. Cum *Suetonius* proxime laudatus dixerit: *in quo nunc Cæsarum nemus est*, inferre quis posset tempore *Sueto-*
E *nii* qui post exactum ab *Augusti* morte sæculum, floruit, idem nemus superfuisse, ac neminem successorum Principum memoriæ *Caji* ac *Lucii* sacratam sylvam exscidisse. At *Dio* apud *Xiphilinum* de *Nerone* scribit: *Populo epulum dedit intra naves in eo loco, in quo ab Augusto bellum navale factum fuerat.* Sed de his alii viderint, qui antiquæ *Romæ* topographiam quærunt. Idem *Suetonius* in fine ejusdem capitis 43. de *Augusto* ait: *Nepotum quoque suorum munere, cum consternatum ruinæ metu populum retinere, & confirmare nullo modo posset, transiit è loco suo, atque in ea parte consedit, quæ suspecta maxime erat.* Cum annus
F quo *Cajus* ac *Lucius* hoc munus ediderint, mihi ignoretur, hoc illud loco ex *Suetonio* commemorandum duxi. Imperator, quo filiis benevolentiam plebis conciliaret, plura eorundem nomine spectacula edebat, cum in iisdem tabulis Ancyranis numerentur feræ occisæ in spectaculis MEO. NOMINE. AUT. FILIORUM. MEORUM. ET. NEPOTUM.

Interea, ut sunt humana, *Augusti* ac Populi *Romani* gaudia toto fere hoc anno feliciter con-

tinuata, repentinus turbo decussit. *Augustus* quemadmodum foris prospera, ita domi adversa sæpius fortuna usus fuit. *Julia* ejusdem filia ac nostrorum *Cæsarum* mater ex *Rhodiensi* secessu *Tiberii* mariti securiorem licentiam captans, nihil quod facere, aut turpiter pati femina posset, infectum relinquens, Augustæ domus honorem tum Senatorii tum Equestris ordinis viris per summum flagitium prodebat. Pater adeo severa illam disciplina educaverat, ut eandem vetaverit *loqui, aut agere quidquam, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. Extraneorum quidem cœtu adeo prohibuit, ut L. Tucinio claro decoroque juveni scripserit quondam: parum modeste fecisse eum, quod filiam suam Bajas salutatum venisset.* Horum testis Suetonius *cap.* 64. Primo quidem *Marcello* nupserat, deinde *Agrippæ* annum agens duodevicesimum, cum quo per novennium vixit. At quod procul ab oculis *Augusti* non modo in *Asiam* cum *Agrippa* toti Orienti præposito, transmisit, verum etiam eundem *Asiam* perlustrantem, immo & bellum in *Bosphoro* gerentem sequi voluit, in pravos statim mores defluxit.

182 Scribit Tacitus de Sempronio Gracchο *lib.* I. *Juliam in matrimonio Agrippæ temeraverat; nec is libidini finis; traditam Tiberio, pervicax adulter contumacia & odiis in maritum accendebat.* Augustus adulteriorum filiæ indicia exceperat; sed, ut ait Macrobius *lib.* II. *Satur. cap.* 5. *cum ad nepotum turbam similitudinemque respexerat, qua repræsentabatur Agrippa, dubitare de pudicitia filiæ erubescebat.* Postremo post *Agrippæ* mortem, *Augusti* privigno *Tiberio Neroni* copulata, initio mutuo cum eodem amore vixit, sed mox dissedit, ut perpetuo etiam secubaret. Illo vero *Rhodum* postea secedente, in omnem licentiam prorupit. Non defuere qui affirmarent ipsum fictas ejus secessus causas prætexuisse, cum id consilii cepisset *uxoris tædio, quam neque criminari, aut dimittere auderet, neque ultra perferre posset*, ex Suetonio in *Tiberio cap.* 10, Cum vero *Augustus* certissima adulteriorum filiæ indicia accepisset, ac præsertim ab eadem *Julum Antonium Marci* Triumviri filium ac *Marcellæ* suæmet neptis maritum, procorum præcipuum, in spem imperii erectum, ira ac timore pudori mixtis agitari cæpit. Recte Seneca *cap.* 5. *de brevitate vitæ: Filia & tot nobiles adolescentes adulterio velut sacramento adacti, jam infractam ætatem territabant, postquam iterum timenda cum Antonio mulier.* Vicere tandem pudorem metus ac indignatio. Hæc ait Suetonius *cap.* 65. *De filia absens ac libello per quæstorem recitato, notum Senatui fecit: abstinuitque congressu hominum diu præ pudore: etiam de necanda deliberavit.* Illam tamen in Pandatariam insulam deportari in exilium jussit, vino omnique delicatiori cultu eidem interdicto, cum prius nomine *Tiberii*, quamvis hic procul rem ignoraret, repudium remisisset. Adulteros partim exilio, partim capitali sententia damnavit. Eos inter nominantur *Vellejo Quinctius Crispinus, Appius Claudius, Sempronius Gracchus, Scipio*, aliique minoris nominis. Ibidem vero narrat *Julum Antonium* voluntaria nece sibi illata, supplicium prævertisse. Tacitus *libro tertio Annal.* de adulteris ac filia punitis ab *Augusto*, scribit: *Culpam inter viros ac feminas vulgatam, gravi nomine læsarum religionum, ac violatæ majestatis appellando, clementiam majorum, suasque ipse leges egrediebatur.* Seneca vero *lib.* VI. *de beneficiis cap.* 22. *Augusti* contra filiam sententiam in examen vocans ait; *Hæc tam vindicanda Principi quam tacenda (quia quarundam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit) parum potens iræ publicaverat. Deinde cum interposito tempore, in locum iræ subiisset verecundia, gemens quod non illa*

A *silentio pressisset, quæ tandiu nescierat, donec loqui turpe esset, sæpe exclamavit: Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa, aut Mæcenas vixisset. Juliam* postrema parte A. V. 752. adulteriorum convictam, ac damnatam tradit Vellejus *lib.* II. scribens: *At in Urbe eo ipso anno quo* munus gladiatorium ac naumachiam *Augustus* se & *Caninio Gallo* consulibus exhibuit, *fæda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit*; statimque *Juliæ* ac adulteris irrogatas pœnas recitat. Macrobius *lib.* II. *Satur. cap.* 5. de Julia ait: *Annum agebat tricesimum & octavum, tempus ætatis (si mens sana superesset) vergentis in senium, sed indulgentia*
B *tam fortunæ quam patris abutebatur.* Nata est *Julia* A. 715. ex Dione *lib.* XLVIII. Igitur anno quo relegata est, tricesimum octavum agebat, ac recte *Macrobius* cum *Vellejo* convenit. *Tacitus* in insequentem annum *Juliæ* exilium videtur protrahere; siquidem testatur *lib.* I. *Annal. Tiberium*, cum A. V. 767. die 19. *Augusti* in imperium successisset, *Juliam* statim inopia ac tabe necandam jussisse, simulque misso in *Cercinam Africi* maris insulam milite, *Sempronio Graccho* uni 183
adulterorum cervicem præcidisse, qui, inquit, *quatuordecim annis exilium toleravit.* At ab A. V. 752. ad A. 767. & quidem circa Septembrem
C anni quindecim numerantur. Ricciolius *lib.* VI. *tom.* I. *suæ Chronol. cap.* 14. *num.* 8. ait, anno Juliano 44. desinente, quo *Augustus* consulatum XIII. gessit, adulteria *Juliæ* in *Augusti* notitiam venisse; at ob diuturnas quæstiones causam in insequentem annum protractam, ac *Juliam* relegatam fuisse *nisi sub finem anni* 45. *Juliani* V. C. 753. Sed adulteria *Juliæ* notiora erant, quam ut annum eorundem inquisitio exigeret. Auctor est *Seneca* Patrem in filiam sententiam pronuntiasse, antequam in locum iræ verecundia subiret. *Juli Antonii* ac *Phœbæ* libertæ criminum consciæ voluntaria mors rem ipsam statim publicaverat. *Dio*
D tamen in excerptis à *Valesio* editis, scribit *pag.* 664. inter adulteros *Juliæ* quendam Tribunum plebis fuisse, qui *non ante in judicium vocatus est, quam magistratu abiret.* Tribuni vero plebis magistratum, successoribus acceptis, abdicabant IIII. Idus Decembris, quod etiam imperante *Augusto*, in usu fuisse testatur Dionysius Halicarnassensis *lib.* VI. scribens primos tribunos plebis creatos *ante diem IV. Idus Decembris, quemadmodum fit & nostro tempore.* Ille vero eos libros scribebat *Claudio Tiberio Nerone* II. & *Cn. Pisone* Coss. A. V. 747. Unde infertur eam causam ante mensem Decembrem cognitam fuisse *eo ipso anno quo*
E *Augustus*, ut inquit *Vellejus*, cum *Caninio Gallo* consul fuit. Immo ex hoc *Velleji* testimonio, addito altero *Suetonii* superius laudato, colligo ante exitum Septembris A. V. 752. *Juliæ* adulteria *Augusto* palam indicata. Nam ex *Suetonio* eo anno, nono postea mense, consulatum abdicavit, altero sibi suffecto. *Panvinius, Sigonius*, ac *Pighius*, qui eruditissimis commentariis fastos consulares illustrarunt, scripserunt hactenus ignorari quinam in locum Augusti consul suffectus fuerit. Illum tamen, præeunte *Lipsio*, ex Ancyranis tabulis exhibeo, in quibus recitantur
F consules & quidem ordinatim dispositi, in quorum magistratu *Augustus* milites in colonias deduxit. Ibi autem post *Neronem* ac *Pisonem* A. V. 747. & post *C. Antistium* ac *D. Lælium* A. V. 748. legitur: L. CANINIO. ET Q. FABRICIO CONSULIBUS; nempe hi fuere consules suffecti A. V. 752. ut *L. Caninius Gallus* Kal. Juliis magistratum inierit collega *Augusto* coss. XIII. in cujus locum Kal. Octobris *Q. Fabricius* suffectus fuit; ac proinde ante Octobrem *Julia* cum ceteris rea adulteriorum peracta est. Interim prænomen

nomen *Caninii*, qui *Cajus* in commentariis fastorum dicitur, in *Lucium* mutandum esse patet, quod ex nummo etiam ejusdem superius ostendebam. Quod vero *Tacitus* quatuordecim annos exilii *Sempronii Gracchi* numerat, haud dubium facit annum damnatæ *Juliæ*, sed annos integros intermedios accepit; vel forte *Sempronius* sub custodia *Romæ* detentus, inito postea anno sequenti, in *Circinam* deportatus fuit.

Salianus ad A. M. 4052. N. 11. scribit *Juliam* matrem *Caji* ac *Lucii* damnatam, antequam filii *Roma* discederent; nempe ille in *Syriam*, hic in *Hispaniam*; *ergo*, inquit, *patris imperio sub oculis filiorum mater ignominia affecta est.* Id de *Lucio* vere affirmatur; nam post triennium *Roma* discessit: quod tamen de *Cajo* non ausim adstruere. Nam *Augustus*, cum destinasset eundem ad invisenda legionum castra mittere, quo de facie militibus cognito, illorum obsequium facilius conciliaret, hoc illum anno ad exercitus, qui ad *Istrum* castra habebant, dimisit, quod post pera-
184 ctam naumachiam contigit, ne filius maximi, post *Romam* conditam, spectaculi voluptate privaretur. Dio *in excerptis ab Henrico Valesio* editis *pag.* 664. *Juliæ* damnatione recitata, ait: *Cajus Cæsar legiones quæ ad Istrum castra habebant, pacis more obiens, spectavit; bellum enim nullum ab eo gestum, non quod bellum nullum ingrueret, sed quia ipse in summa pace ac securitate principatus artes discebat, belli autem discrimina aliis mandabantur.* Tacitus *lib.* IV. ex Augusti instituto, inquit, *ripam Danubi legionum duæ in Pannonia, duæ in Mœsia attinebant*, quæ irruptiones barbarorum reprimerent. Itaque *Cajus Cæsar*, quo tempore *Romæ* judicium contra adulteros peragebatur, *Romana* castra ad *Istrum* invisebat. Hic corrigendus venit *Salianus* qui ad A. M. 4048. num. 7. scribit: *Dio plurium annorum res gestas in unum fascem congessit; ab anno enim 747. ad 757. non distinxit annos, quod plerique admodum jejuni esse viderentur.* Etenim ibidem illorum annorum gesta eidem descripta fuisse tum laudatum excerptum *Dionis* à *Valesio* una cum aliquot aliis publicatum, tum alia exscripta à *Zonara* ostendunt. Utinam integra ejus *libri* LV. historia, seu annales superessent, annum mortis *Herodis* & peractum *Romæ* judicium, ac *Caji Cæsaris* in Oriente gesta cognosceremus: quæ partim in obscuro latent; partim indicata tantum apud varios illius ac proximæ ætatis scriptores reperiuntur, neque ea suos in annos digesta; unde etiam in assignando anno natali Christi Domini tot diversæ Scriptorum sententiæ emanarunt.

CAP. IX.

Armeniæ & Arabiæ *tumultus.* Tigranes, *ejusque filii, ac nepotes* Armeniæ *Reges.* Augustus *semel, iterum, ac tertio exercitus in* Armeniam *misit.* Parthi Armeniis *suppetias ferunt.* Arabes Parthorum *contra* Romanos *fœderati.* Cajus Cæsar *ad bellum* Parthicum *Dux destinatur.* Ovidius *eleganti carmine* Cajo *victoriam auguratur.* Cajus Cæsar Liviam Drusi *filiam uxorem ducit.* Usserii *ea de re hallucinatio. Imperium proconsulare* Cajo *defertur. Quædam de eodem imperio adnotata.* Salmasius *perperam* Capitolinum *notans, ex* Tacito *confutatur. Nulli imperium proconsulare intra Urbem concessum.* Augustus *semel tantum illo usus intra Urbem ad censum faciendum.* Nero *omnium primus imperium proconsulare perpetuum à* Claudio *accepit.* Marcus Lollius Caji *juventæ rector impositus. Quidam expeditionis* Caji *comites recensentur.* Dionysius *insignis Geographus. Ejusdem versus de* Cajo *ac* Lucio *Cæsaribus: Idem à* Scaligero, Barthio, *ac* Vossio *de aliis* Romanis *Principibus perperam explicatur.*

INterea *Augustum* domesticis infortuniis turbatum, exorti in Oriente tumultus, in novas curas conjecerunt. *Armenii* enim & *Arabes* obsequium exuentes defecerant, ac *Parthi* utique genti contermini, ac *Romanæ* potentiæ infesti, seditiones, missis suppetiis, augebant. *Armenia* omnia, *Parthi-* 185
co excepto, in Oriente regna, quæ *Romanis* cognita erant, magnitudine superabat. *Trogus Pompejus* in *epitome lib.* XLII. *Justini* ait: *Armenia à Cappadocia usque undecies centena millia ad mare Caspium patet; sed in latitudinem millia passuum septingenta porrigitur.* At Strabo ex *Theophane lib.* XI. *pag.* 365. longitudinem *Armeniæ* centum tantum schœnorum (schœno stadia quadraginta continente) affirmat; semisse vero minus latam *Strabo*, *Theophanes* autem duplam latitudinem facit. *Tigranes Armeniorum* nomen supra ceteros decessores illustravit. Nam A. V. 659. regnum indeptus, *Syriam* occupavit, *Ariobarzanem* à *Romanis Cappadociæ* impositum ejecit, ac trecenta hominum millia inde in *Armeniam* abstraxit; dein pro *Mithridate* restituendo, bello adversus *Romanos* suscepto, innumeras contra *L. Lucullum* copias duxit. Auctor est *Plutarchus* in *Lucullo* habuisse illum in exercitu CL. millia peditum, equitum LV. millia, sagittariorum ac funditorum millia viginti, ac totidem munitorum viarum, præter lixas atque calones. Victus tamen à *Romanis*, didicit in prœliis non militum numerum, sed virtutem prævalere. *Pompejo* postea in *Asiam* veniente, *Tigranes* deditione facta, in ejusdem castra venit, ac avitum *Armeniæ* regnum impetravit, jussus præsidia ex *Syria*, ac *Phœnice*, aliisque occupatis abs se antea provinciis, detrahere. *Tigrani* successit *Artabazes* filius, contra quem *Orodes Parthorum* rex partem copiarum misit A. V. 700. ne *M. Crasso* suppetias ferret. *Artavasdes* dicitur Ciceroni *lib.* V. *ad Atticum epist.* 20. ac Tacito initio *lib.* II. *Annal.* Hunc, postea *Antonius* Triumvir, quod bello *Parthico* promissum equitatum ad se non adduxisset, per dolum captum, aureisque catenis vinctum, *Alexandriæ* in triumpho duxit A. V. 720. ex Dione *lib.* XLIX. Josepho *lib* XV. *Antiquit. cap.* 5. atque ita *Armenia* partim vi, partim deditione in *Antonii* potestatem venit; cum *Artaxias Artavasdis* filius prœlio victus, ad *Parthos* concessisset. Verum *Artaxias* anno insequenti exercitu *Parthorum* ope collecto, *Armeniam* recuperavit, ex eodem *Dione* in fine libri ejusdem 49. Cum vero *Artaxias* impotenter regnaret, ac in subditorum odium venisset, *Armenii* ab *Augusto*, qui id temporis, nempe A. 734. in *Samo* insula hibernabat, *Tigranem Artaxiæ* natu minorem fratrem, *Romæ* degentem, dari sibi regem postulaverunt. *Augustus*, accersito *Tiberio* privigno, jussit ut junctis cum *Archelao* Rege *Cappadociæ* legionibus, *Tigranem* in *Armeniæ* regnum deduceret. Tacitus *lib.* II. paucis rem narrans ait: *Ejus*, nempe Artavasdis, *filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Occiso Artaxia per dolum propinquorum, datus à Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum à Tiberio Nerone.* Hunc vero *Tigranem Artaxiæ* fratrem fuisse testatur Dio *lib.* LIV. addens: *Tiberius, ab Armeniis ante ejus adventum occiso Artabaze, nihil suo apparatui respondens perfecit.* Ibi tamen perperam *Artabazem* vocat, quem superius in fine *lib.* XLIX. *Artaxam* nominaverant. Extant nummi *Augusti* cum epigraphe: CAESAR DIVI F. ARMEN. RECEP. IMP. VII. Cum Imperator VII. inscribatur,

batur, de *Armenia* hac priori vice recepta numisma explicandum est; nam cum iterum A. V. 749. & tandem 755. *Cajo Cæsare* duce, *Armeniam* ad obsequium redegit, IMP. XIIII. nuncupabatur, ut postea monstrabo. Vellejus *lib.* II. *cap.* 94. de *Tiberio* scribit: *Cum legionibus ingressus Armeniam; redacta ea in potestatem P. R. regnum ejus Artavasdi tradidit*; nomen patris pro *Tigrane* filio perperam substituit. Idem more solito *cap.* 122. *Ti-*
186 *berium* adulatus ait: *Quis enim dubitare potest, quin ex* ARMENIA RECEPTA (ut in nummo laudato) *& ex Rege ei præposito, cujus capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ovans triumphare debuerit?* Suetonius etiam in *Tiberio cap.* 9. ait: *pro tribunali diadema imposuit.* Ita *Tigranes Tigranis* à *Lucullo* victi nepos, ac *Artavasdis* ab *Antonio* apud *Alexandriam* occisi filius, *Armeniam* obtinuit. *Tacitus* laudatus ait: *Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quanquam sociatis, more externo, in matrimonium regnumque.* Unus *Dio* in excerptis apud *Zonaram* annum mortis *Tigranis* prodit, hæc de Augusto scribens: *Tribuniciam potestatem in quinquennium Tiberio decrevit, & Armeniam post Tigranis obitum alienatam, attribuit. Verum ea re nihil profecit; nam pueri Cajus ac Lucius Cæsares, cum se negligi putarent, succensebant, & Tiberius illorum iram veritus, in Armeniam non abiit, sed Rhodum profectus est. Anno vero insequenti consul duodecimum Cajum, toga virili data, in Curiam adductum, Principem juventutis designavit &c.* Ex quibus patet eodem A. V. 748. mortuo *Tigrane*, *Armeniam* defecisse, ac *Tiberium* potestatem Tribuniciam accepisse; anno autem insequenti 749. *Augustum* consulatum XII. gessisse. *Tigrani* vero filios successisse auctor est *Tacitus*, quorum tamen haud diuturnum imperium fuisse dicit, addens: *Dein jussu Augusti impositus Artavasdes & non sine clade nostra rejectus. Tum Cajus Cæsar componendæ Armeniæ deligitur.* In his Keplero *cap.* 11. *de Natali Christi*, aliisque vulgo erratum est. Nam cum *Vellejus* narrato secessu *Rhodiano Tiberii*, subjiciat: *Sensit terrarum Orbis digressum à custodia Neronem Urbis; nam & Parthus desciscens à societate Romana, adjecit Armeniæ manum, & Germania, aversis domitoris sui oculis, rebellavit:* Ex his, inquam, putant *Armeniam* A. V. 748. rebellasse, quam *Augustus* misso demum in Orientem post quadriennium *Cajo*, ad officium reduxerit. At *Vellejus*, uti assolet, imperantem tum *Tiberium* palpans, ea scripsit; cum tamen non statim post *Tiberii* recessum ab Urbe, *Armenia* ac *Germania* defecerint. Etenim *Augustus* ejectis è regno *Armeniæ* filiis *Tigranis*, *Artavasdem Armeniis* regem imposuerat, qui postea ab altero *Tigrane* cum *Romanorum* clade, regno proturbatus fuit. Hæc altera *Armeniæ* rebellio diserte *Dioni* apud laudatum *Zonaram* memoratur; qui cum narrasset togam virilem A. V. 752. *Lucio Cæsari* ab *Augusto* datam, addit: *Cum Armenii defecissent, & à Parthis juvarentur, ea re dolens, quid ageret, ambigebat; nec enim propter senectutem bellum gerere poterat, & Tiberius, ut dictum est, jam secesserat &c.* Itaque *Cajus* post dejectum solio *Artavasdem*, ad bellum *Armeniacum* missus fuit. Sane incompertum est, quem *Augustus* legatum miserit ad *Armeniam Artavasdi* asserendam. *Phraates* id temporis *Parthis* imperitabat. Is *Orode* patre, ac triginta simul fratribus per summum scelus occisis, regnum occupaverat A. V. 718. ac sub ipsis fere invasi imperii initiis, *Antonio* Triumviro cum sexdecim legionibus bellum sibi inferente, ingenti clade propulsato, magnam sui ipsius nomini famam circumdederat. Idem tamen *Augustum* totius postea *Romani* orbis domi-

A num eximie coluit, ac non modo A. V. 734. *Tigranem* ab eodem Imperatore *Armeniæ* regem imponi passus est; verum etiam signa legionum *Crasso* ante annos tres supra triginta erepta, restituit, quo *Augusti* gratiam atque amicitiam sibi conciliaret. Immo quo pretiosiori illam pignore cum eodem firmaret, quatuor filios *Romam* obsides miserat. Verum cum ab *Augusto* jam sene minus sibi timeret, ac à *Tigrane* in belli societatem vocaretur, rebellanti *Armeniæ* manum adjecit, ac prætextu sedandi ejus gentis tumultus, præsidia *Armeniæ* arcibus imposuit.

B Dum hæc in *Armenia* geruntur, novi in *Arabia* tumultus, quorum fons & origo incomperta, eruperunt. *Augustus* A. V. 730. *Ælium Gallum* cum parte copiarum ex *Ægypto* contra *Arabes* miserat, regionis potius lustrandæ causa, quam subigendæ. *Gallus* difficillimo plane itinere, magna provinciæ parte penetrata, quibusdam regibus tributa imperaverat, plura oppida partim vi, partim deditione occupaverat. Hanc expeditionem fuse describit *lib.* XVI. Strabo ejusdem *Galli* amicus & sodalis. *Obodas Nabatæos Arabes* regebat, cujus præter *Strabonem* mox citandum, meminit Josephus *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 11. 13. & 15. Strabo *lib.* XVI. *pag.* 536. ait: *Supra Syriam Na-*
C *batæi, ac Sabæi felicem Arabiam incolunt. Sæpe in Syriam excurrerunt, priusquam Romani ea potirentur; nunc & ipsi & Syri Romanis parent. Nabatæorum metropolis est ea, quæ Petra nominatur.* Mortuo *Oboda*, *Aretas* ejusdem affinis vacuam regni sedem occupavit circa A. V. 748. & hunc quidem parti *Arabiæ* imperasse testatur Strabo *lib. cit. pag.* 537. *de Ælio Gallo* scribens: *Quare post multos dies in Aretæ terram pervenit, qui Obodæ affinitate junctus erat. Is Gallum amice suscepit, & dona obtulit.* At *Aretas* cum demortui *Obodæ* regnum suæ ditioni adjecisset, legatos ad *Augu-*
D *stum* cum donis misit, petens ut Imperator novi regni possessionem sibi confirmaret. *Augustus* initio quidem indignatus, quod se inconsulto, *Aretas Obodæ* regnum invasisset, dona rejecit; dein vero mutata sententia, acceptis muneribus, novi regni accessionem *Aretæ* factam, ratam habuit. Hæc narrantur Josepho *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 15. & 16. Ceterum hoc anno V. 752. novos in *Arabia* tumultus excitatos unus *Plinius* auctor est, cujus capite sequenti testimonium producam. *Arabes* gens inquies ac latrociniis assueta, quoties *Parthi* adversus *Romanos* arma sumebant, ad illorum partes inclinabant. Hinc bello primo *Parthico* suas contra *Crassum* copias cum *Parthis* junxerunt.
E Cicero hæc ex *Cilicia* scribebat *lib.* XV. *fam. epist.* 4. *Interea cognovi magnas Parthorum copias & Arabum ad oppidum Antiochiam accessisse.* Rursus iidem bello *Parthico* secundo *Pacorum Parthorum* Regis filium *Syriam* irrumpentem juverant; cujus postea auxilii pœnas dedere, ingenti pecunia à *Ventidio* post *Pacori* necem mulctati, ex Dione *lib.* XLVIII. Quare hoc quoque tertio bello *Parthico* arma ceperunt, id curante, ut arbitror, *Phraate*, ut *Romanorum* vires uno simul tempore toto Oriente distraheret.

F *Augustus* sexagenario major longinquam expeditionem detrectans, cum varia animo agitasset, *Cajum Cæsarem* ad bellum *Parthicum* mittere destinavit. Ovidius *lib.* I. *de arte amandi*, cujus tamen causa *Augusti* odium sibi contraxit, cum naumachiam A. V. 752. exhibitam laudasset, hæc statim subjicit:

Ecce parat Cæsar domito quod defuit Orbi
Addere: nunc Oriens ultime noster eris.
Parthe dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti:
Signaque barbaricas non bene passa manus.

Ultor

Ultor adest: primisque ducem profitetur in annis:
Bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales timidi numerare Deorum,
Cæsaribus virtus contigit ante diem.
188 *Ingenium cœleste suis velocius annis*
Surgit: & ignavæ fert male damna moræ.
Parvus erat: manibusque duos Tirynthius angues
Pressit: & in cunis jam Jove dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, quantus tunc, Bacche, fuisti,
Cum timuit thyrsos India victa tuos.
Auspiciis annisque patris puer arma movebis:
Et vinces annis auspiciisque patris.
Tale rudimentum tanto sub nomine debes
Nunc juvenum Princeps, deinde future senum.
Cum tibi sint fratres, fratres ulciscere læsos;
Cumque pater tibi sit: jura tuere patris.
Induit arma tibi genitor, patriæque tuusque.
Hostis ab invito regna parente rapit.
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas;
Stabit pro signis jusque piumque tuis.
Vincuntur Parthi causa, vincantur & armis;
Eoas Latio Dux meus addat opes.
Marsque pater, Cæsarque pater, date numen eunti;
Nam Deus è vobis alter es, alter eris.

Viri docti, quos inter *Keplerus*, putant *Ovidium* hosce libros scripsisse A. V. 752. post exhibitam ab *Augusto* naumachiam, cum ante recitata carmina, hisce eandem memoret:

Quid modo cum belli navalis imagine Cæsar
Persidas induxit, Cecropidasque rates?

Illud adverbium *modo* recens editam naumachiam designat. Eos vero libros ante damnatam *Juliam* scriptos opinantur, quod *Augusto* adulteris ingenti severitate pœnas irrogante, neutiquam poeta ausus fuisset adulteria ac promiscuos feminarum amores non tantum laudare, verum etiam præcipere. Non rejicio probabilem conjecturam. Nam exilii sui causam hanc ipsam dicit *lib.* II. *Tristium ad Augustum:*

Altera pars superest: qua turpi crimine lectus,
Arguor obscœni doctor adulterii.

Et inferius:

Nec tibi me invisum lascivia fecit, ob artes
Quas ratus es vetitos sollicitare toros.

In laudatis *Ovidii* carminibus *Cajus Cæsar* nuncupatur *juvenum Princeps*, hoc est, *Princeps juventutis*; Quod enim poeta erat ex ordine Equestri, eo *Cajum* titulo compellare voluit, quem eidem Equites detulerant. Cum dicit: *Cum tibi sint fratres: Lucium Cæsarem*, ac *Agrippam Posthumum Caji* fratres intelligit. Ex illo vero disticho:

Induit arma tibi genitor, patriæque tuusque.
Hostis ab invito regna parente rapit.

Apparet *Augustum* id temporis *Patris patriæ* titulum tulisse; ibi enim *patriæ genitor* appellatur, quod non observarunt *Panvinius* ac *Casaubonus* post septennium eo cognomine *Augustum* honestantes. Illis vero verbis *hostis &c. regna rapit*, *Armeniam* designat, cui *Parthus* manum adjecerat. Dum ait: *Induit arma tibi genitor*, inferri
189 posset, *Cajum* ex castris legionum ad *Istrum Romam* ab Imperatore revocatum, ut maximo ac potentissimo cum hoste bellum administraturum coram instrueret; illis enim verbis *Cajum Romæ* præsentem ostendit. Denique cum dicit: *date numen eunti*. *Cajum* in procinctu ad iter suscipiendum fuisse significat. Dio apud Zonaram *de Augusto* ait: *Verum urgente necessitate, Cajum delegit, potestate proconsulari, & uxore data, ut ea quoque re dignitas ejus augeretur, consiliariis etiam eidem assignatis.* Usserius *tom.* 2. *Annal. ad A. Mundi* 4003. scribit datam *Cajo* in uxorem *Lolliam Paullinam*

A filiam vel neptem *M. Lollii*, cujus rei testem appellat Suetonium in *Claudio cap.* 26. ubi meminit *Lolliæ Paullinæ, quæ Cajo Cæsari nupta fuerat*. Errat vir eruditus; siquidem *Cajus Cæsar* ibidem nominatus, non est *Cajus Augusti* ex *Julia* filia nepos, sed *Cajus Cæsar Caligula*, qui tertius ab *Augusto* imperavit, de quo in ejus vita *cap.* 25. idem *Suetonius* scribit: *Lolliam Paullinam C. Memmio consulari exercitus regenti, nuptam &c. conjunxit sibi, brevique missam fecit.* Unus Tacitus *lib.* IV. *Annal.* uxorem *Caji Cæsaris Augusti* filii designat *Liviam Drusi* filiam. Etenim cum *Sejanus* eandem ob mortem *Drusi Tiberii* filii viduam, ab eo- B dem *Tiberio* sibi uxorem dari postulasset, hocce à Principe per literas responsum tulit: *Falleris enim, Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liviam, quæ Cajo Cæsari, mox Druso nupta fuerat, ea mente acturam, ut cum equite Romano senescat.* Itaque *Livia* nostri *Caji Cæsaris* sponsa filia fuit *Drusi* A. V. 745. in *Germania* extincti, eademque *Liviæ Augustæ* neptis. *Drusus Tiberii* minor natu frater ex *Antonia* filia *M. Antonii* Triumviri ac *Octaviæ* sororis *Augusti*, tres liberos reliquit, *Germanicum*, *Liviam* ac *Claudium*, qui postea imperavit. *Germanicus* natus erat die 31. C Augusti ex veteri Kalendario apud Gruterum *pag.* 234. A. V. 739. Nam obiit A. V. 772. ex Tacito *lib.* II. *Annal.* circa Novembrem ex Suetonio, *annum ætatis agens quartum & trigesimum: cap.* I. *in Caligula*. *Claudius* A. V. 744. *Livia*, seu *Livilla*, ut illam vocat Suetonius *cap.* I. *de vita Claudii*, mediæ inter utrumque fratrem ætatis erat; ex eodem *Suetonio* ibidem. Quare id temporis erat adolescentula annum nondum decimum tertium ætatis auspicata. *Augustus Liviæ* erat avunculus, *Tiberius* vero patruus. *Livia Caji* sponsa Tacito sub initium *lib.* IV. *Annal.* dicitur *formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcel-* D *lebat.*

Augustus non modo uxorem, verum teste *Dione* apud Zonaram proxime laudatum *imperium proconsulare* Cajo tradidit, quo eidem potestas dabatur faciendi ea, quæ consules ac prætores olim ad bellum gerendum profecti, agere poterant, videlicet, milites scribere, pecunias exigere, & imperare, ac summa cum potestate in provinciis sibi decretis versari. Cardinalis Baronius *num.* 86. *Apparatus*, quem *Torniellus*, aliique secuti sunt, *Cajum Cæsarem* inter *Syriæ* proconsules numerat, sed hanc sententiam *capite* 15. confutabo. Nam *Cajo* delatum fuit imperium proconsulare extraordinarium non in unam solum *Syriæ* provin- E ciam; sed in universas regiones Orientis, quæ *Romano* Imperatori parebant. Hoc plane imperium rogabat Cicero *in philippica* 2. *Cassio* adversus *Dolabellam* daretur: *Ut quamcumque in provinciam ejus belli gerendi causa advenerit, ibi majus imperium C. Cassii sit, quam ejus erit, qui eam provinciam tunc obtinebit, cum C. Cassius in eam provinciam venerit.* Idem imperium proconsulare à Senatu delatum fuisse Germanico testatur Tacitus *lib.* II. *Annal.* *Tum decreto Patrum permissæ Ger-* 190
manico provinciæ, quæ mari dividuntur, majusque imperium quocunque adisset, quam is qui sorte, aut missu Principis obtinerent. Eodem tamen tempo- F re *Pisoni Syria* à *Tiberio* commissa est, nec *Germanicus* inter *Syriæ* proconsules recensetur. Idem imperium extraordinarium bello piratico *Pompejo* traditum fuerat, *ut potestatem haberet imperandi regibus, præsidibus, civitatibus, ut juvarent se rebus omnibus*; ex Appiano in Mithridaticis *pag.* 235. in maritimis quidem provinciis ad quadringenta stadia. Cum vero, teste Dione *lib.* XXXVI. *Piso* in *Gallia Narbonensi* sua provincia legatis *Pompeji* delectuum habendorum potestatem denegasset, à po-

populo magistratu dejectus fuisset, nisi pro eodem *Pompejus* deprecatus esset. *Claudius* Imperator qua die virilem togam *Neroni* dedit, ex Tacito *lib.* XII. *Annal.* decrevit, *ut proconsulare imperium extra urbem haberet.* Haud tamen arbitror tam amplum imperium *Cajo* concessum, sed quale *Germanico*, in omnes nempe provincias quæ mari dividebantur. Hoc imperium postea proconsulare Augustæ dignitati destinatis à posterioribus principibus conferebatur. De *M. Aurelio Cæsare* scribit Capitolinus *cap.* 6. *Tribunicia potestate donatus est*, *atque imperio extra urbem proconsulari.* *Salmasius* in notis *Capitolinum* carpit: *Vana*, inquiens, *illa adjectio*, extra Urbem; *nam imperium Proconsulare extra urbem tantum fuit.* Vanam tamen *Salmasii* censuram *Tacitus*, immo *Claudius* Imperator ostendit, qui *Neroni* dedit *proconsulare imperium extra Urbem*, quibus postremis vocibus imperium amplissimum extra pomœrium Urbis, in universam *Italiam* ac reliquas *Romani* orbis provincias significatur, non autem imperium proconsulare in certa tantum provinciarum spatia, quale *Pompejo* delatum fuit, vel in aliquot tantum provincias, uti habuit *Vitellius*, quem *Tiberius* ex Tacito *lib.* VI. *cunctis quæ apud Orientem parabantur*, *præfecit*; quod ipsum de *Germanico* idem *Tacitus* affirmavit; cui tamen non solum in Orientalibus provinciis, sed etiam in transmarinis imperium exercere concessum fuit, nempe in *Epiro*, *Græcia*, *Macedonia*, aliique ultra *Adriaticum* mare provinciis. Hinc idem *Græciam* pertransiens, *Atheniensibus* concessit, *ut uno lictore uterentur*; ex Tacito *lib.* I. qui statim addit eundem intrasse *Perinthum* ac *Byzantium*, *Thracias* urbes, mox *Propontidis* angustias, & os Ponticum, *ac provincias*, inquit, *internis certaminibus*, *aut magistratuum injuriis fessas refovebat*, pro imperio proconsulari, quo in easdem pollebat. Si cui privato, qui nullos antea in Urbe magistratus gesserat, belli administratio committebatur, is dicebatur pro Prætore, vel pro Consule bellum gerere, eique imperium prætorium aut consulare deferebatur. Cum *Augustus* privata pecunia exercitum annum undevicesimum agens conscripsisset, Cicero *in philippica V.* imperium proprætorium eidem deferendum suadens, ait: *Demus igitur imperium Cæsari*, *sine quo res militaris administrari*, *teneri exercitus*, *bellum geri non potest*; *sit pro Prætore eo jure quo qui optimo*; *qui honos quamquam est magnus illi ætati*, *tamen ad necessitatem rerum gerendarum*, *non solum ad dignitatem valet.* *Pompejus* cum adhuc privatus esset, eques *Romanus* missus fuit cum proconsulari imperio ad bellum adversus *Sertorium* in *Hispania* gerendum, qua de re eleganter Cicero in *Maniliana num.* 43. *Quid tam*, inquit, *inusitatum quam ut*, *cum duo consules clarissimi fortissimique essent*, *Eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro Consule mitteretur*? *missus est*. *Quo*
191 *quidem tempore*, *cum esset non nemo in Senatu*, *qui diceret non oportere mitti hominem privatum pro Consule*, *L. Philippus dixisse dicitur*, *non se illum sua sententia pro Consule*, *sed pro Consulibus mittere.* *Pompejus* id temporis annum ætatis tricesimum agebat; natus enim erat ex *Vellejo* eo ipso anno quo ortus fuerat *Cicero*, V.C. 648. adhuc tamen nullos magistratus gesserat, unde *homo privatus* dicebatur. Itaque cum *Cajus Cæsar* nullis & ipse magistratibus perfunctus esset, non poterat exercitus regere, aut bellum administrare sine imperio. Hinc imperium proconsulare eidem delatum fuit, ac proinde pro Consule ad bellum *Parthicum* profectus est. Haud tanti fiebat apud *Romanos* proconsulatus florente Republica, vel primis Cæsaribus imperantibus. Nam qui ex privatis

A creabantur proconsules, quamvis multas victorias reportarent, triumphare non poterant, quod sine auspiciis ac magistratu, licet cum imperio res fortiter feliciterque gessissent. *P. Scipio* quatuor *Pœnos* Duces proconsul in *Hispania* vicerat, ac universam regionem partim in deditionem, partim in societatem receperat. *Res amplissimo triumpho dignas censebat Senatus. Sed quia nemini adhuc contigerat*, *ut cum proconsul & sine magistratu esset*, *pro rebus gestis triumphanti invehi liceret in urbem*, *nec patribus visum est*, *nec ipse Scipio magnopere contendit*, *ut novo exemplo morem majorum sui causa commutarent.* Plutarchus in Scipione: quod de
B eodem Livius scribit *lib.* XXVIII. *Pompejus* omnium primus proconsul ex privato factus, victis hostibus in *Hispania*, ac postea in *Africa* binos triumphos egit. Hinc Cicero *in Maniliana*: *Quid tam incredibile*? *quam ut iterum eques Romanus ex S.C. triumpharet.* Cum vero res *Romana* in Cæsarum potestatem venisset, quamvis imperium proconsulare Imperatorum filiis deferretur, nusquam inter eorundem titulos in vetustis inscriptionibus legitur. Extant apud Gruterum *pag.* 236. *num.* 2.3.4. inscriptiones *Germanico* dicatæ, & *num.* 9. alia *Neronis* Cæsaris, in quibus Proconsulis nomen omittitur, cum tamen dignitates tum profa-
C næ tum sacræ augendi eorundem honoris causa, ibidem recenseantur. Spanhemius *dissert.* 8. *de usu & præst. numis. pag.* 713. scribit Cæsares non renovasse imperium proconsulare, illudque obtinuisse intra & extra pomœrium urbis. Id plane *Augusto* ac *Tiberio* imperantibus neutiquam contigit. Etenim certum est *Germanicum* Cæsarem perpetuum imperium proconsulare non accepisse. Scribit Dio *lib.* LVI. ad A. V. 764. *Tiberius & Germanicus*, *cui pro Consule erat imperium*, *impressionem in Germaniam fecerunt.* At Tacitus *lib.* I. *Annal.* A.V. 767. de Tiberio imperium tum in-
D depto, ait: *At Germanico Cæsari proconsulare imperium petivit*, *missique legati qui deferrent &c. Quo minus ibidem pro Druso postularetur ea causa*: *quod designatus consul Drusus*, *præsensque erat.* Ex his duo colligimus; Primum *Germanico* Cæsari renovatum imperium proconsulare, neque illud delatum *Druso*, quod *Romæ* erat, cum lege cautum esset, ne quis cum imperio proconsulari intra pomœrium versaretur, cujus rei bina exempla recitat Dio in fine *lib.* XXXIX. ac totidem *Sallustius* in *Catilinaria*, videlicet *Q. Metelli Cretici*, ac *Q. Marcii* Regis, & passim in *Romana* historia occurrunt. Hinc *Cicero* cum ex proconsu-
E latu *Ciliciæ* cum suis lictoribus triumphum sperans, jam civili bello erumpente, cursitaret, ac *Pompejus*, quod Cicero *imperium haberet*, eundem magis *quam privatum aliquem* in *Siciliam* mittere vellet, lepide ad *Atticum* scribebat *lib.* VII. *epist.* 6. *Si hoc imperium mihi molestum erit*; *utar ea porta*, *quam primum videro.* Nempe abdicato imperio proconsulari, propinquiori mihi porta Romam statim intrabo. Deinde ex iisdem *Taciti* verbis infero *Cajo* nostro Cæsari imperium proconsulare datum, cum extra pomœrium esset in suburbanis. *Augustum* vero imperium proconsulare obtinentem extra pomœrium substitisse diserte tradit Dio initio *lib.* LV. qui cum dixisset
F *Drusum* funebri oratione à *Tiberio* in foro laudatum, ait: *Altera in Flaminio Circo ab Augusto habita est*, *qui cum exercitu urbe profectus*, *neque fas ei erat intrare*, *cum ea quæ ante id fieri instituta majorum jubent*, *nondum perfecisse.* Etenim exponendum illi erat coram Senatu quid in ea expeditione egisset, atque imperium proconsulare abdicandum. Idem Dio *lib.* LV. ad A.V. 757. scribit *Augustum* censum egisse civium *Romanorum*, *qui in Italia habitarent.* At ne uti Censor id facere videretur, pro-

proconsulare imperium accepit. Igitur *Augustus* non perpetuum, sed ad certum tempus imperium proconsulare gerebat. *Claudius* Imperator *Agrippinæ* ambitioni indulgens, *Neroni Romæ* intra pomœrium versanti, imperium proconsulare tradidit, illudque nullo certo annorum spatio definitum, eoque dato exemplo, vetusta *Romanæ* gentis instituta antiquavit, ac subsecutis postea Principibus ad idem tentandum omnium primus aditum aperuit. Hi quidem tanti postea fecere imperium proconsulare, ut in edictis ceteros inter titulos illud reponerent, ut patet ex *lib.* VIII. Eusebii Cæsariensis *cap.* 17. ubi trium Imperatorum titulos *ἀνθύπατος Proconsul* claudit; quod ipsum passim in elogiis Cæsaribus dicatis apud *Gruterum* legitur.

Augustus ne *Cajus* tanto sibi imperio delato impotenter uteretur, *M. Lollium* virum consularem ac Orientis provinciis notissimum, ejusdem juventæ rectorem imposuit. Baronius in *Apparatu num.* 86. scribit *Cajo Cæsari* adhuc adolescentulo ad bellum *Armenicum* proficiscenti *datum rectorem P. Sulpicium Quirinum*, cujus rei *Tacitum* auctorem laudat. Sed nusquam hæc *Tacitus* scripsit. Hæc *lib.* III. *An.* ait de *Sulpicio Quirino*: *Datusque rector Cajo Cæsari Armeniam obtinenti*; nempe post exactum fere triennium, cum jam *Cajus Arabia* lustrata, ac bello *Parthico* pace composito, *Armeniam* ad obsequium reduxisset. *Vellejus* qui in exercitu *Caji Cæsaris* militabat, unius *Lollii* meminit, *quem*, inquit, *veluti moderatorem juventæ filii sui Augustus esse voluerat.* Suetonius etiam in *Tiberio cap.* 12. *M. Lollium comitem ac rectorem Caji Cæsaris* nuncupat. Salianus A. M. 4052. *num.* 34. scribit *Sulpicium Quirinum* datum *Cajo rectorem, ut tum in Syria, tum in Armenia, & Asia Cajo dux esset, & comes, & Lollii successor, si quid Lollio humanitus contigisset.* Hæc ille sine teste fingit, ut *Quirinum* in *Syriam* præsidem A. V. 752. intrudat, cum tamen *Quinctilius Varus* eo anno *Syriam* provinciam obtineret. Immo sub obitum *Caji Cæsaris Sulpicium Quirinum Romæ* fuisse ac uxorem duxisse suo inferius loco ex *Suetonio* demonstrabo. Dio apud *Zonaram* scribit *Cajo Cæsari* cum imperio proconsulari ad bellum *Parthicum* proficiscenti *additos consiliarios*, qui ejusdem juventam moderarentur. Præter *Lollium* Rectorem *Cæsaris*, cum eodem fuisse *Marcium Censorinum* indicat Vellejus *lib.* II. In amicorum cohorte una cum *Cajo* profectus fuit *Cn. Domitius Ænobarbus Neronis* Imperatoris pater, quem Suetonius *cap.* 5. *de vita ejusdem filii*, vocat omni parte vitæ detestabilem: *Siquidem comes ad Orientem Caji Cæsaris juvenis, occiso liberto suo, quod potare quantum jubebatur, recusarat, dimissus è cohorte amicorum, nihilo modestius vixit.* Erat *Domitius Augusti* pronepos ex *Antonia* minori filia *Octaviæ* sororis *Augusti* genitus, idemque con-
193 sobrinus *Liviæ* uxoris *Caji Cæsaris*, quæ *Antoniam* majorem matrem habebat. *Suetonius* laudatus scribit *Domitium Antonia* majori natum? at minorem *Antoniam* ejusdem matrem fuisse testatur *Tacitus.* In eodem *Caji* comitatu fuit *Ælius Sejanus Vulsiniis* natus *Sejo Strabone* equite *Romano*; ille enim dicitur Tacito initio *lib.* IV. *Annal. prima juventa Cajum Cæsarem Divi Augusti nepotem sectatus.* Equidem tunc obscuro loco natus, ac vix *Cajo* notus, eo postea potentiæ imperante *Tiberio*, evasit, ut *Liviam* ipsi *Cajo Cæsari*, ac post hujus obitum *Druso* Imperatoris filio nuptam, ac iterum viduam, matrimonio secum junctam habuerit.

Dionysius id temporis ob eximiam geographiæ peritiam in ore famæ versabatur. Natus hic erat apud *Charaxem* oppidum in felici *Arabia*, *Persici* sinus intimum, quo cum *Alexander* Magnus colonos ex *Durine* regia urbe tum diruta deduxisset, inutilibus etiam militum additis, de suo nomine *Alexandriam* appellandum idem oppidum jussit, teste Plinio *lib.* VI. *cap.* 27. *Arrianus* etiam conditam ab *Alexandro* urbem in *Arabia* in libro septimo scribit, quamvis ejusdem nomen omittat. De *Charaxe*, seu *Charace Dionysii* patria quædam erudite nuper adnotata video doctissimo Cupero *lib.* IV. *Observat. cap.* 18. Hunc *Dionysium Augustus* in Orientem præmisit, ut *Cajo Cæsari* in *Syriam* advenienti, omnium regionum, urbium, ac montium situs descriptos exhiberet. Cum enim *Cajus* primam adversus *Arabes* expeditionem facere jussus esset, *Dionysius* uti in *Arabia* natus, longe facilius ceteris eandem *Cajo* notam facere poterat, statim ac in Orientem navigasset. Do Plinii verba *cap.* 27. libri laudati: *Hoc in loco genitum esse Dionysium terrarum Orbis recentissimum auctorem constat, quem ad commentanda omnia in Orientem præmisit Divus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas, Arabicasque res majore filio*, nempe *Cajo Cæsare.* Extat *Dionysii Alexandrini* liber carminum geographicus, cui titulus erudito interprete Henrico Stephano: *Descriptio Orbis*; sive magis ad verbum: *Lustratio terrarum Orbis.* Non defuere eruditi viri, qui hujus libri auctorem *Dionysium Augusti* ætate longe posteriorem putarent, quod ille *Romam* describens, eandem vocat:

Ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων.
Romam honorabilem meorum magnam domum dominorum.

Cum hac phrase plures suo tempore *Romæ* dominos designet, Barthius *lib* LVIII. *Advers. cap.* 5. Imperatores *M. Aurelium Antoninum* ejusque in imperio collegam *L. Verum* indicatos putat. At *Scaliger* in notis Eusebianis *num.* 2215. *Septimium Severum* ac filios *Caracallam* & *Getam* arbitratur ibidem significari, idque adeo confidenter, ut *Eusthatium* interpretem somniasse putet, cum dixit *Dionysium Augusto* imperante scripsisse. Vossius *lib.* II. *de Historicis Græcis cap.* 5. ait: *Quid prohibet ut Divos fratres M. Aurelium ac L. Verum intelligamus?* Addit tamen ex verbis *Plinii* proxime recitatis videri *Dionysium* sub *Augusto* floruisse. At vocem *ἀνάκτων* tacitus præterit, ex qua tamen *Scaliger* ac *Barthius* inferunt *Dionysium* imperio *Augusti* posteriorem fuisse. Ipse tamen arbitror ea voce *Cajum* & *Lucium* Cæsares designari. Nam filii Regis *ἄνακτες* à *Græcis* dicuntur, & ab Ammiano Marcellino *lib.* XVI. *Regales* appellantur, dum ait: *Hos sequebantur potestate proximi Reges numero quinque, Regalesque decem, & Optimatum series magna.* In codice veterum 194
Grammaticorum *pag.* 2205. incertus auctor de differentiis vocum ait: *Inter* Regem *&* Regalem *hoc interest: quod Regis puer, Regalis est*; *Rex, qui regit regnum.* Idem Dionysius loquens de *Parthis*, ait:

Αὐσονίης βασιλῆος ἐπεφρήυνεν ἀκωκή.
Ausonii Imperatoris mansuefecit cuspis.

Unum hic *Augustum* intelligit, qui cum *Asiam* perlustrans, *Tiberium* cum legionibus A. V. 734. in *Armeniam* misisset, tot armorum strepitu tantum *Phraati Parthorum* regi terrorem incussit, ut feritate ac odio in *Romanos* posito, raptas *Crasso* Aquilas ac signa ad *Augustum* remiserit, ac diuturniorem cum eodem pacem servaverit.

CAP. X.

Augustus *templum* Jani *ter clausit.* *Variæ lectiones* Suetonii *è MSS. Medicei producuntur.* Vossii *opinio rejicitur.* *Vetus inscriptio apud* Gruterum *depravata*, Lipsio *minus recte explicatur.*

catur. Orosii *ac* Casauboni *de tempore* Jani *ab*
Augusto *tertium clausi sententia fusius refellitur.*
Keplerus *negans pacem*, *nascente* Christo, *in*
Orbe Romano, *ex Patribus confutatur.* *Anno*
primo Epochæ Dionysianæ bellum à Cajo Cæsare
in Oriente gestum ex Pisano *Cenotaphio demonstra-*
tur. Ovidii *locus exponitur.* *Quando idem poë-*
ta natus, *& in exilium missus*, Scaligeri *ea in*
re metachronismus. Cajus Cæsar *in* Asiam *trans-*
mittit. Tiberius *ad eundem se confert.* *Quo*
anno utriusque congressus contigerit.

ANno ab V. C. 753. *Cosso Cornelio Lentulo*
L. Calpurnio Pisone Coss. *Cajus Cæsar* palu-
datus cum proconsulari imperio Urbe egressus,
per *Græciam* in *Asiam* transmisit, ac *Augustus* bel-
lo adversus *Arabes*, *Armenios*, ac *Parthos* publi-
cato, *Jani* fores reclusit. Orosius *lib.* VII. *cap.*
3. ait: *Deinde ut verbis Cornelii Taciti utar*, *sene*
Augusto Janus patefactus, *dum apud extremos ter-*
rarum terminos novæ gentes sæpe ex usu, *& aliquan-*
do cum damno quæruntur, *usque ad Vespasiani du-*
ravit imperium. Suetonius in Augusto capite 22.
ait: *Janum Quirinum semel*, *atque iterum à condi-*
ta Urbe memoriam ante suam clausum, *in multo bre-*
viore temporis spatio, *terra marique pace parta*, *ter*
clausit. At ibidem *Beroaldus* ac *Langius* legunt
tertio clausit, cujus correctionis auctorem *Livium*
adducunt, qui libro primo de *Jano* scribit: *Bis*
deinde post Numæ regnum clausus fuit: semel T.
Manlio consule post Punicum primum perfectum bel-
lum: iterum (quod nostræ ætati Dii dederunt, ut
videremus) post Actiacum bellum ab Imperatore Cæ-
sare Augusto pace terra marique parta. Quare, te-
ste *Livio*, *Janus* semel à *Numa*, iterum à *T.*
Manlio, postremo ab *Augusto* clausus fuit. Vel-
lejus etiam *lib.* II. *cap.* 38. ait: *Immane bellicæ*
civitatis argumentum, *quod semel sub regibus*, *ite-*
rum hoc T. Manlio consule, *tertio Augusto principe*,
certæ pacis argumentum Janus Geminus clausus de-
dit. Hinc videtur inferri in *Suetonio* non *ter*, sed
plane *tertio clausit*, legendum esse. Consului, nec
quicquam dissimulabo, vetustos codices *Suetonii*,
195 qui in *Laurentiana* Bibliotheca Serenissimi Magni
Etruriæ Ducis servantur, in quorum uno scribi-
tur *pariter clausit:* in altero *iter. clausit*; in aliis
autem quatuor *ter clausit*. Extat ibidem idem li-
ber impressus *Romæ* anno 1474. in quo adverbium
illud numerale omittitur, sed in margine *Angeli*
Politiani viri doctissimi manu reponitur *ter*, quæ
sane germana lectio ex ejusdem *Suetonii* verbis col-
ligi videtur; gloriæ enim *Augusti* tribuit, quod
cum ab V. C. usque ad annum 519. *T. Manlio*
consule ex laudato *Livio Jani* portæ iterum clau-
sæ sint, licet eodem anno rursus reclusæ fuerint
ex Varrone *lib.* IV. L.L. *Augustus* intra annos im-
perii sui ter easdem occluserit. Recte *Baronius*,
Casaubonus, *Lipsius*, aliique ex *Dione* vulgarem
Suetonii lectionem confirmant. Nam Dio *lib.* LI.
ad A. V. 725. scribit inter cetera à Senatu decre-
ta ob victoriam Actiacam, maximæ voluptati *Au-*
gusto fuisse: *quod portæ Jani ab ipsis clausæ sunt.*
Eodem anno, iisdemque consulibus *Janum* clau-
sum Orosius scribit *lib.* VI. *cap.* 20. Idem Dio *lib.*
LIII. ait *Augustum* A. V. 729. belli *Cantabrici*
curis ac difficultatibus vexatum, in morbum de-
cidisse, cum gereret consulatum IX. collega *M.*
Junio Silano, ac *C. Antistii* legati opera barbaros
devicisse. Tum *Augustus* sanitati restitutus, ac
bellis ubique feliciter confectis, *Jani templum*,
quod propter hæc bella fuerat reseratum, *clausit.*
Orosius recte scribit *lib.* VI. *cap.* 21. id datum ho-
nori Cantabricæ victoriæ. Errat tamen dum ait:
Anno Urbis 726. aperuit Jani portas, *atque in Hi-*
spanias ipse profectus est; addens *Cantabrico* bello

A in quintum annum protracto, *Augustum Romam*
redìisse. Etenim *Augustus Roma* discessit Anno
V. 727. *ut in Britanniam bellum transferret*, ex
Dione *lib.* LIII. præterquam quod errat *Orosius*,
dum statuit *Augustum* Coss. VI. cum *Agrippa* III.
cum eo anno *Agrippa* consulatum II. gereret. Ex
Suetonio *cap.* 26. *Augustus VIII. & IX. consula-*
tum Tarracone iniit. Quare anno ineunte V. 728.
erat in *Hispania*, uti etiam sequenti, quibus octa-
vum ac nonum consulatum gessit. Idem probat
inscriptio Gruteri *pag.* 224. 1. quam alia occasio-
ne producam. Anno vero 729. *Cantabris* victis,
ac *Jano* clauso, *Romam* reversus est, quo tamen per-
B venit sub initium A. V. 730. ex Dione *lib.* eodem
LIII. Igitur post triennium in Urbem rediit.
Has *Orosii* ac *Dionis* in scribendo dissensiones con-
sulto notavi, ut palam facerem ea quæ *Orosius* de
iterum ab *Augusto* clausis *Jani* portis adstruxit,
neutiquam ex *Dione* exscripta, quem ille certe
non legit, sed ex Latinis historicis, quorum ad-
huc scripta supererant. Ceterum quo anno *Au-*
gustus Jani fores tertio clauserit, inter scriptores
non convenit. Vossius in *lib. de Historicis Latinis*
ubi scribit de *Livio*, ait satis constare ter ab *Au-*
gusto clausum Janum, *secundo quidem A. V. 730.*
Cantabris devictis; *tertio autem anno sequenti*, *sive*
C *consulatu Augusti XI.* Labitur vir eruditus; nam
Dio, qui unus Ethnicorum scriptorum iterum
clausi ab eo Principe *Jani* mentionem facit, di-
serte scribit id contigisse A. V. 729. Tertio vero
Jani clausi nusquam meminit; ac proinde *Vossius*
sine teste affirmat clausas *Jani* fores A. V. 730.
Extat inscriptum in *Hispania* antiquitus saxum.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGV-
STVS. PONT. MAX. COS. XI.
TRIBVNIC. POT. X. IMP. VIII.
ORBE. MARI. ET. TERRA PA-
D CATO. TEMPLO. IANI. CLVSO.
&c.

Inscriptionem integram lege etiam apud Grute-
rum *pag.* 149. ubi tamen perperam scribitur: COS.
XII. nam quo A. V. 749. Augustus accepit duo-
decimum consulatum, gerebat Tribuniciam po-
testatem XVIII. Idem patet ex iteratis titulis Im-
peratorii nominis; nam cum suscepit consulatum
XII. dicebatur IMP. XIIII. Constat autem hoc
elogium non fuisse dicatum *Augusto* in undecimo
consulatu, quo functus fuit A. V. 731. siquidem
E hoc anno accepit potestatem Tribuniciam, uti
ex fastis Capitolinis ac *Dione*. *Panvinius* olim de-
monstravit. In illo vero epigrammate signatur
annus X. ejusdem Tribuniciæ potestatis, quem
inivit A. V. 740. V. Kal. Julias usque ad V. Kal.
Julias sequentis anni, quo tempore memorata in-
scriptio eidem dicata fuit. Ex consulatibus *Au-*
gusti quos novem à tertio ad undecimum conti-
nuavit, recte annus inferri potest, quo epigram-
ma quopiam eorum consulatuum signatum, eidem
dicatum fuit; secus autem ubi consulatus non con-
tinuavit; siquidem tunc postremus ab eo gestus
consulatus semper in nummis & lapidibus singulis
F annis repetebatur quousque alterum consulatum
accepisset. Ita dictus est COS. XI. ab A. V.
731. ad A. 749. hoc enim anno ineunte consu-
latum XII. capessivit. Itaque ex numero tan-
tum iteratæ, seu multiplicatæ Tribuniciæ pote-
statis annorum series deducenda est. Verum nec
affirmare possumus *Augustum* TRIBUNIC.
POT. X. *Janum* clausisse. Nam anno V. 740.
Augustus tum in *Europa* adversus *Pannonios*, ac
Ligures Alpes maritimas incolentes, per legatos
bella gessit, tum in *Asia* per *Agrippam* adversus

Bospho-

Bosphoranos; anno vero 741. quo, exeunte Junio, annum Trib. Pot. X. complebat, nulla *Romanis* bella gesta *Dio* recitat, neque tamen *Jani* tertio ab *Augusto* clausi meminit. Hinc patet in laudato saxo *Emeritensi* recenseri quæ feliciter *Augusto* imperante contigerant; nam ibidem legitur: *Templo Jani cluso, & Republica Populi Romani optimis legibus, sanctissimisque institutis reformata, viam superiorum Consulum tempore inchoatam, & multis locis intermissam, pro dignitate imperii latiorem longioremque Gadeis usque perduxit.* Hanc viam *Emerita* usque *Gades Augustus* Trib. Pot. X. perfecit: cetera superioribus annis imperii; nempe *Janum* clauserat, ac Rempub. optimis legibus reformaverat; neque enim eo anno tantum leges pro incolumitate Populi *Romani* tulit, cum id antea feliciter præstitisset.

Orosius *lib.* I. *cap.* I. recitat natalem Christi Domini *anno imperii Cæsaris XLII. cum facta cum Parthis pace, Jani portæ clausæ sunt, & bella toto Orbe cessarunt.* Annos imperii *Augusti* numerat ab A. V. 711. quo consulatum ac Triumviratum iniit, quod plerique etiam fecere. Idem scriptor *lib.* VI. *cap.* 21. cum narrasset cæsas cum *Quinctilio Varo* legiones in *Germania*, *Bosphoranos* ab *Agrippa* domitos, ac denique *Parthos* Aquilas ac signa *Crasso* erepta ad *Augustum* remisisse, statim caput 22. hisce exorditur: *Anno ab V. C.*
197 752. *Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septemtrione in meridiem, ac per totum Oceani curriculum cunctis gentibus una pace compositis, Jani portas tertio ipse tunc clausit. Quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas otio, ipsa etiam rubigo consignavit.* Et post pauca addit: *Igitur eo tempore, id est, eo anno quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, natus est Christus, cujus adventum pax ista famulata est.* Casaubonus *in notis ad cap.* 22. *Suetonii* scribit *Augustum* circa tempora nativitatis Christi *Janum* clausisse, additque: *Sic tertium ab eodem clausus, per multos annos (fere* 12. *ait Orosius) ad Varianam usque cladem remansit obseratus.* Utriusque tamen anti-historiam *Dio* ac testis oculatus *Vellejus Paterculus* redarguunt, quos forte *Orosius* ne quidem nomine notos habuit; unde gravius *Casaubono* in *Romana* historia peccatum est. Etenim A. V. 752. bellum *Arabicum*, *Armenicum*, ac *Parthicum* erupere, ac circa exitum ejusdem anni universus *Romanus* Orbis armorum fragore resonabat inter maximi ac difficillimi belli apparatus, qui eo majores instruebantur, quod *Augusti* filius eidem bello gerendo præpositus fuerat. Quare si eodem anno die 25. Decembris natus est Christus, inter mota totius Orbis arma, in lucem venit, neque *factus est in pace locus ejus.* Vellejus *lib.* II. scribit *Tiberium* A. V. 757. V. Kal. Julias *Ælio Cato* ac *Sentio Saturnino* consulibus ab *Augusto* adoptatum, quem *protinus in Germaniam misit, ubi ante triennium immensum exarserat bellum.* Itaque A. V. 754. *immensum* in Germania *bellum* eruperat, quod cum per triennium protractum fuisset, *Tiberius* ad illud idem profligandum A. V. 757. missus fuit, cujus cum gesta Vellejus recitasset *cap.* 105. ait: *Anni ejus æstiva usque in Decembrem mensem perducta.* Postea *cap.* 106. *Proh Dii boni*, inquit, *quanti voluminis opera insequenti æstate, sub duce Tiberio Cæsare, gessimus?* Habes ibidem descriptum bellum A. V. 758. Rursus *cap.* 109. scribit *Tiberium* destinasse *proximo anno* Marcomannorum regnum aggredi, sed *Pannoniis* ac *Dalmatis* rebellantibus, contra eosdem *Tiberium* copias duxisse, ejusque gesta recitat *cap.* 110. 111. & 112. ubi ait: *prima æstate belli Messalini opus mandandum est memoriæ:* nempe A. V. 759. quo sane pariter anno Dio *lib.* LV. recitat prælia *Valerii Messalini* cum *Batone Pannoniorum* Duce. Idem in fine *cap.* 12. ait: *Hoc fere tempore Agrippa dignum furore suo exitum habuit*; anno scilicet insequenti V. C 760. quo ex *Dione Agrippa Posthumus* in exilium, jussu *Augusti*, deportatus fuit. Habuit in castris eo anno *Tiberius* legiones X. ac LXX. cohortes, præter voluntarios ac regum copias auxiliares; nihil tamen memorabile gessit, hostibus ob terrorem nusquam in aciem exeuntibus; quare, ut idem ait, *asperrimæ hiemis initio regressus Sisciam, legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis præfecit hibernis.* Ita exiit A. V. 760. At *cap.* 114. ait *Insequenti æstate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit.* Et post pauca: *Autumno victor in hiberna reducitur exercitus.* Hæc contigere A. V. 761. ad quem pariter à *Dione* refertur pax cum *Pannoniis* facta, cum ubique victi, in deditionem venissent. Rursus *cap.* 115. Anni V. 762. gesta describens inquit: *Initio æstatis Lepidus, educto hibernis exercitu, per gentes integras immunesque adhuc clade belli, & eo feroces ac truces tendens ad Tiberium imperatorem &c. pervenit ad Cæsarem.* Et postea: *Illa æstas maximi belli consummavit effectus*, nam universi *Dalmatæ*, uti anno superiori *Pannonii*, se suaque potestati *Romanorum* tradidere, quæ eodem etiam 198
anno *Dio* recitat. *Vellejus* vero ait tantæ victoriæ lætitiam funestos ex *Germania* nuntios corrupisse: *Cum intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ, cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, & sex cohortium.* Quibus similiter *Dio* narrat *lib.* LVI. Ad A. V. 762. *Q. Sulpicio Camerino* & *C. Poppæo Sabino* Coss. Tacitus *lib.* I. *Annal. Druso Cæsare* ac *C. Norbano* Coss. V. C. 768. scribit *Germanicum* ad diruta castra *Vari* exercitum duxisse, ac *sextum post cladis annum* occisarum legionum ossa condidisse. Horum temporum bella Ovidius commemorans *lib.* II. *Tristium* ad Augustum ait:

Nunc tibi Pannonia est; nunc Illyris ora domanda.
Rhætica nunc præbent, Thraciaque arma metum.
Nunc te prole tua juvenem Germania sentit:
Bellaque pro magno Cæsare Cæsar habet.

Et postea:

Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præstas:
Bellaque cum multis irrequieta geris.

Ex tot veterum scriptorum testimoniis patet error *Orosii*, ac eum secuti *Casauboni*, qui à Christo nato per annos fere duodecim, sive ad *Varianam* usque cladem, pace ubique *Romanarum* gentium continuata, *Jani* fores occlusas affirmarunt. *Orosius* sæpius *Suetonium* exscribit, quem etiam nominat; *Casaubonus* vero etiam eruditis notis illustravit, qui tamen scriptor cum in Tiberio *cap.* 15. ejusdem *Romam* reditum, ac subsecutam adoptionem recitasset, *cap.* 16. scribit eidem *Illyrici* belli curam impositam, *quod*, inquit, *gravissimum omnium externorum bellorum post Punica, per XV. legiones, paremque auxiliorum copiam, triennio gessit*; nempe ab A. V 759. ad A. 762. uti ex *Vellejo Augusti* eo in bello legato, ac *Dione* monstratum est. Itane post bella *Punica*, omnium externorum bello gravissimo *Jani* portæ alta rubigine obsignatæ, ut ait *Orosius*, claudebantur? Idem vero *Suetonius* capite insequenti 17. recitat *Vari* ac legionum necem cum *debellatum prius Illyricum esset*, ut plane prodigio propius videatur, *Casaubonum* in tanta scriptorum luce cæcutisse.

Cum *Augustus* A. V. 729. *Jani* fores iterum clauserit, easdem paullo post reclusas bella subsecuta produnt. Augustus ex Dione *lib.* LIV. A.

V. 738. *L. Domitio & P. Scipione Coss. in Galliam*
profectus est, obtendens causas hujus profectionis bel-
la, quæ ibi concitata essent. Hinc instantibus bel-
lis, quæ ipsum *Augustum Roma* extrahebant, *Ja-*
nus clausus esse non poterat; turpem enim cladem
in *Germania Lollius* acceperat, capta ab hostibus
aquila quintæ legionis, quod, inquit *Vellejus*,
vocavit ab Urbe in Gallias Cæsarem. Anno V.
739. bellum *Rhæticum* ab utroque *Nerone* fratre
gestum est, quod *Ode* 14. *lib.* IV. *carm.* Horatio
describitur. Anno V. 740. bella contra *Panno-*
nios, *Ligures* Alpinos, ac *Bosphoranos* gesta sunt.
Pannonii autem A. V. 742. domiti sunt, quo an-
no *Drusus* primam in *Germanos* expeditionem fe-
cit, cui bello etiam A. V. 745. immortuus est,
cum *Tiberius* ejus frater *Dacos* ac *Dalmatas* A. V.
744. superasset, quo bello *Augustus Ravennam*,
vel *Mediolanum*, vel *Aquilejam* usque ab Urbe pro-
grediebatur, ut non longius ab eisdem bellis abes-
set, ex Suetonio *cap.* 20. Anno V. 746. ex Dio-
nis *lib.* L. Augustus dicitur *in Germanos bellum*
molitus, cui *Tiberium* præfecit. Sub idem etiam
tempus *L. Piso* adversus *Thracas* ac finitimos bar-
baros bellum per triennium gessit ex Vellejo *lib.*
II. *cap.* 98. ac Dione *lib.* LIV. qui annum primum
199 belli statuit V. C. 744. ut plane idem desierit A.
V. 747. quo ineunte ipsis Kal. Januariis *Tiberius*
Nero Coss. II. de Germanis triumphavit *ac paullo*
post coortis in Germania motibus, ad bellum profe-
ctus est. Dio *lib.* LV. addens: *Eo anno in Germa-*
nia nihil memorabile actum. Anno insequenti Ur-
bis conditæ 748. nusquam bella à *Romanis* gesta
memorantur. *Dio* tantum apud *Zonaram* eo an-
no *Armeniæ* tumultus recitat, quos tamen *Augu-*
stus Artavasde Rege *Armeniis* imposito, sedavit.
At ex historia rerum *Caji Cæsaris* constat A. V.
752. bellum erupisse, sed & alibi sub idem tem-
pus à *Romanis* belligeratum tradit *Dio* in excer-
ptis ab *Henrico Valesio* publicatis, in quibus pa-
gina apud ipsum 664. *Cajus Cæsar*, inquit, *le-*
giones quæ ad Istrum castra habebant, *pacis more*
obiens spectavit, *bellum enim nullum ab eo gestum*,
non quod bellum nullum ingrueret, *sed quia ipse in*
summa pace ac securitate principatus artes discebat,
belli autem discrimina aliis mandabantur. Hæc ibi
Dio, recitatis ante *Juliæ* adulteriis ad *Augustum*
delatis, quod ex dictis contigit A. V. 752. Hinc
cum ab A. V. 748. ad A. 751. nulla nobis à quo-
quam Scriptore *Romanorum* bella prodantur, liceat
suspicari eo triennio *Jani* fores tertio ab *Augusto*
clausas fuisse; cur enim meam opinionem, con-
jectando rem vetustate obrutam, non interpo-
nam? Illius autem unam & alteram conjecturam
produco. *Suetonius* diserte testatur *Janum* ter
clausum fuisse ab *Augusto*; *Dio* vero annos assi-
gnat, quibus semel & iterum idem imperator *Ja-*
num clusit; cujus historia cum post annum V. C.
748. decem annorum gestis intercisis, mutila sit,
infertur *Janum* clusum quopiam illorum annorum,
quorum memoria in *Dionis* libris nulla est. Hal-
lucinatur quippe *Casaubonus* citatus, dum ait: *Dio*
hujus historiæ non meminit in illius anni rebus expo-
nendis, non animadvertens grandem annorum de-
cem lacunam, quam in laudato volumine longior
ac *Romanæ* antiquitati iniquior ætas fecit. De-
inde *Tacitus* in aliquo voluminum, quæ modo de-
siderantur, sed ætate *Orosii* supererant, scribit:
Sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos
terrarum terminos novæ gentes sæpe ex usu, & ali-
quando cum damno quæruntur, usque ad Vespasiani
duravit imperium. Igitur cum patefactus sit Ja-
nus, *Cajo* ad bellum proficiscente, quod ille ges-
sit ex Cenotaphio *Pisano* ULTRA FINIS EX-
TREMAS POPULI ROMANI, & ab A. V.
729. quo *Augustus*, *Janum* iterum clusit, ad A.

A usque 748. plurima bella semper desævierint, in-
tra triennium tantum ante *Caji* expeditionem in
Orientem *Janus* claudi potuit. His accedit *Au-*
gustum A. V. 729. quo iterum *Jani* portas occlu-
sit, annum ætatis 37. complevisse; at Tacitus *se-*
ne Augusto Janum patefactum scribit, quod *Cajo*
in Orientem cum copiis destinato contigit, cum
Augustus annum ageret ætatis LXII. ex quibus
satis probabiliter infertur, uti modo dicebam,
Augustum post annum 748. *Jani* postes clausisse.
Hisce pariter conjecturis utcumque probabilior
videri possit sententia magnæ eruditionis Scripto-
rum, quos *cap.* 5. laudavi, videlicet Christum
B Dominum natum exeunte Decembri A. V. 749.
Nam cum traditione Patrum constet pace ubique
florente, natum esse Dei Verbum, in similitudi-
nem hominum factum, ac post annum Urbis 751.
maxima bella eruperint, ejusdem Servatoris nati-
vitas intra triennium, quo *Janus* clausus erat, sta-
tuenda est. Nulli vero trium illorum annorum
probabilius, quam A. V. 749. alligari suadent ea
quæ de annis regni *Herodis* disputavi. Vellejus
lib. II. cum narrasset *Tiberium* A. V. 749. ineun-
te (id est, post datam virilem togam *Cajo Cæsa-*
ri, ut diserte ibidem testatur) *Rhodum* secessisse,
hæc postea subjicit: *Sensit terrarum Orbis digres-*
C *sum à custodia Neronem Urbis*; *nam & Parthus de-*
sciscens à societate Romana, *adjecit Armeniæ ma-*
num, *& Germania aversis domitoris sui oculis*, *re-*
bellavit. Bellum *Parthicum* A. V. 752. desinen-
te, incœpit, quod ex *Ovidio* probatum est; *Ger-*
mania vero A. V. 754. teste eodem *Vellejo*, re-
bellavit. Quare si *Vellejo* hæc primum exorta
bella dicuntur post profectum *Roma Tiberium*, ac
Rhodum secedentem, pacem medio ejus tempo-
ris spatio in orbe *Romano* fuisse non obscure idem
historicus significavit. Keplerus *cap.* 11. de an-
no nativitatis Christi, scribit Anno Juliano 40.
V. C. 748. *Germaniam* defecisse, ac *Parthos* ru-
D pto fœdere, adjecisse *Armeniæ* manum, quod *Vel-*
lejus hæc statim post *Tiberium Roma* digressum,
testetur contigisse. Hinc cum circa annos quibus
à variis Scriptoribus nativitas Christi alligari so-
let, nusquam pax, sed bella continuata contige-
rint, in hanc tandem sententiam descendit: *Fru-*
stra igitur nitimur hic auctoritate Orosii, *nec ullum*
momentum situm est in pace Orbis, *Janove clauso ad*
investigandum annum Christi Natalitium. In his
tamen *Keplerus* deceptus est, quod statim ac *Ti-*
berius Roma Rhodum secessit, bellum *Parthicum*
ac *Germanicum* erupisse putat, quod plane falsum
est. *Vellejus* quidem ob absentiam *Tiberii* auda-
E ciam barbaros sumpsisse fingit, ac bella contra
Romanos restaurasse. At nusquam eodem anno
& *Neronem* profectum *Rhodum*, ac bella exorta
affirmavit. Sane quod repetendum est, *lib.* II.
cap. 104. scribit ad *P. Vinicium* consulem statim
ac *Augustus* anno V. 757. mortuo *Cajo Cæsare*, V.
Kal. Julias *Tiberium* adoptasset: *Non diu vindicem*
custodemque imperii sui morata in urbe patria, *pro-*
tinus in Germaniam misit; *ubi ante triennium sub*
M. Vinicio avo tuo, *clarissimo viro*, *immensum exar-*
serat bellum. Igitur bellum in *Germania* inchoa-
tum fuit A. V. 754. auctore *Vellejo*, ac proinde
Keplerus perperam id bellum A. V. 748. *Vellejo*
F auctore, exortum fingit. Bellum etiam *Parthi-*
cum anno demum 752. incœptum colligitur ex
Ovidio, qui *lib.* 1. *de arte*, quem scripsit eodem
anno 752. *Cajum Cæsarem* nostrum alloquens,
ait:

Induit arma tibi genitor patriæque tuusque;
Hostis ab invito regna parente rapit.

Sub idem igitur tempus *Parthus* regnum *Arme-*
niæ invaserat. Profecto miror *Keplerum* putare
Armeniam à *Parthis* A. V. 748. occupatam, ac
Au-

Augustum post quadriennium de eadem demum recuperanda cogitasse, ac *Cajum* ad bellum *Parthicum* cum proconsulari imperio misisse. Ille vero scriptor potuit in excerptis *Dionis* apud *Zonaram* discere *Armeniam* bis defecisse; nempe A. V. 752. iterum rebellasse, quæ cum superius narraverim, haud vacat cum Lectorum fastidio repetere. Illud etiam idem *Keplerus* peccavit, quod *Vellejum* perperam intelligens, negat nascente Christo, pacem in Orbe fuisse, ac *Romæ Jani* postes clausas. Nam pacem in Orbe *Romano* præsertim fuisse *Christo* nascente, Patres concordi sententia tradidere. Hieronymus in *cap.* 2. *Isaiæ* nascente Domino, inquit, *tunc omnia bella cessaverunt*. S. Augustinus *lib.* XVIII. *de Civit. Dei cap.* 46. ait: *Regnante ergo Herode in Judæa, apud Romanos autem immutato Reipublicæ statu, imperante Cæsare Augusto, & per eum Orbe pacato, natus est Christus.* Immo ipsa Ecclesia Catholica in fastis Martyrum ad diem 25. Decembris narrat Chtistum natum *toto Orbe in pace composito.* Anno primo vulgaris Epo-
201 chæ Dionysianæ, quo *Cajus Cæsar* consulatum gessit, bella à *Romanis* navata sunt, quæ unica *Cajana* tabula *Pisis* prodit, in qua *Cæsar Augusti* filius laudatur, quod consulatum *ultra finis extremas Populi Romani bellum feliciter gerens, peregerat*; ac proinde juxta Dionysii Epocham, anno primo Christi *Romani* cum *Parthis* bellum gerebant. Ovidius *lib.* 1. *fastorum*, ubi de *Jano* fusius loquitur, hæc in fine canit:

Pace fores obdo, ne qua discedere possit;
Cæsareoque diu numine clausus ero.
Dixit: & attollens oculos diversa tuentes,
Adspexit toto quicquid in Orbe fuit.
Pax erat: & vestri, Germanice, causa triumphi,
Tradiderat domitas jam tibi Rhenus aquas.

Hæc tamen *Augustum* ac *Germanicum* palpantis poetæ vota fuerunt. Scripsit Ovidius libros fastorum, cum exularet in Ponto, quod patet, ex his sub initium *lib.* IV. ejusdem operis:

Sulmonis gelidi patriæ, Germanice, nostræ:
Me miserum, Scythico quam procul illa solo est.
Euge age: tam longas sed supprime Musa querelas,
Non tibi sunt mæsta sacra canenda lyra.

Cum natus esset eo anno, quo uterque Consul *Hirtius* ac *Pansa* A. V. C. 711. *Mutinensi* prœlio cecidere, ex 4. *Trist. eleg.* 9. deportatus est in exilium annos natus quinquaginta; unde in carmine contra *Ibin* ait:

Tempus ad hoc lustris mihi jam bis quinque peractis.

Et quidem mense Decembri; nam *libro* 1. *Trist. elegia* 10. describens iter in *Pontum*, ait:

Aut hæc me gelido tremere cum mense Decembri,
Scribentem mediis Adria vidit aquis.

Itaque A. V. 761. poeta in exilium abiit. Hinc *lib.* IV. *de Ponto eleg.* 6. ad *Brutum*, quod *Usserius* recte observat, *Fabii Maximi* ac *Augusti* mortem deplorans, ait:

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est;
Jam tempus lustri transit in alterius.

Mortem *Fabii Maximi* sub idem tempus quo decessit *Augustus*, ejusque causas exponit *Tacitus* paulo post initium libri primi Ann. Illi vero è vita discesserunt A. V. 767. quo *Ovidius* ante octo fere menses, lustrum in exilio expleverat; etenim Olympiadem pro *Romano* lustro intelligit, uti *dissert.* 1. *capite* 1. ex aliis ejusdem Poetæ versibus ostendi. Hoc vero lustro continuata in *Germania* bella *Romanos* exercuere, quibus etiam *Augustus* immortuus fuit, uti *Tacitus*, *Dio*, ac *Suetonius* scribunt. Equidem Tacitus *lib.* 1. ait: *Druso Cæsare, C. Norbano Coss. decernitur Germanico triumphus, manente bello.* Hi Consules quinto mense ab excessu *Augusti*, magistratum iniere. Ita etiam *Ovidius*, cum ait: *vestri, Germanice, causa*

A *triumphi &c.* triumphum *Germanico* auguratur. Nam libros fastorum exul scripsit, vivente adhuc Augusto, ad quem *lib.* II. *Tristium* scribit:

Sex ego Fastorum scripsi, totidemque libellos;
Cumque suo finem mense volumen habet.

Erratum est eruditissimo Panvinio in *libello de triumphis Romanorum*, dum putavit triumphum *Germanico* peractum A. D. VII. Kal. Junias *C. Cœlio L. Pomponio* Coss. V. C. 770. laudari ab Ovidio *L.* II. *de Ponto elegia prima*; ibi enim *Tibe-* 202
rii triumphum recitari ex contextu carminis patet, cum de tertia persona cum *Germanico* loquatur, cui etiam triumphum ominatus, ait:

B *Te quoque victorem Tarpejas scandere in arces,*
Læta coronatis Roma videbit equis.
Maturosque Pater nati spectabit honores,
Gaudia percipiens quæ dedit ante suis.

Nempe *Tiberius Germanici* per adoptionem *pater*; de cujus triumpho ibidem loquitur: similem quandoque *Germanico* filio agendum vaticinatus. De eodem triumpho A. V. 766. *Tiberio* peracto, scribit *libro*. III. *de Ponto eleg.* 4. ad Rufinum, ad quem libellum de eodem triumpho mittit, qui tamen interiit. Scaliger *in notis Eusebianis Num.* 2033. ait de Ovidio: *Natus autem anno tertio Juliano. Erat ergo annorum quinquaginta duorum so-*
C *lidorum, quum excessit ex Italia. Scribebat elegiam IX. lib.* IV. *Ponti, octavo anno exilii Juliano LXI. nam ibi Pomponium Flaccum Græcini fratrem fasces proximo Januario sumpturum dicit.* Peccat biennii fere metachronismum. Ovidius diem natalem suum describit *lib.* IV. *Trist. eleg.* 10.

Hæc est armiferæ festis de quinque Minervæ,
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.

Itaque natus est A. V. 711. à parilibus die XIII. Kal. Aprilis, quæ est altera Quinquatruum Minervæ, ac prima, qua *pugnæ cruentæ* in arena fiebant, eodem *lib.* III. *Fast.* scribente:

Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro:
D *Causa quod est illa nata Minerva die.*
Altera, tresque super rasa celebrantur arena:
Ensibus exsertis bellica læta Dea est.

Dies 19. Martii erat prima Quinquatruum Minervæ ex eodem ibidem, qua fas non erat ferro concurrere. Igitur die 20. Martii natus est *Ovidius.* Aldus Manutius *in vita Ovidii* scribit eundem natum die XIV. Kal. Aprilis, quæ erat prima quinquatruum; cum tamen poeta diserte dicat se natum altera die, qua primum in arena pugnabatur. Ex his contra *Scaligerum* constat Ovidio die 20. Martii à parilibus A. V. 761. *lustra bis quinque peracta:* ac proinde mense Decembri
E annum agentem quinquagesimum primum ex *Italia* in exilium sub custodia profectum. Hinc *lib.* IV. *de Ponto eleg.* 13. ad Carum, cum mortis *Augusti*, ac successionis *Tiberii* mentionem hisce versibus fecisset:

Materiam quæris? laudes de Cæsare dixi;
Adjuta est novitas Numine nostra Dei.
Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus, in æthereas numen abisse domos.
Esse parem virtute patri, qui fræna rogatus,
Sæpe recusati ceperit imperii.

Cum hæc, inquam, cecinisset, annum exilii manifeste designans, addit:

F —— *sed me jam, Care, nivali*
Sexta relegatum bruma sub axe tenet.

Augustus obiit die 19. Augusti A. V. 767. ac insequens hiems sexta sibi transigi Ovidio dicitur *sub axe nivali*, hoc est, in exilio Pontico. Quare primam hiemem ibidem egit A. V. 762. cum præcedentem hiemem mense Decembri ex *Italia* discedens, in longiori itinere sub custodia in *Pontum* deportatus, consumpserit. Porro eo sexen- 203
nio exilii *Ovidiani* sævissima, ut dixi, bella conti-

tigerunt, ut quæ de *Jano* clauso idem cecinit, pura puta poetæ vota censenda sint.

Hucusque intra *Jani* postes clausus, *Cajum* ad Orientales provincias iter facientem sequi non potui; è *Jani* templo tandem egressus, *Caji* vestigiis insisto. Illum *Græcia* quæsitissimis honoribus excepit, non tam ipsum quam *Augustum* patrem adulata. Inde in *Eubœam* transmisisse *Cæsarem* vetus inscriptio apud *Chalcidem* insulæ primariam urbem indicat, laudata à Grutero *pagina* 1084.

ΓΑΙΟC. ΚΑΙCΑΡ	CAIVS. CAESAR
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC	IMPERATORIS
ΚΑΙCΑΡΟC. CΕΒ	CAESARIS. AVG
ΥΙΟC	FILIVS

Cum *Samum* trajecisset, ac classem adornaret, fœderatorum Regum legationes excepit, quibus felicem faustumque in *Asiam* adventum gratulabantur, auxiliares copias ac commeatus eidem polliciti. Suetonius *cap.* 21. scribit *Tiberium Caji Cæsaris* privigni sui salutandi gratia, *Rhodo Samum* navigasse. Dio vero in fragmentis *lib.* LV. ait: *Cajo autem ad bellum Armeniacum misso, Tiberius in Chium profectus, ei se submisit: neque Cajo solum, sed omnibus qui cum eo erant. Vellejus* perpetuus imperantis *Tiberii* adulator, locum colloquii omittens, narrat *Cajum* in *Syriam* missum, *convento prius Tiberio Nerone, cui omnem honorem, ut superiori habuit.* Secus tamen laudatus Suetonius *de Tiberio* scribit. *Namque privignum Cajum Orienti præpositum, cum visendi gratia trajecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris ejus.* Auctor est Tacitus *lib.* III. *Annal.* à *Tiberio Sulpicii Quirini* officia in se laudata, *incusato M. Lollio, quem auctorem Cæsari pravitatis ac discordiarum arguebat.* Cum *Lollius* juvenem *Cæsarem* uni sibi uti Rectori in omnibus addictum esse vellet, eundem *Tiberio* alieniorem fecit, ne vitricum in consiliorum societatem per literas saltem adsciseeret: utque unus ipse summa *Caji* potestate in universo Oriente pro arbitrio abuti posset. Antequam ad ulteriora progrediar, ostendendum mihi est *Caji* Cæsaris cum *Tiberio* congressum, sive apud *Samum*, sive apud *Chium*, contigisse A. V. 753. Juliano 45. ex hoc enim priori anno expeditionis *Caji* exacte stabilito, non solum ejusdem in Oriente gesta maxime illustrantur, verum etiam facile ostenditur, quos in anachronismos plerique lapsi sint, qui cum anno natali Christi Domini *Sulpicium Quirinum Syriæ* præsidem, eundemque *Caji* post obitum *Lollii*, rectorem faciant, annos expeditionis *Cæsaris* susdeque turbarunt. Unus nobis *Suetonius* audiendus est, qui *Tiberii* vitam usque ad imperium post obitum *Augusti* occupatum, per tempora ac rerum eidem gestarum speciem exequitur, quem tamen ordinem in describenda vita *Augusti*, neutiquam se tenere fatetur *cap.* 9. in Augusto. Igitur Suetonius *cap.* 11. narrata relegatione *Juliæ*, quæ contigit circa postremos menses A. V. 752. de *Tiberio* scribit: *Transacto autem Tribuniciæ potestatis tempore, confessus tandem nihil aliud secessu devitasse se, quam æmulationis cum Cajo Lucioque suspi-*
204 *cionem, petiit, ut sibi securo ab hac parte, corroboratis his, & secundum locum facile curantibus, permitteretur revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. Sed neque impetravit, &c.* Demonstratum est superius cap. 3. ex *Dione* ac *Vellejo Tiberium* A. V. 748. potestatem Tribuniciam in quinquennium ab *Augusto* accepisse; igitur *Tiberius* Tribuniciæ potestatis quinquennio A. V. 753. transacto, *Romam* redeundi facultatem ab *Augusto* per literas petiit, nec impetravit. Tum *Suetonius* ab his caput insequens 12. exorditur: *Remansit ergo Rhodi contra voluntatem: vix per matrem consecutus, ut ad ve-*

A *landam ignominiam, quasi legatus ab Augusto abesset. Enim vero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque prænavigantium officia, quibus frequentabatur assidue.* Et postea: *Et accesserunt majoris sollicitudinis causæ, videlicet cum Samum ad Cajum privignum transmittens, illum alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii comitis & rectoris ejus.* Hinc cum etiam intellexisset se in suspicionem venisse, per quosdam beneficii sui centuriones à commeatu castra repetentes, mandata ad complures ambigua dedisse, quibus militum fidem tentare ac sollicitare videbatur, quo procul se à
B novandis rebus ostenderet: *Equi quoque*, ait Suetonius cap. 13. *& armorum solitas exercitationes omisit: redegitque se, deposito patrio habitu, ad pallium & crepidas: atque in tali statu BIENNIO fere permansit, contemptior in dies, & invisior.* At ex *Vellejo* constat *Tiberium Romam* reversum A. V. 755. adhuc *Lucio Cæsare* superstite, qui ex *Pisanis* tabulis obiit mense *Augusto* ejusdem anni. Hinc infertur *Tiberium* circa æstatem A. V. 753. deposita toga, ad pallium ac crepidas se redegisse, ut BIENNIO *fere* in tali statu permansisse dici possit, antequam *Romam* reverteretur. Interea *Cajo Cæsare* in *Asia* ac reliquis in Oriente provinciis
C summo cum imperio degente, nobilissimæ urbes, in quas *Græci* colonias deduxerant, nummos *Cæsaris* effigie obsignarunt, quo suum erga *Augusti* filium obsequium publicarent. Nummum *Smyrnæorum Tristanus* edidit; alterum *Nicææ* in *Bithynia* urbis numisma vidi in elegantissimo eodemque ditissimo scrinio Illustrissimi & Excellentissimi *D. Petri Mauroceni Veneti* Senatoris, quem uti præcipui in Urbe rerum domina magistratus summa cum laude gesti publice commendat, ita eundem eruditæ antiquitatis studium privatim etiam exornat. Quamvis autem *Cajus Cæsar* ibidem obsignatus, *Augusti filius* non legatur, quod literæ detri-
D tæ sunt; ex alio tamen numismate plane persimili, quod in cimeliis laudati alias Comitis *Joannis Lazara Patavini* servatur, cujusve hic posticam partem produco, nostrum *Cajum Cæsarem* designatum existimo. 205

CAP. XI.

Romanæ *in Oriente provinciæ describuntur. Divisio provinciarum ab* Augusto *instituta.* Asia, *ac* Bithynia *cum* Paphlagonia *provinciæ* Populi Romani *à Proconsulibus annuis administratæ. Item* Cyprus, *ac* Creta *cum* Cyrenis. Galatia, Lycaonia, *ac* Pisidia *in formam provinciæ*, Amyn-
E ta *rege mortuo, redactæ, Legatum proprætorem ab* Augusto *accipiunt.* Pamphylia *initio libera: sub* Augusto *proprio Rectori subdita.* Cilicia *quando à* Romanis *occupata, fusius disputatur. Communis ea de re sententia expenditur. De tribus diœcesibus ab eadem abstractis* Sigonii *opinio examinatur.* Ciliciam *non spectasse ad jurisdictionem præsidis* Syriæ *contra* Baronium *ostenditur.* Syriæ *Legatus proprætor consularis ab* Augusto *impositus cum legionibus. Reges Orientis socii & amici P. R.* Archelaus Cappadociæ *Rex. Quot illi provinciæ subditæ.* Polemo *ac* Pythodoris
F Ponti *&* Trapezuntis. Tarcondimotus Ciliciæ *superioris circa* Amanum. Antiochus Commagenus. Archelaus *Ethnarcha* Judæorum *cum vicinis Tetrarchis.* Jamblicus Emesenus Aretas Nabatæus. *Reges* Armeniæ *majoris. Plura de singulis adnotantur.*

Antequam *Cajum Cæsarem* in *Syriam* vicinasque provincias deduco, operæ pretium me facturum putavi, si prædicerem quæ tum *Romanæ* in *Asia* provinciæ fuerint, quinam eisdem Rectores imponerentur, qui Reges ac Dynastæ socii &

& amici Populi *Romani* fuerint, cum *Cajus* in Orientem advenit. *Augustus* cum post mortem *M. Antonii*, totius *Romani* Orbis imperium occupasset, veritus ne Populus *Romanus* ad amissam libertatem recuperandam aspiraret, ac funestum avunculi casum subinde perpendens, non modo uti *cap.* 8. dixi imperium ad decennium tantum accepit, verum etiam plerasque provincias Senatui Populoque *Romano* regendas dimisit. De *Asiaticis* hic tantum sermonem instituo. Ille autem in *Asia* sibi retinuit *Syriam*, *Phœnicem*, *Ciliciam*, ac mortuo *Amynta* Rege, *Galatiam*, *Lycaoniam*, atque *Pisidiam*; insuper *Pamphyliam* ac *Cyprum*, quam tamen insulam postea Populo concessit. At provinciæ Senatus ac Populi R. in Oriente erant *Asia*, *Bithynia* cum *Propontide*, & quibusdam *Ponti* partibus, ac *Paphlagonia* post *Philadelphi* Regis excessum. Horum auctores sunt *Strabo* qui *Augusto* imperante vivebat, in fine *lib.* XVII. ac Dio *lib.* LIII. *Asia* provincia Populi R. regionem continebat cis *Halym* ac montem *Taurum*, *Galatis* exceptis & gentibus, quæ *Amyntæ* paruerant. *Bithynia* item ac *Propontide*, teste laudato *Strabone*. Intra *Asiaticam* diœcesim erant *Ionia*, major ac minor *Phrygia*, *Lydia*, *Mysia*, *Caria*, ac *Pergamus*. Hanc sibi ab *Attalo* testamento legatam, *Romani* obtinuerant, qui cum eas tantum in *Asia* provincias primo possiderent,
206 easdem *Asiæ* nomine nuncuparunt, cum alias *Asia* alteram Orbis terrarum partem ab *Europa* atque *Africa* distinctam significaret. Initio erat provincia prætoria, quam Senatores *Romæ* prætura functi, sortiebantur. Cicero *libro primo epistola* 1. *ad Q. fratrem Asiæ* Prætorem, ait: *Quam jucunda tandem Prætoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitudo civium tanta sociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur.* Laudat ibi *Ioniæ* ac *Cariæ* urbes ab eodem restauratas, ac sublata *Mysiæ* latrocinia. Extant apud *Ciceronem* plures epistolæ ad *Asiæ* Prætores datæ; nec vacat rem certam addensatis testimoniis, comprobare. At postquam *Augusti* decreto *Asia* populo restituta fuit, viri consulares ad eandem regendam mitti cœpere, atque *Asia* ex prætoria evasit provincia proconsularis. Dio *libro* LIII. scribit: τῇ δὲ βουλῇ ἰδίᾳ μὲν τὴν ὑπατευκότων τήν τε Ἀφρικὴν καὶ τὴν Ἀσίαν &c. quæ perperam interpres legit: *Senatoribus autem seorsim Africam & Asiam:* cum Latine reddere debuisset: *Senatoribus autem seorsim consularibus Africam & Asiam; prætoris reliquas provincias adscripsit:* Siquidem & prætores erant è numero Senatorum. Ex hac mutatione per *Augustum* facta, Scriptores qui postea res *Romanorum* literis consignarunt, Rectores *Asiæ* ante imperium *Augusti* proconsules nominarunt, qui tamen reapse Prætores seu Proprætores extitere. Vellejus *libro* II. scribit *Cæsarem* opem contra piratas imploraturum, adiisse *Junium proconsulem Asiæ*, qui tamen erat Prætor, uti recte *Plutarcho* in *Cæsare* appellatur. Ita pariter Suetonius in *Augusto capite* 3. nominat *Q. Tullium Marci Ciceronis* fratrem *proconsulatum Asiæ administrantem*, quem tamen *Cicero* laudatus *Prætorem* vocat. *Cornelius* etiam *Nepos in vita Attici* scribit illum noluisse ire cum *Q. Cicerone* legatum in *Asiam*: *Non enim decere se arbitrabatur, cum præturam gerere noluisset, asseclam esse Prætoris.* Bello quidem in *Asia* excitato, consules, florente Republica, *Asiam* provinciam sortiebantur. Cum *Aristonicus Eumenis* Regis ex pellice filius, *Asiam* paternam hæreditatem sibi armis vindicaturus, cum copiis irrupisset, *Licinius Mucianus Crassus* Proconsul *Asiam* sortitus est, eundemque Proconsulem appellat Vellejus *libro* II. Hinc perperam Florus *libro* II. *cap.* 20. *de Aristonico* ait: *Crassi quoque prætoris cecidit exercitum.* Etenim *Asiam* ex consulatu sortitus fuerat, ac proinde prætor dici non potuit. Ita ejus successor *M. Perperna*, dein *M. Aquillius* post consulatum *Asiam* proconsules cum exercitu obtinuere; & *Aquillius* in fastis Capitolinis Proconsul inscribitur. Subjicio fragmentum Capitolinum à *Panvinio* ac *Sigonio* suppletum.

m'. aquiliVS. M'. F. M'. N. PRO. COS. AN. DCXXVII. ex asiA. III. IDVS. NOVEMBR

Ita *Asia* pacata, Prætores rursus eidem impositi fuere, quos inter eminuit *Q. Mucius Scævola* Augur, qui in *Dialogo de Oratore lib.* I. Ciceronis ore loquens ait: *Cum ego Prætor Rhodum venissem*; ex quibus in vicina *Asia* prætura functus apparet. At paullo post *L. Cassius* proconsul in *Asiam* missus fuit, ut *Nicomedem* in *Bithyniam*, & *Ariobarzanem* in *Cappadociam* reduceret. Appiano in *Mithridaticis pag.* 186. *Cassius* dicitur τῆς Ἀσίας ἀνθύπατος: *Asiæ proconsul.* Quo magistratum gerente, *Mithridates* bellum *Romanis* intulit, quod 207
Sylla, *Lucullus*, ac *Pompejus* cum imperio proconsulari administrarunt. Quod tamen bellum quoties, inita pace, interpolabatur, Prætores rursus *Asiam* provinciam obtinebant. Ita Suetonius *in Julio cap.* 2. meminit *M. Thermi Asiæ* Prætoris, ac *C. Neronis* Prætoris ejusdem provinciæ Cicero *in Verrina tertia*, antequam *Mithridates* bellum renovaret, quod tertium fuit ab eodem Rege *Romanis* illatum. Tunc *L. Lucullus*, teste Vellejo *libro* II. *septem annos ex consulatu Asiam* tenuit, cui *Pompejus* succedens, *Mithridatem* intra veteres *Ponti* fines redegit. Quare eodem procul ab *Asia Romana* provincia submoto, ac tandem extincto, *Asia* ad Prætorum jus rediit, quos inter fuit *Valerius Flaccus*, quem à provincialibus accusatum *Cicero* defendit. Illi autem *Q. Cicero* successit, ac per triennium res Asiaticas administravit; item *Q. Thermus*, cui *lib.* XIII. *fam.* plures epistolas *Cicero* scribit, inscriptas *Q. Thermo Proprætori*; & *lib.* VIII. *epist.* 8. *Asia* in octo provinciis prætoriis à *M. Cœlio* includitur. Verum postquam ab *Augusto Asia* administrari Populo *Romano* concessa fuit, proconsularis provincia facta est, eique Senatores post gestum consulatum, impositi fuerunt. *Josephus* tres eorundem nominat *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 10. & primo quidem *C. Marcium Censorinum* consulem A. V. 746. Legitur etiam ibidem: *C. Norbanus Flaccus Proconsul Sardianorum Magistratibus S.* Is A. V. 730. consul fuerat. Denique hæc ibi habentur: *Julius Antonius Proconsul scripsit Ephesiis.* Hic vero A. V. 744. consulatu perfunctus fuerat.

Altera P. R. provincia in *Asia* erat *Bithynia* cum *Paphlagonia*, *Propontide*, ac quibusdam *Ponti* partibus. Strabo in *fine lib.* XVII. *Bithyniam* inter decem Populi R. provincias prætorias numerat. Tacitus *lib.* I. *Annal.* ait: *Nec multo post Granium Marcellum Prætorem Bithyniæ quæstor ipsius Cæpio Crispinus majestatis postulavit.* *Mercerus* ac *Lipsius* in notis pro voce *Prætorem* contendunt *Proconsulem* reponendum, cum ex epistolis *Plinii* constet *Bithyniam* à proconsulibus administratam. Haud tamen arbitror textum *Taciti* corrigendum. Etenim *Augustus* Senatui ac Populo teste *Strabone* laudato, assignavit provincias ὑπατικὰς μὲν δύο, δέκα δὲ στρατηγικάς: *duas quidem consulares, decem autem prætorias*, & has inter *Bithyniam* recenset. Provinciæ consulares erant *Asia* & *Africa*, in quas viri consulares tantum mittebantur, cum in reliquas decem Senatores prætura *Romæ* functi, destinarentur; unde & provinciæ prætoriæ appellatæ. Idem vero *Augustus* ex Dione *lib.* LIII. *Proconsules eos dici voluit, non modo duos istos consulares, sed reliquos etiam præ-*

prætorios, aut qui prætoriorum loco haberentur. Suetonius etiam *cap. 7. de vita Augusti* ait: *Provincias validiores & quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit; ceteras Proconsulibus sortito permisit.* Itaque decreto *Augusti* rector *Bithyniæ* proconsul dicebatur. At quod ii, qui in *Bithyniam* mittebantur, prætura, non autem consulatu defuncti fuerant, *Bithynia* provincia prætoria dicebatur, ac ob id rector ejusdem *Granius Marcellus Prætor* Tacito nuncupatur, cui tamen *lib.* XVI. *C. Petronius Proconsul Bithyniæ & mox consul* nominatur. Hic decreti *Augusti*, illic prætoriæ provinciæ rationem habuit. Strabo *lib.* III. *pag.* 115. de *Bætica* scribit. *Bætica Populo attributa, mittiturque in eam prætor*; Græce enim, στρατηγὸς, hoc est, *prætor* eidem dicitur, quod nempe vir prætorius *Bæticæ* imponebatur. Profecto Pighius *tom. 3. ad* A. V. 796. *Umbonem Silonem* minus recte *Bæticæ proprætorem*
208 appellat; siquidem rectores provinciarum *Cæsaris* eo tantum nomine vocabantur. Ceterum *Latini* scriptores in rectoribus provinciarum nominandis, vetusta liberæ Reipublicæ nomina passim usurparunt, uti pluribus exemplis proxime ostendi. *Plinius* à *Trajano Bithyniæ* rector impositus, *lib.* x. *epist.* 109. petit ab eodem, quid juris habere velit *Bithynas* ac *Ponticas* civitates in pecuniis exigendis, additque: *Ego inveni à proconsulibus concessam eis protopraxiam.* Et sæpius quosdam ejus provinciæ *proconsules* suos decessores nominat. Verum sub *Trajano Bithynia* ac *Pontus* non amplius Populi, sed Imperatoris provinciæ erant. Extat vetus elogium Gruteri *pag.* 454.

C. PLINIVS. C. F. C. N
CAECILIVS. SECVNDVS
COS. AVGVR. LEGAT. PRO. PRAET
PROVINC. PONT. CONSVLARI. PO
TESTATE. IN. EAM. PROVINCIAM. AB
IMP. CAESARE. NERVA. TRAIANO
AVG. GERMANICO. MISSVS, &c.

Recte autem dicitur *Consulari potestate*, non imperio, in eam provinciam missus; imperium enim absolutam belli gerendi, seu rei militaris administrandæ potestatem designabat; potestas vero civilis jurisdictionis exercendæ liberam facultatem, uti optime adnotarunt Panvinius *lib.* 1, *Fast. ad* A. V. 428. & Sigonius *lib.* III. *de antiq. jure provinc. cap.* 5. Proconsules stante Republica, semper cum imperio in provincias mittebantur; sub *Augustis* vero proconsules, quod pacatis provinciis præficiebantur, cum consulari potestate, sed sine imperio ac exercitu, in provinciis sibi à Senatu P. Q. R. decretis, civilem tantum jurisdictionem habebant. Tacitus *lib.* 1. *Annal. proconsulare imperium* latiori significatione usurpavit, cum dixit *Achajam* ac *Macedoniam proconsulari imperio* levatas, ac *Cæsari* traditas; nempe imperium pro civili potestate accepit. *Plinius* vero quamvis Legatus Proprætor *Trajani Augusti*, quod sine exercitu, sive legionibus *Bithyniam* regebat, consulari tantum potestate præditus inscribitur.

Rectori *Bithyniæ*, sive is prætor, sive proconsul appelletur, suberat magna pars *Ponti*, nempe ab *Heraclea*, quæ prior urbs *Ponti* erat versus *Bithyniam*, usque *Amisum*. Reliquum regni Pontici possidebat *Pythodoris* regina, uti mox explicabo. Nobiliores urbes præter *Heracleam*, erant *Amisum* patria *Strabonis* Geographi, urbs libera, socia ac fœderata P. R. à *Lucullo* libertate donata, ex Appiano *in Mithridaticis pag.* 228. quam eidem *Augustus* confirmavit, teste Strabone *lib.* XII. *pag.* 377. *Sinope* etiam civitas, in quam *Romana* colonia deducta fuit, quo eam nomine appellat Plinius *lib.* x. *epist.* 92. & 93. *Strabo* vero ait: *Nunc Romanorum cepit coloniam, quæ in partem urbis & agri venit*; eidemque dicitur *Ponticarum urbium præstantissima.* Ad jus etiam proconsulis *Bithyniæ* spectabat *Paphlagonia* ex Plinio *epist.* 36. *lib.* x. quod antea jussisse *Augustum* colligitur ex *M. Agrippa*, qui apud seniorem Plinium *lib.* v. *cap.* 27. extra diœcesim *Asiaticam Paphlagoniam* collocat, quæ ad Occasum *Bithyniæ*, à Septemtrione Ponto erat finitima. Strabo *lib.* XII. ait. *Nunc Romani tenent, quia stirps regia defecit.* Item: *Ultimus Paphlagoniæ rex fuit Dejotarus Castoris filius cognomento Philadelphus, Marzeos regiam habens, & Gangram parvum oppidum cum arce.* Antistes *Gangrensis* postea fuit Primas totius Ecclesiasticæ provinciæ *Paphlagoniæ*, ac epistolam Synodicam Episcoporum ejus provinciæ ad *Leonem Augustum* pro Concilio *Calchedonensi*, omnium primus subscribit *Petrus Episcopus Gangrenæ metropolis S. Dei Ecclesiæ.* Porro *Castor Straboni* nominatus, erat *Dejotari* regis *Galatiæ* ex filia nepos, qui avum apud Cæsarem A. V. 709. accusavit, quem *Cicero* in oratione pro *Dejotaro* hisce perstringit: *Vos vestra fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti. Rex enim Dejotarus vestram familiam abjectam & obscuram è tenebris in lucem revocavit. Quis tuum patrem antea qui esset, quam cujus generi esset, audivit?* Cum vero *Dejotarus* post paucos menses accepisset, *Cæsarem Romæ* necatum fuisse, *Castorem* aggressus apud *Gorbejum* ipsum & *uxorem ejus filiam suam trucidavit*, ex laudato Strabone *lib.* XII. *pag.* 393. At post pugnam Philippensem, scribit Dio *lib.* XLVIII. *Castori etiam cuidam Attali & Dejotari in Gallogræcia defunctorum ditio tradita est* A. V. 714. Debuit dicere *Dejotaro*, non *Castori.* *Dio* non semel filios alieno nomine, videlicet patrum eorundem appellat. Ita ad A. V. 759. pro *Archelao* ponit *Herodem Palæstinum*, qui *Archelai* pater fuit, & ad A. V. 734. *Artaxiam* regem *Armeniæ* vocat *Artabazem*; qui illius pater fuerat. Inter reges qui bello Actiaco in castris *Antonii* fuere, nominatur *Plutarcho Philadelphus* rex *Paphlagoniæ*; ubi dicit: *Desciverunt reges nonnulli ab Antonio, ut Amyntas & Dejotarus.* Dio *lib.* L. *de M. Titio, & Statilio Tauro Augusti* legatis scribit, socium sibi *Philadelphum regem Paphlagoniæ* asciviffe. Hic *Dejotarus* dicebatur cognomento *Philadelphus*, teste *Strabone* mox cit. quo mortuo, *Augustus* ejus regnum *Bithyniæ* provinciæ adjunxit. Hactenus de duobus provinciis P. R. in Oriente, *Asia* atque *Bithynia.* De *Cypro* tertia P. R. provincia maritima quædam mox subjiciam.

Augustus ceteras *Asiæ* provincias sibi per legatos consulares, vel prætorios, seu etiam equestris ordinis regendas reservaverat. Prima quidem utrique provinciæ P. R. finitima erat *Galatia* cum *Lycaonia*, *Pisidia*, & *Isauria*, quæ antea regis *Amyntæ* regnum constituebant. Is antea fuerat *Dejotari Gallogræciæ* regis scriba, qui eodem defuncto, *Pisidiam* cum regio titulo A. V. 714. ab *Antonio* Triumviro obtinuit, ex Appiano *lib.* v. *bel. civ. pag.* 715. Idem postea *Antonius* ex Dione *libro* XLIX. ad annum Urbis 718. Amyntam *Galatiæ Regem constituit, Lycaoniæ Pamphyliæque partibus adjectis.* *Isauriam* pariter eidem datam testatur *Strabo* mox laudandus. *Lycaonia*, *Pisidia*, & *Isauria* A. V. 703. erant intra *Romanam* diœcesim Proconsulis *Ciliciæ.* Nam *Cicero* id temporis *Ciliciæ* Proconsul iisdem provinciis jus dicebat ex *lib.* v. *ad Atticum epist.* 21. & *lib.* XIII. *fam. epist.* 66. ad *P. Servilium* Proconsulem *Asiæ* ait sibi tres diœceses Asiaticas attributas. Lege Sigonium *lib.* 1. *de antiq. jure provinc. cap.* 11. *Amyntas* quosdam tyrannos qui *Tauri* juga tenebant, bello aggressus, expugnavit, eorumque ditiones suo regno adjecit. Strabo *lib.* XII. *In*

latere

latere Isauriæ, inquit, *est Derbe*, *sedes Antipatri Derbæi maxime adhærens Cappadociæ. Mea ætate & Isauriam & Derbem habuit Amyntas*, *cum Antipatrum illum Derbæum per insidias sustulisset.* Hic *Antipater* olim amicus fuerat *Ciceronis*, qui ad *Q. Philippum Asiæ* proconsulem *lib.* XIII. *epist.* 73. scribens: *Cum Antipatro Derbete mihi non solum*
210 *hospitium*, *verum etiam summa familiaritas intercedit. Ei te vehementer succensuisse audivi*, *& moleste tuli &c.* Derbe erat urbs *Lycaoniæ* ex *Actis Apostolorum cap.* 14. & inter Episcopos ejus provinciæ, qui subscripserunt Synodum *Calchedonensem tom.* 4. *Concil. edit. Labbei pag.* 791. recitatur *Paulus Derbensis* Strabo *lib.* XII. *pag.* 392. *cit.* de eodem Amynta ait: *Idem Isauriam quoque à Romanis accepit: quin & regiam sibi isthic condidit*, *antiqua Isauria eversa.* Item ibidem: *Cum Antiochiam Pisidiæ conterminam haberet*, *& usque ad Apolloniadem Apameæ Ciboto confinem*, *ac quædam ad montium latus pertinentia*, *nec non Lycaoniam: conatus est eos exscindere*, *qui è Tauro in istam regionem*, *quæ Phrygiæ erat atque Ciliciæ*, *excursiones faciebant. Itaque cepit multa castella nunquam antea expugnata*, *de quibus Cremna fuit.* Bello Actiaco interfuit ex Vellejo *lib.* II. ac Dione *lib.* L. At *Plutarchus* in *Antonio* numerat *Amyntam* inter reges qui domi morantes, *Antonio* tamen auxiliares copias miserunt. Verum postea scribit *Amyntam* cum *Dejotaro Philadelpho* è castris *Antonii* ad *Cæsarem* transfugisse; cum *Antonius* illum ad conducendos stipendiarios milites in *Macedoniam* ac *Thraciam* misisset. *Augustus* ejus defectionis gratia, non modo regnum eidem confirmavit, verum etiam auxit, data eidem aspera *Cilicia*, quam *Antonius Cleopatræ* cum *Cypro* donaverat. Strabo *lib.* XIV. scribit *Archelaum* regem *Cappadociæ* possedisse *totam asperam Ciliciam*, *excepta Seleucia*, *quomodo & Amyntas prius habuit*, *& ante hunc Cleopatra.* Infelicem hujus regis exitum prodit Strabo *lib.* XII. laudato: *Ceterum*, inquiens, *Amyntas Cremna capta*, *cum in Homonadenses expeditionem fecisset*, *qui maxime putabantur inexpugnabiles*, *& jam pleraque loca cepisset*, *ipsorum quoque tyrannum sustulisset*, *dolo uxoris captus est. Augustus*, *Amynta* ab *Homonadensibus* necato, ejusdem regnum A. V. 726. in provinciam redegit, *M. Lollio* pro prætore imposito. Dio *lib.* LIII. scribit: *Amynta mortuo*, *regnum filiis ejus* Augustus *non tradidit*, *sed provinciam P. R. fecit*, *atque exinde Gallogræcia cum Lycaonia Romanum habere præfectum cœpit. Oppida Pamphyliæ*, *quæ prius sub Amynta fuerant*, *suæ sunt libertati restituta. Ciliciam* vero asperam *Archelao* regni tradidit, ut ex *Strabone* notavi, ac rursus ex *Josepho* ostendam. Strabo *lib.* XII. cit. *Segallassus*, inquit, *sub eo est Romanorum præfecto*, *qui Amyntæ regnum gubernat universum.* In vetusto codice Latino subscriptionum Synodi *Calchedonensis tom.* 4. legitur *Photianus Salagesutanus* inter Episcopos *Pisidiæ*; recte tamen scribitur *Act.* I. *pag.* 91. Σαγάλασσου. Extat in Gaza Medicea insigne numisma Imperatoris *Claudii Gotthici* cum epigraphe in postica: ΣΑΓΑΛΑϹϹΕΩΝ. Hinc habemus *Augusti* in *Asia* provinciam, quam *Galatia*, *Lycaonia*, *Pisidia*, ac denique *Isauria* componebant. *Selgenses Pisidiæ* populi, quorum *urbem magnam* laudat Arrianus *lib.* I. *de exped. Alexandri*, ac Strabo *lib.* XII. propriam libertatem adversus *Amyntam* ac superiores reges defenderant. At inquit *Strabo* ibidem *pag.* 193. *Nunc prorsus subditi sunt Romanis*, *censenturque in provincia*, *quæ Amyntæ paruit.* Plinio *lib.* V. *cap.* 27. dicitur *Lycaonia in Asiaticam jurisdictionem versa*; sed hæc postea contigere. Eutropius *lib.* VII. ubi de gestis *Augusti* scribit: *Galatia quoque*, inquit, *sub hoc provincia facta est*,

A *cum antea regnum fuisset*; *primusque eam M. Lollius pro prætore administravit.* Is est *Lollius*, quem *Augustus Caji Cæsaris* juventæ rectorem imposuit. In vetustis inscriptionibus Proprætoris *Galatiæ* mentio fit *pag.* 1013. 4.

Altera *Augusti* in *Asia* provincia erat *Pamphylia*, in quam *Romanorum* primus *Cn. Manlius*, *Antiocho Syriæ* rege superato, legionum aquilas intulit A. V. 565. scribit de eodem Livius *lib.* 211
XXXVIII. *cap.* 15. *Termeso pacem dedit*, *quinquaginta talentis argenti acceptis*, *item Aspendiis*, *ceterisque Pamphyliæ populis.* Legati vero *Antiochi* cum illum convenissent, *pecuniam in Pamphyliam*,
B *frumentumque ex pacto cum L. Scipione fœdere jussi advehere.* Altero anno, cum *Perga* urbs *Pamphyliæ* regio præsidio teneretur, *Antiochus*, *Manlio* petente, militem inde revocavit. Cum vero Rex pacem ea conditione obtinuisset, ut *Asiam* cis *Taurum Eumeni Pergami* regi redderet, inquit Livius: *De Pamphylia disceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos cum esset*, *quia pars ejus citra*, *pars ultra Taurum est: integra res ad Senatum rejicitur. Pamphylos* libertate donatos colligo ex eodem Livio *lib.* XLIV. ubi ait eorundem legatos *Romam* auream coronam ingenti ponderis dono ad Senatum attulisse: *Benigne*que inquit, *amicitiam renovare volentibus legatis responsum.* Itaque
C A. V. 585. erant liberi, cum legationes de societate & amicitia renovanda destinarent. Urbes tamen *Pamphyliæ* cis *Taurum* videntur regno *Eumenis* adjectæ, cum una cum *Attali* hæreditate in potestatem P. R. venerint, vel forte confectis belli *Asiatici* contra *Aristonicum* reliquiis, *M. Aquillius Pamphyliæ* partem *Cariæ* ac *Phrygiæ* finitimam, in provinciæ formam redegit, quam ab *Asiatica* mox diœcesi separatam fuisse indicat *Sylla* ibidem prætor constitutus. Auctor *vit. Virorum illust.* de *Cornelio Sylla* ait: *Prætor provinciam Ciliciam habuit*, quo tamen nomine *Phrygiam*
D minorem, *Pamphyliam*, ac partes *Pisidiæ* ac *Lycaoniæ* venisse mox, ubi de *Cilicia* sermonem faciam, ostendo. *Romanus* in *Pamphylia* magistratus A. V. 665. bello primo *Mithridatico* apud *Romanarum* rerum scriptores reperitur. Is est *Q. Oppius* eo ipso anno quo *L. Cassius* proconsul *Asiam* regebat. Utriusque meminit *Appianus* in Mithridatic. *pag.* 181. cui *pag.* 186. dicitur Λεύκιος Κάσσιος ὁ τῆς Ἀσίας ἀνθύπατος: *Lucius Cassius Asiæ proconsul.* Pighio ad A. V. 664. *Q. Oppius Asiæ proconsul* ac successor *L. Cassio* adstruitur. At Usserio A. 86. ante vulgarem epocham Christi *Q. Oppius Pamphyliæ proconsul* appellatur. In Epi-
E tome Liviana *lib.* LXXVII. legimus: *Mithridates Asiam occupavit*, *Q. Oppium proconsulem*, *item Aquillium legatum in vincula conjecit.* At mihi fere certum est *Q. Oppium* non proconsulem, sed prætorem fuisse. Appianus *pag.* 184. ait: Ῥωμαίων στρατηγὸς Κόϊντος Ὄππιος: *Romanorum prætor Q. Oppius.* In oratione ad *Athenienses* pro *Mithridate* contra *Romanos* habita apud Athenæum *lib.* V. Ῥωμαίων δὲ στρατηγὸς μὲν Παμφυλίας Κόϊντος ὁ Ὄππιος: *Romanorum autem prætor in Pamphylia Q. Oppius.* Idem ex Cicerone colligo, qui in *oratione pro Flacco num.* 47. ait: *Revocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam*, *ad il-*
F *lum universorum civium R. per tot urbes uno puncto temporis miseram crudelemque cædem*; *prætores nostros deditos*, *legatos in vincula conjectos.* At *Mithridates* unum *Q. Oppium* à *Laodicensibus* deditum cepit, ac *Manium Aquillium* apud *Mitylenem* captum, catena vinctum per *Asiæ* urbes circumtulit, quem *Appianus pag.* 184. *legationis hujus & belli auctorem præcipuum* vocat; & *pag.* 176. ait *Nicomedem* & *Ariobarzanem* in sua regna à *Romanis* deductos, *legatione ad hoc missa*, *cujus princeps*

erat Manius Aquillius. Athenio in memorata ora-
tione ad *Athenienſes* habita, geſta *Mithridatis* com-
mendans, ait: *Romanorum prætor Q. Oppius in
Pamphylia, deditus, & in vincula conjectus ſequi-
tur. Manius* (non Μάνλι@,) *Aquillius vir con-
ſularis, & qui de Sicilia triumphavit, longa cate-
na nexus cum Baſtarne quodam procero cubitos quin-
que pedes ab equite trahitur.* Hos igitur ambos
212 idem *Cicero* appellat, ac Q. Oppium *prætorem*,
Manium vero *Aquillium* legatum nuncupat. Ex
his tamen non infertur *Q. Oppium* prætorem jus
Pamphyliæ dixiſſe; nam cum bellum non uno lo-
co contra *Mithridatem* gerendum foret, Senatus
Romanus L. Caſſio Proconſuli imperio in *Aſia* pro-
rogato, *Q. Oppium* prætorem illuc cum novis co-
piis forte deſtinavit, ut ditiones *Romanas* ac ſo-
ciorum & amicorum P. R. tutaretur; hoc enim
ſæpius contigit, ac bello ſecundo *Punico* in *Italia*
una ſimul variis in provinciis exercitibus, præter
conſules, præerant proconſules, ac prætores.
Hæc forte contentioſi quidam reponere poſſent,
ad quorum tamen ſententiam non accedo, qui an-
tea *Syllam Ciliciæ* prætorem fuiſſe ſcio. Appia-
nus *cit. pag.* 183. *de Mithridate* ait: *Miſſis etiam
circumquaque ſuis ducibus, ſubegit Lyciam, & Pam-
phyliam, aliaque uſque Ioniam.* Cum vero *Sylla*
victis hoſtibus, *Aſiam* recuperaſſet, pace cum
Mithridate facta, quoſdam populos libertate do-
navit propter ſtudium, quod eo bello erga *Ro-
manos* oſtenderant, eoſque inter ſocios adſcripſit;
nempe *Rhodios*, *Lycios*, alioſque quos *Appianus*
enumerat *pag.* 211. cum vero inter illos non re-
cenſeat *Pamphylos*, non obſcure colligitur eoſdem
majori ex parte ante illud bellum *Romanis* ſubdi-
tos fuiſſe. *Sylla Aſiam* in 44. regiones deſcripſit
Cinna IV. & *Papyrio* II. Coſſ. A. V. 670. ex *Caſ-
ſiodoro* in Chronico; unde & *Cicero* pro *Flacco
num.* 25. ait L. Syllam *omnes Aſiæ civitates pro-
portione in provincias deſcripſiſſe.* Poſt quadrien-
nium *Cn. Dolabellam Pamphyliam* cum imperio
proconſulari tenuiſſe ex Verrinis *Ciceronis* intelli-
gimus; ille enim *C. Verrem* ſecum legatum in
provinciam ducens, bellum cum finitimis *Cilici-
bus* geſſit, Verre ſubditos ac ſocios furtis ac rapi-
nis vexante. Cicero in *Verrina tertia*, cum di-
xiſſet occiſo *C. Malleolo* quæſtore, *Verrem* à *Do-
labella* pro Quæſtore factum, ait: *Pro Quæſtore
vero quomodo iſte commune Myliadum vexarit, quo-
modo Lyciam, Pamphyliam, Piſidiam, Phrygiam-
que totam frumento imperando, æſtimando &c.* Item:
*Quæremus etiam quid iſte in ultima Phrygia, quid
in extremis Pamphyliæ partibus fecerit? qualis in
bello prædonum ipſe fuerit, qui in foro Populi Ro-
mani pirata nefarius reperiatur?* Itaque *Pamphy-
lia*, *Piſidia*, ac *Phrygia* erant provincia *C. Ver-
ris*; *Lycia* tamen erat tantum vectigalis. *Phrygia*
minor hic nominatur, quia major ad jus Præto-
ris *Aſiæ* ſpectabat; nam *Cicero* idem pro *Flacco
num.* 51. ait: *Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, My-
ſia, Caria, Lydia*; & ſtatim harum provincia-
rum accuſationes contra *Flaccum* Prætorem *Aſiæ*
refellit. In eadem Verrina tertia: *Aſpendum*,
inquit, *vetus oppidum & nobile in Pamphilia ſcitis
eſſe &c. hoc dico nullum te Aſpendi ſignum, Verres,
reliquiſſe, omnia ex fanis, ex locis publicis, palam
ſpectantibus omnibus, ploſtris evecta, exportataque
eſſe.* Rurſus: *Pergæ fanum antiquiſſimum & ſan-
ctiſſimum Dianæ ſcimus eſſe: id quoque à te nuda-
tum, ac ſpoliatum eſſe &c. Perga* etiam urbs erat
Pamphyliæ. Cum *Verres* petiiſſet à *Dolabella*, ut
ſe legatum ad *Nicomedem* regem *Bithyniæ* ac *Sa-
dalam Thraciæ* mitteret, exaggerat Orator furta,
quæ in ea legatione per *Aſiam* iter faciens, patra-
vit, præſertim apud *Mileſios* ac *Lampſacenos*. Hinc
ait: *Cum tibi ſe tota Aſia ſpoliandam ac vexandam*
A *præbuiſſet, cum tibi expoſita eſſet, omnis ad præ-
dandum Pamphilia, contentus his tam optimis rebus
non fuiſti.* Rurſus initio Verrinæ quintæ: *Is in
te non expilatione Aſiæ, vexatione Pamphyliæ, &
lacrymis Siciliæ concitetur.* Ita ubique rapinas e-
git: in itinere *Aſiatico* legatus ad memoratos Re-
ges, in *Pamphylia* legatus ordinarius ac proquæ-
ſtor, in *Sicilia* autem Prætor. Ex his *Tullii* te-
ſtimoniis patet *Pamphyliam* alteram provinciam
in *Aſia* fuiſſe, in quam *Romani* magiſtratus mit-
tebantur. Nam cum *Cn. Dolabella Pamphyliæ*
præeſſet, *C. Nero* prætor *Aſiam* regebat, ad quem
Dolabella ſe contulit, teſte ibidem *Cicerone.* Id
B temporis tamen piratæ ac tyranni partem *Pam-
phyliæ* occupabant. Strabo *lib.* XIV. *pag.* 462. te-
ſtatur *Zenicetum* in Olympo monte arcem habuiſ-
ſe: *Ejus etiam*, inquit, *fuit Corycus, Phaſelis,
& multa Pamphyliæ loca, quæ omnia cepit Iſauri-
cus.* Et pag. 457. *Syde*, ait, *quæ Pamphyliæ
urbs eſt, fabricam navium habebant Cilices, & per
præconem vendebant captos. P. Servilius Iſauricus*
A. V. 766. proconſul in *Pamphyliam* veniens,
ejectis piratis, univerſam provinciam in P. R. po-
teſtatem redegit, ac *Taurum* tranſgreſſus, *Iſauros*
ſubjugavit, à quibus agnomen accepit, ac quaſ-
dam etiam *Ciliciæ* urbes occupavit. Cum vero
C *Pompejus* univerſam *Ciliciam*, expugnatis prædo-
nibus, in provinciæ formam redegiſſet, *Pamphy-
lia* ad diœceſim Proconſulis *Ciliciæ* ſpectare cœ-
pit. Hinc Cicero *lib.* V. *ad Atticum epiſt.* 21.
cum eſſet Proconſul *Ciliciæ*, ſcribit ex idibus Mar-
tiis ſe habiturum Synnade forum *Pamphylium.* E-
verſa poſtea Republica, *Auguſtus Pamphyliæ* pro-
prætorem impoſuit. Etenim Dio *lib.* LIV. A.
V. 744. ſcribit *Thracibus* arma contra *Romanos*
capientibus, contra hoſce barbaros miſſum ab
Auguſto L. Piſonem, qui tum Pamphyliæ præerat.
Oppida vero quæ *Amyntas* rex *Galatiæ* poſſede-
rat, eodem A. V. 729. demortuo, ab Auguſto
D *ſuæ ſunt libertati reſtituta*, ex Dione *lib.* LIII.
Eandem vero provinciam ſub Cæſaribus extra ju-
riſdictionem præfecti *Ciliciæ* fuiſſe, proxime o-
ſtendam; quamvis illi pro arbitrio uni proprætori
modo ſingulas, modo binas, aut etiam plures pro-
vincias commiſerint. Tacitus *lib.* II. *hiſtor.* ait:
*Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Aſpre-
nati regendas Galba permiſerat.*

Tertia *Auguſti* in *Aſia* provincia erat *Cilicia Sy-
riæ* ac *Cappadociæ* finitima, cujus altera pars aſpe-
ra, altera campeſtris dicebatur. Scriptores qui
noſtra ac avorum ætate de imperio *Romano* com-
E mentarios ediderunt, unanimi ſententia exiſtima-
runt ante A. V. 780. *Ciliciam* in formam provin-
ciæ à *Romanis* redactam fuiſſe. Nam de *Sylla*
Auctor libri de viris illuſtribus, poſt urbanam
præturam, inquit, *Prætor Ciliciam provinciam
habuit.* Immo ipſe Sylla in colloquio cum *Mi-
thridate* rege *Ponti* habito, ait: *In Cappadociam
ego reduxi Ariobarzanem ex S. C. cum præeſſem Ci-
liciæ*; apud *Appianum* in Mithridat. *pag.* 208. idem-
que in literis ad Senatum bello civili datis, exag-
geravit exantlatos ſibi labores, cum eſſet quæſtor
in *Numidia*, dein legatus bello *Cimbrico*, ac po-
ſtea Κιλικίας ἡγούμενος, *Ciliciæ prætor*, ſive re-
F ctor; ea enim vox varios *Romanorum* magiſtra-
tus promiſcue apud *Græcos* ſignificat. Præterea
Cicero *in* 3. *Verrina num.* 30. ait: *Cn. Dolabellæ
provincia Cilicia conſtituta eſt*; id autem contigit
A. V. circiter 673. nam A. V. 675. *P. Servilius*
conſul *Ciliciam* ac bellum contra piratas ſortitus
fuit. Ceterum *Ciliciam* non tam cito, in pro-
vinciæ formam à *Romanis* redactam plura mihi
perſuadent. Et quidem *Tigranes* cum *Antiocho
Pio Syriam* eripuiſſet, *ſimul occupavit Ciliciam &
ipſam Seleucidis parere ſolitam, quibus omnibus Ma-*
gada-

gadates regis sui nomine cum exercitu præfuit per annos quatuordecim. Sed posteaquam Mithridates à Lucullo victus, ad Tigranem confugit, Magadates eum exercitum in sui regis auxilium abduxit. Horum auctor *Appianus* in Syriacis pag. 118. *Mithridates* à *L. Lucullo* victus, ad *Tigranem* A. V.
214 683. concessit. Quare *Tigranes* circa A. V. 670. *Ciliciam* campestrem occupavit, ejusque satrapa *Magadates* per annos quatuordecim eandem cum regio milite tenuit. Justinus *lib.* XL. de *Tigrane* scribit: *Accitus in regnum Syriæ, per XVIII. annos tranquillissimo regno potitus est; neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit. Tigranes* autem à *Pompejo* postea victus, *Syriam* ac finitimas provincias *Romanorum* potestati tradidit, ex Dione *lib.* XXXVI. A. V. 688. à quo si per octodecim annos retrocedamus, erimus ad A. V. 670. Quare *Cilicia* campestris *Tigrani* parebat, cum *Servilius Isauricus* contra piratas in aspera *Cilicia* bellum gessit, nec ab isto, vel *Dolabella*, quem proconsulem *Ciliciæ* proprie dictæ faciunt, bello lacessitus; *tranquillissimo regno potitus est.* Scribit Dio *lib.* XXXV. *Pompejum* superatis prædonibus, in urbem solos habitatores deduxisse, *quam Tigranes ante vastaverat*; ea vero urbs postrema est *Ciliciæ* campestris, inde postea aspera *Cilicia* assurgente. Igitur *Tigranes* universam Campestrem *Ciliciam* occupavit. *Asperam* vero *Ciliciam* quæ mari alluitur, ac *Tauri* jugis altera ex parte munitur, prædones tenebant: hinc subjecta *Pamphyliæ*, ac *Pisidiæ* campestria latrociniis infestantes; illinc vero maria universa intra fretum *Gaditanum* prædatoriis classibus procursantes. *Romani* contra eosdem *M. Antonium* Oratorem *M. Antonii* Triumviri avum, cum proconsulari imperio miserunt. Hæc ipse Antonius apud Ciceronem *lib.* I. *de Oratore* ait: *Cum proconsul in Ciliciam proficiscens, Athenas venissem &c.* Idem vero Cicero *in Bruto* ait: *M. Gratidius M. Antonii perfamiliaris, cujus præfectus cum esset, in Cilicia est interfectus.* Res quidem triumpho, quem gessit, dignas ille patravit; at vires iterum piratæ recuperarunt, præsertim regnante *Tigrane*, quod hic è re sua putabat *Romanos* latronum incursionibus infestari. *Dolabella Ciliciam* provinciam obtinuisse dicebatur, non quod vel campestrem, vel magnam saltem asperæ provinciæ partem *Romani* possiderent, sed quod contra *Cilices* bellum illi gerendum esset. In *Livio* passim legimus consules provincias sortitò obtinere, non quæ juris essent Populi R. sed adversus quas bellum iisdem consulibus gerendum foret. Libro XXI. anno primo secundi belli *Punici* ait: *Cornelio Hispania, Sempronio Africa cum Sicilia evenit.* Quo sane tempore nihil in *Hispania* vel *Africa Romani* possidebant. *Lib.* XXXI. scribit: *P. Sulpicio Macedonia sorte evenit; isque rogationem promulgavit: vellent, juberent Philippo regi Macedonibusque &c. bellum indici.* Cum *Romana* arma nunquam *Macedoniam* antea penetrassent; primum enim illud contra *Macedones* bellum susceperant. In illas tamen provincias consules mitti dicebantur, quod adversus easdem illis bellandum erat. Ita *Cn. Dolabellæ* Proprætori, ut diserte legitur apud Ciceronem in *Verrina tertia num.* 70. non proconsuli, ut *Sigonius* ac *Usserius* illum vocant, *Cilicia provincia constituta* dicitur à *Cicerone*, quod adversus latrocinantia *Cilicum* agmina bellum illi gerendum fuit, quo nomine *Cilicum Isauri* ac reliqui populi è *Tauri* jugis in subjectis campis rapinas agentes veniebant, non vero *Cilices* tantum *Tracheotæ*. Profecto *Cn. Dolabellam* in neutra *Cilicia* exercuisse jus sui magistratus allata superius ex tertia *Verrina* testimonia demonstrant; ibi enim *Verres* accusatur quod *Lyciam*, *Pamphyliam*, *Pisidiam*, *Phry-*

A *giam* imperato frumento, aliisque expilarit. Cur ab utraque *Cilicia* tam rapaces manus abstinuit, si in eadem jurisdictionem exercuit? *Dolabellam* vero bellum gessisse cum *Cilicibus*, *Verre* Legato ac pro quæstore ejusdem, idem *Cicero* tradit; *Quæra-* 215
mus, ait, *etiam quid iste in ultima Phrygia, quid in extremis Pamphyliæ partibus fecerit? qualis in bello prædonum ipse fuerit, qui in foro populi R. pirata nefarius reperiatur?* num. 109. & num 51. ait: *Commotus est Dolabella; fecit id quod multi reprehenderunt, ut exercitum, ut provinciam, bellum relinqueret, & in Asiam, hominis nequissimi causa, in alienam provinciam proficisceretur*; & num. 54.
B narrat Verrem *exercitum & hostem reliquisse*, nempe *in bello prædonum*, uti proxime dicebat. Non dissimulo semel *Ciliciam* nominari initio divinationis contra *Verrem*, cum Orator eidem exprobrat *furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaja, Asia, Cilicia, Pamphylia, Romæ denique ante oculos omnium maxima turpissimaque.* At *Ciliciæ* nomine neutiquam intelligit asperam, vel campestrem *Ciliciam*, sed *Pisidiam*, *Lyciam*, ac partem *Phrygiæ*, quæ apud *Romanos* uno *Ciliciæ* provinciæ nomine significabantur, vel certe exiguam *Ciliciæ* partem cis *Taurum*, ubi erant *Cybistra* ac *Castabula* urbes *Cilicum*, ut postea ex-
C ponam. *Cicero* numerat furta à *Verre* facta *Aspendi* ac *Pergæ*, quæ urbes in *Pamphylia* erant: at nullum peractum eidem latrocinium seu rapinam *Tarsi*, *Anabarzi*, aut *Mopsuestiæ*, vel alio in oppido *Ciliciæ*. Nam id temporis *Magadates Tigranis Satrapa* campestrem *Ciliciam* cum exercitu citra *Taurum* tenebat, nec *Verres* potuit eo usque rapaces manus extendere. *Publius Servilius* in Consulatu A.V. 675. *Ciliciam* provinciam sortitus, anno insequenti proconsul per *Asiam* suam in provinciam venit, ac prædones aggressus, plures illorum urbes expugnavit, quæ tamen omnes erant in *Lycia*, *Pamphylia*, & *Isauria*; nulla sane in *Ci-*
D *licia* proprie dicta. *Sidam* cepit, de qua ait Strabo *L.* XIV. *pag.* 457. *Sidæ quidem, quæ Pamphyliæ urbs est &c. Phaselis tres habens portus*, ab eodem occupata fuit. At Cicero in *Verrem* VI. *num.* 18. ait: *Phaselis illa quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs ante Cilicum, atque prædonum; Lycii illam homines incolebant &c. Asciverunt sibi illud oppidum piratæ primo commercio, deinde etiam societate.* Idem Cicero in agraria secunda contra Rullum ait: *Jubet vænire quæ Attalensium, quæ Phaselitum, quæ Olympenorum fuerint, agrumque Agerensem, & Orindicum, & Gedusanum. Hæc P. Servilii imperio & victoria clarissimi viri vestra*
E *facta sunt.* Nulla illarum urbium erat in *Cilicia*. Nam *Attalea* ab *Attalo Philadelpho* condita, urbs erat *Pamphyliæ*, *Olbiæ* proxima, quæ postrema erat provinciæ ac prope *Phaselidem Lyciorum*, ex Strabone *lib.* XIV. *pag.* 459. *Olympus* erat insignis civitas *Lyciæ* supra *Phaselidem* ac *Corycum*, ex eodem *pag.* 458. Epistolam Synodicam provinciæ *Lyciæ* pro Synodo *Calchedonensi* ad *Leonem* Imperatorem subscripsere *Anatolius Episcopus Olympiensis*, & *Aristodemus Episcopus Phaselitanus. Tomo* 4. *Concil. edit. Labbei pag.* 940. Hinc corrigendus est locus Ciceronis in *Verrina* III. ubi bis dicitur *P. Servilius* in provincia, in qua *Verres*
F legatione ac proquæstura functus fuerat, *Olynthum urbem hostium cepisse.* Ubi *Olympum* reponas; nulla enim ea in regione *Olynthus*, quæ quondam in *Græcia* fuerat; & diserte in agraria à *Servilio* publicum in fiscum redacta scribit quæ fuerant *Olympenorum*, nempe civium *Olympi* in *Lycia.* Asconius in *Verrinam tertiam* de *Servilio* scribit: *Bellum in Cilicia gessit, deque ea triumphavit, captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis ejus terræ urbibus.* At nulla istarum ur-

bium ad *Ciliciam* ſpectabat. Eutropius *lib.* VI. ait: *P. Servilius Ciliciam ſubegit, Lyciæ urbes clariſſi-*
216 *mas oppugnavit, & cepit; in his Phaſelidem, Olympum, Corycum Ciliciæ.* Errat tamen (ut ſileam de ſubacta *Cilicia*) dum *Corycum* à *Servilio* captam putat fuiſſe in *Cilicia*; erat enim oppidum inter Olympum ac *Phaſelidem* in *Lycia*, non autem altera *Corycus*, quæ ſita erat in *Cilicia* aſpera, quam *Servilius* non oppugnavit. *Strabo* ait *Zenicetum* prædonum ducem in *Olympo* monte arcem poſſediſſe, additque pag. 462. *Ejus etiam fuit Corycus, & Phaſelis, & multa Pamphyliæ loca, quæ cepit Iſauricus.* Idem etiam *pag.* 458. in *Lycia* ponit *Corycum* inter *Olympum* & *Phaſelidem*. *Servilius Iſauriam* difficili bello expugnavit, quæ tamen erat provincia diſtincta à *Cilicia*, uti omnes norunt, cum teſte Plinio *lib.* V. *cap.* 27. inter *Ciliciam* ac *Pamphyliam* ſita fuerit. Nullum huc uſque oppidum *Ciliciæ* à *P. Servilio Iſaurico* expugnatum apud hiſtoricos inveni. Appianus in *Mithridaticis pag.* 235. loquens de prædonibus, qui aſperam *Ciliciam* tenebant, ait: *Nec Muræna hos prædones aggreſſus, quicquam effecit memorabile, nec poſt eum Servilius Iſauricus.* Itaque *Servilius* nihil præclarum contra *Tracheotas Cilices* geſſit, qui tamen ex ſeptima in Verrem, *unus plures prædones duces vivos cepit, quam omnes antea.* Scribit *Cicero* contra eundem *Verrem* in tertia invectiva *Servilium quinquennium exercitui præfuiſſe*; quare cum conſul A. V. 675. provinciam *Ciliciam* ſortitus fuerit, anno V. 680. *Romam* ad triumphum reverſus eſt. *Lucius Octavius* ex conſulatu quem A. V. 679. geſſit, ſucceſſor *Servilii* in provinciam venit, ubi anno ſequenti proconſul ibidem nulla re memorabili geſta, morbo interiit. *Lucius Lucullus* conſul *Galliam Narbonenſem* ſortitus, *L. Octavii* morte intellecta, ac fama belli tertii *Mithridatici* circumquaque reſonante, curavit ut proconſul in *Ciliciam* mitteretur, quod etiam obtinuit. Immò *Aſiam* etiam provinciam habuiſſe teſtatur Vellejus *lib.* II. ubi *Aſiam ſortitus* dicitur. Hoc ipſum patet ex Dionis *libro* 35. in cujus fragmenti initio ſcribit, cum bellum Mithridaticum protraheretur, *Lucullum* in ſuſpicionem veniſſe, quod hoſtem debellare recuſaret, ut diutius cum imperio eſſet: *Itaque*, inquit, *tum Romani imperium in Aſia prætoribus aſſignaverunt*, A. V. 685. quo *Lucullo* imperium imminuerent. *Mithridates Bithyniam* primo belli impetu irrumpens, *Cyzicum* terra marique obſedit. Appianus *in Mithridat. pag.* 222. ait: *Dum hæc ad Cyzicum geruntur, Eumachus Mithridatis dux, incurſionibus infeſtans Phrygiam, multos Romanos interfecit tum liberis & conjugibus, Piſidas ac Iſauros ſubigens, & Ciliciam.* Ex his patet aliquam portionem *Ciliciæ Romanis* A. V. 681. in quem *Cyzici* obſidio protracta fuit, ſubjectam fuiſſe; neque enim aſperam *Ciliciam*, quam tenebant piratæ rebus *Mithridatis* perutiles, devaſtaſſent ejuſdem præfecti, uti neque campeſtrem *Ciliciam*, quæ *Tigrani* Regi *Armeniæ* amico ac genero parebat. In *Liviana* epitome *lib.* XCIV. *Phrygia* tantum à præfectis regiis infeſtata dicitur. Ea tamen pars *Ciliciæ Romanis* ſubdita adeo exigua erat, ut vix tria ejuſdem oppida inferius laudare poſſim; tantum abeſt, ut provinciæ nomine digna videatur. *Mithridates* A. V. 683. rebus ſuis deſperatis, ubique *Lucullo* vincente, cum duobus equitum millibus ad *Tigranem* generum conceſſit. Cum vero *Tigranes* bellum contra *Romanos* adornaret, *Magadates* ejuſdem præfectus, qui per annos quatuordecim *Ciliciam* campeſtrem unaque *Syriam* obtinuerat, copiis ex utraque provincia revocatis, ad *Tigranem* ſe contulit. Horum auctor eſt *Appianus*, cujus verba ſuperius recitavi. Tum primum *Cilicia* campeſtris, in qua *Tarſus*, *Arnabazum*, aliæque urbes erant, in *Romanorum* poteſtatem veniſſe teſtatur *Pompejus* apud *Plutarchum*, *Tigranem* Regem, deditione facta, in caſtra *Romana* profectum, hiſce alloquutus: *Lucullum incuſare liceat, ab illo namque Syria, Phœnicia, CILICIA, Galatia, Sophene vobis ablatæ ſunt.* Hoc ipſum ex *Appiano* colligitur, qui in Syriacis *pagina* 119. ſcribit poſt *Magadatis* è *Syria* abſceſſum, *Antiochum Antiochi Pii* filium, *Syris* non invitis, in regnum ſeſe inſinuaſſe: *Nec Lucullus*, inquit, *qui primus Tigrani bellum intulit, & recens acquiſitis terris* (eas inter erat *Cilicia* campeſtris) *eum expulit, Syro avitam poſſeſſionem invidit.* Pompejus apud *Juſtinum lib.* XL. *Antiocho* objecit, quod antea *Syria* à *Magadate Armenio* præſidio munita, in angulo *Ciliciæ* latuiſſet. Itaque ab anno Urbis 670. ad A. 683. *Cilicia* in partes diviſa quatuor à pluribus tenebatur. Majorem quidem illius partem *Tigranes* occupabat, qui etiam ultra *Euprathem* cum copiis profectus, quædam *Meſopotamiæ* oppida occupavit; alteram vero *Ciliciæ* partem tenebant, uti diximus, prædones toti aſperæ, ut vocant, imperitantes; *Antiochus* ejuſdem angulum cum prœſidio poſſidebat: quibuſdam etiam oppidis in *Romanorum* poteſtatem redactis. Ceterum incompertum eſt, num *Cilicia* campeſtris poſt *Armeniorum* abſeſſum ſpontanea deditione ſeſe *Lucullo* tradiderit, vel miſſo ab eodem milite occupata fuerit. *Romanorum* primus qui cum magiſtratu ac imperio in *Cilicia* campeſtri fuiſſe apud hiſtoricos invenitur, eſt *Q. Marcius* Rex, qui conſul A. V. 686. *Ciliciam* provinciam ſortitus, anno inſequenti cum tribus legionibus in eandem venit. Salluſtius *lib.* V. hiſtoriarum apud Priſcianum *lib.* XVIII. ſcribit: *At Lucullus audito Q. Marcium Regem pro conſule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere &c.* Dio etiam *libro* XXXV. ait *Ciliciam* provinciam *Q. Marcio* mandatam. Etenim *Romani* ea parte occupata, piratas utrinque claudebant, contra quos jam claſſes variis in locis adornabant, *Pompejo* maritimæ contra eoſdem expeditionis imperatore ſumma cum poteſtate deſtinato. Is eodem A. V. 687. pluribus legatis cum ſua quibuſque claſſe in omnes maris receſſus miſſis, cum ingenti navium numero contra *Tracheotas Cilices* navigavit, de quibus ſcribit Appianus in *Mithridaticis pag.* 234. *Præcipue excurrebant ex hac parte Ciliciæ aſpera, importuoſaque, & altiſſimis aſſurgente cacuminibus, unde ab omnibus communi nomine appellabantur Cilices.* Nuſquam ab Urbe condita nec majori apparatu bellum à *Romanis* ſuſceptum, nec breviori tempore profligatum fuit. Auctor eſt *Plutarchus* quingentas naves inſtructas, centum ac viginti millia peditum, equitum quatuor millia conſcripta, quinque ſupra viginti legatos & omnes quidem prætorios *Pompejo* additos. Ejus belli exitum paucis idem complectitur in *Pompejo* ſcribens: *Piratæ inſtructis navibus apud Coraceſium Ciliciæ, advenientem Pompejum excepere, cum quo inita pugna, profligati atque obſeſſi ſunt. Tandem ſumma ope ſalute petita, ſeſe ac urbes &c. tradidere.* Strabo *libro* XIV. *pag.* 459. ait: *Inde fines Pamphyliæ, & Coraceſium aſperæ initium Ciliciæ*, quod & ſitum *in petra prærupta* ibidem dicit. Synodum *Calchedonenſem* inter Epiſcopos *Pamphyliæ* ſubſcripſit *Obremus Coracenſis tom.* 4. *Concil. edit.* Labbei *cit. pag.* 791. Hinc patet totam aſperam *Ciliciam* in prædonum poteſtate fuiſſe, antequam *Pompejus* maritimo eoſdem prœlio victos, deditione reciperet. Igitur A. 687. cum *Marcius* proconſul campeſtrem *Ciliciam* cum tribus legionibus teneret, *Cn. Pompejus* proconſul aſperam quoque expugnavit.

Tum *Cilicia* inter præcipuas *Romani* imperii pro-

provincias numerari cœpit; siquidem utramque *Ciliciam*, asperam ac campestrem, *Pamphyliam*, *Pisidiam*, *Isauriam*, *Cyprum*, *Lycaoniam* cum parte *Phrygiæ* majoris *Laodiceam* usque complectebatur, illamque consules sortiebantur, cum interim *Asia* ac *Bithynia* prætoribus assignarentur. *P. Lentulus Spinther*, *Appius Claudius*, ac omnium optimus *M. Tullius Cicero*, eandem proconsules administrarunt. Verum bello civili exorto, *Ciliciensis* provincia imminuta fuit, tribus ab eadem diœcesibus abstractis, teste Cicerone *lib.* XIII. *fam. epist.* 67. ad *P. Servilium.* Sigonius *lib.* I. *de jure ant. Provinc.* scribit has diœceses fuisse partem majoris *Phrygiæ*, *Pisidiam*, ac *Lycaoniam.* Et quidem partem illam *Phrygiæ*, quam postea *Pacatianam* dixere, cujus metropolis erat *Laodicea*, *Asiaticæ* jurisdictioni adjunctam fuisse ex laudata epistola ad *Servilium Asiæ* proconsulem *Sigonius* recte probavit. At *Lycaoniam Pisidiæ* partem à *Romanis* habitam ex his *Plinii* verbis infertur *lib.* V. *cap.* 27. *Pisidarum colonia Cæsarea, eadem Antiochia. Oppida Oroanda, Sagalassus. Hos includit Lycaonia in Asiaticam jurisdictionem versa.* Haud tamen arbitror superstite *Cicerone*, *Pisidiam* ad proconsulem *Asiæ* post inchoatum bellum civile, spectasse. *Lycaoniam* quidem *Asiæ* provinciæ adjunctam, ex *Cicerone* discimus *lib.* XIII. *epist.* 73. in qua *Q. Philippo* proconsuli *Asiæ* commendat *Antipatrum Derbetem*, cui ille iratus dicebatur, ejusque filios veluti obsides secum in *Italiam* è provincia duxerat; *Derbe* vero, uti prænotavi, erat in *Lycaonia.* Quare eam *Lycaoniæ* partem, quam *Romani* possidebant, proconsul *Asiæ* moderabatur. Tertia autem diœcesis, quam à *Ciliciensi* sua olim provincia disjunctam ait *Cicero*, fuit *Pamphylia*, quod *Sigonius* non advertit. Id satis aperte prodit *P. Lentulus Spinther epist.* 15. inter familiares Ciceronianas *lib.* XII. ubi ait: *Classem fugientem persecuti sumus usque ad Sidam, quæ extrema regio est provinciæ meæ*; Ea vero epistola subscribitur: *Dat. IV. Nonas Jun. Pergæ.* At *Sida* & *Perga* erant urbes *Pamphyliæ*, quarum utraque postea evasit metropolis duarum diœcesium Ecclesiasticarum primæ ac secundæ *Pamphyliæ*. *Lentulus Spinther* erat pro quæstore *C. Trebonii* proconsulis *Asiæ*, quem *Dolabella* occidit. Idem vero Lentulus *epist.* 14. scribit: *In Asiam redii, ut reliquias mei laboris colligerem, ac pecuniam quam primum Romam mitterem.* Quod vero alteruter Consulum dicebatur in *Asiam* contra *Dolabellam* venturus, rogat *Ciceronem*: *ut Asiam*, inquit, *obtineam, dum ipsorum alteruter venit.* Quare si *Sida*, quæ supra *Pergam* est versus *Ciliciam*, vocatur à *Lentulo* proquæstore *Asiæ extrema regio provinciæ meæ*, *Pamphylia* id temporis erat intra jurisdictionem Proconsulis *Asiæ*; cum antea Cicero *lib.* III. *famil. epist.* 5. cum esset proconsul *Ciliciæ*, dixerit *Sidam maritimam partem provinciæ suæ.* Sub Triumviris *Ciliciæ* provincia magis arctata fuit. Nam *Antonius Cyprum* ac asperam *Ciliciam Cleopatræ* dedit, *Pisidiam*, *Isauriam*, ac *Lycaoniam* regi *Amyntæ*; unde *Ciliciam* campestrem *Syriæ* legato subjecit, ac *C. Sosius* A. V. 716. *Syriæ & Ciliciæ ab Antonio præfectus* dicitur Dioni *lib.* XLIX. Mortuo vero *Amynta* rege *Galatiæ*, *Augustus* A. V. 729. *Pisidiæ*, *Isauriæ*, ac *Lycaoniæ* diœceses subjecit Proprætori *Galatiæ*, quam in provinciæ formam redegerat. *Ciliciam* vero asperam post extinctum *Antonium*, *Archelai*
219 *Cappadocis* regno adjecit, ita ut sola *Cilicia* campestris in *Romanorum* ditione remanserit. Baronius in *Apparatu num.* 86. ait: *Nec ulla dubitatio est, sub provincia Syriæ Ciliciam esse redactam*; nempe imperante Augusto. At Usserius *tom.* 2. *Annal. pag.* 530. ad A. M. 4000. ait anno quinto ante vulgarem epocham Christianorum, *Ciliciæ proconsulatum obtinuisse* Quirinum, ac in vicinam *Syriam* cum extraordinaria potestate missum, ad censum peragendum. Montacutius *in Apparatu* IV. *num.* 25. ait: *Erant Syria & Cilicia distinctæ semper provinciæ consulares*; ubi impugnat allatam *Baronii* sententiam. In primis *Baronius* alibi, ut difficultatem quandam evaderet, *Ciliciæ* iterum imposuit proconsulem. Nam ad annum IV. imperii *Claudii*, cum videret in *actis Apostolicis cap.* 13. *Sergium Paulum Cypri* proconsulem appellari, cum tamen ex *Strabone Cyprus* esset provincia prætoria, scribit *num.* 11. *Cyprum* sæpe honoris causa subditam fuisse regimini Proconsulis *Ciliciæ*; *Sic igitur*, inquit, *Sergium Paulum proconsulem nominatum esse putamus, quod etiam Ciliciam proconsularem provinciam administraret.* Ad id temporis *Vibius Marsus* erat Proconsul *Syriæ*, teste *Tacito*, ut *cap.* 16. ostendam. Rem tamen *Baronius* discere poterat ex Dione *lib.* LIV. *ad* A. V. 732. *Eodem tempore*, inquit, *Cyprum ac Galliam Narbonensem, quia nihil armis suis indigerent, populo reddidit, atque ita proconsules etiam in istas provincias mitti cœperunt.* Etenim omnes Rectores provinciarum Populi R. lege Augusta proconsules nuncupabantur, uti supra ex *Tacito*, *Suetonio*, ac *Dione* ostensum est. Illæ vero provinciæ à *Strabone* prætoriæ dictæ sunt, quod ad eas gubernandas Senatores prætura functi, mittebantur, quamvis hi proconsules dicerentur. In inscriptione Gruteri *pag.* 360. 3. *P. Aquius Scaura* C. CESARE *Caligula* imperante, PRO CONSULE PROVINCIAM CYPRUM OBTINVIT. *Creta* etiam ex *Strabone* erat provincia prætoria, & tamen Tacitus *lib.* III. *An. Tiberio* Imp. IV. *Druso* II. Coss. A. V. 774. ait: *Ancharius Priscus Cæsium Cordum proconsulem Cretæ postulaverat repetundis.* Ita *Sergius Paulus* Proconsul *Cypri* fuit, nec in *Cilicia* ejus proconsulatus quærendus est. Tacitus *lib.* XIII. ait: *Cossutianum Capitonem Cilices detulerant, maculosum fœdumque & idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in urbe exercuerat.* Ex his colligo *Cossutianum* ex prætura urbana *Ciliciæ* provinciæ impositum rectorem A. V. 810. *Nerone* II. & *L. Calpurnio Pisone* Coss. ex *Tacito* ibidem, cum eo anno *Numidius*, seu *Vinidius Quadratus Syriæ* legatus præesset. Etenim Tacitus *lib.* XII. sub consulatu *Claudii* V. & *Cornelii Orphiti* A. V. 804. *Vinidium Quadratum præsidem Syriæ* laudat, ac deinde *lib.* XIV. ad consulatum *Neronis* IV. ac *Cornelii Cossi* A. V. 813. scribit: *Corbulo in Syriam accessit, morte Vinidii legati vacuam.* Alterum *Ciliciæ* rectorem, furtorum ac pœnæ socium addit Juvenalis *Satyra* 8. *v.* 93. nempe Tutorem:

Et Capito & Tutor ruerint, damnante Senatu,
Piratæ Cilicum.

At certum est Tutorem non fuisse præsidem *Syriæ*, ut ex eorundem catalogo cap. 16. apparebit. Hinc falso asseruit *Baronius Ciliciam* sub provincia *Syriæ* redactam fuisse. Quod vero etiam imperante *Augusto*, *Cilicia* diversum à *Syriæ* legato rectorem habuerit, deduco ex *Strabone*, qui sub *Augusto* ac *Tiberio* vixit; is enim assignans causam, cur *Augustus* asperam *Ciliciam* à jurisdictione *Romanorum* magistratuum abstractam, *Archelao* Regi *Cappadociæ* subdiderit, ait: *Visum est præstare, ut sub rege essent, quam sub Romanorum præfectis, qui ad* 220
jurisdictionem mittebantur, neque semper adfuturi, neque cum armis. Lib. XIV. *pag.* 461. Si *Cilicia* campestris, imperante *Augusto*, fuisset sub præside *Syriæ*, adfuisset præfectus cum armis, nam Legato proprætori *Syriæ* parebant, *Tiberio* imperante, quatuor legiones, Tacito teste *lib.* IV. *Annal.* quamvis sub *Augusto* tres tantum in *Syria* legio-

legiones fuerint, ex Josepho *lib.* XVII. *cap.* 12. Itaque ibidem designantur gubernatores, qui in *Ciliciam* juris dicendi tantum causa mittebantur, sine ullo imperio militari. Et hi quidem *Augusto* rerum potiente, non dicebantur proconsules post factam divisionem provinciarum, sed propraetores; *Cilicia* enim erat inter provincias, quas sibi administrandas Augustus reservaverat. Dio *lib.* LIII. eadem divisione recitata ait: *Recensui autem provincias hoc modo, quoniam nunc earum quævis suum habet peculiarem præfectum; cum antiquitus binis vel ternis singuli præficerentur.* Nusquam tamen sub *Augusto Cilicia* campestris à rectore alterius provinciæ administrata legitur; neque enim Proprætori *Pamphyliæ* subjici potuit, quod inter *Pamphyliam* ac *Ciliciam* campestrem *Archelaus* totam asperam *Ciliciam* tenebat, quæ cum per mille trecenta ac viginti stadia porrigeretur, (navigationem ejus oræ maritimæ designo) nequaquam utraque provincia ab uno regi poterat, cum ambæ tanto terrarum spatio separarentur. Proprætor *Galatiæ Lycaoniam Ciliciæ* propinquam regebat, illamque cum ceteris provinciis quæ *Amyntæ* regnum componebant, *M. Lollius* omnium primus jussu *Augusti* proprætor administravit; sed nullum illi jus in *Ciliciam* fuisse colligitur ex Strabone *lib.* XII. *pag.* 368. ubi ait: *His adjecerunt Romani undecimam præfecturam de Cilicia, quæ ante Archelai fuit circa Castabala & Cybistra, usque ad Antipatri Derbem prædonis. Paruit autem Archelao etiam aspera circa Eleussam Cilicia, & ea omnis, in qua prædonum cœtus coiverunt.* Itaque ea pars *Ciliciæ* ac *Lycaoniæ* usque ad *Derbem Archelao Cappadoci* subdita erat, ac propterea *Cilicia* campestris à provinciis proprætoris *Galatiæ*, ditione *Archelai* interjacente, separabatur. Audiatur *Cicero* non ille *Romæ* antea orator, sed tunc Imperator in *Cilicia* ab exercitu salutatus, in *epist.* 4. *lib.* XV. *fam.* ad *Catonem* ubi ait: *Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi.* Et statim: *Itaque in Cappadocia extrema non longe a Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, nova finitimorum consilia impedirem.* Cum *Augustus* asperam *Ciliciam Archelao* tradidisset, ut hæc ejusdem regno conjungeretur, *Cybistrensem* ac *Castabalensem* diœcesim à *Ciliciæ* provincia abstractam, ejusdem regno adjecit: neque enim decebat regem per *Romanorum* ditionem ex *Cappadocia* in asperam *Ciliciam* passim transire. Illæ urbes erant in confiniis *Ciliciæ* cis *Taurum*, *Cappadociæ* finitimæ. Hinc *Castabalensis* Episcopus erat in diœcesi Metropolitæ *Ciliciæ* secundæ, & Synodum Mopsuestenam in *Cilicia* subscribit *Stephanus Episcopus Castabaleæ civitatis. Tom.* V. *concil. edit. Labbei pag.* 501. *Synodum* vero *Chalchedonensem* cum Episcopis *Cappadociæ* secundæ *Cyrus Cybistronensis*; ibidem *tom.* 4. *pagina* 789. qui *pagina* 377. dicitur *Cybistrensis*. Aliam hujus tractus *Ciliciæ* urbem prodit *Appianus* in Mithridaticis *pagina* 343. ubi ait *Pompejum Ariobarzanis* regis *Cappadociæ* ditionem auxisse, *Sophenia Gordena*que attributis: *Eidem*, inquit, *dedit etiam Ciliciæ civitatem Gabala, & quasdam alias.* Hæc est exigua illa pars *Ciliciæ*, quam *Romani* cis *Taurum* possidebant, à qua nomen sortiebatur provincia, quam *Sylla*, *Cn. Dolabella*, *L. Octavius*, ac *Lucullus* obtinuere.
221 Horum postremus *Ciliciam* provinciam postulavit, ut inquit *Plutarchus* in *Lucullo*, *arbitratus, si Ciliciam Cappadociæ propinquam tenuisset, fore ut alter nemo ad Mithridaticum bellum destinandus esset.* At *Cilicia* cis *Taurum* circa *Castabala* ac *Cybistra* est finitima *Cappadociæ*. Hæc aperte demonstrant *Ciliciam*, imperante *Augusto*, ac in *Cappadocia* &

A *Cilicia* aspera regnante *Archelao*, neque *Pamphyliæ*, neque *Galatiæ* proprætoribus subjici potuisse, sed peculiares eidem rectores impositos fuisse, ut post *Augustum Cossutiani* ac Tutoris exempla convincunt. In vetustis inscriptionibus *pag* 1102. 9. quidam *Haterianus* laudatur

LEG. AVG. PR. PR
PROVINC. CILIC

Legatus Augusti pro prætore provinciæ Ciliciæ. Lege 3. *D. de testibus* §. 3. dicitur: *Divus Hadrianus Vivio Varo legato provinciæ Ciliciæ*: & *L.* 2. *Cod. de jure immunit.* nominatur rescriptum *ad Benidium*
B *Rufum legatum Ciliciæ*. Et *L.* 1. Cod. *de generali abolit.* legitur: *Imp. Antoninus Rutiliano consulari Ciliciæ*. *Dio* etiam in vita *Hadriani* testatur *Apronianum* ipsius patrem *Ciliciæ* præfuisse. *Flavio Vopisco* in *Aureliano cap.* 42. commendatur *Aurelianus* proconsul *Ciliciæ*. Itaque sub Cæsaribus *Cilicia* diversum à legato *Syriæ* rectorem habuit, quamvis non eodem semper modo appellatum.

Lycia, imperante *Augusto*, libera & immunis erat. Illam olim *Romani Rhodiis* ob egregie ab ipsis navatam operam bello contra *Antiochum*, tradiderunt; sed cum postea *Perseo* regi *Macedoniæ* favissent, eandem illis ademerunt, ac liberam esse
C jussere. *Sigonius* ex tertia *Verrina* erudite ostendit non fuisse immunem, cum *Verres* proquæstore eisdem frumentum, coria, aliave id genus *Lyciis* imperaverit. Cum bello civili *Lycia* à *M. Bruto* gravissimam cladem accepisset, *Antonius* Triumvir *Lyciis* immunitatem concessit, ex Appiano *lib.* V. *bel. civ. pag.* 675. Ceterum *Claudius* Imperator A.V. 796. libertatem *Lyciis* ademit, seu propter exitiales inter eosdem discordias, uti scribit Suetonius *capite* 25. sive quod ad cædem usque quorundam *Romanorum* tumultuando progressi essent, eosque *Pamphyliæ* Rectori adjecit, quorum auctor Dio *lib.* LX. Ita apud Gruterum *pag.* 458. 6. no-
D minatur *C. Porcius Quirina Priscus Longius*

PROCOS. LYCIAE. PAMPHYLIAE

Alterum epigramma videatur *pag.* 491. 12. Strabo, quo scribente *Lycii* erant liberi & immunes, *lib.* XIV. *pag.* 456. ait: *Tres ac viginti urbes habent, & ex singulis in eam, quæ ipsis commoda videtur, coeunt, ac de rebus publicis consultant.* Ubi pluribus ejus gentis politiam describit.

Quarta *Augusti* provincia in *Asia* erat *Syria*, cui legatum proprætorem semper imposuit, addito trium legionum præsidio, ut quicquid terrarum ab *Ægypti* confiniis ad *Armeniam* usque longo terrarum
E spatio prætendebatur, in officio contineret. Dixi superius *Tigranem* ab A.V. 670. usque ad A. 783. *Syriam* tenuisse per *Magadatem* satrapam, quo cum exercitu in *Armeniam* revertente, *Antiochus Antiochi Pii* regis *Syriæ* filius in vacuum hostibus regnum sese insinuavit. At *Pompejus Mithridate* ac *Tigrane* superatis, in *Syriam* descendens, ac ditissimum regnum occupans, in provinciæ illud formam redegit, ac *Antiocho* avitum *Seleucidarum* regnum repetenti, respondit: *Ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti daturum se regem, qui XVIII. annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit.* Justinus *lib.* XL. Idem tradit Ap-
F pianus *in Syriacis pag.* 119. & 133. Errat autem *Justinus*, dum hunc *Antiochum*, quem *Pompejus* regno privavit, vocat *Antiochi Cyziceni* filium; erat enim ejusdem nepos, ac filius *Antiochi Pii* ac *Selinis*, cognomine *Asiaticus*, uti recte *Appianus* advertit. Sed nec Cicero recte dixit in Verrina 6. de hoc *Antiocho* ejusque fratre: *Reges Syriæ Regis Antiochi filios pueros scitis Romam nuper venisse, qui venerant, non propter Syriæ regnum, nam id sine controversia obtinebant, ut à patre & à majoribus acce-*

acceperant, sed regnum Ægypti ad se & ad Selinem matrem suam pertinere arbitrabantur. Subdit *Antiochum* per biennium fere *Romæ* commoratum, & in patriam navigantem in *Sicilia* exscendisse, eique *Verrem* Prætorem pretiosissimum vas surripuisse. *Cajus Verres* erat prætor *Siciliæ* A. V. 681. *C. Cassio Varo* Cos. ex *Verrina tertia*, quem magistratum per triennium in *Sicilia* gessit. Ad id temporis *Tigranes* regno *Syriæ tranquillissime*, ut ait *Justinus*, potiebatur, nec illud filii *Antiochi Cyziceni sine controversia obtinebant*, ut *Cicero* existimavit. *Plutarchus* etiam scribit *Lucullum* post fugatum ultimo prœlio *Mithridatem* A. V. 683. *Appium Clodium* ad *Tigranem* misisse, qui ab eodem *Mithridatem* reposceret; *Appius* vero apud *Antiochiam* à *Tigrane* in colloquium admissus fuit; cum id temporis *Antiochus Asiaticus Syria* exactus, in angulo *Ciliciæ* lateret, quod illi apud *Plutarchum Pompejus* objecit. *Appianus* scribit *Tigranem Syriam* tenuisse per annos quatuordecim: *Justinus* vero duodeviginti. Facile alter alteri conciliatur. Nam reapse *Armenius* annos XIV. in *Syria* regnavit. Verum anno V. C. 684. *Syriam* amisit, *Armeniorum* exercitu ad *Tigranem* ad bellum contra *Lucullum* profecto. *Pompejus* anno urbis 688. cum contra *Tigranem* antea à *Lucullo* ingenti clade profligatum, movisset, *Tigranes* supplex in *Pompeji* castra venit, qui eidem paternum *Armeniæ* regnum concessit; at quæ præterea sua fecerat, haud illa exigua (erant enim præter cetera, partes quædam *Cappadociæ*, *Syriæ*que, item *Phœniciæ*, *Sophenæ*que, regio *Armeniæ* finitima) ei ademit, atque insuper pecuniam imperavit. Itaque illum *Pompejus* coëgit cedere juri, quod tum armis, tum *Syriorum* invitatu, in *Syriam* habuerat anno decimo octavo, postquam *Syriam* occupaverat. Quod vero addit *Justinus* toto eo temporis spatio nec à quopiam bello lacessitum, nec ipsum ulli bellum inferentem, *tranquillissime* regno *Syriæ* potitum, admitti nequit; nam *Ptolomaidem* A. V. 683. in *Phœnicia* obsedit ac cepit, ex Josepho *lib.* XIII. *cap.* 24. dein *Selinem* Reginam intra *Seleuciam Mesopotamiæ* oppidum diuturna obsidione in potestatem redactam, interemit, ex Strabone *lib.* XVI. *pag.* 516. Verba ejus sunt: *In quo*, nempe oppido, *Tigranes Cleopatram, cui Selinis fuit cognomentum, interemit aliquandiu inclusam, cum Syria excidisset*, Plutarchus etiam in Lucullo de *P. Appio Clodio* ad *Tigranem Luculli* legato ait: *Antiochiam circa Daphnem pervenit, ubi Tigranem quasdam in Phœnicia oppugnantem urbes opperiri jussus &c.* Eas inter fuit *Ptolomais*, uti ex *Josepho* prænotavi. Ceterum *Pompejus* cum reditum
223 in *Italiam* adornaret, *M. Æmilium Scaurum* quæstorem *Syriæ* præfecit, cui Senatus *Marcium Philippum*, & dein *Marcellinum Lentulum*, ambos prætorios, suffecit, quorum unus *Syriam* tenuit A. V. 695. alter anno insequenti. Postea cum bellum ab *Arabibus Syriæ* semper instaret, proconsules eidem provinciæ imponi cœperunt, quorum primus fuit *A. Gabinius* lege *Clodia* proconsul in *Syriam* missus cum imperio in *Persas* usque ac *Babylonem*. At de proconsulibus *Syriæ* integro capite 16. sermo redibit, ubi etiam plurium scriptorum errores confutabo.

Has quidem *Asiæ* provincias partim *Augustus*, partim Senatus Populusque *Romanus* per proprætores, vel proconsules regebat, ita tamen ut proconsules annuum magistratum gererent, legati vero proprætores plus minusve in provinciis suis ab *Augusto* pro libito detinerentur. Duo autem præter memoratos in Orientem Rectores mittebantur: alter in *Ægyptum* ab *Augusto*, alter in *Cretam* ac *Cyrenem* à Populo. Cum *Augustus* A. V.

A 724. *Alexandriam* occupasset, *Ægyptum* in provinciæ formam redegit, quæ cum esset populo frequentissima, & annonæ ac pecuniarum copia abundaret, incolæ vero morum levitate, ac rerum novarum studio suspecti haberentur, *Augustus* non Senatoribus, sed ex ordine equestri viris *Ægyptum* regendam tradere decrevit; immo vetuit, ne quis Senator in *Ægyptum* proficisceretur, nisi ipse nominatim id permisisset. *Cornelius Gallus* poeta insignis ac eques *Romanus*, quod ad *Parætonium* egregiam *Augusto* operam contra *Antonii* classem navasset, *Ægypto* præpositus fuit. Tacitus *lib.* I. *histor.* ait: *Ægyptum copiasque qui-*
B *bus coercetur, jam inde à Divo Augusto, equites Romani obtinent loco regum. Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fœcundam, superstitione ac lascivia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi relinquere.* Duæ legiones provinciam in officio continebant. Idem *lib.* XII. ait: *Divus Augustus apud equestres, qui Ægypto præsiderent, legi agi, decretaque eorum proinde haberi jusserat, ac si magistratus Romani constituissent: mox alias per provincias, & in urbe pleraque concessa sunt, quæ olim à prætoribus noscebantur.* Id novi apud *Romanos* exempli fuit; nunquam enim nisi prætoriis aut consularibus viris
C provinciarum ordinaria administratio committebatur, ac post divisionem provinciarum ab *Augusto* factam, illarum rectores à Populo eligebantur, qui prætura urbana vel consulatu perfuncti erant; inde provinciæ prætoriæ vel consulares, uti diximus, appellatæ. At *Augustus* etiam equites nullo antea magistratu decoratos, non solum *Ægypto*, sed aliis etiam quibusdam provinciis, quæ ad ipsum spectabant, imposuit, iis præsertim quæ antea à regibus tenebantur, excepta tamen *Syria*, ac *Hispania Tarraconensi*, quibus viros consulares præesse voluit; unde postea *Tiberius* reprehensus
D apud Suetonium *cap.* 41. *quod Hispaniam ac Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit.* Judæam post relegatum *Archelaum Coponio* equiti *Romano Augustus* demandavit. ex Josepho *lib.* XVIII. *antiq. cap.* I. quod ipsum Strabo scripsit in fine *lib.* XVII.

Libyam provinciam *Africæ*, quæ & *Cyrenaica* ab urbe metropoli *Cyrene* dicta est, testamento regis *Ptolomæi Apionis Romani* obtinuerunt Olympiade 176. V. C. 678. ex Appiano *libro* I. *de bel. civ. pag.* 420. quam una cum *Creta Augustus* Populo concessit. Strabo *lib.* XVII. *pag.* 577. *Nunc*, inquit, *provincia est Cyrenaica cum Creta conjuncta.*
E Suetonius *cap.* 2. *de Vespasiano* scribit: *Quæstor Cretam & Cyrenas provinciam sorte cepit.* Impe- 224
rante *Augusto* erat provincia, ac proconsules in eandem annui mittebantur. Tacitus *lib.* XV. scribit *Claudium Timarchum* Cretensem accusatum, *quod dictitasset in sua potestate situm, an proconsulibus, qui Cretam obtinuissent, grates agerentur.* Idem *libro* III. *Annal.* nominat *Cæsium Cordum proconsulem Cretæ*, uti superius notavi. In vetustis inscriptionibus *pag.* 415. 5. *Q. Garcilius Macer*, & *pag.* 1091. 6. *Q. Cæcilius Rufinus* dicuntur *Proconsules Cretæ, & Cyrenarum.* At *pag.* 433. I. *Q. Luxillius Egnatius* inscribitur: PR. PR. PROV.
F CRETAE. CYR. *Proprætor Provinciæ Cretæ Cyrenarum.* Non semel enim provinciæ populi ab Augustis per proprætores administratæ sunt; sive bello in provinciis exorto, sive Senatus ac Populi potestate in ordinem redacta, quod sequiori Cæsarum imperio contigit. Provincia *Cyrenarum* postrema erat diœcesium Orientalium; nam reliqua pars *Africæ* ad imperium Occidentale spectabat. Cum *Judæi* à magistratu *Cyrenensi* prohiberentur sacram pecuniam *Hierosolymam* transmittendam colligere, querelas ea de re ad *Agrippam*

pam toti Orienti ab *Augusto* impositum, detulerunt, qui *Cyrenæorum* magistratui scripsit pro Judæis: *Hos ego*, inquiens, *suo juri*, *suisque moribus relinqui jubeo*, *& si qua in urbe pecunia sacra intercepta est*, *eam per delectos ad hoc idoneos Judæis restitui.* Ex Josepho *lib.* XVI. *antiq. cap.* 10. Quare cum *Cajus Cæsar* ejusdem *Agrippæ* filius, ab *Augusto* Orienti impositus fuerit, ac in *Ægyptum* expeditione adversus *Arabes* suscepta venerit, de utraque provincia post *Asiaticas* hæc pauca subjeci.

Hactenus *Romanas* in Oriente provincias, ad quas cum extraordinario imperio *Cajus Cæsar* ab *Augusto* missus fuit, descripsimus; modo exponendum est, quinam id temporis Reges ac *Dynastæ* in eodem Oriente fuerint, amici ac socii P.R. qui advenientem eas in regiones *Augusti* filium, quæsitissimis honoribus coluerunt. Hos inter non solum ob ditionis amplitudinem, verum etiam ob eximia in *Cæsarem Cajum* officia, primo mihi loco nominandus venit *Archelaus Cappadociæ* rex, quem alii postea sequentur. *Romani* cum potentiam *Parthorum* latius trans *Euphratem* imperitantium, suspectam haberent, quicquid terrarum à fontibus *Euphratis* ad mare *Rubrum* extenditur, amicis regibus administrandum tradidere, ut hi vim *Parthorum* metuentes, muneribus atque affinitatibus eosdem sibi conciliarent, atque præpotentis hostis arma procul à *Romanis* provinciis submoverent, eorumque regna totidem veluti imperii *Romani* arces existerent. Ceterum bella civilia inter *Pompejum* ac *Cæsarem*, eorumque reliquias, uti Rempublicam pessum dedere, ita plerosque Orientis reges in eandem pariter ruinam traxerunt. Cum *Ariobarzanes* à *Pompejo* adhuc superstite, ac consentiente patre, *Cappadociæ* rex impositus, ex Valerio Maximo *lib.* V. cap. 7. imperata à *Cassio* contra Triumviros subsidia mittere recusasset, ab eodem captus, ac neci traditus fuit, regnumque *Ariarathes* frater occupavit, teste Dione *lib.* XLVII. ad A.V. 712. Cum vero *Antonius Bruto* ac *Cassio* extinctis, anno insequenti V. 713. victor *Asiæ* provincias perlustraret, *Sisinna* nobili apud *Cappadoces* familia ortus, *Ariarathi* de *Cappadociæ* regno coram *Antonio* litem intendit, ac ab eodem feminarum amori obnoxio, *Glaphyræ* matris formosissimæ opera, regnum obtinuit. Horum auctorem habemus Appianum *lib.* V. *belli civ. pag.* 675. de *Antonio* scribentem: *Disceptationes quoque civitatum ac Regum ex arbitrio compo-*
225 *suit: Sisinnæ Ariarathisque in Cappadocia*, *prælato Sisinna in Glaphyræ matris formosæ gratiam.* Hinc argumentum obscæni epigrammatis *Augustus* postea sumpsit, quod *Antonio* objicit apud Martialem. At A. 714. cum *Parthi Romanos* tota *Asia* ac *Syria* ejecissent, *Ariarathes Sisinnæ* bellum intulit. Strabo *libro* XII. *pag.* 370. de *Horoasso* munitissimo *Cappadociæ* oppido scribit: *Nostra ætate Sisinnus thesaurum suum ibi asservavit*, *qui Cappadociæ imperium affectarat.* Quem vitæ exitum *Sisinna* habuerit, incompertum est; hoc tamen constat, acerbo eundem fato sublatum; nam cum anno Urbis 718. *Antonius* ejectis ex *Asia Parthis*, regna pro libito disponeret, regem constituit, inquit Dio *lib.* XLIX. *Cappadociæ*, *ejecto Ariarathe*, *Archelaum*, *cujus genus paternum deducebatur ab Archelais*, *qui contra Romanos belligeraverant*, *mater autem ei erat scortum Glaphyra.* Hujus *Archelai* proavus *Archelaus* dux *Mithridatis* in *Græcia* contra *L. Syllam* bellum gesserat; dein bello secundo *Mithridatico* ad *Murænam* transfugerat. Hujus filius *Archelaus* cum amicus esset *Gabinio Syriæ* proconsuli, in ejusdem castra venit, cum expeditionem in *Parthos* meditaretur. Cum vero *Aulus Gabinius* castra contra *Ægyptios* movis-

A set, ut *Ptolomæum Auletem* in regnum reduceret, ejusque filiam *Berenicem* usurpato throno pelleret, *Archelaus* à *Berenice* spe nuptiarum *Alexandriam* evocatus, eadem uxore ducta, copias contra *Gabinium* ducens, victus prœlio occubuit, mense regni sexto, ex Strabone *lib.* XII. *pag.* 385. Hunc *Archelaum Pompejus* sacerdotem *Bellonæ* ac *Comanorum* Principem (utraque enim dignitas uni eidemque conferebatur) constituerat; *cuivis dynastæ parem opibus*, ex Appiano in *Mithridat. pag.* 252. eoque cæso, *Archelaus* filius in sacerdotium ac principatum patri successit, quod tamen utrumque eidem abstulit *Cæsar* anno Urbis 707. cum
B Pharnacem vicisset, Lycomede subrogato, *qui*, uti scribit Hirtius *cap.* 66. de bello Alexandrino, *regio Cappadocum genere ortus*, *propter adversam fortunam majorum suorum*, *mutationemque generis*, *jure minime dubio*, *vetustate intermisso*; *sacerdotium id repetebat.* Ex hoc vero *Archelao* ejusque uxore *Glaphyra* natus est *Archelaus*, quem *Antonius Cappadociæ* regem creavit, *Sisinnæ* frater, quem *Ariarathes Cappadociæ* regno ejecerat. Hujus familiæ genealogiam ac sacerdotia recitat Strabo *libro* XII. *pag.* 384. *libro* vero XVII. *pag.* 547. scribens de *Archelao* semestri rege *Ægypti*, ait: *Erat autem filius ejus Archelai*, *qui contra Syllam bellum*
C *gessit*, *& postea à Romanis ei honor est habitus*, *at avus ejus fuit*, *qui tempore nostro in Cappadocia regnavit*, *Comanorum sacerdos quæ in Ponto sunt.* Plutarchus in *Antonio* narrat *Archelaum* cum in castris *Gabinii* versaretur, magnam cum *Antonio* familiaritatem contraxisse, antequam regiis nuptiis oblatis, in *Ægyptum* malo fato recederet; tum nece ejusdem recitata, ait: *Nec vero latuit homines Antonii humanitas erga Archelaum jam mortuum. Nam cum illi hospes familiarisque fuisset*, *bellum viventi necessitate intulit*, *mortui autem corpus quæsivit*, *& regio funere ornavit. Archelaus* avus *Archelai* regis *Cappadociæ* occisus fuit anno
D Urbis 698. cum *Antonius* in *Gabinii* castris equitum præfectum ageret, annos natus quinque ac viginti, ex Appiano *libro* V. *de bel. civ. pag.* 675. Idem autem *Antonius* vicesimo postea anno Triumvir *Archelaum* nepotem regno *Cappadociæ* ornavit, non tam in *Glaphyræ* ejusdem matris sibi plurimum dilectæ gratiam, quam ob memoriam ejusdem avi Regis *Ægypti*, sui olim in *Syria* amici. Scribit Josephus *lib.* I. *belli cap.* 27. *Glaphyram Archelai* regis *Cappadociæ* filiam, ac prioris *Glaphyræ* neptem, *Alexandro* regis *Herodis* filio nuptam, multa sæpius de suæ familiæ nobilitate commemorantem jactasse paternum genus à *Tameno*: mater-
E num autem à *Dario Hystaspis* filio. Hæc me genealogia latet; unum tamen scio, *Ricciolium Archelai* genealogiam penitus ignorasse, & grandem etiam prochronismum peccasse *lib.* V. *Chronol. Refor. cap.* 9. *tomi prioris*, ubi *num.* 5. ait: *Summoto Mithridate creatus est*, *Cappadocum consensu à Romanis Ariobarzanes*; *tandem Archelao pronepote mortuo Romæ consulibus C. Cœlio Rufo & L. Pomponio*, *ut ait Tacitus*, *id est*, *anno* 84. *ante Christum*, *desiit regnare in Cappadocia.* Hæc multum admodum Reformatam chronologiam *Riccioli* deformant. *Archelaus* postremus Rex *Cappado-*
F *cum* erat pronepos *Archelai*, qui in *Græcia* contra *Syllam* pugnavit, non vero *Ariobarzanis*, cui *Romani* regnum *Cappadociæ* tradiderant. Strabo *lib.* XII. *pag.* 372. ait: *Ita rex ab iis factus est Ariobarzanes*, *cujus in tertia stirpe genus defecit. Exinde Archelaus ab Antonio rex est constitutus*, *nulla affinitate ipsis conjunctus.* At pejus in chronologia labitur; nam *C. Cœlius Rufus* & *L. Pomponius Flaccus* consulatum gessere A. V. 770. post Christum natum juxta vulgarem epocham 17. quo anno *Archelaus Romæ* obiit, ex *Tacito* ac *Dione.* Itaque *Ric-*

Ricciolius centum annorum, uno insuper addito, prochronismum admisit. *Ariobarzanes* secundus qui regnabat in *Cappadocia* A. V. 704. quo anno *Cicero* erat Proconsul *Ciliciæ*, ante æram vulgarem anno quinquagesimo *lib.* VI. *ad Atticum epist.* I. dicitur *rex perpauper*, qui petita à procuratoribus *Pompeji* sexcenta talenta dare non posset. Verum *Archelaus* omnium P. R. sociorum regum ditissimus evasit, ita ut post ejus obitum, regno in provinciam redacto, *fructibus ejus levari posse centesimæ vectigal professus Cæsar Tiberius, ducentesimam in posterum statuerit*, ex Tacito *lib.* II. *Annalium.* Bello Actiaco cum validis copiis in *Antonii* castra venit, quo victo, veniam cum regno ab *Augusto* impetravit. Cum A. V. 734. junctis cum *Tiberio* copiis, *Tigranem* in *Armeniæ* regnum reduxisset, teste Josepho *lib.* XV. *antiq. cap.* 5. *Augustus* id temporis *Asiam* perlustrans, *Armeniam* minorem, ac universam asperam *Ciliciam* eidem dedit, ex Dione *lib.* LIV. ad A. V. 734. Strabo *lib.* XI. *Minorem*, inquit, *Armeniam cum alii alias Romanorum arbitratu habuissent, ultimo loco Archelaus tenuit.* Idem *lib.* XIV. *pag.* 461. scribit: *Post Corycum Eleusa insula est continenti propinqua. Eam Archelaus condidit, ac regiam sibi fecit, cum totam asperam Ciliciam, excepta Seleucia, esset nactus, quomodo & Amyntas prius habuit, & ante hunc Cleopatra. Augustus Seleuciam* ad *Calycadnum* liberam à jure regio, suis legibus vivere permisit, quod privilegium ratum habuisse sequioris ætatis Imperatores erudite ostendit ex ejusdem urbis nummis doctissimus *Spanhemius dissert.* 9. *pag.* 786. quem tamen miror ibidem *Strabonem* non laudasse. *Josephus Straboni* similiter scribens *libro* XVI. *capite* 8. de *Herode* rege ait: *Cum appulisset Eleusam oppidum Ciliciæ, quod Sebaste mutato nomine dicitur, offendit ibi Archelaum regem Cappadocum*; & capite 16. *Herodes* nuntios cum literis mittit ad *Archelaum Eleusæ* degentem. In subscriptione Synodi *Calchedonensis* legitur: *Alexander Sebastæ Ciliciæ. Eleusa Rhodo* distat stadiis centum ac viginti, hoc est, M. P. quindecim, à continenti *Ciliciæ* quatuor, ejusdem ve-
227 ro ambitus mille passuum fuisse traditi Strabo *lib.* XIV. *pag.* 448. *Polemone* rege *Ponti* vita functo, *Archelaus Pythodoridem* ejusdem uxorem matrimonio secum junxit, ac quod suscepti ex *Polemone* filii erant adhuc infantes, eorundem ditionem quæ ad *Euxinum* circa *Trapezuntum* latius extendebatur, una cum uxore administravit. Porro *Archelaus* cum accepisset *Cajum Cæsarem* in Orientem advenisse, summis illum officiis coluit, quæ illi postea imperante *Tiberio*, exitio fuere, ut in sequente capite ostendo.

In superiori autem *Cilicia* ultra *Taurum* ac circa *Amanum* montem plures reguli tyrannidem exercebant, nec *Romani* proconsules, qui *Ciliciæ* præerant, eosdem expugnare in lucri loco ponebant; cum ob altissimorum montium latibula, magna cum difficultate inveniri possent, ac facilius esset paucos dominos armis ostentatis, quam præferoces barbaros eisdem subjectos, legum præsidio in officio erga *Romanos* continere. *Cicero* cum proconsul *Ciliciam* provinciam obtineret, ac bellum *Parthicum* timeret, *libro* XV. *famil. epist.* I. scribebat ad Consules: *Regis Dejotari & voluntatem & copias, quantæcumque sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui reges, tyrannique neque opibus satis firmi, nec voluntate sunt.* Strabo *libro* XIV. *pag.* 445. scribit: *Alii à pluribus regebantur tyrannis. Nostro tempore omnium est Dominus factus Tarcondementus* (Tarcondimotus legendum est) *vir præstans, & ob virtutem à Romanis rex appellatus, qui successionem posteritati*

A *suæ tradidit.* Idem à Cicerone in epistola memorata laudatur: *Cum exercitum*, inquit, *in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ & Cappadociæ mihi literæ redditæ sunt à Tarcondimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum amicissimusque Populi Romani existimatur.* Bello Actiaco pro *Antonio* cum aliis *Asiæ* regibus interfuit, ac navali pugna ab *Agrippa* victus interiit, paulo ante quam apud *Actium* universa classe prœlium committeretur, ex Dione *lib.* L. ad A. V. 723. *Philopator* ejusdem filius in paternum regnum successit, à quo tamen illum mox victor *Augustus* ejecit, quamvis filii Tarcondimoti, *qui summa antea amicitia cum Antonio &* B *Cleopatra juncti, tunc fortunam secuti, defecerant ab iis.* Verum cum idem Imperator post decennium anno Urbis 734 universam *Asiam* lustraret, *eam ditionem*, inquit Dio *lib.* LIV. *Tarcondimoto, quam pater ejus Tarcondimotus in Cilicia habuerat, attribuit.* Huic successit *Philopator*, qui anno Urbis 770. tertio principatus *Tiberii* Cæsaris obiit, regno interim turbato, plerisque *Romanum*, aliis regium imperium cupientibus, ex Tacito *lib.* II. *Annalium.* Num hic, vel ejusdem decessor *Tarcondimotus* regnaret, cum *Cajus Cæsar* in Orientem transmisit, non ausim adstruere. Alii ad *Amanum* tyranni à nullo nobis scriptore reci- C tantur.

Pythodoris regina *Ponti* ejus quæ ad *Cappadociam* sita est, aliarumque circa *Euxinum* ditionum domina, in ore famæ versabatur. Hæc *Polemonem* regem maritum habuerat, eoque vita defuncto, filiis etiam tum impuberibus, regnum prudenter æque ac feliciter administrabat, præsertim cum *Archelao* regi *Cappadociæ* iterum nupsisset. *Polemo* A. Urbis 714. quandam *Ciliciæ* partem cum regio titulo ab *Antonio* obtinuerat, ex Appiano *lib.* V. *bel. civ. pag.* 715. cum *Dario Pharnacis* filio, *Mithridatis* nepoti, idem *Antonius* D *Ponti* regnum tradidisset. Verum *Polemo* in *Darii* locum paucos intra annos suffectus, *Pontum* dimissa *Cilicia*, ab *Antonio* obtinuit. *Antonium* 228
Parthico bello A. V. 718. secutus, ac cum *Oppio Statiano Antonii* duce à *Parthis* improviso aggressus, exercitu amisso, captus fuit, ac pecunia data, dimissus, ex Dione *lib.* XLIX. Cum vero Regem *Mediæ* ad societatem cum *Antonio* ineundam induxisset, *Antonius* navati fœderis præmium minorem *Armeniam* eidem donavit, ex eodem *Dione* in fine libri XLIX. ad annum Urbis 721. Post biennium bello Actiaco auxiliares copias ad *Antonium* transmisit, uti refert *Plutarchus* E in *Antonio.* *Augustus* vero post victoriam *Polemoni* datum ab hoste *Antonio* regnum sanxit. Strabo *lib.* XII. *pag.* 398. scribit *Polemonem* filium fuisse *Zenonis* Rhetoris, civis *Laodicensis* in *Phrygia, qui ob res præclare gestas, regno dignatus est, primum ab Antonio, deinde à Cæsare Augusto.* Hic tamen minorem *Armeniam Polemoni* ablatam, *Archelao Cappadoci* tradidit. Dio *libro* LIII. ait: *Eodem anno* V. C. 728. *Polemo Rex Ponti in socios ac fœderatos P. R. adscriptus est, ac prima subsellia in theatris per totum ejus regnum Senatoribus tributa.* Cum A. V. 740. *Scribonius* quidam *Mithridatis* se nepotem fingens *Bosphori* regnum, F mortuo *Asandro* rege ab *Augusto* illis gentibus dato, occupasset, ac *Dynamim Pharnacis* filiam, ac *Mithridatis* neptem, *Asandri* vero demortui uxorem, in matrimonium duxisset, *Agrippa*, qui tum Orienti cum imperio præerat, *Polemoni* injunxit, ut *Scribonium* regno pelleret; isque cum *Scribonium* superstitem non invenisset (fraude enim cognita, hominem necaverant) resistentes tamen *Bosphoranos* prælio vicit, ac ab *Agrippa* qui cum legionibus in *Bosphorum* advenerat, idem regnum accepit una cum uxore *Dyname*, quod *Au-*

gustus antea decreverat. Horum auctores Dio *libro* LIV. ac Josephus *libro* XVI. *antiquit. capite* 3. Strabo *lib.* XI. *pag.* 340. scribit *Polemonem* barbaras quasque gentes ad *Tanaim* usque bello subegisse. *Tanaim urbem*, inquit, *jussa facere detrectantem nuper evastavit.* Idem *pag.* 344. ait: *Polemo Colchidem habuit: eoque mortuo uxor Pythodoris regnum in Colchos, Trapezuntem, Pherraciam, & supra accolentes barbaros tenuit.* Erat hæc filia *Pythodori* civis *Tralliani* teste eodem *libro* XII. *pag.* 382. cui dicitur *prudens mulier & præesse rebus gnara.* At *Polemo*, cum *Aspungitanis* circa *Mæotidem* paludem bellum intulisset, ab hostibus captus, misere interiit, ex eodem *lib.* XI. *pag.* 341. qui inferius *pag.* 382. *lib.* XII. scribit: *Pythodoridis filiorum alter cum matre privatus regnum administrabat, alter recens Armeniæ majoris rex est creatus. Ipsa Archelao nupsit, & cum eo, dum is in vivis permansit, vitam exegit, nunc vidua est &c.* Anno Urbis 770. *Archelaus Romæ* obiit, ut proxime ex *Dione* ac *Tacito* narravi. Idem autem *Tacitus* ad annum Urbis 771. *lib.* II. *Annal. de Armeniis* scribit: *Regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone, sed favor nationis inclinabat in Zenonem Polemonis regis Pontici filium, quod in prima infantia instituta & cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis, & quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat.* Illum *Germanicus* Cæsar volentibus *Armeniis* regem dedit, quem illi *Artaxiam* appellarunt. Nomen vero *Zenonis* antea tulerat à *Zenone* avo *Pythodoridis* patre. Alter *Pythodoridis* filius de nomine patris *Polemo* dicebatur, hæc de *Cajo Caligula* Imperatore scribente Dione *lib.* LIX. ad A. V. 791. *Polemoni Polemonis filio paternum imperium ex Senatus consulto videlicet tribuit.* Hujus *Polemonis* filii meminit, *Claudio* imperante, Josephus
229 *libro* XIX. *antiq. cap.* 7. *Ponti Dynastiæ Dominum* eundem appellans. Hunc regnum *Ponti Neroni* postea cessisse tradit Suetonius *cap.* 12. Ceterum *Pythodoris* regiam habebat apud *Cabiram*, quæ antea *Mithridatis* fuerat, quam cum *Pompejus* meliorem in formam redactam, Diopolim nominasset, *addidit ipsa operi aliquid & Augustam nuncupavit.* Strabo *lib.* XII. *pag.* 183. Quo vero anno *Polemo* occisus fuerit, nullus nos veterum docuit. Duo ejusdem numismata exhibet *Carolus Patinus* ob eximiam eruditionem equestri dignitate nuper ornatus, in notis stelographicis ad *cap.* 18. Suetonii de *vita Neronis.*

Quartum in *Asia* regnum *Commagenorum* erat, cujus metropolis *Samosatæ Euphrati* impositæ. Ea vero ditio parva quidem, sed admodum felix dicitur à Strabone *lib.* XVI. *pag.* 516. *Pompejus Antiochum* regem *Commagenorum* bello aggressus, Reipublicæ tributarium fecerat. *Cicero* ex *Cilicia* A. V. 703. ad *Romanos* magistratus scribebat: *Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nuntiarunt Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse. Ventidius* eundem regem insimulatum, quod *Parthis* studuisset, intra *Samosatas* obsedit, ac adveniente *Antonio*, diutius oppugnatus, honorificis conditionibus deditionem fecit. *Mithridates* eidem successit, ac præsens, teste *Plutarcho*, cum auxiliaribus copiis bello Actiaco, in castris *Antonii* fuit. Huic *Antiochus* frater litem intendit, ac missum à fratre *Romam* legatum, dolo interfecit, quod cum *Augustus* intellexisset, evocatum *Romam Antiochum*, ac à Senatu damnatum, neci tradidit. At *Mithridatem* regem necatum pariter fuisse colligo ex Dionis *libro* LIV. ubi *de Augusto* A. V. 734. hæc leguntur: *Mithridati cuidam Commagenem, quod ejus rex patrem hujus Mithridatis occidisset, puero etiamnum attribuit.* Tacitus *lib.* II. ad A. V. 770. ait: *Per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis regium imperium cupientibus.* Anno insequenti *Germanico* ad res Orientis componendas in *Asiam* misso, *Commagenis Q. Servæus præponitur, tum primum ad jus prætoris translatis.* Ex his *Taciti* verbis colligo post *Mithridatem Antiochum* apud *Commagenos* superstite *Augusto* regnasse, cujus regnum quamvis *Tiberius Romanis* provinciis adjecerit, *Cajus* tamen ejusdem successor inito statim imperio, *Antiocho Antiochi filio Commagenem paternum regnum, adjectis Ciliciæ maritimis, dedit*, Dione teste *lib.* LIX. quod tamen eidem rursus ademit, ex eodem de *Claudio* scribente *lib.* LX. ad A. V. 793. *Antiocho Commagenem, quam ei idem dederat, ademeratque Cajus, restituit.* Hujus *Antiochi* meminit Josephus *lib.* XIX. *cap.* 7. ac Tacitus *lib.* XII. A. V. 805. scribens *Cilices* agrestes *Trosobore* duce rebellasse, ac *Anemurium* obsedisse. *Dein*, inquit, *rex ejus oræ Antiochus, Trosobore aliisque primoribus interfectis, cuncta sedavit. Anemurium* oppidum erat *Ciliciæ Tracheæ.* Suetonius *cap.* 8. *de Vespasiano* ait: *Thraciam, Ciliciam, & Commagenem ditionis regiæ usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit.* Etenim *Antiochus* rex à *Cæsennio Pæto Syriæ* legato delatus, quasi cum *Parthis* conspirasset, regno ejectus, *Romæ* cum filiis degere à *Vespasiano* jussus est. Rem fusius narrat Josephus *lib.* VII. *de bello Jud. capite* 27. *Casaubonus* post *Turnebum* in notis ad laudatum caput *Suetonii*, putat legendum *Thracheam Ciliciam, & Commagenem*; nam *Antiochus* etiam *Tracheæ Ciliciæ* imperabat, ex *Dione* quem laudat, quod itidem ex *Tacito* poterat confirmare. Potuit etiam quod maxime ad rem faciebat, adducere *Aurelium Victorem* in epitome de *Vespasiano* scribentem: *Syria seu Palæstina, nec non Cilicia Trachea & Commagene, quam hodie Augustophratensem nominamus, provinciis accessere.* Verum omnium MSS. lectio retinenda videtur ex Eutropio *lib.* VII. *de Vespasiano* scribente: *Thraciam, Ciliciam Tracheam, Commagenem, quæ sub regibus amicis erant, in provinciarum formam redegit.* Utut sit de hoc, certum est lapsum *Usserium* ad annum 72. epochæ *Dionysianæ*, dum ait *Antiochum Vespasiano* conciliatum, regno restitutum fuisse ex *Josepho.* Nusquam enim hoc *Josephus* scripsit, sed tantum Imperatorem *Antiocho* ac filiis conciliatum, jussisse ut *Romæ* vitam agerent, regno interim in provinciæ formam redacto, uti laudati scriptores testati sunt. Hunc vero *Antiochum* illum esse, qui à *Cajo Caligula* regnum paternum acceperat, ex *Josepho* colligitur *lib.* XIX. in fine, ubi sponsalia *Epiphanis* ejusdem filii recitat.

Syriæ ac *Phœniciæ* provinciis plures reges, ut à subditis vocabantur, verius reguli *Romanorum* tributarii, prætendebantur. *Archelaus* Ethnarcha *Judæam* tenebat, ejusque fratres *Philippus Itureæ, Trachonitidi,* & *Gaulanitidi*, quæ trans *Jordanem* ditiones erant, dominabatur. *Herodes* vero cognomento *Antipa*, *Samariam* obtinebat, *Herodis* regno ita diviso ab *Augusto*, *Cajo Cæsare* filio inter judices sedente, uti *cap.* 6. mihi narratum est. Profecto *Herodem* non fuisse superstitem, cum *Cajus* in Orientem transmisit, præter superius congesta testimonia, indicio satis manifesto est, quod *Nicolaus Damascenus*, & ex eodem *Josephus* in vita *Herodis*, quam diligenter æque ac prolixe in literas misere, ne verbum quidem ea de re fecerunt. Equidem recensent *Herodem* semel atque iterum *Agrippa* cum imperio in *Asiam* veniente, ad eundem statim salutationis officia persoluturum navigasse, eumque *Hierosolymam* deductum, ac maximo honore ab universis ex-

exceptum. Qui sane si in vivis fuisset, haud minus honorifice *Cajum* Cæsaris *Augusti* filium per *Judæam*, uti dicam, transeuntem, excepisset. Sanctus *Lucas cap.* 3. trium fratrum ditiones describit, cui etiam memoratur *Lysanias Abilinæ Tetrarcha.* Nam hic *Lysanias* filius fuerit *Lysaniæ* partis *Arabiæ Nabatææ* ac *Itureæ* Principis ab *Antonio* A. V. 718. teste Dione *lib.* XLIX. interfecti, nepos vero *Ptolomæi Mennei* F. qui *Heliopolim*, *Chalcidem*, & *Ituræorum* montes possedit ex Strabone *lib.* XVI. *pag.* 518. in medio relinquo. *Casaubonus* exercit. 13. non putat illius filium fuisse, cum tres ac sexaginta anni ab obitu prioris *Lysaniæ* ad alterum Evangelistæ memoratum intercedant. *Baronius* ad annum Christi 31. num. 7. scribit *Abilinam* fuisse Tetrarchiam in provincia Decapoleos in *Palæstina*, ex Plinio *lib.* V. *cap.* 18. *Quippe qui*, inquit, *dicat provinciam in Palæstina Decapoleos dictam, cujus est mentio in Evangelio, cum decem habuerit civitates, earundem fuisse Tetrarchias singulas, regnorum instar, & in regna solere contribui.* Nusquam hæc *Plinius* asseruit; siquidem cum laudato capite decem urbes recensuisset, ex quibus provincia Decapoleos componebatur, addit: *Intercursant, cinguntque has urbes Tetrarchiæ regionum instar singulæ, & in regna contribuuntur Trachonitis, Paneas, in qua Cæsarea cum supra dicto fonte, Abila, Acca, Ampeloessa, Gabe.* Itaque ex *Plinio* decem urbes Decapoleos neutiquam singulæ Tetrarchias constituebant, sed Tetrarchiæ eas decem urbes cingebant, earundemque territoria intersecabant. Uno verbo. *Plinius* cum sigillatim decem urbes Decapoleos recitasset, *Abilam*, aliasve, quæ Tetrarchias constituebant, subjicit, ut istæ ab illis decem diversæ citra dubium appareant. *Abilam* ditionemque
231 finitimam *Lysaniæ* in *Libano* fuisse scribit Josephus *lib.* XIX. *Antiqu. cap.* 4.

Reges etiam *Emesenis* imperabant, quorum *Sampsiceramus* A. V. 709. *Cæcilium Bassum* contra *Cæsaris* duces auxiliaribus copiis juvit, ex Strabone *lib.* XVI. ubi *Jamblichum* ejusdem filium nominat, res cum sene patre administrantem. Hunc *Jamblichum Antonius* bello Actiaco per summam crudelitatem interfecit, quod suspicabatur eundem transitionem ad *Cæsarem* destinasse. Dio *lib.* L. *de Antonio* ait: *Jamblichum partis cujusdam Arabiæ regem inter tormentum occidit.* Augustus vero post annum undecimum, cum *Asiam* lustraret, *Jamblicho Jamblichi filio paternum in Arabia principatum* dedit, ex eodem *lib.* LIV. Hic vero regnum ad successores transmisit; nam *Sampsicerami* regis *Emesenorum*, imperante *Claudio*, meminit Josephus *lib.* XIX. *antiq. cap.* 7. Cicero *lib.* XV. *famil. epist.* 1. ex *Cilicia Romam* scripta, ait: *Eodem die à Jamblicho Phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire, amicumque esse Reipublicæ nostræ, literæ de iisdem rebus mihi redditæ sunt. Lambinus* frustra pro *Phylarcho* reponit *Phararco*; nam veterem lectionem retinendam novissimus idemque eruditissimus *Ciceronis* interpres *Grævius* in notis ibidem ostendit. Hic ille est *Jamblichus*, qui *Cæcilio Basso* suppetias tulit. Quod *Pompejus* patrem *Jamblichi Sampsiceramum* tributarium Reipublicæ fecisset, ac die triumphi in pompæ ferculis, inter devictorum regum nomina *Sampsiceramum Romæ* hactenus inauditum inscripsisset, *Cicero* id temporis *Pompejo* subiratus, eundem irrisionis causa *Sampsiceramum* non semel appellabat in epistolis A. V. 695. ad Atticum scriptis. Hæc ait *lib.* II. *epist.* 16. *Nunc vero, Sampsicerame, quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano constituisse, agri Campani abstulisse? Pompejus* legem *Julii Cæsaris* consulis de agro *Campano* dividendo adprobabat, secus ac in suo con-

A sulatu contra *Rulli* Tribuni plebis conatus fecerat *Cicero.* Mons *Antilibanus* in *Cœle-Syria* supra mare *Sidonium* assurgit, & ultra *Damascum* ad *Arabiæ* montes porrigitur, ubi erat ditio *Sampsicerami*, ex Strabone *lib.* XVI. laudato. In monte autem *Libano* erat *Chalcis*, cujus Dynasta erat *Lysanias*, ex Josepho *lib.* XIV. *Antiquitatum cap.* 13. & *cap.* 14. ait: *Cæsare bellum apud Alexandriam gerente, certatim opem tulerunt Cæsari Jamblichus Dynasta, & Ptolomæus Sohemi filius Libanum montem incolens.* Plures sane reguli in varias Tetrarchias divisi cis & ultra *Euphratem*, qua *Syriam* juxta labitur, angustius dominabantur, quorum
B ne nomina quidem *Romanorum* rerum scriptoribus recitantur; & illi quidem *Seleucidarum* regno in *Syria* post annos ducentos ac septuaginta deficiente, varias ditiones occuparunt, nec *Romanis* curæ fuit eosdem bello aggredi, ac de medio tollere, quod montanam regionem eamque steriliorem tenebant.

Arabiam Nabatæam, mortuo *Oboda* rege, *Æneas* ejusdem affinis, inconsulto *Augusto*, occupaverat, nomen vero *Aretæ* tum primum assumpsisse scribit Josephus *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 15. *Syllæus Obodæ* regis procurator *Romam* profectus,
C *Aretæ* coram *Augusto* de regno litem intendit. At sub idem tempus *Nicolaus Damascenus Herodis* Regis legatus *Romam* adveniens, *Syllæum* plurium criminum reum apud Imperatorem luculenta oratione peregit. *Augustus* quamvis initio *Aretæ* legatos, ac sibi delata munera despexisset, quod se inconsulto vacuam *Nabatæi* regni sedem occupasset. *Syllæi* criminibus patefactis, eoque damnato, *Aretæ* regnum sanxit. *Aretas* vivebat postremo anno imperii *Tiberii Cæsaris*, nam Josephus
lib. XVIII. *cap.* 7. de *Herode Antipa Herodis* re- 232
gis *Judæorum* filio scribit: *Herodes Tetrarcha uxorem habebat Aretæ filiam, cum qua jam multo tem-*
D *pore convixerat.* Narrat deinde bellum ejusdem *Aretæ* contra *Herodem*, unde constat *Aretam* diutius regnum possedisse. *Aretas* alter *Obodæ* decessor A. V. 689. cum quinquaginta armatorum millibus *Hierosolymam* obsedit; at à *Scauro* in *Syriam* à *Pompejo* misso, obsidionem solvere jussus, *Philadelphiam* recessit. Dein *Pompejus* in *Syriam* veniens, rebus provinciæ constitutis, *Aretam etiam Arabum Nabatæorum regem bello petiit*, ex Appiano *in Mithrid. pag.* 244. Scribit Dio *lib.* XXXVII. *ipsum sine labore cepit, præsidiumque eis addidit.* Rectius tamen *Plutarchus* ac *Josephus* narrant *Aretam* timore perculsum, *Pompejo* signi-
E ficasse se dicto audientem fore, ac imperata facturum. *Scaurus Pompeji* quæstor in *Syria* relictus, bellum *Aretæ* intulit, & cum magnam regionis partem devastasset, acceptis ab *Areta* trecentis talentis, bello finem imposuit. Post *Scaurum Syriam* biennio tenuere *Marcius Philippus* ac *Lentulus Marcellinus* prætores. Uterque, inquit Appianus in *Syriacis pagina* 120. *conflictatus est cum Arabibus ex vicino infestantibus; quæ causa est ut posthac in Syriam mittantur proconsules, consulari potestate in bello gerendo præditi. Aulus Gabinius* primus *Syriæ* proconsul *contra Nabatæos profectus, hos quoque uno prælio profligat.* Josephus *lib.* XIV.
F *Antiq. cap.* 11. Porro *Gabinii* fortiter ac feliciter gesta in *Syria*, *Judæa*, *Arabia*, ac *Ægypto* laudatus *Josephus* describit, ut *Ciceronis* livor appareat, qui in *Pisoniana* ac de provinciis consularibus *Gabinii* proconsulatum tantis conviciis exagitet, cum tamen ipse ob *Pendentissas* ignoti antea *Romæ* nominis *Cilicum* agrestium genus, triumphum ambitiosius postulaverit, *Catone* contradicente, quem ob id *ingratissimum* appellat *lib.* VII. ad *Atticum epist.* 2. *Aretæ* successit *Malchus*, qui *Arabiam Nabatæam* tenebat A. V. 706. nam erum-

pente eo anno, post necem *Pompeji*, bello *Alexandrino*, *Cæsar*, inquit *Hirtius* initio *libri de bello Alex. equites ab rege Nabatæorum Malcho evocat.* Anno 713. *Parthis* duce *Pacoro*, *Syriam* irrumpentibus, *Malchus* ad eosdem accessit, ac anno insequenti *Herodem Nabatæorum* finibus exclusit, cum in *Arabiam* iter intenderet, ex Josepho *lib.* XIV. *cap.* 25. *Ventidius Parthis* è *Syria* fugatis multam imprimis *à Malcho Nabatæo pecuniam, quod is Pacorum auxilio juvisset*, ex Dione *lib.* XLVIII. ad A. V. 715. Vivebat A. V. 723. nam à *Plutarcho* inter reges, qui bello Actiaco auxiliares copias ad *Antonium* miserunt, nominatur *Malchus Arabiæ rex*; ubi tamen *Manchus* perperam scribitur. Ille tamen fortunam secutus, *Q. Didio Cæsaris Octaviani* in *Syria* legato suadente, naves à *Cleopatra* in sinu *Arabico* fabricatas, queis per mare rubrum fugam capessere meditabatur, combussit, ex Dione *lib.* LI. ad A. V. 724. Vir eruditus scribit apud *Arabes* regem vulgari cognomine *Malchum* appellatum antiquitus, uti Cæsares, qui apud *Romanos* imperabant, *Arsaces* qui apud *Parthos*; unde hujus regis cognomen cunctis regibus *Nabatæorum* commune *Malchus* eidem putatur. Odi logomachias. Ne tamen in hanc opinionem descendam vetant *Plutarchus*, *Dio*, *Josephus*, ac *Hirtius*, qui hunc tantum *Arabum* regem *Malchum* nominarunt, quo nomine alium quempiam eorundem *Nabatæorum* regem ne quidem semel nuncuparunt. *Obodas* A. V. 730. *Arabiæ Nabatææ* imperabat, ac per *Syllæum*, qui omnia unus apud ipsum erat, mille milites *Ælio Gallo Ægypti* præfecto misit, expeditionem in *Arabiam* felicem facturo. Erat Obodas *homo segnis & otio deditus*, ex Josepho *lib.* XVI. *cap.* 11. ac Strabone
233 *lib.* XVI. *pag.* 537. ita ut *Syllæus* vim ac potentiam regni penes se haberet, regio tantum titulo *Obodæ* servato. Decessit circa A. V 746. *C. Sentio Saturnino Syriæ* præside, teste *Josepho* superius laudato, qui scribit *Æneam*, postea *Aretam* nuncupatum *Nabatæorum* regnum *Augusto* inconsulto, occupasse, quo de rege prius sermonem feci, quod non modo is *Arabiam* tenebat A. V. 753. quo *Cajus* in *Asiam* transmisit; verum etiam eundem *Arabiam* felicem invisurum, excepit.

De regibus *Armeniorum* plura dixi initio *cap.* 9. quæ iterum repetere non vacat. *Appiano* in præfatione laudatur *Armenia nulla quidem Romanis* tributa pendens, sed ex eorum auctoritate *reges accipiens.* Ex quo enim *Pompejus* A. V. 688, *Tigrani Armeniæ* regnum reddidit, ac *Augustus* semel, iterum, ac tertio *Armeniis* regem imposuit, subsecuti Cæsares id in *Armenios* juris exercuere, unde etiam sæpius cum *Parthis* eandem sibi potestatem usurpantibus, bella gessere, de quibus Tacitus *lib.* VI. II. ac sequentibus scribit. *Trajanus Romanorum* principum primus *Armeniam* in provinciæ formam redegit; nam teste *Dione* apud *Xiphilinum*, bellum intulit *Armeniis*, *quod rex Armeniorum non abs se, sed à rege Parthorum diadema accepisset.* Cum vero *Armeniam* occupasset, *Parthamasirem* regem *Armeniorum* punivit. Eutropius *libro* VIII. ait: *Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit, Pharnace Syro occiso, qui eam tenebat.* Rufus vero in Breviario: *Armeniam*, inquit, *recepit à Parthis; sublato diademate, regi Armeniæ majoris regnum ademit:* Ejus tamen successor *Hadrianus*, quod videbat *Armeniam* sine numeroso præsidio teneri non posse, *Armeniis regem habere permisit, quum sub Trajano legatum habuissent*, ex Spartiano *cap.* 21. Regem vero ab *Hadriano Armeniis* datum colligitur ex verbis laudatis *Appiani*, qui eodem imperante historias

A descripsit. Hujus etiam successores *Antoninum Pium* ac *L. Verum* reges *Armeniæ* creasse eorundem nummi indicant, inscripti: REX ARMENIIS, vel, ARMENIAE DATUS; exemplum *Augusti* secuti sunt, qui id genus nummos potentiæ ostentandæ gratia cum ea epigraphe cudi jusserat. Hi quidem erant reges, quorum ditiones *Romanas* provincias, qua latius per *Asiam* à *Ponto* ad *Ægyptum* usque protendebantur, imperante *Augusto*, cingebant. Illi pro arbitrio subditis tributa ac milites imperabant, & si quid gravius contra eosdem peccabant, delati ad *Augustum*, in judicium vocabantur; siquidem *Archelaus* rex
B *Cappadocum* à subditis, itemque ejusdem nominis Ethnarcha *Judæorum* à primoribus provinciæ apud *Augustum* delati, *Romam* evocati sunt. Bello *Romanis* instante, copias ab Imperatore jussi, in *Romana* castra mittebant, ac legatorum *Syriæ* dictis audientes erant, quoties hostium metus immineret. Scribit *de Nerone* Tacitus *lib.* XIII. *Legionesque ipsas propius Armeniam collocari jubet; duosque veteres reges Antiochum & Agrippam expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent;* idque passim in historia *Romana* occurrit. Cum vero testamentarias tabulas conderent, filios quidem successores regni destinare poterant, sed ab
C *Augusto* regnum eisdem sanciendum erat, antequam jus regium exercerent, uti de filiis regis *Herodis Josephus* ostendit *lib.* XVII. Immo quandoque *Augustus* filios à successione regni exclusit: *Mortuo*, inquit Dio *lib.* LIII. *Amynta, regnum filiis ejus non tradidit, sed provinciam P. R. fecit.* Haud licebat regibus finitimorum principum regna aut urbes inconsulto *Augusto*, bello lacessere. Hinc idem gravius *Herodi* succensuit quod *exercitum extra regni sui fines eduxerit*, nec causam expeditionis audire dignatus est. Josephus *lib.* XVI. *cap.* 15. sed de his hactenus.

D

CAP. XII.

Caji Cæsaris *in* Arabiam *expeditio.* Jubæ *regis* Mauritaniæ *libri geographici de* Arabia *ad Cajum scripti.* Jubæ *pater rex* Mauritaniæ *vulgo perperam appellatus.* Cleopatra Jubæ *uxor amita* Liviæ Caji Cæsaris *uxoris.* Josephi *Hebræi ac cum eo* Saliani *error de anno mortis* Jubæ *regis. Assignatur tempus quo* Strabo *de Geographia scribebat.* Cajus Cæsar Arabiam *invisit. Ex* Ægypto *in* Palæstinam *descendens, apud* Hierosolymam *non supplicat, contra patris* Agrippæ *exemplum.* Augusti *ac* Liviæ *erga Templum Hierosolymitanum munificentia.* Saliani *de Caji*
E Cæsaris *expeditionibus anachronismi confutati.* Archelai *regis* Cappadociæ *erga* Cajum *officia, exitio eidem postea fuere sub* Tiberio. Marci Lollii Caji *juventæ moderatoris rapinæ ex veste ejusdem neptis à* Plinio *indicatæ.*

ROmanas hucusque provincias, ac regna socia & amica P. R. recensendo, tota *Asia* peregrinati, ad *Cajum Cæsarem* revertamur necesse est, *Asiaticam* ejusdem expeditionem descripturi. Illum quidem ingens cupido incesserat invisendæ *Arabiæ* felicis, quam semel tantum *Romana* arma ductore *Ælio Gallo Ægypti* præfecto tentaverant. Nam vel ipso *Felicis* nomine terris omnibus una
F beatior videbatur; præsertim cum aromata, gemmæ, aurum, quibus avida gens mortalium ad insaniam usque inhiat, inde à mercatoribus in *Romanorum* ditiones deportarentur. Eo autem lubentius primum illud bellum suscepit, quod *Parthus Cajani* apparatus fama latius personante, intra regni fines exercitus continens, pacis consilia agitare, ac ad *Augustum* de eadem legatos destinare dicebatur. Et sane *Arabica* expeditio longe facilior apparebat, quod gens minus bellicosa, armis

armis tantum ostentatis, imperata statim factura credebatur, cujus victoriæ nuntio *Parthorum* etiam animi frangerentur, ac *Armenii* finitimorum auxiliis destituti, ad obsequium positis armis, reverterentur. *Plinius* pluribus in locis expeditionis *Caji Cæsaris* in *Arabiam* mentionem facit, quam tamen omiserunt *Baronius*, *Keplerus*, *Calvisius*, *Salianus*, *Torniellus*, *Petavius*, aliique qui de anno natali Christi scribentes, de *Caji* in Orientem navigatione sermonem, ut ajunt, ex professo instituerunt. Igitur Plinius *lib.* VI. *capite* 27. scribit *Dionysium* Geographum ab *Augusto* in Orientem præmissum *ituro in Armeniam ad Parthicas*, *Arabicasque res majore filio.* Rursus lib. XII. cap. 14. ait: *Juba rex iis voluminibus*, *quæ scripsit ad Cajum Cæsarem Augusti filium ardentem fama Arabiæ.* Eorundem librorum *Jubæ* mentionem fecerat *libro* VI. *capite* 27.
235 inquiens: *In hac tamen parte arma Romana sequi placet nobis*, *Jubamque regem ad eundem Cajum Cæsarem scriptis voluminibus de eadem expeditione Arabica.* *Juba* filius erat *Jubæ Numidiæ* regis, qui tum ob literarum studium, tum propter affinitatem cum *Cajo Cæsare*, stylum in se paulisper morari cogit. *Jubam* hujus patrem Florus *lib.* IV. *cap.* 2. Eutropius *lib.* VI. & ex recentioribus *Usserius* ad A. Mundi 3958. & Patinus in *notis ad cap.* 26. *Suetonii*, aliique *Mauritaniæ* Regem scribunt. Verum mihi plane compertum est *Jubam* patrem non *Mauritaniæ*, sed *Numidiæ* regem fuisse. Recte Dioni dicitur *lib.* XLI. *Juba Hiempsalis filius*, *rex Numidiæ.* Plutarchus *in Pompejo*, scribit ab eodem captum *Hiarbam* regem *Numidiæ*, *cujus sceptro deinde Hiempsal successit.* Livius etiam in epitome *lib.* LXXXIX. nominat *Hiarbam regem Numidarum* à *Pompejo* victum. Id contigit A. V. 672. quo anno *Hiempsal Jubæ* prioris pater, regnum *Numidiæ Cn. Pompeji* opera obtinuit. Vivebat A. V. 691. Nam *Cicero* consul in agraria secunda ait: *Hoc quia vos fœdus non jusseritis*, *veretur Hiempsal ut satis firmum sit & ratum*; Et statim: *Volitat enim ante oculos istorum Juba regis filius adolescens non minus bene nummatus*, *quam bene capillatus.* In editis codicibus legitur: *Jubæ regis filius*; sed mendum inesse patet, quia *Hiempsal* id temporis erat rex *Numidiæ*, qui *Jubam* filium *Romam* miserat. Bello civili exorto, *Juba* id temporis *Numidiæ* rex *Pompeji* partes secutus, junctis cum *Q. Scipione* copiis, victus apud *Tapsum*, quod oppidum erat supra *Carthaginem* in *Byzacena* provincia, interdiu in fuga latens, noctu tantum iter faciens, ex Hirtio *de bello Africano*, *in regnum pervenit*, *atque ad oppidum Zamam*, *ubi ipse domicilium*, *conjuges*, *liberos habebat &c.* At *Zama* est urbs *Numidiæ* regum sedes. Ibidem *cap.* 25. scribit: *P. Sitius & rex Bogud conjunctis copiis*, *cognito regis Jubæ egressu*, *propius ejus regnum copias suas admovere: Cirtamque oppidum ejus regni opulentissimum adorti*, *paucis diebus pugnando capiunt.* Cirta pariter erat urbs *Numidiæ.* Cum vero *Juba* aliena manu, ipso id jubente, extinctus esset, *Cæsar*, inquit *Hirtius cap.* 92. *ex regno provinciam fecit.* Hinc duæ deinceps provinciæ *Romanorum* in *Africa*; priorem *ademptam Carthaginensibus*, *veterem vocant*, inquit Appianus *lib.* IV. *bel. civ. pag.* 620. *alteram quæ prius regnum Jubæ fuerat*, *à C. Cæsare occupatam*, *ideo novam appellant*, *quæ est Numidia.* Ex his fit manifestum *Jubam* fuisse regem *Numidiæ*. Lucanus *lib.* VIII. *de Juba* ait:

Et Numidas contingit avos.

Fateor eundem poetam non semel *Jubam Maurum* appellasse, sed ejus regnum poetica licentia longe majus descripsit, cum *Juba* angustius in *Africa* regnaret. Etenim scribit de eodem *lib.* IV.

A *—— —— extremaque mundi*
Signa suum comitata Jubam, *non fusior ulli*
Terra fuit Domino: qua sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: à medio, *confinis Syrtibus Ammon.*

Reliqua omitto; quæ poetæ tantum scribere licuit; neque enim ad *Gades* usque regnum *Jubæ* extendebatur, sed usque ad *Mulucham* amnem, quo *Numidia* à *Mauritania Cæsariensi* distinguebatur. Duæ erant *Mauritaniæ Tingitana* ac *Cæsariensis.* Plinius *lib.* V. *cap.* 1. *Principio*, inquit, *terrarum Mauritaniæ appellantur usque ad Cajum Cæsarem regna*, *sævitia ejus in duas divisa provincias. Juba*
B in *Numidia* regnante, *Mauritaniam Cæsariensem* tenebat rex *Bocchus*; *Tingitana* vero in *Bogudis* re- 236
gis potestate erat. Cum *Juba* Curionem *Cæsaris* in *Africa* ducem vicisset, ab *Cæsare* hostis est judicatus, inquit Dio *lib.* XLI. ad A. V. 705. *Bocchus & Bogud*, *quod hostes Pompeji essent*, *reges dicti sunt.* Eorum regna digito monstrat *Plinius* citatus *cap.* 2. *Namque diu*, inquiens, *regum nomina obtinuere*, *ut Bogudiana appellaretur extima*, *itemque Bocchi quæ nunc Cæsariensis. Bocchus Mauritaniæ Cæsariensis* rex hujus forte *Bocchi* avus, *Jugurtham C. Mario* prodidit, ex *Sallustio*, *Floro*, aliisque. *Bogudem* vero *Tingitanam Mauritaniam*
C possedisse patet ex Dione *lib.* XLVIII. ad A. V. 716. ubi scribit *Bogudem* in *Hispaniam* adversus duces *Cæsaris Octaviani* transmisisse, *interimque*, inquit, *deficientibus ab eo Tingitanis ex Hispania recessit*, *neque suum regnum recepit. Quippe qui in Hispania Cæsari favebant*, *ii Bocchi auxilio Bogudem vicerunt*; *Bogud ad Antonium se contulit. Bocchus regnum ejus occupavit*, *idque Cæsari confirmavit*, *ac Tingitanis civitas data est.* Ita *Bocchus* utriusque *Mauritaniæ* rex evasit. Dio *lib.* XLIX. ad A. V. 721. de *Augusto* scribit: *Boccho quoque* (*fuit is Rex Mauritaniæ Cæsariensis*) *vita functo*, *regnum ejus nemini alii tradidit*, *sed inter Romanas provin-*
D *cias retulit.* *Bogud* vero post biennium bello Actiaco, *Methone* ab *Agrippa* expugnata, ibidem occisus est. Ceterum *Juba Numidiæ* rege extincto, A. V. 708. à palilibus, *Cæsar* qua die de *Africa* triumphavit, *Jubæ* filium adhuc infantem inter captivos duxit. *Plutarchus* hæc scribit in Cæsare: *Jubæ filius Juba quoque nomine*, *infans admodum in eo deductus est triumpho*; *fortunatissimam utique captivitatem*, *qua effectum est*, *ut ex barbaro scilicet & Numida* (non dicit Mauro) *inter doctissimos scriptores connumeretur.* Etenim ab *Augusto Romæ* educatus, tantos in literis progressus fecit, ut à Plinio *lib.* V. *cap* 1. dicatur *studiorum*
E *claritate memorabilior etiam quam regno.* Idem postea *Augustus Cleopatram M. Antonii* Triumviri ac *Cleopatræ* reginæ *Ægypti* filiam eidem *Jubæ* uxorem dedit, ac ex Dione *lib.* LIII. A. V. 729. *pro paterno regno*, *Getuliæ quasdam partes*, *quoniam pleræque ad morem Romanum compositæ erant*, *& Bocchi Bogudisque ditiones dedit.* Etenim cum *Julius Cæsar Numidiam* paternum regnum *Jubæ* in provinciæ formam, ut dixi, redegisset, utramque juniori *Jubæ Mauritaniam*, nempe *Tingitanam* ac *Cæsariensem* pro *Numidia* donavit, quæ jam ante viginti annos à *Romanis* magistratibus regebatur. Strabo *lib.* XVII. *pag.* 570. ait: *Non diu ante*
F *nostra tempora Bogud ac Bocchus reges*, *Romanorum amici*, *Mauritaniam tenuerunt*, *quibus mortuis*, *Juba successit*, *cum Cæsar Augustus ad paternum regnum hoc etiam illi adjecisset.* Id tamen non de *Numidia*, sed de parte tantum *Getuliæ* intelligendum est. Interim etiam ex *Strabone* colligitur, neutram *Mauritaniam* ad *Jubæ* patrem spectasse, sed ejus partem *Bogudi*, partem *Boccho* subjectam fuisse. Idem *Strabo* in eadem pagina *Numidiam* describens ait: *Post Syphacem Massinissa obtinuit*

regionem, dein Micipsa, postea ejus successores, nostra tempestate Juba Jubæ pater nuper mortui. Igitur *Juba* pater erat rex *Numidiæ*. At *Numidiam* non fuisse donatam *Jubæ* filio idem *Strabo* testatur pagina sequenti 571. scribens: *Inter Cæsaream atque Tritum est magnus portus, quem Sardam vocant; atque hæc sunt confinia Jubæ & Romanorum ditionis. Numidia* autem est supra Tritum promontorium usque ad *Tuscam*, & extra jurisdictionem *Jubæ*, ab *Africæ* proconsule regebatur. *Livia* uxor *Caji Cæsaris* nata erat ex *Antonia Antonii* Triumviri ac *Octaviæ Augusti* sororis filia; quare *Cleopatra* ejusdem *Antonii*, & *Cleopatræ* reginæ filia, & regis
237 utriusque *Mauritaniæ* uxor, erat amita uxoris *Caji Cæsaris*, ad quem *Juba* libros scripsit de expeditione *Arabica*. Josephus *lib.* XVII. *Antiq. cap.* 15. & *lib.* II. *de bello Jud. cap.* 6. alteram *Jubæ* regis uxorem *Cleopatræ* superinducit *Glaphyram Archelai* regis *Cappadociæ* filiam, quam scribit antea fuisse nuptam *Alexandro* filio *Herodis* regis, cuique filios pepererat: *quo*, inquit, *à patre Herode occiso, iterum nupsit Jubæ regi Mauritaniæ, hoc quoque defuncto, viduam apud patrem agentem in Cappadocia, duxit Archelaus*, qui fuit filius *Herodis*, ac frater *Alexandri* prioris mariti *Glaphyræ*. Miror *Salianum* perpetuum *Josephi* hostem nullam de toties iteratis nuptiis *Glaphyræ* litem eidem intentasse, cum tamen *Josephus* dubio procul ea in historia errorem admiserit. Dio *lib.* LV. ad A. V. 759. narrata relegatione *Archelai* Ethnarchæ *Judæorum*, addit: *Getuli inique ferentes Jubam regem, non Romanos sibi præesse, contra eum insurgentes, finitima vastarunt &c.* Legit sanè ista Salianus; hinc *tom.* 6. *ad A. Mundi* 4059. scribit: *Videtur Jubas in eo prœlio, quo Getuli superiores fuerunt, occidisse*, quod *Josephus* scribat *Glaphyram Jubæ* uxorem, mortuo viro, ab *Archelao* uxorem ductam. Ita hic homo erranti *Josepho* adhæret, qui eidem vera scribenti, tantis sæpe clamoribus adversatur. Sed profectò tum *Josephum*, tum illimet fidem præstantem *Salianum* errasse *Strabo* omni exceptione major testis ostendit. Is qui *Juba* regnante floruit, in fine *lib.* VI. ait: *Nunc Mauritaniam, aliasque multas Africæ partes Juba obtinet, ob studium in Romanos & amicitiam hoc consecutus.* Et in eadem pagina laudato *Augusto* jam demortuo, addit: *Et nunc præstat filius ejus, & successor Tiberius pro norma administrationis & edictorum, exemplo patris sui utens, sicut & ipsum imitantur patris administri filii Germanicus ac Drusus.* Idem vero superius *lib.* IV. *pag.* 142. scribit *Rhætos* ac *Vindelicos* à *Tiberio* ac *Druso* una ætate domitos. *Et jam*, inquit, *annus agitur tertius supra tricesimum, ex quo quiescentes tributum legitime persolvunt*, Dio *lib.* LIV. ait *Rhætos* subactos fuisse A.V.739. Horatius *lib.* IV. *Ode* 14. cantans *Tiberii* ac *Drusi* de *Rhætis* victorias, annum eleganter designans, hisce *Augustum* alloquitur:

Te copias, te consilium, & tuos
Præbente Divos: nam tibi quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam:
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque & optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.

Baronius in *Apparatu num.* 103. scribit numerari ibi à poeta tempus à nece *Cæsaris* Dictatoris A. V. 710. ad captam *Alexandriam* A. V. 724. Verum tria illa lustra ab occupata *Alexandria Horatio* numerantur, dum tertio postea lustro insignem *Augusto* victoriam *Neronum* virtute partam testatur. *Augustus* A. V. 724. *Alexandriam* victor occupavit, & quidem mense Sextili ex Orosio *lib.* VI. *cap.* 19. & Macrobio *lib.* I. *Satur. cap.* 12. ex S.C.

A quod ibi recitat. Victoriam de *Rhætis* obtinuit eadem die tribus lustris exactis, nempe A. V. 739. ut plane *Dio* testabatur. Adde annum inchoatum ex *Strabone* tertium supra tricesimum, eris ad A. V. 771. quo quidem anno *Strabo* geographicos libros exarabat, eodemque *Juba* rex *Mauritaniæ* vivebat. Et quidem post mortem *Augusti*, imperante *Tiberio*, ac *Germanico* etiamnum superstite, ait: *NUNC Mauritaniam Juba OBTINET.* Rursus *lib.* XIII. *pag.* 383. de *Artaxia Polemonis* regis *Ponti* ac *Pythodoridis* filio, ait: *Recens majoris Armeniæ rex creatus est.* Tacitus vero *lib.* II. *An.* ad consulatum tertium *Tiberii* Cæsaris V. C.
B 771. scribit *Artaxiam* à *Germanico Armeniis* regem impositum. Verum idem Strabo *lib.* XVII. *pag.* 570. ait: *Jubæ nuper vita functo, successit in regno Ptolomæus Antonii & Cleopatræ filia natus*; & antea ibidem nominatus eidem fuerat *Juba Jubæ pater NUPER mortui.* Quare *Juba* mortuus est circa A. V. 772. regni tertio fere ac quadragesimo. Itaque erravit *Josephus* scribens *Glaphyram* uxorem *Jubæ*, viro mortuo, nuptias cum *Archelao* celebrasse, quem scimus A. V. 759. ab *Augusto Viennam* relegatum. Si tamen reapse *Glaphyra* nupta fuit *Jubæ*, dicendus est eidem *Juba* repudium dedisse, ac reversam ad patrem in *Cap-*
C *padociam*, iterum *Archelao* Ethnarchæ *Judæorum* nupsisse. Num vero *Juba* post *Cleopatræ* uxoris mortem *Glaphyram* duxerit, vel eandem pariter cum *Cleopatra* uxorem habuerit, non ausim affirmare. Hoc scio *Jubam Jubæ* patrem plures conjuges una simul habuisse, teste Hirtio *de bello Africano.* Hæc de *Juba* libuit inserere tum occasione librorum, quos de expeditione *Arabica* ad *Cajum Cæsarem* scripsit; tum etiam quia uxorem habebat uxoris *Caji Cæsaris* amitam.

Prænotabam *cap.* 9. quoties *Parthi* bellum adversus *Romanos* suscipiebant, *Arabes* sua cum iisdem semper arma sociasse, non tam quod ea gens
D erat *Parthis* finitima, verum etiam quod à *Romanis*, qui cum exercitu *Syriam* tenebant, vetabantur excursiones in provincias totius Orientis opulentissimas facere. Hinc cum hoc bello *Parthico*, contra *Romanos* arma movissent, vel intestinis forte seditionibus agitarentur, *Cajus Cæsar* primam contra eosdem expeditionem fecit, præsertim cum ingenti invisendæ *Arabiæ* cupiditate teneretur. Plinius *lib.* VI. *cap.* 28. ait: *Romana arma solus in eam terram adhuc intulit Ælius Gallus ex equestri ordine; nam Cajus Cæsar Augusti filius prospexit tantum Arabiam.* Porro constat *Plinium* ibidem loqui de *Arabia Felice*, eam enim ibidem descri-
E bit, ac *Ælius Gallus* eandem antea cum exercitu penetraverat; cum tamen in *Arabiam*, quam *Petræam* vocant, *Scaurus Pompeji* quæstor, ac dein *Gabinius* proconsul *Syriæ* legiones duxerint, ac magnam ejusdem partem *Gabinius* depopulatus fuerit. Ex iisdem *Plinii* verbis infero *Cajo* advenienti statim *Arabes* paruisse, ac *Cæsarem* nullam inde bellicam laudem, sed visæ à se tantum *Arabiæ* voluptatem tulisse. *Cajum* vero, vel eos certe qui erant in ejus comitatu, profectos ad *Arabicum* sinum idem Plinius indicat *libro* II. *cap.* 67. ubi de eodem sinu loquens ait: *In quo res gerente*
F *C. Cæsare Augusti filio, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis feruntur agnita.* Eo usque per totius *Africæ* gyrum disjectarum navium fragmenta Oceani furor ejecerat. Ex *Arabia* in *Ægyptum Cajum Cæsarem* rediisse auctor est Orosius *lib.* VII. *cap.* 3. scribens: *Cajum nepotem suum Cæsar Augustus ad ordinandas Ægypti Syriæque provincias misit, qui præteriens ab Ægypto fines Palæstinæ apud Hierosolymam in templo Dei tunc sancto & celebri adorare contempsit, sicut Suetonius Tranquillus refert.* Scribit Tacitus *lib.* II. *Germanicum* quamvis proconsulari im-

imperio in omnes provincias mari ab *Italia* divisas
239 insignitum, à *Tiberio* acerrime increpitum, *quod contra instituta Augusti, non sponte Principis, Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis arcana vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum.* Quare *Cajus* permittente *Augusto*, *Ægyptum* intravit, præsertim cum res in *Arabia*, quæ *Ægypto* adjacet, sibi agendæ essent. *Cajum* vero per *Palæstinam* in *Syriam* iter fecisse testatur in *Augusto* Suetonius *cap.* 93. *Cajum*, inquit, *nepotem, quod Judæam prætervehens, apud Hierosolymam non supplicasset, collaudavit*; *Augustus* enim peregrinas cæremonias contemptui habuit. At *Cajus* eo facto neutiquam optimi patris sui *M. Agrippæ* exemplum secutus est. Etenim *Agrippa* rex *Judææ* in literis ad *Caligulam* Imperatorem apud *Philonem* in libro de legatione ad *Cajum*, scribit: *M. Agrippa avus tuus maternus, Judæam Herode rege avo meo regnante, adiit, nec gravatus est à mari metropolim mediterraneam ascendere, cumque spectasset templum, & decoros ritus sacerdotum, puritatemque civium, delectatus est spectaculo ut mirifico atque ineffabili.* Et postea: *Ergo quandiu hæsit ibi in Herodis gratiam, accedebat id quotidie, oblectans animum contemplatione sacri apparatus, & sacrificiorum ordine, verendæque majestatis in summo sacerdote sacrato cultu ornato, ceterisque præsidente.* Josephus vero *lib.* XVI. *cap.* 2. ait: Agrippam *Deo hecatombe immolata, populo epulum præbuisse.* Augustus semel A. V. 724. ac iterum post decennium in *Syriam* venerat, ac licet numquam *Hierosolymam* accesserit, templum tamen magno honore affecit; nam teste eodem rege Agrippa: *Augustus jussit è suis ipsius redditibus offerri quotidie victimas rite in holocaustum altissimo Deo, quæ hodieque offeruntur: videlicet taurus, & agni duo, quas Cæsar altari destinavit; quamvis sciret ibi nullum simulacrum esse vel in occulto, vel in propatulo.* Ibidem etiam de uxore *Augusti*, *Caji Cæsaris* noverca ait: *Hoc magistro pietatis usa proavia tua Julia Augusta ornavit templum hoc aureis phialis, & calicibus, aliisque donariis plurimis & pretiosissimis.* Idem vero *Orosius* notat *Augustum*, quod *Cajum Hierosolymitani* templi cultum omittentem laudasset, anno imperii quadragesimo octavo à Deo punitum. *Roma* tam dira fame vexata, ut *Augustus* lanistarum familias, omnesque peregrinos, servorumque maximas copias urbe pelli jusserit: *Ita peccante*, inquit, *Principe in sanctum Dei, & correpto per famem populo, quantitatem offensionis qualitas ultionis ostendit.* Hæc tamen fames, quam describit Dio *lib.* LV. contigit A. V. 759. post sexennium ab adventu *Caji Cæsaris* in *Judæam*, ipso ejusdemque *Lucio* fratre extinctis. Hinc magis libet judicia irati Numinis, queis supplicia mortalibus irrogat, expavescere, quam eorundem caussas cum *Orosio* divinare.

Ex his plurium scriptorum anachronismi de expeditione *Caji* in Orientem refelluntur. Unius tantum *Saliani* errores subinde notabo, ut ceteri intelligant quanti is homo faciendus sit, ubi *Josephum* celeberrimum historicum passim jure injuria mille errorum reum peragere non dubitat. Igitur Salianus *tomo* 6. *ad annum Mundi* 4052. V. C. juxta *Varronem* 752. *Augusto* XIII. *M. Plautio Silvano* Coss. *num.* 5. scribit *Cajum* in Orientem cum *Quirino* profectum, ejusque matrem *Juliam* relegatam. Numero vero II. ait: *Hanc porro nequissimæ mulieris relegationem priorem fuisse profectione Caji in Orientem, aut Lucii in Hispa-*
240 *niam, auctor est Vellejus, cum ait post breve tempus ab hoc exilio, Cajum missum in Syriam.* Addit *num.* 14. *Cajum* in *Syria* cum *Parthi* regis filio colloquutum, pacemque cum *Parthis* factam,

A ac denique *Cajum Hierosolymam* prætervectum. Eodem vero anno desinente natum esse Christum Dominum. Omitto plurima alibi confutanda. Certum est ex fastis consularibus *Augustum* postremis imperii annis bina tantum collegia consulum designasse, ita ut semestrem magistratum ut plurimum gererent. Auctor est *Vellejus Juliæ* filiæ adulteria *Augusto* innotuisse, ipsomet decimum tertium ac *L. Caninio Gallo* consulibus; nempe A. V. 752. post Kalendas Julias; nam ad exitum usque Junii collegam habebat *Plautium Silvanum*, non *Silanum*, uti perperam *Ricciolius* scripsit. Cum vero plures Senatorii ac equestris ordinis vi-
B ri adulteriorum rei delati fuerint, vix intra mensem causa cognosci potuit; quare *Cajus*, auctore *Saliano*, inito Augusto *Roma* discessit, *Græciam* invisit, in *Asiam* transmisit, *Arabiæ Felicis* res composuit, in *Ægyptum* descendit, inde *Palæstinam* ac *Phœniciam* prætervectus, in *Syriam* venit, tum in *Parthos* exercitum duxit, ad *Euphratem* perrexit, ac pacem cum *Parthis* fecit. Næ quatuor mensium spatio *Cæsar Augusti* filius tanta terrarum spatia peragravit, cum regio plane comitatu, cum exercitu, cum lixis, calonibus, ac ceteris copiarum impedimentis? Vix puto tabellarium tam cito tantum itineris confecturum.
C Sane *Cajus* videtur cum *Palladio* comparandus, de quo extat integrum caput in *lib.* VII. Socratis cum titulo: *De Palladio cursore & ejus celeritate.* Certum est ex *Vellejo* ac tabula *Pisana Lucium Cæsarem* obiisse A. V. 755. quod etiam concedit *Salianus* ad A. M. 4057. *num.* 1. At Seneca *cap.* 34. *de consolatione ad Polybium* hæc *Claudium* Imperatorem dicentem producit: *Cajus Cæsar Divi Augusti avunculi mei nepos circa primos juventutis suæ annos Lucium fratrem carissimum sibi, princeps juventutis principem juventutis amisit, in apparatu Parthici belli.* Verum *Salianus* ante triennium bellum *Parthicum* subita pace compositum scri-
D bit. Si hoc insigne *Senecæ* testimonium, si tot *Plinii* loca, in quibus *Arabicæ* expeditionis à *Cajo* susceptæ meminit, non adnotavit, cur quem in manibus ac oculis habebat, *Vellejum Paterculum* non observavit, qui narrato *Juliæ* exilio, ait: *Breve ab hoc intercesserat spatium* (utinam illud designasset?) *cum Cajus Cæsar ante aliis provinciis ad sedandum obitis, in Syriam missus, convento prius Tiberio Nerone &c.* Nonne diserte testatur *Cajum* alias provincias obivisse, ut exortos ibidem tumultus componeret, antequam in *Syriam* veniret? Nempe fuerat ante in *Arabia* & *Ægypto*,
E quod alii prodidere. *Salianus Cajum* ex Urbe cito citius ripam ad *Euphratis* trahit, ut statim bello *Parthico* finem imponat.

Cum *Cajus* in *Syriam* venisset, omnium regum, qui erant socii & amici Populi *Romani*, legationes ac munera suscepit, singulis eorum certantibus in *Augusti* filio colendo. Omnium tamen studia vicit *Archelaus* Rex *Cappadocum* aliarumque regionum, quas superiori capite descripsi. Hæc tamen erga *Cajum* officia *Archelao* post *Augusti* mortem exitio fuere. Nam *Tiberius* eidem, inquit Dio *lib.* LVII. infensus, quod *Rho-*
F *di se neglexisset, & Cajum in Asiam venientem officiose coluisset, insimulatum quasi novis rebus studeret, evocavit Romam, ac Senatus judicio tradidit, hominem non senectute modo extrema, sed vehementi etiam podagra confectum.* Tacitus vero eadem de re scribit: *Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset, nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis* 241
Augusti monitus, quia florente Cajo Cæsare, missoque ad res Orientis, intuta Tiberii amicitia credebatur. Nihil tamen durius contra *Archelaum* Senatus

natus decrevit, quod illum alienata mente, ac plane delirantem eſſe exiſtimaverint; talem enim ſemet fingebat, quo præſentiſſimum diſcrimen evaderet. Verum paulo poſt, ut ait Tacitus, *angore, ſimul ſenio feſſus, & quia regibus æqua, nedum infima inſolita ſunt, finem vitæ ſponte, an fato implevit*. Id contigit A. V. 770. Quare *Archelaus* alterum ſupra quinquageſimum annum regnavit, cum A.V. 718. Rex *Cappadociæ* ab *Antonio* creatus fuerit, uti ex *Dione* capite proximo prænotavi. *Tacitus* rotundo numero more ſcriptoribus frequentato, uſus eſt. Et quidem *Tiberius* eo acriùs odium contra *Archelaum* intendit, quod eundem à ſubditis accuſatum, apud *Auguſtum* defenderat, ac quod regiam in maritima *Cilicia* apud *Eleuſam* haberet, quæ *Rhodo*, ubi *Tiberius* degebat, brevi ſexdecim M.P. navigatione diſtabat. Ita *Tiberius Cappadociam Romanis* provinciis adjunxit. *Vellejus* magnus ille imperantis *Tiberii* aſſentator *lib.* II. ait *de Tiberio: Auctoritate Cappadociam populo Romano fecit ſtipendiariam.* At verius *Archelaus Tacito* dicitur *exceptus immiti à principe*, ut non auctoritate, ſed plane crudelitate uſus, *Cappadociæ* regnum provinciam fecerit. Hinc patet erraſſe *Appianum* in Mithridaticis *pag.* 244. ubi ait regnum *Cappadociæ* imperante Cæſare *Auguſto* in provinciæ formam redactum. Quæ fuerint aliorum Regum ac Dynaſtarum erga Cæſarem officia, oblata ab ipſis *M. Lollio* munera ſatis aperte declarant. Is, uti ſuperius mihi narratum eſt, *Caji Cæſaris* juventæ moderator ab *Auguſto* impoſitus, optimam à regibus *Aſiæ* divitias extorquendi occaſionem nactus, pecuniam, gemmas, ac pretioſa quæque eiſdem per ſummam avaritiam corraſit; & illi quidem, quo maximæ apud *Cajum* auctoritatis ac potentiæ virum ſibi ipſis amicum aut facerent, aut ſervarent, regias pene gazas in unius *Lollii* ſinum larga, licet invita, manu profundebant. Ex mundo tantum muliebri *Lolliæ Paullinæ* neptis *M. Lollii* ingentes toto Oriente exercitas eidem rapinas demonſtrat Plinius *lib.* IX *cap.* 35. ſcribens: *Hoc fuit quare M. Lollius infamatus Regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Cajo Cæſare Auguſti filio, venenum biberet, ut neptis ejus quadringentis H-S. operta ſpectaretur ad lucernas.* Valebat ille ornatus millionem ſcutatorum *Romanæ* monetæ. Eodem vero indutam *Paullinam* in mediocrium ſponſalium cœna, ſmaragdis margaritiſque opertam alterno textu fulgentibus, idem *Plinius* oculatus teſtis affirmat. Hæc eſt *Lollia Paullina M. Lollii M. F.* conſularis viri ac ſororis *L. Voluſii* filia, quam *C. Memmio* nuptam *Caligula* ſibi junxit, ac brevi dimiſit, quæ quod de *Claudii* Imperatoris matrimonio cum *Agrippina* certaſſet, ab eadem per delatores veluti à Chaldæis ac Magis conſulta petiiſſet, accuſata, bonis publicatis, juſſa eſt *Italia* cedere, ex Tacito *lib.* XII. ubi addit: *Ita quinquagies ſeſtertium ex opibus immenſis exuli relictum*; nempe centum ac viginti quinque ſcutatorum millia. Male à *M. Lollio* in Oriente parta, male *Lolliæ* nepti *Romæ* delapſa ſunt. At vis *Agrippinæ* citra ultima non ſtetit, ſed miſſo centurione, ſuæ nuper æmulæ vitam abſtulit. Hunc exitum habuere *opes immenſæ* ab *Aſiæ* regibus per deteſtandam rapacitatem à *Lollio* collectæ, quæ tamen ipſum *Lollium*, teſte *Plinio*, antea perdiderant, qua de re iterum ſermo redibit.

CAP. XIII.

242 Cajus Cæſar *in* Syria *conſulatum init. Præpoſterum ea de re* Saliani *judicium.* Baronius *conſulatum* Caji *inficiatur: at ex* Piſano *Cenotaphio aliiſque vetuſtis monumentis probatur.* Auguſtus *conſul XIV. pro* Cajo *perperam fingitur. Error indicis conſularis apud* Dionem Xilandro *à* Mureto *falſo affricatur. Tredecim tantum* Auguſti *conſulatus demonſtrati.* Lucius Æmilius Paullus Caji *in conſulatu collega. Idem maritus* Juliæ Caji *ac* Lucii Cæſarum *ſororis. Ejuſdem genealogia vitioſe à* Glandorpio *digeſta, è vetuſtis inſcriptionibus recte contexitur.* Ciceronis *dictum in dubium ab eodem per errorem vocatur. Infelix exitus* L. Æmilii *ac* Juliæ *recenſetur.* Auguſti *epiſtola ad* Cajum *de exacto ſibi anno Clymacterico.* Cajus Cæſar Parthorum *fines irrumpit.* Virgilii *carmina de* Auguſto, *à* Triſtano *de* Cajo *falſo intellecta.* Phraates REGIS REGUM *titulum in literis ad* Auguſtum *inſcribit.*

Annum Urbis 754. *Cajus Cæſar Auguſti* filius conſulatum in *Syria* iniens, in faſtis deſignavit, collega *L. Æmilio Paullo.* Cum antea ab *Auguſto* deſignatus fuerit conſul, ea tamen lege, uti in tabulis Ancyranis legitur, *ut eum magiſtratum iniret poſt quinquennium ex eo die quo deductus in forum*, idemque Kal. Januariis ab *Auguſto* conſulatum XII. A.V. 749. auſpicante, in forum deductus, togam virilem ſumpſerit, exacto quinquennio, Kal. Januariis A.V. 754. conſulatum capeſſivit. *Salianus* ad A.M 4053. *num.* 3. ait: *Cajus in Italiam reverſionem parabat, ut ſequenti anno gereret conſulatum.* Quaſi in Oriente nollet conſulatum auſpicari, cum tamen *Auguſtus* conſulatus *nec omnes Romæ, ſed quartum conſulatum in Aſia, quintum in inſula Samo, octavum ac nonum Tarracone inierit*, ex Suetonio *cap.* 26. Cur omiſſo bello, ad quod miſſus fuerat, quodve feliciter hoc anno geſſit, *Romam* ad capeſſendum conſulatum rediiſſet? *Salianus* in eo errore verſatur, quod bellum *Parthicum* ſubita pace, citra cruorem finitum putavit, cum tamen poſt biennium à *Saliana* pace, hoc eſt, hoc anno tantum incœperit, quo *Cæſar* conſulatum adminiſtravit. Unus *Baronius Cajo Cæſari* conſulatum abrogat. Scripſerat vir eruditiſſimus in *apparatu num.* 86. *Anno ab V.C.* 748. *Præficitur Syriæ totique Orienti Cajus Cæſar Auguſti filius adoptivus: quo defuncto, nullus alius ſubrogatus reperitur, niſi qui ab Evangeliſta recenſetur, idem qui ſupra Quirinus.* Addit *Quirino Syriæ* præſide A.V. 751. exeunte, *Cornelio Lentulo* & *Valerio Meſſallino* Coſſ. Chriſtum natum fuiſſe. Idem vero initio fere Annalium ad Auguſtei imperii annum 44. ſcripſit: *Anno Chriſti tertio Cajus Cæſar & L. Æmilius Paulus conſulatum geſſerunt.* Ita *Cajum* conſulem facit, quem tamen ante triennium vita defunctum pronunciaverat. Hunc tamen errorem correxit in additionibus in calce tomi decimi, quæ in poſterioribus editionibus ad annum Chriſti tertium leguntur. Hanc vero excuſationem adducit, ut *Panvinium* accuſet: *Ita*, inquit, *faſti conſulares Onuphrii, quem nos ſequentes, ſero licet, erraſſe cum ipſo ſenſimus ex Dione, qui hoc anno non Cajum conſulem, ſed Auguſtum XIV, ponit cum Paulo Æmilio collega.* Verum optime meus *Onuphrius*, jure ac merito à Lipſio *Faſtorum pater* appellatus, annum V. 754. *Caji Cæſaris* conſulatu ſignavit, quem tum numi, tum lapides antiquitus inſcripti, locupletiſſime produnt, ut mirum ſit virum doctiſſimum mendoſo *Dionis* codici ea in re fidem præſtitiſſe. Hæc in *Piſano* lapide de *Cajo* leguntur:

POST. CONSVLATVM. QVEM. VL-
TRA. FINIS. EXTREMAS. POPV-
LI. ROMANI. BELLVM. GERENS.
FELICITER. PEREGERAT

Igitur non ſolum *Cajus* iniit conſulatum, ſed illum etiam, re bello feliciter geſta, peregit. *Panvinius* hoc ipſum evidenter oſtenderat ex inſcriptione quam adducit *lib.* II. *faſtorum* ad A. V. 754. quæ

quæ etiamnum visitur *Arimini* in foro, eamque, ut ibidem sculpta est, exhibeo.

C. CAESAR
AVGVST. F
COS
VIAS. OMNES
ARIMINI. STERN

Idem noster civis eruditissimus ad A. V. 748. & 751. plures inscriptiones nummorum ac lapidum recitaverat, in quibus *Cajus Cæsar* CONSUL DESIGNATUS nuncupatur. Quæ quamvis *Baronius* legisset, haud scribere dubitavit *petitum quidem fuisse à Cajo consulatum, sed ab Augusto negatum.* At ita id temporis *Augustus* consulatum negavit, ut illum tamen in annum postea quintum tunc consulem designaverit. Extat inscriptio lapidis apud Pighium *tom.* 3. *Annal.* ad A. V. 753. & Gruterum *pag.* 1075. 2.

C. CAESARE. AVG. FIL
. . PAVLLO. COS
LARES. AVGVSTOS
Q. NVMISIVS. Q. L. LEGIO
L. SAFINIVS. L. L. HILARVS
SADALIS. C. MODI. CIMBERI. SER
AESCHINIVS. M. OCTAVI. SER
MAGISTER. DE. SVO. F. C

Ejusdem *Caji Cæsaris* consulatus in rariori numismate obsignatur, cujus ad me ectypum Illustrissimus vir *Franciscus Biragus Mediolanensis* nummariæ antiquitatis peritissimus, ac aucti & illustrati *Occonis* editione, quam adornat, seris posteris commendandus, transmisit. In hujus nu-
244 mismatis parte antica visitur caput *Augusti* sine laurea cum epigraphe: AUGUSTUS PONT. MAX. posticæ vero iconem produco, ubi *Cajus* diserte CONSUL appellatur.

Vide Tab. IV. Fig. 7 Pag. 96.

In indice consulari Dionis qui *lib.* LV. præfigitur, legimus: Γ. Καίσαρ Ἀυγουστος τῶ ιδ. *C. Cæsar Augustus XIIII.* Muretus *in notis ad lib.* I. Taciti ait in codice *Dionis* scriptum fuisse Γ. Ἀυγούστου υἱὸς. *Cajus Augusti filius*; at *Xilandrum Dionis* interpretem, corrupto textu auctoris, pro *Cajo Augustum* consulem XIIII. perperam posuisse. At falso id vitio interpreti datur; nam in vetustissimo codice Mediceo ad *D. Laurentii* in pluteo LXX. legitur: Γ. Καίσαρ Ἀυγουστος τῶ ιδ. Suetonius in *Augusto cap.* 26. tredecim tantum ejusdem consulatus numerat. Statius etiam *lib.* IV. Sylvarum ubi septemdecim consulatus Domitiani laudat, ait:

Ter Latio deciesque tulit labentibus annis
Augustus fasces.

Et antiquior Suetonio Tacitus *lib.* I. *Annalium* recensens varios sermones, qui sub obitum *Augusti*, de eodem in ore vulgi erant, ait: *Numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvinum & C. Marium simul æquaverat.* Cicero autem in *dialogo de senectute* scribit *M. Valerium Corvinum* ad centesimum usque annum vitam perduxisse; *cujus*, addit, *inter primum & sextum consulatum octo & quadraginta anni interfuerunt.* Quæ verba exscripsit Plinius *lib.* VII. *cap.* 48. Septem vero *C. Marii* consulatus notissimi sunt. Cicero in *Planciana num.* 42. meminit *C. Marii qui duabus ædilitatis receptis repulsis, septies consul est factus.* Plutarchus in *Mario* laudans sex *Valerii Corvini* consulatus, septem etiam *Marii* numerat, quamvis ut recte dixit Vellejus *lib.* II. *cap.* 23. *septimum Marius in priorum dedecus iniit.* Nam eo in magistratu viros consulares & triumphales per dete-

A standam sævitiam interfecit; unde ait Florus *lib.* III. *cap.* 21. *Hæc tot Senatus funera intra Kalendas & Idus Januarii mensis, septima illa Marii purpura dedit.* Ausonius in panegyri ad *Gratianum* omnes horum consulatus commemorans, ait: *Ego autem jam consul & senex (adhuc aviditatem meam jam fatebor) te videre sæpius in hoc magistratu, Gratiane, desidero, ut & sex Valerii Corvini, & septem C. Marii, & cognominis tui Augusti tredecim consulatus unus æquipares.* Itaque fictitius plane est ille decimus quartus *Augusti* consulatus. Nummi *Augusti*, ac inscriptiones eidem dicatæ, hoc palam ostendunt, etiamsi omnes
B ea de re scriptores siluissent. Nummos exhibent *Occo*, ac *Goltzius*; lapidum vero elogia Gruterus 245
pag. 187. 11. 12. 199. 2. 226. 8. 1082. 2. insignem vero inscriptionem pontis *Ariminensis* centies mihi visam, producam *cap.* 15. eamque correctam, cum apud *Gruterum*, *Sigonium*, ac *Goltzium* perperam exscripta legatur.

Cajus Cæsar consul A. V. 754. collegam habuit *L. Æmilium Paullum*, cui cum nupta fuerit *Julia* ejusdem *Caji* soror, ob hanc cum nostro *Cæsare* affinitatem, quædam de eodem subjiciam. Suetonius in *Augusto cap.* 64. ait *Juliam F. Agrippæ* ac *Juliæ Augusti* filiæ, nostrorum *Cæsarem* soro-
C rem, nuptam fuisse *L. Paullo censoris filio.* Igitur pater *L. Paulli* collegæ *Caji* in consulatu fuit *L. Æmilius Paullus* consul A. V. 704. Hunc antea adversarium, *Julius Cæsar* datis mille ac quingentis talentis defensorem sibi emit, ex Suetonio *cap.* 29. & Appiano *lib.* II. *bel. civ. pag.* 443. Valet ea summa nongenta millia scutatorum *Romanæ* monetæ. Addit Appianus *L. Paullum* ex ea pecunia dedicasse *basilicam quæ hodieque Paulli dicitur, opus inter urbana pulcherrimum.* At Cicero *lib.* IV. *ad Atticum epist.* 15. scribit: *Paullus in medio foro basilicam jam pene texerit iisdem antiquis columnis.* Data est ea epistola A. V. 700. cum
D *Scaurus*, *Domitius*, *Messalla*, aliique suffragia certatim pro consulatu corrogabant; ex quibus eam basilicam à *Paullo* sua pecunia perfectam constat; quam tamen accepta à *Cæsare* pecunia, magnificentius ornatam, solemni postea pompa dedicavit. Hujus frater erat *M. Æmilius Lepidus* magnus ille *Cæsaris* amicus, ac postea Triumvir, quo in magistratu (tyrannidem rectius dixerim) *L. Æmilium Paullum* fratrem proscripsit, ex Vellejo *lib.* II. quod *Lepidi frater Paullus hostis fuerat*, ut inquit Dio *lib.* XLVII. Narrat idem *Vellejus*, qua die *Lepidus* Triumvir, ac *L. Munatius Plancus* de Gallis triumpharunt, milites, quod
E ambo germanos fratres suos proscripserant, irrisionis gratia cantasse:

De Germanis, non de Gallis,
Duo triumphant consules.

Æmilius Paullus fidus semper in *Augusti* amicitia fuit, quamvis ab eodem Imperatore *M. Lepidus* frater Triumviratu abrogato, in ordinem redactus fuisset, ac *Lepidus* nepos ob intentatas Principi insidias interfectus. Anno V. 732. senex censuram egit collega *L. Munatio Planco*, ex Vellejo *lib.* II. & Dione *lib.* LIV. Uxorem habuit *Corneliam* filiam *P. Cornelii Scipionis* ac *Scriboniæ*,
F quam *Augusto* post susceptam *Juliam Caji* ac *Lucii Cæsarum* matrem, dato repudio, dimiserat, ut *Liviam* duceret. Itaque *Cornelia* uxor *L. Paulli* censoris erat amita nostrorum *Cæsarum Caji*, & *Lucii.* Extat elegans epicedium in obitu *Corneliæ Propertio* concinnatum in fine *libri* IV. Ubi *Cornelia* hæc fari fingitur.

Nec te dulce caput, mater Scribonia, læsi,

Et postea:

Te Lepide & te Paulle meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.

Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem,
Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia tu specimen censuræ nata paternæ,
Fac teneas unum nos imitata virum.

In his poëtæ versibus duo filii *Corneliæ* & *L. Æmilii Paulli* Censoris nominantur, nempe *M. Æmilius Lepidus* consul A. V. 759. qui in indice *lib.*
246 LV. *Dionis* recte dicitur: *M. Æmilius L. F. Lepidus*; & *L. Æmilius Paullus* Cæsaris collega A. V. 754. qui ibidem signatur: *L. Æmilius L. F. Paullus.* Hæc antea jam observarat *Glandorpius* in Onomastico, ubi tamen in *Æmiliorum Lepidorum* genealogia contexenda, perperam *Ciceronem* reprehendit, quod appellans in *philippica* 13. *Lepidum* eodem postea anno exeunte Triumvirum creatum, ait: *Hæc si cogitas, es M. Lepidus Pontifex Maximus, M. Lepidi Pontificis Max. pronepos*; quæ, inquit Glandorpius, *temporum ratio non videtur admittere*; *cum inter primum consulatum Lepidi senioris, ac consulatum Triumviri centum quadraginta unus anni intercedant.* Sed minus recte *Cicero* in reprehensionem vocatur, cum ipsi certe *Glandorpio* error obrepserit. Livius *lib.* XL. *Q. Fulvio L. Manlio* Coss. V. C. 577. *Censores*, inquit, *creati M. Æmilius Lepidus, & M. Fulvius Nobilior.* Et postea: *Princeps electus est ipse censor M. Æmilius Lepidus Pontifex Maximus.* Idem *lib.* XLI. A. V. 580. altero lustro eundem *Æmilium Lepidum* principem Senatus iterum electum scribit. Rursus *lib.* XLIII. A. V. 585. ait: *Senatum deinde censores legerunt: M. Æmilius Lepidus princeps ab tertiis jam censoribus lectus.* Denique in epitome *lib.* XLVIII. ait: *M. Æmilius Lepidus qui princeps Senatus sextis jam censoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filiis lecto se strato, sine linteis, sine purpura efferrent.* Ex his duo quæ ad institutum faciunt, inferuntur. Primum quidem *M. Æmilium Lepidum* Pontificem Maximum A. V. 600. Lustro LV. lectum fuisse principem Senatus à sextis Censoribus, cum à primis eam dignitatem accepisset A. V. 575 Lustro L. Illum vero obiisse anno 603. colligo ex Cicerone in *Catone Majori*, ubi in eo dialogo qui fingitur habitus *L. Quinctio Flaminio* ac *M. Acilio Balbo* Coss. V. C. 604. ait Cato: *Quem virum nuper P. Crassum Pont. Maximum, quem postea M. Lepidum eodem sacerdotio præditum vidimus?* Antea vero meminerat *P. Scipionis qui his paucis diebus Pontifex Maximus factus est.* Igitur *M. Lepidus* Pont. Max. *P. Scipionis* decessor obierat anno superiori V. C. 603. Præterea colligo *M. Lepidum* Pont. Max. plures filios superstites reliquisse, quorum unus fuit *Q. Lepidus*, cujus nullos adhuc magistratus legi. Hic filium habuit *M. Æmilium Lepidum*, qui collega *Q. Lutatio Catulo* A. V. 676. consulatum gerens, bellum civile conflavit, ex Floro *lib.* III. *cap.* 23. Plutarcho in *Sylla*, & Appiano *lib.* 1. *bel. civ. pag.* 418. Hic ex *Appuleja* suscepit *M. Æmilium Lepidum* Triumvirum, ac *L. Æmilium Paullum.* Glandorpius *pag.* 28. avum *Lepidi* Triumviri ponit *M. Lepidum* consulem A. V. 628. Quintum vero *Lepidum* ne quidem nominans; at hunc reapse fuisse avum Triumviri patet ex fastis triumphalibus Capitolinis, in quibus legitur *Lepidi* iterum Triumviri triumphus. Gruteri *pag.* 297. *col.* 3.

M. AIMILIVS. M. F. Q. N. LEPIDVS.
II. III. VIR. R. P. C. PRO. COS.
EX. HISPANIA PRIDIE. K . . .

In fastis etiam consularibus *pag.* 295. iisdem verbis idem consul describitur. *Goltzius* laudat nummum cum epigraphe. M. AIMIL. M. F. Q. N. LEPIDUS PRAEF. URB. Is urbanam præfecturam gessit A. V. 705. *Glandorpius*, quo *Ciceronis* dictum in dubium vocaret, à priori consulatu proavi *Lepidi* Pont. M. ad primum pronepotis Triumviri tempus deduxit; cum tamen ab altero proavi consulatu, quem cum *P. Mucio Scævola* gessit A. V. 579. ad consulatum ejusdem pronepotis Triumviri A. V. 703. intercedant anni centum ac viginti novem: ab obitu vero ejusdem usque ad Triumviri consulatum numerentur anni centum & quinque. Profecto cum *M. Æmilius* Pont. Max. decesserit A. V. 603. non video, cur *Lepidus* Triumvir ejusdem pronepos à *Cicerone* dici non potuerit, cum *M. Lepidus* Q. F. nepos *Lepidi* sexies Principis Senatus, ac pater *Lepidi* Triumviri in *Sardinia* obierit A. V. 677. cum anno superiori bellum civile excitasset. Ex his majores *L. Æmilii Paulli Caji Cæsaris* collegæ in consulatu, ac ejusdem cognati ob *Juliam* uxorem, colliguntur. Etenim patrem habuit *L. Æmilium Paullum* consulem ac censorem, avum *M. Lepidum* consulem A. V. 676. proavum *Q. Lepidum*, abavum denique *M. Æmilium Lepidum* bis consulem, censorem, Pontificem Max. ac sexies principem Senatus. *Paullus Æmilius* prima juventa *Cæsaris Octaviani* militiam in bello adversus *Sex. Pompejum* secutus est. Suetonius in *Augusto cap.* 16. cum dixisset *Augustum* bello *Siculo* apud *Rhegium* pedibus iter facientem, pene à *Pompejanis* navibus captum, ait: *Tunc etiam per devios tramites refugientem, servus Æmilii Paulli, comitis ejus, dolens proscriptum olim ab eo patrem Paullum, & quasi occasione ultionis oblata, interficere conatus est.* Id contigit A. V. 716. Hic postea consulatu ab *Augusto* ornatus, ac ob ductam in uxorem *Juliam Augusti* neptem ac *Cæsarum* nostrorum sororem, imperanti familiæ affinitate conjunctus, tot beneficiorum oblitus, contra *Augustum* conspiravit. *Suetonius* detectam ac compressam in *Augustum* conjurationem *Lucii Paulli progeneri sui* testatur in *vita ejusdem cap.* 19. & in *Claudio cap.* 26. cum dixisset à *Claudio* admodum adolescente uxorem ductam *Æmiliam Lepidam Augusti proneptem L. Paulli* ac *Juliæ* filiam, dein *Liviam Medullinam*, ait: *priorem, quod parentes ejus Augustum offenderant, virginem adhuc repudiavit.* Tacitus *lib.* IV. *Annal.* A. V. 781. *Junio Silano* & *Silio Nerva* Coss. scribit: *Per idem tempus Julia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii, damnaverat, projeceratque in insulam Trimetum haud procul Apulis litoribus. Illic viginti annis exilium toleravit, Augustæ ope substentata: quæ florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.* Igitur *Julia* in exilium deportata fuit A. V. 761. *Lucio* ac *Cajo Cæsaribus* jam demortuis. Num ejusdem maritus *L. Paullus* contra *Augustum* ante, vel post damnatam uxorem, conjuraverit, hactenus ignoravi. Hunc exitum habuit *L. Æmilius Paullus Caji Cæsaris* in consulatu collega, ejusque uxor ac nostrorum *Cæsarum* soror *Julia*.

Gellius *lib.* XV. *cap.* 7. fragmentum epistolæ *Augusti* ad *Cajum* recitat, quod exscriptum exhibeo. *Have*, inquit, *mi Cai, meus ocellus jucundissimus, quem semper medius fidius desidero, quum à me abes sed præcipue diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Cajum, quem ubicumque hoc die fuisti, spero lætum & valentem celebrasse quartum ac sexagesimum natalem meum. Nam, ut vides, κλιμακτῆρα communem seniorum omnium tertium & sexagesimum evasimus. Deos autem oro, ut quantum mihi superest temporis, id salvis vobis traducere liceat in statu Reipublicæ felicissimo &c.* Natus est *Augustus* IX. Kal. Octobris C. *Antonio* ac *M. Tullio Cicerone* Coss. V. C. 691. ex Suetonio *capite* 5. ac Vellejo *libro* II. In marmore etiam *Narbonensi* apud Gruterum *pag.* 229.

248 229. extat insignis inscriptio, in qua indicitur annuum sacrificium faciendum in honorem Imperatoris *Cæsaris Augusti*

VIIII. K. OCTOBR. QVA. DIE. EVM. SAECVLI. FELICITAS. ORBI. TERRARVM. RECTOREM. EDIDIT

Igitur A. V. 754. die 23. Septembris exacto anno LXIII. climacterico, sexagesimum quartum auspicatus, eas ad *Cajum* F. literas dedit, cum hic procul in Oriente bello *Parthico* distineretur. Utinam liber ille epistolarum *Augusti* ad *Cajum* superesset; plurima sane ad *Cæsaris* expeditionem spectantia ex eodem disceremus, quæ modo penitus ignorantur. Vellejus *libro* II. *de nostro Cæsare* scribit: *In Syriam missus, convento prius Tiberio Nerone, cui omnem honorem ut superiori habuit, tam varie se ibi gessit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat.* Ita, ne eo bello à *Cajo* gesta laudans, *Tiberium Caji* memoriæ infensum offenderet, cuncta præteriit, & ea mediocri laude digna immo paribus vitiis defœdata affirmavit. Una *Pisana* tabula res hoc anno à *Cajo Cæsare* feliciter peractas, brevi encomio ad posteros transmisit. Verba superius recitavi, nempe: *Post consulatum quem ultra finis extremas Populi Romani bellum gerens, feliciter peregerat.* Igitur hoc anno *Cajus* bellum in hostili gerens, consulatum feliciter administravit. Ex his colligimus *Cajum Cæsarem* superato *Euphrate*, qua *Syriam* à *Mesopotamia* disterminat, barbarorum ditionem invasisse. Ovidius *lib.* I. *de remedio Amoris*, cum dixisset ab Amore odio haberi homines occupatos, otiosos vero eidem acceptos esse, ait:

Sunt fora, sunt leges, sunt quos tuearis amici:
Vade per urbanæ splendida castra togæ.
Vel tu sanguinei juvenalia munera Martis
Suscipe; deliciæ jam tibi terga dabunt.
Ecce fugax Parthus, magni nova causa triumphi,
Jam videt in campis Cæsaris arma suis.
Vince Cupidineas pariter, Parthasque sagittas.
Et refer ad patrios bina trophæa Deos.

Certum est hosce libros scriptos à poëta post priores libellos de arte amandi, in quorum primo *Cajo* contra *Parthos* eunti, victoriam auguratur. Id patet ex initio *libri* hujus *primi de remedio Amoris*, ubi Cupidinem alloquens, canit:

Quin etiam docui, qua posses arte parari:
Et quæ nunc ratio est, impetus ante fuit.
Nec te, blande puer, nec nostras prodimus artes:
Nec nova præteritum musa retexit opus.

Hinc duos *libros de remedio Amoris* scripsit fervente bello *Parthico*, cum scribat *Parthos* jam videre suis in campis arma *Cæsaris Caji*, qui *extra finis extremas Populi R.* ipsum *Parthorum* regnum ingressus, bellum in hostili acrius urgebat. *Parthos* vero rem prœlio decernere detrectantes, intra munitiora oppida se continuisse, idem poëta videtur innuere scribens:

Tempora nec numera: nec crebro respice Romam;
Sed fuge; tutus adhuc Parthus ab hoste fuga est.

249 Scio *Parthorum* exemplo fugam quandoque utilem ibidem vulgo probari; sed quod *Ovidius* bellum *Parthicum* paullo ante nominaverat, eoque tutus adhuc *Parthus* fuga dicatur, satis probabiliter in eum sensum, quem indicavi, illud carmen trahi potest. *Tristanus* insignis alias nummorum veterum interpres, in priori *tomo pag.* 137. ubi de *Caji Cæsaris* numismatibus scribit, putat poetarum maximum *lib.* IV. *Georgicorum* in fine *Caji* ejusdem contra *Parthos* expeditionem laudasse, cum dixit:

—— Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Labitur vir eruditus; nam cum *Virgilius* obierit *C. Sentio* & *Q. Lucretio* Coss. V. C. 735. *Cajus Cæsar* primum tantum ætatis annum exegerat; qui igitur fieri potuit, ut *Maro* ejusdem contra *Parthos* gesta laudaverit? *Augustus* bis tantum *Asiam* perlustravit; A. V. 724. quo exercitus in *Ægyptum* contra *Antonium* duxit, & iterum A. 734. quo *Asiæ* provincias ac regna finitima socia & amica P. R. composuit. Testatur *Donatus* in vita *Virgilii*, eundem libros Georgicorum recitasse *Augusto* à bello Actiaco reverso, apud *Atellam* per quatriduum; cum ibidem virium resarciendarum causa, *Cæsar* substitisset, priusquam *Romam* se conferret. Igitur poeta opus illud complevit A. V. 724. cum *Cæsar* universam *Asiam*, quæ prius *Antonio* Triumviro parebat, in suam potestatem redigeret, ac legationes & munera ab *Asiæ* regibus, amicitiæ ineundæ gratia, reciperet. *Euphratem* vero nominat, qui *Romanum* imperium à barbarorum regnis in *Asia* disterminabat.

Interea *Phraates*, cum *Cajum* in *Syriam* cum ingentibus copiis advenisse intellexisset, literas *Romam* ad *Augustum* miserat, quibus eidem significabat semet *Armeniæ* manum adjecisse, ne civili bello ibidem excitato, *Parthorum* quies turbaretur: abs se autem adjutum copiis *Tigranem* regia è stirpe virum, quod *Armenii* regem ab *Augusto* datum *Artavasdem* throno ejecissent. *Augustus* rescripsit mota primum à *Parthis* arma in Oriente: Ipsum *Armenios*, qui impositum abs se regem expulissent, suppetiis allatis, rebellantes contra fœderum leges fovisse: Præsidia ubi ille ex *Armenia* revocasset, pacem ac amicitiam iterum renovaturum. Cum vero hasce literas *Augustus Phraati*, regis titulo omisso, inscripsisset, *adeo nihil territus est Phraates, ut rescribens superbe, sibi ipsi* Regis regum *titulo dato, Augustum tantum Cæsaris vocabulo affecerit*; ex Dione in fragmentis *libro*. LV. Quod plures minorum gentium reges *Partho* tributa pendebant, eum sibi titulum usurpabat. *Phraates* istius avus cum A. V. 689. ad *Pompejum* literas eo superbo titulo obsignatas, misisset, *Pompejus* Regum *vocabulo amputato, per literas ipsum* Regem *simpliciter appellavit: quod nominis Tigrani etiam præter morem Romanum tribuit, cum de eodem triumpharet.* Dio *libro*. XXXVII. Etenim *Tigranes* cum multos reges sibi ministrantes haberet, quorum alii equitante se juxta currerent, alii jus dicenti connexis invicem brachiis, circumstarent, ex Plutarcho in *Lucullo*, *Rex Regum* audiebat. Hinc ab eodem Plutarcho dicitur *iratus Lucullo, quod* regem, *tantum, non* regum regem *se in epistola salutasset, rescribens nec illum imperatorem voluit appellare. Romanorum* Principum primus *Vespasianus* eo titulo Regem *Parthorum* appellavit; nam cum hic literas ad eundem misisset, cum inscriptione: *Rex regum Arsaces Flavio Vespasiano; ne reprehendit quidem, sed* 250
ei iisdem verbis, non adscriptis imperatoriis nominibus, respondit, ex Dione apud *Xiphilinum*. Ceterum *Augustus* ab aliis *Phraatem* Regem regum nuncupari sinebat, ut patet ex inscriptione *Romana* apud Gruterum *pag.* 288.

SERASPADANES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F
PARTHVS
RHODASPES. PHRAATIS
ARSACIS. REGVM. REGIS. F
PARTHVS

Et quidem *Auguſtus* ſuperbos adeo titulos abhorrebat, ut nec privatim à *Cajo*, vel *Lucio* ſe *Dominum* appellari pateretur. Cum à mimo ſe præſente de quopiam altero dictum fuiſſet: *O Dominum æquum & bonum!* & univerſi quaſi de *Auguſto* dictum, cum plauſu excepiſſent, manu ac vultu adulantium voces compreſſit, *& inſequenti die graviſſimo corripuit edicto, Dominumque ſe poſthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis, vel ſerio vel joco, paſſus eſt.* Suetonius *cap.* 53. Immo *Cajo Cæſari* in Orientem cum imperio proconſulari proficiſcenti injunxit, ne ullos militum *commilitones*, ſed *milites* tantum appellaret; *ambitioſius id exiſtimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut ſua domuſque ſuæ majeſtas poſtularet.* Idem Suetonius *capite* 25. Interim hiems annum clauſit, quo *Cajus Cæſar*, ut cum *Piſana* tabula loquar, *conſulatum ultra finis extremas Populi Romani bellum gerens, feliciter peregit.* Illuſtriſſimi *Boldoni* eas voces *finis extremas* uti barbaras, nec Latinas carpentis cenſuram in *diſſertatione quarta capite* 3. confutabo, ne Grammatica litigia hiſtoricæ diſſertationi immiſceam.

251

CAP. XIV.

Artavaſdis Armeniæ *regis obitus.* Tigranes *pro ſucceſſione ſcribens ad* Auguſtum, Cajum *adire jubetur.* Tiberii *apud* Rhodum *anxietas.* Caji Cæſaris *cum filio regis* Parthorum *colloquium. Pax inter* Romanos *ac* Parthos *convenit.* Lollius Caji *rector*, *ejuſdem gratia excluſus.* Tiberius Romam, Cajo *permittente*, *revertitur.* M. Lollii *mors. Ejuſdem domi foriſque dignitates recenſitæ.* Horatii *epiſtolæ ad* Lollium, *ad* Marci *filium ſcriptæ contra* Glandorpium. Saliani *de* Lollio *judicium rejicitur. Annus quo* Tiberius Romam *rediit*, *demonſtratur.* Lucius Cæſar *in* Hiſpaniam *mittitur.* Caſauboni *interpretatio correcta. Idem perperam* Strabonis *locum emendat.* Æmilia Lepida Lucio Cæſari *ſponſa deſtinata. Pater* Lepidæ Glandorpio *ignoratus*, *oſtenditur.* Reineſius *ac* Lipſius *epitaphium ab* Attejo *Philologo poſitum*, *minus feliciter explicant.* Uſſerii *prochroniſmus refellitur.*

Annum V. C. 755. *P. Vinicius* ac *P. Alfenus* conſules aperuere, qui uti initio lætus, ita *Auguſto* poſtea luctuoſus evaſit. *Artavaſdes*, quem ab *Armeniis* ejectum, *Cajus Cæſar Auguſti* juſſu in regnum reducere conabatur, morbo oppreſſus, interiit. Tum *Tigranes*, qui ab *Armeniis* vocatus, *Parthis* etiam auxilia mittentibus, regnum invaſerat, æmulo ſublato, legatos cum muneribus ad *Auguſtum* miſit, nec regio titulo in literis uſus, ſupplex Imperatorem rogavit, ut mortuo jam *Artavaſde*, regnum ſibi permitteretur. *Auguſtus* donis acceptis, ac ſimul dubiam *Parthici* belli fortunam veritus, bona cum ſpe *Tigranem* in *Syriam* proficiſci juſſit ad *Cajum*, quem rebus Orientis impoſitum, ſperabat cuncta quæ è re publica forent, eſſe facturum. Horum auctor eſt *Dio* in *Græcis* excerptis editis à *Fulvio Urſino* legatione 30. Ille tamen in caſtra *Caji Cæſaris* deſcendere recuſavit, ſuſpicatus, ne cum ejus belli auctor fuiſſet, quicquam acerbius contra ſe à *Cæſare* ſtatueretur. Itaque ſatius duxit *Armeniæ* urbes aucto præſidio munire, cum *Romani* procul à regni finibus à *Parthis* in *Syria* diſtinerentur. *Phraates* Rex *Parthorum* ſenio gravatus, duodequadraginta enim annos *Parthis* imperabat, cum ſe pleriſque primatibus odio eſſe intelligeret, veritus ne per occaſionem externi domeſticum bellum à ſeditioſis conflaretur, conſilia de pace reſtauranda ſecum agitare cœpit. *Artavaſdis* mors, ac miſſæ utrinque de pace literæ, expeditioni jam contra *Parthos* feliciter ſuſceptæ, moras injecerant.

A Etenim cum *Cajo* injunctum fuiſſet, ut *Artavaſdem*, expulſo *Tigrane*, in *Armeniæ* regnum reduceret, eodem defuncto, *Cæſar* dubius quid conſilii caperet, literas ad *Auguſtum* dedit, quibus ſignificabat *Parthorum* regem ad pacem inclinare, neſcire tamen ſe quemnam *Armeniis* regem præficeret.

Tiberius Caji Cæſaris vitricus poſt ejuſdem adventum in Orientem, *contemptior in dies & inviſior* evaſerat, teſte Suetonio *cap.* 13. de *ejuſdem vita*, ita ut familiari quodam convivio mentione ejus orta, extiterit qui *Cajo* polliceretur, confeſtim ſe, ſi juberet, *Rhodum* navigaturum, caputque
B exſulis (ſic enim appellabant) relaturum. Quo præcipue, non jam metu, ſed diſcrimine, coactus eſt tam ſuis, quam matris impenſiſſimis precibus reditum expoſtulare: impetravitque adjutus etiam caſu. Deſtinatum *Auguſto* erat, nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate majoris filii ſtatuere. Is forte tum *M. Lollio* offenſior, facilis exorabiliſque in vitricum fuit. Hucuſque *Suetonius.* Indignationis vero *Caji* contra *Lollium* rectorem eidem ab *Auguſto* adſignatum, cauſas mox aperiam. *Cajus* cum literas ab *Auguſtô* recepiſſet, quibus ſignificabat ſe pacem cum rege *Parthorum* conficiendam ea lege probare, ut ex *Armenia* copias
C revocaret, ac omnem ejus regni curam *Romanis* dimitteret; limites vero utriuſque imperii eoſdem ſtatui, qui antea fuiſſent. *Dio* in excerptis editis à *Fulvio Urſino* laudata legat. 39. ſcribit *Auguſtum bellum Parthicum veritum*, ad pacis conſilia deſcendiſſe, quamvis res contra eoſdem ſuperiori æſtate geſtæ, ſpem prolatandi in Oriente imperii multis vulgo injeciſſent. At ille cum ſecum reputaret *Craſſum* primo bello *Parthico*, cum priori æſtate trajecto *Euphrate*, plures *Meſopotamiæ* urbes deditione in fidem accepiſſet, altero tamen anno, amiſſo exercitu, ab hoſtibus captum ac cæſum; *Antonium* quoque bello ſecun-
D do *Parthico*, cui *Ventidio* duce digna triumpho de *Parthis* victoria obtigerat, infelici poſtea ſucceſſu iterum *Parthos* per ſemet aggreſſum, amiſſis impedimentis ac machinis cum magna copiarum parte, ignominioſa *Romano* nomini pace ab hoc ipſo *Phraate* rege impetrata, diſceſſiſſe, dignam potius *Romana* majeſtate pacem cum hoſte tranſigere decrevit, quam fortunam in bello adverſus *Parthos Romana* clade ſemel & iterum expertam tentare. Ingenti enim ſibi gloriæ deputabat, prima fere irruptione in *Parthorum* fines, eoſdem ad petendam pacem adactos, ea conditione fir-
E mandam, ut *Armeniis* dandi regis poteſtas penes *Romanos* eſſet. Itaque cum *Cajus* tranſmiſſas ſibi ab *Auguſto* de pace conditiones *Phraati* ſignificaſſet, ne ultro citroque commeantibus nuntiis, tempus tereretur, ac quo majori cum pompa fœdus inter duo potentiſſima imperia obſignaretur, convenere, ut Rex *Parthorum* ripam ad *Euphratis* accederet, ad quam etiam *Cajus Cæſar* deſcenderet, ac uterque æquato ſtipatorum numero, in colloquium veniret. Unus nobis oculatus teſtis audiendus eſt *Vellejus Paterculus libro* II. cujus tamen priora verba à *Lipſio* emendata, exſcribo: *Cum rege*, inquit; *Parthorum juvenis excelſiſſi-*
F *mus in inſula, quam amnis Euphrates ambiebat, æquato utriuſque partis numero, coiit. Quod ſpectaculum ſtantis ex diverſo hinc Romani, hinc Parthorum exercitus, cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum & hominum coirent capita, perquam clarum & memorabile, ſub initia ſtipendiorum meorum, tribuno militum mihi viſere contigit.* In editis codicibus legitur: *cum rege Parthorum juvene:* quam lectionem falſam conſtat, quia tum temporis *Phraates* rex ſenex erat; neque ejus filius *Pharnaces*, qui ex *Thermuſa* ortus, quatuor fratribus gran-

grandioribus natu *Romam* per speciem obsidum missis, secundum in regno locum occupabat, rex dici potest, cum post obitum tantum *Phraatis* regium titulum obtinuerit. Itaque legebam *regio Parthorum juvene*; ita Florus *libro.* IV. *capite* 9. *Pacorum Orodis Parthorum* filium *regium juvenem* appellat. Quamvis vero in castris *Parthorum* ipse rex *Phraates* adesset, maluit colloquium à filio haberi, quod filius etiam *Augusti* ad idem colloquium veniret. Utraque lectio probari possit.
253 Pax recitatis legibus, sancita fuit, quarum præcipua, ut *Parthus* auxiliares copias ex *Armenia* revocaret, ac electio regis *Armeniorum* Principi *Romano* integra servaretur. Sed iterum audiendus Vellejus: *Prior Parthus apud Cajum in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est. Quo tempore M. Lollii, quem veluti moderatorem juventæ filii sui Augustus esse voluerat, perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata, Cæsaris ira evulgavit, cujus mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit, ignoro.* Hæc ille. Quoties quispiam utramque Principis aurem occupat, idemque unus secretorum minister admittitur, adulatione juxta ac superbia parique potentia usus, Dominum illecebris, subditos vero terrore sibi obnoxios tenet. Pessimas vero istorum artes, perfida consilia, ac versutias omnium postremi, pessimo fato, Principes norunt; cum quisque vereatur sinistros de ministro supra ceteros gratissimo sermones coram rerum Domino miscere, quibus si haud plena statim fides adhibeatur, præsentissimum sibimet exitium paret. *Lollius* ab *Augusto* juventæ *Caji* rector impositus, cum in ditissimas provincias advenisset, uni avaritiæ studens, corradendis undequaque pecuniis animum intendit; nec ad privatorum tantum scrinia, sed in regum *Asiæ* gazas cupiditatem extendit. Et hi quidem quo *Cæsaris Augusti* filii gratiam sibi conciliarent, ingentem auri vim, gemmas magni pretii, holosericas, atque acu pictas vestes, uni *Lollio* donarunt, ut eodem conciliatore, inter amicos *Caji* adscriberentur. Ita illè ingenti pretio *Caji* gratiam vendebat *Asiaticis* regibus, quorum ditiones superius mihi descriptæ, à *Colchide* supra *Euxinum* ad *Erythræum* usque sinum *Romani* imperii finibus prætendebantur. Hasce avarissimi hominis rapinas toto Oriente actas, *Phraates* rex inter secreta colloquia *Cajo Cæsari* omnium primus indicavit. Hinc Plinius *lib.* IX. *cap.* 35. ait: *Hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia à Cajo Cæsare Augusti filio, venenum biberet &c.* Immo ex *Vellejo*, ejusdem *perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata* non obscure significant *Lollium* quædam cum ipso rege *Parthorum* consilia communicasse, quibus bellum lente traheretur, quo diuturnior ipsi in Oriente potestas esset, ac majores interim divitias pro arbitrio colligeret. *Cajus Lollio* indignatus, amicitia interdixit, quousque quidpiam severius ab *Augusto* in eundem statueretur.

Hæc *Cæsaris* contra *Lollium* indignatio *Tiberio* plurimum profuit; nam cum facultatem revertendi *Romam* ab *Augusto* petiisset, is ea de re ad *Cajum* literas dederat; *destinatum* enim illi *erat*, ait Suetonius *cap.* 13. in Tiberio, *nihil super ea re, nisi ex voluntate majoris filii statuere. Is forte TUNC M. Lollio offensior, facilis exorabilisque in vitricum fuit. Permittente ergo Cajo, revocatus est: verum sub conditione, ne quam partem curamve Reipublicæ attingeret.* Auctor est Tacitus *lib.* III. *Annal. Tiberium* rerum potitum undevicesimo ab hinc anno in Senatu laudasse Quirini in se officia, *incusato M. Lollio, quem auctorem Cajo Cæsari pravitatis ac discordiarum arguebat.*

A Etenim vir tota arte fallendi præditus, *Tiberium* apud *Cajum* subinde criminabatur, ut inter utrumque auctis discordiis, omnia apud *Cæsarem* unus pro arbitrio posset. At *Cajus Lollii* fraudibus à *Phraate* rege sibi indicatis, falsas etiam *Lollii* de *Tiberio* delationes arbitratus, facilem se præbuit in concedenda facultate *Tiberio*, ut ex secessu *Rhodio* in urbem reverteretur. Porro inter comites *Tiberii* apud *Rhodum* erat *Thrasyllus* divinato- 254
riæ artis magister, qui *Tiberium* magnarum rerum spe continuo lactabat, totius *Romani* Orbis imperium eidem vaticinatus. At *Tiberius* cum sua in deterius quotidie ruere animadverteret, in animum
B induxerat, magni hiatus, ut cum poëta loquar, promissorem fabulas sibi in dies vendentem, ac secretorum temere conscium, de saxo in subjectum pelagus præcipitem dare. Tunc Thrasyllus, *cum procul adventare navim vidisset, quæ nuntium reditus Romam à matre & ab Augusto vehebat, prædixit quæ is esset annuntiaturus.* Dio *lib.* LV. ac *Suetonius* in *Tiberio cap.* 14. Tacitus etiam *lib.* VI. scribit *Tiberium* apud *Rhodum Chaldæorum* arti futura hominum fata prædicentium, *Thrasullo* (ita hominem vocat) magistro studuisse; narratque modum, quo *Tiberius* magistri peritiam expertus fuerat. Vellejus *libro* II. recitata
C morte *Lucii* ac *Caji*, statim addit: *Ante utriusque horum obitum, patre tuo Publio Vinicio consule, Tiberius Nero, reversus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleverat.* Postquam *Romam* advenit, data virili toga filio *Druso*, è *Pompejana* domo in hortos Mæcenatianos transmigravit, ac omnium negotiorum publicorum expers, totum se ad quietem contulit.

Marcus Lollius amicitia *Caji Cæsaris* exclusus, pudore juxta ac ira excruciatus, *intra paucos dies*, teste Vellejo, *fortuita an voluntaria morte* decessit. *Plinius* laudato loco, & ex eodem *Solinus*, scribunt sumpto veneno, voluntariam sibi necem in-
D tulisse. Hunc exitum *M. Lollius* habuit, acribus ministeriis summos ab *Augusto* honores consecutus. Is mortuo *Amynta* rege *Galatiæ*, atque *Lycaoniæ*, *Isauriæ* ac *Pisidiæ*, ejusdem regnum in provinciam redactum, primus pro prætore administravit A. V. 729. ex Dione *lib.* LIII, *Rufo* in Breviario, & Eutropio *lib.* VII. Idem anno V. 733. *Q. Lepido* collega consulatum gessit. Extat ejusdem consulatus memoria in inscriptione *Romæ* in ponte Fabricio.

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR
FACIVNDVM. COERAVIT
Q. LEPIDVS. M'. F. M. LOLLIVS. M. F. COSS. EX.
E S. C. PROBAVERVNT

Horatius hisce consulibus annum ætatis quartum & quadragesimum agebat, ut ex fine libri primi epistolarum patet:

Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Idem poeta *lib.* IV. *Carm. Oden nonam M. Lollio* inscribit. In quibusdam MSS. Mediceis *ad M. Lollium consulem* scripta legitur. Extant ejusdem Horatii *lib.* I. *epist.* secunda, ac decimaoctava ad *Lollium*, quem hunc ipsum de quo loquimur, putat *Glandorpius.* At plane vir eruditus hallucinatur. Nam in posteriori ait:

F ——— *denique sævam*
Militiam puer, & Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit,
Et nunc si quid abest, Italis adjudicat armis.

His ille *Augustum* designat, qui recepta à *Parthis* signa in templo fixit, quo bellum contra *Cantabros* gerente, *Lollius* in ejusdem exercitu adolescens militabat. At *Augustus* A. V. 729. bellum in *Hispania* contra *Cantabros* gessit, quo an- 255
no *M. Lollius* in *Galatiam* pro prætore missus fuit. In prioris vero epistolæ fine scribit:

 — *nunc*

——— *nunc adhibe puro*
Pectore verba puer; *nunc te melioribus offer.*

Igitur utraque epistola scripta est ad *Lollium M. Lollii* filium, quem poëta *puerum* utrobique appellat. Ceterum *Lollius* pater post consulatum, A. V. 734. *Bessos* vicit, eodemque victoriæ impetu contra *Germanos* profectus, cladem, *majoris infamiæ quam detrimenti* accepit, ex Suetonio in *Augusto cap.* 23. amissa quintæ legionis Aquila. Verum cum in prœlium rursus descenderet, tantum barbaris terrorem incussit, ut statim pacem impositis sibi à *Lollio* conditionibus, fecerint. Hac de re *Vellejus Lollii* nomen imperanti *Tiberio* invisum carpens, *lib.* II. scribit: *Accepta in Germania clades sub legato M. Lollio, homine in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo, amissaque legionis quintæ aquila, vocavit ab Urbe in Gallias Cæsarem.* Anno dein decimo septimo cum *Caji* juventæ moderatorem ageret, à *Parthorum* rege, uti diximus, accusatus, infelicem vitæ exitum habuit. Extat hujus *Lollii* apophtegma apud Macrobium *lib.* II. *Satur. cap.* 6. in *Galbam Galbæ* imperatoris patrem, qui quod brevi corpore, ac gibbo deformi esset, ex Suetonio in *Galba cap.* III. in caussis tamen actitandis ingenium ostentaret: *M. Lollii vox circumferebatur: ingenium Galbæ male habitat.* Salianus *tom. 6. in scholiis* ad A. M. 4052. de *Lollio* loquens ait: *Istius ergo fortassis avaritia edictum Cajo persuasum fuerit, quod tamen ille successori Cyrinio agendum reliquit.* Intelligit edictum, quo nascente Domino totius Orbis descriptio ab *Augusto* decreta fuit. Peccat triennii pleni prochronismum. Nam *Lollius* obiit A. V. 755. ut mox ex hucusque narratis ostendam; at edictum illud ex *Saliano* promulgatum fuit A. V. 751. desinente. Sed ubi idem *Salianus* pacem à *Cajo* cum *Parthis* factam triennio anticipavit, amissa semel temporum serie, passim in anachronismos lapsus est.

Horum quæ diximus hoc anno V. C. 755. chronologia demonstranda est. In primis tanquam certum statuendum est *Tiberium* hoc anno circa mensem *Julium Romam* advenisse; nam ex *Vellejo Romam* reversus est ante obitum *Lucii Cæsaris*, qui acerbo fato sublatus fuit mense Augusto hujus A. V. 755. uti ex ejusdem *Pisano* cenotaphio colligitur. Tacitus etiam hoc ipsum locupletissime tradit scribens *de Tiberio in fine lib.* VI. *Dein Rhodo egressus, vacuos Principis penates duodecim annis: mox rei Romanæ arbitrium tribus ferme ac viginti obtinuit. Tiberius* mortuo *Augusto* A. V. 767. die 19. Augusti annos imperii inchoavit, à quo anno si per annos duodecim retrocedamus, quibus *Romæ Rhodo* reversus vixit, erimus ad A. V. 755. Præterea *Dio* scribit *Tiberium Rhodum* secessisse A. V. 748. *Vellejus* vero anno insequenti data *Cajo Cæsari* ab *Augusto* virili toga. Suetonius in *Tiberio cap.* 14. ait: *Rediit octavo post secessum anno*, nempe juxta *Dionis* sententiam; *Vellejo* vero idem dicitur *septem annos Rhodi moratus lib.* II. & rediisse *P. Vinicio consule.* Quare constat *Tiberium Romam* reversum fuisse A. V. 755. *Augustus* priusquam illum revocaret, ea de re *Caji* placitum per literas quæsivit, quas *Cajus* tum accepit, cum *Lollio offensior* esset, & quidem adhuc superstiti, ex Suetonio *in Tiberio cap.* 13. nempe iisdem diebus, quo colloquio cum *Partho* obsignandæ pa-
256 cis gratia habito, *Lollii* toto Oriente actas rapinas intellexit. Itaque mense Majo pax cum *Parthis* redintegrata fuit, ac *Cajus* sub idem tempus *Augusto* rescripsit, placere sibi, ut *Tiberius Romam* rediret: Hisce literis acceptis, *Livia Tiberii* mater navim statim *Rhodum* ad filium misit cum literis *Augusti*, quibus *Romam* redeundi facultatem eidem permittebat. Testatur vero *Vellejus Lollium intra paucos dies* post colloquium *Caji Cæsaris* extinctum. Antequam autem *Caji* literæ *Romam* ex *Syria*, aliæ vero *Augusti Rhodum* ad *Tiberium* deferrentur, & hic *Romam* perveniret, trium saltem mensium spatium exigitur.

Augustus, ne *Lucius Cæsar Caji Cæsaris* frater aulæ otio torpesceret, eundem jussit in *Hispaniam* navigare, ut utrumque filium in Oriente & Occidente per exercitus ostentaret. Uti vero *Cajum* annum decimum octavum ætatis natum, in *Asiam* miserat, ita jussit *Lucio*, ut hoc anno, quo duodevicesimum ætatis explebat, in *Hispaniam* transmitteret. Tacitus *lib.* I. *Annal.* ait *Lucium Cæsarem ad Hispanienses exercitus* missum. Idem *lib.* IV. numerans legiones quæ anno nono imperii *Tiberii* provinciarum præsidio ex *Augusti* instituto impositæ fuerant, ait: *Hispaniæ recens perdomitæ, tribus habebantur.* Strabo etiam qui anno quinto imperii ejusdem scribebat, *lib.* III. *pag.* 115. *Major*, inquit, *pars Hispaniæ subest legato consulari, qui exercitum habet non contemnendum trium legionum, ac tres legatos.* Casaubonus τειῶν πȣ ταγμάτων, vertit: *trium circiter cohortium.* At perperam. Quis enim tres cohortes *exercitum non contemnendum* dicat? Rursus legati non cohorti, sed legioni præficiebantur; qui enim cohortem ducebat, *præfectus* dicebatur. Vox illa τάγμα legionem etiam apud *Græcos* significabat. Dionysius *lib.* VI. ait: δέκα τάγματα ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἕκαστον: *decem legiones è quatuor mille viris singulas.* Immo idem Strabo *lib.* VII. *pag.* 201. scribit in *Germania Cheruscorum* insidiis periisse τὰ τρία τάγματα Ῥωμαίων μετὰ τȣ Οὐάρȣ Κουϊντιλίου: *tres legiones Romanas cum Quinctilio Varo.* Uti recte ipse *Casaubonus* vertit. Tacitus in *lib. de moribus Germanorum* ait: *Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt.* Suetonius *in Augusto cap.* 23. vocat cladem *Varianam pæne exitiabilem tribus legionibus cæsis.* Si *Casaubonus Taciti* locum advertisset, neutiquam tres legiones *Hispaniæ* in totidem cohortes commutasset. At non solum ad eas legiones invisendas *Lucius* missus fuit, verum etiam ad nobilissimas veteranorum colonias perlustrandas, quas tum *Julius Cæsar*, tum postea *Augustus* in *Hispaniis* deduxerant. Illarum plurimas recenset Plinius *lib.* III. *cap.* I. & 3. quas etiam eruditissime illustravit *Antonius Augustinus* in dialogis. Eas inter reponendam *Calpem* ex rarissimo numismate CHRISTINAE augustæ *Suecorum* Reginæ *Spanhemius* observat *dissertat.* 9. *pag.* 766. in eo enim legitur: C. I. CALPE: *colonia Julia Calpe*, quæ Straboni *lib.* III. *pag.* 96. dicitur *urbs vetusta ac memorabilis.* Erratum plane est eidem *Casaubono* in notis scribenti: *Calpem urbem nemini veterum ne nominatam quidem reperio.* At illam nominat Nicolaus Damascenus in *libello de educatione Augusti*, apud quem regis *Herodis* legatum egit, scribens Suetonio similiter *cap.* 8. *in Augusto* ac Vellejo *lib.* II. *cap.* 59. *Octavium* post avunculum *Cæsarem* in *Hispaniam* contra *Pompeji* filios profectum, eodem perrexisse, ac denique victorem *Cæsarem* assecutum περὶ πόλιν Καλπίαν: *circa urbem Calpiam.*

Antequam *Lucius Roma* discederet, sponsalia cum *Æmilia Lepida* eundem celebrasse auctor est Tacitus *lib.* III. *Annal.* illa enim eidem dicitur *destinata quondam uxor Lucio Cæsari, & Divo Augusto nurus: cui*, ut antea scripserat, *super Æmiliorum decus L. Sulla ac Cn. Pompejus proavi erant.* Glandorpius *pag.* 31. Onomastici ait: *Æmilia Lepida quo patre prognata compertum non habeo.* Conabor ex *Tacito* ac vetustis inscriptionibus ejusdem patrem exponere. Narrat ibidem *Tacitus Lepidam* adulterii accusatam à *P. Sulpicio Quirinio* mari-

marito, *defendente ream Manio Lepido fratre.* Is est *Manius Æmilius Lepidus*, qui imperante *Augusto*, A.V. 764. consulatum gessit, cujus mentio extat in celebri inscriptione *Narbonensi* Gruteri *pag.* 229. Fragmentum recito.

ET. PRIDIE. K. IVNIAS. QVOD. EA. DIE. T. STATILIO TAVRO. MV. AEMILIO. LEPIDO. COS. &c.

Sigonius ac *Panvinius* prænomen *Marci* huic *Lepido* dederunt, quod eisdem latuit ea inscriptio. *Taurus* ac *Lepidus* consules memorantur *L.* XIII. *D. de S. C. Saliniano.* Ex his infertur *Æmiliam Lepidam*, ejusque fratrem *Manium Lepidum* filios fuisse *Q. Æmilii Lepidi.* Sane in indice consulari Dionis præfixo *lib.* LVI. ad eundem A.V.764. scribitur consul cum *T. Statilio Tauro M. Æmilius Q. F. Lepidus.* Porro *Q. Æmilius* functus est consulatu A. V. 733. cujus extat mentio *Romæ* in ponte Fabricio, quam inscriptionem proxime produxi; ibique dicitur Q. LEPIDVS MV. F. *Manii filius*; unde patris prænomen filio consuli A. V. 764. impositum. At proavi *Lepidæ L. Sylla* Dictator ac *Cn. Pompejus* ita deducuntur. *P. Cornelius Faustus Sylla L. Syllæ* Dictatoris filius, *Pompejam Cn. Pompeji* magni filiam in matrimonio habuit, ex Hirtio *cap.* 95. *de bello Africano.* Ex his nata *Cornelia*, *Q. Æmilio Lepido* nupsit, ex quibus orta *Æmilia Lepida L. Syllæ* ac *Pompeji* magni proneptis. Fateor tamen *Æmiliorum* genealogiam difficulter concinnari, quod ea gens in plures familias divisa erat. Passeratius *in notis ad elegiam ultimam libri* IV. *Propertii*, putat *L. Æmilium Paullum* fratrem fuisse *Q. Æmilii Lepidi* consulis anno V. 733. quem *Lepidæ Lucio* sponsæ destinatæ patrem probavi. Sed plane errat. Nam *L. Æmilius Paullus* consul ac censor, fuit frater *Marci Æmilii Lepidi* Triumviri, uti fusius *cap.* 13. ostendi, quorum pater fuit *Marcus Æmilius Lepidus.* At pater *Q. Lepidi* consulis A. V. 733. *Manii* prænomen tulit, ac puto fuisse *Manium Lepidum*, qui anno V. 688. cum *L. Volcatio Tullo* consulatu perfunctus est. Extat apud Gruterum *pag.* 653. hocce epitaphium.

PVDENS. M. LEPIDI. L. GRAMMATICVS PROCVRATOR. ERAM. LEPIDAE. MORESQ. REGEBAM DVM. VIXI. MANSIT. CAESARIS. ILLA. NVRVS ATTEIVS. PHILOLOGVS. DISCIPVLVS

Lipsius in *notis ad laudata verba lib.* III. *Taciti*,
258 ac Reinesius *epist.* 31. *pag.* 275. scribunt hic appellari *Lepidam Lucio Cæsari* ac *Augusto* nurum destinatam. Et sane nullam aliam *Lepidam* cujuspiam *Cæsarum* nurum præter *Lucii* sponsam, historici prodiderunt. Suetonius in *libello de illustribus Grammaticis*, producit fragmentum epistolæ *Atteji* Philologi ad *Lucium Hermam*, ubi ait se *præcepisse multis & claris juvenibus: in quibus Appio quoque & Pulchro Claudiis fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit.* Hi vero fratres fuere *Appius Claudius*, qui cum *L. Domitio* A. V. 700. consulatum gessit, ac anno insequenti *Ciliciam* provinciam obtinuit, cui postea *Cicero* successit, ut ex libro tertio familiarium epistolarum intelligitur. Alter frater fuit *P. Clodius Pulcher* infestus ille hostis *Ciceronis*, qui A. V.693. quæstor in *Silicia* fuit ex Cicerone *lib.* II. *ad Atticum epist.* I. & antea A.V.684. à *Lucullo*, qui *Claudiam* ejus sororem in matrimonio habebat, ad *Tigranem* legatus pro deposcendo *Mithridate*, missus fuerat, ex *Plutarcho* in *Lucullo*, &

A *cap.* 48. excerptorum *Memnonis* apud *Photium.* Ex his patet *Attejum* Philologum ante A.V.690. utriusque *Claudii* præceptorem fuisse, ac proinde diu antea eundem *Attejum* inter *Pudentis* Grammatici discipulos fuisse. Quare *Lepidam*, cujus *Pudens* Grammaticus procurator in memorato cenotaphio, vel epitaphio inscribitur, alteram fuisse oportet à *Lepida Lucio Cæsari* desponsa A. V. 755. eamque etiam alterius *Cæsaris* nurum fuisse, sive is *L. Cæsar* fuerit, qui consulatum gessit A.V.790. sive *Sex. Cæsar* Flamen Quirinalis, qui anno V. 797. inter judices in causa de domo sua memoratur *Ciceroni* initio orationis de Haruspicum responsis. Hæc temporum ratio persuadet;
B nam etsi ultro concedamus *Pudentem* Grammaticum annos natum viginti V. C. 685. habuisse inter discipulos *Attejum* Philologum, idem A. V. 755. annum nonagesimum egisset. His accedit *Attejum* Philologum mortuum fuisse ante memoratum A. V. 755. ut ex verbis *Asinii Pollionis* de eodem apud laudatum *Suetonium* colligitur. *Sosipater Charisius Atteji* Philologi libros citat *lib.* I. *instit. Grammat. V. Didum*, & rursus *V. Jugeris.* Priusquam huic narrationi de *Lepida* finem imponam, corrigendus mihi est *Usserii* prochronismus, qui scribit *Lepidam* A.V.753. *P. Sulpicio*
C *Quirino* nupsisse, quod *Tacitus* dicit eandem à Quirino, dato libello repudii accusatam, ac damnatam A. V. 773. Suetonius vero *in Tiberio cap.* 49. narrat eandem à Quirino *dimissam è matrimonio post vigesimum annum.* Sed *Suetonius* rotundo numero usus est. Nam cum *Lucius Cæsar* obierit, uti idem *Usserius* concedit A. V. 755. qui fieri potest, ut *Quirinus* destinatam eidem *Cæsari* sponsam, adhuc superstiti surreptam uxorem duceret.

CAP. XV. 259

D Lucius Cæsar Massiliæ *moritur. De anno ejusdem obitus variæ scriptorum sententiæ.* Salianus *affirmans eundem diuturniori morbo confectum, refellitur. Annus ex solo Cenotaphio* Pisano *intelligitur. Anni Tribuniciæ potestatis* Augusti *in* Pisanis *tabulis signati, exponuntur.* Sigonius Tacitum *à Fastis Capitolinis discordem perperam putat. Annos Tribuniciæ potestatis non esse inchoandos à Kalendis Januariis, ex nummis MEDICEIS contra* Petavium *ostenditur. Insignis inscriptio* Ariminensis *apud* Gruterum *depravata, recte exscripta producitur. Idem ex* Pisanis *Cenotaphiis ac* Narbonensi *tabula demonstratur. Annales* Dionis *ex veteri inscriptione confirmati. Mensis ac dies initæ ab* Augusto *Tribuniciæ potestatis. Ejusdem in Fastis Capitolinis anni minus recte* Sigonio *ac* Pighio *numerati. Annus, mensis, dies obitus* Lucii *ex* Pisano *Cenotaphio exhibentur. Carmen lyricum* Tiberii *in obitu* Lucii Cæsaris. Caji *constantia in morte* Lucii *fratris,* Senecæ *laudata.* Pisani *annuas inferias* Lucii Cæsaris *Manibus in Colonia mittendas decernunt.*

E UT brevia sunt mortalium gaudia, à destinato *Lucio Cæsari* thalamo, ad ejusdem tumulum cito citius transeundum est. *Augustus* certam se utrique *Cæsari* imperii successionem firmasse arbitrabatur, *Cajo* in Oriente, *Lucio* in Occidente, *Romanis* exercitibus impositis. At
F brevi utriusque filii jacturam faciens, lubricas hominum spes, & inania plerumque potentissimorum Principum vota cognovit. Nam, ut inquit Tacitus *lib.* I. *Annal. Lucium Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, Cajum remeantem Armenia, & vulnere invalidum mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abstulit.* Vellejus *lib.* II. *de Lucio* scribit: *Hispanias petens, Massiliæ decessit.* Florus

rus vero *lib.* IV. *cap. ult.* de utroque: *Ambo fato breves, sed alter inglorius; Massiliæ quippe Lucius morbo solvitur.* Quo anno *Lucius Cæsar Hispanias* petens, extremum diem clauserit, inter scriptores non convenit. Petavius *lib.* XI. *doctr. Temp. cap.* 3. scribit *Lucium* obiisse A. V. 756. Juliano 48. Valesius in notis ad excerpta Dionis *pag.* 90. ait: *Constat enim post Tiberii reditum ex Rhodo, Cajum & Lucium Cæsarem plusquam biennii vixisse spatio.* Cum vero certum sit *Tiberium* A.V. 755. è secessu *Rhodio Romam* rediisse, mors *Lucii* juxta *Valesium* contigisset A. V. 757. Omitto *Calvisium*, qui utriusque *Cæsaris* obitum retrahit ad A. V. 748. *Saliani* ea de re commenta referam. Is ad A. M. 4053. *Cosso Cornelio* & *L. Pisone* Coss. V. C. 753. numero 3. scribit *Lucium Cæsarem* euntem in Hispaniam: *Massiliæ in morbum incidisse, quem fuisse diuturniorem ex eo videtur constare, quod eo solutus est vita duodeviginti mensibus an-*
260 *te Cajum.* Et postea ad A. M. 4057. *num.* 1. ait: *mortuum Lucium Cæsarem sub finem præcedentis anni*, nempe V. C. 755. Quis homini revelavit *Lucium Cæsarem* diuturniori morbo conflictatum, ultra biennium *Massiliæ* decubuisse? Dio in excerptis apud Zonaram scribit: *Verum Lucius ejus, nempe Caji Cæsaris, frater prius è vita discessit, morbo repente extinctus.* Dio testatur *Lucium* νόσῳ ἐξαίφνης: *morbo repente* extinctum. At *Salianus* sine teste scribit miserum adolescentem ultra biennium morbo apud *Massiliam* laborasse. *Augustus* sane in literis quas anno superiori V. C. 754. die suo natali 23. Septembris ad *Cajum Cæsarem* de superato abs se anno climacterico scripsit, ait: *Deos autem oro, ut quantum mihi superest temporis, id salvis vobis, traducere liceat &c.* Apud Gellium *lib.* XV. *Noct. Attic. cap.* 7. Tunc uterque *Cæsar* salvus erat ac sospes. Ex *Pisano* tantum *Lucii Cæsaris* Cenotaphio annus ac mensis ejusdem mortis intelligitur. Etenim XIII. K. OCTOBR. PISIS, ut in titulo ejusdem Cenotaphii legitur, à decurionibus decretæ fuerunt annuæ inferiæ mittendæ Manibus *L. Cæsaris* AUGUSTI CAESARIS. PATRIS. PATRIAE. PONTIFICIS MAXIMI. TRIBUNICIAE. POTESTATIS. XXV. FILIO &c. Ex his patet *Lucium Cæsarem* anno Urbis 755. die 19. Septembris, quando *Augustus* annum agebat Tribuniciæ potestatis XXV. non fuisse superstitem. Verum quia de annis Tribuniciæ potestatis *Augusti* minus recte quidam viri eruditi senserunt, res mihi paullo altius repetenda est.

Sigonius in commentariis fastorum ad A. V. Capitolinum 730. scribit fastos Capitolinos quod annos Tribuniciæ potestatis *Augusti* attinet, à *Tacito* discrepare, cum juxta illos, *Augustus* mortem obierit anno Tribuniciæ potestatis XXXVI. at juxta *Tacitum* XXXVII. Sed vir in *Romana* historia alias versatissimus initium Tribuniciæ potestatis *Augusti* non est assecutus, cum ea in re *Tacitus* cum Capitolinis tabulis plane conveniat. Auctor est Dio *lib.* LIII. A. V. 731. à Senatu novos Augusto honorum titulos decretos, quos inter, *ut Tribunus plebis perpetuus esset.* Additque: *Inde exortum est, ut Augustus, quique eum secuti sunt Imperatores lege quadam reliquis hisce, & potestate Tribunicia uterentur.* De qua potestate Tacitus scribit libro III. Annal. *Id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne regis, aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret.* Rursus idem Dio lib. LIII. de Imperatorum titulis loquens, ait: *Omnem vero potestatem Tribuniciam, quanta unquam maxima fuit, accipiunt, & quia quotannis cum Tribunis plebis ejus anni renovant, annorum imperii ipsorum hinc summa concipi solet.* Immo teste Tacito citato loco: *M. Silanus ex contumelia consulatus, honorem principibus petivit, dixitque pro sententia, ut publicis privatisque monimentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina præscriberentur, sed eorum qui Tribuniciam potestatem gererent.* *Panvinius* ex lapidum ac nummorum inscriptionibus omnium primus observavit Imperatores non iterasse potestatem Tribuniciam ipsis Kalendis Januariis, quo in errore hæsit *Sigonius*, sed ea anni die, qua illam primum inierant. Sane miror Petavium *lib.* XI. *doctr. temp. cap.* 26. putasse *cum novo anno Juliano novam Tribuniciam potestatem inchoatam.* Idem antea scripserat in chronologia Imperatorum in fine Animadvers. in Epiphanium *numero* 35. & 37.

Horum errorem pluribus confutavi in parergo; de votis Decennalibus *capite* 3. *Domitianus* die natali imperii Idibus Septembris potestatem Tribuniciam primum accepit, anno Christianæ Epochæ vulgaris 81. In nummis inscribitur: TR. P. IIII. COS. XI. Item in aliis: TR. P. V. COS. XI. Illi omnes nummi scalpti sunt anno epochæ vulgaris 85. quo undecimum consulatum gessit. Porro nummi, in quibus dicitur *Tribuniciæ potestatis quartum*, cusi sunt ante diem 13. Septembris, à qua deinceps usque ad annum insequentem diemque 13. Septembris signatur in nummis *Tribuniciæ potestatis quintum.* Rursus in Cimeliarchio Serenissimi Magni Ducis *Etruriæ* visuntur quatuor nummi Imperatoris *Commodi* inscripti in postica parte: P. M. TR. P. XVII. IMP. VIII. COS. VII. P. P. Unus vero cum epigraphe: HERC. ROM. CONDITORI. P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. *Commodus* gessit septimum consulatum anno Dionysiano 192. V. C. 945. quo exacto, ipsa nocte ante Kal. Januarias occisus fuit. Cum vero intra eundem annum multiplicaverit potestatem Tribuniciam, constat eandem non ipsis Kalendis Januariis, sed ea anni die, qua illam primum inierat, iterasse. Id ipsum de *Augusto* evidenter demonstratur. Hic potestatem Tribuniciam suscepit A. V. 731. die 27. Junii, ut postea ostendam, quo vero tempore obiit V. C. 767. die 19. Augusti, agebat annum Tribuniciæ potestatis trigesimum septimum. Extant ejusdem nummi apud *Occonem* ac *Goltzium*, in quibus inscribitur: PONTIF. MAXIM. TRIBUN. POTEST. XXXVII. & Tacito sub initium *libri* I. *Annal.* dicitur eidem *continuata per septem & triginta annos Tribunicia potestas.* In ponte *Ariminensi* ab eodem exstructo ad portam, ut vocant, *S. Juliani*, hoc epigramma visitur, quod sæpissime mihi lectum, ac fideliter exscriptum, subjicio.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIF. MAXIM. COS. XIII. IMP.
XX. TRIBVNIC. POTEST. XXXVII.
P. P.

Apud Gruterum *pagina* 160. 2. perperam scriptum est: COS. XIIII. & TRIBUNIC. POTEST. XXXVIII. utrobique unitate superaddita. Sigonius *in fastis* ad A. V. 708. eandem inscriptionem recitat, ubi in numero consulatuum eodem modo peccat. In *Caji Pisano* cenotaphio recitatur decretum decurionum *Pisis* emissum post IIII. NONAS APRILES, in quo Augustus dicitur: TRIBUNICIAE POTEST. XXVI. . . . AELIO. CATO. C. SENTIO SATURNINO. COS. Hi consules magistratu perfuncti sunt A. V. 757. à quorum consulatu post IV. Nonas Aprilis ad diem 19. Augusti, qua *Cæsar Augustus* obiit, decies tantum Kalendæ Januariæ numerantur, quibus singulis si *Augustus* iniisset novam potestatem Tribuniciam, idem obiisset

obiisset gerens potestatem Tribuniciam XXXVI. Igitur cum decesserit anno Tribuniciæ Pot. XXXVII. uti ex *Tacito*, ac nummorum, lapidisque inscriptionibus demonstratum est, eandem potestatem multiplicabat post mensem Januarium, nempe die 27. Junii. Extat inscriptio apud Gruterum *pag.* 229 in qua legitur votum in perpetuum nuncupatum à Colonia *Narbonensi*, in quo nominantur consules *T. Statilius Taurus* & *Manius Æmilius Lepidus*, & rursus *T. Statilius Taurus* & *L. Cassius Longinus*. Horum consulatus incidit in A. V. 764. & *Cassius Longinus* à Kal. Juliis suffe-
262 ctus fuit in locum *Manii Lepidi*. Porro in recitatis modo inscriptionibus *Augustus* prius dicitur TRIB. POTESTATIS XXXIIII. tum postea in altero latere: TRIBUNICIA. POTESTATE XXXV. Est duplex decretum colonicum; primum emissum ante exitum Junii, *Statilio Tauro* & *Manio Æmilio Lepido* conss. cum *Augustus* esset Tribuniciæ potestatis XXXIIII. alterum vero formatum est X. K. OCTOBR. quando *Augustus* erat Tribuniciæ potestatis XXXV. Ita intra eundem A. V. 764. *Augustus* multiplicavit potestatem Tribuniciam. At *Augustum* intra Aprilem ac Sextilem menses iterasse potestatem Tribuniciam patet ex *Cajano* cenotaphio, in quo ponitur decretum Coloniæ Opsequentis *Juliæ Pisanæ* sancitum post IV. Nonas Aprilis A. V. 757. à parilibus & ibidem *Augustus* dicitur TRIBUNICIAE POTEST. XXVI. Quare A. V. 767. IV. Nonas Aprilis erat Tribuniciæ potestatis XXXVI. antequam vero eodem anno die 19. Augusti mortem oppeteret, erat Tribuniciæ potestatis XXXVII. Igitur intra illud anni spatium multiplicavit potestatem Tribuniciam. Hucusque latuit mensis ac dies qua *Augustus* primum iniit potestatem Tribuniciam. Ex laudato tamen Cenotaphio *Pisano* colligitur post IV. Nonas Apriles eundem primum accepisse potestatem Tribuniciam. Primus versus tam insignis inscriptionis, in quo dies ac mensis conditi decreti exprimebantur, malo chronologiæ fato ab ignava manu refectus fuit; cum tamen constet illud decretum post IV. Nonas Aprilis emissum. Itaque dies indagandus est ex altera inscriptione Gruteri *pagina* 234. collata cum annalibus Dionis *libro* LIII.

t. staTILIO TAVRO II. COS
K. MAI
Caesar in HISPANIA. FVIT
m. juNIO. SILANO. COS
. . . NON. IVN
imp. c. caesAR. IN. HISPANIA. FVIT
c. norBANO. FLAC. COS
EID. IVN
imp. c. CAESAR. VALETVD
cN. PISONE. COS
. . . IVL
imp. c. caesAR. IN. MONTE. FVIT
imp. c. caesAR. COS. ABDICAVIT

Ex hoc fragmento annales *Dionis* mirifice confirmantur, & hujus vicissim historia positam inscriptionem illustrat. Dio *libro* LIII. anno V. C. 729. Augusto IX. *M. Junio Silano* Coss. nar-
263 rat bellum ab *Augusto* in *Hispania* gestum, cujus difficultatibus cum in morbum incidisset, *Tarraconem se contulit*. Suetonius *cap.* 26. de *Augusti* consulatibus scribit: *Octavum & nonum Tarracone iniit.* Ille vero octavum consulatum gessit collega *T. Statilio Tauro* II. A. V. 728. Quare recte etiam eo anno dicitur in producto epigrammate

A fuisse in *Hispania*. Rursus *Dio* scribit ad A. V. 730. *Augusto X. C. Norbano Consulibus, Kal. Januariis Senatus juramento confirmavit se ejus acta approbare. Cumque jam Urbi appropinquare diceretur, nam propter morbum diutius abfuerat, &c.* Igitur A. V. 730. *Idibus Junii* Augustus *valetudinem* recuperavit, ac postea restauratis viribus, *Romam* eodem anno petiit. Porro nullus dubito quin bona valetudo *Cæsari Augusto* recuperata, in eadem inscriptione indicetur; nam mala valetudo, uti pessimi & adversi ominis neutiquam in lapide obsignata, perpetua apud posteros memoria donanda erat. Denique idem Dio ad A. V. 731. ait:
B *Augustus undecies consul cum Calpurnio Pisone, adeo gravi morbo decubuit, ut nulla salutis spes adesset.* Addit eundem opera *Antonii Musæ* medici sanitati restitutum fuisse, ac deinde *Agrippam* in *Asiam* cum imperio misisse, ac numerum etiam Prætorum auxisse. *His ordinatis*, inquit Dio, *in Albanum exiit, ac consulatu se abdicavit.* Hæc eadem in posito epigrammate leguntur . . . JUL. *Cæsar in monte fuit. Cæsar Coss. abdicavit.* Ex hoc tamen lapide colligimus *Augustum* intra diem 14. Junii & 15. Julii in *Albanum* montem secessisse, ac consulatu se abdicasse; nam mensis JUL. ibidem indicatus potuit ante habuisse notas nu-
C merales ante Kalendas Julias, & rursus alias à Kalendis usque ad Idus Julias. Hæc in dubium vocari non possunt. Denique scribit *Dio* cum Senatus intellexisset *Augustum* abdicato consulatu, sibi suffecisse *L. Sestium* partium *Bruti* studiosum, tanta *Augusti* magnanimitate lætatum, ut perpetuam eidem potestatem Tribuniciam contulerit. Igitur *Augusto* post diem XIV. Junii A. V. 731. potestas Tribunicia delata fuit. *Panvinius* cum apud Vellejum *lib.* II. legeret Augustum die 27. Junii A. V. 757. adoptato abs se *Tiberio* contulisse una simul potestatem Tribuniciam, in eam sententiam descendit, ut dicendum putaret, ea-
D dem etiam die V. Kal. Julias *Augustum* multiplicasse potestatem Tribuniciam. Nam fas est credere *Augustum* solemni sibi die tantam dignitatem *Tiberio* contulisse; is enim *Vellejo* dicitur *Tribuniciæ potestatis consortione æquatus Augusto*; nulla autem alia apparet causa solemnitatis ejus diei, nisi quod ea ipsa die *Augustus* Tribuniciam potestatem A. V. 731. primum accepisset. Hanc *Panvinii* sententiam secuti sunt *Goltzius*, *Calvisius*, aliique communiter. Idem tamen *Panvinius* ad A. V. 731. minus recte scribit ex *Suetonio* liquere *Augustum* eo anno trimestrem consulatum gessisse, ac *circa Kalendas Aprilis abdicasse.* Nam ex laudata
E inscriptione, quam vir undequaque eruditissimus nondum è ruderibus erutam, videre non potuit, constat *Augustum* consulatu abiisse post 14. diem Junii, cum in montem *Albanum* secessisset. Suetonius autem *cap.* 26. *de consulatibus Augusti* ait: *Quinque medios consulatus à sexto* inclusive *ad undecimum* exclusive *annuos gessit*; *ceteros autem sex, aut novem, aut sex, aut quatuor, aut tribus mensibus, secundum vero paucissimis horis.* Ex his *Suetonii* verbis cum allata inscriptione collatis, colligo *Augustum* A. V. 731. sex tantum mensibus consulatum gessisse. Nam cum legamus . . . JUL. *Cæsarem* in monte fuisse & consulatum abdicasse,
F ante Kalendas Julias utrumque contigit, alias si labente Julio abdicasset, septem mensibus consulatum gessisset, quod nunquam *Augustum* fecisse *Suetonius* testatur. Hinc abdicatio consulatus contigit ab ante diem XVIII. Kal. JUL. ad K. Julii; 264
ac proinde intra illud idem spatium potestatem Tribuniciam accepit, quam eadem die quot annis multiplicabat. *Sigonius* ac *Pighius*, ille ad A. V. 731. hic vero *tom.* 3. *Annal.* ad A. V. 730. putarunt in fastis Capitolinis potestatem Tribu-

niciam initam ab *Auguſto* A. V. Varroniano 732.
Verba *Pighii* ſunt pagina 514. *Capitolina tamen*
fragmenta ſatis indicant, XXXVI. Tribunicia po-
teſtate fuiſſe Auguſtum cum moreretur. In faſtis
Capitolinis adhuc ſuperſunt quatuor collegia con-
ſulum ordinariorum cum quibuſdam conſulibus
ſuffectis, quibus præmittuntur *Auguſtus* ac *Tibe-*
rius cum annis Tribuniciæ poteſtatis utriuſque.
Poſtremum collegium conſulum exſcribam.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGV-
STVS. PONT. MAX. TR. POT.
XXXV. TI. CAESAR. AVGVSTI.
F. DIVI. N. TR. POT. XIIII. C.
SILIVS. P. F. P. N. L. MVNATIVS.
L. F. L. N. PLANCVS

Cajus Silius ac *Lucius Munatius Plancus* conſula-
tum geſſere A. V. 766. quare ſi eo anno juxta fa-
ſtos Capitolinos *Auguſtus* agebat Tribuniciam po-
teſtatem XXXV. cum anno inſequenti V. C. 767.
obierit, erat id temporis Tribuniciæ poteſtatis
XXXVI. Hinc colligunt *Sigonius* ac *Pighius Ta-*
citum anno anticipaſſe eandem Tribuniciam pote-
ſtatem *Auguſti.* Verum uterque ea in re dece-
ptus eſt. Nam ibidem ſignantur Conſules, qui
Kalendis Januariis magiſtratum inierunt, præ-
miſſis annis Tribuniciæ poteſtatis *Auguſti* ac *Tibe-*
rii cum iiſdem Kalendis Januariis concurrentibus.
Ita Kalendis Januariis A. V. 766. quando *C. Si-*
lius ac *L. Munatius Plancus* conſulatum auſpicati
ſunt, *Auguſtus* erat Tribuniciæ poteſtatis XXXV.
Tiberius vero XIIII. uſque ad V. Kal. Julias ejuſ-
dem anni, qua die *Auguſtus* inibat Trib. Pot.
XXXVI. uſque ad V. Kal. Julias A. V. inſequen-
tis 767. à qua die uſque ad XIV. Kal. Septem-
bris, qua è vivis exceſſit, fuit Trib. Pot. XXXVII.
Certe id de *Tiberio* negari nequit. Nam cum ille
V. Kal. Julias A. V. 757. inierit Trib. Pot. VI.
quod *Sigonius* ac *Pighius* concedunt, cum *Velle-*
jus id diſerte teſtetur, Kalendis Januariis A. V.
766. uſque ad V. Kal. Julias erat Tribuniciæ po-
teſtatis XIIII. uti inſcribitur in laudato fragmen-
to; at die 27. Junii inibat Trib. Pot. XV. Ex
quo palam fit in faſtis Capitolinis adductis inſcribi
Tribuniciam poteſtatem *Auguſti* ac *Tiberii*, quæ
cum Januariis Kalendis uſque ad V. Kal. Julias
concurrebat.

Hactenus producta, ex utraque tabula *Piſana*
mirifice confirmantur, ac annus mortis *Lucii* de-
monſtratur. Decretum de annuis inferiis Mani-
bus *Lucii Cæſaris* mittendis, conditum fuit à De-
curionibus *Piſanis* XIII. K. OCTOBR. cum
Auguſtus diceretur TRIBUNICIAE POTE-
STATIS XXV. Poteſtas Tribunicia delata fuit
Auguſto A. V. 731. V. Kal. Julias; annus primus
ejuſdem definit A. V. 732. die 27. Junii. Igitur
Trib. Pot. XXV. in *Piſana* tabula ſignata, in-
cepit die 27. Junii A. V. 755. ac duravit uſque
ad eandem diem inſequentis A. V. 756. Quare
Lucius Cæſar Maſſiliæ deceſſit A. V. 755. ante
menſem Octobrem, cum die 19. Septembris
annuæ inferiæ eidem decretæ fuerint. Jam de
anno tam manifeſto charactere deſignato, nulla
deinceps eſſe poteſt dubitatio. Dies quoque mor-
tis ejuſdem *Cæſaris* in eadem tabula legebatur;
ſed imperiti cujuſpiam fabri manus, ut clavum eo-
265 dem in lapide figeret, ſcalpro ſaxum perforans,
diem ac menſem excluſit. At non ita omnia de-
trivit, quin legatur: QUOD. ANNIS. A. D.
ɩ .... ubi pars inferior notæ numeralis X. palam
apparet, quæ plane indicat Kalendas poſt ipſam
notam ſignatas fuiſſe. Ante diem XIII. K.
OCTOBR. qua conditum eſt decretum, quin-
quies tantum ſignantur Kalendæ, nempe ad uſ-

A que XVIII. Kal. Octobris. Verum intra illos
dies non fuiſſe mortuum *Lucium* patet ex eodem
Piſano decreto, in quo legimus: *Cum Senatus*
P. R. inter ceteros plurimos ac maximos honores L.
Cæſaris Auguſti Cæſaris Patris patriæ, Pontificis
Maximi, Tribuniciæ Poteſtatis XXV. filio, Au-
guri, Conſuli deſignato, per conſenſum omnium Or-
dinum .... Annuæ inferiæ *Romæ* eidem demortuo
decretæ ſubjiciebantur, cum quinque aut ſex
verſus ejuſdem *Piſani* lapidis duas in partes diſſe-
cti, perierint. Itaque *Piſani* Coloni exemplum Se-
natus *Romani* ſecuti ſunt, in decernendis annuis
parentalibus *Cæſari* defuncto. At conſtat intra
B quinque dies à XVIII. ad XIII. Kal. Octobris,
non potuiſſe nuntium obitus *Lucii Maſſilia Ro-*
mam pervenire, ſtatui ibidem à Senatu juſta fu-
nebria, ac eorundem notitiam ad *Piſanos* colonos
deferri. Igitur mors *Lucii* menſe Auguſto con-
tigit. Hæc quamvis manifeſta, inſigni *Suetonii*
teſtimonio confirmantur, qui *cap.* 65. *de Auguſto*
ait: *Cajum & Lucium in duodeviginti menſium ſpa-*
tio amiſit ambos. *Cajus* ut ex ejuſdem cenotaphio
Piſano patet, obiit A. V. 757. à parilibus A. D.
VIIII. K. MARTIAS. At ſi à die 21. Februa-
rii ejus anni qua *Cajus* deceſſit per duodeviginti
menſes retrocedamus, erimus ad menſem Augu-
C ſti A. V. 755. Ipſe vero ita ſupplevi: A. D. XII.
K. SEPT. quia ſpatium, ex quo literæ excluſæ
fuerunt, novem tantum literarum eſt capax, quod
diligentiſſime obſervavi coram viris eruditiſſimis,
Equite *Franciſco Maria Ceſſinio*, ac *Joanne Bapti-*
ſta Ricciardo, Academiæ *Piſanæ* Doctoribus,
quos honoris & amicitiæ etiam cauſa nomino.
Quod vero obſervavi in vetuſtis inſcriptionibus
menſem Septembrem abbreviatis literis ſignatum
fuiſſe: SEP. vel etiam SEPT. ſi in *Piſano* ceno-
taphio ſcalptum fuit SEP. duæ unitates addendæ
erunt, nempe: XIIII. K. SEP. Haud tamen
arbitror quempiam tanta teneri curioſitate cogno-
D ſcendi diem ipſum obitus *Lucii*, ut velit me ha-
riolum fieri, ac eundem divinare; præſertim cum
in eodem vacuo ſpatio legi potuerit XVII. K.
SEP. Uno verbo; Mors *Lucii* contigit anno V.
755. menſe Auguſto intra diem 16. ac 21. ejuſ-
dem menſis. Ex hac tamen pretioſa plane tabula
Piſana patet erraſſe *Salianum* ac *Ricciolium*, qui
obitum illius *Cæſaris* ad Decembrem A. 755. pro-
trahunt, cum *Piſis* die 19. Septembris decreta
fuerint ſacra funebria ejuſdem Manibus quotannis
ſtata die inſtauranda.

Florus *libro* IV. *cap. ult. de Cajo* ac *Lucio* ſcri-
E bens, ait: *Ambo fato breves; ſed alter inglorius;*
Maſſiliæ quippe Lucius morbo ſolvitur. Recte *in-*
glorius eidem dicitur; nam *Lucius* in ſummo aulæ
otio educatus, nulla legionum caſtra, nullos ho-
ſtium exercitus viderat, ac vix *Italia* egreſſus,
repentino morbo ſublatus eſt. *Auguſtus* ægre &
acerbe tulit *Cæſaris* filii mortem, quod uni tan-
tum *Cajo* ſpes ſucceſſionis inniteretur. *Tiberius*
Lucium privignum immaturo fato ſublatum, ly-
rico carmine deflevit, cui titulum dedit: *Con-*
queſtio de Lucii Cæſaris morte: teſte Suetonio *cap.*
70. *de vita Tiberii.* Crocodili lacrymas dixeris;
etenim æmulo imperii, cui inhiabat, extincto,
F altero tantum gradu à ſupremo rei *Romanæ* faſti-
gio ſe diſtare lætabatur, quamvis in ſpeciem do-
lorem ob mortem *Cæſaris* præ ſe ferret. Interea
cum *Romæ*, ac *Piſis* ceteriſque in *Italiæ* coloniis
defuncti *Lucii* Manibus ſacra funebria certatim
fierent, ejuſdem mortis nuntium *Cajus* frater ac-
cepit. Qua vero conſtantia ſimul dolori mixta
improviſum fratris obitum idem exceperit, de-
ſcribit Seneca *cap.* 34. *de conſolatione ad Polybium,*
Claudium Auguſtum hæc fantem inducens: *Cajus*
Cæſar Divi. Auguſti avunculi mei nepos circa pri-
mos

mos juventutis suæ annos, Lucium fratrem cariſſimum ſibi, princeps juventutis principem juventutis amiſit, in apparatu Parthici belli; & graviore multo animi vulnere, quam poſtea corporis, ictus eſt: quod utrumque idem piiſſime & fortiſſime tulit. Recte *Seneca* non bello *Parthico* dixit, ſed *in apparatu Parthici belli*; quod bellum paullo antea facta pace, compoſitum fuerat. Ex his autem *Senecæ* verbis colligimus hoc anno *Cajum* in *Syria* ſubſtitiſſe, neque in *Armeniam* profectum; ſiquidem antequam *Phraates* præſidia ab *Armenia* revocaret, ac ceteræ conditiones pacis executioni demandarentur, illiuſque ratihabitionem ab *Auguſto Cajus* acciperet, ac quis *Armeniæ* rex imponendus eſſet, decerneretur, exiit æſtas anni Urbis 755. ac *Cajus* in apparatu belli *Parthici* circa exitum Septembris nuntium accepit obitus *Lucii Cæſaris* fratris. Auctor eſt *Vellejus* Auguſtum *poſt Lucii mortem, adhuc Cajo vivo*, deliberaſſe *Tiberium* in filium per adoptionem adiciſcere, veritus ne ſi *Cajo* in Oriente morante, improviſo fato raperetur, quiſpiam ex aliena familia vacuam *Romæ* imperii ſedem occuparet; at *vehementer repugnante Nerone*, inhibitum fuiſſe, ne deſtinatam adoptionem perageret. *Liviam* quidem in id conſilii *Auguſtum* traxiſſe non dubito; illa enim nil magis in votis habebat, quam *Tiberium* filium in partem imperii ab *Auguſto* vocari. Immo non defuere qui *Lucium* doloſa potius *Liviæ* arte, quam morbo ſublatum putaverint, teſte *Dione* ac *Tacito*, quorum verba inferius recitabo. Cum vero *Romæ* à Senatu honores funebres *Lucio* demortuo decreti fuiſſent, *Piſani* coloni annuas inferias ſtata die quotannis ejuſdem *Cæſaris* Manibus per magiſtratus togis pullis indutos, mittendas decreverunt, ſacrificiis ac libationibus deſignatis, de quibus diſſertatione inſequenti ex profeſſo, ut ajunt, ſermo redibit. Ne vero ejus decreti oblivio ullo unquam tempore induceretur, idem in marmorea tabula incidendum curaverunt.

267

CAP. XVI.

P. Sulpicius Quirinius Cajo Cæſari *novus ab* Auguſto *Rector imponitur.* Baronii *ac* Saliani *ea de re ſententia expenditur. Præſides* Syriæ *ab anno Urbis DCCVII. uſque ad annum DCCCXXII. enumerantur.* Caſauboni *ac* Montacutii *errores in eorundem catalogo contexendo, paſſim notantur.*

A*uguſtus M. Lollii* quem rectorem *Cajo* aſſignaverat, morte intellecta, *P. Sulpicium Quirinium* novum juventæ *Caji* moderatorem deſignavit. Paucis hominem deſcribit Tacitus L. III. *Nihil*, inquit, *ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: ſed impiger militiæ, & acribus miniſteriis conſulatum ſub D. Auguſto, mox expugnatis Homonadenſium caſtellis, inſignia triumphi adeptus, datuſque rector Cajo Cæſari Armeniam obtinenti; Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat, quod tunc patefecit in Senatu: laudatis in ſe officiis, & incuſato M. Lollio, quem auctorem Cajo Cæſari pravitatis & diſcordiarum arguebat.* Hæc Tacitus. Illa interim verba notanda ſunt: *datuſque rector Cajo Cæſari Armeniam obtinenti*, quæ non obſcure indicant anno Urbis C. 756. *P. Quirinium* rectorem deſignatum, cum *Cajus* primo ſtatim impetu, ut capite 17. oſtendam, *Armeniam* occupaſſet. Apud *Livium*, ac alios *Romanos* ſcriptores *obtinere provinciam*, idem eſt ac ſortiri provinciam, vel in pace regendam, vel bello aggrediendam. At cum *Cajus* univerſo Orienti præpoſitus fuerit, nequit dici unam *Armeniam* obtinuiſſe; quare idem eſt ac *Armeniam* jam poſſidenti. Si vero *Tacitus* phraſe *Romana* uſus, ſignifi-

A care voluit, bellum contra *Armenios* decretum *Cajo*, ita ut nondum *Armeniam* occupaverit, nolo hac de re cum quopiam contentionis funem ducere, ac libenter concedam *Quirinium* poſteriori parte anni ſuperioris V. C. 755. *Cajo Cæſari* rectorem impoſitum. *Baronium* tamen probare non poſſum in additionibus in calce *tom.* 10. vel in poſterioribus editionibus ad A. Chriſti III. ſcribentem de Quirinio: *Cajo in Syriam proficiſcenti datus eſt ab Auguſto rector, cui & ſucceſſit poſt mortem.* Nam ex *Vellejo* qui ſub *Cajo* militabat, & *Suetonio*, *Cajo* in *Aſiam* proficiſcenti, *M. Lollius* rector ab *Auguſto* datus fuit; B *Quirinius* vero rector eidem impoſitus *Armeniam* obtinenti, ut *Tacitus* diſerte teſtatur. *Salianus* pro arbitrio hiſtorias ſibi compingens, ad A. M. 4052. num. 34. ſcribit Quirinium *datum Cajo rectorem, ut tum in Syria, tum in Armenia, & Aſia Cajo dux eſſet, & comes, & Lollii ſucceſſor, ut ſupra dixi, ſi quid Lollio humanitus contigiſſet.* Et ante num. 12. dixerat: *Mox de rectoris honorario ſocio factus eſt rector ex Auguſti, ut apparet, deſtinatione, ne in tam longinqua regione, dum conſulitur Auguſtus, juvenis rectore careret, utque via ambitioſis litibus præcideretur.* Hæc ille fingit geſta *Auguſto* XIII. C conſule V. C. 752. cum tamen labente A. V. 755. *Lollius* deceſſerit; *Quirinius* vero anno inſequenti *Roma* profectus, in *Aſiam* venerit rector *Cajo* impoſitus. Nam poſt mortem *Lucii* uxorem duxit *Æmiliam Lepidam* eidem *Cæſari* antea deſti- 268
natam, uti ſuperiori capite ex *Tacito* ac *Suetonio* narratum eſt. Rurſus *Quirinius* datus eſt rector *Cajo Armeniam obtinenti*, quod hoc ſolum A. V. 756. contigit; nam ante hunc annum in *Arabia* ac *Syria* tantum fuerat. Cum autem *Tacitus* ſcribit de *Quirinio*: *Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat*, neutiquam id referendum eſt ad id temporis, cum rector *Caji* in *Aſia* verſaretur. Nam D *Lollius* diem obiit poſt pacem cum *Parthis* factam, & *Cajus* reditui *Tiberii Romam* aſſenſus eſt, *Lollio* adhuc ſuperſtite. Quando vero *Tiberium* coluerit, paulo inferius indicabitur. Profecto non video cur non etiam per literas officii & obſequii erga *Tiberium* teſtimonium dare potuerit, ſed coram tantum erga eundem officioſus fuiſſe dicendus ſit. In has tamen præpoſteras ſententias plerique viri eruditi deſcenderunt, ut *Quirinium* anno natali Chriſti Domini *Syriæ* præſidem adſtruerent, quod in *Evangelio D. Lucæ cap.* 2. legatur: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis. Hæc deſcriptio prima* E *facta eſt à præſide Syriæ Cyrino*; cum vero parentes Domini Servatoris in *Bethlehem* proficiſcerentur, nomen daturi, *Chriſtus* natus eſt. Hinc putant *Quirinium Syriæ* præſidem fuiſſe, cum *Cajus* in Oriente rem *Romanam* adminiſtraret. Hac occaſione Cardinalis Baronius *in Apparatu* à *num.* 85. ab initio regni *Herodis* uſque ad Chriſti natalem *Syriæ* præſides enumerat, & eos inter A. V. 748. recenſet *Cajum Cæſarem*, quod antea ſcripſerat Pighius *tom.* 3. *Annal.* ad A. V. 754. & poſtea etiam Torniellus *tomo* 2. *Annal.* anno Mundi 4048. *num.* 1. aliique. *Salianus* ad A. M. 4052. F in titulo grandioribus characteribus ſcribit: *Præſide Syriæ Quinctilio Varo & Cyrino*, binos una ſimul eidem pacatæ provinciæ rectores imponens, cujus vix exemplum in hiſtoria *Romana* invenitur. Ceterum cum *Baronius* parum feliciter *Syriæ* præſidum catalogum concinnaſſet, *Caſaubonus* novum indicem contexuit, præfatus *Exercitat.* 1. *ad Apparatum Baronii num.* 85. *Ad cognitionem temporis, quo natus eſt Servator mundi, momentum affert non leve præſidum Syriæ ſucceſſio recte expoſita.* At ne *Caſauboni* quidem diligentia omne punctum tuliſſe viſa eſt *Montacutio*; quare &

& ipſe manum eidem operi admovit in Apparatu IV. ad Origines Eccleſiaſticas, initio ſtatim vociferatus Baronium *errare multipliciter*, *& in pleriſque pueriliter*; *confundere ac perturbare ordinem temporum*, *rerum ſeriem.* Sed ipſe ſane *Montacutius* in eo catalogo reficiendo ſæpiſſime deficit, plerunque procul à vero exorbitat, ac ſemel pluſquam pueriliter errat. Hinc in animum induxi præſides *Syriæ* recenſere, non tantum ut palam demonſtrem *Cajum Cæſarem* perperam inter eoſdem recitari, verum etiam ut adminiſtrationis *Syriacæ Quirinii* tempus intelligatur, ac cenſores *Baronii* talionem ferant. At ne longior ſcribendus mihi index evadat, decrevi præſides *Syriæ* enumerare ab A. V. 707. quo *Julius Cæſar* extincto *Pompejo*, victor ex *Ægypto* res *Syriæ*, inconſulto Senatu, pro arbitrio diſpoſuit.

269 §. I.

Sex. Julius Cæſar *A. V.* 707. Syriæ *impoſitus.* Caſaubonus *diuturniorem ejuſdem præfecturam putans*, *refellitur.*

C*æſar* capta *Alexandria*, noluit *Ægyptum* in provinciæ formam reducere, ſed regiam poteſtatem *Cleopatræ* ejuſque minori fratri, æquata auctoritate, conceſſit; major enim natu frater *Ptolomæus* Rex nuper prœlio victus, in fuga perierat. *Cæſar Ægypti* rebus compoſitis, ac tribus legionibus ibidem novorum regum præſidio relictis, in *Syriam* venit A. V. 707. Hirtius *de bello Alexandrino cap.* 65. *de Cæſare*, ait: *Paucis diebus in ea provincia conſumptis*, *Sex. Cæſarem amicum & neceſſarium ſuum legionibus*, *Syriæque præfecit.* Menſe Quinctili anni Pompiliani, ſeu Majo in forma Juliana *Cæſarem* fuiſſe *Antiochiæ* ex *epiſtola* 19. *lib.* XI. *ad Atticum*, & ex Chronico *Joannis Malelæ Antiocheni*, quod nuper editum fuit, erudite probat Uſſerius *tom.* 2. *anno* 47. ante vulgarem epocham Chriſti. *Sextus Cæſar* A. V. 705. primo civilis belli ſub *Cæſare* in *Hiſpania* militaverat; cum *Varro Pompeji* legatus undique concluſus à *Cæſare*, legionem tradere coactus fuit; *ille ad eum Sex. Cæſarem miſit*, *atque huic legionem tranſdi juſſit*; *lib.* II. *de bello civ. cap.* 20. *Sex. Cæſar* accepta pecunia, *Herodem Syriæ* præfecit, teſte Joſepho *lib.* XIV. *Antiq. cap.* 17. *Caſaubonus* ſcribit illum præfuiſſe *Syriæ uſque ad illud tempus fere quo Cæſar bellis confectis*, *reverſus eſt in Italiam.* Cæſar victis filiis *Pompeji* in *Hiſpania*, *menſe Octobri in urbem* rediit A. V. 709. ex Vellejo *lib.* II. *cap.* 56. At *Sextus Cæſar* ante menſes circiter ſexdecim in *Syria* occiſus fuerat. Nam *Cæcilius Baſſus* equeſtris Ordinis vir, qui è pugna *Pharſalica Tyrum* ſe receperat, venia à *Cæſare* impetrata, cum ſiniſtra de bello ejuſdem in *Africa* contra *Scipionem* nuntiarentur, fingens literas ad ſe ab eodem *Scipione* datas, quibus ſignificabat *Cæſarem* acie victum, in *Africa* cecidiſſe, ac ſibi *Syriam* provinciam demandatam, legionariis quibus *Sex. Cæſar* præerat, perſuaſit, ut eundem interimerent: quo interempto, *Syriam* occupavit. Ita Dio *lib.* XLVII. ac Libo apud *Appianum lib.* III. *bel. civ. pag.* 576. At *Cæſar* ſub initium Aprilis A. V. 708. *Scipionem* in *Africa* profligavit, ex Hirtio *de bello Afric. cap.* 79. Igitur ante eum menſem, vel certe ante Majum ejuſdem A. V. 708. *Cæcilius Baſſus* ſiniſtram *Cæſaris* pugnam in *Africa* ejuſque necem ex confictis *Scipionis* literis publicavit; nam inito Majo, victoriæ *Cæſaris* fama quoquoverſum pervenerat.

270 §. II.

Q. Cæcilius Baſſus Syriam *occupat A. V.* 708. Q. Cornificius *à* Cæſare *contra* Baſſum *deſtinatur.* *Eruditiſſimi* Grævii *ſententia de anno proconſulatus* Cornificii *in* Africa *expenditur.* *Quo anno ſcriptus à* Cicerone *liber de Oratore ad* Brutum.
A Antiſtius Vetus *Quæſtor bellum in* Syria *contra*
Baſſum *gerit.*

C*æſar Scipione* ac *Juba* rege in *Africa* victis,
ac *Numidia Jubæ* regno in provinciæ for-
mam redacta, Idibus Juniis A. V. 708. ex *Afri-*
ca in *Italiam* cum claſſe reverſus eſt. Hirtius in
fine *lib. de bello Africano.* Tum *Q. Cornificio Sy-*
riam ac bellum contra *Cæcilium Baſſum* eundem
Cæſarem demandaſſe colligo ex literis *Ciceronis* ad
Cornificium datis *lib.* XII. *familiarium.* *Q. Cor-*
nificius A. V. 706. quæſtor pro Prætore *Illyricum*
cum duabus legionibus juſſu *Cæſaris* occupave-
rat, *Pompeji* ducibus è provincia fugatis, ex Hir-
B tio *cap.* 42. *de bello Alexandrino.* Accepto vero
ſucceſſore A. 707. *Appio Claudio*, *Ciliciam* vide-
tur obtinuiſſe ex *epiſt.* 17. libri laudati, in qua
hæc eidem Cicero ſcribit: *Ex Syria nobis tumul-*
tuoſiora quædam nuntiata ſunt, quæ, quia tibi ſunt
propiora quam nobis, tua me cauſa magis movent
quam mea. *Manutius*, & *Corradus*, ad quos no-
viſſime acceſſit *Joannes Georgius Grævius* vir no-
ſtræ ætatis doctiſſimus, cenſent memoratam epi-
ſtolam ſcriptam fuiſſe ad *Cornificium Africam* pro-
vinciam obtinentem, & ut ait Grævius: *Q. Fabio*
Maximo, C. Trebonio Coſſ. Hos conſules crea-
vit *Cæſar* A. V. 709. menſe Octobri *Romam* re-
C verſus, ex Dione *lib.* XLIII. Suetonio in *Cæſa-*
re cap. 76. unde etiam *cap.* 80. *Q. Fabium Maxi-*
mum trimeſtrem conſulem appellat. Idem ex fa-
ſtis Capitolinis ac tabula Collotiana apparet; utro-
bique enim iidem conſules leguntur ſuffecti *Cæſa-*
ri conſuli IV. Verum exeunte A. V. 709. *Q. Cor-*
nificium non fuiſſe proconſulem *Africæ* patet ex
Cicerone, qui in tertia philippica narrat *M. Anto-*
nium conſulem A. V. 710. ante diem IV. Kal.
Decembris Senatum in Capitolium coegiſſe, ubi
provinciarum religioſa ſortitio peracta fuit, addit-
que poſt quoſdam: *C. Calviſius Africam. Nihil*
felicius; modo enim ex Africa deceſſerat: & quaſi
D *divinans ſe rediturum, duos legatos Uticæ reliquerat.*
Igitur *C. Calviſius Sabinus* poſtrema parte anni
Urbis 709. *Africam* obtinebat, è qua anno inſe-
quenti diſcedens, duos ibidem apud *Uticam* lega-
tos reliquerat, eamque ab *Antonio* prorogato im-
perio, iterum A. V. 710. obtinuit, ac proinde
Q. Cornificius poſtrema parte anni 709. *Q. Fabio*
ac *C. Trebonio* Coſſ. *Africam* non regebat. Rur-
ſus Cicero in laudata illa epiſtola 17. dum ait: *Ex*
Syria nobis tumultuoſiora quædam nuntiata ſunt,
quæ, quia tibi ſunt propiora quam nobis, tua me ma-
gis cauſa movent quam mea, non obſcure indicat ſe
illa ſcribere, cum primum tumultus in *Syria* à *Q.*
E *Cæcilio Baſſo* concitati nuntius *Romam* allatus fuiſ-
ſet. At exeunte A. V. 709. bellum ultra annum
in *Syria* contra *Cæcilium Baſſum* gerebatur. Et
ſane cur *Syriacos* tumultus *Q. Cornificio* propiores,
eorumque cauſa ejuſdem ſe cura angi *Cicero* dicere
potuiſſet, cum *Cornificius* in altera Orbis parte,
nempe *Africa*, id temporis cum imperio eſſet?
Præterea ibidem ait Cicero: *Proxime ſcripſi de opti-*
mo genere dicendi &c. Eſt liber *de Oratore ad M.*
Brutum, ut in notis recte monent laudati inter-
pretes. Porro eo in libro hæc ad Brutum ſcribit:
Ergo omnibus terris una Gallia communi non ardet
incendio, in qua frueris ipſe te, cum in Italiæ luce
F *cognoſceris, verſariſque in optimorum civium flore*
vel robore. Cæſar anno V. 707. ante Januarias
M. Brutum Galliæ Ciſalpinæ præfecerat, ex *Plu-*
tarcho in *Cæſare*, & Appiano *lib.* II. *bel. civ. pag.*
397. Anno vero 709. tertio Kal. Januarias *C.*
Vibius Panſa urbe egreſſus eſt, *M. Bruto* ſucceſſor
datus, ex Cicerone *epiſt.* 17. *ad Caſſium lib.* XII.
familiarium. Ex his patet *Ciceronem* librum *de*
Oratore ſcripſiſſe priori parte A. V. 708. cum
M. Brutus Galliam cis Alpes teneret, quem qui-
dem

dem librum cum *proxime* abs se scriptum dicat in memorata epistola ad *Cornificium*, hanc quoque colligimus datam A. V. 708. Ex insequenti etiam epistola 18. ad eundem vulgaris illa interpretum opinio refellitur. Hæc ille ait: *Quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temere: nec antequam scisses, quo iste nescio quis Cæcilius Bassus erumperet.* Cur *Cornificius Africæ* proconsul propriam sibi curam fecisset belli contra *Bassum* in *Syria* longinqua adeo provincia gerendi? Quis ex his non intelligit *Cornificium* in *Cilicia*, vel forte *Asia*, vicinis *Syriæ* provinciis id temporis fuisse? Addit Cicero: *Equidem sic jam obdurui, ut ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderem T. Plancum, audirem Laberii, & Publii poemata.* *Ragazonius* ac *Manutius* plane errant scribentes hosce ludos exhibitos à *Cæsare* A. V. 709. ab *Hispaniensi* bello *Romam* reverso. Nam dati sunt postquam A. V. 708. ex *Africa* victor redierat, ex Dione *lib.* XLIII. Appiano *lib.* II. *pag.* 492. Livio *lib.* CXV. Suetonius etiam eosdem paucis describens *in Cæsare cap.* 39. ait: *Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum suum egit.* Et sane omnia ludorum genera ibidem à *Suetonio* memorata, recitat *Dio* ad A. V. 708. antequam *Cæsar* ultimam expeditionem contra *Pompeji* liberos *Hispaniam* obtinentes, susciperet. Et antea in eadem epistola 18. dixerat: *In summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis discedere. Utrumque contra accidit; istic enim bellum est exortum; hic pax consecuta.* Hinc etiam solidissime probatur *Q. Cornificium* non fuisse A. V. 709. *Africæ* proconsulem. Nam anno V. 708. *Pompejanis* reliquiis in *Africa* superatis, ac *Numidia Romanis* provinciis adjecta, *Cæsar Romam* transmisit, primumque bellum in *Africa* erupit A. V. 712. cum *T. Sestius Antonio*, *Cornificius* vero *Cæsari Octaviano* studentes, infesta sibi signa intulerunt, uti Dio *lib.* XLVIII. & Appianus *lib.* IV. *pag.* 620. testantur. Immo *Appianus* post initum triumviratum bellum civile in *Africa* exortum scribit, cum *Sestius* denuntiasset *Cornificio*, ut *Africa* vetere sibi decederet, *quod universa Africa ex triumvirali divisione Cæsari deberetur.* Quare auctore *Appiano*, pax à *Julio Cæsare* in *Africa* A. V. 708. constituta, post quadriennium civili primum bello turbata est. At teste *Cicerone*, ea in provincia, in quam *Cornificius* missus fuit, vel certe in finitima, *bellum exortum est*, sola autem *Cilicia* finitima erat *Syriæ*, in qua *Cæcilius Bassus* tumultus exciverat. Hæc plane sunt argumenta, quibus vel invitus cogor ab eruditissimi *Grævii* sententia discedere.

Itaque cum *Cornificius* A. V. 708. conterminam *Syriæ* provinciam administraret, *Cæcilio Basso Syriam* occupante, *Cæsar* eandem *Syriam* ac
272 bellum contra *Bassum Cornificio* demandavit. Cicero in *epistola* 19. ad eundem, ait: *Bellum quod est in Syria, Syriamque provinciam tibi tributam esse à Cæsare, ex tuis literis cognovi.* Annus quo data est hæc epistola nulla chronologica nota designatur. Illam tamen scriptam A. V. 709. ex *Cicerone* ipso non obscure mihi videor colligere. Nam uti demonstratum est, *Cornificius* A. V. 708. vicinam *Syriæ* provinciam obtinebat. Anno autem 710. *Africam* proconsul administrabat. Etenim Cicero *epist.* 21. commendat *Cornificio Canicium*, seu rectius cum *Grævio*, C. Anicium, *qui negotiorum suorum causa legatus in Africam, legatione libera*; rogatque ut *Anicio* lictores tradat, Senatoriæ dignitatis ornandæ gratia. In epistola vero 22. narrat *Cornificio* Senatum ad XIII. Kal. Januarias sibi assensum *de provinciis ab iis qui obtinerent, retinendis*, addens: *Hoc ego tum Reip. causa censui, tum mehercule in primis retinendæ*

A *dignitatis tuæ.* Hanc orationem habuit *Cicero* die 20. Decembris A. V. 710. eamque diem sæpius memorat in Philippicis, uti *cap.* 17. alia occasione dicetur. Igitur si *Cornificius* A. V. 710. *Africam* cum imperio tenebat, eique auctore *Cicerone*, imperium in eadem provincia prorogatum fuit, A. V. 709. *Syriam* à *Cæsare* obtinuit. Usserius *tom.* 2. *Annalium* anno ante Christi Epocham 44. V. C. 710. scribit hoc anno *Cornificio Syriam* decretam; at necato Idibus Martiis *Cæsare*, *Syriam* datam *P. Dolabellæ*, *Cornificium* vero in *Africam* pro consule missum. Idem docet Montacutius *cit. num.* 13. Verum
B A. V. 710. quo *Cæsar* necatus fuit, *L. Murcus*, ut proxime ostendam, *Syriam*, decreto *Cæsaris*, provinciam habebat. In annum vero 711. à Cæsare *Syriæ Cassius*, *Brutus Macedoniæ* ex urbana prætura præsides designati fuerant, ex Appiano *lib.* II. *bel. civ. pag.* 527. cujus testimonium in dubium perperam vocant ex illis verbis *Ciceronis* de decreta *Syria Cornificio*, quod recte quidem facerent, si aliunde constaret loqui *Ciceronem* de proconsule *Syriæ* pro A. V. 711. Itaque *Q. Cornificius* A. V. 709. *Syriam* provinciam obtinuit. Et quidem *Cicero* ea in epistola ait: *Sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sane me commovit.*
C *Quantum copiarum haberes, cum ipse conjectura consequi poteram, tum ex tuis literis cognovi. Itaque opto, ne se gens moveat hoc tempore, dum ad te eæ legiones perducantur, quas audio duci.* Ex his patet *Cornificium* id temporis in vicina *Parthis* provincia sive *Cilicia*, sive *Syria* fuisse cum copiis, quarum ipse numerum ad *Ciceronem* perscripsit, cum etiam sibi à *Parthis* timeret, ne *Cæcilio Basso* auxiliares copias submitterent; quo etiam tempore ad eundem legiones jussu *Cæsaris* ducebantur, ad bellum contra *Bassum* profligandum. Idem *Cornificius* A. V. 710. *Romam* venit, eumque in *Cumano* ac *Pompejano* diversatum scribit
D *Cicero* epistola sequenti 20. quo anno, necato *Cæsare*, *Africam* obtinuit, succedens *C. Calvisio*, qui spe retinendæ provinciæ, duos legatos *Uticæ* reliquerat. Illum vero provinciam obtinuisse à Senatu patet ex Appiano *libro* IV. *bel. civ. pag.* 620. cum enim *Sestius* instaret apud *Cornificium* ut *Africam* sibi à *Cæsare* juvene Triumviro destinatam concederet, respondit: *Æquum esse, ne cui Senatus injussu decederet provincia, quam à Senatu accepisset.*

C. Antistius Vetus, quem quæstorem fuisse indicat, quod ex *Syria Romam* postea reversus est ad præturam petendam, ex epistola *M. Bruti* inter
E familiares *Ciceronis* ad *Brutum* undecima, collectis copiis privata auctoritate, ut *Cæsaris* Dictatoris benevolentiam ac gratiam sibimet quam maxime conciliaret, contra *Cæcilium Bassum* A. V. 708. 273 profectus est. At *Bassus Apameam Syriæ* occupatam, egregie muniverat, intra eandem se continens cum legione, quam una cum vita *Sex. Cæsari* eripuerat. Idem *ex novo delectu alteram legionem confecerat*, teste Appiano *lib.* III. *bel. civ. pagina* 576. Nam ut, inquit Dio *lib.* XLVII. *omnes qui valida essent ætate, non liberos tantum, sed servos etiam ad militiam delegit, pecuniam confecit, arma fabricavit*; qui addit *Bassum Syriæ* se Præ-
F torem nominasse. Cum *Antistius* vario Marte circa *Apameam*, quam obsederat, sæpius dimicaret, bellum novis suppetiis restauraturus, inde discessit, atque ita exiit A. V. 708. *Q. Cornificius* contra *Bassum* una cum *Antistio Vetere* bellum gerere à *Cæsare* jussus, A. V. 709. in *Syriam* cum imperio proconsulari venit. Dio *lib.* XLVII. *Antistio*, inquit, *finitimi qui Cæsaris rebus studebant* (nempe Cornificius, aliique inferioris auctoritatis duces) *missique Roma milites accesserunt*; nem-

pe eæ legiones, quas *Cicero* duci ad *Cornificium* intellexerat, *epist.* 19. *cit. lib.* XII. familiarium. Verum cum *Basso* auxiliares copiæ advenissent, missæ ab *Emessenorum* regulis, ac *Alchædamus Arabum* regulus in ejusdem castra descendisset, bellum in *Syria* recruduit. Strabo *libro* XVI. *pagina* 518. de *Basso* scribit: *Nam & exercitum regio alebat, & socios habebat permultos regulos, qui loca munita in proximo tenebant.* Josephus etiam *libro* XIV. *Antiquitat. cap.* 17. ait; *Magnum bellum exortum est circa Apameam, Cæsarianis ducibus contra eum venientibus cum equestribus ac pedestribus copiis.* Interea *Cæsar* utroque *Pompeji* filio difficili ac periculoso prœlio in *Hispania* victis, ac ejus regionis urbibus in deditionem acceptis, mense Octobri, ut *Vellejus* est auctor, *Romam* reversus, *L. Statium Murcum* probatæ virtutis virum proconsulem cum tribus legionibus in *Syriam* contra *Cæcilium Bassum* destinavit.

§. III.

L. Statius Murcus *A. V.* 710. *in* Syriam *venit, ac una cum* Q. Marcio Crispo *bellum contra* Cæcilium Bassum *continuatur.* Casauboni *ac* Montacutii *error.* Appiani *interpres perperam à* Montacutio *corrigitur.* *Legio* Appiano τέλος *nuncupata.* *Apud* Strabonem τάγμα *itidem legionem significat, ac* Casauboni *interpretatio rejicitur.* *De numero legionum* Cassii Longini *in* Syria. *Error* Usserii *de anno quo* Tullius Cimber Bithyniam *administravit.*

APpianus *lib.* III. *cit. pag.* 576. scribit: *Sestius Murcus cum tribus legionibus à Cæsare contra eos,* videlicet *Bassum* ac sub eo militantes legionarios, *missus, magna vi repulsus est: donec Minutius Crispus è Bithynia, cui præerat, vocatus, cum aliis tribus legionibus venit in ejus auxilium.* Horum proconsulum nomina corrupte exprimuntur. *Casaubonus* ait à Dione *lib.* XLVII. *Statium Murcum* appellari quem *Appianus Sestium* dicit, quorum cum utraque familia *Romæ* fuerit, *neque facile*, inquit, *nunc dixerim utra sit vera lectio.*
274 Idem rursus scribit, ex Dione *lib.* XLVII. *Bellum gerunt adversus Bassum M. Crispus & L. Statius Murcus. Possit videri hic Josephi Marcus, esse Marcus Crispus.* Josephus *libro* XIV. *capite* 17. ait: *Id bellum dum trahitur, Marcus venit Sexti successor.* Montacutius *cit. Appar.* IV. *num.* 12. scribit à Vellejo *Stajum Murcum* appellari; unde eam lectionem secutus: *Misit*, inquit, *ab Italia Stajum illum Murcum.* Duo isti severi Baronii censores hallucinati sunt. Cicero in philippica XI. ait: *Senatui placere C. Cassium proconsulem provinciam Syriam obtinere, ut qui eam optimo jure provinciam obtinuerit, eumque à Q. Marcio Crispo proconsule, L. Statio Murco proconsule, A. Allieno legato exercitus accipere, eosque ei tradere.* Marcus Brutus *epist.* 11. *ad Ciceronem* ait: *Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem à Murco, & à Marcio, & ab exercitu ipso accersitus.* Cassius *libro* XII. *famil. epistola* 11. *ad Ciceronem* scribit: *In Syriam me profectum esse scito ad L. Murcum, & Q. Crispum imperatores.* Horum nomina apud illos Græcos scriptores depravata, facile ex epistolis Ciceronianis, quæ puerorum manibus teruntur, corrigi poterant. Et quidem *Statius Murcus legatus* commendatur à Cæsare *libro* III. *de bello civili capite* 15. qui pro eodem strenue rem apud *Oricum* gessit. Tacito quoque *libro* I. *historiarum* nominatur *Statius Murcus Pisonis* Cæsaris interfector. Ita *Murcus* proprium *Statiæ* gentis cognomen erat. *Montacutius* advertere debebat nusquam *Stajam* familiam inter *Romanas* ab historicis recenseri. Unus *M. Stajus* *Flaccus* Duumvir municipalis legitur apud Gruterum *pag.* 1087. I. Idem vero *Montacutius Appiani* interpretem reprehendit, qui *L. Statium Murcum* proconsulem in *Syriam* missum dixerit μετὰ τριῶν τελῶν, *cum tribus legionibus*, cum vertendum Latine fuisset: *cum tribus cohortibus velatis; non enim*, inquit, τάγμα, *sed* τέλη *scriptum apud Appianum.* Male, ut suam eidem vocem reddam. In superiori *capite* 14. ostendi τάγμα pro cohorte accipi à *Casaubono*, cum tamen eo loci *Strabo* legionem significaverit. Certum est *Cæsarem Dictatorem Sexto Cæsari* legionem in *Syria* reliquisse, quam ad se postea *Cæcilius Bassus* transtulit. Ea vero ab Appiano τέλος dicitur pagina eadem 576. Idem Appianus *libro* IV. *bel civil. pag.* 652. scribit de numero legionum in pugna Philippensi: ἐνεκαίδεκα ὁπλιτων τέλη, *undeviginti militum legiones.* Si vertas *cohortes*, risu excipieris, cum utrinque totius *Romani* Orbis, de cujus imperio à Triumviris certabatur, exercitus eo convenerint. *Libro* IV. *pag.* 656. legio Martia τέλος eidem dicitur; at cohortem prætoriam ibidem ςρατηγίδα σπεῖραν appellat. *Lib.* II. *pag.* 488. legio quinta, cujus insigne erat elephantus, τέλος dicitur. Ibidem *pag.* 446. legio quam *Pompejus* à *Cæsare* repetiit sub initium belli civilis, rursus *pag.* 455. duæ legiones cum quibus *Curio* in *Africam* transmisit, ex Cæsare *libro* II. *de bello civil. capite* 23. & *pag.* 457. legio nona quæ apud *Placentiam* seditionem conflarat, ex *Suetonio* in *Julio capite* 69. ubique τέλος eidem *Appiano* scribitur. Laudavi testimonia in quibus vox τέλος nulla ratione pro cohorte accipi potest, sed ubique legionem dubio procul significat. Ineptus essem, si innumera alia loca *Appiani* laudarem, quæ passim in ejusdem libris occurrunt. Strabo *libro* XVI. *pag.* 518. scribit *Cæcilium Bassum Apameam* tenuisse cum duabus legionibus, ταγμάτων voce usus. *Casaubonus* ait: *cum duabus cohortibus.* Sed legiones dicendæ sunt, nam alteram *Cæsar Sexto* reliquerat, alteram ex novo delectu confecerat, ex Appiano §. I. *citato.* Usserius etiam *tomo* 2. *Annal.* anno quadragesimo tertio ante vulgarem epocham Christi *pag.* 381. scribit *L. Statium Murcum* cum *tribus agminibus*, contra Bassum, cui *duo agmina* aderant, profectum; *Siquidem*, inquit, *unicam tantum legionem constituisse ex Cassii ad Ciceronem literis constat lib.* XII. *fam. epist.* 11. & 12. Sed plane *legiones* scribendum patet ex *Cassii* literis; nam epistola 11. ait: *L. Statium Murcum* ac *Q. Marcium Crispum exercitus sibi tradidisse.* At sex agmina, quorum singula legionis numerum non æquabant, non poterant exercitus plurali numero nuncupari. Ibidem vero *Cassius* ait: *legionem quam Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me venisse scito.* Nempe quæ erat *Romanorum* militum; alteram vero legionem, quam *Bassus* tumultuariam *ex servis* etiam conscripserat, non nominat, quod turpe esset eandem *Romanis* legionibus adjungere. Vellejus *lib.* II. ait: *C. Cassius acceptis à Stajo* (Statio) *Murco & Crispo Marcio, prætoriis viris, imperatoribus, prævalidis in Syria legionibus &c.* Ita non agmina, sed *legiones* & quidem *prævalidas* appellavit. Additque de eodem Cassio: *& decem legiones in eo tractu*, hoc est Syria, *sui juris fecerat.* Quintus Cassius lib. XII. famil. epist. 13. scribit ad Ciceronem, *Cassius noster cum decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliariis, & quatuor millibus equitum à M. P. viginti castra habet*, cum Dolabellam premeret. Appianus *lib.* III. *pag.* 576. narrat Cassium *duodecim legiones* habuisse, tres *L. Statii*, totidem *Q. Crispi*, quæ *Bassum* apud *Apameam* obsidebant, duas ipsius *Bassi*, ac denique quatuor, quas *Allienus* legatus *Dolabel-*

labellæ ex *Ægypto* deduxerat. At Cassius ipse *lib.* XII. *fam.* laudata epistola 11. scribit, se obtinuisse exercitus *L. Murci* ac *Q. Crispi* nempe sex legiones. Item *legionem quam Q. Cæcilius Bassus habuit ad me venisse scito. Quatuorque legiones quas A. Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito.* Igitur undecim legiones fuere. Denique audiendus M. Brutus epist. 4. *Cassius noster*, inquit, *Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem à Murco & à Marcio, & ab exercitu ipso accersitus.* Ex quibus patet Usserium minus recte dubitasse copias *L. Murci* ac *Q. Marcii* legiones appellare.

Hæc sane levioris momenti, quod copiarum nomen attinet; at quod ad rem spectat, colligitur ex dictis, quam valide *Bassus* à ducibus *Cæsarianis* apud *Apameam* oppugnaretur. Nam *L. Statius Murcus* proconsul in *Syriam* à *Cæsare* missus, una cum *Antistio Vetere*, cum tribus legionibus contra *Bassum* movens, inquit *Appianus* laudatus, *magna vi repulsus est, donec Minutius* (Marcius) *Crispus è Bithynia cui præerat, vocatus, aliis tribus legionibus venit in ejus auxilium.* Statium Murcum A. V. 710. recta in *Syria* venisse constat; nam ab *Appiano* is dicitur *à Cæsare missus*; Cæsar autem anno V. 710. Idibus Martiis necatus fuit. Idem tradit Josephus *lib.* XIV. *Antiq. capite* 17. *Id*, inquit, *bellum dum trahitur, Marcus* (Murcus) *venit Sexti successor, & interim Cæsar ab his qui cum Cassio & Bruto conspiraverant, in Senatu occiditur.* Usserius citata *pagina* 381. ait à *Statio Murco* vocatum *Marcium Crispum* ex *Bithynia*, cui ex *Julii Cæsaris* decreto à Senatu comprobato, post *Tullium Cimbrum* ille præerat. Labitur vir eximiæ alias eruditionis; siquidem *Q. Marcius Crispus* ante *Tullium Cimbrum Bithyniæ* præfuit. Cum ob necem *C. Cæsaris* Dictatoris plebs *Romana* contra conjuratos fremeret, *quotquot eorum à Cæsare provincias acceperant in eas pro-*
276 *fecti sunt: D. Brutus in Galliam Italiæ finitimam, Trebonius in Asiam, Tullius Cimber in Bithyniam*, ex Appiano *lib.* III. *cit. pag.* 527. Itaque *Tullius Cimber* circa Aprilem A. V. 710. in *Bithyniam* cum imperio perrexit. Cicero *libro* XIV. *ad Atticum epist.* 10. scribit *Trebonium* itineribus deviis profectum in provinciam; & *Octavium*, qui postea *Cæsar Augustus* fuit, *Neapolim* venisse XIV. Kal. Maji. Hinc illi circa Aprilem in provincias *Roma* profecti sunt. Quintus *Cassius lib.* XII. *famil. epist.* 13. scribit *Ciceroni* de rebus quæ A. V. 711. in *Syria* contra *Dolabellam* à *C. Cassio* feliciter gerebantur: *Sequebatur*, inquit, *classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat.* Igitur A. V. 710. *Tullius Cimber Bithyniæ* præerat. Cum vero exeunte eodem anno, Cicero XIII. Kal. Januarias orasset in Senatu de provinciis prorogandis, *Cimber* anno etiam insequenti 711. *Bithyniam* imperio prorogato, obtinuit. Hujus testis Dio *lib.* XLVII. scribens, cum *Dolabella* apud *Laodiceam Syriæ* à *C. Cassio* obsideretur: *Tarsenses Tullium Cimbrum, qui Bithyniæ præsidebat, ipse quoque unus ex Cæsaris percussoribus, ad opem Cassio ferendam properantem, conati sunt transitu Tauri prohibere.* Cassius *lib.* XII. *fam. epist.* 12. scribit Ciceroni: *Audivi Dolabellam in Ciliciam venisse cum suis copiis. Proficiscar in Ciliciam.* Data est epistola *Nonis Maji.* Ibidem *epist.* 15. *P. Lentulus Spinther* narrat *Dolabellam Laodiceam* se cum suis copiis contulisse, *Cassium* vero quatridui iter à *Laodicea* abfuisse. Data est epistola *IV. Non. Junias Pergæ* in *Pamphylia.* Quare cum mense Junio A. V. 711. *Dolabella Laodiceæ* obsessus fuerit à *Cassio*, patet *Tullium Cimbrum* qui suas cum *Cassio* copias junxit, anno eodem *Bithyniæ* præfuisse. Anno vero insequenti 712. Apulejus ex Appiano *lib.* IV. *bel. civ. pag.* 616. *Bruti auspiciis rexit Bithyniam*; *Brutus* enim eodem anno, exeunte Autumno, in campis Philippicis victus, necem sibi intulit. Hinc colligitur *Q. Marcium Crispum* non fuisse *Tullii Cimbri* successorem, sed ejusdem decessorem A. V. 709. *Bithyniam* provinciam habuisse, ac ineunte vere A.V.710. cum tribus legionibus in castra *L. Statii Murci* proconsulis *Syriæ* contra *Bassum* venisse, ac *Tullio Cimbro* interim sibi successore destinato, in *Bithyniam* adveniente, in *Syria* cum proconsulari imperio substitisse, ac bellum contra *Cæcilium Bassum* toto eo anno ac insequenti usque ad *C. Cassii* in *Syriam* adventum administrasse.

§. IV.

277 P. Cornelius Dolabella *consul A. V.* 710. Syriam *provinciam obtinet.* C. Cassius Longinus *ineunte A. V.* 711. Syriam *præoccupat.* Appiani *dictum ex* Cicerone *refellitur.* Dolabella Trebonium Asiæ *proconsulem trucidat.* Velleji Paterculi *error.* Dolabellæ *mors.* Usserii *hallucinatio ex* Cicerone *correcta.* Scaliger *verba* Tullii *pro S. C. perperam obtrudit.* Syria Cassio *à Senatu decernitur. Triumvirorum conspiratio.* L. Cassius *nepos proconsulis in* Syria *legatus. Uterque A. V.* 712. *interficitur.*

P. *Dolabellam Cæsar* ad bellum *Parthicum* iturus, consulem sibi sufficere statuerat; quare eodem à conjuratis interfecto, Dolabella *fasces atque insignia consularia corripuit*, ut scribit Vellejus *lib.* II. cui *M. Antonius* alter consul auctor fuit, ut rogatione ad populum lata, *Syria* sibi provincia decerneretur. *Idem vero Antonius jussit Tribus ferre de Dolabella suffragia. Sic Syria illi provincia obvenit.* Appianus *lib.* III. *bel. civ. pag.* 531. *Dolabella Roma* statim profectus est; verum *in itinere per Macedoniam ac Thraciam anno fere circumacto, in Asiam venit*, ex Dione *lib.* XLVII. Cum *Dolabella* diuturniores in *Asia* moras faceret, *C. Cassius* qui ob necatum *Cæsarem*, *Roma* secesserat, potentiæ sibi comparandæ gratia, in *Syriam* perrexit, ubi ingenti fama florebat, ob *Parthos* ex eadem provincia ejectos, cum occiso *Crasso*, cujus ille quæstor fuerat, tota *Syria* prædas agerent. Tum civile in *Syria* bellum contra *Cæcilium Bassum* finem accepit, cunctis exercitibus unum *Cassium* imperatorem deposcentibus. Id contigit sub initium A.V.711. à palilibus, cujus rei nuntium ad *Ciceronem* per literas misit, datas *Nonis Martiis ex castris Taricheis* ex *libro* XII. *famil. epist.* 11. est autem *Tarichea Galileæ* oppidum. *Cassium* vero propria auctoritate *Syriam* occupasse testatur Cicero *in philip.* 11. *Naturæ*, inquit, *legi paruit, cum est in Syriam profectus: alienam provinciam, si homines legibus scriptis uterentur; his vero oppressis, suam jure naturæ.* Appianus *libro* IV. *pag.* 623. cum narrasset *Cæcilium Bassum* obsessum fuisse à legionibus *Murci* ac *Crispi* ait: *Obsidioni propere intervenit Cassius, & Bassi exercitu spontanea deditione potitus, Murci etiam Marciique legiones assumpsit vel amicorum opera conciliatas, vel propter S. C. non detrectantes imperium.* Verum nondum ullum de *Cassii* imperio S.C. factum fuerat, quod tantum promovit *Cicero*, audita *Trebonii* nece, ex laudata philippica. Legenda est *epistola* 11. *libri* XII. *cit.* In *epist.* 12. scribit Cassius: *Bassus misere noluit mihi legionem tradere. Quod nisi milites, invito eo, legatos ad me misissent: clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata.* Interea *P. Dolabella* Trebonium unum interfectorum *Cæsaris*, amicis prius colloquiis allectum, noctu cum milite *Smyrnam* ingressus, ceperat, ac biduo sævissime excruciatum, necaverat.

rat. Antonius in epiſtola, quam exagitat Cicero in philippica 13. ait: *Dediſſe pœnam ſceleratum cineri atque oſſibus clariſſimi viri, & apparuiſſe nu-*
278 *men Deorum intra finem anni vertentis.* Hinc Uſſerius *tomo* 2. *Annalium* ad annum quadrageſimum tertium ante Chriſtum, colligit *Trebonium* occiſum non multo ante Idus Martias, qua die complebatur annus à morte *Cæſaris.* Secus tamen dicendum eſt; nempe annum V. 710. uſque ad Kalendas Januarias intelligi, ut *Trebonius* menſe Decembri interemptus fuerit. Nam Cicero in philippica XI. ait: *Allienus familiaris & neceſſarius meus poſt interitum Trebonii profectus, ne dici quidem ſe legatum Dolabellæ volet.* At Caſſius *lib.* XII. *fam. epiſt.* 11. data *Nonis Martiis* ait: *Quatuorque legiones, quas Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi eſſe ſcito.* Itaque ſi *Allienus* diſceſſit à comitatu *Dolabellæ* poſt interitum *Trebonii*, ac in *Ægyptum* uſque profectus, eductas inde legiones, ante Nonas Martias *C. Caſſio* tradiderat, *Trebonius* non circa Idus Martias, ſed prope exitum Decembris A. V. 710. peremptus fuit. *Manutius* minus recte in notis ſcribit nondum occiſum *Trebonium*, cum *Caſſius* illam epiſtolam ſcripſit. Vellejus *libro* II. *capite* 69. dicit à *Dolabella Smyrnæ* occiſum *Trebonium*, *cui ſuccedebat.* At falſo. Nam *Dolabellæ* non *Aſia*, cujus erat proconſul *Trebonius*, ſed *Syria* provincia obvenerat. *Cicero* in laudata Philippica ait: *In Galliam invaſit Antonius, in Aſiam Dolabella, in alienam uterque provinciam.* At de eodem poſtea *Dolabella* ſubjicit: *Nunc tota Aſia vagatur, volitat ut Rex, nos alio bello detineri putat*, nempe circa Mutinam cum *M. Antonio.* Quæ interim *Aſiæ* urbibus mala *Dolabella* intulerit, narrat *Lentulus Spinther Aſiæ* pro quæſtore *lib.* XII. *famil. epiſt.* 15. Brutus etiam *epiſt.* 4. *lib. epiſtolarum* Ciceronis ad M. Brutum ait: *Hoc magis doleo Aſiam nos amiſiſſe, quam ſic vexari à Dolabella audio, ut jam non videatur crudeliſſimum ejus facinus interfectio Trebonii.* Interea *Dolabella* exeunte Aprili ex *Aſia* in *Ciliciam* cum copiis ſe contulit, ex *epiſt.* 12. *C. Caſſii eodem lib.* XII. Cum vero in *Syriam* deſcendiſſet, *Antiochia* excluſus, *Laodiceam*, ſeu ut mavult eruditiſſimus *Grævius*, *Laudiceam* ſe recepit, ex laudata epiſtola *Lentuli Spintheris* data *Pergæ* in *Pamphylia* IV. Non. Junias: *Caſſius* quæſtor, ſive is *Parmenſis*, ſive alter *C. Caſſii* Proconſulis propinquus fuerit, præfectus claſſis contra *Dolabellam*, *lib. eodem* XII. *epiſt.* 13. narrat *Ciceroni C. Caſſium* contra *Dolabellam* profectum, XX. M. P. procul *Laudicea*, caſtra metatum, cum decem legionibus, viginti auxiliariis cohortibus, ac quatuor millibus equitum. Data eſt epiſtola Idibus Junii *Cypro* à *Crommyu-acride*, quod *Cypri* eſt promontorium, uti ſcite adnotavit doctiſſimus *Petrus Victorius.* *Caſſius* proconſul propius *Laudiceam* exercitum admovit, ac ægre ferens obſidium in longius trahi, auro urbem expugnavit, *Quintii* centurionibus pecunia corruptis, qui ejuſdem milites intra mœnia admiſere. *Dolabella* annos natus ſex ac viginti, ne vivus in hoſtis poteſtatem veniret, cervicem ſervo præcidendam præbuit. Id contigiſſe circa exitum Quintilis menſis colligo ex Appiano, qui *lib.* III. *pag.* 587. ſcribit de *Cæſare Octaviano* jam conſule: *Lege lata abſolvit Dolabellam, qui hoſtis judicatus fuerat.* At *Cæſar* conſulatum iniit die 19. Sextilis, nondum *Romæ* nece *Dolabellæ* intellecta. Uſſerius citato loco *pag.* 392. ait ex Appiano una cum *Dolabella* ſibi manus intuliſſe *Marſum* præfectum nocturnarum excubiarum, & ex *Dione* etiam *M. Octavium* legatum *Dolabellæ.* Erat unus idemque vir, teſte Cicerone in *philip.* XI. ubi ait *Dolabellam* in *Aſiam* irrupiſſe *cum legio-*

A *ne præmiſſo Marſo neſcio quo Octavio ſcelerat[o] latrone atque egente*; additque *mihi enim hic Sena-tor ignotus eſt.* Itaque perperam *Uſſerius Marſum* ab *Octavio* diverſum putavit. *Caſſius* ubi à *Syria-cis* legionibus ſacramentum accepit, non expecta-to S. C. imperatoria inſignia, ac nomen procon-ſulis ſtatim uſurpaverat, quo ſe titulo inſcribit in literis datis Nonis Martiis A. V. 711. lib. XII. fam. epiſt. 11. *Cæſar Octavianus* modeſtius ſe ge-ſſerat; quamvis enim veteranorum exercitum pro-priis pecuniis collegiſſet, nec faſces, nec titulum proprætoris uſurpavit, militari tamen imperio utebatur. Cicero in philippica undecima ait: *Cæ-*
B *ſari bellum neceſſitas, faſces Senatus dedit.* Cum vero *Caſſio* bellum contra *Dolabellam* inſtaret, *Sy-riæ* civitates obeundo, teſte Joſepho *lib.* XIV. *cap.* 18. *comparabat arma & milites, gravia etiam tri-buta exigendo, ſed maxime Judæam afflixit, plus-quam ſeptingentis argenti talentis imperatis.* Romæ vero nuntiata nece *Trebonii Aſiæ* proconſulis, ac ob eandem *Dolabella* hoſte S. C. judicato, poſtri-die agitatum fuit in Senatu de imperatore contra *Dolabellam* deſtinando; nondum enim *Romæ* in-tellexerant *Caſſium Syriacas* legiones occupaſſe. Quorundam ſententia fuit, *ut conſules Dolabellæ perſequendi cauſa Aſiam & Syriam ſortirentur*; ex
C Cicerone in philip. 11. *Aſiam* enim jam ille tene-bat, ac brevi etiam *Syriam*, quæ illi provincia obvenerat, occupaturum credebant. *Cicero* phi-lippicam XI. recitans, *Caſſium* eidem bello præ-ficiendum contendit, ac S. C. præformavit, quo *Caſſio* imperium proconſulare decerneretur, *ut imperandi in Syria, Aſia, Bithynia, Ponto jus po-teſtatemque haberet*; Ibidem. Cum *Ciliciam* non nominarit, id temporis *Syriæ* adjecta videtur, cum *Pamphylia* à *Ciliciæ* provincia avulſa ad *Aſiaticam* diœceſim pertineret ex literis *P. Lentuli Spintheris* eodem anno datis ad Senatum ac Ciceronem lib. XII. *fam. epiſt.* 14. & 15. Scaliger *in notis Euſe-*
D *bianis num.* 1973. verba *Ciceronis* pro S. C. obtru-dit; ſed errorem ejuſdem recte reprehendit Uſſe-rius *pag.* 383. ex *epiſt.* 7. *lib.* XII. in qua idem Ci-cero *Caſſio* ſcribit: *Quæ mea ſententia in Senatu fa-cile valuiſſet, niſi Panſa vehementer obſtitiſſet.* Ete-nim *Panſa* conſul ſententiam dixerat, ut ipſe cum collega *Hirtio Syriam* & *Aſiam* ſortiretur. *Len-tulus* etiam *Spinther* in literis ad *Ciceronem* ſcriptis die 29. Maji: *Quoniam*, inquit, *conſulibus decre-ta eſt Aſia, & permiſſum eſt iis, ut, dum ipſi ve-nirent, darent negotium qui Aſiam obtineant* &c. Dio lib. XLVII. ait: *neque enim ſciebant jam à Caſ-ſio Syriam obtineri.* Hujus vero nuntium laben-
E te Aprili acceperunt. Cicero in lib. epiſt. ad M. Brutum epiſt. 3. ait: *Ad V. Idus Aprilis literæ mi-hi in Senatu redditæ ſunt à Lentulo noſtro de Caſſio, de legionibus, de Syria, quas ſtatim cum recitaviſ-ſem, cecidit Servilius, complures præterea.* Biduo poſt idem accepit à M. Bruto per literas Kal. Aprilis Dyrrachio datas, cui reſcribens epiſt. 5. ait: *De Caſſio lætor & Reip. gratulor, mihi etiam, qui repugnante & iraſcente Panſa, ſententiam dixe-rim, ut Dolabellam bello caſtris perſequeretur; & quidem audacter dicebam, ſine noſtro S. C. jam il-lud eum bellum gerere.* Ex quibus Appianus cor-
F rigendus eſt qui, uti ſupra prænotabam, ſcribit lib. IV. *bel. civ. pagina* 623. *Murcum* ac *Criſpum* Syriacas legiones *propter Senatus conſultum Caſſio* ceſſiſſe. Antea quidem fama vulgaverat *Caſſium* in *Syria* eſſe, cum *Dolabella* per *Aſiam* vagaretur. Hinc Caſſio ſcribebat Cicero *libri* XII. *epiſt.* 4. *Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non in-ſulſis, quod tibi tam cito ſuccederet, cum tu vix dum triginta dies in Syria fuiſſes. Itaque conſtabat eum recipi in Syriam non oportere.* Quamvis autem *Caſ-ſius* ineunte Martio A. V. 711. cum undecim le-gioni-

gionibus *Syriam* teneret, ac ea de re Nonis Mar-
280 tiis epistolam 11. *lib.* XII. *fam.* ad *Ciceronem* misisset, eam epistolam nondum inito Majo *Cicero* acceperat; hinc in *lib. epist.* ad *Brutum* decima quam scripsit die 5. Maji, ait: *De Cassii nostri copiis nihil sciebamus; neque enim ab ipso ullæ literæ, neque nuntiabatur quicquam quod pro certo haberemus.* Verum cum ex literis *P. Cornelii Spintheris*, *M. Bruti*, aliorumque *Romæ* intellexissent *Cassium Syriacos* exercitus tenere, die 27. Aprilis, *Servilio* sententiæ principe, à Senatu decretum fuit, *ut Cassius persequeretur Dolabellam*; ex *Cicerone epist.* eadem ad *Brutum*. Igitur *C. Cassius Longinus* ea demum die S. C. *Syriam* provinciam obtinuit. Ex his patet *Dionem* errasse *lib.* XLVII. scribentem *Dolabellam* intellecto S. C. quo *Cassio Syria* provincia decreta fuerat, in *Asia* substitisse, ac *Trebonium* frequentiori convictu deceptum, interemisse. At *Cassius* paulo post, uti narravimus, capta *Laudicea*, *Dolabellam* interemit, ac in *Ciliciam* profectus, *Tarsenses*, quod *Dolabellæ* partes secuti fuerant, publica privataque pecunia mulctavit.

Anno ad exitum fere vertente, initum inter Triumviros fœdus *Romanum* orbem gravioribus longe bellis afflixit. Extat in lapide Collotiano dies initæ conspirationis ita signatus Gruteri *pag.* 298.

M. AEMILIVS. M. ANTONIVS. IMP. CAESAR. III. VIR. R. C. EX. A. D. V. K. DEC. AD. PR. K. IAN. SEXT

Igitur die 27. Novembris A. V. 711. vano prætextu *Reipublicæ constituendæ*, qui in eorundem etiam nummis legitur, memorati cives Triumviratum iniere usque ad pridie Kalend. Januarias sextas, nempe ad exitum Decembris A. V. 716. Hinc subsecuta sævissima proscriptio, qua tot nobilissimi cives misere periere, quos inter *Cicero* VII. Idus Decembris, undecima ab inito Triumviratu, jugulatus interiit. Cum antea *Cæsar Octavianus* cum legionibus *Romam* profectus, die 19. Augusti consulatum extorquens, curasset ut à *Q. Pedio* collega *Brutus* ac *Cassius* hostes publici à Senatu judicarentur, *M. Agrippa* omnium primo contra *Cassium* subscribente, ex Vellejo *lib.* II. *cap.* 69. Anno V. 712. à palilibus *Brutus*, qui *Asiam* occupaverat, *Cassium* ad se accivit, ut in commune contra Triumvirorum conatus consultarent. *Cassius*, cum in *Asiam* se transferret, *fratris filium cum una legione reliquit in Syria.* Appianus *lib.* IV. *pag.* 626. Hic erat *L. Cassius L. Cassii Caji* fratris filius, quod ex eodem *Appiano* colligitur; nam pagina 669. inter eos qui in acie *Philippensi* omni vitæ spe abjecta, ad necem usque pugnarunt, nominatur *L. Cassius imperatoris fratris filius.* *Brutus* ac *Cassius Rhodiis* ac *Lyciis* expugnatis, cum undeviginti legionibus in *Europam* transmittentes, prœlio victi, ne in hostium potestatem venirent, oppressæ patriæ libertati superstites esse recusantes, voluntariam sibi necem intulerunt circa exitum Autumni A. V. 712. ut *cap.* 6. ostendi. *Syriæ* legatum post transmissionem *Cassii* in *Europam* ignoramus; nam *L. Cassium* nepotem è *Syria* patrui castra ac fatum secutum ex *Appiano* proxime notavi. Ille quidem *Felicem* quendam *Palæstinæ*, *Fabium* vero *Damasco* præfecerat, ex Josepho *lib.* XIV. *cap.* 18. Cum *Antonio* Triumviro Orientales provinciæ obtigissent cum universo *Illyrico* ad *Scodram* usque *Dalmatiæ* urbem (hanc *Veneti* postremo bello *Turcico* expugnatam, incenderunt) idemque *Athenis*
281 hiemem exegisset; vere A. V. 713. appetente,

A in *Asiam* transmittens, ac gravissimis ubique tributis imperatis, adulta æstate in *Syriam* descendit, ex Appiano *lib.* V. *bel. civ. pag.* 706.

§. V.

L. Decidius Saxa *A. V.* 713. *legatus* Syriæ *ab* Antonio *Triumviro imponitur. Ejusdem patria ac sub* Cæsare *stipendia.* Cicero Saxæ *infensus. Idem prœlio à* Labieno *victus, occiditur. Card.* Baronius *à* Casauboni *ac* Montacutii *censuris vindicatur.* P. Ventidius *ab* Antonio *in* Syriam *A. V.* 714. *mittitur. Duo de eodem* Montacutii *errores confutantur.* C. Sosius *tertius*
B Antonii *in* Syria *legatus A. V.* 715. Dionis *de* Sosio *antilogia notatur.*

ANtonius instante hyeme, A. V. 713. *Planco in Asia, Saxa in Syria relicto, in Ægyptum profectus est.* Dio *lib.* XLVII. Casaubonus scribit: *In historia* 47. *Dionis* Δεκίδιος Σάξας *corrupte pro* Δίδιος Σάξας legi. Hinc cum *lib.* CXXVII. *Livianæ epitomes Didius Saxa Antonii* legatus recitetur, putat hunc esse *Q. Didium* A. V. 724. *Syriæ* legatum. Omnia imperite. Etenim ex *Cæsare* ac *Cicerone* hujus primi *Antonii* in *Syria* legati notitia illi petenda fuerat. Cum *Cæsar* A. V. 705. bellum in *Hispania* contra legatos *Pom-*
C *peji* gereret, scribit *lib.* I. *bel. civ. cap.* 66. *Mittitur L. Decidius Saxa cum paucis, qui loci naturam perspiciat.* Erat enim id temporis metator castrorum. Hinc prænomen *Decidii Saxæ* intelligitur. *Cæsar* eundem A. V. 710. Tribunum plebis creavit. Infestus eidem Cicero in *Philippica* 11. ait: *Accedit Saxa nescio quis, quem nobis Cæsar ex ultima Celtiberia Tribunum plebis dedit, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis.* Et in Philip. 13. *Saxam vero Decidium præterire qui possum? hominem deductum ex ultimis gentibus, ut eum Tribunum plebis videremus, quem civem nunquam videramus.* At Strabo *lib.* III. *Celtiberos*
D laudat uti pacatos populos, & cum toga formam indutos *Italicam.* Hic apud *Mutinam* strenuam *Antonio* operam navavit; unde *Cicero* tot illum conviciis passim suis in Philippicis excepit. Bello contra *Brutum* ac *Cassium* legatus *Antonii* una *C. Norbano* copias ex *Italia* in *Epirum* transportavit, ac omni regione ad *Pangæum* usque occupata, in campis Philippicis castra locavit, eademque ab hostibus usque ad *Antonii* adventum defendit, ex Dione *lib.* XLVII. Hunc autem *Saxam* jam olim militia *Cæsaris* imbutum, ac rebus bello *Mutinensi* ac *Philippensi* gestis probatum, *Antonius* A. V. 713. *Syriæ* legatum constituit. Cum
E vero anno insequenti V. C. 714. *Labienus* cum *Parthorum* copiis *Syriam* irrupisset, *Saxa* prœlio cum barbaris inito, vincitur, ac *Antiochiam* se recipiens, deinde insequente *Labieno*, dum in *Ciliciam* fugit, captus, ac statim jugulatus, occubuit. Hæc fusius recitat Dio *lib.* XLVIII. ubi addit: *Saxa mortuo, Syriam Pacorus subegit universam.* Intelligo hic à Casaubono *pag.* 134. & Montacutio *num.* 16. litem *Baronio* de nomine intendi. Hæc ibi *Montacutius* scribit: *Antonius absens plerunque per legatos Syriam administrabat: qui non erant re vera Præsides, sed quasi Procuratores illius præsidis perpetui. Errat igitur Cardinalis, quod*
F *advertit Exercitator, nec excusat Bullingerus, qui* 282
legatos ab Antonio nominatos, recenset inter Syriæ præsides. Rideo insulsam censuram. Extat *L.* 1. *D. de officio præsidis*, hocce Macri vetustissimi J. C. fragmentum: *Præsidis nomen generale est, eoque & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes provincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur.* Ibidem *L.* 20. Papinianus ait: *Legatus Cæsaris, id est, Præses, vel Corrector provinciæ, abdicando se, non amittit imperium.* Ita

viri eruditi Lipſius in *Excurſibus ad lib.* I. *Taciti lit.* M. Cujacius *tom.* 4. initio *comment. ad lib.* I. *reſp. Papiniani*, Alciatus *lib.* III. *Parergon juris cap.* 3. & in tractatu *de Magiſtrat. civ. & militar.* aliique notarunt nomen *præſidis* ac *rectoris* promiſcue convenire omnibus qui populis præſunt, ſive ſint proconſules, ſive proprætores. Tacitus *lib.* XII. *Annal.* ait: *Scripſitque P. Attilio Hiſtro, qui Pannoniæ præſidebat.* In *Cicerone* aliiſque paſſim legitur: *præeſſe provinciæ.* Itaque Præſes ſive à verbo *præſideo*, ſive à verbo *præſum* derivetur, cum *præſidere*, ac *præeſſe*, proprie dicantur de quarumcumque provinciarum Rectoribus, nullo jure doctiſſimum Cardinalem reprehendunt, quod legatos Antonii *Præſides* nuncupavit. Quid ſi appellaſſet *proconſules?* At hoc nomine *Antonii* legati in faſtis Capitolinis ſignati ſunt, quod proxime oſtendo. Erant legati cum proconſulari poteſtate, à qua proconſules nuncupati. Sane *Caſaubonus Q. Didium*, *Montacutius M. Meſſallam*, qui erant legati *Auguſti*, *Syriæ præſides* vocant: cur vero eo nomine legati *Antonii* citra errorem appellari non poſſint? Poſt factam provinciarum *Auguſti*, & Populi *Romani* diviſionem, legati *Auguſti* in *Syria* ab eiſdem auctoribus Præſides appellantur, quo tamen nomine legatos *Antonii*, qui eadem auctoritate magiſtratum in provinciis adminiſtrabant, nuncupandos eſſe pro arbitrio recuſant. *Montacutius* inſignem parentheſin hiſce verbis Taciti *lib.* VI. *Annal* inſerit N. 33. *Exin Flacco Pomponio Syriæ Proprætore defuncto* (& tamen fuit Conſularis) *recitantur Cæſaris literæ &c.* Legati *Cæſaris*, ſeu qui provincias majores adminiſtrabant, quæ non Populi, ſed Imperatoris eſſent, lege *Auguſti* ex Dione *lib.* LIII. *Proprætores* dicebantur, quod erat proprium ac ſpeciale ipſorum nomen, cum id temporis *Præſes* cujuſcumque provinciæ rector promiſcue diceretur. Plinius junior Gruteri *pag.* 454. 3. dicitur: LEGAT. PRO. PRAET. PROVINC. PONTI CONSULARI. POTESTATE *in eam provinciam ab Imp. Cæſare Nerva Trajano Aug. miſſus*; & tamen *Plinius* erat conſularis. Hinc apud Tacitum *lib.* II. *Annal. Domitius Celer* dicebat: *Piſonem, non Sentium, Suriæ præpoſitum. Huic faſces, & jus prætoris, huic legiones datas. Piſo* erat legatus pro prætore *Syriæ*, nempe legatus cum jure prætorio in *Syriam* miſſus. Dio *lib. cit. de Auguſto* ait: *Prætoris nomine, quod bellis maxime ab antiquis inde temporibus conveniebat, à ſe delectos inſignivit, Proprætores eos nuncupans*; ſive conſulares viri eſſent, ſive prætorii. Itaque omnes legati *Cæſaris Auguſti* provinciis impoſiti, erant Proprætores. *Antonio* Triumviro Orientis provincias & Illyricum moderante, ejuſdem legati in *Syria* generali nomine *præſides*, ſpeciali *proconſules* dicebantur in faſtis Capitolinis; cum tamen ipſi ſemet legatos tantum nuncuparent, nec ſecus ſe ipſos inſcribebant, qui ſub Cæſaribus *Syriam* rexerunt. Tacitus *lib.* II. ſcribit: *Rector Syriæ Creticus Silanus excitum, cuſtodia circumdat.* Lib. VI. *Donec M. Trebellius legatus à Vitellio Syriæ præſide cum quatuor millibus legionariorum & delectis auxiliis miſſus.* Rector ac Præſes appellantur. At *lib.* XI. ait: *Ni Vibio Marſo Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret.* At *lib.* VI. cit. *Exin Flacco Pom-*
283 *ponio Syriæ pro prætore defuncto &c.* Legatus ac proprætor erant ſpecialia nomina; paſſim tamen rectores *Syriæ* à *Tacito* legati dicuntur.

P. Ventidius Baſſus à *Pompejo Strabone Pompeji* Magni patre in triumpho ductus, poſtea ob militarem virtutem ſummos magiſtratus obtinuit. *Antonii* partes ſecutus, tres ad eundem poſt *Mutinenſem* cladem legiones perduxit A. V. 711. ex *epiſt.* 34. *lib.* X. *famil.* Ciceronis, à quo in Philippicis carpitur. Hinc eodem anno V. Kal. Majas hoſtis publicus S. C. denunciatus fuit, ex libro ad Brutum *epiſt.* 10. Cum Triumviri *Romam* occupaſſent, extrema parte anni conſulatum ſuffectum geſſit, cum eodem A. V. 711. antequam pro *Antonio* arma caperet, prætor fuiſſet ex Vellejo *lib.* II. Exercitum A. V. 713. bello *Peruſino* contra *Cæſarem* duxit, ex Appiano *lib.* V. *bel. civ. pag.* 689. Anno inſequenti, reſtaurata apud *Brunduſium* inter *Cæſarem* & *Antonium* concordia, in *Syriam* legatus ab *Antonio* miſſus, *Labienum* cum *Parthis* acie victum, vivum in *Cilicia* cepit, ac neci tradidit, ex Livio *libro* CXXVII. Altero poſtea anno *Pacorum Orodis Parthorum* regis filium in campis Cyrrheſticis cum ingenti hoſtium ſtrage interfecit. Hæc fuſius recitavi *cap.* 6. Duo de *Ventidio* errata *Montacutii* corrigenda ſunt. Etenim *num.* 17. ſcribit *Ventidium* primum de *Parthis* triumphaſſe, *occiſo Pacoro eorum rege*; & num. 18. *occiſo demum Antonio, hoc eſt, decennio à devictis Parthis, triumphaſſe.* Pacorus non rex, ſed filius regis *Parthorum* fuit. Cicero *lib.* XV. *fam. epiſt.* I. *Pacorum Orodis regis Parthorum filium* nominat, cum A. V. 702. Ciliciæ præeſſet. Vellejus ſcribit Labienum extinctum *ductu Ventidii una cum Parthorum copiis celeberrimoque juvenum Pacoro regis filio.* Luctum ac dolorem ad furorem uſque *Orodis* ob *Pacorum* filium necatum ex *Trogo* deſcribit Juſtinus *libro* XLII. Gravius tamen *Montacutio* peccatum eſt, dum triumphum *Ventidii* protrahit pleno decennio à devictis *Parthis.* In faſtis Capitolinis legitur.

P. VENTIDIVS. P. F. PRO. COS.
EX. TAVRO. AN. DCCX . . .
MONTE. ET. PARTHEIS. V. K.
DECEM

CN. DOMITIVS. M. F. M. N. CAL-
VINVS. AN. DCCXVII. PRO.
COS. EX. HISPANIA. XVI. K.
SEXTIL.

Triumphi in laudatis tabulis Capitolinis continuata annorum ſerie, recenſentur. Quare quamvis annus triumphi *Ventidii* poſterioribus notis numeralibus detritis, non appareat, ex triumpho tamen *Cn. Domitii*, qui contigit A. V. 717. colligitur *Ventidium* ante illum annum triumphaſſe. Plutarchus in *Antonio*, de eodem ſcribit poſt deditas *Samoſatas*, quam urbem *Ventidius* poſt *Parthos* devictos, ſtatim obſederat: *Paucis deinde rebus per Syriam compoſitis, Athenas rediit, inde Ventidium, ut decuit, laudatum, atque donatum, Romam ad triumphum remiſit.* Plura de Ventidio tradit Gellius *lib.* XV. *cap.* 4. ubi teſtatur eundem *morte obita, publico funere ſepultum.* Cicero in Philip. 12. de Ventidio ait: *Cui fui ſemper amicus, antequam ille Reipublicæ, boniſque omnibus tam apertè eſt factus inimicus.*

C. Soſius Ventidio ſucceſſor ab *Antonio* datus, A. V. 716. Syriæ præſedit. Joſephus *lib* XIV. *cap.* 17. ait: *Antiocho autem paulo poſt urbem dedente, & hoc pacto finito bello, Soſio provinciam, Antonius cum exercitu tradidit. Antonius* poſt *Samoſatas* ſibi quidem turpibus conditionibus deditas ab *Antiocho* rege *Commageno*, ex *Syria Ventidium* ſecum *Athenas* ducens A. V. 715. teſte *Plutarcho* laudato, *C. Soſium Syriæ ac Ciliciæ præfectum* impoſuit, ex Dione *lib.* XLIX. Hic anno inſequenti *Hieroſolymam* expugnavit, *Antigono* rege poſt captam urbem, in ejuſdem poteſtatem veniente, quod pluribus, quod annum attinet, cap. 6. mihi demonſtratum fuit. Ejuſdem de *Ju-*

Judæis triumphus ita signatus legitur in fastis Capitolinis.

C. SOSIVS. C. F. T. N. PRO. COS. EX. IVDAEA. AN. DCCXIX. III. NONAS. SEPTEMBR

Hinc constat legatos *Antonii* ac *Cæsaris* Triumvirorum *Proconsules* appellatos, quod cum imperio proconsulari provinciis ab iisdem præficerentur. *Sosius* A. V. 722. *Romæ* consulatum gessit, ac cum pro *Antonio* contra *Cæsarem* liberius loqueretur, iram *Cæsaris* veritus, in *Ægyptum* ad *Antonium* se contulit, ac anno sequenti 723. bello Actiaco alter Antonianæ classis præfectus fuit. Horum auctorem habemus Dionem initio *lib.* L. Scribit Suetonius *cap.* 17. *in Augusto*, eundem rupta cum *Antonio* pace, eoque hoste judicato, amicos omnes illi remisisse: *atque inter alios C. Sosium & Cn. Domitium tunc adhuc consules.* Duo *Sosii* numismata exhibet Eques *Patinus* in notis ad laudatum caput *Suetonii*, quæ ejusdem Judaicum triumphum designant, cum epigraphe: C. SOSIVS IMP. Hinc apparet legatos Triumvirorum, re fortiter ac feliciter contra hostes gesta, veteri more imperatoris titulo decoratos, quos tamen Montacutius *num.* 16. *quasi Procuratores* obtrudit. Dio *eodem lib.* inferius scribit *Sosium* cum *L. Tauresii* naves oppressurus, classem eduxisset, in *Agrippæ* classem incidisse, à quo aggressus, *ipse cum Tarcondimoto aliisque multis interiit*, paullo antequam totis viribus navali prœlio apud Actium certaretur. Vellejus, cum dixisset: *Advenit deinde maximi discriminis dies, quo Cæsar Antoniusque productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum Orbis dimicavere*, Antonianæ classis præfectos numerans, ait: *Classis Antonii regimen Publicolæ, Sosioque commissum.* Plutarchus tamen non Sosium, sed Cœlium nominat, scribens in Antonio: *Antonius & Publicola dextrum cornu, Cœlius sinistrum habebat.* Ceterum ipse Dio *lib.* LI. cum dixisset *Cæsarem* pepercisse quibusdam qui bello Actiaco Antonio adhæserant, ait: *Inter vita donatos præcipuus fuit Sosius, qui cum bello sæpe Cæsarem petiisset, tunc fuga elapsus, occultatusque, post inventus, ac dimissus est.* Profecto in alterutro libro *Dio* falsus est.

285 §. VI.

L. Munatius Plancus *A. V.* 719. L. Calpurnius Bibulus *A. V.* 723. Syriæ *legati. Utrumque* Casaubonus *ac* Montacutius *omittunt.*

Baronius in *Apparatu num.* 85. scribit: *Sosio est subrogatus Q. Didius, quem auctore Dione constat præfuisse Syriæ saltem usque ad tempus Actiacæ pugnæ quæ facta est anno ab V. C. septingentesimo vigesimo quarto.* Pugna navalis apud Actium contigit anno V. C. 723. die 2. Septembris juxta epocham Varronianam, quam se sequi testatur Baronius *num.* 110. Sed hoc omisso, catalogus Præsidum *Syriæ* nobis supplendus est, cum duo *Antonii* in *Syria* legati non modo à *Baronio*, verum etiam ab ejusdem censoribus *Casaubono* & *Montacutio* omittantur. Prior est *L. Munatius Plancus* qui ex prætura *Galliam* ulteriorem obtinuit A. V. 711. à Cæsare in A. V. 712. consul designatus. Supersunt plures mutuo scriptæ *Planci* ac *Ciceronis* epistolæ *lib.* X. *fam.* Ex epistola tertia, quæ anno V. 711, scripta est, constat id temporis florente ætate fuisse, & à pueritia carissimum Ciceroni: *Omnia*, inquit Cicero, *summa consecutus es, virtute duce, comite fortuna; eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingenio industriaque fregisti.* Addit vulgo quondam creditum *ipsum nimis servire temporibus*, quod sane & semper fecit. Nam cum bello *Mutinensi* cum tribus legionibus *Galliæ* præesset, ac pluribus literis se copias contra *M. Antonium* ducturum spopondisset, ad quod celeriter agendum Cicero *epist.* 6. data die 20. Martii ejusdem anni aliisque etiam hortabatur, adversus *Antonium* cum tribus veteranis legionibus, & quarta tironum movens, ubi accepit *Lepidum* die 29. Maji suas cum *Antonii* exercitu copias junxisse ex epistola 23. in provinciam rediit, ac paulo post *Asinio Pollione* curante, prodita patria, ac tempori inserviens, in *Antonii* partes transiit, ac *C. Plotium* fratrem per summam crudelitatem inter proscriptos à Triumviris poni curavit. Cum vero mense Decembri universa urbs tot trucidatorum civium funera deploraret, *L. Munatius* triumphavit, ut ex fastis Capitolinis apparet.

L. MVNATIVS. L. F. L. N. PLANCVS. PRO. COS. AN... EX GALLIA IIII. K. IAN

Illum vero A. V. 711. triumphasse patet ex sequenti triumpho *M. Lepidi*, qui contigit hoc ipso mense triduo post *Planci* triumphum. Legatur Appianus *lib.* IV. *pag.* 607. *Plancus* bello *Perusino* A. V. 713. ex *Asia* ab *Antonio* in *Italiam* missus, contra *Cæsarem Octavianum* exercitum duxit, cui *Agrippa* duas legiones ingentibus promissis ad se pertractas, eripuit, ac ceteris ipsum deserentibus, ex *Italia* fugiens A. V. 714. *Fulviam Antonii* uxorem in *Græciam* deduxit. Hunc vero *Plancum* consularem ac triumphalem virum *Antonius Syriæ* postea præfecit. Appianus in fine *libri* V. *bel civ. pag.* 753. cum dixisset *Sextum Pompejum* à *M. Titio* jussu *Antonii*, interfectum, subjicit: *Sunt qui dicant Plancum, non Antonium, id mandasse, qui* ἄρχοντα Συρίας *præses, seu rector* 286
Syriæ solitus fuerit in majoris momenti literis nomen adscribere Antonii, & uti annulo ipsius signatorio. Dio vero lib. XLIX. scribit: *Ita Sextus Pompejus mortuus est, L. Cornificio & Sexto quodam alio Pompejo Coss.* A. V. 719. Quare hoc anno *L. Munatius Plancus Antonii* in *Syria* legatum agebat, quem tres memorati scriptores in albo rectorum *Syriæ* omiserunt. Huic *Planco*, cum *morbo proditor*, ac tempori semper inserviens, bello Actiaco exorto, *Antonium* deseruit, infame elogium ponit Vellejus *libro* II. Denique *Plancus* anno Urbis 732. postremus ex privatis Censor fuit.

Alter *Syriæ* præses iisdem auctoribus omissus, fuit *L. Calpurnius Bibulus Bibuli Cæsaris* in consulatu collegæ filius. Hic, cum pater Pompejanæ classis præfectus morbo apud *Corcyram* interiisset, A. V. 711. in locum *Pansæ* qui bello *Mutinensi* perierat, Pontificatum petebat, ex Cicerone in *lib. epist.* ad *M. Brutum* 10. Verum eodem anno à Triumviris proscriptus, in *Macedoniam* ad *Brutum* se recepit. Appianus *lib.* IV. *pag.* 611. scribit: *Bibulus quoque cum Messalla in gratiam receptus, classi præfectus ab Antonio, copias ejus transvexit contra Cæsarem*, καὶ στρατηγὸς ἀπεδείχθη Συρίας ὑπὸ Ἀντωνίου, καὶ στρατηγῶν ἐπὶ αὐτῆς, ἀπέθανεν: *& ab Antonio Syriæ præses designatus, candem provinciam administrans, mortuus est.* Casaubonus in titulo Num. 30. hæc jactabundus promiserat: *Præsidum Syriæ enumeratio parum feliciter à Baronio tentata, accurate pertexitur.* Sed certe parum ille accuratam ea in re operam posuit, qui hosce duos *Syriæ* rectores tam aperte ab *Appiano* nominatos, ignoravit. *Bibulus* A. V. 722. circa æstatem *Antonii* milites ex *Asia* in *Europam* transportavit, cum etiam *Antonius* in *Peloponneso* apud *Patras* eo anno hiemaverit, ac sub exitum Autumni cum classe *Corcyram* usque navigaverit, ex Dione *lib.* L. Obiit vero *Bibulus* paullo post in provincia *Syriæ* A. V. 723,

§. VII.

Q. Didius *A. V.* 724. Cæsaris Octaviani *in Syria legatus.* Casaubonus *eundem cum* Decidio Saxa *perperam confundit.* M. Valerius Messalla Corvinus *eidem successor à* Casaubono *ac* Montacutio *datur. Confutantur ex fastis Capitolinis.* Messallæ *de* Aquitanis *triumphus* Tibullo *celebratur.*

Anno V. 723. IV. Nonas Septembris victo apud Actium *Antonio*, *Augustus* rebus *Græciæ* intra paucos dies constitutis, *in Asiam profectus*, cum pleraſque ibi pariter res ordinasset, *in Italiam properavit media hieme se IV. & M. Crasso Coss.* A. V. 724 Dio lib. LI. ad hunc annum hæc refert: *Eodem tempore Arabes à Q. Didio Syriæ præfecto persuasi, naves in sinu Arabico fabricatas ad navigationem per Rubrum mare, combusserunt.* Num *Q. Didius* ab *Augusto*, cum autumno anni superioris in *Asiam* transmisit, *Syriæ*, quæ ab *Antonio* defecerat, impositus fuerit, vel post mortem *Bibuli*, ante pugnam Actiacam ab ipso *Antonio Syria* provincia accepta, ad *Cæsarem* post *Antonii* cladem, transierit, ignoratur. Narrat
287 ibidem *Dio* gladiatores, qui *Cyzici* jussu *Antonii* ad ludos triumphales exercebantur, ubi exitum navalis pugnæ intellexerunt, rotundo agmine in *Ægyptum* iter intendisse, ac ubi in *Syriam* advenere, *Antonium* ad se accersivisse; *facilius se putantes cum eo conjunctos in Syria bellum gerere posse*; non veniente vero *Antonio*, cunctos sese *Didio* dedisse, ea conditione *ne gladiatores posthac essent, utque Daphnem Antiochiæ suburbium eis habitandum concederet.* Recte *Casaubonus* duo *Josephi* loca correxit ex hac historia *Dionis.* Etenim cum *Herodes* hoc anno *Cæsarem* apud *Rhodum* convenisset, veniam pro auxiliis *Antonio* transmissis, impetraturus, *Cæsar* veniam concedens, respondit: *Prior autem ab officiis cœpisti, quantum apparet, quem adversus eorum* (Antonium ac Cleopatram intelligit) *gladiatores idonea auxilia misisse Ventidius perscribit.* Corrigendum recte suspicabatur Casaubonus: *Q. Didius perscribit.* Hæc autem recitat Josephus *lib.* I. *belli cap.* 15. At *lib.* XV. *Antiq. cap.* 10. ea narratio longe corruptior habetur. Nam *Ventidius* in *Capidium* mutatur, ac pro τὰς μονομάχας *gladiatores*, ibi legitur τὰς μονάρχας *monarchas*, quod verbum in alienam plane interpretationem *Rufinum* detorsit. Hæc recte adnotata *Casaubono*, ac post ipsum *Usserio.* Verum grave erratum admisit ibidem *Casaubonus* scribens de *Q. Didio*: *Videtur is esse qui in epitoma Liviana* 127. *Didius Saxa Antonii legatus nominatur.* In summario ejus *Liviani* libri scribitur de *Parthis* in *Syriam* duce *Labieno* irrumpentibus: *victoque Didio Saxa M. Antonii legato, universam eam provinciam occuparunt.* At *Saxa* à *Labieno* non modo victum, sed etiam interfectum testatur Dio *lib.* XLVIII. addens: *Saxa mortuo, Syriam Pacorus subegit universam.* Id contigit A. V. 713. Hunc tamen *Saxam* A. V. 724. *Syriæ* Rectorem facere, grandis sane hallucinatio est, cum ante plenum decennium *Saxa* interfectus fuisset. Ceterum hic non *Didius*, sed *Decidius Saxa*, uti superius dixi, appellandus est.

Q. Didio in præfectura *Syriæ* sufficitur *M. Valerius Messalla*: de quo scribit Baronius *num.* 85. sui Apparatus: *Hic præfuisse videtur usque ad A. ab V. C.* 731. *quando M. Agrippa tam Syriæ quam toti Orienti præficitur.* Casaubonus etiam ait: *Hoc anno V. C.* 726. *vel proximo successisse Messallam Didio potest utcunque fieri conjectura ex Dione.* Montacutius vero ait numero 20. *Messalla qui collega Cæsari fuerat in consulatu eo anno quo pugnatum erat ad Actium, anno sequenti Consularis*
A *Syriæ præses constituitur ab Augusto profecturo in Ægyptum.* Nulli horum veritatem assecuti sunt. A *Montacutio* incipiam. *Dio* diserte scribit *Q. Didium* A. V. 724. *Cæsare* IV. & *M. Crasso* Coss. *Syriæ* præfuisse, cum gladiatores in *Syria* substitere, illuc *Antonium* ex *Ægypto* evocantes; quare nullo teste, eo anno *Messalla Syriæ* præficitur. Appianus *lib.* IV. *bel. civ. pag.* 611. ait de Messalla, *Navali quoque prœlio ad Actium pugnavit pro Cæsare: deinde contra Gallos rebelles missus, victor triumphum meruit.* Tibullus *lib.* I. *eleg.* 3. scribit:

Ibitis Ægeas sine me, Messalla, per undas:
B *O utinam memores ipse cohorsque mei.*

Eundem vero una cum *Augusto* in *Ægyptum* ad debellandum *Antonium*, profectum, colligo ex eodem poëta inferius dicente:

Bisque die resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

Alexandrinos intelligit ab insula *Pharo* urbi adjacente. Ita *Lucanus Ptolomæum* regem *Ægypti libro* VIII. *Pharium tyrannum*, & *Pharium* ducem appellat; & inferius rogum *Pompeji* descripturus, antequam *Cæsar* in *Ægyptum* adveheretur, ait:

Ante tamen Pharias victor quam tangat arenas,
C *Pompejo raptim tumulum fortuna paravit.*

M. Valerius Messalla Corvinus armorum peritia nulli *Augusti* ducum secundus, egregiam operam eidem A. V. 719 bello Delmatico navaverat. Appianus in *Illyricis pag.* 763. ait: *Messalla Corvinus ut illos expugnaret, à Cæsare præmissus est.* Tibullus vero *lib.* IV. *eleg.* I. ad *Messallam* ejus contra *Delmatas* gesta recenset. Quare *Augustus Messallam Corvinum* probatæ sibi fidei ac virtutis ducem ad bellum contra *Antonium* secum in *Ægyptum* duxit. *Baronii* vero ac *Casauboni* sententia aperte refellitur ex fastis triumphalibus Capitolinis, ubi legimus:

D M. VALERIVS. M. F. M. N. MESSALLA. A. DCCXXVI CORVINVS PRO. COS. EX. GALLIA. VII. K. OCT

Igitur *Messalla* A. V. Capitolino 726 Varroniano 727. *Romæ* de *Aquitanis* triumphum egit, ac anno superiori in *Gallia* bellum gessit, cujus & belli contra *Gallos* ac de eisdem triumphi liter datus *Appianus* mentionem facit statim ac dixisset *Messallam* apud Actium pro *Cæsare* pugnasse. *Tibullus* magnus *Messallæ* amicus, ac maximus ejus
E comiastes *lib.* II. *eleg.* I. canit:

Gentis Aquitanæ celeber, Messalla, triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis.

Lege eundem *lib.* I. *elegia septima* de eadem victoria ac *Messallæ* triumpho plura scribentem. Itaque perperam *Messalla Syriæ* præses imponitur A. V. 727. Interim ex recitato triumpho *Messallæ* ex fastis Capitolinis, apparet etiam legatos *Augusti* appellatos fuisse proconsules. Hic vero mirari liceat à *Montacutio*, cujus verba exhibui, *Messallam Augusti* legatum diserte *Syriæ præsidem* appellari: eundem vero insultare *Baronio*, quod
F *Antonii* in *Syria* legatos nuncupaverit præsides. *Antonius* ac *Cæsar* æquali potestate Triumvirali pollebant, ac proinde de utriusque legatis eodem modo loquendum est, si consentanea dicere mavis, quam Cardinali doctissimo litem intendere, in qua tuomet testimonio aut oblivionis, aut malevolentiæ convincaris. Ceterum ex Dionis verbis *lib.* LI. *M. Valerium Messallam Corvinum Syriæ* præsidem faciunt; ubi enim *Dio* narravit *Q. Didium* gladiatoribus *Antonii* suburbium *Antiochiæ* inhabitandum concessisse, addit: *Hi quidem gladia-*

gladiatores postea à Messalla decepti, alii alio dimissi quasi in legiones adscribendi, per occasionem interfecti sunt. Ex quibus apparet *Valerium Messallam* in *Syria* cum imperio fuisse. Usserius etiam *pag.* 492. anno 30. ante Epocham vulgarem Christi ait: *Discedens è Syria Cæsar, reliquit ibi Messallam Corvinum.* Nullum plane locum inter præsides ordinarios *Syriæ Messallæ* invenio. Nam ex *Dione* A. V. 724. *Q. Didius* erat *Syriæ* præses; A. V. 725. *Messalla* erat Proconsul, seu legatus cum imperio proconsulari in *Galliis*. Hinc dicendum arbitror, *Messallam* cum imperio extraordinario in *Syriam* missum A V. 724. gladia-
289 tores ex suburbio *Antiocheno* alio, brevi perituros, amandasse. Etenim cum *Cæsar* eisdem gladiatoribus indignatus esset, quod *Syriam* pro *Antonio* invaserant, haud fas est credere eundem victorem A. V. 724. ex *Ægypto Antiochiam* ingressum, ex Josepho *lib.* xv. *Antiq. cap. undecimo*, sivisse vilissimos ac nefariæ conditionis homines amœnissimum *Antiochiæ* suburbium diutius occupare. Plura de *Valerio Messalla* congerit Glandorpius in *Onomastico pag.* 866.

§. VIII.

Varro *A. V.* 729. Syriam *regit. Interpres falsus* Josephi Baronio *ac* Saliano *imponit.* Montacutius *perperam contendit* Varronem *fuisse procuratorem* Cæsaris *in* Syria. Josephi *locus exponitur.* Marcus Agrippa *A. V.* 731. Syriæ *præficitur.* Augustus *A. V.* 734. *in* Syriam *venit.* Velleji *adulatio ac errores notati.* Virgilius *redeunti in* Italiam Augusto, *in* Græcia *occurrens, morbo contracto, paullo post diem suum obit.* Baronii *sententia expenditur.* M. Tullius *Oratoris filius* Syriæ *rector in* Appiano Casaubono *ac* Montacutio *non observatus.* Agrippa *in Orientem iterum venit. Ludi quinquennales Actiaci anno quinto non exacto, sed ineunte exhibebantur. Quatuor summa Sacerdotum collegia iisdem per vices præsidebant. Eo in munere VII. Viri Epulones Quindecimviros præcedebant.* Dionis *cum* Josepho *consensus.* Agrippæ *imperium in provinciis Orientis Populi* Romani. *Id non exercuit jure Tribuniciæ potestatis contra* Casaubonum. *Alter ejusdem error notatus.* Josephus *immerito à* Saliano *vapulat. Plurimi errores* Montacutii *in historia, chronologia, ac geographia refelluntur.* Augusto *in provincias adveniente, ordinarii earundem rectores magistratum continuabant.*

JOsephus *lib.* xv. *Antiq. cap.* 13. cum narrasset *Herodem Romam* filios misisse, scribit adolescentes humaniter ab *Augusto* exceptos, qui & eodem tempore regnum *Herodi* auxit, donata eidem parte ditionis quæ ad *Zenodorum* pertinebat, quod ex eadem latrones erumpentes, finitimos infestabant, qui cum *Varronem Syriæ præsidem* adiissent, ac *Zenodorum* latronibus conniventem accusassent, *Varro* datis ad *Augustum* literis, responsum tulit, ut ditio *Zenodoro* ablata, *Herodi* traderetur. Paucis deinde versibus interjectis, adventum *M. Agrippæ* in *Asiam* recenset, qui contigit A. V. 731. ut mox ostendam. *Casaubonus* hunc *Varronem Syriæ* præsidem ex *Josepho* produxit, qui ejusdem etiam meminit *lib.* 1. *belli cap.* 15. *Baronius* hunc tamen antea observaverat
290 *numero* 84. *Apparatus*, sed inconstantiæ *Josephum* arguerat, qui *Varum Syriæ* præsidem dixerit anno regni *Herodis* XVI. & postea scripserit anno postea vigesimo paullo ante obitum *Herodis Varum* successisse *Sentio Saturnino*; *Nec est*, inquit Baronius, *quod possit dici, eundem Varum iterum eo missum, cum nec ipse Josephus, nec alii id testentur.* Prava *Gelenii* interpretatio *Baronium* in errorem traxit. Nam, ut jam alii prænotarunt, ubi Jo-

A sephus *lib.* 1. *belli cap.* 15. scribit: Οὐάρωνα τὸν ἡγεμόνα τῆς Συρίας, legunt *Varum præsidem Syriæ*; cum vertendum fuerit: *Varronem Præsidem Syriæ.* Ita *libro* xv. *Antiq. cap.* 13. idem *Josepho* dicitur Οὐάρων, *Rufinus* recte Latine reddidit: *Varro.* At qui successit *Sentio Saturnino* eidem Josepho *lib.* XVII. *Antiq. cap.* 7. dicitur Οὔαρος Κυϊντίλιος: *Varus Quintilius. Varrones* dicebantur *Romæ Terentii* ac *Visellii.* Tacito *lib.* III. *An. Visellius Varro inferioris Germaniæ legatus* nominatur. *Terentii* autem *Varrones* passim in *Romana* historia occurrunt. Ad utram gentem *Varro Syriæ* præses *Josepho* laudatus spectarit, incertum. *Teren-*
B *tius Varro* imperante Augusto A. V. 729. contra *Salassos* bellum gessit, teste *Dione*; quare non is erat, qui à *Josepho* præses *Syriæ* dicitur; præsertim cum idem *Terentius Varro Muræna* consul designatus, antequam A. V. 730. magistratum iniret, è vita migraverit, uti ex fastis Capitolinis *Panvinius* ac *Pighius* adverterunt. *Montacutius cit. num.* 20. postquam post *Casaubonum Baronii* ac *Saliani* errorem correxisset, duo graviora statim errata committit, mihi hic confutanda. In primis inquit: *Falluntur autem: neque enim fuit Varro præses Syriæ, sed Augustalis legatus, qui Syriam procurabat, cui adjunctus Herodes, vel po-*
C *tius ei impositus; ita enim Josephus* 1. *Bel. c.* 13. κατέστησε δὲ αὐτὸν Συρίας ὅλης ἐπίτροπον: *Designavit autem illum totius Syriæ procuratorem, ac ne quid ejus provinciæ* τοῖς ἐπιτρόποις *procuratoribus eo inconsulto liceret administrare, præcepit.* Ex his tamen *Josephi* verbis perperam *Montacutius* eam in sententiam descendit. Nam omnes præsides *Syriæ* erant legati Augustales, hoc est, *Augusti. Varro* autem à *Josepho* non procurator, sed præses nominatur; siquidem diserte illum vocat ἡγεμόνα τῆς Συρίας *lib.* 1. *belli* citato, & in *lib* xv. *cap.* 31. *Antiquit.* meminit Οὐάρωνος ἡγεμονεύοντος, quo nomine *Sentium Saturninum*, *Quinctilium Varum*,
D ceterosque *Syriæ* præsides constanter appellavit. Nec *Varro* procuravit in *Syria*, sed *Syriam* legatus *Augusti* cum imperio proconsulari rexit. Duum generum fuere procuratores *Augusto* imperante; quidam enim provincias minores regebant cum jure gladii, qui tamen erant audientes dicto legati Augustalis totius diœcesis, seu regionis. Ita *Judææ* in provinciam redactæ, procuratores imposuit, quos recte ἐπίτροπος Josephus appellat. Et ipsi Tacito *lib.* xv. Christus Dominus dicitur *per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus. Vitellius* autem præses *Syriæ*, cui *Judæa* erat adjuncta, ipsum *Pilatum* à provincialibus accusa-
E tum, administratione *Judææ* dejectum, *Romam* jussit ad causam dicendam, navigare, ex Josepho *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 5. Tacitus initio *lib.* 1. *hist. Duæ Mauritaniæ*, inquit, *Rhætia, Noricum, Thracia, & quæ aliæ procuratoribus cohibentur &c.* Horum procuratorum inscriptiones passim apud *Gruterum* occurrunt. Alii vero procuratores aderant ipsis legatis Augusti. Strabo *lib.* III. *pag.* 115. cum dixisset *Hispaniam* citeriorem legato consulari tres legiones habenti parere, ait, *Sunt &* ἐπίτροποι *procuratores ibi Cæsaris equestris ordinis, qui militibus pecuniam ad vitæ necessitates suppeditant.* Illi etiam tributa exigebant, ac
F possessiones ipsorum Cæsarum in provincia 291
procurabant, quod patet ex Josepho *lib.* XVII. *cap.* 11. *Britanni* apud *Tacitum de vita Agricolæ* querebantur: *Singulos sibi olim reges fuisse; nunc binos imponi; è quibus legatus in sanguinem, procurator in bona sæviret.* Mortuo in magistratu provinciæ præside, jus gladii obtinebant, ac in demortui locum succedebant, quousque missus à *Cæsare* novus præses in Provinciam adveniret. Sancta *Perpetua* in actis sui martyrii editis ab erudi-

 tissi-

tissimo *Holstenio*, ait: *Hilarianus procurator, qui*
tunc loco proconsulis Minuci Timiani defuncti, jus
gladii acceperat. Procuratores erant ex ordine e-
questri, quod patet ex laudato *Strabone*, ac Jo-
sepho *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* I. Tacitus initio *de*
vita Agricolæ, ait: *Utrumque avum procuratorem*
Cæsaris habuit, quæ equestris nobilitas est. Præ-
sides vero *Syriæ* erant Senatores, non vero Equi-
tes *Romani*; immo viri consulares ab *Augusto Sy-*
riæ semper præpositi sunt; unde postea *Tiberio Au-*
gusti successori vitio datum, quod *Syriam per ali-*
quot annos sine consularibus legatis habuerit, teste
Suetonio *in Tiberio cap.* 41. Ex his patet imperi-
te à *Montacutio* dici *Herodem Varroni* procurato-
ri additum. Nam *Herodes* procuratoribus tantum
Syriæ adjunctus fuit, iique jussi ne quid, incon-
sulto *Herode*, decernerent; neque haud satis ma-
gna censenda erat dignitas regis, ab Equitibus
Romanis in consilium vocari. *Varronem* vero
fuisse præsidem ex eo etiam constat, quod cum
eidem *Cæsar* rescripsisset *expugnanda esse latronum*
receptacula, ex *lib.* XV. *Antiq. cap.* 13. *Varro mili-*
te aggressus loca suspecta, expurgavit latronibus re-
gionem, ipsamque Zenodoro abstulit, ex eodem *lib.* I.
belli cap. 15. Igitur *Varro* erat *Syriæ* præses cum
imperio proconsulari, quo bellum administrabat.
Alter *Montacutii* error est. Nam cum *Varro Sy-*
riam procurabat, *carebat*, inquit, *præside per hoc*
tempus Syria, per Procuratores administrata, quan-
diu in Oriente agebat Cæsar: atque ideo Agrippa, qui
successerat, Cæsaris successor nominatur à Josepho.
Hæc ille. Josephus *lib.* XV. *Antiq. cap.* 13. cum ge-
sta à *Varrone Syriæ* præside recitasset, ibidem sta-
tim addit: *Interea in Asiam Agrippa mittitur, ad-*
ministraturus transmarinas provincias pro Cæsare.
Agrippa A. V. 731. in *Syriam* primum cum impe-
rio venit. At Cæsar cum A. V. 724. mense Au-
gusto *Alexandriam* cepisset, & *Ægyptus hoc men-*
se in potestatem P. R. redacta fuerit ex S. C. apud
Macrobium *lib.* I. *cap.* 12. cum *Cornelium Gallum*
novæ provinciæ præfecisset, apud *Samum* hiema-
vit, *quintum in insula Samo* consulatum iniens col-
lega *Sex. Appulejo* A. V. 725. ex Suetonio *cap.* 26.
Scribit Dio *lib.* LI. ad eundem A. V. 725. *Æstate*
in Græciam, atque hinc in Italiam transmisit. Idem
postea *Augustus* A. V. 733. rebus in Græcia con-
fectis, *Samum* navigavit, ibique hiemavit. *Vere*
in Asiam perrexit M. Appulejo P. Silio Coss. V. C.
734. Itaque quando *Varro Syriam* regebat, an-
tequam *Agrippa* A. V. 731. in orientem venit, *Cæ-*
sar non erat in *Asia*, sed A. V. 728. & 729. in *Hi-*
spania bellum gerebat, ex inscriptione quam *cap.*
15. exhibui, ubi consulatum octavum & nonum
dicitur iniisse *Tarracone*, teste ibidem *Suetonio*,
qui demum ex *Hispania* in Urbem rediit A. 730.
ex Dione *lib.* LIII. Quid igitur somniat *Monta-*
cutius de *Augusto* in Oriente, cum *Varro Syriam*
regebat?

M. Vipsanius Agrippa A. V. 731. teste Dione *li-*
bro LIV. in *Syriam* missus fuit. *Agrippa*, inquit
Dio, *Urbe profectus, in Syriam non perrexit, sed*
adhuc majori usus moderatione, eo missis legatis suis,
ipse Lesbi permansit. Etenim *M. Marcellus Augu-*
292 *sti* nepos, cum successionem imperii avidiori spe
concepisset, ægre ac moleste ferebat *Agrippam*
tanta apud *Augustum* gratia pollere; quod ubi Prin-
ceps intellexit, ne invidia majus in dies augmen-
tum caperet, specie honoris, procul ab urbe *A-*
grippam amovit, *Syriæ* præfectura eidem deman-
data. Josephus scribit *lib.* XV. *Antiq. capite* 13.
Interea mittitur Ἀγρίππας τῶν πέραν Ἰονίου διάδοχος
Καίσαρι, *Agrippa pro Cæsare*, hoc est, *Cæsaris*
Vicarius ultra Ionium. Quod enim διάδοχος,
successor Casaubono ac *Montacutio* Latine dicitur,
historia non patitur; neque enim proxime ante

A *Agrippam Cæsar* in *Asia* fuerat, sed in *Hispania*,
ac per annum cum eodem *Agrippa Romæ.* Ideo
vero à *Josepho Agrippa* διάδοχος, dicitur, quia
veluti partito cum *Cæsare* imperio, universo O-
rienti præpositus fuit, non uni *Syriæ* provinciæ.
Id temporis *Asia* ac *Bithynia* duæ erant Populi
Romani in Oriente provinciæ una cum *Creta* ac
Cyrene, in quas non ab *Augusto*, sed suffragiis po-
puli designati proconsules mittebantur, quas ad
se *Cæsar* transtulisse sine teste dici nequit, ut nul-
li interim in easdem à populo magistratus destina-
ti fuerint. Itaque vel eam facultatem à populo
Augustus petiit, vel ultro populus suas quoque
B provincias, cum id optare Principem intelligeret,
Agrippæ regendas commisit. *Casaubonus* scribit:
Dio illius (Agrippæ) *magistratum non vocat tantum*
ἀρχὴν, *sed etiam Tribuniciam potestatem.* Sed hæc
nihil ad primum *Agrippæ* in *Asiam* adventum fa-
cit. Nam *Agrippa* anno tantum V. C. 736. duo-
bus *Lentulis* Coss. potestatem Tribuniciam acce-
pit. Hinc anno V. 731. sine potestate Tribuni-
cia, totius Orientis provincias regebat. Tacitus
lib. II. *An.* ait: *Tunc decreto Patrum, permissæ Ger-*
manico provinciæ quæ mari dividuntur, majusque im-
perium quoquo adisset, quam his qui sorte aut missu
principis obtinerent. Si hoc amplo imperio pro-
C consulari *Agrippa* ornatus dicatur, cum in Orien-
tem missus fuit, unà cum eodem fuere in Asiaticis
provinciis populi ordinarii proconsules, in quo-
rum tamen diœceses majus imperium *Agrippa* ob-
tinebat, uti proxime patebit, cum de altero e-
jusdem in *Asiam* adventu sermo redibit. Ex *Dio-*
ne autem habemus eundem *Agrippam suos legatos*
in *Syriam* misisse, qui provincialibus jus dicerent,
dum interim ipse declinandæ invidiæ causa, apud
Lesbum ad diœcesim proconsulis *Asiæ* spectantem
subsistebat.

Augustus M. Marcello L. Arruntio Coss. V. 732.
ex Dione *lib.* LIV. *in Siciliam profectus est, ut eam*
D *ac omnes alias ad Syriam usque provincias constitue-*
ret. Per ejus absentiam ob comitia consularia,
ingens seditio *Romæ* exorta est. Hinc *anni initio*
M. Lollius solus consulatum gessit; Ibidem. *Cæ-*
sar Q. Lepidum ac *L. Silanum* consulatus compe-
titores ad se vocatos, ac acriter reprehensos, in
Urbem remisit; jubens ut, cum populus suffra-
gia ferret, *Roma* egrederentur. Post novas ite-
rum turbas, *Q. Lepidus* consulatum obtinuit.
Hæc cum moleste *Augustus* tulisset, animum in-
duxit *Romæ* præfectum imponere, qui se absen-
te, res urbanas curaret; ac cum neminem *Agrip-*
pa aptiorem intelligeret, eundem è *Syria* ad se
E in *Siciliam* evocavit, urbisque eidem administra-
tionem commisit; & quo majorem eidem digni-
tatem conciliaret, in generum illum adscivit,
Julia filia eidem in uxorem tradita. Addit Dio:
Augustus rebus in Sicilia ordinatis, Syracusisque &
aliis quibusdam urbibus, coloniæ Romanorum ut es-
sent, destinatis, in Græciam transmisit. Et paul-
lo post: *Rebus in Græcia confectis, Augustus in Sa-*
mum navigavit, ibique hiemavit. Vere in Asiam
perrexit M. Appulejo Publio Silio Coss. A. Urbis
734. Strabo *libro* XVII. *pagina* 564. de legatis
Candacis Reginæ *Æthiopum* scribit: *In Samum*
F *itaque profecti, Cæsarem invenerunt, in Syriam pro-*
gredi parantem, & Tiberium in Armeniam aman-
dantem. Dio etiam narrat eodem anno à *Tiberio*
Tigranem in *Armeniæ* regnum deductum. Addit
Josephus *lib.* XV. *Antiq. cap.* 5. *Archelaum* regem
Cappadociæ in eadem expeditione suas cum *Tibe-*
rii legionibus copias junxisse. Vellejus *lib.* II.
cap. 94. *Tiberio* de more adulatus ait: *Nec multo*
post missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas
ordinandasque quæ sub Oriente sunt provincias, præ-
cipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu edi-
tis,

tis, cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem P. R. regnum ejus Artavasdi tradidit; cujus rex quoque Parthorum tanti nominis fama territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides. Hic scriptor ubi de *Tiberio* loquitur, libidine assentandi, non semel historiæ fidem infregit. Ipse *Augustus* id temporis per semet *Asiam* ac *Syriam* ordinavit, *Tiberius* bello tantum contra *Armenios* præfectus est. Neque *Artavasdi Armeniæ* regnum tradidit, sed *Tigrani*, uti præter *Dionem*, ac *Josephum* testatur Tacitus *lib.* II. *Annal. Datus*, inquit, *à Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum à Tiberio Nerone.* Sed nec *Tiberii* nomine territus *Phraates* filios obsides misit; id enim post decennium contigit, teste *Strabone*, *Titio Syriæ* præside. *Augustus Asia* provincia proconsulari ordinata, *ibi & in Bithynia omnia constituit, non minori eas, ut & priores provincias, cum essent populi, quam suas procurans*; Dio laudatus, qui statim subdit: *Idemque in Syriam cum advenisset*, Tyrios ac Sidonios propter factiones punivit. *Interim Phraates, quia nihil dum eorum quæ pactus fuerat, perfecisset, veritus ne bello ab Augusto impeteretur, signa ei militaria, & captivos omnes misit.* Nihil de obsidibus filiis, aut timore *Parthis* ob *Tiberium* concepto, uti palpando scribebat *Vellejus*. Ex his patet *Augustum* circa æstatem A. V. 734. in *Syriam* venisse, cum verno tempore *Asiam* ac *Bithyniam* P. R. provincias perlustrasset, atque optimis legibus easdem composuisset. Josephus *lib.* XV. *Antiq. cap.* 13. scribit: *Decimo septimo ejus*, nempe *Herodis*, *regni anno Cæsar venit in Syriam.* Annos regni à captis *Hierosolymis* ac rege *Judæorum Antigono* A. V. 717. *M. Agrippa* ac *Caninio Gallo* Coss. numerat; ab eo enim anno septemdecim numeratis, erimus ad A. V. 734. Rursus *lib.* I. *belli cap.* 15. cum dixisset *Augustum* ad bellum in *Ægypto* contra *Antonium* gerendum per *Syriam* transisse, inferius statim addit: *Et decimo anno reversus iterum in provinciam &c.* A. V. 724. in *Ægyptum* per *Syriam Augustus* profectus est; quare decimo anno V. C. 734. iterum in *Syriam* venit. Optime, quod tempus attinet; *Dio* ac *Josephus* conveniunt. Ceterum instante hieme, *Augustus* in *Samum* reversus, libertatem hospitii præmium *Samiis* dedit, ac non pauca eo tempore negocia confecit. Vere jam appetente, *Athenas* transmisit, teste eodem Historico, quo anno ineunte *C. Sentius Saturninus* ac postea *Q. Lucretius* consulatum gessere. *Virgilius*, inquit *Donatus* in vita ejusdem, *cum aggressus iter, Athenis occurrisset Augusto ab Oriente Romam revertenti, una cum Cæsare redire destinavit. At cum Megaram vicinum Athenis oppidum visendi causa peteret, languorem nactus est, quem non intermissa navigatio auxit, ita ut gravatus in dies tandem Brundusium adventarit, ubi diebus paucis obiit X. Kal. Octobris Cn. Plautio Q. Lucretio Coss.* Ubi pro Cn. Plautio *C. Sentio* legen-
294 dum est; neque enim *Cn. Plautius* potest dici consul suffectus, quia in lapide Collotiano Gruteri *pag.* 298. legitur eo anno unus tantum SUF. M. VINUCIUS. P. F. Ex his colligimus *Augustum* circa æstatem A. V. 735. ex *Græcia Romam* rediisse. Hoc *Augusti* in *Asiam* iter, & ejusdem *Romam* reditum descripsi, ut quorundam insignium scriptorum errores facilius ostenderem.

Cardinalis Baronius *num.* 85. Apparatus scribit, *Agrippam* ex *Syria* revocatum A. V. 733. *quo ipse Augustus in Syriam profectus reperitur, ubi mansit saltem triennii temporis spatio; nam sub consulatu Sentii Saturnini adhuc agebat in Oriente componens res provinciarum, ut testatur Vellejus Paterculus.* Hinc toto eo triennio nullos in *Syria* præsides ordinarios statuit, cum præsens ibidem *Au-*

A *gustus* omnibus jus diceret, ac reliqua exequeretur, quæ absens per legatos in *Syria* faciebat. Verum ex *Dione*, quem unum suæ sententiæ auctorem *Baronius* laudat, constat *Augustum* inita æstate A. V. 734. in *Syriam* profectum, ac postea apud *Samum* hibernasse, ut vix quinque in *Syria* menses moratus fuerit; non vero per triennium, ut vir magnus arbitrabatur. Sed nec illud admiserim, *Augusto* in Orientis partibus degente, nullos ejusdem legatos, nec à Populo suas in provincias missos proconsules extitisse. Cum enim Reges suas provincias lustrant, neutiquam ordinarii earundem præfecti magistratum deponere
B coguntur, sed & illi advenienti Regi occurrunt, ac totius provinciæ statum exponunt. Et quidem cum *Augustus* in Occidente degebat, ac *Lugdunum*, quo propior esset bello *Germanico*, se conferebat, nonne in superiori ac inferiori *Germania*, in *Gallia* etiam, atque *Hispania* ejusdem legati proprætores magistratum continuabant? Cur *Augusto* in Oriente morante, nullos Orientis provinciis id temporis præfectos dicemus? *Augusto* apud *Samum* hiemante, quis in *Syria*, quis in *Cyrene*, quis in *Bithynia* jus dicebat? Cum *Augustus* quinque tantum menses in *Syria* exegerit, quis ab A. V. 733. ad 737. quo rursus *Agrippa*
C rediit in Orientem, *Syriæ* res administravit? Appianus *lib.* VI. *bel. civ. pag.* 619. de *M. Tullio Cicerone* Oratoris filio, qui victo *Bruto* ad *Sex. Pompejum* in *Siciliam* se receperat, scribit: *Post hos Cæsar, quo averteret à se Ciceronis proditi dedecus, augurem eum fecit, & paulo post consulem, postremo* τῆς Συρίας στρατηγὸν *Syriæ præsidem.* Schottus *in notis ad septimam suasoriam Senecæ* vertit: *Syriæ prætorem*; sed perperam; etenim non prætor, sed *legatus* ac *proprætor Syriæ* rector nuncupabatur. *M. Tullius Ciceronis* Oratoris F. consulatum suffectum gessit A. V. 724. iniens magistratum Idibus Septembris. Ejus vero admini-
D stratio Syriaca ab A. V. 733. ad A. 737. videtur contigisse, cum ante illos annos alii proprætores eam provinciam administraverint. Scio *Senecam* patrem in suasoria VII. dicere: *Cum M. Tullius filius Ciceronis Asiam obtineret, homo qui nihil ex paterno ingenio habuit præter urbanitatem &c.* At plerique sub *Augusto* diversas provincias obtinuere. *Sentius Saturninus* ac *Quinctilius Varus* post *Syriam*, legati proprætores in *Germaniam* missi sunt; *Piso Pamphyliam*, dein *Mœsiam* rexit; *M. Lollius Gallogræciæ*, ac postea *Germaniæ* legatum egit. Utut de hoc sit, *Casaubonus* ac *Montacutius*, qui præsidum *Syriæ* catalogum, *Baronii* in-
E dicem suppleturi, sibi ipsis iterum concinnandum duxerunt, ex *Appiano Tullium Ciceronis* filium nominare saltem debebant.

Agrippa A. V. 738. *L. Domitio* & *P. Scipione* Coss. iterum in *Syriam* reliquasque Orientis provincias missus fuit; siquidem ad eundem annum scribit de Augusto Dio *lib.* LIV. *Nam statim Agrippam in Syriam miserat*; illi autem 295
ante biennium Tribuniciam potestatem *Augustus* conferens, inquit Dio, *ad imperium quodammodo evexerat.* Hinc etiam Tiberius à Vellejo *lib.* II. dicitur *Tribuniciæ potestatis consortione æquatus Augusto. Agrippam* vero incumbente jam autumno,
F *Roma* discessisse colligo ex *Dione* ibidem scribente: *Tum quinquennales etiam ludi propter principatum ejusdem ab Agrippa (nam is quoque à collegio Quindecim virorum, quibus per ordinem horum ludorum curatio incumbebat, cooptatus, & inauguratus fuerat) exhibiti sunt*, A. V. 738. Idem autem Dio initio *lib.* LIII. ad A. V. 726. Cæsare VI. M. Agrippa II. Coss. scripserat de Augusto: *Ludos propter Actiacam victoriam decretos, cum Agrippa exhibuit &c. iique deinceps ad nostram usque*

ætatem

ætatem ludi quinto quoque anno facti ſunt; eorumque curatio quatuor ſacerdotum collegiis per ordinem incumbit, Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemviris, & Quindecim viris. Itaque hos ludos Actiacos primum A. V. 726. *Agrippa* Pontifex cum collegis dedit. Illum vero fuiſſe Pontificem teſtatur *Vellejus* verſus finem *lib.* II. ſcribens eundem ad *complura ſacerdotia enixum.* Erant ludi ſimiles, quod tempus attinet, Olympicis; nam quinto quoque anno ineunte, exhibebantur. Quare A. V. 730. Augures ludos Actiacos II. dedere. A. V. 734. ludis III. Septemviri Epulones præſederunt. Denique A. V. 738. uti recte tradit *Dio*, Quindecim viri ludos Actiacos IV. *Agrippa* præſide, ediderunt. Hi autem ludi fiebant menſe Septembri, quo ineunte, *Auguſtus* victor navali pugna apud Actium extiterat. Ex his patet *Agrippam* exhibitis A. V. 738. ludis Actiacis, circa Autumnum in *Aſiam* tranſmiſiſſe. Hæc ex *Joſephi* hiſtoria mirifice confirmantur, qui de hoc altero *Agrippæ* in *Aſiam* adventu ſcribit *lib.* XVI. *cap.* 2. *Herodem*, cum intellexiſſet *Agrippam* in *Aſiam* iterum rediſſe, ad eundem profectum, illum invitaſſe ut in *Judæam* veniret, eoque impetrato, *Agrippam Hieroſolymam* ſe contuliſſe, ac regia pompa exceptum. Tum ſubdit: *Quamvis libenter ibi diutius fuiſſet commoratus, appetente tamen hieme, tempeſtatum metu, maturius abnavigavit in Ioniam, cum amicis maximis honoratus muneribus.* Cum his plane verbis caput concluſiſſet, tertium caput hiſce exorditur: *Rex autem exacta domi hieme, inſtante vere, rurſus ad illum properavit, audito quod cum exercitu Boſphorum peteret.* Hæc *Joſephus.* Cum *Agrippa* inito autumno ex *Aſia* in *Palæſtinam* tranſmiſit, labebatur A. V. 739. Nam altero ſuperiori autumno *Roma* diſceſſerat, celebratis menſe Septembri ludis Actiacis. At Herodes *inſtante vere* A. V. 740. rurſus profectus eſt ad *Agrippam cum exercitu Boſphorum* petentem. Dio *lib.* LIV. ſcribit *Agrippam* cum copiis in *Boſphorum* profectum *M. Craſſo* & *Cn. Cornelio* Coſſ. V. C. 740. Vides igitur miram *Joſephi* cum Dione concordiam. Idem autem Dio inferius ſcribit de *Auguſto* A. V. 741. *Poſt Agrippam ex Syria reverſum, Tribunicia poteſtate in aliud quinquennium prorogata, cohoneſtavit.* Joſephus etiam *lib. eodem* XVI. *cap.* 6. ſcribit *Agrippam* in *Italiam* reverſum: *Poſtquam annos decem diœceſim Aſiæ adminiſtraſſet.* Primum venerat in *Aſiam* A. V. 731. cui cum annis decem præfuiſſet, *Romam* reverſus eſt A. V. 741. Quæ ipſa eſt *Dionis* chronologia. Unus vero *Joſephus* ampliſſimam in Orientis provinciis poteſtatem *Agrippæ* prodidit. Etenim *lib.* XVI. *cap.* 4. narrat *Judæos* apud eundem conqueſtos de injuriis, quas à Græcis *Ioniæ* urbes incolentibus accipiebant. At capite 10. recitat literas *Agrippæ* ad magiſtratum *Epheſiorum*; quarum initium: *Pecuniæ ſacræ, quæ Hieroſolyma mitti ſolet more patrio, procurationem ac tute-*
296 *lam penes Judæos eſſe volo &c.* Ibidem alias ad magiſtratum *Cyrenenſem*, quæ incipiunt: *Judæi Cyrenenſes pro quibus jam Auguſtus ſcripſit Flavio Libyæ præſidi &c. Ionia* in *Aſia*, ac *Cyrene* in *Africa*, erant provinciæ populi *Romani*; quare cum in eaſdem *Agrippa* imperium exerceret, colligimus eidem imperium proconſulare majus datum, quam iis qui ſortito eaſdem provincias id temporis obtinebant. Neque enim id poteſtatis habuit jure Tribuniciæ poteſtatis, ut putavit *Caſaubonus*; ſiquidem ea dignitate præditi poterant aliorum tantum decretis intercedere, eademque irrita facere; rurſus fiebant ſacroſancti, ut ſi à quopiam vel verbo læſi eſſent, ſtatim eundem neci tradere poſſent, ex Dione *lib.* LIII. Hinc *Tiberius Rhodi* à quodam convicio laceſſitus, citatum pro tribunali voce præconis conviciatorem, in carcerem rapi juſſit, in quo exercuiſſe jus Tribuniciæ poteſtatis viſus eſt, teſte Suetonio *cap.* 11. Illam enim *Tiberius* etiamnum apud *Rhodum* obtinebat. Imperatoribus etiam Tribunicia poteſtas & imperium proconſulare extra urbem deferebatur, quæ duo erant ſane diſtincta; longe autem majoris dignitatis erat Tribunicia poteſtas, quam imperium proconſulare; hoc enim *Germanico* ac *Neroni* collatum fuit; cum tamen neutri poteſtas Tribunicia communicata fuiſſet. *Antoninus Pius* eadem die *factus eſt patri & in imperio proconſulari & in Tribunicia poteſtate collega*, ex Capitolino *cap.* 4. *de vita Pii*, qui utramque dignitatem *M. Aurelio* una contulit, teſte eodem *cap.* 6. in *M. Antonino* Philoſopho.

Jam aliorum in hiſce exponendis errores refellendi ſunt. Caſaubonus *pagina* 136. ait: *Etſi autem revocatus eſt Agrippa Romam ab Auguſto ſequente anno 732. tamen rediiſſe mox in Orientem, & duo quinquennia ibi egiſſe non eſt dubium. Dio Caſſius in anno 741. reditum illius narrat in Urbem.* Eidem ſuas ipſius in eadem pagina contra *Baronium* voces reddo: *Magna ἀνιςορησία. Agrippa* ab *Auguſto* ex Oriente A. V. 733. ante æſtatem revocatus, *Romæ Juliam Auguſti* filiam uxorem duxit, idemque A. V. 734. *Cajum* filium ex *Julia* ſuſcepit. Anno 735. Agrippa *Galliis adminiſtrandis eſt præfectus; tumultuabantur enim invicem Galli, & à Germanis infeſtabantur; iis motibus ſedatis, in Hiſpaniam tranſiit.* Horum auctor ibidem *Dio*, qui ejuſdem contra *Cantabros* geſta recenſet. A. V. 736. *Agrippa* in urbem reverſus, poteſtatem Tribuniciam in quinquennium ab *Auguſto* accepit, ac utrique inſidiæ intentatæ ſunt, quas evaſere, conjuratis ſupplicio affectis. Anno V. 737. naſcitur *Lucius* alter filius *Agrippæ.* Auguſtus *Cajum & Lucium adoptavit domi per aſſem & libram emptos à patre Agrippa*, ex Suetonio *cap.* 64. *in Auguſto.* A. V. 738. menſe Septembri cum collegio XV. virum præſedit ludis Actiacis, ut ſuperius ex *Dione* dicebam. Igitur ab A. V. 733. ad 738. pleno quinquennio ab Oriente abfuit, ut ſatis imperite illa *Caſaubono* exciderint: *duo quinquennia ibi egiſſe non eſt dubium*; cum certiſſimum ſit ex *Dione* uno tantum, eoque interciſo quinquennio eundem in Oriente degiſſe. At *Joſephus* ſcribit *Agrippam* res *Aſiæ* annos decem adminiſtraſſe. Hinc miſer hiſtoricus ab *Saliano* falſi reus peragitur. Verum facile defenditur, ſi dicamus *Agrippam*, cum primum in *Aſiam* veniens, apud *Lesbum* ſubſtitit, Syriam, *eo miſſis legatis ſuis*, uti ſcribit *Dio*, adminiſtraſſe. *Auguſtus* in *Aſiam* veniens, *Agrippæ* legatos è *Syriaca* adminiſtratione non amovit. Id temporis *Syria* in tres *Romanas* provincias, duoque regna præter anguſtas Dynaſtias, partita erat. In *Palæſtina Herodes*, in *Commagene Mithridates* A. V. 734. ab *Auguſto* eidem impoſitus, regnabant. *Cœleſyriam*, *Phœnicen*, ac *Antiochenſem* tractum tres *Agrippæ* legati gubernabant, atque in edictis *Agrippæ* nomen præponebant. *Pompejus* A. V. 703. ex tertio conſulatu utramque *Hiſpaniam* proconſul obtinuit, quam tamen per legatos *Afranium*, *Petrejum*, ac *Varronem* apud Urbem ipſe ſubſiſtens, adminiſtravit; unde & *M. Calidii* ſententia à Cæſare *lib.* 1. *bel. civ. cap.* 2. laudatur: *Ut Pompejus in ſuas provincias proficiſceretur, ne qua eſſet armorum cauſa.* Tacitus *lib.* II. *hiſt. cap.* 65. ait: *Cluvius comitatui Principis adjectus, non adempta Hiſpania, quam rexit abſens exemplo L. Arruntii.* Et *lib.* VI. *Annal.* narrat *Arruntium*, *ne in Hiſpaniam pergeret, decimum jam annum* detentum. Ita *Agrippa* abſens

sens potuit per Legatos *Syriam* administrare. Qui tamen hæc velit adstruere, *M. Tullium*, si *Appiano* fidem præstamus, inter *Q. Didium* ac *Varronem* circa A. V. 727. *Syriæ* præsidem imponat necesse est. Juxta *Baronii* opinionem, qui *Augustum* inter præsides *Syriæ* connumerat, ab A. V. 734. quo *Augustus* ex *Syria* discessit hiberna apud *Samum* habiturus, *Syria* per quadriennium rectore caruit, cum *Agrippa* post æstatem A. V. 738. in Orientem iterum transmiserit. Quæ tamen opinio prorsus falsa est.

Verum quid *Montacutio* faciemus? Is enim *num.* 21. & 22. duodetriginta fere versibus de *Syriaca Agrippæ* administratione loquens, tot in errores eosque crassissimos labitur, ut nec una periodus à reprehensione absit. Ejusdem verba recitabo, ne tam immania in historia monstra eidem afficta videantur. Ille ergo ita loquitur initio num. 21. *Fuit ergo Syriæ, sed & Orientis præses M. Agrippa ad annum DCCXXXI. eo missus: hoc est decennio postquam prius* εἰς τὴν ἐπαρχίαν *illam venerat Cæsar, quæ mens fuit Josephi in* 1. *de bello pag.* 695. *ubi ait:* ἔτει δεκάτῳ πάλιν ἐλθὼν εἰς τὴν ἐπαρχίαν. Ex *Dione* recte dicit *Agrippam* à *Cæsare* in *Syriam* missum A. V. 731. sed quod de suo addit, purum commentum est, nec *Josephi* mentem est assecutus. Etenim ante A. V. 731. *Cæsar* semel in *Asiam* venerat statim post victoriam Actiacam A. V. 723. & iterum anno insequenti, cum per *Syriam* contra *Antonium* exercitum duxit. Nusquam antea *Asiam* ille viderat, quod ea spectabat ad collegam Triumvirum *Antonium*; ac juvenis cum *Ionium* transmisit, usque *Apolloniam* tantum progressus fuerat. At *Montacutius* circa A. V. 721. *Augustum* in *Asiam* trahit. Josephus *lib.* 1. *belli cap.* 15. cum narrasset obsequia ab *Herode* præstita *Cæsari* A. V. 724. per *Syriam* in *Ægyptum* cum exercitu transeunti, simulque quam honorifice *Cæsar* ipsum etiam *Herodem* dimisisset, addit postea: *Decimo anno iterum in provinciam veniens, procuratoribus præcepit nihil ipso non consulto efficere; ac post Zenodori obitum terram omnem inter Trachonem & Galilæam eidem attribuit.* Hic palam scribit *Josephus* de secundo adventu *Cæsaris* in *Syriam*, qui, uti ex *Dione* ac *Strabone* prænotavi, contigit A. V. 734. nempe ut optime *Josephus* notat *decimo anno* postquam A. V. 724. primum in *Syriam* venerat, contra *Antonium* bellum in *Ægypto* gesturus. Hæc omnia postea in *lib.* XV. *Antiquitatum cap.* 13. repetit, ubi ait: *Decimo septimo demum ejus* Herodis *regni anno Cæsar venit in Syriam*; addit tum temporis Zenodorum *apud Antiochiam Syriæ periisse. Cæsar vero*, inquit, *& hujus ditionem sane non contemnendam donavit Herodi, quæ sita Galilæam inter & Trachonem &c.* & statim: *adjunxit eum deinde procuratoribus Syriæ, mandavitque ut omnia ex ejus consilio facerent.* Decimus septimus annus regni *He-*
298 *rodi* exibat A. V. 734. à captis juxta ipsius chronologiam *Hierosolymis*, ac morte *Antigoni*. Ita in libris Antiquitatum altero charactere chronologico designat annum V. 734. quo *decimo anno*, postquam *Augustus* A. V. 724. in *Syriam* venerat, in eandem iterum provinciam reversus est. *Dio* ad A. V. 734. de *Augusto* scribit *lib.* LIV. illum, cum in Oriente versaretur, dedisse *Herodi Zenodori cujusdam Tetrarchiam.* Quam belle cum *Josepho* concinit! Strabo etiam *lib.* XVI. *pag.* 520. ait latrocinia ea in regione, *sublato Zenodoro latrone*, fere cessasse. De illius vero rapinis fusius agit Hebræus historicus. *Montacutius* in tanta luce infeliciter lapidem offendit. At sequitur ibidem: *Josephus ait Cæsarem secundo venisse in Syriam & Orientem sub consulatu Arruntii & Marcelli anno DCCXXXI. & cum Josepho consensit*

A *licet invitus & aliud agens Cardinalis &c.* Nusquam hosce consules *Josephus* nominavit. Ille vero scribit venisse secundo *Augustum* in *Syriam anno decimo* postquam primum in eandem antea provinciam venerat, & rursus venisse anno regni *Herodis* XVII. quibus characteribus designatur A. V. 734. ut proxime dixi. Præterea turbat *Montacutius* fastos consulares; nam A. V. 731. *Augustus* XI. ac *Cn. Piso* consulatum gessere, *Arruntius* vero ac *Marcellus* A. V. 732. Ita ubique vacillat ac cadit. Rursus *num.* 22. ait: *Agrippa certe secundum Josephum* διοίκησιν δεκαετῆ *decem annis Syriam administrabat. Venerat eo ad A.* 731.
B *Anno* 733. *præsente Augusto, cessavit illa* διοίκησις *intercisa per triennium.* Est alter plane homo qui loquitur; etenim hic ait *Agrippam* in *Syriam* venisse A. V. 731. *Augustum* vero A. V. 733. At idemmet ex *Josepho* proxime dicebat *Cæsarem* in *Syriam* venisse A. V. 731. Præterea *Cæsar* in *Syria* vix quintum mensem exegit, uti locupletissime ostendi; at ille paucos menses in triennium mutat. Addit: *Reversus est Augustus post triennium expletum* 736. *rediit Augustus, & in Syriam reversus est Agrippa, ubi subsistebat usque ad A.* 741. Vix puto *Montacutium* hæc scripsisse; illa enim *rediit Augustus*, Grammatici non patientur,
C cum bis in eodem versu idem dicatur. At *Augustus*, ò bone, rediit non anno V. 736. sed proxime superiori 735. Ita scribit *Dio*, ac eo anno redeunti ex Oriente *Augusto* in *Græcia* occurrit *Virgilius*, qui paullo post eodem anno diem obiit. Caveto ne mortui, te auctore, *Cæsari* occurrant, eique dicant: *mortui te salutant*; uti in Naumachia *Claudio Cæsari* pugnaturi dixerunt: *morituri te salutant*, auctore Suetonio *in Claudio cap.* 22. Addit Montacutius: *Ille autem Asiam, cum primum mitteretur, non adibat, sed in insula Lesbo residens, Asiam & Syriam, ut prius Antonius, per legatos suos* ἐπιτρόπους, *administrabat.*
D Perperam legatos *Agrippæ* vocat ἐπιτρόπους, cum πρεσβευτὰς dicere debuisset. Dio *lib.* LIII. circa finem narrat *Agrippam* apud *Lesbum* substitisse, ac *Syriam* legatis abs se destinatis administrandam commisisse. Strabo *lib.* III. *pag.* 115. scribit cum legato proprætore *Hispaniæ Tarraconensis* fuisse πρεσβευτὰς τρεῖς, *tres legatos*, ubi etiam aderant ἐπίτροποι τοῦ Καίσαρος *procuratores Cæsaris.* Cum *Tiberius* bellum in *Germania* ac *Illyrico* pro *Augusto* gereret, ejus duces *legati*, nusquam *procuratores* dicti leguntur. Livius in epitome *lib.* CXXVII. *Saxam* ac *Ventidium M. Antonii legatos* vocat, qui etiam *proconsules* in fastis inscribuntur.
E Cum *Pompejus* summo cum imperio bellum piraticum adornaret, plures sibi duces cum sua quemque classe subjectos habuit, quos *Appianus* in *Mithridaticis* non procuratores ἐπιτρόπους, sed πρεσβευτάς, id est, legatos nuncupat *pagina* 236. & statim eisdem nominatis, στρατηγοὶ eidem etiam dicuntur, ut & *Dioni legati Agrippæ* ὑποστρατήγοι, quasi duces subordinati. Hæc rursus subjicit *Mon-* 299
tacutius. E Lesbo sequenti anno, hoc est, 732. *revocatus est Romam: & rediit eodem anno, atque Asiam adiit.* Non est revocatus A. V. 732. sed sequenti 733. ut testatur *Dio*, quo anno *Juliam* duxit, ex qua anno sequenti 734. *Cajum* suscepit. At ridiculum est
F *Agrippam* eodem anno quo ex *Asia* discessit, illuc iterum rediisse. Nam, uti dixi, anno 734. *Cajus* filius eidem *Romæ* natus est. Anno vero V. 735. bellum contra *Cantabros* in *Hispania* gessit. Dein A. 736. Tribuniciam potestatem *Romæ* ab *Augusto* accepit; ac postea A. 737. *Augustus* ab *Agrippa* domi per assem & libram *Cajum* ac *Lucium* emens, adoptavit. Hæc ex *Dione*, *Suetonio*, ac *Vellejo* superius probavimus. Itane eodem A. 732. *Agrippa* in *Asiam* reversus est, qui

pleno quadriennio abfuit? Errores erroribus addens ait: *Nam accessit ad eum Herodes apud Sinopem in Ionia, accusatus à Judæis.* Historia ac chronologia susdeque à *Montacutio* confusa, imo corrupta, Cosmographiam etiam invertit. Josephus *lib.* XVI. *cap.* 3. narrat *Herodem* verno tempore ad *Agrippam* properasse, quem tamen *Mitylenis* non inveniens, *apud Sinopem Ponticam urbem offendit. Josephus* diserte ponit *Sinopem in Ponto.* At *Montacutius Sinopem* in *Ioniam* transfert. Addit *Josephus Agrippam* è *Ponto* cum *Herode* profectum per *Paphlagoniam*, *Cappadociam*, ac *Phrygiam* minorem, venisse *Ephesum*, quæ urbium *Ioniæ* erat metropolis. Falsum insuper est quod subdit de accusato id temporis *Herode* apud *Agrippam.* Josephus *eo cap.* 4. *lib.* XVI. scribit: *Postquam autem ventum est in Ioniam, præsto fuit magna multitudo Judæorum ejus regionis urbes incolentium: qui nacti opportunitatem, questi de indigenarum injuriis, quod nec legibus suis eos vivere sinerent, & festis diebus traherent ad tribunalia &c. Has querelas ut Agrippa audiret, Herodes dedit operam.* Tantum abest, ut *Herodes* apud *Agrippam* accusatus fuerit, ut idem ipse *Judæis* accusatis apud *Agrippam*, patrocinatus fuerit, quod illorum rex erat. Rursus erroribus finem jam tandem imponens, ait: *Ad A.* 741. *mortuo M. Lepido, Pontificatum adiit Augustus, & Romam revertitur Agrippa, designatus in Pannoniam: sed male* (legendum *morte*) *præreptus, eo non abiit: decessit autem in Campania.* Illa priora ex *lib.* LIV. Dionis ad A. V. 741. didicit; at miror hominem hæc in eadem *Dionis* pagina non observasse: *Post Agrippam è Syria reversum, Tribunicia potestate in aliud quinquennium cohonestavit, ac in Pannoniam, ubi jam bellum gliscebat, cum majori imperio, quam ullus alius extra Italiam haberet, misit. Agrippa eam expeditionem jam hieme instante, qua M. Valerius Messalla Barbatus, & P. Sulpicius Quirinius consules fuere, fecit; quo ejus adventu exterriti Pannonii cum à rebellione destitissent, reversus, cum in Campaniam venisset, morbo decubuit.* Igitur falsus est *Montacutius*, dum de *Agrippa* scribit: *designatus in Pannoniam eo non abiit.* Immo in *Pannoniam* profectus est, ac sui adventus terrore barbaris ad officium reductis, ac pacata provincia, *Romam* reversus, in *Campaniam* secessit, ubi intra paucos dies morbo oppressus decessit. *Montacutius num.* 1. *Apparatus* IV. cujus inscriptio: *De Syriæ præsidibus*, de indice eorundem à Cardinali *Baronio* contexto judicium ferens, ait: *In toto hoc negotio errat multipliciter, & in plerisque pueriliter. Confundit & perturbat ordinem temporum, rerum series &c.* Equidem ipse in me recipio, ac juratus pronuntio plura, ac longe graviora errata *Montacutio* admissa in uno *Syriæ* præside *Marco Agrippa* describendo, quam doctissimo Cardinali de omnibus *Syriæ* Rectoribus scribenti; uno tantum
300 errore dempto, quod Procuratores *Judææ* pro *Syriæ* præsidibus obtrudit, qui *Baronii* error juxta Procuratorum numerum multiplex est, quamvis unicus tantum censeri possit.

§. IX.

M. Titius Syriæ *præses A. V.* 742. *Plura de eodem adnotantur. Lapis ac nummus ejusdem nomine inscripti producuntur. Idem ex catalogo præsidum* Syriæ *imperite à* Montacutio *expungitur.* Rufini *in* Josepho *lectio è* Græco *codice MEDICEO contra* Gelenium *ac* Montacutium *adstruitur.*

POst *M. Agrippam Titium* præsidem *Syriæ* exhibet Josephus *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 12. scribens de *Herode* una cum *Archelao* rege *Cappadociæ Antiochiam* profecto: *Ibi Syriæ præsidem Titium reconciliavit Archelao.* Meminit ejusdem

A Strabo *lib.* XVI. *pag.* 515. ubi loquens de *Phraat*[e] rege *Parthorum* ait: *Tantum Cæsaris amicitiæ stu*[du]*duit, ut & illi trophæa remitteret, quæ Parthi de Romanis erexerant; & vocato in colloquium Titio, qui id temporis Syriæ præerat* (τ̃ ἐπιστατοῦντα τ̃ Συρίας illum vocat) *quatuor ei filios legitimos ob*[*si*]*des tradidit: Seraspadem, Cerospadem, Phraa*[*te*]*num & Boonem.* Vetus inscriptio in hortis Me[*di*]diceis *Romæ* unius & alterius nomina corrigenda monstrat; illam produximus *cap.* 14. Hunc *Sy*[*riæ*] præsidem ex *Strabone* omnium primus recita[*vit*] vit *Glandorpius* in Onomastico in gente *Titia. Ba*[*ronius*] *ronius* illum omisit. At *Montacutius* ingentem de
B eodem litem intentat *Casaubono*, sed imperite æ[que] que ac pueriliter. *M. Titius Titii* à Triumviris proscripti filius, ad *Sextum Pompejum Siciliam* tenentem A. V. 711. cum patre se receperat. Cum A. V. 714. bellum inter *Antonium* ac *Cæsa*[*rem*] *rem* exortum esset, *M. Titius* in *Narbonensem* pro[vinciam] vinciam profectus, classem peculiaris potentiæ tot inter civilium bellorum tumultus obtinendæ causa, adornare cœperat. *Menas Sex. Pompeji* libertus ac rei maritimæ ab eodem præfectus, ve[ritus] ritus ne *Titius Pompeji* ditiones occuparet, con[tra] tra eundem cum classe profectus, vivum cepit. Hæc Dio *lib.* XLVIII. additque: *Huic Titio pro*[*p*]
C *pter patrem suum, ac quod nomen Pompeji milites ejus suis scutis inscriptum ferebant, venia data est; sed is malam suo benefactori gratiam retulit, quem & debellavit, & occidit.* Cum *Titius* ad *Anto*[*nium*] *nium* in *Ægyptum* se recepisset, magno in honore ab eodem habitus, classis præfecturam obtinuit. Interea cum *Pompejus* A. V. 718. à *Cæsare Octa*[*viano*] *viano Sicilia* pulsus, in *Asiam* fugiens, *Mitylenas* se contulisset, ac naves pararet, & classiarios exer[ceret] ceret, *Antonius* ex Appiano *lib.* V. *pagina* 74[?] *ducem adversus eum designavit Titium, ut classe ac exercitu accepto è Syria, Pompejo bellum molienti resisteret.* Pompejus jam *Lampsaco* in *Hellesponto*
D occupato, *Cyzicum* terra marique aggressus, fru[stra] stra tentaverat, ac tres legiones sub signis habens, magnis stipendiis *Italos*, qui *Asiam* incolebant, ad militiam invitabat. Cum *Titius* è *Syria* cum centum ac viginti navium classe superveniens, *Pom*[*pejum*] *pejum* ab amicis destitutum, in fugam ullo sine prœlio compulit, eumque ab *Amynta* captum, *Titius* jussa *Antonii* executus, interfecit A. V. 719. Dio *lib.* XLIX. scribit contra *Pompejum* ab *Anto*[*nio*] *nio* missum *M. Titium, qui quondam ad se à Sexto Pompejo desciverat.* Addit *Appianus* jussu *Muna*[*tii*] *tii Planci Syriæ* legati interfectum, qui literas de nece *Sexto* inferenda *Antonii* annulo obsignatas
E ad *Titium* transmisit. Bello postea Actiaco exor[to] to, hic *Plancus* ad *Cæsarem* ab *Antonio* defecit. Vellejus *lib.* II. *Planci* ab *Antonio* defectione re[citata] citata, ait: *Mox autem hunc avunculum Titius imi*[*tatus*] *tatus est.* Itaque *Titius* nepos *Planci*, ejusdem sorore natus, ab *Antonio* repetito rebellionis exem[plo] plo, ad *Cæsarem* descivit. Dio *lib.* L. cum nar[rasset] rasset *Cn. Domitium* ac *C. Sosium* consules A. V. 722. *Roma* ad *Antonium* se contulisse: *Compensa*[*verunt*] *verunt*, inquit, *hoc eorum factum alii ab Antonio ad Cæsarem fugientes, interque eos Titius etiam Plancusque, quos Antonius & præ reliquis omnibus in honore habuerat, & secretorum conscios fecerat.*
F Addit eosdem indicasse *Cæsari* testamentum *An*[*tonii*] *tonii* apud Vestales servari: *Nam id Titius ac Plan*[*cus*] *cus obsignaverant.* *Antonius Titium* consulem in partem anni insequentis V. C. 723. designandum curaverat, ut ex hoc fragmento quod produxit ad eundem annum *Panvinius* in fastis, ac ex eo[dem] dem Gruterus *pag.* 474. 8. intelligitur.

CIVIVM. ROMANORVM
QVI. MITYLENIS. NEGOCIANTVR
M. TITIO. M. F. PRO. COS. PRAEF
CLASSIS. COS. DESIG. PATRONO
HONORIS. CAVSSA

M. Titius consulatum suffectum gessit A. V. 723. à Kal. Maji ad Kal. Octobris. In tabula *Capuana* apud *Pighium* ad A. V. 719. & Gruterum *pag.* 299. legitur:

IMP. CAESAR. III. M. VALERIVS. MESSAL.
K. MAI. M. TITIVS
K. OCT. CN. POMPEIVS

Ex his patet negotiatores *Mitylenenses* allatum epigramma dicasse priori parte anni V. 722. quando *Titius* in annum sequentem COS. DESIG. PRAEFectum CLASSIS Antonianæ agebat, antequam eodem anno, prodito *Antonio*, transitionem ad *Cæsarem* faceret. Cum *Titius* consul designatus ibidem dicatur, posita est inscriptio ante K. Majas A. 723. quibus ille consulatum iniit; ac rursus antequam A. V. 722. transitionem faceret; non enim *Mitylenenses*, qui erant sub *Antonii* imperio, homini proditori HONORIS CAUSSA illud elogium dicassent. *Augustus* bello Actiaco *M. Titium* consulem una cum *Statilio Tauro* terrestribus copiis præfecit, ita tamen ut penes *Taurum* summum imperium esset. Hinc apud Dionem *lib.* L. dicuntur *M. Titius & Statilius Taurus subito adorti equitatum Antonii fudisse, sociumque sibi Philadelphum regem Paphlagoniæ adscivisse.* Extat nummus à Velsero laudatus *lib.* IV. *de Augusta Vindel. pag.* 61. inscriptus: CAESAR AUGUSTUS TRIBUNIC. POT. IX. COS.
302 XI. & in postica: M. TITIO. P. QUIN. VARO. L. COR. BALBO. Bos ibidem obsignatus coloniam ab iisdem deductam indicat, quam *Augustam Vindelicorum* putat idem scriptor. Tres illi fuere viri consulares, *Balbus* etiam triumphalis. *Augustus* inibat potestatem Tribuniciam IX. A. V. 739. V. Kal. Julias; eadem vero finita, memorata die A. V. 740. inibat X. Igitur *M. Titius* intra id tempus fuit III. Vir coloniæ deducendæ, quæcunque illa fuerit. Ex Josepho *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 12. constat *Titium* fuisse præsidem *Syriæ* id temporis, quo *Herodes* rex tertio in *Italiam* transmisit. At *cap.* 6 pluribus demonstravi *Herodem* A. V. 742. secundo in *Italiam* navigasse. Circa A. V. 746. Syriaca *M. Titii* administratio desiit. Nam *Herodes*, cum tertio in *Italiam* venit, *Romæ Augustum* veneratus est. At *Augustus* A. V. 744. erat in *Gallia*, teste Dione in fine *lib.* LIV. Extat vetus inscriptio Gruteri *pag.* 61. 1.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS.
ROMANVS
ANNO. NOVO. APSENTI. CONTVLIT
NERONE. CLAVDIO. DRVSO
T. QVINCTIO CRISPINO. COS
VOLCANO

Itaque *Augustus* ineunte anno novo, quo consules fuere *Claudius Drusus* ac *Quinctius Crispinus* V. C. 745. APSENS *Roma* erat. Idem circa æstatem ejus anni, cum *Drusus* consul in *Germania* morbo decessit, erat *Ticini* ex Valerio Max. *lib.* V. *cap.* 5. sub exitum ejusdem anni, *asperrimo hiemis* ex Tacito *lib.* III. *Annal. Drusi* cadaver in urbem transtulit, ac *anno proximo* V. C. 746. *C. Annio Gallo C. Marcio Censorino Coss. Romam ingressus est.* Dionis verba sunt *lib* LV. Quare hoc anno *Herodes Romæ Augustum* adiit; ac *Titius* successorem sub idem fere tempus accepit; siquidem ex Josepho *cap.* 13. cum *Herodes* rediisset, invenit missos ab *Augusto* in *Syriam Sentium Saturninum* ac *Volumnium*, de quibus postea sermo proxime habendus est. Ex his *M. Titius* A. V. 742. *Agrippæ* successor in *Syriam* veniens, eandem per quadriennium administravit. Scribit Vellejus *lib.* II. *Titio* ob occisum *Pompejum* Magni filium, *in tantum duravit hoc facinore contractum odium, ut mox ludos in theatro Pompeji faciens, execratione populi spectaculo, quod præbebat, pelleretur.*

Montacutius M. Titium è catalogo *Syriæ* præsidum expunxit, quia *Josephus* laudatus eundem vocat Τίτον; at cum *Strabo Titium* appellet, contendit esse *depravatam scripturam apud Strabonem. Legendum omnino quemadmodum dictum est* Τίτον, *non* Τίτιον. Addit: *Hunc errorem sequitur magnus ubique nugator Bullengerus.* Immo hic censor nugas loquitur. In antiquo codice *Josephi* in Laurentiana Serenissimi COSMI III. Magni Ducis *Etruriæ* Bibliotheca, in pluteo LXIX. legitur τὸ ἡγεμόνα Συρίας Τίτιον, *Syriæ præsidem Titium.* Rursus in pluteo LXVI. in quinque MSS. codicibus Latinis interprete *Rufino*, legimus *Syriæ procuratorem Titium*, quod ipsum in antiqua 303
editione apparet. At *Gelenius Græcum* codicem corruptum offendens, nempe editum *Basileæ* A. 1544. ubi Τίτον legitur, *Titum* reddidit. Apud *Plutarchum* etiam in *Antonio* legitur: Τίτος καὶ Πλάγκος, cum tamen ex Latinis Scriptoribus, ac *Dione* dicendum sit: *Titius ac Plancus.* Nusquam historici solo prænomine viros designant, sed illos nomine familiæ appellant; *Titius* autem prænomen est *Romanis* familiis promiscue usurpatum. *Tiberius* Imperator ac *Vespasiani* filius *Titus* per antonomasiam solo prænomine designantur. Si vero nomen familiæ proxime dixeris, poteris solo postea prænomine, non addita familia, hominem indicare. Hunc vero suum *Titum* addito nomine familiæ, Montacutius designans ait: *Titius ille Josephianus, Titus est Volumnius, qui Legatus Sentio Saturnino præside, & procurator Judææ, in Syria cum subordinario imperio versabatur.* Quis Apollo eidem insusurravit *Volumnium Titi* prænomen tulisse? *Josephus*, qui unus *Volumnii* meminit, prænomen omisit. Hospes in *Romana* historia Legatum ac Procuratorem confundit, cum diversa plane utriusque munera fuerint, uti jam satis superius demonstravi. Illud plane ridiculum est, cum *Volumnius Montacutio* dicitur *Legatus & procurator Judææ.* Id temporis *Herodi* regi *Judæa* parebat, eratque extra jurisdictionem Procuratoris *Syriæ*, qualis erat *Volumnius. Sabinus Syriæ* procurator, post mortem *Herodis*, cum ejusdem pecuniam ad *Augusti* fiscum spectare contenderet, nondum ulli filiorum *Herodis* regno ab Imperatore sancito, omnium primus post A. V. 716. potestatem intra *Judæam* exercuit. At inquit: *Qui Cæsaris res in Syria administrabant, Syriæ vel Judææ procuratores indifferenter dici poterant, cum sub Syria provincia Judæa censeretur.* Regnante *Herode Judæa* neutiquam sub *Syria*, quæ à *Romanis* magistratibus regebatur, censeri poterat, cum proprio Regi pareret. Hinc cum postea *Archelaus* regno *Judaico* ab *Augusto* privatus fuisset, *Judæa* in formam provinciæ redacta, sub *Syria* censeri cœpit. Recte *Josephus*, qui gentis suæ res longe melius quam *Montacutius*, novit, initio *lib.* XVIII. ait: *Quirinius in Judæam venit jam attributam provinciæ Syriæ.* Et in fine superioris *libri* XVII. *Ceterum ditione Archelai attributa Syriæ, missus est illò à*

Cæsare vir consularis Quirinius &c. Cum *Rufinus Josephi* interpres verba illa: τ̃ ἡγεμόνα Συρίας Τίτιον, Latine reddidisset; *Procuratorem Syriæ Titium*, *Montacutius* interpretationem laudans, ait: *Eum cum* præsidem *non fuisse intelligeret, sed procuratorem, id quod erat*, procuratorem *dixit*. Quæso, à quonam id *Rufinus* potuit intelligere, qui quadringentis post *Titium* annis inter homines ambulavit? Utinam ille *Rufini* codicem inspexisset, sane vidisset *Titium* ab eodem scribi; unde nec *Titium*, hoc est, nomen familiæ in prænomen *Titi* è familia *Volumnia* viri commutasset. Cum *Phraates* cum *Titio* in colloquium venerit, eique filios obsides tradiderit, aperte infertur illum non fuisse procuratorem, qui erat præsidi *Syriæ* subordinatus, sed reapse maximo supra ceteros *Romanos* magistratus imperio in Oriente præditum, cum Rex Regum *Phraates* omnium nobilissimum in colloquium vocasse credendus sit, ut filios eidem *Romam* obsides mittendos traderet.

304 §. X.

C. Sentius Saturninus *A. V. 746. legatus in* Syriam *missus. Ejusdem magistratus ac sacerdotium. Bini proconsules urgente bello, quandoque uni provinciæ impositi.* Volumnius *fuit procurator, non autem legatus* Saturnini *collega. Census in* Judæa *actus*, Syriam *regente* Saturnino, *ex* Tertulliano. *Subtilis* Baronii *ratiocinatio expenditur. Censum ac tributum deferre diversa. Ex Evangelio* Lucæ *minus recte V. C. contendit* Judæos Herode *regnante*, *tributum* Cæsari *solvisse.*

Josephus in *libro.* XVI. *Antiquitatum* sæpius meminit *Saturnini Syriæ* præsidis, & initio *lib.* XVII. *cap.* I. appellat Σατορνῖνον, τ̃ τ̃ς Συρίας ἐπιμελητήν, *Saturninum Syriam procurantem*; & *cap.* 2. rursus meminit Σατορνίνȣ τ̃ τότε σρατηγȣ̃ντος: *Saturnini Rectoris. C. Sentius Saturninus* bello civili *Pompeji* partes secutus à Triumviris inter proscriptos relatus fuerat. Cum ad *Sex. Pompejum* in *Siciliam* fugisset, ac A. V. 714. *Pompejus* pacem cum Triumviris ea conditione præsertim fecisset, ut proscriptis in urbem reditus pateret, *alios clarissimos viros*, inquit Vellejus *lib.* II. *& Neronem Claudium, & M. Silanum, Sentiumque Saturninum, & Arruntium Actium restituit Reipublicæ.* At *Saturninus* noluit à *Pompejo* discedere, sed eidem in bello contra *Cæsarem* strenuam operam navavit, quem etiam classe atque exercitu amisso fugientem, in *Asiam* usque secutus est. Cum vero *Pompejus* terra marique à *M. Titio* premeretur, ac rebus suis desperatis, potentiori resistere per summam temeritatem meditaretur, *Cassius Parmensis, Nasidius, Saturninus, Antistius, &c. pacti sibi ipsis fidem, transierunt ad Antonium.* Horum auctor Appianus *lib.* V. *bel. civ. pag.* 751. Id contigit A. V. 719. Illud plane dubium, num *Saturninus* ante bellum Actiacum, vel post profligatum *Antonium*, ad *Cæsarem* accesserit. Ceterum *Augustus Saturninum* maximis honoribus decoravit; nam sacerdotio, consulatu, ac provinciarum maximarum præfecturis eundem ornavit. Consulatum gessit A. V. 735. quem hisce celebrat Vellejus lib. II. *Sentius forte & solus, & absente Cæsare, consul, cum alia prisca severitate summaque constantia, vetere consulum more ac severitate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam; regessisset in ærarium pecunias publicas; tum in comitiis habendis, præcipuum egit consulem &c.* Idem in collegium XV. virum cooptatus, biennio post V. C. 737. ludis sæcularibus præsedit, ut ex hoc epigrammate apparet.

A LVDI. SAECVLARES. QVINCT
IMP. CAESARE. DIVI. F. AVGVSTO
C. SENTIO. C. F. C. N. SATVRNINO
M. CLAVDIO. M. F. M. N. MARCELLO
MAG. XV. VIR
M. FVFIO. M. F. STRIGONE
D. LELIO. D. F. D. N. BALBO

Circa A. V. 746. legatus *Syriam* administravit, ac in causa filiorum *Herodis*, quos intentati parricidii rex idemque pater accusabat, mitem sententiam, ac patris pietate dignam pronuntiavit. Bello postea *Germanico* A. V. 754. exorto, ab *Augusto* in *Germaniam* legatus missus fuit. Scribit Vellejus *lib.* II. Tiberium A. V. 757. cum *Germaniam* cum legionibus ingressus, omnem partem asperrimi belli sibi vindicaret, *in iis quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris ejus in Germania fuerat, præfecisse: virum multiplicem virtutibus, navum, agilem, providum, militariumque officiorum patientem peritum pariter, sed eundem ubi negocia fecissent locum, otium liberaliter lauteque eo abutentem; ita tamen ut eum splendidum ac hilarem potius, quam luxuriosum aut desidem diceres; de cujus viri claro celebrique consulatu prædiximus.* Cum *Tiberius Cæsar* A. V. 759. bellum Germanicum profligaturus, adversus *Marobodum Marcomannorum* regem legionum robur duceret, *Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Herciniæ sylvis*, Marobodui regnum invaderet, ex Vellejo *lib.* II. Dio etiam *lib.* LV. ad eundem A. Urbis 752. scribit: *Honores triumphales C. Sentius Germaniæ præfectus* obtinuit, *quod horum* nempe *Tiberii* ac *Sentii Saturnini, metu hi Germani pacem petiissent.* Hæc tantum de hoc *Syriæ* præside *Saturnino* in vetustis monumentis inveni. Cum præses in *Syriam* venit dicitur à Josepho *libro* XVI. *cap.* 17. *Vir consularis, multisque defunctus honoribus.*

Pleraque quæ de hoc *Saturnino* Cardinalis *Baronius* scribit in Apparatu, hic in examen vocanda sunt. Nam *num.* 88. ait *Saturninum, Pedanium*, ac *Volumnium* una simul *Syriam* administrasse; à *Josepho* vero *Saturninum* ac *Pedanium præsides Syriæ appellatos. Salianus* etiam *tom.* 6. *in titulo A. M.* 4048. ait: *Præside Syriæ Saturnino & Volumnio.* Et cum *num.* 6. dixisset *Herodem* dedisse literas *Volumnio* & *Olympio* ad *Archelaum* regem *Cappadociæ* perferendas, ait: *Hic Volumnius alius videtur à præside Syriæ, neque enim ei mandata daret ut subdito. Alibi Volumnium magistrum militiæ appellat.* Hæc quidem de duobus *Volumniis* recte *Saliano* adnotata; at quod alterum *Volumnium Syriæ* præsidem facit, minus eundem in *Romana* historia peritum declarat. Ex quibusdam *Josephi* dictis viri docti in eam opinionem descenderunt, ut *Saturnino Syriæ* præsidi alterum collegam ea in præfectura assignarent. Etenim *libro* XVI. *capite* 13. *Saturninum* ac *Volumnium* vocat τῆς Συρίας ἐπιςάτας, & *capite* 16. τῆς Συρίας ἡγεμόνας: *Syriæ præsides*, utrobique vertit interpres. At prorsus falso: nam plane absurdum est *Volumnium* præsidem, æquata potestate ac imperio, *Syriam* rexisse, cum eandem *Sentius Saturninus* administraret. Fateor bello instante binos quandoque proconsules eidem provinciæ impositos; etenim *Q. Metellus Pius*, ac *Cn. Pompejus* cum imperio proconsulari bello *Sertoriano Hispaniam* obtinuere. Cicero *in decima Philippica* hoc Senatus consultum præformat: *Senatui placere Q. Hortensium proconsulem cum Q. Cæpione proconsule, & legatis suis provinciam Macedoniam obtinere, quoad eis ex S. C. successum sit.* Et ut de Syria exemplum proferam, Tacitus *lib.* XV. *Annal.*

Annal. ad A. V. 716. ait: *Syriæque executio Cincio, copiæ militares Corbuloni permissæ.* Ita in *Syria* civilis jurisdictio penes *Cincium* præsidem erat, militare imperium *Corbulone* ibidem obtinente. Verum provinciis pacatis nusquam Duumviri æquato imperio una simul impositi fuere. Nulla vero bella *Syriæ* pacem turbabant, *Saturnino* eandem regente. Itaque unus *Sentius Saturninus* id temporis erat legatus, proprætor *Syriæ*; *Volumnius* vero erat tantum procurator ejusdem provinciæ; ac diserte eidem Josepho *lib.* I. *belli cap.* 17. dicitur Οὐολέμνιος ὁ ἐπίτροπος, *Volumnius procurator.* Apud *Josephum* voces, ἡγεμόνος, ἡγεμὼν, ἐπιστατοῦντος quandoque significant promiscue illos, qui magistratum in provincia gerunt, eorum munere nequaquam speciali vocabulo designato, cum tamen in ejusdem libris frequenter solos præsides, seu legatos proprætores exprimant. In laudatis locis juxta priorem significationem eam vocem usurpavit. Ceterum nusquam legatum *Syriæ* ἐπίτροπον nuncupavit, hoc enim vocabulo procurator, non vero præses designatur. Quare cessat, eodem auctore, omnis hac de re dubitatio, cum *Volumnium* procuratorem postea diserte nuncupaverit. Dio *lib.* LIII. ait: *Imperator etiam* ἐπίτροπος procuratores (*sic enim ii vocantur, qui publicos reditus colligunt, certasque impensas faciunt*) *in omnes provincias suas ac Populi R. ex equitibus alios, alios ex libertis mittit. Augustus* solos equites procuratores destinavit; sub *Claudio* libertis id etiam munus communicatum. Hinc perperam *Saliano Volumnius* purus eques *Romanus*, nondum Senator, nedum consularis, sub *Augusto* præses, hoc est, legatus *Syriæ Saturnini* collega fingitur, cum uti ex *Suetonio* dixi, *Tiberius* in reprehensionem venerit, quod viros non consulares, quamvis Senatores *Syriæ* præfecisset. Jam de *Pedanio Syriæ* præside, quem *Baronius* alterum ejusdem provinciæ legatum, collegam *Saturnino* addit, cum *Volumnium procuratorem Syriæ* optime ex *Josepho* dixisset. Hebræus historicus *lib.* I. *belli cap.* 17. referens judicium *Beryti* habitum in causa *Alexandri* & *Aristobuli* filiorum *Herodis* ait: *Præsederunt autem Rectores, quibus à Cæsare scriptum fuerat, Saturninus, & Pedanius legati, & cum his Volumnius procurator.* Ex his duos simul præsides *Syriæ Saturninum* ac *Pedanium Baronius* deduxit. Hæc narratio apud *Josephum* confusa est. Nam postea addit: Primum *Saturninum* sententiam pronuntiasse mitem illam quidem ac patre dignam; nempe regis filios non videri sibi capite damnandos. *Idem*, inquit, *etiam duobus legatis visum est, eosque nonnulli alii secuti sunt. Tristem vero sententiam Volumnius dixit, &c.* At in *lib.* XVI. *Antiq. cap.* 17. eandem rem narrans, ait: *Et primus Saturninus vir consularis &c. sententiam protulit, post illum ipsius tres filii, qui legati patris erant, eandem sententiam tulerunt. Contra Volumnius capite plectendos pronuntiat &c.* Nullum *Pedanium* legatum nominat, sed tres *Saturnini* filios ejusdem legatos.
307 At in libro primo belli & *Pedanium* nominat, ac duos tantum legatos. Ille vero libros de antiquitatibus Judaicis scripsit post libros de bello Judaico, quos appellat in fine *lib.* XX. testatus se iisdem finem imposuisse anno XIII. imperii *Domitiani*; libros vero de bello ipsum *Vespasianum*, ac *Titum* legisse idem affirmat *libro* I. *contra Apionem.* Hanc difficultatem declinarem, si diceretur *Pedanius* legatus proprætor *Galatiæ*, vel forte *Ciliciæ* inter judices ab *Augusto* specialiter deputatus; at narratio *Josephi* hoc non videtur admittere; etenim *lib.* I. *belli* laudato ait, *Augustum Herodi* rescripsisse melius ipsum facturum, si convocato prius propinquorum, καὶ τῶν μετὰ τὴν ἐπαρχίαν ἡγουμένων, *& provinciæ magistratuum* concilio, de communi sen-

A tentia, quid de filiis sibi statuendum esset, accurate dispiceret. Interpres vertit: *Rectorum provinciæ*; at perperam; nam *Rector* de præside tantum dicebatur; ita Tacito sub initium *lib.* II. *Annal.* nominatur *rector Syriæ Creticus Silanus. Josephus* voce ἡγουμένων, *Romanos* imperium supremum & subordinatum in *Syria* gerentes designavit; quam quidem vocem uno nomine Latine exprimere non possumus; cum proprætor, & legati ejusdem, atque etiam procurator provinciæ eadem designentur, qui cum essent *Romani* in *Syria* magistratus, ideo ea circumlocutione vox illa latius a *Josepho* usurpata, Latio donanda est. *Pedanius* etiam non legatus
B provinciæ (is enim unus erat *Sentius Saturninus*) sed legionis dici potest. Cum quatuor fuerint in *Syria* legiones ex Tacito *lib.* IV. *Annal.* imperante *Tiberio*, anno nono principatus ejusdem; ac totidem etiam sub exitum *Neroniani* imperii recenseat *lib.* II. *hist.* scribens de *Muciano Syriæ* præside: *Legiones quatuor obtinebat in pace.* Ita tres *Saturnini* filii, ac *Pedanius* quatuor legionum *Syriæ* legati dicantur. Hæc tamen incerta sunt, & fortassis etiam falsa. Imperante *Augusto*, tres tantum legiones in *Syria* fuisse non obscure colligitur ex Josepho, qui *lib.* I. *cap.* 12. ait: *Varus cognito ex Sabini literis periculo tertiæ legionis, assum-*
C *ptis duabus reliquis (nam tres in universum erant in Syria) & quatuor turmis equitum &c.* Igitur sub *Quinctilio Varo Saturnini* in *Syria* successore, tres tantum legiones *Syriæ* præsidio impositæ erant ab *Augusto.* Quartam addidit *Tiberius*, cum bellum ab *Artabano* rege *Parthorum* ob tumultus *Armeniæ* instare suspicaretur. Rursus nec singulis legionibus singuli legati præerant. Nam ex Strabone *lib.* III. *pag.* 115. Legato proprætori *Hispaniæ Tarraconensis* tres aderant legati, quorum unus cum duabus legionibus *Lusitaniam* tenebat; alter cum unica legione montana ad *Pyrenen* usque custodiebat; Tertius sine ulla legione mediterraneos
D populos pacatos, ac magna ex parte togam indutos Italicam regebat. Vellejus *lib.* II. scribit L. Asprenatem *legatum sub avunculo suo Varo* in *Germania* opera *duarum legionum quibus præerat*, exercitum immunem in *Quinctilii Vari* calamitate servasse. Num filii *Saturnini* fuerint ab ipsomet patre suos in legatos adsciti, *Pedanius* vero *Augusti* decreto cum unica vel duabus legionibus *Phœniciæ* vel *Cœlesyriæ* impositus? Hæc, inquam, incerta sunt; illud autem constat *Saturninum* ac *Pedanium* æquato imperio non fuisse *Syriæ* præsides, provinciæ præsertim id temporis pacatæ. Ex laudata tamen *Josephi* historia *Salianus* rursus refelli-
E tur, qui *Volumnium Syriæ* præsidem ac *Saturnini* collegam putat; etenim in memorato apud *Berytum* concilio, post *Saturninum*, ejusdem legati priori loco sententiam dixere, post quos *Volumnius* judicasse dicitur, ut plane appareat, inferiorem fuisse ipsis legatis Proprætoris, ne dum æqua- 308
tum cum ipso præside imperium obtinuisse.

Tertullianus lib. IV. contra *Marcionem cap.* 19. probans adversus Hæreticum Christum hominem natum in carne mortali, ait: *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus inquirere potuissent. Marcion* solum S. *Lucæ* Evangelium admittebat, quod
F tamen pro arbitrio corrumpebat, duobus prioribus præsertim capitulis resecatis, in quibus Christi Domini nativitas describitur, ut testatur S. Epiphanius *cap.* 42. *de Hæresibus*, ac *Tertullianus* laudatus, qui provocat ad descriptionem sub natalem Christi Domini jussu *Augusti* factam, in qua Christi genus ac parentes aperte designati legebantur. In eodem etiam libro *cap.* 7. tradit Christum juxta *Marcionem* repentinum ac prorsus ignotum apparuisse: *cujus nemo adhuc certus de tribu, de populo,*

de domo, de cenſu denique Auguſti, quem teſtem fideliſſimum Dominicæ nativitatis Romana archiva cuſtodiunt. Hunc autem cenſum in *Judæa* peractum ſcribit à *Sentio Saturnino*. Hoc *Tertulliani* teſtimonio mirifice confirmatur ſententia de Natali Chriſti A. V. 749. Nam hoc anno *Sentius Saturninus Syriam* regebat. At his videtur obſtare S. Lucas *cap.* 2. ubi ait: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino; & ibant omnes ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem.* Addit autem Chriſtum natum, dum B. Virgo ac *Joſeph* in *Judæam* pergebant, ut profiterentur. Ex quibus infertur naſcente Domino, *Saturninum* non fuiſſe præſidem *Syriæ*, ſed *P. Sulpicium Quirinum*. Baronius *num.* 81. *Apparatus* teſtatur, ſe obſtupuiſſe ad *Novatorum veſaniam* affirmantium verba illa: *Hæc deſcriptio facta eſt à præſide Syriæ Cyrino*, non eſſe à *D. Luca* conſcripta, ſed ex margine in textum irrepſiſſe. Hanc tamen veſaniæ notam ſubire non credidit doctiſſimus *Henricus Valeſius*, dum in notis ad *cap.* V. *lib.* I. *Hiſt. Euſebii Cæſarienſis* ait: *Ac mihi quidem videtur error in textu Lucæ irrepſiſſe in Quirinii nomine, & pro Quirinio reſtituendum eſſe nomen Sentii Saturnini.* Ex laudatis *Tertulliani* verbis colligit *Tertulliani tempore quoſdam in Evangelio Lucæ pro Quirino Saturninum legiſſe.* Hæc tamen opinio falſitatis arguitur ex *Juſtino* Martyre, qui in Apologia ad *Antoninum Pium* ait Chriſtum natum eſſe in *Bethlehem* vico *Judææ, quemadmodum & ex deſcriptionibus cenſus acti, qua ſub Quirino primo veſtro in Judæa procuratore ſunt confectæ, intelligere poteſtis. Juſtinus* vero eſt *Tertulliano* antiquior. Cardinalis *Baronius* pleraque acute excogitavit, ut allati ex *Tertulliano* teſtimonii vim declinaret. Exiſtimat *Sentium Saturninum* à *Tertulliano* nominatum, non fuiſſe hunc præſidem *Syriæ*, ſed alium qui A. V. 757. cum *Ælio Cato* conſulatum geſſit, ac in cenotaphio *Cajano* nominatur, quo conſule poſt luſtrum à nato Chriſto *more Romano cenſus agebatur.* Etenim, inquit *Baronius*, cum *Tertullianus* non ſatis exploratum haberet an Chriſtus natus fuerit abſoluta deſcriptione alterius luſtri proxime elapſi, an vero cum eadem adhuc perageretur, recurrit ad ſubſequens luſtrum, in quo illi conſtabat, tum Chriſtum, tum ejuſdem parentes deſcriptos fuiſſe. Hæc ille: Verum hæc reſponſio ex falſa opinione derivat, in qua ibidem *Baronium* fuiſſe video; nempe ſingulis luſtris in *Judæa* cenſum peractum. Nam *Judæa* erat ſub dominio *Herodis* regis, ac nondum in formam *Romanæ* provinciæ redacta; cenſus autem in ſolis *Romanis* provinciis peragebantur, non autem in regnis amicis ac ſociis Populi
309 R. Tacitus *lib.* VI. *Annal.* ad A. V. 789. ait: *Per idem tempus Calitarum natio Cappadociæ, Archelao ſubjecta, quia noſtrum in modum deferre cenſus, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abſceſſit.* Calitæ extincto *Romæ Archelao* A. V. 770. ac *Cappadocia* in provinciæ formam redacta, cenſum deferre juſſi, rebellarant. Hinc patet ſub *Archelao*, quem *Antonius* ac poſtea *Auguſtus* regem *Cappadociæ* impoſuere, eam gentem cenſus non detuliſſe. At idem *Antonius* ex S. C. *Herodem Judææ* regem elegerat, quem uti & *Archelaum Cappadocem*, *Auguſtus* regnum habere permiſit. Recte *Tacitus* dixit *noſtrum in modum deferre cenſus*, quod nempe *Romani* imperii, non autem regnorum ea eſſet conſuetudo. Profecto vir doctiſſimus duo hæc, quæ diverſa ſunt, *deferre cenſum*, ac *tributum ſolvere*, pro eodem minus recte accepit. Poſtquam *Julius Cæſar Gallias* ſubegit, inquit Dio *lib.* LIV. *ſingulis menſibus tributum erat Gallis pendendum*; at cenſum diu poſtea deferre coacti ſunt ab *Auguſto*. Extat hac de re inſigne teſtimonium *Claudii* Im-

A peratoris in oratione de civitate *Romana Gallis* danda, cujus ære quondam inciſæ, extat fragmentum Gruteri pagina 502. Hæc ibi Imperator de *Gallis* ait: *Illi patri meo Druſo Germaniam ſubigenti, tutam quiete ſua ſecuramque à tergo pacem præſtiterunt; & quidem cum ad cenſus NOVO TVM OPERE ET INADSVETO GALLIIS, ad bellum avocatus eſſet; quod opus quam arduum ſit nobis nunc cum maxime, quamvis nihil ultra quam ut publice notæ ſint facultates noſtræ, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus.* Druſus A. V. 742. in *Germanos* primum movit, qui *Romanorum* fines irruperant, *quia videbant Gallos jugum ſervitutis*
B *gravatim ferre*, ex Dione *lib.* LIV. Tunc enim primum Galli *novo tum opere & inadſueto* cenſum profiteri ab *Auguſto* juſſi fuerant, quamvis ſupra annum quadrageſimum in provinciæ formam redacti fuiſſent. Tantum abeſt, ut regna ſuis quæque Regibus ſubjecta, ſociis licet & amicis Populi *Romani*, cenſum per ſingula luſtra deferre cogerentur. Sed neque illud verum eſt, quod ſcribit de cenſu per *Syriam* ſingulis quinquenniis acto. Nam *Auguſtus* tribus ac quadraginta annis, quibus poſt mortem *Antonii*, unus rei *Romanæ* arbitrium habuit, *cenſum populi ter egit*, ex Suetonio *cap.* 27. ac ſemel tantum in *Italia* A. V. 757. cenſum ha-
C buiſſe dicitur à Dione *libro* LV. *pauperioribus ac iis qui extra Italiam viverent, omiſſis, ne quid turbarum darent.* At *Baronius* extra *Italiam* ſingulis quibuſque luſtris cenſum actum opinatur, haud veritus, *ne quid turbarum darent*. Ex verbis *Claudii* Imperatoris palam fit raro per provincias cenſus habitos, quod *opus arduum nimis magno experimento* cognoſceretur. Vix enim ſine periculoſis tumultibus in *Romanis* provinciis vel ſemel factum conſtabat. Hinc cum *Judæa* A. V. 759. deportato in exilium *Archelao*, *Romanis* provinciis addita fuiſſet, ac *Quirinius Syriæ* præſes cenſum in eadem
D perageret, *Judas Gaulanites*, teſte Joſepho *lib.* XVIII. *cap.* I. ſollicitabat ad defectionem populos, cenſum nihil aliud quam manifeſtam ſervitutis profeſſionem dictitans. Igitur erat *novum tum opus & inadſuetum Judæis*, neque unquam ea in gente factitatum. Idem narratur in Actis Apoſtolorum *cap.* V. 37. *Poſt hunc extitit Judas Galilæus in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe, & ipſe periit, & omnes quotquot conſenſerunt ei, diſperſi ſunt.* At verba illa *in diebus profeſſionis* aperte indicant tum primitus *Judæos* coactos ab *Auguſto* per *Quirinium* præſidem cenſum profiteri; eſt enim nota certi ac determinati temporis, quo *Judas Galilæus* eos tumultus dedit; nullum autem
E certum tempus deſignaretur, ſi ſingulis quinquenniis, uti ille arbitratur, cenſus in *Judæa* agi conſueviſſet. Baronius *num.* 87. ait: *Nec, licet ea provincia à Romanis Herodi ac ceteris Regibus conceſſa eſſet, deſiit tamen aliquando tributum ſolvere; nam ex Evangelio*, inquit, *compertum eſt eoſdem Judæos tempore Herodis Regis Romano imperatori cenſum perſolviſſe.* Matt. 22. *Judæi Chriſtum* interrogant: *Quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non?* Et Lucæ XX. *licet nobis tributum dare Cæſari, an non?* Errat vir alias eruditiſſimus; nam id temporis *Judæa* non erat regnum, ſed *Romana* provincia per magiſtratus *Romanos* adminiſtrata,
F ac eandem tunc *Pontius Pilatus* procurabat. *Herodes* vero *Antipa* non erat *Judæorum* rex, ſed tantum Tetrarcha *Galileæ*, *Lucæ* III. & XXIII. Itaque *Judæa* erat provincia tributaria ac *Syriæ* dudum addita. At cum *Judæa Herodem* regem habebat, ejuſque poſtea filium *Archelaum* Ethnarcham, nunquam cenſum apud *Romanos* magiſtratus per ſingula quinquennia detulit; immo nec tributum ullum perſolvit; quamvis *Appianus* in præfatione, ſolos reges majoris *Armeniæ* immunes fuiſ-

fuisse scribat. At sub *Augusto* nusquam hujusce tributi, quod regna socia & amica P. R. solverent, mentio in antiquorum monumentis mihi occurrit.

§. XI.

P. Quinctilius Varus *A. V.* 750. Syriæ *rector imponitur. C. CÆSAR* à Baronio *inter ordinarios* Syriæ *præsides numeratus. Hæc sententia non adprobatur. Item nec opinio ejusdem de annis præfecturæ* Quinctilii. Salianus *literas* Augusti *ad eundem* de Judæa Romanis *provinciis adjicienda, comminiscitur.*

Ex *Josephi* historia constat *Sentio Saturnino* successisse *P. Quinctilium Varum*; ac diserte *lib.* XVII. *cap.* 7. ait: *Quinctilius Varus successor Saturnino missus.* Vellejus *lib.* II. ait: *Varus Quinctilius illustri magis, quam nobili ortus familia, cum ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo immobilior, otio magis castrorum, quam bellicæ assuetus militiæ; pecuniæ vero quam non contemptor, Syria, cui præfuit, declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Tacitus *lib.* V. *Hist.* scribit, mortuo *Herode*, quemdam *Simonem* regium nomen invasisse. *Is à Quinctilio Varo obtinente Syriam, punitus.* Baronius in Apparatu *num.* 86. scribit: *A. V.* 748. *præficitur Syriæ totique Orienti C. Cæsar Augusti filius adoptivus: quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Evangelista recensetur, idem qui supra Quirinus, idemque dictus Cyrinus.* Et post sex versus, de Quirinio ait: *Hic autem habuit successorem Quintilium Varum, quem eodem auctore* (in margine Dio citatur *lib.* LVI.) *constat mansisse in eo magistratu usque ad consulatum Sulpicii Camerini & Poppæji Sabini*, Christi Redemptoris XI. *Cui non Quirinus, ut Josephus habet, sed M. Ambivius est subrogatus.* Ita *Baronius Cajum Cæsarem* inter præsides *Syriæ numerat*, cui in provincia defuncto successerit *P. Quirinius.* Verum *Cajus* non uni *Syriæ* præposi- 311 situs fuit, sed toti Orienti cum imperio proconsulari extraordinario; cum tamen id temporis *Syria* ac reliquæ provinciæ à suis præsidibus ordinariis regerentur, ut ostendi *cap.* 10. Nemo recte *Cæsarem Germanicum* inter ordinarios *Syriæ* præsides numeraret, quod jus ac imperium in *Syria* habuit; nam *Cn. Piso* id temporis *Syriam* obtinebat, cujus cum *Germanico* dissensiones Tacitus *lib.* II. *Annal.* describit. Et quidem dum celeberrimus Annalium conditor à *Josephi* historia recessit, in plures anachronismos lapsus est; quod aliis dudum adnotatum. Quod enim *Cajum Cæsarem Sentio Saturnino* successorem in *Syriam* mittit A. V. 748. ex superius mihi narratis refellitur. Nam *Cajus* A. V. 749. *Romæ* ab *Augusto* consule XII. virilem togam accepit, teste Suetonio *cap.* 26. *in Augusto.* Idem cum *Herodes* obiit, nondum *Roma* discesserat, ubi etiam degebat A. V. 752. uti ex *Ovidio* monstravimus. *Quinctilius Varus Syriam* provinciam acceperat, paucis mensibus ante obitum *Herodis* A. V. 750. Διάδοχος μὲν Σατορνίνω τῆς ἐν Συρία ἀρχῆς ἀπεσταλμένος, ut ait *Josephus lib.* XVII. *cap.* 7. *Successor in regimine Syriæ Saturnino missus.* Quos vero in anachronismos atque antilogias vir maximus, *Josepho* duce neglecto, ceciderit, paucis ostendo. Scribit natum Christum A. V. 751. die 25. Decembris *C. Cornelio Lentulo* & *M. Valerio Messalino* Coss. quo tempore *Quirinius Syriæ* præses censum in *Judæa* agebat. Quod vero D. *Lucas* in Evangelio scribit: *Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino:* ita num. 88. vocem illam *prima* exponit: *Non sic est accipiendum, ut tunc primum Judæi fuerint descripti atque censi: sed primam dixerit respectu secundæ sub eodem Præside factæ, more Romano, quolibet lustro censendo populum. Nec quis subinde existimet impossibile, ut tam diuturno tempore Quirinus fuerit in provincia. Nam & Quintilium Varum longe majori annorum numero eandem administrasse Josephus testatur.* Itaque *Quirinius* censum prima descriptione agebat A. V. 751. & inito etiam sequenti 752. Altera descriptio post lustrum eidem peracta est A. V. 757. *Ælio Cato* ac *Sentio Saturnino* Coss. uti fusius tradit idem Baronius *num.* 91. Concedamus ultro hoc ipso A. V. C. 757. *P. Quinctilium Varum Quirinii* successorem in *Syriam* venisse. At *num.* 86. ut proxime recitavi, dixerat: *Quintilium Varum eodem auctore constat mansisse in eo magistratu usque ad consulatum Sulpicii Camerini & Poppæi Sabini*, V. C. 762. Hoc *Dio* non adstruit, sed scribit iisdem Coss. *Quinctilium Varum* legatum proprætorem *Germaniæ* cum tribus legionibus ab *Arminio* cæsum. Admittamus eo ipso anno ex *Syria* in *Germaniam* ab *Augusto* missum. Vix per quinquennium *Varus* ab A. 757. ad A. 762. quo in *Germania* periit, *Syriam* administravit. Igitur qui fieri potest, ut Varus *longe majorum annorum numero Syriam* rexerit quam *Quirinius*, qui bis lustralem, ut ille ait, censum in *Syria* egit? Idem *num.* 88. appellat *Josephum* scribentem *Varum Syriæ* præsidem *usque ad finem Archelai in eo munere perdurasse.* Nusquam hoc *Josephus* dixit; immo *lib.* XVII. *cap.* 15. novennium regni *Archelai* paucis versibus absolvit; nec ulla ibidem *Vari* mentio fit. Illud ex eodem constat, primum annum Ethnarchiæ *Archelai* concurrere cum exitu anni primi administrationis *Vari* in *Syria*, ac post novennium misso in exilium *Archelao*, *Quirinium* in *Syriam* venisse. Quare alius inter utrumque præses *Syriæ* ponendus est, quem *Josephus* non nominavit, ac nobis nusquam ab aliis scriptoribus indicatur. Verum cum *Cajus Cæsar* A. V. 753. in Orientem veniens, anno insequenti & altero, ante expeditionem in *Armeniam* exercitus in *Syria* rexit, *Quinctilius Varus* eandem provin- 312 ciam præses ordinarius obtinebat. Interim metachronismus *Baronii* corrigendus est, qui cum *Varum* è *Syria* evocatum scribat A. V. 762. *Sulpicio Camerino* & *Poppæo Sabino* Coss. quod repetit etiam in Annal. ad A. Christi XI. ejusdem interitum protrahit in consulatum *Cornelii Dolabellæ* ac *Junii Silani* V. C. 763. scribens ad calcem ejus anni: *Iisdem consulibus contigit memorabilis illa Variana clades in Germania &c.* quæ sane clades à *Dione*, *Vellejo*, ac *Tacito* recitatur ad A. V. 762. *Salianus tom.* 6. *ad A. Mundi* 4052. V. C. 752. *Augusto* XIII. consule *P. Quinctilium Varum Syriæ* præsidem in titulo scribit, cui magistratum continuat in annum Mundi 4061. V. C. 761. *Furio Camillo* & *Sex. Nonio* Coss. ubi *num.* 5. ait Augustum *ad Syriæ præsidem Quinctilium Varum literas & mandata dedisse, ut Judæam ditionem Archelai provinciæ Syriæ contribueret*; idque Cæsarem scripsisse testatur, *antequam Archelaus Romam proficisceretur.* In primis interrogatum hominem velim, cur in novennium Syriacam *Varo* administrationem proroget? In titulo Anni M. 4046. scribit: *Præside Syriæ N. N.* Deinde in titulo A. M. 4047. ait: *Præside Syriæ Tito.* Debuit scribere *Titio*, ut probatum est. Tandem A. M. 4048. *Præside Syriæ Saturnino & Volumnio.* Cur tam avarus erga *Titum*, vix unum annum regiminis eidem in *Syria* concedit, neque vult intercalare; at dein tam prodigus erga *Quinctilium Varum*, ut per novennium imperium eidem in *Syria* proroget? Id tamen pro arbitrio historicus sine teste in literas miserit; cur *Augustum* turpissimæ notæ subjicit, qui auditis tantum *Archelai* accusatoribus, mandatum statim *Varo* dederit, ut *Judæa Archelao* erepta, *Romanis* provinciis

vinciis adjiceretur? *Augustus Antiochum* regem *Commagenum* homicidii accusatum, *ad se accivit*, ac in Senatu causa cognita, damnatum neci tradidit, ex Dione in fine *lib.* LII. Idem Imperator *Archelaum* regem *Cappadociæ* à subditis accusatum, ad causam dicendam compulit, quem à *Tiberio* defensum, in judicio absolvit, ex eodem *lib.* LVII. Scribit de *Augusto* Suetonius *cap.* 33. *Dixit autem jus non diligentia modo summa, sed & lenitate.* Ceterum à *Saliano* auditis tantum accusatoribus, nondum *Archelai* defensione intellecta, de dejiciendo ex *Judæa Archelao* literas præcipiti sententia, ad *Quinctilium Varum* dedisse dicitur. Hic homo adeo *Josepho* infensus est, ut cum prænarrata *Josepho* exscribenda suscipit, ab ejusdem historiæ veritate discedat, suasque sæpe Lectoribus fabulas venditet. Quanto felicius nomini suo consuluisset, si cum *Josepho* dixisset *Archelaum* à subditis apud *Augustum* accusatum, statim per suummet procuratorem jussu *Cæsaris Romam* evocatum; quo ubi venit, *Cæsar auditis ejus accusatoribus, & IPSIUS DEFENSIONE, misit eum Viennam in exilium &c.* Quis illi literas ad *P. Quinctilium*, qui certe ad eum usque annum in *Syria* non substitit, revelavit? Quis illarum eidem sensum seu mandata protulit? Quis universam illam bellissimam historiam recitavit? Hæc ipse perinde ac somnia reputo. Interim notandum est *P. Quinctilium Syriæ* præsidem eadem morte extinctum qua ejusdem pater *Sex. Quinctilius Varus* ante annum quinquagesimum V. C. 712. post pugnam *Philippensem* interierat. Nam pater dimissus à *Cæsare* apud *Corfinium*, ubi quæstor cum aliis Senatoribus captus fuerat, ex Cæsare *lib.* 1. *bel. civ. cap.* 23. in *Africa* contra *Curionem* pugnavit, ex *lib.* II. *cap.* 28. *Brutum* postea secutus, victus in campis Philippicis, ne victorum quidem tentata misericordia, *liberti, quem id facere coegerat, manu, cum se insignibus honorum ve-*
313 *lasset, jugulatus est. P. Quinctilius*, qui *Sexti F. Varus* dicitur in inscriptione, quam in hac dissertatione cap. 2. produxi, profligatis ab *Arminio* tribus legionibus, quibus proprætor legatus præerat, *paterni, avitique exempli successor, se ipse transfixit.* De utroque verba sunt Velleji *libro.* II. At ob amissas legiones tanto dolore correptum *Augustum* ferunt, teste Suetonio *cap.* 23. *ut caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, redde legiones.* Addit Vellejus: *Caput ejus abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem, gentilitii tandem tumuli sepultura honoratum est.* Hoc ille crudele fatum vitasset, si *Salianus* supra novennium unum tantum annum *Syriacæ* ejusdem administrationi adjecisset.

§. XII.

P. Sulpicius Quirinius *quando in* Syriam *legatus* Augusti *venerit. Ejusdem genus ac magistratus. Insignis* Montacutii *hallucinatio.* Josephi *historia adversus V. C. defenditur. Num* Quirinius *pluries in* Syria *cum imperio fuerit? Idem consularis* Homonadensium *castella fame expugnat. Ubinam regio* Homonadensium *sita. Non erant finitimi* Ciliciæ *à* Romano *magistratu administratæ: sed* Ciliciæ *asperæ, quæ* Archelao Cappadoci *parebat, ac provinciæ Proprætoris* Galatiæ. Usserius Quirinium Ciliciæ *proconsulem perperam existimavit.* Strabonis *locus è MS. Mediceo restituitur, ac* Casauboni *interpretatio rejicitur. Quando* Quirinius Tiberium *apud* Rhodum *adierit.* Salianus *C. CAESAREM indicti in* Syria *census auctorem fingit. Cur descriptio à* Quirinio *in* Judæa *facta, ab Evangelista* prima *dicatur? Quo anno* Tiberius *æquum cum* Augusto *imperium in provinciis obtinuerit.*

A Usserii *sententia rejicitur.* Taciti *locus restit.* Lipsio *emendatus. Veterum Patrum de anno mortis Christi Domini sententia. Docti Recentiores quatuor Paschata Servatori post baptismum celebrata, minus consequenter putant.*

MOntacutius, aliique *Quinctilio Varo P. Sulpicium Quirinium* successorem in *Syria* præsidem substituunt; ac ille quidem sine teste scribit *de Varo num.* 31. venisse in *Syriam paulo ante obitum Herodis. Fuit autem præses per novem fere annos.* Antequam hanc opinionem, aliasque refello, ex *Josepho* omnium optimo (Canonicos excipio) rerum Judaicarum scriptore *Quirinii in*
B *Syriam* adventus exponendus est. Is ergo in fine *lib.* XVII. scribit *Archelao Romæ* damnato, atque *Viennam Galliæ* urbem in exilium deportato: *Mittitur à Cæsare Quirinus vir consularis, qui censum agat in Syria.* Idem tradit initio *lib.* XVIII. Hujus *Quirinii* genus ac gesta paucis recitat Tacitus *lib.* III. *Annal. Nihil*, inquit, *ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium: sed impiger militiæ, & acribus ministeriis consulatum sub Divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector Cajo Cæsari Armeniam obtinenti, Ti-*
C *berium quoque Rhodi agentem coluerat.* Ejusdem *Quirinii consularis prædivitis* meminit *in Tiberio* Suetonius *cap.* 49. *Quirinius* ubi in *Syriam* advenit, in *Judæam* decreto *Cæsaris Augusti Syriæ* additam, statim se contulit, *Archelai* Ethnarchæ facultates in publicum fiscum relaturus, simulque in *Judæa* censum acturus. Scribit Josephus *lib.* XVIII. *cap.* I. *Tametsi primum ægre ferrent mentionem descriptionis, non sunt tamen reluctati pertinaciter, parendo auctoritati Pontificis Joazari.* Hinc patet nunquam antea censum in *Judæa* peractum, quod pluribus superius ostendi. Idem
D historicus annum census primitus peracti ita designat cap. 3. τριακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντονίου ἐν Ἀκτίῳ ἧτταν ὑπὸ Καίσαρος, *tricesimo ac septimo anno post cladem Antonio apud Actium à Cæsare illatam. Antonius* victus fuit apud *Actium* die 2. Septembris A. V. 723. Hinc annus XXXVII. definit die 2. Septembris A. V. 760. Dio etiam *lib.* LV. ad A. V. 759. ait: *Herodes Palæstinus* (Archelaum debuit dicere) *à fratribus accusatus, trans alpes est relegatus, ac pars ejus ditionis in publicum redacta.* Annus XXXVII. à victoria Actiaca inchoabatur A. V. 759. Ita *Dio*, quod tempus attinet, *Josepho* similiter loquitur. *Baronius*
E ad annum Christi 16. ait: *Dio res Judæorum ex Josepho historico mutuatus creditur.* Id tamen falsum esse patet, tum quod *Dio* in nomine erravit, tum quia scribit illum à fratribus accusatum; at *Josephus* ne quidem verbum de fratribus faciens, narrat illum tam à primatibus *Judæorum*, quam *Samaritarum* delatum apud *Cæsarem*; tum denique quia *Dio* ait partem ditionis ejusdem in publicum redactam; at *Josephus* universam ejus ditionem *Syriæ* contributam testatur. In unico tantum versu tanta *Dionis* à *Josepho* discrepantia palam demonstrat eam historiam neutiquam è *Josephi* libris excerptam. Itaque annus Urbis 760.
F primus fuit *Syriacæ* administrationis *Quirinii*. Hinc cum *Quinctilius Varus* A. V. 750. in *Syriam* venerit, unus saltem medius inter utrumque ignotus adhuc nobis præses *Syriam* tenuit; neque enim pleno decennio sub *Augusto* præsides in nobilissima provincia cum imperio detinebantur, juxta illud eidem à *Mæcenate* suggestum apud Dionem *lib.* LII. *neque minus triennio in provinciis, neque plus quinquennio magistratum obirent.* Fere indignor *Josepho*, quod *lib.* XVII. *cap.* 15. decem tantum omnino versibus novennium Ethnar-

narchiæ *Archelai* absolverit, ac toto eodem capite diffuse narret duo somnia *Archelai*, ejusque uxoris *Glaphyræ*; siquidem si pauca quædam de ejusdem gestis ibidem inseruisset, non modo *Syriæ* præsides, verum pleraque alia scitu digna ad posteros transmisisset.

Montacutius recte ait *Quinctilium Varum paulo ante obitum Herodis* in *Syriam* venisse, *num.* 31. *Appar.* IV. & ex *Josepho* aperte patet. Nam *Antipater Herodis* filius, cum *Romam* navigavit, *Sentium Saturninum* in *Syria* præsidem reliquerat; cum vero septimo postea mense in *Palæstinam* rediit, *Quinctilium Varum Saturnino successorem missum*, ut ait *Josephus*, *Hierosolymis* invenit; statimque parricidii intentati reus in carcerem conjicitur, ac paullo post tum idem interficitur, tum *Herodes* quinto postea die à cæde *Antipatri*, & regnandi ac vivendi finem fecit. At si *Herodes* obiit, ut ait *Montacutius* anno Urbis 756. à parilibus, paullo ante tempus Paschale, ac *Varus*, ut idem ait, *fuit præses per novem fere annos*, idem
315 *Varus* desinente Autumno A. V. 755. in *Syriam* venit, ac proinde annus nonus ejusdem magistratus in *Syria* inchoatus fuit A. V. 763. quod etiam regimen continuavit ineunte anno sequenti, *ut per novem fere annos* in provincia substitisse dici possit; siquidem *Antipater* septem *Romæ* menses moratus novum postea *Syriæ* præsidem *Varum* offendit. *Montacutius* in proxima pagina num. 28. scribebat, *Baronio* jactanter insultans, *Quinctilium Varum ex communi omnium historiarum consensu* periisse in *Germania* in consulatu *Camerini* ac *Sabini* A. V. 762. *Periit ergo*, inquit irridens Baronium, *in Germania eo anno, quo Judæam adhuc præses administrabat. Quod non potuit aliter fieri, nisi per dispositos equos, de Syria in Germaniam advolasset.* Tu ipse, ò bone, scribis *Quinctilium Varum* A. V. 762. in *Germania* extinctum, quem tamen A. V. 763. adhuc Præsidem in *Syria* facis; quod ne quidem per dispositos equos fieri potest, sed tantum si ex Acheronte *Quinctilii* Manes in vitam revoces, vel cæsi hominis larvam *Syriæ* præsidem imponas. Et quidem in margine scribis: *Prodigiosus error Baronii*, quo tamen longe prodigiosius tuum erratum est. Doctissimus Cardinalis scribit A. V. 762. ex *Syria Varum* revocatum, anno insequenti in *Germania* cum legionibus periisse. Ejus metachronismum superius ostendi. At quid prodigiosi erroris continet, si dicamus ineunte vere A. V. 762. *Varum* è *Syria* revocatum, *Romam* venisse, ac statim jussu *Augusti* in *Germaniam* profectum, incumbente Autumno amisso exercitu, extinctum fuisse? Scribit Vellejus *lib.* II. *cap.* 117. de eodem Varo: *mediam ingressus Germaniam &c. trahebat æstiva*, tanta quidem in speciem simulata provincialium pace, *ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet.* Idem *Vellejus* ait paulo superius *cap.* 115. *Illa æstas maximi belli consummavit effectus*; nam *Daorisos* & *Desiates Dalmatiæ* populos pene inexpugnabiles *Tiberius* Cæsar evertit; tum laudatis ducibus qui eo bello *Dalmatico* strenuam operam navaverant, ait: *Cum intra quinque tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ, cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium &c.* Itaque exacta æstate *Varus* in *Germania* interiit. Hæc plane ostendunt, perperam prodigiosi erroris *Baronium* incusari. Illud etiam hic mihi notandum est *Montacutium* in editis postea Originibus Ecclesiasticis mortem *Herodis* biennio anticipare. Nam *par.* 1. *num.* 169. scribit mortuum *Herodem* non anno Urbis 756. quod dixerat in apparatu; sed A. V. 754. *Cajo Cæsare* & *L. Paullo* Coss. Ita ubi semel à vera *Josephi* narratione discessit, portenta loquitur; hanc, illam chronologiam figit, refigit, variat, mutat, ut sane fabulas pro arbitrio vendere, non rectam temporum doctrinam ex vetustis scriptorum tabulis deductam, tradere videatur. Itaque *Montacutius* perperam *Archelai* relegationem, ac *Quirinii* in *Syriam* adventum protrahit in A. V. 764. Et sane incredibile videtur *Josephum* ignorare potuisse annum, quo *Quirinius* censum in *Judæa* peregit, cum Principes *Hierosolymis* esse desierint, *Romanis* magistratibus ad *Judæos* regendos à *Cæsare* destinatis. Idem *Josephus* testatur initio libri de vita sua, ipsius patrem natum esse anno postremo principatus *Archelai*, se vero anno primo *Caji Caligulæ*, nempe anno tricesimo post relegatum *Archelaum* ac *Quirinii* in *Judæam* adventum, ut plane à pluribus oculatis testibus intelligere potuerit, quo anno propriis Principibus amissis, à Procuratoribus Cæsaris *Judæa* primum cœperit administrari. Porro ex ipsis Procuratoribus qui vivente *Augusto*, in *Judæam* missi sunt, non obscure inferri potest eundem *Montacutium* errare, dum *Quirinii* adventum statuit ad 316
A. V 764. Nam in eodem *Apparatu* IV. *num.* 43. scribit cum *Josepho Coponium* primum *Judææ* procuratorem cum *Quirinio* in *Syriam* venisse, addit num. 44. *Quamdiu Coponius in provincia fuit, non liquet: è Josephi Antiq.* 18. 3. *probabile est non multos annos fuisse cum imperio.* Demus tantum imperium biennii, ut qui juxta *Montacutium* in provinciam venit A. V. 764. *Romam* redierit A. V. 766. *M. Ambivio* successore accepto, cui postea subrogatus fuit ab *Augusto*, teste *Josepho*, Annius Rufus, *quo procuratore in Judæa moritur Augustus*; quæ itidem ille scriptor cum *Josepho* affirmat. At *Augustus* decessit A. V. 767. quo anno *M. Ambivius Judæam* obtinebat, non autem *Annius Rufus*. Hactenus contra *Montacutium* disputatum.

Josephus, quod ejusdem historiam de *Quirinio* attinet, à nemine severius exceptus fuit, quam à *Baronio* non modo in Apparatu, verum etiam cum secundis curis priorem Annalium tomum doctior sui ipsius censor corrigeret. Etenim in appendice in calce *tomi* X. reposita, & posterioribus editionibus ad A. Christi III. inserta accusat *Josephum adeo delirantem de tempore ejusdem præfecturæ Quirini, quam non ante annum à Christo nato XVI. ponit, exacto jam à regno Archelao, sub Tiberio Imperatore contra ipsam Evangelicam veritatem.* Sed immerito *Josephus* vapulat, cui non possum non advocationem commodare, ne & ipse qui eundem ea in re secutus sum, *delirare* censear. *Josephus Quirinii* præfecturam, ac censum ab eodem in *Judæa* habitum contigisse scribit anno XXXVII. post Actiacam victoriam, quæ cum acciderit, uti prænotavi, A. V. 723. *Quirinii* præfectura ponitur A. V. 760. à quo anno *Augustus* per septennium imperavit. At *Baronius* mortem *Herodis* ad annum Christi VIII. statuit ab Urbe condita 759. *M. Æmilio Lepido* & *L. Arruntio* Coss. ab Actiaca victoria XXXVI. tum si novennium integrum Ethnarchiæ *Archelai* addatur, habetur A. V. 768. quo ante annum *Augusto* demortuo, *Tiberius* rei *Romanæ* arbitrium tenebat. Non est hæc *Josephi* de annis regni *Herodis* sententia; hic enim *Herodem* ait decessisse 34. anno à morte *Antigoni*, ab accepto regno à *Romanis* 37. nempe A. V. 751. uti cap. 6. fusius ostendi. Itaque optime *Josephus* scripsit, neque juxta abs se deductos calculos errat. At si *Baronii* supputationem sequeretur, plane deliraret; cum finis principatus *Archelai* sub *Tiberio* ea ratione contigisset. Addit Baronius: *Sicque contra Josephi deliria certo apparet sub Augusto imperato-*

re, *vivente Herode ſeniore, reperiri duplicem, imo triplicem Quirini in Syria præfecturam, primam poſt conſulatum ipſius, quæ exemplo aliorum potuerit eſſe prolixior, ſecundam cum Cajo ipſi inhærente Rectore, tertiam poſt ejus mortem, cum eam ſolus adminiſtraret.* Hinc ait deſcriptionem, quæ Lucæ 2 *prima* dicitur *facta à præſide Syriæ Cyrino*, eidem peractam, cum *Cajo* defuncto, ſolus *Syriam* adminiſtraret. In *Apparatu num.* 86. ſcribit: *Cajum Cæſarem Syriæ* totique Orienti præfectum, *quo*, inquit, *defuncto nullus alius ſubrogatus reperitur, niſi qui ab Evangeliſta recenſetur, idem qui ſupra Quirinus, idemque dictus Cyrinus.* Salianus ad A. Mundi 4052. V. C. 752. ait deſcriptionem, cujus Lucas in *Evangelio* meminit, à *Cajo Cæſare* in *Syria* cum imperio degente, publicatam, *ut majores pecuniæ in bellum Parthicum cogerentur*; in ſcholiis vero ad eundem annum prænarrata avaritia *M. Lollii*, addit: *Iſtius ergo fortaſſis avaritia edictum Cajo perſuaſum fuerit, quod tamen ille ſucceſſori Cyrinio agendum reliquit.* Et
317 in titulo ejuſdem anni ſcribit: *Præſide Syriæ Quinctilio Varo & Cyrino.* Saliani errorem paucis refello. Cum cenſus à *Romanis* in provinciis agebatur, nihil pecuniæ à deſcriptis exigebant, ſed eo tantum fine cenſum faciebant, ut *nihil ultra, quam ut publicæ notæ eſſent facultates, exquireretur*, ex *Claudio* Imperatore in oratione pro civitate *Gallis* danda. *M. Lollius* uti ex *Vellejo* ac *Suetonio* oſtendi *cap.* 14. obiit A. V. 755. quo anno juxta *Salianum* Chriſtus erat trimus; igitur *Quirinius Lollii* ſucceſſor non peregit deſcriptionem, quæ naſcente Domino facta eſt; ſed antequam *Lollius* è vita decederet. Jam ad arcem cauſæ deſcendo. Ex cenotaphio *Piſano Caji* conſtat eundem obiiſſe *Sex. Ælio Cato* ac *C. Sentio Saturnino* Coſſ. A. V. 757. die 21. Februarii. Quare ſi *Quirinius*, quod ait *Baronius*, cenſum egit, cum ſolus poſt mortem *Caji Cæſaris Syriæ* præeſſet, Chriſti Domini Natalis pleno quinquennio poſterior eſt eo anno, cui à *Baronio* alligatur, nempe Urbis conditæ 751. Si hanc inſignem inſcriptionem, adhuc latentem, inſpicere potuiſſet, in eam opinionem neutiquam deſcendiſſet. Hinc etiamſi eidem concedatur *Quirinium* poſt *Caji Cæſaris* mortem *Syriam* rexiſſe, hoc nihil facit ad deſcriptionem, cujus mentionem facit Evangeliſta. Nec minus juvat ſecunda præfectura *Quirinii cum Cajo ipſi inhærente rectore.* Nam cum *Cajus* in *Syriam* venit, non *Quirinium*, ſed *M. Lollium* ſuæ juventæ rectorem ab *Auguſto* impoſitum habebat, ex Suetonio *cap.* 12. *in Tiberio.* Vellejus oculatus teſtis *lib.* II. *de M. Lollio* ſcribit: *quem veluti moderatorem juventæ filii ſui Auguſtus eſſe voluerat.* Miror virum eruditiſſimum hunc priorem *Caji Cæſaris* rectorem non adnotaſſe. *Quirinius* à Tacito *lib.* III. dicitur *datus rector Cajo Cæſari Armeniam obtinenti. Cajus* anno tantum V. C. 756. *Armeniam* obtinuit; anno enim ſuperiori 755. ex Seneca *cap.* 34. *de conſolatione ad Polybium*, adhuc erat in apparatu belli *Parthici*, eodemque anno, vere ineunte, pace ab illo cum *Parthis* facta, *M. Lollius* à rege *Parthorum* in colloquio cum *Cajo Cæſare* habito, multorum criminum accuſatus, ac *Caji* amicitia ſibi interdicta, ſponte an fato deceſſit, hæc ſuperius demonſtrata ſunt. Quare cum *Quirinius* A. V. 756. rector *Caji* juventæ impoſitus fuerit, etiamſi tunc *Syriæ* dicatur præfuiſſe, neutiquam eo anno facere potuit deſcriptionem, cujus meminit S. Lucas in *Evangelio*. Immo *Cajus* A. V. 752. qui à *Baronio* primus nati Chriſti adſtruitur, nondum in *Syriam* ad bellum contra *Parthos* adminiſtrandum venerat, quod itidem oculatus teſtis Ovidius *libro primo de arte*

A ipſi auctori exitiali affirmat.

Jam prima *Quirinii* in *Syria* præfectura, quam doctiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum conditor ſeptemdecim annorum ſpatio priorem facit, quam à *Joſepho* ponatur, in examen vocanda eſt. In *apparatu num.* 85. ſcribit Quirinium *lib.* III. *Annal.* Taciti, *poſt conſulatum* quem geſſit A. V. 742. collega M. Valerio Meſſalla, *mox debellaſſe per Ciliciam caſtella Homonadenſium, ac ſic inſignia meruiſſe triumphi.* Tum num. 86. ſtatim ita ratiocinatur: *At dubium non eſt, illos conſueviſſe in provinciis bella gerere, qui illis præeſſent proconſules, ſive præſides: nec ulla dubitatio eſt, ſub pro-*
B *vincia Syriæ Ciliciam eſſe redactam; quibus rationibus fateri opus eſt, Quirinum in Syriam præſidem miſſum poſt ſuum conſulatum anno ab urbe condita ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio.* Hæc ille. In primis falſum eſt ſub Cæſaribus, illos ſemper in provinciis bella geſſiſſe, qui eiſdem præeſſent. Nam cum *P. Licinius Mucianus* præſes *Syriam* cum quatuor legionibus obtineret, bello contra *Judæos* gerendo præfectus fuit *Fl. Veſpaſianus*; quamvis *Judæa* una eſſet ex provinciis *Syriæ*, ejuſque præſidi ſubjecta. Scribit *Tacitus* inſtante *Syriæ* bello Parthico: *Syriæque executio Cincio, copiæ, militares Corbuloni permiſſæ. Lib.* XV. *An-*
C *nal.* Hæc exempla tantum adduco, quæ *Syriæ* præſides attinent. Rurſus falſum eſt *Ciliciam* ſub provincia *Syriæ* redactam fuiſſe, uti fuſius oſtendi cap. 11. Immo ipſe Baronius ad A. Chriſti 46. *Claudii* Imperatoris quartum, ſcribit in actis Apoſtolicis *Sergium Paulum Cypri* rectorem appellari proconſulem, *quod Ciliciam provinciam proconſularem adminiſtrabat*; Cyprus enim *ſæpe honoris cauſa data eſt adminiſtranda Ciliciæ proconſuli.* Hæc ibi num. IX. Denique falſo aſſeritur *Quirinium* poſt geſtum in Urbe conſulatum, ſtatim *Syriam* cum legionibus obtinuiſſe; nam Mæcenas inter cetera politica documenta, hoc *Augu-*
D *ſto* inſinuaſſe dicitur à Dione lib. LII. *Neque magiſtratus tempore, nec ſtatim ab eo, ſed interpoſito quantum ſingulis ſatis videbitur, tempore, arma eis committes; nam mitiores eo efficientur, ſi aliquandiu privatim poſt geſtum magiſtratum vixerint.* Hoc vero *Auguſtum* reapſe executum teſtatur *Suetonius* cap. 36. ſcribens auctorem illum fuiſſe, *ne magiſtratus depoſito honore, ſtatim in provincias mitterentur.* Hinc *Titium*, *Saturninum*, *Varum*, poſt plures annos à geſto conſulatu, in *Syriam* miſſos vidimus. Denique A. V. 743. ex Suetonio ac *Joſepho M. Titium* præſidem fuiſſe oſtendi, ut nullus plane ibidem *Quirinio* id temporis
E locus eſſe potuerit, niſi Duumviros ejus provinciæ præſides fingamus.

Sed nec expeditio *Quirinii* contra *Homonadenſes* eundem id temporis *Syriæ* præſidem deſignat. Nam *Homonadenſes* non modo longius à *Syriæ* confiniis aberant: verum etiam ultra ipſam erant *Ciliciam*, quæ *Romanis* parebat. Strabo lib. XII. *pag.* 392. cum *Piſidiam* deſcripſiſſet, ait: *Supra hos omnia jam montana Catennenſes finitimi Selgenſibus, & Homonadenſibus.* Et paullo inferius, cum dixiſſet *Amyntam* regem *Galatiæ* regiam ſibi in Iſauria condidiſſe, ait: *Cumque in eodem loco novum moliretur murum, ad finem opus non per-*
F *duxit, ſed eum Cilices per inſidias interceptum occiderunt, cum in Homonadenſes impetum feciſſet. Cum enim Antiochiam Piſidiæ conterminam haberet: conatus eſt eos exſcindere, qui è Tauro in iſtam regionem, quæ Phrygiæ erat ac Ciliciæ, excurſiones factitabant. Itaque cepit multa caſtella nunquam antea expugnata, de quibus etiam Cremna fuit. Sandalium autem ne tentavit quidem, ſitum inter Cremnam & Segallaſſum. Cremnam colonia Romanorum occupavit, Segallaſſus ſub eo eſt Romanorum præfecto,*

cto, qui Amyntæ regnum gubernat universum &c. Ceterum Amyntas Cremna capta, cum in Homonadenses expeditionem fecisset, ipsorum quoque tyrannum sustulisset, dolo uxoris captus interiit. Ex his situs *Homonadensium* intelligitur; erant enim intra *Tauri* juga in confiniis asperæ *Ciliciæ* mediterraneæ, qua *Pisidiæ* ac *Lycaoniæ* conjungitur. Hinc idem Strabo *lib.* XIV. *pag.* 467. refellens *Apollodorum*, qui *Cilicas tantum maritimos* commemorasset, ait: *At qui sub Antipatro sunt Derbæo, & Homonadenses, aliique plures Pisidis contermini,*

Qui mare non norunt, neque salsos addidicerunt
Esse cibos,

quo ponentur? Homonadenses vero etiam *Isauriæ* finitimos fuisse testatur. Plinius *lib.* V. *cap.* 27. cum *I-*
319 *sauriam* descripsisset, ait: *Simili modo omnibus, qui eadem composuere* (*Strabonis* libros geographicos *Plinius* non legit) *ignorata est illi contermina gens Homonadum, quorum intus oppidum Homona: cetera castella* XLIV. *inter asperas convalles latent.* Supra *Homonadenses* à *Tauro* excelsa montium juga versus Septentrionem surgunt, Antitaurum appellant. In subscriptionibus Synodi Calchedonensis *act.* 6. legitur: Τύραννος ἐπίσκοπος πόλεως Ὁμοναδῶν: *Tyrannus Episcopus civitatis Homonadum.* In Latinis autem subscriptionibus quas è vetusto codice *Romæ Sirmondus* vir eruditissimus exscripsit, *tomo* IV. *Concil. edit.* Labbei *pag.* 791. *Tyrannus Imadanensis* (*Homonadensis* legendum) inter Episcopos *Lycaoniæ* nominatur. Et *tomo* II. *pag.* 959. Synodum primam C. P. in Latinis codicibus dicitur inter Episcopos *Lycaoniæ* subscripsisse *Cyrillus Homonadensis. Augustus* occiso *Amynta*, cui *Galatia*, *Pisidia*, *Lycaonia*, *Isauria*, atque aspera *Cilicia* parebant, uti *cap.* 11. ostendi, ejusdem regnum in provinciæ formam redegit, *M. Lollio* proprætore iisdem provinciis imposito; asperam tamen *Ciliciam* maritimam *Archelao* Regi *Cappadociæ* donavit, quod ibidem ex *Strabone* ac *Dione* monstravi. Strabo *lib.* XII. *pag.* 368. loquens de *Cappadociæ* præfecturis ait: *His adjecerunt Romani undecimam præfecturam de Cilicia, quæ ante Archelai fuit circa Castabula & Cybistra usque ad Antipatri Derbem prædonis.* Porro *Homonadenses* erant finitimi ditioni *Antipatri Derbæi*, quæ est urbs *Lycaoniæ*. *Cybistra* erant in confiniis *Cappadociæ* & asperæ *Ciliciæ* cis *Taurum*, ex *Cicerone epist.* 4. *lib.* XV. *familiarium.* Ex his patet *Homonadenses*, imperante *Augusto*, non fuisse finitimos *Cilicibus*, qui à peculiari proprætore regebantur, sed inter utrosque ad meridiem jacuisse ditionem, quam à *Cilicia* avulsam, *Augustus Archelai Cappadociæ* regno adjecerat, ad Occidentem vero confines fuisse provinciæ, quam obtinebat, mortuo *Amynta*, proprætor *Galatiæ*. Cum vero *Homonadenses Pisidiam* ac *Lycaoniam*, ac ditionem *Archelai* populabundis agminibus frequenter infestarent, *Augustus* ad eosdem debellandos, *Quirinium* cum exercitu misit, cui & auxiliares copias *Archelaus* addidit. Etenim cum proprætor qui *Amyntæ* regnum administrabat, nullum exercitum in provincia haberet, legatus cum imperio proconsulari destinandus fuit. Non tamen ausim affirmare *Quirinium* id temporis fuisse legatum proprætorem *Galatiæ*; nam cum *Augustus* illuc, cum primum *Amyntæ* regnum in formam provinciæ redactum fuisset, destinaverit A. V. 729. *M. Lollium* proprætorem, qui anno postea V. 733. consulatum gessit, palam fit non viros consulares, sed equites fuisse eam in provinciam missos. Verum ingruente bello, quod extra *Ægyptum* numquam ab *Augusto* Equitibus administrandum committebatur, *Quirinius* vir consularis eas provincias cum imperio proconsulari obtinuit, & *Augustus* pro belli necessitate contra *Homonadenses*

A qui ex *Strabone* ejusdem temporis scriptore, *putabantur inexpugnabiles*, quod altissimis ac præruptis undique montibus cingebantur, virum consularem non provinciæ, sed exercitus administrandi causa, in *Galatiam* misit. Usserius anno V. ante epocham vulgarem Christi *pag.* 530. *Quirinium Ciliciæ* proconsulem facit, cum bellum contra *Homonadenses* gessit. At *Cilicia* ut *cap.* 11. dixi, ditione *Archelai* regis *Cappadociæ* ab *Homonadensium* confiniis separabatur; unde illud bellum ad proprætorem *Lycaoniæ* ac *Pisidiæ* spectabat, à quo tamen quod uti dixi, Equestris ordinis erat, geri non poterat. Cum vero *Quirinius* 320
B cum proconsulari imperio in provinciam *Lycaoniam* venisset, ac angustos montium anfractus valido barbarorum præsidio infessos superare non posset, diuturniori obsidio *Homonadenses* expugnavit. Strabo *lib.* XII. *pag.* 392. *Ipsos*, inquit, *Quirinius fame expugnavit, ac quater mille viros vivos cepit, inque vicinis urbibus collocavit, regione vacua hominum vigentis ævi relicta.* Ejus victoriæ gratia ornamenta triumphalia, teste *Tacito*, accepit. *Casaubonus Cyrini* castra commemorat ex Strabone *lib.* XII. *pag.* 371. scribens *Mazacam*, quæ *Cæsarea Cappadociæ* Metropolis postea dicta est, distare *à Ciliciis portis itinere sex dierum* (*&*
C *Cyrini castra per Tiana quæ medio sita sunt itinere*) *à Cybistris* CCC *stadiis.* Græce sic illam parenthesim legit: καὶ τὸ Κυρίνου τὸ στρατόπεδον διὰ Τιάνων. Cum hæc primum legi putabam me invenisse locum, in quo *Quirinius* castra metatus fuisset; sed quod obscuriorem sensum ea parenthesis reddebat, consului codicem MS. Laurentianæ Bibliothecæ, ex quo errorem *Casaubono* admissum cognovi; siquidem ibidem legitur: καὶ τοῦ Κυρίνου στρατοπέδου διὰ Τυάνων: nempe: *& à Cyrinis castris per Tiana &c.* uti recte noster *Guarinus* olim legit. Et quidem non *Cyrini*, sed *Cyri Persarum*
D regis castra ibidem recenseri certum est ex Arriano *lib.* 1. *de expedit. Alexandri* scribente: *Ipse ad angustias aditus, qui Ciliciam aperit, contendit, quumque ad castra Cyri, qui cum Xenophonte erat, venisset, ut pylas* (hoc est, *portas*) *valido præsidio infessas vidit &c.* Geographi etiam prope portas Ciliciæ *castra Cyri* designant. Annus autem quo *Quirinius* expeditionem contra *Homonadenses* fecit, nec à *Strabone*, nec à *Tacito* designatur. Hic tamen ait: *Consulatum sub Divo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusque rector Cajo Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi a-*
E *gentem coluerat, quod tunc patefecit in Senatu.* Si *Quirinius* ea obsequia coram, quod tamen incertum est, non vero per literas *Tiberio* apud *Rhodum* degenti præstitit, idemque reverso in Urbem *Tiberio*, rector *Cajo* impositus fuerit, ut aperte monstratum est, apud *Rhodum* honoris & obsequii causa *Tiberium* invisit intra A. V. 748. & 755. quo temporis spatio *Tiberii* apud *Rhodum* secessus concluditur. Scribit *Vellejus* omnes qui proconsules legatique in transmarinas provincias veniebant, *Tiberii* salutandi gratia, *Rhodum* accessisse, eique fasces suos submisisse; & Suetonius *cap.* 12. *Nemine*, inquit, *cum imperio, aut magistratu ten-*
F *dente quoquam, quin diverteret Rhodum.* Ita *Quirinius* ad bellum cum imperio extraordinario contra *Homonadenses* missus, *Rhodum Tiberio* salutationis officia persoluturus, divertit.

Cardinalis *Baronius Quirinium* diu ante A. V. 760. præsidem *Syriæ* adstruit, quod diserte scribit S. *Lucas cap.* 2. Christum Dominum natum fuisse, cum jussu *Augusti* universus Orbis describeretur; *Hæc*, inquit S. Evangelista, *descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino.* Igitur diu ante annum V. C. 760. *Quirinius* fuit præses

Syriæ. Jam dixi cum doctissimis recentioribus Christum Dominum natum esse A. V. 749. die 25. Decembris, quo sane tempore *Sentius Saturninus Syriam* administrabat. Hinc plures eruditi viri dicunt *Quirinium* cum imperio extraordinario in *Syriam* missum, ad censum peragendum. Nam cum eo anno pax toto *Romano* imperio floreret, *Augustus* decrevit universorum, qui vel subditi,
321 vel socii essent populi *Romani*, numerum ac facultates noscere. Hinc *Lucæ* II dicitur: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*. Ex hac ille postea descriptione breviarium confecisse putant, in quo, ut ait Tacitus *libro primo Annal. opes publicæ continebantur, quantum civium, sociorumque in armis: quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, & necessitates, ac legiones, quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus*. Cum vero *Quirinius* vir consularis id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra *Homonadenses* feliciter confecisset, eundem in *Syriam* cum extraordinario imperio misit, ut tum ibidem, tum in *Judæa* quæ gens erat socia & amica P. R. censum perageret. Quamvis vero eo anno *Sentius Saturninus Syriam* administraret, *Quirinius* ob recentem victoriam tota *Asia* celebratus, descriptioni faciendæ præpositus fuit. Tacitus *libro* I. *Annal.* A. V. 767. *Regimen*, inquit, *summæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui, tum intentum*. Et postea ad annum Urbis 769. sub initium libri II. de eodem Germanico ait: *Igitur huc intendit missis ad census Galliarum P. Vitellio & Cantio*. At *Germanicus* id temporis non erat legatus ordinarius *Galliæ*, sed summo cum imperio ad census in *Gallia* accipiendos ab *Augusto* destinatus. Ita etiam *Romæ* census non à consulibus, neque prætoribus, qui erant ordinarii magistratus, sed à duobus consularibus uni eidemque tantum muneri destinatis, agebatur. Quod vero *Sentius Saturninus* tunc *Syriam* obtinebat, *Tertullianus* ordinarium magistratum nominavit, qui tamen ea in re exequenda, *Quirinio* erat subordinatus. Apud Evangelistam vox ἡγεμονεύοντος non accipitur pro legato proprætore *Syriæ*, sed pro quocumque potestatem atque imperium in *Syria* obtinente; ita *Felix* eidem Lucæ in *Actis Apost. cap.* 24. nuncupatur ἡγεμόνος, qui tamen erat Procurator. Salianus ad A. M. 4052. *num.* 74. scribit de *Cajo Cæsare* cum in *Syriam* advenisset: *Augusti Cæsaris nomine promulgavit edictum, ut describeretur universus Orbis: quod forte solius Caji auctoritate, inscio Augusto, factum est, ut majores pecuniæ in bellum Parthicum cogerentur, eaque causa fuerit, cur minus ejus mentio extat apud historiæ Romanæ scriptores*. At diserte Sanctus *Lucas* ait: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*. Si à *Cajo Cæsare* exiit edictum, aut falsum scripsit Evangelista, aut non quod erat, sed quod falso publicatum fuerat, ac si verum esset, nimium credulus sorbuisset, quæ plane sacro historico perperam affinguntur. Præterea *Cajus* censum in *Syria*, vel etiam in Orientis tantum provinciis indixisset, ubi imperium obtinebat; at census dicitur indictus à S. Luca *universo Orbi* Romano: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis*. Immo *Cajus* belli tantum gerendi, non item & census per Orientem accipiendi potestatem acceperat; neque ausus fuisset rem arduam, ac provincialibus molestissimam, turbatis bello *Parthico* provinciis, citra *Augusti* mandata imperare. Cur Evangelista *Cajum Cæsarem*, cujus nomen edicto præpositum fuisset, subticuisset, *Quirinio* ejusdem ea in re ministro appellato? Quod autem addit *Salianus* de pecuniis ex censu ad bellum *Parthicum* colligendis, superius confutatum est. Re-

A citatur titulus quinquagesimus octavus *libro XI. Cod. Justiniani, de censibus & censitoribus*; & in *Theodosiano libro decimo tertio de censu & adscriptitione*, ex quibus *Salianus*, & ante ipsum alii existimarunt eodem modo censum antiquitus acceptum. Sed plane errant; nam sub sequioris ætatis Imperatoribus census capitationem, seu certam annui tributi speciem significabat; unde & censitores appellati, qui juxta quantitatem rei possessæ tributum taxabant, de quibus extant præclaræ epistolæ Basilii Magni 304. 305. 426. In *L.* 2. *Cod. Theod. de censu* legitur: *Plebs urbana, sicut in Orientalibus quoque provinciis observatur, minime cen-*
B *sibus pro capitatione sua conveniatur*. Capitationem quidem pro tributo capitis, seu personæ accipiunt. At peperam; nam hæc erat ignominia eorum, qui in veteri Republica in tabulas Cæritum referebantur, ut pro capite æra penderent. Et *Vespasianus* didragma in singula capita Judæis abs se debellatis imposuit, ex *Dione* apud *Xiphilinum*; quod tributi genus uti ignominiosum *Nerva* sustulit, ut ex ejusdem nummis colligitur, hac epigraphe signatis: CALUMNIA FISCI JUDAICI SUBLATA. At quod sub *Trajano & Hadriano* iterum rebellarunt, scribit Appianus *in Syriacis pagina* 119. *Judæis graviora sunt tribu-*
C *ta, quæ in singula capita, quam quæ pro censu conferunt; Syri quoque ac Cilices quotannis persolvunt centesimas*. Itaque capitatio significat censum juxta taxationem rerum possessarum æstimatum ac indictum. Recte in glossis Isidori: *Capite census, taxatio possessionum*. Legatur Gothofredus ad leg. 14. *de annona & trib. Cod. Theod.* Ex *Augusti* forte instituto *Syri* centesimas solvebant; quare *Cajus Cæsar*, inscio *Augusto*, non ausus fuisset, novum *Syriæ* tributum imponere. *Judæa* vero *Herodi* regi subdita, huic, non autem *Romanis*, tributa pendebat. Hinc ejus descriptionis faciendæ impetus *Augustum* incessit, ut totius *Romani* Orbis
D habitatorum numerum, eorumque facultates notas haberet, quod unum per censum exquirebatur ex laudata *Claudii* Imperatoris oratione. Nec *Judæi* repugnarunt, quod sciebant nihil ex censu se *Cæsari* daturos, cum pura puta esset hominum ac rerum possessarum descriptio. Hunc igitur censum *Quirinius* habuit A. V. 749. cum extraordinario imperio in *Syriam* missus; quæ descriptio *prima* à *S. Luca* dicitur, quod idem postea *Quirinius* A. V. 760. præses ordinarius in *Syriam* veniens, censum iterum in *Judæa* egit, eadem tum primum in provinciæ formam redacta. Illa fuit, teste Evangelista, totius Orbis descriptio; hanc
E vero per *Syriam* tantum ac *Judæam* peractam scribit *Josephus* locis laudatis.

Altera explicatio textus allati ex Evangelio S. *Lucæ* auctorem habet *Joannem Georgium Herwartum* in opere chronologico, quam *Keplerus* aliique sequuntur, ac nuper pietate æque ac eruditione insignes *Henschenius* ac *Papebrochius* in Diatriba præliminari ad mensem Aprilem *Exercit.* 2. *num.* 9. nempe ut vox πρώτη apud *D. Lucam* significet non *primam*, sed *priorem* descriptionem; nomen enim positivum πρῶτος pro comparativo non raro à Græcis usurpatur, ad quod probandum innumera exempla *Herwartus* addensat.
F Quare ita textum *Lucæ* interpretantur: *Hæc descriptio prior facta est, quam illa præsidis Syriæ Cyrini*. Quæ quidem interpretatio, si novitatem excipias, eas difficultates emollit, è quibus viri eruditi cum se expedire non possent, de administratione *Syriaca Quirinii* pleraque non modo sine teste ac tabulis, verum etiam adversus veteris historiæ fidem in literas misere. Hanc tamen alteram expositionem verborum *Lucæ* ita refero, ut nec probem, nec improbem. Quod vero de Evangelio

gelio *S. Lucæ* loquimur, non erit abs re difficultatem tollere, quæ ex initio capitis 3. ejusdem iis,
323 quæ de Christo nato anno Urbis 749. non semel dixi, vulgo opponi solet. Etenim Sanctus Evangelista scribit *Joannem Baptistam* in deserto baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum incepisse prædicare *anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam &c.* quo tempore Christus Dominus baptizatus est: *Et ipse*, inquit, *Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Tiberius imperium indeptus est A. V. 767. die 19. Augusti. Annum igitur XV. imperii inchoavit eadem die anno Urbis 781. Baptismus Christi Domini ab Ecclesia recitatur VIII. Idus Januarii. At si Christus dicatur natus anno Urbis 749. die 25. Decembris, anno Urbis 781. usque ad palilia, qui erat XV. imperii *Tiberii Cæsaris*, Christus die VI. Januarii, cum baptismum suscepit, annos fuisset natus duos supra triginta, ac dies tredecim. Respondent annos imperii Tiberii numeratos Evangelistæ non ab anno quo post mortem *Augusti* solus *Romani* Orbis dominium tenuit, sed cum lege per consules lata fuit, *ut provincias cum Augusto communiter administraret*, ex Suetonio *capite* 21. *in Tiberio.* Vellejus *libro* II. *capite* 121. de Tiberio scribit: *Cum res Galliarum maximæ molis, accensasque plebis Viennensium dissensiones, coercitione magis, quam pœna mollisset, & Senatus P. Q. R. postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quàm erat ipsi, decreto complexus esset &c. in Urbem reversus, jampridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis, Dalmatisque egit triumphum.* Hinc apud Tacitum *Tiberius* circa finem imperii *Augusti libro primo Annal.* ab eodem *filius*, *collega imperii*, *consors Tribuniciæ potestatis adsumitur.* Pighius *tomo* 3. *Annal.* scribit imperium in provinciis æquum ac ipsi *Augusto* erat, *Tiberio* collatum anno ante mortem ejusdem *Augusti C. Silio* & *L. Munatio* Coss. Urbis conditæ 766. juxta *Varronis* epocham. Et quidem *Suetonius*, qui per tempora vitam *Tiberii* describit, *capite* 18. narrat *Tiberium* anno, qui proxime *Varianam* cladem secutus est, nempe Urbis conditæ 763. in *Germaniam* ad regendos exercitus reversum, & capite 20. *à Germania*, inquit, *in Urbem post biennium regressus, triumphum quem distulerat, egit* anno Urbis 765. Dein capite 21. scribit: *Ac non multo post lege per consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret, condito lustro, in Illyricum profectus est.* Lustrum condidit duobus Sextis Coss. anno Urbis 767. ex lapide Ancyrano; quare anno superiori 766. æquum cum *Augusto* extra Urbem imperium accepit. Profectò id dignitatis ex *Suetonio* post triumphum obtinuit. Verùm hac in re potior fides *Vellejo* ipsius *Tiberii* amico, nedum ejus ætatis scriptori habenda est, qui diserte testatur *Tiberium* post *Viennensium* seditiones compositas, ac decreto S. P. Q. R. æquo cum *Augusto* per provincias imperio accepto, *in urbem reversum*, triumphasse. Itaque anno Urbis 665. antequam triumpharet, par cum *Augusto* imperium ex S. C. ac plebis scito obtinuit. *Usserius tomo secundo Annal. ad annum* 12. vulgaris Epochæ Christi, scribit à *Tiberio*, cum *Censor tum factus* esset, Urbis curam *L. Pisoni* commissam, quod is biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset *apud ipsum jam Principem*, ut ait Plinius *libro* XIV. *capite* 22. At Tacitus *libro* VI. *Annal.* narrat *L. Pisonis* mortem anno Urbis 685. Epochæ Christi 32. *Cn. Domitio* ac *A. Vitellio* Coss. cum *viginti per annos* in præfectura Urbis administranda probatus fuisset.
324 Quare *L. Piso* A. V. 765. præfectus Urbi factus est à Tiberio *jam Principe.* Hæc *Usserii* ratiocinatio

A si vera esset, sententiam memoratam confirmaret. Verum mihi plane constat *Usserium* ea in re hallucinatum. Suetonius *cap.* 42. *de Tiberio* ait: *Postea Princeps in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando, potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam Urbis confestim detulit, codicillis quoque* jucundissimos & omnium horarum amicos *professus.* Plinius vero loco laudato, binas noctes perpotando consumptas tradit: *Eaque*, inquit, *commendatione credidere L. Pisonem Urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo, duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam Principem.* Dum uterque scriptor
B *Tiberium* id temporis *Principem* vocant, post obitum *Augusti*, cum unus *Tiberius* imperaret, id contigisse significant. Nam unus *Augustus* quoad vixit, *Princeps* dicebatur, cuncta enim, ut ait initio Annalium Tacitus, *nomine Principis sub imperium acceperat.* Tiberium vero mortuo Augusto *principatum recusasse*, quamvis in speciem, cum eidem semper inhiasset, tradunt Suetonius *capite* 24. Vellejus *libro* II. Et *Tacitus* initia imperii ejusdem describens, *novum Principem: principatum adeptum*, aut *principem locum: mutatum principem:* aliisque id genus phrasibus utitur. Ex his
C patet *Tiberium* jam Principem, nempe cum mortuo *Augusto*, unus ipse *Romano* Orbi imperaret, cum *L. Pisone* longiorem illam cœnam duxisse. His accedit, *Tiberium* in provinciis biennio ante mortem *Augusti* imperium obtinuisse; intra Urbem vero non habuisse, nisi jus intercedendi ob Tribuniciam potestatem. Quare unus *Augustus* Urbis præfecti designandi potestatem habebat. Hinc *Lipsius* in notis ad locum laudatum *Taciti* pro *viginti annis*, scribit *decem* legendum; cum constet *Pomponium Flaccum* alterum commensalem anno Urbis 770. consulatum gessisse, cujus meminit Ovidius *libro* IV. *de Ponto elegia* 9. Et ex
D eodem Tacito *libro* II. A. V. 772. *Junio Silano* & *Norbano Flacco* Coss. *Cn. Piso Syriam*, *Pomponius* vero *Flaccus Mœsiam* regebant, ex quibus infert ob egregie operam post A. V. 772. Baccho navatam, *Pomponium Syriam*, ac *L. Pisonem* Urbis præfecturam à *Tiberio* obtinuisse. Itaque nullus dubito, quin error in numerum annorum in *Taciti* codicem irrepserit, ac proinde ejusdem *Tiberii* principatus ex *Tacito* ad A. V. 765. *Usserio* perperam asseratur. Quod vero scribit *Suetonius* eam compotationem *Tiberio* peractam *in ipsa publicorum morum correctione*, minus recte *Usserius* colligit contigisse, cum Tiberius *Censor est factus.*
E Nam censor fuit cum *Augusto* A. V. 767. quare anno superiori censor designatus fuerat, non vero A. V. 765. Sed *Suetonius*, si censorem *Tiberium* significaret, annum V. C. 767. designasset, quo *ipsa publicorum morum correctio* à *Censoribus* peracta fuit. Itaque designat tempus, quo *Tiberius* publicis edictis urbano luxui modum ponebat A. V. 775. ut ex *Tacito*, ac *Suetonio* §. 13. ostendam. Jam ad annum baptismi Christi redeo. Cum *Tiberius* par cum *Augusto* imperium in provinciis A. V. 765. obtinuisset, annus hujus imperii XV. eidem labebatur ab A. V. 779. ad 780. Christus juxta eam quæ mihi probabilior sententia, seu quæ
F iis quæ de *Cajo Cæsare* vetusti scriptores prodidere, conformior videtur, natus est exeunte A. V. 749. quare A. V. 779. annum ætatis trigesimum agebat. Cum vero tria saltem *Paschata* ab incœpta ejusdem prædicatione, ex Evangeliis colligantur, antequàm mortem subierit, ejusdem mors 325
statuetur A. V. 782. duobus Geminis consulibus, quo anno eundem passum *S. Augustinus*, aliique Patres ex vetusta traditione passim affirmarunt, quod etiam testatur S. *Prosper* in Chronico inte-

gro edito à Labbeo *tom.* 1. *Bibl. MS.* ubi ait: *Usitatior traditio habet D. N. XV. anno Tiberii Cæsaris* (non ab imperio communiter cum *Augusto* accepto, sed à Monarchia post mortem *Augusti* inita) *duobus Geminis Coss. crucifixum.* Idem tradit *Idatius* in Chronico ab eodem *Labbeo* edito & *Victorius Aquitanus* in canone Paschali. Id ipsum confirmant *Henschenius* ac *Papebrochius* laudati ex aliis vetustissimis Chronicis, quorum unum apud Canisium *tom.* 2. scriptum est anno XIII. imperii *Alexandri Severi.* His addi potest, *Eusebium* ex vetustis tabulariis Edessæ urbis *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 13. narrare ad *Abgarum* Principem *Edessenorum* statim post Christi in cœlum ascensum à *Thoma* Apostolo *Thaddæum* unum è LXX. discipulis missum, à quo *Abgarus* diuturniori morbo curatus fuit. *Eusebius* è *Syriaco* in *Græcum* idioma gesta illa ad verbum ibidem vertit, in quorum fine legitur: *Acta sunt hæc anno quadragesimo ac trecentesimo*, uti è correctis exemplaribus, ac antiquo codice *Rufini* eum numerum recte restituit V. C. *Valesius* in notis. *Edessenorum* Epocha inchoatur anno primo Olympiadis 117. quo *Seleucus* regnare cœpit in *Asia*, ex *Eusebio* in Chronico, V. C. 442. Igitur annus quadragesimus supra trecentesimum incidit in annum primum Olympiadis 202. V. C. 782. duobus Geminis consulibus. Eusebius in *Chronico* annum secundum *Probi* Imperatoris testatur incidisse in annum *Edessenorum*, 588. Annus secundus *Probi* labebatur A. V. C. 1030. vulgaris Epochæ Dionysianæ 277. ut pluribus demonstravi in *Dissert. de Votis Decennalibus cap.* 6. quibus non possum non addere insignem inscriptionem ab eruditissimo *Sponio* nuper *Romæ* observatam, ac mihi transmissam.

IOVI. INVICTO *à latere* DED. III. NON
SILVANO. ET. HERCVLI IVL. D. N
GENIO. VRBIS M. AVR. PROBO
FORTVNAE. FEL. ANSACE AVG. ET. M
NVS. MILES. COH. VIII AVR. PAVLI
AVRELIAN. 7. VARI NO. COSS
NIAN. AR. ET. SIGN
D. D

Ex hac insigni inscriptione intelligimus anno Christiano 276. *M. Aurelium Probum* fuisse Imperatorem, quod negabat *Baronius*: eumque consulem ordinarium, secus ac *Panvinius* judicavit, siquidem eo sæculo publica monumenta solis consulum ordinariorum nominibus obsignabantur. Habemus etiam prænomen, ac familiam *Paulini* consulis, quæ hactenus latuere. Itaque annus secundus *Probi* fuit vulgaris epochæ 277. à quo numero si demas annos 248. habebis annum æræ Christianæ 29. duobus Geminis Coss. uti ab anno
326 *Edessenorum* 588. per annos 248. retrocedentes, incidimus in annum eorundem epochæ 340. quo anno post Christi Domini in cœlum ascensum, *Abgarus* à *Thaddæo* morbo liberatus, Christianam fidem amplexus est. In hac vero sententia tria tantum Paschata Christo post baptismum prædicante, admitti possunt, ne dicatur *Joannes* baptismum indixisse, antequam *Pilatus* in *Judæam* adveniret; cum S. Lucas *cap.* II. scribat id contigisse *procurante Pontio Pilato Judæam.* Etenim Josephus *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 5. narrat ob cædem *Samaritarum* à primatibus ejus gentis *Pilatum* apud *Vitellium* præsidem *Syriæ* accusatum, à quo jussus fuit *Romam* proficisci, responsurus coram *Tiberio* ad crimina à *Judæis* objecta: *Ita*, inquit, *ille decem annis exactis in Judæa, quum necesse haberet parere Vitellio, ad Urbem iter suscepit, quo prius quam perveniret, vita excessit Tiberius.* At *Tiberius* obiit die 16. Martii A. V. 790. à pa-

A rilibus Epochæ Dionysianæ 37. Hinc Pilatu[s] A. V. 789. puta circa Novembrem, annum decimum in provincia exegerat, ut in *Judæam* advenisse dicendus sit A. V. 779. Epochæ vulgaris Dionysianæ 26. quo anno *Joannes Baptista* labente Octobri, ut probabili conjectura deducit *Us[se]rius pagina* 566. criminum expiationem populo indicere occœpit. Christus vero anno insequenti sexta Januarii ab eodem *Joanne* baptizatus fuit, ac proinde tria tantum Paschata celebravit, antequam mortem duobus Geminis Coss. subiret. Docti ac pii collegæ qui vastum *Bollandi* opus continuant, *Exercit.* 2. *laudata num.* 14. scribunt
B *Pilatum* in *Judæam* advenisse *Cosso Lentulo* & *A[s]sinio Agrippa* Coss. V. C. 778. Epochæ vulgaris 25. Itaque decimus annus administratæ *Judææ Pila[to]* exiit A. V. 788. vulgaris æræ 35. Hinc fit, ut vel undecim annos eosque in provincia exactos *Pilato* concedant; vel dicant *Pilatum* è provincia *Vitellii* jussu, *Romam* profectum, annum & quod excurrit, in itinere consumpsisse, ac tandem, mortuo *Tiberio*, *Romam* pervenisse.

§. XIII.

Q. Cæcilius Silanus Creticus Syriam *administrat.* Glandorpius *falso eundem è Junia gente putat.* *Anni in duobus* Silani *nummis rarissimis* ... *MEDICEÆ minus V. C. noti, explicantur.*
C Cn Calpurnius Piso Syriam *provinciam obtinet.* Montacutius *neutrum apud Josephum observavit.* Cn. Sentius Saturninus *Prolegatus Syriæ.* Montacutii *error de eodem.* L. Pomponius Flaccus *legatus in* Syriam *mittitur.* *Idem recte Tacito* proprætor *appellatus contra* Pighium & Montacutium. Syria *sub* Tiberio *aliquandiu Legato non consulari administrata.* *Eadem provincia* L. Vitellio *demandatur.* *Huic* P. Petronius *successor datus.* *Inane de eodem* Montacutii *dubium.* Baronius *tres* Petronios *in unum*
D Syriæ *præsidem confundit.* Vibius Marsus Syriam *regit.* Josephi à Tacito *dissensus.* C. Cassius Longinus I. C. Syriæ *præses.* Pomponii *I. C. error corrigitur.* T. Numidius Quadratus Syriam *cum imperio tenet.* Baronii contra Josephum *objectio solvitur.* *Duo* Quadrati *numismata proferuntur.* Domitius Corbulo Quadrato *demortuo succedit: huic* Cincius. *Utrumque præsidem* Montacutius *omittit.* C. Cestius *memoratam provinciam obtinet.* Suetonii *textus à* Lipsio *ac* Montacutio *frustra emendatus.* *Defuncto* Cestio, P. Licinius Mucianus *successor in* Syriam *missus.* Titus Hierosolymam *expugnat.*

E Hucusque continuatam seriem Præsidum *Syriæ* ad *P. Sulpicium Quirinium* deduxi, ut ostenderem nullum inter eosdem locum *Cajo Cæsari* superesse, secus ac quibusdam viris eruditis visum est, inde etiam *Quirinii* administratio *Syriaca* suo tempori restituta est, ac *Josephi* historia, quæ eosdem præsides attinet, ab objectis erroribus vindicata. Illorum etiam numerum apud alios scriptores deficientem supplevi, ac pleraque obscuriora in bono lumine collocavi. Haud tamen ceteri, qui in administranda *Syria* *Quirinio* successere, recensendi videbantur, quod
F ad historiam *Caji* illustrandam, neutiquam conducebant. Verum quod video *Montacutium* præsides *Syriæ* ad eversam usque *Hierosolymam* recitare, ac plerosque eo in catalogo texendo, errores committere, paucis eosdem corrigendos mihi esse duxi, ut hac occasione historiæ nitorem promoverem. Itaque quæ subjicio, appendicis loco scripta judicentur. *P. Sulpicius Quirinius* anno ab V. C. 760. septimo ac trigesimo ab *Actiaca* victoria, in *Syriam* cum imperio veniens, censum, uti prænotavi, in *Judæa* peregit, ac provincia

vincia administrata, *Romam* reversus, imperante postea *Tiberio Lepidam* uxorem, *Lucio Cæsari* quondam destinatam, adulterii ream peregit, ac eidem igni aquaque interdictum est, præsertim cum *Tiberius* aperuisset compertum sibi ex *Quiri-*
328 *nii* servis eundem à *Lepida* veneno petitum. Horum auctor Tacitus *lib.* III. *Annal.* ad A. V. 773. Anno vero sequenti, teste eodem, *Quirinius* decessit, *publicis exsequiis* elatus, quem defuncto honorem *Tiberius* à Senatu petierat. Ceterum *Quirinio* successit *Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus*, qui A. V. 760. consulatum gesserat. Tacito sub initium *lib.* II. *Annal.* laudatur *Rector Syriæ Creticus Silanus* ad A. V. 769. Glandorpius *in Onomastico pag.* 506. putat hunc fuisse *C. Junium Silanum*; at è cognomine *Cretici* patet fuisse è gente *Cæcilia*, in quam *Q. Cæcilius Metellus* ob debellatam *Cretam*, illud cognomen invexerat. Servantur duo hujus *Silani* numismata *Antiochiæ* percussa, in gaza Medicea cum epigraphe: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΓΜ. alterum cum notis ΔΜ. nempe SUB SILANO *Anno XLIII.* & *Anno XLIIII.* Eruditissimus Spanhemius *dissert.* 9. *pag.* 867. recte observat non designari, uti fit in aliis nummis ibidem scalptis, æram *Antiochenam.* Nam annus, quo decessit *Augustus Silano Syriæ* præside, erat Epochæ *Antiochenæ* LXII neque indicari annos principatus *Augusti*, qui obiit anno imperii LVI. Quare rem sub dubio relinquens ait: *ulterius eundum in consilium.* Ceterum ipse quidem puto designari annos postquam *Augustus Antiochiam* obtinuit A. V. 724. cum antea ad *M. Antonii* imperium spectaverit. Nam cum victoria Actiaca contigerit ineunte Septembri A. V. 723. *Antiocheni* non statim ad *Cæsarem* defecerunt, uti neque *Herodes*, quod *Antonius* in proxima *Ægypto* copias ad instaurandum bellum, colligebat; quare anno insequenti *Q. Didio* præside *Syriæ*, *Augusti* imperio se submiserunt. Hinc in nummis notantur anni imperii *Augusti* in Urbe Antiochena 43. & 44. Montacutius *num.* 32. ait: *Proximus à Quirinio Flaccus commemoratur, quod equidem meminerim apud Josephum.* Additque *ante illum priores apud alios recitari.* Sed vel oculi, vel memoria *Montacutium* defecere. Josephus *Silani* diserte meminit *lib.* XVIII. *cap.* 3. ubi de *Vonone Parthorum* rege scribit: *Silano Syriæ præsidi se tradidit.* Cum *Tiberius Germanicum* summo cum imperio in Orientem mittere destinasset, inquit Tacitus *lib.* II. ad A. V. 770. *Demoverat Syria Creticum Silanum, per affinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum ejus pacta erat; præfeceratque Cn. Pisonem ingenio violentum & obsequii ignarum, qui cum dubium non haberet se delectum, qui Syriæ imponeretur, ad spes Germanici coercendas*, ubi in *Syriam* advenit, in omnibus *Germanico* adversabatur, ita ut *Germanicus* eundem è provincia abire jusserit. Verum paullo post *Germanico* mortem oppetente, quam eidem *Piso* veneficiis intulisse creditus est, in *Syriam* revertens, apud *Celenderim Ciliciæ* oppidum à demortui *Germanici* legatis obsessus, ac deditionem facere coactus, in urbem ab iisdem redire jussus est. Hæc pluribus exequitur Tacitus ad A. V. 772. *lib.* II. *citato*; ubi narrat consultum fuisse post mortem Germanici inter legatos ac Senatores quisnam *Syriæ* præficeretur, *& ceteris modice nixis, inter Vibium Marsum & Cn. Sentium diu quæsitum; dein Marsus seniori, & acrius tendenti Sentio concessit.* Igitur A. V. 772. *Cn. Sentius Saturninus* prolegatus *Syriam* obtinuit. Montacutius *num.* 33. *de Josepho* scribit: *Silanum, Germanicum, Pisonem, Sentium prætermisit &c.* Hic quoque *Montacutium* memoria destituit. Hæc Josephi verba sunt *lib.* XVIII. *in fine cap.* 3. *Germanicus ad res Orientis ex S. C. componendas missus, forte fortuna occasionem quærente ejus exitio, post redactam in meliorem statum Syriam, Pisonis opera veneno sublatus est.* Idem Montacutius *num.* 32. verba Taciti interpretatus, videlicet cur *Mar-* 329
sus Sentio seniori cesserit: *Marsus enim*, inquit, *nondum consul fuerat. At Sentius Saturninus consulatum gesserat sub Augusto.* Cum autem *Augusto* imperante duo *Sentii Saturnini* consules fuerint, advertit hunc prolegatum *Syriæ* non fuisse illum, qui ante annos XXXV. quam *Germanicus* diem suum obiret, cum *Lucretio Vespillone* gesserat consulatum, sed illius filium. *C. Sentius Saturninus* collega *Q. Lucretio*, consulatu functus est A. V. 735. annis non 35. sed 37. antequam *Germanicus* fato raperetur. Alter *Saturninus* gessit consulatum sub *Augusto* A. V. 757. quem tamen *Montacutius* perperam post mortem *Germanici Syriæ* legatum extraordinarium putat; nam hic teste Tacito *Cneus Sentius* dicebatur; ille vero *Cajus Sentius*, diverso prænomine appellabatur, ac in *Cajano* cenotaphio inscribitur *C. Sentius Saturninus.*

Post *Sentium Saturninum L. Pomponius Flaccus Syriam* administravit. Suetonius in Tiberio cap. 42. de eodem ait: *Postea Princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco, & L. Pisone, noctem continuumque biduum epulando, potandoque consumpsit. Quorum alteri Syriam, alteri Urbis præfecturam continuo dedit. Usserius* id putabat contigisse A. V. 765. cum *Tiberius* designatus fuit Censor, sed ejus errorem superius confutavi. Ex Tacito res petenda est, qui *lib.* III. ad A. V. 775. ait: *G. Sulpicius, D. Haterius consules sequuntur. Inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversus luxum, qui immensum proruperat ad cuncta quis pecunia prodigitur.* Statim vero Tiberii verba recitat: *Quid enim primum prohibere & priscum ad morem redigere adgrediar? villarumne infinita spatia, familiarum numerum, & nationes? argenti & auri pondus? &c. Tot à majoribus repertæ leges, tot quot Divus Augustus tulit, illæ oblivione, hæ (quod flagitiosius est) contemptu abolitæ, securiorem luxum fecere &c.* Igitur hoc anno, quo morum correctio per Ædiles inducta fuit, quod præter *Tacitum* ibidem, testatur etiam Suetonius in *Tiberio cap.* 34. noctem ac biduum *Pomponius Flaccus* ac *L. Piso* edendo, potandoque cum *Tiberio*, consumpserunt, ac proinde A. V. 775. ille *Syriam*, hic præfecturam urbis obtinuere. Tacitus *lib.* VI. scribit mortuum *L. Pisonem* A. V. 785. cum *viginti per annos* eo in munere probatus fuisset. *Lipsius*, uti diximus, recte divinabat pro nota simplici X. binas XX. repositas. At hoc mendum ex proxime dictis corrigitur. Josephus *libro* XVIII. *cap.* 8. vocat *Pomponium Flaccum virum consularem ac Syriæ præsidem.* Tacitus vero *lib.* VI. ad A. V. 786. ait: *Exin Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto &c.* Pighius *tom.* 3. *Annal.* ad A. V. 779. vocat illum *proconsulem* addens *mendose proprætorem vocari. Montacutius* vero addit statim parenthesim: *Et tamen fuit Consularis.* Ita sane: & ceteri erant consulares, & tamen omnes Proprætores, hoc enim peculiari titulo designabantur, qui provincias Cæsaris administrabant, cum ii qui provinciis populi imponebantur, proconsules appellarentur, uti ex *Dione* ac vetustis inscriptionibus ostendi *cap.* 11. Extat inscriptio apud Gruterum *pag.* 457. in qua *M. Pontius Sabinus* dicitur *Consul* ac LEG. AUG. PR. PR. PROV. SYRIAE; & *pag.* 365. 7. *Q. Arrius* nuncupatur itidem *Legatus Augusti pro Prætore Syriæ majoris.* In eodem thesauro inscriptionum sæpius

ſæpius occurrunt legati *Auguſti* in ejuſdem provinciis *pro Prætore* nuncupati, licet eſſent conſulares; equidem *pag.* 396. 1. civitates ſuperioris *Illyrici* elogium dicant *P. Cornelio Dolabellæ* COS. &

330 LEG. PRO. PR. DIVI. AVGVSTI ET. TI. CAESARIS. AVGVSTI

Vellejus *libro* II ait: *Cujus*, nempe Junii Blæſi, *curam ac fidem Dolabella quoque vir ſimplicitatis generoſiſſimæ in maxima parte Illyrici per omnia imitatus eſt.* Ceterum *Flaccus* annos XI. *Syriam* Legatus proprætor obtinuit, ac in provincia mortuus eſt; nam ex Tacito in fine *lib.* I. *Annal. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia ac pleroſque ad finem vitæ in eiſdem exercitibus, & juriſdictionibus habere.* Cujus inſtituti varias ibidem cauſas aſſignat, uti etiam Joſephus *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 13. Cum *Tiberius* ex eodem Tacito *lib.* IV. *Capreas* in inſulam A. V. 780. ſe abdidiſſet, adeo publicas curas abjeciſſe viſus eſt, ut non tribunos militares, præfectoſque, *non provinciarum præſides ullos mutaverit: Hiſpaniam & Syriam per aliquot annos ſine conſularibus legatis habuerit.* Suetonii verba ſunt *cap.* 41. de vita ejuſdem. Ita *Pomponius Flaccus* ad vitæ uſque exitum *Syriam* rexit. Illi quidem *Tiberius L. Ælium Lamiam* conſulem A. V. 756. ſucceſſorem deſtinaverat, qui tamen, ut ait Tacitus *lib.* VI. *adminiſtrandæ Suriæ imagine exſolutus, Urbi præfuerat*, *L. Piſoni* A. V. 785. ſuffectus, ac anno ſequenti eo in magiſtratu exſtinctus. *Pomponio* vero in *Syria* mortuo, nullum conſularem toto biennio ſubſtituit, uti ex *Suetonio* prænotavi. Quinam interim legatus non conſularis id temporis *Syriæ* præfuerit, ignoratur. Idem vero Tacitus *lib.* VI. ad A. V. 788. ait: *Cunctis quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit*, patrem *Auli Vitellii*, qui poſtea imperavit. Plura de *L. Vitellio* habet Suetonius in *Vitellio cap.* 2. Dio *lib.* LX. cui dicitur *Syria abs ſe gubernata inſignis.* Eundem *Syriæ* Præfectum nominant ac commendant *Philo* de legatione ad *Cajum*, ac Joſephus *lib.* XVIII. *cap.* 5. & 6. In hoc tantum *Syriæ* præſide commemorando nihil erroris *Montacutio* admiſſum. Ejuſdem fortiter ac feliciter in *Syria* contra *Artabanum* regem *Parthorum* geſta, recitat in laudato libro *Tacitus.* Suetonius in *Caligula cap.* 14. de *Artabano* rege *Parthorum* ait: *Venitque ad colloquium Legati conſularis: & tranſgreſſus Euphratem, aquilas & ſigna Romana Cæſarumque imagines adoravit.* Hunc vero legatum conſularem fuiſſe *L. Vitellium* tradit Dio *lib.* LX ſcribens de Vitellio: *Obviam ei*, nempe Artabano, *repente ad Euphratem factus, exterruerat, ita ut in colloquium veniret, ac ſacrificare eum Auguſti ac Caji ſtatuis coegerit &c.* Hic quatuor annis Syriam rexit.

P. Petronius à *Cajo Caligula L. Vitellio* ſucceſſor miſſus A. V. 792. in *Syriam* venit. Joſephus *lib.* XVIII. *cap.* 11. ait: *Cajus porro indigne ferens à ſolis Judæis ita ſe deſpici, legatum in Syriam mittit Petronium ſucceſſurum Vitellio, jubetque ut cum valido exercitu invadat Judæam.* Cajus A. V. 790. imperium indeptus, priori ac altero anno optimum Principem egit, teſte *Philone*, *Joſepho*, *Suetonio*, *Dione*, aliiſque. At poſtea ad peſſima quæque prolapſus, Deum ſe à cunctis adorari juſſit, ac adverſus *Judæos divinum* ſibi cultum deferre recuſantes, novum in *Syriam* præſidem *Petronium* miſit. Addit Joſephus: *Petronius cum duabus legionibus hibernavit apud Ptolomaidem, primo vere bellum illaturus.* Vere appetente, ſcripſit *Cajo* meſſem expectandam, nec antea bellum inchoari poſſe: interim ſtatuam *Caji* in templo Judæo-

A rum dicandam, ſe apud *Sidonem* formandam ju- ſiſſe; ita tempus trahens, quod nolebat tot ho- minum millia ſtultitia ac ſævitia principis perire. nihil eo anno contra Judæos tentavit. Intere- *Cajo* die 24. Januarii A. V. 794. occiſo, *Petro- nius Judæos* patriis legibus ac avita religione libe- re uti permiſit. Montacutius *num.* 35. ſcribi- *Petronium* anno ſecundo *Caji* in *Syriam* miſſum; ſed ex *Joſephi* hiſtoria conſtat illum in provincia- anno tertio *Caji* adveniſſe circa autumnum, cu- paulo poſtquam in provinciam venerat, apu- *Ptolomaidem* in hibernis legiones collocaveri- Rurſus ait de eodem Petronio: *An idem, de q-*

B *multa Tacitus in* 16. *Annalium, haud ſcio.* Baro- nius vero ad A. Chriſti 41. *num.* 21. ſcribit: *ſ-* *ut quis fuerit iſte Petronius, intelligatur: ſciend-* *eſt fuiſſe equeſtris ordinis., militia clarum, qui* *ſub Auguſto* (*ut de eo teſtatur pluribus Strabo*) *a-* *verſus Æthiopes copias duxerat: ceterum eum hum-* *li loco natum, ad equeſtrem perveniſſe dignitatem* *auctor eſt Valerius Maximus lib.* IV. *cap.* 7. Ute- que hunc *Petronium Syriæ* præſidem cum ali- ejuſdem gentis confundit. Joſephus *lib.* XI- *cap.* 6. *Petronii Syriæ* proprætoris literas recit- ad *Dorienſes*, quarum initium eſt: Πούπλιος Πε- τρώνιος πρεσβευτὴς Τιβερίου Κλαυδίου Καίσαρ-

C *Publius Petronius Legatus Tiberii Claudii Cæſar-* At Tacito *lib.* XVI. memoratur *Cajus Petroni-* Igitur *Montacutius* ex diverſis prænominibus p- terat intelligere diverſos eſſe *Petronios.* Ide- contra *Baronium* dicendum, qui nec prænominum ſed nec temporis diverſitatem adnotavit, ac tr- *Petronios* in unum confudit. Dio ad A. V. 7- *libro* LIV. nominat Γάϊον Πετρώνιον τὸν τῆς Αἰγύπ- ἄρχοντα: *Cajum Petronium Ægypti præfectum.* in *lib.* VI. Plinii *cap.* 29. legimus *Romana arma* *Æthiopiam* primum intraſſe *duce P. Petronio* *ipſo equeſtris ordinis præfecto Ægypti.* Erratu- puto in prænomine; *Græci* enim cum non ſimpl-

D litera C, ſed *Cajum* diſerte ſcribant, difficilius e- rundem codices in prænominibus erratis Amanu- enſium ſubjacent. Sed notio ſeu character tem- porum illuſtrior eſt. *Petronius* ſecundus *Ægy-* præfectus ſubrogatus fuit ab *Auguſto* in locu- *Cornelii Galli* A. V. 728. ex Dione *lib.* LIII. Cu- fames *Palæſtinam* premeret, *Herodes* ex *Joſep-* *lib.* XV. *cap.* 12. *anno regni decimo tertio* pecuni- ad emendum frumentum in *Ægyptum* miſit, *qua-* *tum Petronius obtinebat pro Cæſare.* Annus XIII *Herodis* à captis *Hieroſolymis* juxta *Joſephum* complectebatur partem A. V. 729. & partem i-

E ſequentis. Strabo *lib.* XVII. quem *Baronius* lau- dat, ſcribit legatos *Candacis* reginæ *Æthiop-* juſſos à *Petronio Cæſarem* adire: *Itaque, inqu-* *in Samum profecti, Cæſarem invenerunt in Syri-* *progredi parantem.* Id contigit A. V. 734. e- Dione libro LIV. Habemus per ſexennium *Petr-* *nium* cum imperio in *Ægypto.* At *Petronius Sy-* *riæ* præſes provinciam adhuc tenebat anno prim- *Claudii* V. C. 794. nempe ſexageſimo ſexto ab e- anno, quo *C. Petronius* ab *Auguſto* præfectus *Æ-* *gypto* datus fuerat. Sed pejus idem confundit cum altero *Petronio*, cujus laudato loco memin- *Valerius Maximus.* Nam ut omittam ab eodem

F nuncupari *L. Petronium*, ſcribit *Valerius Petr-* *nium* fuiſſe una cum *P. Coelio* ab *Octavio* conſu- *Placentiæ* cum præſidio bello *Cinnano* impoſi- tum. Id contigit A. V. 662. quo *Cn. Octavi-* conſulatum geſſit, ac *L. Cinna* bellum civile co- flavit, centum ac viginti ſex annis priuſquam *P.* *Petronius* in *Syriam* à *Cajo* mitteretur. *Gens Pe-* *tronia Roma* in colonias etiam deducta fuerat, *ſi-* *Titus Petronius Piſanus* laudatur initio cenotaphi *Cajani*; quoſdam ex eadem familia Senatores lau- dat *Glandorpius.* At *P. Petronius Syriæ* præſi- nom-

nominatur Tacito *lib.* VI. *Annal.* ad A. V. 789. nam cum ob incendium Circi atque Aventini
332 quatuor Senatores ipsius Imperatoris progeneri damno singulorum æstimando electi fuissent, additus fuit *nominatione consulum P. Petronius.* Ejusdem obitus contigit ante *Claudii* Cæsaris mortem; siquidem à *Seneca* in ludo de morte *Claudii*, fingitur advocatus ejusdem apud inferos *P. Petronius*, *vetus convictor ejus*, *homo Claudiana lingua disertus.* Plura de *Petronio* scribit Philo *in libro de legatione* ad *Cajum*, eidemque dicitur *præfecturam adeptus provinciarum Asiæ Syriæque*, quod legato Proprætori *Syriæ* jus militare esset in *Cilicia* ac *Cappadocia* ad *Armeniam* usque majorem. Ibidem etiam hæc *Caligulæ* contra *Petronium* voces recitat: *tumes continuatis magistratibus*; ex quibus colligitur ipsum consularem virum fuisse. Rursus de *Cajo*: *Simulque jussit scribi P. Petronio Syriæ præsidi*, ne quid in *Judæorum* templo novaret. Itaque certo constat Petronium *Publii* prænomen tulisse.

Josephus *lib.* XIX. *cap.* 6. ait: *Petronio Marsus in administranda provincia Syria successit* altero anno *Claudii* Imperatoris A. V. 795. Hic A. V. 790. adulterii accusatus, paullo ante mortem *Tiberii*, simulata inedia, quasi sibi mortem voluntariam inferre destinasset, mortuo interim *Tiberio*, discrimen evasit, ex Tacito *lib.* VI. qui ait: *Marsus quoque vetustis honoribus & inlustris studiis erat.* Montacutius *num.* 36. scribit: *Marsum accusabat rex Agrippa apud Claudium imperatorem, & obtinuit ut ei succederetur per Cassium Longinum.* Hæc ille ex Josepho *lib.* XX. *cap.* I. At *Montacutius Tacitum* secus scribentem dissimulavit. *Agrippa* mortuus est anno regni septimo, anno quarto *Claudii* Imperatoris inchoato, ex Josepho *lib.* XIX. *cap. ult.* V. C. 797. At Tacitus *lib.* II. *Annal.* de *Bardane Parthorum* rege scribit: *Exin validissimas præfecturas invasit, & recuperare Armeniam, ni Vibio Marso Syriæ legato bellum minitante cohibitus foret.* Et post paucos versus ait: *Iisdem consulibus ludi sæculares octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo quàm Augustus ediderat, spectati sunt.* Igitur teste *Tacito Vibius Marsus* A. V. 800. triennio post *Agrippæ* Regis mortem, adhuc *Syriam* regebat. *Tacito* vero quod historiam *Romanorum* magistratuum attinet, plus fidei quam *Josepho* præstandum, nullus, ut arbitror, inficias ibit; uti è contra in rebus Judaicis recensendis, *Josephum Tacito* peritiorem fuisse non dubito. *C. Cassius Longinus* circa A. V. 801. *Syriam* provinciam habuit. Tacitus *lib.* XII. ad A. V. 802. *scribit Meherdatem* nepotem *Phraatis* à *Claudio* imperatore legatis *Parthorum* concessum, ut eundem in regnum *Roma* deducerent; additque: *Post hæc C. Cassio qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis jubet.* Ea tempestate Cassius ceteros *præeminebat peritia legum. Qui licet in urbano otio educatus, legiones tamen in Syria ac si bellum esset, exercuit. Ita dignum majoribus suis, & familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata.* Etenim *C. Cassius Longinus* quæstor *M. Crassi*, post cladem ejusdem, *Parthos* è *Syria* ejecerat. Hunc *C. Cassium Longinum* laudat *Pomponius* de origine juris, aitque fuisse consulem cum *Quartino*, imperante *Tiberio.* Et quidem in indice consulum præfixo *libro* V. Taciti legitur; *M. Vinucio C. Cassio Longino* V. C. 783. Errat vero *Pomponius*, dum ait hunc *Cassium* à *Cajo Cæsare* in *Sardiniam* exulem deportatum. Nam Tacitus *lib.* XVI. scribit *Cajum Cassium* opibus vetustis, & gravitate morum *Neroni* invisum, ab hoc ipso per literas ad Senatum accusatum, quod inter imagines majorum etiam *C. Cassii* effigiem coluisset, ita inscriptam: DVCI PARTIVM; additque *Cassium* S. C. in *Sardiniam* deportatum. Suetonius *in Nerone cap.* 37. scribit *Cassium Longinum* juris 333
consultum, ac luminibus orbatum, delatum fuisse, quod in vetere gentili stemmate *C. Cassii* percussoris Cæsaris imagines restituisset. Id contigit A. V. 818. Cæterum *C. Cassium* haud diuturnius in *Syria* imperium habuisse patet ex eodem Tacito, qui *lib.* XII. A. V. 804. laudat *T. Vinidium Quadratum præsidem Syriæ.* Josephus tamen *lib.* XX. *Antiq. cap.* 5. *Numidium Quadratum* vocat; & sane nonnullis videtur error in *Taciti* codicem irrepsisse, cum *Quadrati* cognomen *Numidiæ* gentis proprium fuerit. Hinc anno epochæ Dionysianæ 167. *T. Numidius Quadratus* consulatum in fastis gessisse dicitur. Plinius *lib.* VI. *epist.* II. laudat *Fuscum Salinatorem, & Numidium Quadratum egregium par.* Ejus aviam *Numidiam Quadratillam* vita functam commendat *lib* VII. *epist.* 24. Fateor tamen *pagina* 183. Gruteri legi: CASTRVM. PRAETORIVM. EX. PR. VINI. QVAD. ET. ANT. OP. ubi quidam *Vinidius Quadratus* nominatur. Tacitus *lib.* XII. ad A. V. 805. scribit cum *Ventidio Cumano*, *Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent*, ortas inter utrumque discordias: *arsissetque*, inquit, *bello provincia, ni Quadratus Syriæ rector subvenisset*, Cumano damnato, cum *Felicem* in cognitione causæ in gratiam *Pallantis* ejusdem fratris apud *Claudium* libertorum potentissimi, inter judices in tribunal recepisset. Baronius ad A. Christi 50. *num.* 8. ait: *Sed patentis erroris nihilominus idem Josephus arguitur, dum ait esse damnatum Romæ Cumanum, ac inde Claudium Felicem Pallantis liberti Claudii Augusti germanum missum esse in Judæam. Nam Felix simul cum Cumano in eam provinciam missus est, sic ea inter eos divisa, ut Felix Samariam administraret, Cumanus vero reliquam provinciæ partem.* Verum *Josephus* nusquam dixit *Felicem Roma* missum *Cumano* successorem, immo aperte ex *lib.* II. *belli cap* II. oppositum colligitur; siquidem cum dixisset *Cumanum Romæ* damnatum à *Claudio* Imperatore, statim ait: *Post hæc Felicem Pallantis fratrem misit ad Judæos, qui eorum provinciam cum Samaria & Galilæa curaret. Agrippam vero de Chalcide in regnum majus transtulit, tradens ei illam quoque provinciam, quæ Felicis fuisset.* Erat autem ista *Trachonitis*, *Bethanea*, *Gualanitis.* Igitur *Felix*, antequam damnato *Cumano*, *Judææ* imponeretur, *Galilæam* transamnanam, quæ *Jordane* ac montibus *Cœlesyriæ* ac *Philadelphiæ* includitur auctore *Josepho*, regebat; ac proinde in *Judæam* non ex Urbe, ut minus recte vir eruditus Josepho imponit, sed ex *Galilæa* transamnana advenit. Anno ab V. C. octingentesimo septimo ex Tacito *lib.* XIII. à *Nerone* primo anno imperii *Domitius Corbulo* retinendæ *Armeniæ* præponitur, jusso *Numidio Quadrato* partem legionum *Syriacarum* eidem tradere; unde inter utrumque simultas orta, de qua ibidem *Tacitus*, qui inferius ad A. V. 808. ait: *Syria P. Antejo destinata, & variis mox artibus delusus, ad postremum in Urbe retentus est.* Ita Quadratus diutius in *Syria* cum imperio degit. Spanhemius *dissert.* 9. *pag.* 867. è gaza *Palatina* nummum *Antiochensium* producit cum epigraphe: ΕΠ ΚΟΤΑΔΡΑΤΟΥ. ΕΤ ΕΡ. *sub Quadrato Anno CV.* videlicet æræ *Antiochenæ*, qui annus incidit in A. V. 810. Eques *Patinus* in additis ad *Ursinum* alium ejusdem *Quadrati* nummum profert cum charactere temporis ΕΤ. Δ. *Anno quarto*: nempe *Neronis*, cujus annus imperii quartus inchoabatur die 13. Octobris A. V. 810. Ita etiam in numismate *Silani Syriæ* præsidis, uti superius dixi, anni imperii *Augusti* apud *Antiochiam* obsignati le- 334
guntur. Montacutius *num.* 37. ait: *Quadratum excepit, ut ego quidem arbitror, Cestius Gallus.* Er-

A rat, ac duos *Syriæ* præſides tranſilit. Tacitus *lib.* XIV. ad A. V. 813. ſcribit: *Corbulo in Syriam acceſſit, morte Vinidii legati vacuam, ac ſibi permiſſam.* Igitur *Numidius*, ſive *Vinidius Syria* per decennium adminiſtrata, in provincia vita decedens, *Corbulonem* ſucceſſorem habuit. At *Nero* veritus, ne *Corbulo* rerum geſtarum felicitate, ac maxima toto Oriente poteſtate præditus, quidpiam ultra privatam ſortem agitaret, ejuſdem imperium imminuit. Hujus rei idem Tacitus auctor *lib.* XV. ad A. V. 816. *Syriæque*, ait, *executio Cincio, copiæ militares Corbuloni permiſſæ. Cincia* gens *Romæ* antiqua, ac pluribus magiſtratibus conſpicua.
B Si in *Cincii* nomine erratum non eſt amanuenſi, qui *Tacitum* exſcripſit, cum forte *Ceſtium Tacitus* ſcripſerit, brevi ſucceſſorem ille accepit *Ceſtium Gallum*, quem *Syriæ* præſidem initio belli Judaici nominant Joſephus *lib.* II. *belli cap.* 13. & ſeq. & ſæpius in libello de vita ſua, & Tacitus *lib.* V. *Hiſt.* Porro *Joſephus* loco laudato *cap.* 13. ſcribit *Ceſtium Gallum inſtante Azymorum ſolemnitate Hieroſolymam* veniſſe; & in fine capitis ſcribit ob rapinas ac ſævitiem *Geſſii Flori* procuratoris *Judææ*, bellum contra *Romanos* inchoatum *duodecimo anno imperii Neronis, decimo ſeptimo autem regni Agrippæ, menſe Majo.* Annus XII. imperii *Neronis*
C menſe Majo incidit in A. V. 819. Hinc anno ſuperiori *Ceſtius Gallus Syriam* obtinebat. Patrem habuit *C. Ceſtium Gallum* conſulem A. V. 788. Suetonius *in Veſpaſiano cap.* 4. ſcribit *Judæos* rebellaſſe, addens: *Cæſoque præpoſito, Legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentem, rapta Aquila, fugaverunt. Ceſtius* quo anno conſulatum ſuffectum geſſerit, ignoratur. *Lipſius* ſcribit id temporis *Geſſium Florum* præpoſitum fuiſſe *Judææ*, qui tamen nuſquam à *Joſepho* cæſus dicitur. Quare legendum putat: *cæſoque præſidio.* Idem tradit Montacutius *num.* 37. ac emendat: *fuſoque præpoſito.* Addit tamen magnos hiſtoricos
D in quibuſdam à ſe invicem diſſentire; ac notat bis *Ceſtium Syriæ* præſidem nominari à *Joſepho* in libello de vita ſua. Verum ibidem etiam *Montacutius* potuit hæc *Joſephi* verba inaudire: *Suadebamus tamen, ut ſe continerent, & hoſtem abire ſinerent, quod ſperaremus Geſſium brevi venturum cum validis copiis, & eum tumultum ſedaturum:* Et ſtatim addit: ὁ δ' ἐπελθὼν καὶ συμβαλὼν μάχῃ ἐνικήθη, πολλῶν μετ' αὐτοῦ πεσόντων: *At ille reverſus, & committens prælium, pugna victus eſt, multis cum ipſo cadentibus.* Et poſtea hæc ibidem ſcribit: *ſuaque clade extremam toti noſtræ genti calamitatem attulit.* En uti *Joſepho* de *Geſſio* præpoſito à *Ju-*
E *dæis* cæſo, *Suetonius* ſimiliter loquitur. In libro vero de vita ſua *Geſſii* cladem ait contigiſſe *poſt occiſum Manhahemum*, quem *lib.* II. *belli cap.* 18. ait obtruncatum paullo poſt diem ſeptimam Septembris A. V. 819. antequam *Ceſtius* proprætor *Syriæ* die 30. Octobris partem *Hieroſolymæ* occuparet. Ille vero cum exercitum abduceret, die 8. Novembris ingentem à *Judæis* cladem accepit, teſte eodem Joſepho *cap.* 24. qui tamen nihil de amiſſa Aquila ſcribit. *Ceſtius Saulum* cum aliis ad *Neronem* in *Achaja* hiemantem navigare juſſit, ut Principi *Judæorum* rebellionem, ac adver-
F ſa *Romanorum* prœlia ſignificarent. *Nero* paullo antea vocatum ad ſe *Corbulonem* interfici juſſerat, qui tamen apud *Cenchreas Peloponneſi* urbem prope *Corinthum* ſuo ſe gladio, quo *Armeniam* à *Parthis* defenderat, interemit, ex *Dione* apud *Xiphilinum* in *Nerone.* Hinc optimo duce per ſummam crudelitatem
335 extincto, bello contra *Judæos* adminiſtrando præfecit *Flavium Veſpaſianum*, qui ex *Achaja*, ubi cum *Nerone* erat, *Tito Alexandriam* ſtatim præmiſſo, per *Aſiam* in *Syriam* venit, ex Joſepho *lib.* III. *cap.* 1. Tacitus *lib.* V. *Hiſt.* ſcribit ſub *Geſſio Floro* procuratore *Judææ* (anno ejus adminiſtrationis ſecundo ex fine *lib.* XX. *Antiq.*) bellum ortum, & comprimere, inquit, *cœptantem Ceſtium Gallum Syriæ legatum, varia prælia ac ſæpius adverſa excepere. Qui ubi fato, aut tædio occidit: miſſu Neronis, Veſpaſianus fortuna famaque, & egregiis miniſteriis, intra duas æſtates, cuncta camporum, omneſque præter Hieroſolyma, urbes victore exercitu tenebat. Ceſtium* vero ſub adventum *Veſpaſiani* adhuc ſuperſtitem fuiſſe patet ex Joſepho in *libro de vita ſua*, ubi cum dixiſſet *Sephoritas* à *Ceſtio* præſidium *Romanorum* militum petiiſſe, ſtatim adventum *Veſpaſiani* narrat. Spanhemius *diſſert.* 9. laudata exhibet nummum inſcriptum: ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ ΔΙΡ. *ſub Ceſtio Antiochenſium Anno CXIV.* Annus hic Epochæ *Antiochenæ* inchoabatur menſe Octobri A. V. 818. cujus menſis die 13. *Nero* duodecimum annum imperii auſpicabatur. Vir doctus minus recte ait in annum decimum vel undecimum principatus *Neronis* annum CXIV. incidiſſe. *P. Licinius Mucianus* in demortui *Ceſtii Galli* locum in *Syriam* à *Nerone* miſſus, auctor poſtea *Veſpaſiano* fuit poſt *Neronis* ac *Othonis* mortem, imperii occupandi, ſuaſque quatuor legiones tribus *Veſpaſiani* ſociavit. Tacitus ſub initium *libri* II. *Hiſtor.* utriuſque morte indicata, ait: *Ceterum hic Syriæ, ille Judææ præpoſitus, vicinis provinciarum adminiſtrationibus invidia diſcordes, exitu demum Neronis, poſitis odiis, in medium conſuluere. Nero* periit A. V. 821. die 10. Junii. Hinc *Mucianus* anno ſuperiori V. C. 820. in *Syriam* venerat, *Ceſtio Gallo* eodem anno paullo poſt *Veſpaſiani* adventum, in provincia defuncto. Hactenus de præſidibus *Syriæ* ab A. V. 706. ad annum 822. quo, ut ait Tacitus, *ante Idus Julias Syria omnis in Veſpaſiani ſacramento fuit.* Eodem vero anno *Muciano* in *Italiam* cum exercitu contra *Vitellium* profecto, *Titus* inſequenti anno *Hieroſolymam* memorabili obſidio aggreſſus, expugnavit, uti fuſius *Joſephus* deſcribit. Hactenus de præſidibus *Syriæ* parergon. Jam ad *Caji Cæſaris* hiſtoriam longiori plane magiſtratuum *Syriacorum* narratione interpolatam, revertor.

CAP. XVII.

Cajus Cæſar Armeniam *cum exercitu ingreditur.* Tigrane *ejecto*, Ariobarzanem Armeniis *regem imponit. Barbaræ nationes à* Cæſare *devictæ. Num* Cajus *ob victoriam ſalutatus Imperator? Quando is titulus Victori datus. De Imperatoris titulo* Auguſto *multiplicato, Scriptorum, numiſmatum, ac lapidum diſcrepantia.* Artageræ *rebellio.* Cajus Cæſar *eam urbem obſidens, à Præfecto per inſidias vulneratur.* Artageræ *excidium. Peſſima* Cæſaris *valetudo. Ejuſdem miniſtrorum rapinæ.* Cajus *in* Italiam *revertens, in* Lycia *moritur. Vetus illa ſcribendi formula:* Ante diem VIIII. Kalend. *exponitur. Textus* L. Anniculus D. de verb. ſignif. *Accurſio, Alciato, aliiſque depravatus, ex autographo Pandectarum* Florentinarum *reſtituitur. Eruditiſſimi* Stephani Baluzii *opinio expenditur.* Scaligeri *ſententia confutatur. Dies & annus obitus* Caji Cæſaris *ex Cenotaphio* Piſano *demonſtrantur.*

CAjus Cæſar pace cum *Parthis* facta, ea præſertim conditione, ut auxiliares ex *Armenia* copias revocarent, in *Syria* cum legionibus hibernavit. Interim *Tigranes*, recedentibus ex *Armenia Parthis*, animum non deſpondit, ſed popularium virtuti fiſus, cuncta ad bellum propulſandum, ſumma cura & induſtria exequebatur. *Cajus* ineunte vere, motis è *Syria* caſtris, contra *Tigranem* profectus eſt. *Armeniam deinde ingreſſus, prima parte introitus proſpere geſſit*, ex Vellejo *lib.* II. Florus *lib.* IV. *cap.* 4. ait: Cajum Armeniam

meniam *non incruento, nec multo tamen certamine* subegisse. Itaque *Armenii* prima statim congressione victi, ad obsequium à *Cajo* redacti sunt. Tacitus initio *lib.* II. *Annal.* scribit: *Tum Cajus Cæsar componendæ Armeniæ deligitur. Is Ariobarzanem origine Medum, ob insignem corporis formam & præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit.* In tabula *Pisana Cajus* bellum feliciter administrasse dicitur: *Bene gesta re publica, devicteis, aut in fidem receptis bellicosissimis ac maxsimis gentibus.* Itaque quasdam gentes armis, quasdam voluntaria deditione, in potestatem redegit, quarum tamen nomina non designantur. Ex his tamen *Zonaram* ex *Dione* falso scripsisse colligitur: *Cum Cajus in Syriam venisset, & nil præclari gessisset, vulnus accepit.* Ille enim *Arabiæ* tumultus composuit, *Parthos* ad petendam pacem adegit, ac *Armeniis* acie victis, novum regem imposuit. Nullus dubito, quin *Cajus Iberos* ac *Albanos*, *Armenia* capta, obsequentes habuerit; nusquam enim *Romani Armeniam* invaserunt, quin bellum statim in *Iberiam* atque *Albanorum* regionem transtulerint. *Pompejus Tigrane Armeniæ* rege superato, *contra Albanos Iberosque bellum gessit*, ex Dione *lib.* XXXVII. Plutarchus *in Antonio* scribit: *Canidius ab eodem circa Armeniam relictus, ea subacta, & insuper Iberorum, & Albanorum regibus prostratis, & ad Caucasum usque profectus, gloriam &*
337 *nomen Antonii barbaris nationibus formidolosum fecit.* Quare *Cajus* recepta *Armenia*, *Iberorum* ac *Albanorum* reges in fidem ac amicitiam P. R. accepit. Strabo qui id temporis vivebat, in fine *lib.* VI. scribit: *Armenii porro, & qui supra Colchos siti sunt, Albani & Iberi præsentiam dumtaxat requirunt Ducum Romanorum, & facile cohibentur.* *Tigranes* regno *Armeniæ* à *Cæsare* ejectus, quo se contulerit, incertum. Tacitus *lib.* VI. *Annal.* ad A. V. 789. qui postremus principatus *Tiberii Cæsaris* fuit, hæc recitat: *Ne Tigranes quidem Armenia quondam potitus, ac tunc reus, supplicia civium effugit.* In indice *Lipsii* ad *Tacitum* hic *Tigranes* à *Tiberio* punitus, idem dicitur qui olim à *Cajo Armenia* ejectus fuerat. Hoc tamen falsum esse colligo ex Josepho, qui *lib.* XVIII. *Antiq. cap.* 7. ait: *Alexander Herodis regis filius, qui à patre necatus est, Alexandrum & Tigranem filios suscepit è Glaphyra Archelai Cappadocum regis filia. Ex his Tigranes apud Armenios regnans, cum apud Romanos delatus esset, sine liberis obiit.* Itaque hic *Tigranes* minoris *Armeniæ* Rex fuit, quam avo *Archelao Romæ* defuncto, à *Tiberio* obtinuit, cum antea regi *Cappadociæ* paruisset. Ille vero A. V. 752. erat adolescentulus ex Josepho *lib.* XVII. *capite* I. cum tamen alter *Tigranes* ex *Artavasdis* stirpe id temporis *Armeniam* majorem invasisset.

Hic forte quæri possit, cur bellicosissimis gentibus partim armis, partim bello tantum de proximo ostentato, aut devictis, aut in deditionem acceptis, nec *Cajus Cæsar* Imperatoris nomen tulerit, nec idem *Augustus* multiplicaverit. Tacitus *lib.* III. *Annal.* in fine de Tiberio: *Id quoque Blæso scribit, ut Imperator à legionibus salutaretur: prisco erga duces honore, qui bene gesta re publica, gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur, erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum æqualitatem; concessit & quibusdam Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blæso.* Hoc *Imperatoris* nomen post *Pendentissas* in *Amano* superatos, sibi delatum jactabat Cicero *lib.* V. ad Atticum *epist.* 20. scribens: *Imperatores appellati sumus: castra paucos dies habuimus ea ipsa, quæ contra Darium habuerat apud Issum Alexander, imperator haud paullo melior quam aut tu, aut ego.* Hunc vero titulum vigente Republica usque ad peractum triumphum retinebant. Hinc *Cicero* cum sub initium bellorum civilium in *Italiam* ex proconsulatu *Ciliciæ* venisset, ac spem triumphi nutriret, ut ex ejusdem epistolis *lib.* VI. ad eundem *Atticum* intelligitur, in fine sextæ eodem scribente: *Amicorum literæ me ad triumphum vocant*, se *imperatorem* in titulo epistolarum dicebat, quarum multæ in eodem codice leguntur. Idem in Ligariana ait: *Cæsar ad me ex Ægypto literas misit, ut essem qui fuissem: qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est.* Nondum enim *Cæsar* de *Gallis* triumphaverat. Hinc *lib.* X. ad *Atticum epist.* 7. recitat exemplar epistolæ sibi à Cæsare scriptæ cum titulo: *Cæsar Imperator Ciceroni Imperatori.* Ita *lib.* X. *famil. epist.* 24. *Plancus*, & 34. *M. Lepidus* se inscribunt *Imperatores* A. V. 711. triumphum enim in exitu tantum anni egerunt. *Pompejus* vero in literis, quæ *lib.* VIII. *ad Atticum* insertæ leguntur, ita se inscribit: *Cn. Magnus Proconsul*; diu enim antea triumpharat. Cum *C. Antonius* consul collega *Ciceronis* coactum conjuratione *Catilinaria* exercitum fudisset, *hujus victoriæ causa imperator, quamquam occisorum numerus constituto minor esset* (tria hostium millia interemerat) *appellatus est.* Appianus *lib.* II. *bell. civ. pag.* 44.
de eodem titulo scribit: *Id honoris olim ducibus* 338
conferebatur à suis militibus tanquam virtutis testimonium, quem illi post quodvis præclarum belli facinus admittebant: nostra ætate, ut audio, nemini contingit hujusmodi acclamatio, nisi cæsis hostium decem millibus. Cum *Pompejani* in quadam congressione *Cæsaris* milites loco pulsos, in castra coegissent, occisis nongentis tantum & sexaginta militibus, ac triginta centurionibus, signis autem militaribus duobus ac triginta captis: *Pompejus eo prælio* Imperator *est appellatus: hoc nomen obtinuit, atque ita se postea salutari passus est.* Id veluti ambitiosius præter morem factum Cæsar *lib.* III. *bel. civ. cap.* 61. memorare voluit. *Augustus* cum plures victorias obtinuisset, pluries etiam imperatoris nomen iteravit, dum adhuc esset Triumvir, quod itidem fecit *Antonius*, uti ex utriusque Triumviri nummis colligitur. Illum tamen pluries iteratum titulum idem *Augustus* etiam post triumphos A. V. 725. demum peractos, retinuit, ac postea toties multiplicavit, ut eidem *nomen Imperatoris semel atque vicies partum* Tacitus testetur *lib.* I. *Annal.* At in inscriptione *Ariminensi* uno aut altero ante obitum mense eidem dicata, inscribitur IMP. XX. ex quo patet rectius fortassis Dionem scripsisse, Augustum *vicies nomen imperatoris tulisse.* Nam in laudata inscriptione, quam adduxi *cap.* 13. Augustus dicitur TRIBUNIC. POTEST. XXXVII. cujus die 54. Augustus obiit, cum legiones in *Germania*, ubi tantum id temporis hostes erant, *in castris æstivis* degerent, nec ulla fieret militaris expeditio, ut plane non appareat, ob quam victoriam *Augustus* sub exitum vitæ Imperator fuerit salutatus. Vidi hic *Florentiæ* tres nummos apud *Apollonium Bassettum* rei antiquariæ studiosissimum ac Serenissimo Magno *Etruriæ* Duci à secretis, cum epigraphe: IMP. CAESAR DIVI F. AUGUSTUS IMP. XX. & in postica: PONTIF. MAXIM. TRIBUN. POT. XXX. quam gerebat A. V. 765. usque ad diem 27. Junii. Verum cum in nummo apud *Goltzium pag.* 17. inscribatur: IMP. XXI. rem in medio relinquo. Interim compertum est *Augustum* A. V. 748. appellatum in publicis monumentis Imperatorem XIII. Extat Gruteri *pag.* 226. ex Plinio *lib.* III. *cap.* 20. elogium *Augusto* in trophæo Alpium dicatum, cujus partem tantum exscribo.

IMP. CAESARI. DIVI. AVGVSTI. F
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBVNIC. POTEST. XVII
S. P. Q. R.

Augustus A. V. 748. V. Kal. Julias potestatem Tribuniciam XVII. explebat, ac id temporis Imperator XIV. dicebatur; neque eam appellationem multiplicavit, nisi A. V. 759. Extat *pag.* 16. *Goltzii* inter Augusteos nummus cum epigraphe: AUGUST. PONT. MAX. TR. POT. XXI. COS. XIII. IMP. XIV. Idem A. 752. gerebat consulatum XIII. ac Trib. Pot. XXI. ab ante diem V. Kal. Julias. Gruterus *pag.* 1082. hoc epigramma recitat.

IMP. CAESARE. DIVI. F. AVGVSTO
PONT. MAX. TRIB. POTEST. XXVIIII
COS. XIII. P. P. IMP. XV

339 Anno V. 759. die 27. Junii potestatem Tribuniciam XXIX. auspicabatur. Dio *lib.* LV. ad eundem annum ait Tiberium ad *Albim* usque victore exercitu *Germaniam* peragrasse, nihil tamen memorabile actum, *quamvis de Germanis Imperatoris nomen non Augustus modo, sed Tiberius etiam acceperit.* Ex Vellejo tamen *lib.* II. *Tiberii* ad *Albim* usque expeditio anno superiori 758. contigit, ac proinde eodem anno *Augustus* Imp. XV. dictus fuit. Hinc patet neque *Cajo*, neque *Augusto* nomen Imperatoris partum; quamvis ille rem publicam feliciter ac fortiter administrasset, *devicteis aut in fidem receptis bellicosissimis ac maxsimis gentibus*, ut in ejusdem *Pisano* cenotaphio legimus. *Augustus* Imperatoris titulum, quo in prænomen mutato supremus ejusdem principatus signabatur, uti victoriæ insigne cognomenti loco ceteris haud facile concedebat; præsertim cum loco triumphi, ornamenta tantum triumphalia, novo more ab ipso primum inducto, ducibus, seu legatis concederet. Cum *M. Crassus Thraces, Mysios*, ac *Bastarnas* superasset, horum etiam rege suamet manu interfecto, *neque tamen Imperatoris nomen Crassus accepit, sed solus Cæsar*, ex Dione *lib.* LI. ad A. V. 725. Idem *lib.* LIV. ad A. V. 743. describit victorias in *Germania* à *Druso*, & ab ejusdem fratre *Tiberio* in *Pannonia* reportatas, addens: *Nomen autem imperatoris, etsi sicut Tiberius etiam, à militibus Imperator fuerat dictus, ac uterque re bene gesta, id abunde meruerat, nondum ab Augusto datum est.* Hinc factum puto, ut milites *Augusti* mentis probe conscii, capta *Armenia*, ac bellicosissimis gentibus aut armis devictis, aut in deditionem acceptis, *Cajum Cæsarem* neutiquam Imperatorem salutarint, quod adhuc adolescens tanto nomini immaturus videretur, nec illud Princeps post primas statim victorias deferri permitteret, neque delatum legatis, ipse postea ratum haberet. *Tiberio* anno demum V. 746. *Imperatoris nomen decretum* testatur Dio *lib.* LV. quamquam A. V. 734. *Armeniam* receperit, ac *Tigrani* novo regi diadema imposuerit. Vellejus *lib.* II. *de Tiberio* scribit: *Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta, & ex rege ei præposito, cujus capiti insigne regium sua manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, ovans triumphare debuerit?* Hæc ille gessit A. V. 734. ex Dione *libro* LIV. & Strabone *lib.* XVII. Nec *Augustus* ob *Armeniam* receptam, Imperatoris titulum multiplicavit. Extant ejusdem nummi inscripti: CAESAR DIVI F. ARMEN. RECEP. IMP. VII. Verum ante annos novem eidem dicatum fuerat elogium Gruteri *pag.* 226. 5.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. IVLI. F. COS. QVINCT.
COS. DESIGN. SEX. IMP. SEPT
RE. PVBLICA. CONSERVATA

A *Augustus* A. V. 725. quintum consulatum gessit,
ac in annum insequentem consul VI. designatus
fuit, quo tempore Imperator VII. dicebatur,
quem titulum recepta post novennium *Armenia*,
non multiplicavit. Ille vero anno eodem V. C.
725. ob victorias *M. Crassi*, uti ex *Dione* prosi
me notavi, Imperator VII. dictus fuerat. Hoc
igitur exemplo præeunte, cum *Cajus Cæsar Ar-*
meniam iterum recepit, nec ipse, neque Augu-
stus *imperatoris* nomen retulerunt.

Interea *Caji Cæsaris* victoriam, communemque
P. R. ob recuperatam *Armeniam*, lætitiam im-
provisum infortunium funestavit. *Artagera*,
B quæ post *Artaxatam*, & *Arxatam*, urbs *Arme-*
niæ præcipua habebatur, *Addus* præfectus ad re-
bellionem sollicitavit, ac cives, quod ægre fer-
rent *Tigranis* magni stirpe à regni possessione de-
turbata, *Medum* hominem à *Romanis* regem im-
positum, palam ab *Ariobarzane* defecerunt. *Ca-*
jus Cæsar Artageræ rebellione intellecta, legiones
contra eandem propere ducens, urbem obsidio
cinxit. *Addus*, cum videret *Romanos* sub oculos
Caji oppugnationem impigre urgere, in animum
induxit ipsum *Cæsarem* per dolum occidere, spe-
rans fore, ut *Romani* amisso duce, collectis sta-
tim vasis, ab obsidione discederent. Rem non
C uno modo auctores narrant; quare sub ipsorum
verbis eventum recitabo. *Velleji* sane testimo-
nium, qui præsens tribunus militum aderat, pri-
mo mihi loco recitandum est. Hæc ille de *Cajo Cæ-*
sare scribit *lib.* II. *cap.* 102. *Armeniam deinde in-*
gressus, prima parte introitus prospere gessit; mox
in colloquium, cui se temere crediderat, circa Arta-
geram graviter à quodam, nomine Adduo, vulne-
ratus, ex eo ut corpus minus habile, ita animum mi-
nus utilem Reipublicæ habere cœpit. Dio in excer-
ptis à Zonara ait: *Addus qui Artageram tenebat,*
eum ad mœnia pellectum, tanquam arcani aliquid
dicturus, vulneravit, ac is quidem urbe expugnata,
D *captus est.* *Strabo*, qui id temporis vivebat, hæc
tantum scribit *lib.* XI. *pag.* 364. *Artageras ad de-*
fectionem perduxit Ador, oppidi præfectus, Cæsaris
autem duces diuturna oppugnatione id ceperunt, mu-
rosque dejecerunt. At Florus *lib.* IV. *cap. ult.* scri-
bit: *Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, si-*
mulata proditione, adortus virum intentum libello,
quem ut thesaurorum rationes continentem, ipse por-
rexerat, stricto ferro cruentat vulnere in tempore.
Ceterum barbarus undique infesto exercitu oppressus,
gladio & pyra, in quam se percussus, immisit, su-
perstiti etiamnum Cæsari satisfecit. Rufus in Bre-
viario rem partem ex Floro exscribens, ait: *Clau-*
E *dius Cæsar nepos Augusti cum exercitu missus ad O-*
rientem, cum per majestatem Romani nominis facile
cuncta sedasset, atque ei se Armenii, qui tunc tem-
poris validiores erant, cum Parthis dedidissent, ju-
dicesque instituto Pompeji prædictis gentibus Claudius
Cæsar præficeret, Domnes quidam, quem Parthis
Arsaces præposuerat, proditione simulata, libellum,
in quo scripti thesauri continerentur, obtulit, quem
cum Imperator Romanus legeret intentius, ultro ad-
gressus, gladio vulneravit. Hæc vetusti Scripto-
res. *Florus* perperam *Cajum* apud *Artaxatas* vul-
neratum dicit, id enim contigit apud *Artageram*,
Vellejo ac *Strabone* auctoribus. *Rufus* vero *Clau-*
F *dium* falso nominat, cum *Cajum* scribere debuis-
set; rursus errat cum ait *Parthos* se *Cæsari* dedi-
disse: etenim ante annum pacem cum *Cajo* fece-
rant, ea tantum conditione, ut ex *Armenia* præ-
sidia revocarent. Præterea tum *Florus* tum *Ru-*
fus Domnem vocant, quem memorati scriptores id
temporis viventes, *Addum* seu *Adorem* nuncupa-
runt; nec illum *Parthis Arsaces*, sed *Armeniis*
novus rex *Ariobarzanes* præposuerat; siquidem
Strabo ait: *Artageras ad defectionem Ador oppidi*
præfe-

præfectus perduxit. Itaque recens à novo rege defecerat oppidum, auctore præfecto. Si vero *Addus* post expugnatam urbem, captus est, uti *Dio* scribit, *Cajus* prope mœnia in colloquium venit,
341 ac missili ictus fuit, non autem gladio, cum porrectum à barbaro libellum legeret. In *Caji* cenotaphio *Pisano* legitur: IPSUM VOLNERIBUS *pro re publica* ACCEPTIS, *ex eo casu crudelibus fatis ereptum.* Seneca *cap.* 34. de consolatione ad Polybium hæc Claudium Imperatorem loquentem inducit: *Cajus Cæsar Divi avunculi mei nepos circa primos juventutis suæ annos, Lucium fratrem carissimum sibi, princeps juventutis principem juventutis amisit, in apparatu Parthici belli; & graviore multò animi vulnere, quam postea corporis, ictus est: quod utrumque idem piissime & fortissime tulit.* Num *Cajus* acceptum vulnus *fortissime* tulerit, nescio; nec enim fidem facit *Seneca* eo in libro, in quo maximum liberti *Claudii* adulatorem agit. Interim *Cajum* hoc anno V. C. 756. apud *Artageram* vulnus accepisse ex iisdem *Senecæ* verbis manifeste colligitur, quod & antea mihi prænotatum. Nam cum ex tabula *Pisana Lucius* obierit circa 21. diem Augusti anno Urbis 755. *Cajus* qui in Oriente degebat, nuntium mortis *Lucii* non accepit nisi circa Octobrem *in apparatu Parthici belli.* Igitur nondum *Armeniam* tenebat, neque adulto autumno, contra eandem movisset, aut munitissimam urbem, quæ nisi *diuturna obsidione*, teste *Strabone*, expugnari potuit, aggressus fuisset, cum in *Armenia* citius hiems incipiat. Hinc constat *Artageræ* obsidionem, ac vulnus *Caji Cæsaris* referenda esse in A. V. 756.

Ceterum cum *Cajus* ex vulnere in pessimam valetudinem incidisset, *Augustus* ejusdem discrimine intellecto, illum per literas hortatus est, ut *Romam* reverteretur, quo facilius in patria amissam valetudinem recuperaret. At *Cajus* rescripsit, à re quidem publica se dimissionem petere, malle tamen quicquid sibi vitæ reliquum fata permitterent, procul ab urbanis tumultibus, in *Asia* peragere. Vellejus loco laudato scribit: *Nec defuit conversatio hominum vitia ejus assentatione alentium; etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio: per quæ eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo Orbis angulo consenescere, quam Romam regredi, mallet.* Dio vero apud Zonaram similiter Vellejo idem narrans ait: *Cajus autem & jam alioqui parum firma valetudine, & multo dissolutiore ingenio, ex vulnere ægrotavit: & multo hebetior factus, postulavit, ut privatam sibi vitam agere liceret. Id Augustus ægerrime ferens, eum hortatus est, ut in Italiam reversus, quod vellet, ageret.* Interea qui *Cajo* aderant, eodem ut plurimum decumbente, ac publica officia declinante, res suas privatas strenue promovebant, omnia venum exhibentes, ut aula *Caji* totius jam Orientis spoliis, inscio *Cæsare*, oppleretur. Harpyarum agmen ducebat ipsius *Caji* pædagogus, cujus ac sociorum quamvis lateant nomina, pœnas tamen, quas postea *Romæ* dederunt, *Suetonius* publicavit in Augusto *cap.* 68. *Pædagogum*, inquit, *ministrosque Caji filii, per occasionem valetudinis, mortisque ejus superbe avareque in provinciam grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus, præcipitavit in flumen.* Ita insatiata auri sitis toto tandem *Tybere* extincta. *Augustus* acerbe quidem *Caji Cæsaris* casum tulerat, sed gravius eundem turbabat captum *Cajo* consilium in *Asia* commorandi. Itaque eidem iterato rescripsit, neutiquam sibi molestum esse studium privati otii, quod ipse toties à populo *Romano* postulatum, nunquam impetrarat; satius tamen esse *Augusti* filium in *Italia* degere, quam in *Armenia* remotissimo Orbis angulo veluti exulem delitescere. *Cajus* vero, inquit Vellejus, *diu reluctatus, invitusque revertens in Italiam, in urbe Lyciæ (Limyram nominant) morbo obiit.* Dio apud Zonaram: *Cajus navi oneraria in Lyciam advectus, obiit.* Tacitus *lib.* 1. 342
Annal. Cajum remeantem Armenia, & vulnere invalidum, mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abstulit. Suetonius in Augusto *cap.* 65. *Cajum & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos; Cajo in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis.* Seneca pater *Cajum* perperam in *Syria* defunctum scribit in *proœmio controver.* 4. nam *Vellejus* ipsam urbem *Limyram*, in qua *Cæsar* acerbo fato sublatus est, nominavit. Urbis situm in *Lycia* describit. Strabo *lib.* XIV. *pagina* 458. *Sequuntur*, inquit, *ostia Limyri amnis, & si terra stadia viginti ab his ascenderis, Limyra oppidum.* Ovidius *libro* IX. *Met.* V. 646.

—— *Lyciamque pererrat;*
Jam Cragon, & Limyram, Xanthique reliquerat undas.

Cragon mons est *Lyciæ* cum urbe cognomine. In subscriptionibus Synodi *Calchedonensis* legitur nomen *Stephani Limyrensium* Episcopi. Ubi tamen in subscriptionibus Latinis perperam additur *Limyræ civitatis Lydiæ*, ubi *Lyciæ* reponendum. Epistolam vero Synodicam provinciæ *Lyciæ* ad *Leonem* Imperatorem *tom.* 4. *Concil. edit. Labbei pag.* 940. cum collegis subscribit *Stephanus Episcopus Limyrenus.* Et in Synodo II. *Constantinopolitana* adfuit inter *Lycios* Episcopos *Lupicinus Limyrensis.* Hunc vitæ exitum habuit *Cajus Cæsar* annum agens tertium supra vigesimum, & ut in *Pisano* ejusdem cenotaphio legimus, *ex volneribus pro re publica exceptis, ex eo casu crudelibus fatis ereptus, Populo Romano jam designatus justissumus ac simillumus Parentis sui virtutibus Princeps.* Gentiles in morte suorum fata crudelia incusabant. Virgilius 4. *Georg.* 494.

—— *en iterum crudelia retro*
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.

In antiquo epitaphio Gruteri *pag.* 607. 4.

Si pensare animas sinerent crudelia fata.

Dies qua *Cajus Cæsar* decessit, ex *Pisana* tantum inscriptione intelligitur; ibi enim coloniæ Decuriones jubent: *Diem eum, quo die Cajus Cæsar obit*, QUI DIES EST A. D. VIIII. K. MARTIAS, *pro Alliensi lugubrem memoriæ prodi.* Illas literas A. D. *Rhenanus* in notis *Livianis* non intellexit. Nam cum in *lib.* VII. *dec.* 3. legeret de die ludorum Apollinarium: *Itaque ipse primus ita vovit, fecitque A. D. III. Nonas Quinctiles*, scribit in vetusto codice legi: *Ante diem III. Nonas Quinctiles*, sed plane reponendum esse: *Ad tertium Nonas*, nullo puncto A & D abs se separatis. Sed optime *Sigonius* nulla opus correctione monstravit. Nam ea loquendi formula doctiores quique olim usi sunt. *Cicero* in prima *Catilinaria* ait: *Meministine me ante diem XII. Kal. Novembris dicere in Senatu certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VIII. Kal. Novembris, C. Manlium &c.* Et postea: *In ante diem V. Kal. Novembris.* Sallustius in *Catilinaria* scribit *C. Manlium* arma cepisse *ante diem VI. Kal. Novembris.* Cæsar *lib.* 1. *de bello Gallico cap.* 6. *Is*, inquit, *dies erat ante diem V. Kal. Aprilis.* Et quidem dum *Cicero* ait: *In ante diem V. Kal.* nullo pacto correctio *Rhenani* admitti potest, nempe *in ad diem V. Kal.* quod itidem patet ex altera præpositione præposita apud Gruterum *pag.* 298. in fastis Colotiani fragmenti, ubi dies initi Triumviratus ita signatur: EX. A. D. V. K. DEC. *Ex ante diem V. Kalendas Decembris*; & apud Ciceronem *lib.* III. *ad Atticum epist.* 17. *ex ante diem Non. Jun. usque ad pri-*

343 *die Kal. Septembris.* Extant vetustæ inscriptio-
nes eadem chronologica formula obsignatæ. Nam
pag. 328. legitur: *C. Silano C. Furnio Cos.* A. D.
XIII. K. MART. *Pag.* 120. 5. A. D. XIIII.
K. JUN. *Pag.* 563. A. D. XI. K. JUN. Ita-
que recte in *Cajano* cenotaphio bis scalptum fuit:
A. D. VIIII. *K. Martias*: *Ante diem nonum Kal.
Martias.* Porro observavi viros eruditos eam di-
dicendi formulam non intellexisse. Nam putant
notam illam temporis *ante* idem ac pridie diei si-
gnatæ significare, ac perinde esse scribere: *decimo
Kal. Martias*, ac *ante diem VIIII. Kal. Martias.*
Plutarchus in *Romulo* scribit *Romam* conditam τῇ
πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Μαΐων. Lappus vertit: *ad
duodecimum Kal. Maji*, cum tamen Latine red-
dendum fuisset: *ante undecimum Kalendas Majas.*
Ricciolius *lib.* IV. Chronologiæ *tomi prioris cap.*
2. *num.* 19. recitatis verbis Plutarchi, ait: *Dixit
autem* ante undecimum Kal. Majas, *fortasse quod
festum illud à vespera antecedenti inchoabatur.* Fa-
teor me risisse hasce primas Vesperas festivas apud
Romanos. Et plane mirum videtur virum, qui
chronologiæ *Reformatæ* titulum suo volumini præ-
fixit; rem apud Chronologos passim memoratam,
ignorasse. Idem autem est dicere: *Ante diem XI.
Kal.* ac *XI. Kal.* vel *ad XI. Kalendas.* Et sane hic
designandi temporis character seu formula in Græ-
cis monumentis passim occurrit. Actio I. Syno-
di Ephesinæ dicitur celebrata πρὸ δέκα καλανδῶν
Ἰουλίων. Recte vertit antiquus interpres: *Decimo
Kalendas Julii.* Item Actio prior Synodi *Calche-
donensis* scribitur habita τῇ πρὸ ὀκτὼ ἰδῶν Ὀκτω-
βρίων. Reddit optime interpres: *Sub die octavo
Idus Octobris.* In Græcis etiam saxis antiquitus
inscriptis Gruteri *pag.* 316. 1. legitur: ΠΡΟ. ΙΖ.
ΚΑΛ. ΙΟΥΝ. *Ante XVII. Kal. Junias.* Et *pag.*
499. 12. ΠΡΟ Γ. ΝΩΝΩΝ ΜΑΙΩΝ. Ante ter-
tium Nonas Maji. Sed ex Latinis aurei sæculi
Scriptoribus id ipsum ostendo. *Cicero* A. V.
710. die 20. Decembris orationem in Senatu ha-
buit, qua eundem ad pristinam libertatem recu-
perandam hortatus est, cum post occisum *Cæsa-
rem*, *M. Antonius* obsesso *D. Bruto* intra *Muti-
nam*, tyrannidem affectare videretur. Hanc ve-
ro diem *Cicero* non minus quam Nonas illas suas
Decembris, semper in ore habuit, ac passim in
orationibus postea habitis, & in epistolis ad Pro-
consules scriptis, vir suarum rerum jactantissi-
mus, celebravit. Itaque initio Philippicæ sex-
tæ ait: *Causa fortissimis optimisque consulibus Ka-
lendis Januariis de Republica primum referendi fuit,
ex eo quod decimo tertio Kal. Januarias Senatus, me
auctore, decrevit. Eo die primum, Quirites, fun-
damenta jacta sunt Reipublicæ.* Eandem diem 20.
Decembris aliter exprimit aliis in locis, nempe:
Ad XIII. Kal. Januarias. In *Lib.* X. *fam epist.*
28. ad *C. Trebonium* Proconsulem *Asiæ* (quam ta-
men epistolam non accepit, occisus à Dolabella)
scribit: *Cum Senatum ad XIII. Kal. Jan. Tribu-
ni plebis vocavissent &c. Hic dies, meaque conten-
tio, atque actio spem primum populo Romano attulit
libertatis recuperandæ.* Ita scribit: *ad XIII. Kal.
Jan. lib.* XI. *epist.* 6. ad D. Brutum, & *libro* XII.
epist. 22. Q. Cornificium, & *epist.* 25. ad eun-
dem: *Ego, mi Cornifici, quo die primum in spem
libertatis ingressus sum, & cunctantibus ceteris, ad
XIII. Kal. Jan. fundamenta Reip. jeci.* Ita etiam
loquitur in fine Philip. X. At in Philippica XIV.
eandem diem aliter designans ait: *Memoria tenent
me ante diem XIII. Kal. Jan. principem revocandæ
libertatis fuisse.* Et Philippica V. ait: *Ante diem
XIII. Kal. Jan. decretis vestris eum concidistis. con-
stituistis, ut hæc ad vos Kal. Januariis referrentur,
quæ referri videtis.* Hanc vero Philippicam V.
Cicero ipsis Kalendis Januariis *Hirtio* & *Pansa*

A Coss. A. V. 711. à parilibus, recitavit, ut ex ini-
tio ejusdem patet. Porro ibidem ait: *Recorda-
mini qui dies nudius tertius decimus fuerit &c.* Re-
vocat in memoriam P. C. quæ die 20. Decembris
contra *M. Antonium* decreverant. Ex his aper-
te colligitur pro eadem die designanda *Ciceronem*
dixisse *XIII. Kal.* & *ad XIII. Kal.* ac denique *an-
te diem XIII. Kal. Januarias.* Alciatus *ad. L.*
132. *D. de verb. signif.* cum in Philippica V. le-
gisset: *Ante diem XIIII. Kal. Januarii*, ac po-
stea ex laudatis aliis locis ejusdem *Ciceronis* intel-
lexisset eundem diem esse XIII. Kal. Januarii,
scribit *ante diem decimum Kalendas*, idem esse ac *no-
B no Kalendas*, cui etiam opinioni *Budæus* adhæsit.
Et sane in septem codicibus Mediceis in memora-
rata Philippica quinta legitur: *Ante diem XIIII.
Kalendas Januarii.* Verum ibidem legendum es-
se *ante diem XIII.* ex correctiori codice eruditi
observarunt, quos inter *Paullus Manutius* in no-
tis ad *epist.* 8. *lib.* VIII. *familiarium.* Ibi vero
alium locum indicat, ex quo idem loquendi mo-
dus, auctore *Cicerone*, clarissime explicatur. Ci-
cero *epist.* 5. *lib.* XVI. hæc ad Tironem scribit:
*Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi literas ante de-
deramus, unum diem commorati sumus, quod Quin-
tus nos consecutus non erat, is dies fuit Nonis No-
C vembris. Inde ante lucem proficiscentes, ante diem
octavum Idus Novembris has literas dedimus.* Hic
plane evanescunt primæ vesperæ *Ricciolii.* Nam
Cicero *Nonis Novembris*, id est, die quinta apud
Alyziam degit; inde ante lucem proficiscens *ante
VIII. Idus*, id est, die sexta insequenti, eas lite-
ras *Tironi* scripsit. Itaque idem est dicere *ante
VIII. Idus*, ac *octavo Idus.* Idem ostendi posset
ex *epist.* 9. eidem *Tironi* scripta, si novissima cla-
rissimi *Grævii* lectio reciperetur, ubi scribit: *Id
erat A. D. VII. Kal. Decembris* &c. sed quod ce-
teri legunt: *Ad VII. Kal.* illud testimonium o-
mitto. Suetonius in *Claudio cap.* 45. de eodem
D scribit: *Excessit tertio Idus Octobris.* At Seneca
in ludo in morte ejusdem: *Ante*, inquit, *tertium
Eidus Octobris.* Tacitus vero narrans quæ post il-
lius Principis obitum statim contigere, ait: *Tunc
medio diei, tertio ante Idus Octobris, foribus pala-
tii repente diductis, comitante Burrho, Nero egre-
ditur ad cohortem.* Itaque apud Latinos scriptores
idem dies significatur diversis hisce scribendi for-
mulis: *Tertio Idus: Ante tertium Idus: tertium
ante Idus.* Censorinus in aureo libello *de die Na-
tali cap.* 8. edition. *Aldi*, de annis Nabonassari ait:
*Sed horum initia semper à die prima mensis ejus su-
mitur, cui apud Ægyptios nomen est Θώθ; quique
E hoc anno fuit ante diem VII. Kalendas Julias, cum
abhinc annos centum Pio & Bruttio Præsente Coss.
iidem dies fuerint ante diem XII.* (lege XIII.) *Ka-
lendas Augusti.* Hæc Censorinus scribebat *Ulpio*
& *Pontiano* Coss. A. V. 991. ut ibidem ipsemet
testatur. Quo sane anno die 25. Junii incipiebat
annus *Nabonassari* 986. uti recte post Scaligerum
lib. III. *doctr. temp.* docuerunt Petavius *lib.* IX. *doctr.
temp.* Bucherius *pag.* 233. *in canones Victorii*, alii-
que Chronologi. Ricciolius *par.* I. *Chronol. lib.* V.
cap. 5. *num.* 2. in eodem luto hærens, priorem lo-
cum Censorini corrigendum dicit, nempe legen-
F do: *ante diem VI. Kal. Julias*, ut initium Thoth
cadat eo anno in meridiem diei 25. Junii; alte-
rum vero locum nulla emendatione indigere pu-
tat, ac proinde recte scriptum: *ante XII. Kal.
Augusti*, nempe die 20. Julii. Livius *lib.* XXVII.
cap. 25. scribit ludos Apollinares stato die primum
factos *ante diem III. Idus Quintiles; is dies deinde
solemnis servatus.* At in veteri Kalendario à
Lambecio V. C. integro publicato in Julio men-
se legitur: *III. Idus, Apollinares.* Gellius *lib.* XV.
cap. 22. ait: *Ante diem tertium Nonas Januarii M.*
Cicero

Cicero natus est. Cicero autem natum se scribit *tertio Nonas Januarias lib.* VII. *ad Atticum epist.* 5. & *lib.* XIII. *epist.* 41.

Paullus J. C. *D. de verb. significat. L. Anniculus* 132. uti legunt Alciatus *in commentariis* ad eandem legem, & *Rebuffus*, aliique post Vallam *libro* IV. *Elegantiarum cap.* 80. ait: *Anniculus amittitur qui extremo anni die moritur. Et consuetudo loquendi id ita esse declarat:* Ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum, *utroque sermone undecima dies significatur.* Hoc doctissimi Juris Consulti testimonio improbata *Ricciolii* interpretatio confirmari nonnullis fortè videbitur. Et sane *Paullus* Episcopus *Fori Sempronii* in erudito opere de canone Paschali, laudatis verbis *Paulli* probat ante diem decimum Kalendarum undecimum ante easdem Kalendas diem designare. Mirum quam difficilis memoratus textus Juris consultis visus fuerit. Accursius *malam literam* vocat. *Budeus* ait *Paullum* ea scribendi formula Lectores potius morari, quam eosdem docere voluisse. Antonius Augustinus *libro* IV. *Emendat.* scribit mendose verba *Paulli* exscripta. *Nos*, inquit, *ita scriptum Florentiæ vidimus: Neutro enim sermone undecim dies significantur.* Nempe autographum Pandectarum *Florentiæ* summa religione custoditum, consuluit. Verum quamvis sensum autographi exhibuerit, ipsissima tamen verba neutiquam reddidit. Cum nuper *Theodorus Gronovius Joannis Friderici* filius, ac *Jacobi* frater, *Florentiam* advenisset, ac Serenissimo COSMO III. quod ceperat, consilium aperuisset, edita Pandectarum volumina cum autographo, quod inter Palatii cimelia servatur, conferendi; tum Magnus Dux, quo celeberrimorum codicum nitor quam maxime promoveretur, haud religioni duxit bina illa volumina ad faces olim & quidem rarissime, ut nonnulli ab eorundem lectione exclusi, objecerunt, ostensa, eidem *Gronovio* lustranda permittere. Itaque una cum ipso hæc in altero Pandectarum codice verba observavi: *Ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum; neque utro enim sermone undecim dies significantur.* Ex hac autem germana lectione textus *Ricciolii* opinio iterum refellitur, unaque rejiciuntur *Alciati*, *Rebuffi* aliorumque interpretationes, quas ex corrupto loco *Paulli* inani opera commenti sunt. Et sane *Rebuffum* in opinione *Ricciolii* fuisse patet, quod cum dixisset quosdam ita textum *Paulli* legere: *Neutro enim sermone undecimus dies significatur*, statim ait: *Quæ si ita legerentur, falsum diceret textus quod ante diem decimum non significetur undecimus; quamobrem rejiciendus est hic intellectus ultra columnas Herculis, ut qui nullum habeat sensum vel veritatem.* Ridere libeat, quamvis tam procul distent, ad hasce *Rebuffi* columnas *Herculis*. Etenim illa verborum *Paulli* recitatio optimum sensum habet, & verissima est, quamvis non iisdem Juris Consulti verbis expressa. Idem enim *lib.* 134. *D. de verb. significat.* ait: *Anniculus non statim ut natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur, incipiente plane, non exacto die.* Itaque qui inchoato extremo anni die moritur, ut inquit *lib.* 132. *Anniculus amittitur*, quod probat argumento à vulgata loquendi consuetudine ducto, qua dicentes *ante diem decimum Kalendarum*, ipsum diem termini, nempe primas sequentes Kalendas computamus, non autem diem undecimum qui Kalendas sequitur, nempe diem secundum mensis. Quare inquit J. C. etiam anniculum amit-
346 ti, qui ipso die CCC. sexagesimo quinto *incipiente plane, non exacto* amittitur; neque necesse est amitti die primo anni insequentis. Itaque constat, auctore celeberrimo juris Consulto, ea vulgata dicendi formula: *Ante diem decimum Kalen-*

A *darum*, non significari undecim dies, sed tantum decem, ipsis Kalendis computatis.

Hoc etiam loquendi modo veteres Patres locutos video. S. Innocentius Papa in *epist.* XI. *ad Aurelium Primatem Africæ* scribit: *Nam cum ante diem undecimum Kalendarum Aprilium pene Luna XVI. colligatur (nam quodpiam minus est) itemque cum in ante diem quartum Kalendarum earundem veniat XXIII. existimavi XI. Kalendarum memoratarum die, festa Paschalia celebranda.* His plane characteribus designatur Pascha anni epochæ vulgaris 414. celebratum XI. Kal. Aprilis, B Cyclo Solis III. Lunæ XVI. lit. D. Luna Alexandrinis XVI. itemque Victorio in canone Paschali, uti erudite docet *Bucherius* in eundem canonem *cap.* 5. & 7. Quod quidem Pascha die 22. Martii celebratum, dicitur ab Innocentio peragendum *ante diem XI. Kalendarum Aprilium.* Lactantius in *lib.* IV. *Institut. cap.* 10. scribit Christum Dominum passum fuisse *ante diem decimum Kal. Aprilis*; idem vero in lib. de morte persecutorum quem *Stephanus Baluzius* diligentissimus æque ac eruditissimus Ecclesiasticæ antiquitatis restaurator nuper publicavit, *cap.* 2. ait: *à Judæis cruciatus est post decimum diem Kalend. Aprilis.* Nullam ve- C ro in Lactantio antilogiam esse tradit vir insignis in notis ad idem caput 2. *Idem, enim* inquit, *valet* post diem *ac* ante diem, *ut monet Paulus in L. Anniculus.* Verum doctissimi Interpretes secus *Paulli* textum intelligunt. Antonius Augustinus *lib.* IV. *Emendat.* ad laudatam legem *Paulli* ait: *Ante diem tertium Nonas, & tertio Nonas, & die tertio post Kalendas idem esse deprehenditur.* Hæc Cujacii verba in Adversariis olim notavi: *Post diem X. Kalend. significatur dies decima post Kalendas, ut ipsæ Kalendæ computentur. Ergo post diem X. Kalend. Januarii id est IIII. Idus Januarii.* Recte notat P. Manutius in *epist.* 12. *lib.* III. *familiarium Tullii ante diem tertium Nonas*, ve- D teres Latinos dixisse, id est, *tertio die ante Nonas*; nam cum dicitur *tertio Nonas*, concisa locutio est; subintelligitur enim *die ante*; siquidem præpositio tacita Kalendas in quarto casu regit. Quare *post decimum diem Kalend. Aprilis*, idem est ac *decimo die post Kalendas Aprilis. Plutarchus* scribit *Ciceronem* natum ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων Καλανδῶν. Achilles Bochius vertit: *Tertio Kalendas Januarii*, quod perperam dici olim eruditis adnotatum. Fabricius in vita Ciceronis recte ait: *Tertio die Kalendarum novarum natum Ciceronem, sive post tertium diem Kalendarum Januarii, quo genere loquen-* E *di non quartus, sed tertius dies Januarii significatur &c.* Cœlius *lib.* VIII. *famil. epist.* 7. scribit *Ciceroni Pompejum* dixisse: *se ante Kal. Martias non posse sine injuria de provinciis Cæsaris statuere; post Kalendas Martias se non dubitaturum.* Illa particula, *post*, dies Kalendas Martii insequentes designat, sed indeterminate; adde numerum certum *post decimum Kal. Martias*, decimam Martii diem significabis; etenim *dies decima* tum ante, tum post Kalendas esse potest; at præpositio temporis *post* decimæ diei præposita, eandem ad propriæ significationis modum determinabit, ut non decima ante Kalendas, seu decima post Kalendas F denotetur. Neque *Paullus* memoratæ doctissimi *Baluzii* opinioni suffragatur. Nam scribit, neutra loquendi formula *ante diem decimum Kalend.* & *post diem decimum Kalend.* diem undecimam signi- 347
ficari, sed decimam, non quidem ejusdem mensis, sed tum decimam diem ante, id est, præcedentem Kalendas, tum decimam post, nempe posteriorem Kalendis. Hinc *Cajus* J. C. eodem D. *libro L.* 233. ait: *Post Kalendas Januarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur*; nempe III. Nonas Januarias. Hinc apparet alium plane men-

mensem significari hisce loquendi phrasibus: *Ante decimum Kal. Aprilis:* ac *post decimum Kal. Aprilis*; priori enim modo dicendi designatur dies 23. Martii; altero vero dies posterior decimo Kal. Aprilis. Quare *Lactantii* verborum formula neminem veterum *Latinorum* auctorem habet, ac doctissimis recentioribus improbatur. Scio Astronomos diem à meridie præcedentis ad meridiem insequentis diei numerare. Hinc dies 23. Martii post meridiem ipsis dicitur *post diem decimum Kalendas Aprilis.* Lactantius ut designaret tempus diei, qua passus est Dominus, videlicet post meridiem diei 23. Martii, scripsit juxta modum loquendi Astronomorum. Hæc tamen non quidem eruditissimo *Baluzio* opposita, sed proposita, ac ejusdem censuræ supposita velim.

Ex hucusque disputatis verba illa *Cajani* Cenotaphii A. D. VIIII. K. MARTIAS optime intelliguntur, nempe designare: *Ante diem IX. Kalendas Martias*, seu *Nono Kalendas Martias*, videlicet diem XXI. Februarii, qua *Cajus Cæsar* excessit. Scaliger *libro* II. *emendat. temp.* agens de anno veteri Romanorum pagina 166. ait: *Locutio autem illa* ANTE DIEM *comprehendit etiam tempus proximum ante ortum, imo à media nocte ad ortum.* Etenim *Romani* diem à media nocte ad proxime insequentem mediam noctem numerabant, uti notant Censorinus *capite* x. *de die Natali* & Macrobius *libro* 1. *Satur. cap.* 3. Hinc *Scaliger* putat ea phrasi *ante diem* proprie significari tempus diei inchoati à media nocte ad ortum Solis, quod *Ausonii* testimonio confirmat ad *Paulinum* scribentis: *Jam prima nox erat ante diem nonum decimum Kalend. Januariarum, cum redditæ mihi sunt literæ tuæ oppido quam literatæ.* Hæc tamen nihil probant; siquidem etiamsi ille *Paulini* literas accepisset prima vel secunda vigilia, recte dixisset eas se literas accepisse nocte ante diem XIX. Kalendarum. Et sane *Scaliger* eam opinionem ex pluribus *Ciceronis* locis deducere poterat, quorum nonnulla laudabo. In *lib.* IV. *ad Atticum epist.* 3. ait: *Ante diem XII. Kalend. Decembris Milo media nocte cum magna manu in campum venit:* Et postea: *Ante diem VIII. Kalendas hæc ego scribebam, hora noctis nona.* Ibidem initio epist. 4. *Perjucundus mihi Cincius fuit ante diem tertium Kal. Februarias, ante lucem. Lib.* I. *famil. epist.* 2. *ad Lentulum* editionis Grævii: *Hæc scripsi A. D. XVI. Kal. Febr. ante lucem. Lib.* XVI. *epist.* 5. ad Tironem: *Inde ante lucem proficiscentes, ante diem VIII. Idus Nov. has literas dedimus.* Ceterum ex his aliisque similibus loquendi formulis, quæ in *Ciceronis* epistolis occurrunt, oppositum potius probari puto, quam id quod *Scaliger* excogitavit. Nam si *ante diem* proprie significat tempus diei à media nocte ad ortum, cur *Cicero* huic characteri temporis *ante diem* toties addit *ante lucem?* cum vero hæc designatio temporis diei haud superfluo addita fuerit, consequens est, ut eis verbis *ante diem* antelucanum tempus non indicetur. Idem Cicero *libro* XV *fam. epist.* 4. *ad Catonem* edit. Grævii ait: *A. D. quartum Idus Octobres, cum advesperasceret, expedito exercitu, ita noctu iter feci, ut ad tertium Idus Octobres cum lucisceret, in Amanum ascenderem.* Ita *ante diem* vespertino
348 quoque tempori applicatur. Verum quod *P. Manutius*, aliique legunt *ad IV. Idus Octobris*, produco alterum testimonium ex *lib.* II. *famil. epist.* 6. ad D. Brutum, ubi hæc Cicero scribit: *Cum Tribuni plebis edixissent ut Senatus adesset ad XIII. Kal. Januar.* (Grævius legit A. D. XIII. &c.) Postea addit: *Itaque in Senatum veni mane: quod cum esset animadversum, frequentissimi Senatores convenerunt.* Igitur Cicero *mane* in Senatum venit die 20. Decembris. Censorinus cap. 10. de die Nata-

A li ait: *Secundum diluculum vocatur* mane, *cum lux videtur.* Concinit Macrobius 1. Sat. cap 3. *Diluculum*, inquiens, *cum incipit dignosci dies; inde* mane, *cum dies clarus.* Cum vero Senatores intellexissent Ciceronem *mane*, id est, *claro die* in Senatum ivisse, eò & ipsi convenerunt, à quibus factum est decretum in favorem *Bruti* contra *M. Antonium*, quod *Cicero* in laudatis superius locis Philippicæ V. & X. dicit formatum *ante diem XIII. Kal. Januarias*, quod sane orto jam Sole conditum fuit. Itaque *ante diem* proprie etiam significat tempus diurnum, non autem à media nocte ad lucis ortum. Livius *lib.* XXVII. scribit ludos Apol-
B linares factos *ante diem tertium Nonas Quintiles.* At ludi Apollinares non ante lucem, sed sole jam lucescente edebantur. Nam idem *lib.* XXXVII. ait: *Ludis Apollinaribus A. D. V. Idus Quintiles, cælo sereno, interdiu obscurata lux est, cum Luna sub orbem Solis subiisset.* Hac de eclypsi disputat Bullialdus in epistola ad *Gronovium* seniorem contra *Scaligerum* ac *Petavium.* Cæsar *libro* 1. *de bello Gallico cap.* 7. hostium legatis respondit: *Si quid vellent, ante diem Idus Aprilis reverterentur.* Deinde: *Ubi ea dies quam constituerat cum legatis, venit, legati ad eum revertuntur.* Quo loco diem vulgariter seu civili modo accipit post ortam lucem.
C Ex his quæ prolixius prosecutus sum, patet quid illis verbis A. D. VIII. K. MARTIAS in *Cajano* lapide significetur, nempe non dies 20. Februarii, sed dies 21. ejusdem mensis, non tamen ejus diei tempus à media nocte ad lucem, uti *Scaliger* arbitrabatur, sed integer dies à media nocte ad proxime insequentem mediam noctem, intra cujus diei tempus *Cajus Cæsar* dicitur decessisse. In altero etiam Cenotaphio decernitur sacrificium quotannis faciendum Diis Manibus *Lucii Cæsaris* A. D. XII. K. SEPT. *ante diem duodecimum Kal. Septembris.* Hoc tamen post mediam noctem ante lucem fieri oportebat; nam statim post
D mediam noctem Diis Manibus *Romani* sacrificabant, uti *dissert.* 3. explicabitur.

Quo vero anno *Cajus Cæsar* obierit, olim dubitatum est. Nam *Scaliger* in notis Eusebianis ac *Calvisius* in Chronico putarunt eundem extinctum A. V. 748. *Pighius* ejusdem mortem recitat *tom.* 3. *Annalium* sub consulatu *Ælii Lamiæ* & *M. Servilii* V. C. 756. Baronius in *apparatu num.* 86. ante exitum A. V. 751. Verum ex ejusdem *Cæsaris* Pisano cenotaphio annus mortis duplici charactere designatur V. C. 757. à parilibus. Etenim ibidem dicitur nuntius mortis *Caji Pisas* allatus IV. Nonas Apriles, cum *Augustus* esset TRIBUNI-
E CIAE POTEST. XXVI. Ex prænotatis *cap.* 15. primus annus Tribuniciæ potestatis *Augusti* incepit A. V. 731. V. Kal. Julias; igitur A. V. 757. IV. Nonas Apriles labebatur annus Tribuniciæ potestatis XXVI. usque ad diem V. Kal. Julias. Præterea eadem statim die nuntio obitus *Caji* intellecto, funebres honores à *Pisanis* colonis eidem decreti fuerunt AD IIII. NONAS APRILES, QVAE sex. AELIO CATO, C. SENTIO SATURNINO COS. FUERUNT. Horum consulatus in fastis incidit in A. V. 757. Hinc patet *Cajum Cæsarem* è vita migrasse die 21. Februarii A. V. 756. cum die 21.
F Aprilis annus V. 757. inchoaretur, Epochæ vulgaris Christi Dionysianæ IV. Suetonius *de Tiberio cap.* 15. scribit: *Cajo ac Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto.* Idem autem in *Augusto cap.* 65. dixerat: *Cajum & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos.* Hæsit velut ad aquas Casaubonus, ac pro *intra triennium* putat *intra biennium* legendum, additque: *In definitione temporis nonnullus mihi scrupulus, quem evelli cupio magis, quam possum evellere.* Nulla est

est in Suetonii dictis antilogia. Nam *Lucius* obiit die circiter 20. Augusti A.V.755. uti patet, ex ejusdem cenotaphio, & fusius exposui cap. 15. *Cajus* vero e vivis excessit die 21. Februarii A.V. 757. mense Aprili inchoando, ex altero *Pisano* lapide. Ita in duodeviginti mensium spatio ambos *Augustus* amisit. At *intra triennium* defuncti dicuntur, quia *Cajus* post *Lucii* mortem superstes fuit parte anni Juliani 47. usque ad exitum Decembris, item altero anno insequenti, ac parte anni Juliani 49. à Kal. Januariis ad VIIII. Kal. Martias; atque adeo intra triennium ambo defuncti sunt. *Lipsius* triennium *Suetonio* memoratum computat à reditu *Tiberii* in Urbem ac mortem *Caji*. Sed hoc perinde est; siquidem *Tiberius Romam* reversus est adulto anno ab V.C.755. uno aut altero tantum mense ante obitum *Lucii Cæsaris*. *Vellejus* qui militum tribunus sub *Cajo* in Oriente militavit, narrata illius morte, ait: *Cum ante annum ferme L. Cæsar, frater ejus, Hispanias petens decessisset*. In quibusdam editionibus cum L litera, qua prænomen *Lucii* designatur, ab imperitis nota numeralis putaretur, scripsere: *cum ante annum ferme quinquagesimum frater ejus &c.* Ceterum adverbium *ferme* idem est ac plus, minùs, ac promiscue accipitur pro utroque. Cum autem *Cajus* aliquot menses supra annum *Lucio Cæsari* superstes fuerit, *Vellejus* scripsit *Lucium* ante annum ferme mortuum. Anni Tribuniciæ potestatis *Augusti* in utroque lapide designati, haud sinunt ea de re nos dubitare. In cenotaphio *Lucii* annuæ inferiæ eidem decretæ dicuntur *XIII. Kal. Octobris*, cum *Augustus* esset *Tribuniciæ potestatis* XXV. Annus Tribuniciæ potestatis XXV. finem habuit die 27. Junii A.V. 756. quum incœpit Tribunicia potestas XXVI. qua labente die 2. Aprilis, morte *Caji Pisis* intellecta, annua sacra ejusdem Manibus à *Pisanis* decreta sunt. Cum autem in *Cajano* lapide dicitur ob mortem ejusdem renovatus dolor, NONDUM QUIETO LUCTU, quem cives ob demortuum *Lucium Cæsarem* susceperant: illis verbis doloris magnitudinem, *Augusto* adulantes, exaggerant, quasi aliqua suscepti dudum luctus vestigia superessent. Hinc eleganter luctu *nondum quieto* dixerunt, non autem *nondum finito*, quia vel ipsæ mulieres post annum ab amisso viro, luctum finiebant. Ita *Pisis* finitus erat luctus, & per emphasin nondum quietus dicitur, &, ut ego quidem arbitror, fingitur. *Stephanus Baluzius* exactissimæ eruditionis scriptor, & ob plurima vetustioris Ecclesiæ monumenta è cariosis codicibus magno sacræ historiæ incremento publicata, nobis posterisque cum honoris præfatione nominandus, in doctissimis notis ad *cap.* 45. *Lactantii* de mortibus persecutorum, plura exempla colligit, in quibus adverbium *ferme* additur numero determinato, ita tamen ut non minus, sed eodem plus aliquid exprimatur. S. Augustinus *cap.* 23. *libri post Collat. ad Donatistas* ait *Ælianum* Proconsulem cognovisse causam *Felicis Aptungitani* XV. Kal. Martias *post menses ferme quatuor* ab Synodo *S. Melchiadis* Papæ contra *Donatum*, quæ tamen habita
350 fuerat die 2. Octobris; nempe intercesserant inter utrumque judicium menses quatuor cum dimidio.

CAP. XVIII.

Augustus *domesticis infortuniis conflictatus. Luctus ejusdem in morte* Caji. Asinius Pollio *quod eo luctu instante, cum amicis cœnasset, ab* Augusto *reprehensus. Idem* Tiberium Neronem *ac* Agrippam Posthumum Cæsarum *fratrem adoptat. Basilica* Caji *ac* Lucii *ab Augusto, porticus à* Livia *in honorem eorundem extructa.* Caji Cæsaris

A *ossa ac cineres* Romam *deferuntur.* Augustus *nemus sub nomine* Cæsarum *conserit.*

Augustus dudum ad infortunia familiæ ac frequentia suorum funera obduruerat. Nam *Marcellum* ex *Octavia* sorore nepotem, quem imperii successorem destinabat, in ipso flore juventæ amiserat. *Agrippam* generum veteri amicitia ac constanti fide, rebusque domi ac foris gestis, sibi quam maxime probatum, extulerat. *Juliam* unicam filiam ob impudicitiam in exilium deportandam jusserat. *Drusum* privignum bellicosissimum ac felicissimum juvenem, quem teste Sue-
B tonio *cap.* 1. *de vita Claudii cohæredem semper filiis instituerat*, quem defunctum ita pro concione laudaverat, *ut Deos precatus sit, similes ei suos Cæsares Cajum ac Lucium facerent*; hunc, inquam magnæ *Germaniæ* partis victorem extinctum viderat. Pedo Albinovanus *de Augusto* canit:

Ille vigil, summa sacer ille locatus in arce,
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.
Nec fleri ipse suis, nec quemquam flere suorum,
Nec quæ nos patimur vulgus, & ipse pati.
Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis,
Luctus ut in Druso publicus ille fuit.
C *Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro,*
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa, tumuli bene janua clausa est.
Perficit officium funeris ecce soror.
Ecce ter ante datis, jactura novissima Drusus
A magno lacrymas Cæsare quartus habet.
Claudite jam Parcæ nimium reserata sepulcra;
Claudite: plus justo jam domus ista patet.

At quintum in funere *Lucii*, ac post octodecim menses *Cajo* extincto, sextum feralis domus janua reseranda eidem fuit. Hæc *de Augusto* prodit Suetonius *cap.* 65. *Aliquanto autem patientius mortem, quàm dedecora suorum tulit. Nam Caji, Lu-*
D *ciique casu non adeo fractus, de filia absens, ac libello per quæstorem recitato, notum Senatui fecit.* *Augusti* tamen luctum in obitu *Caji* ex ejusdem cum *Asinio Pollione* querelis intelligimus. Do auctorem *Senecam* patrem in procœmio quarti controversiarum scribentem: *Cum mortuo in Syria* 351
(Lycia dicendum erat) *Cajo Cæsare, per codicillos questus esset Divus Augustus, ut erat illi clementissimo viro non civiliter tantum, sed etiam familiariter, quod in tam magno & recenti luctu suo, homo carissimus sibi, pleno convivio cœnasset, rescripsit Pollio:* Eo die cœnavi, quo Herium filium amisi. *Quis exigeret majorem ab amico dolorem, quam à patre?*
E Cum *Tiberius* ægre ferret tandiu luctum *Romæ* ob *Germanici* mortem continuari, edicto populum monuit, ut dolori modum adjiceret: *Referendum*, inquiens, *jam animum ad firmitudinem, ut quondam Divus Julius amissa unica filia, ut Divus Augustus ereptis nepotibus, abstruserint tristitiam.* Tacitus *lib.* III. *Annalium*. Ceterum *Augustus*, quo imperantem familiam utroque *Cæsare* viduatam, novis ascitis successoribus, stabiliret, quarto post *Caji* mortem mense exacto, V. Kal. Julias *Tiberium Claudium Neronem*, ac *Agrippam Posthumum* nostrorum *Cæsarum* fratrem, in filios adoptavit, qua die, teste *Vellejo*, Tribuniciam ite-
F rum potestatem *Tiberio* contulit. *Lucii* tamen ac *Caji* nomina adeo quoad vixit, ejusdem menti inhæsere, ut cum post novennium à morte *Caji*, *L. Planco* ac *Silio* Coss. V.C.766. à Parilibus tertio Nonas Aprilis testamentum faceret, illud ex Suetonio *cap.* 101. in hæc plane verba inchoaverit: *Quoniam sinistra fortuna Cajum & Lucium filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia, & sextante hæres esto.* Idem vero *Augustus Caji* ac *Lucii* memoriam ad seros posteros transmissurus, ingentis molis Basilicam eorundem nomine inscri-

pto, extruendam curavit. Hoc tabulæ Ancyranæ produnt, in quibus Gruteri *pag.* 232. legimus:

Forum. Julium. &. Basilicam. quae. fuit. inter. aedem. Castoris. &. Saturni. caepta. profligataque. opera. à. patre. meo. perfeci. &. eandem. Basilicam. consumatam. incendio. ampliato. ejus. solo. sub. titulo. nominis. filiorum (CAI. ET. LVCI) *cum.* vivus. non. perfecissem. perfeci. ab. haeredibus.

Hanc *Caji* ac *Lucii* Basilicam laudat Ovidius *lib.* II. *de Ponto elegia* 2. ad *M. Valerium Messallinum*, ubi cum dixisset *Augustum* post debellatam *Pannoniam*, ac *Delmatiam*, *Romam* laurea coronatum rediisse, ait:

Quem pia vobiscum proles comitavit euntem,
Digna parente suo, nominibusque datis.
Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentes,
Divus ab excelsa Julius æde videt.

Tiberium designat ab *Augusto* una cum Cæsareo nomine, in filium adoptatum, quem fratribus *Cajo* ac *Lucio* ab eodem antea *Augusto* adoptatis assimilem dicit, eorumque nomine inscriptum templum, licet nondum perfectum, appellat. *Ovidius* hanc epistolam scripsit A. V. 762. *Sextus Rufus* in libello de regionibus Urbis in Circo Maximo post templum *Castoris* designatum, ait: BASILICA CAI ET LVCI. *Pyrrhus Ligorius* magni inter superioris sæculi antiquarios nominis,
352 apud *Panvinium* de urbe *Romana pag.* 203. putat hanc Basilicam fuisse, ubi nunc est ædes *S. Mariæ Ægyptiacæ* ex inscriptionibus utrique Cæsari dicatis, quæ ibidem repertæ sunt. Suetonius in *Augusto cap.* 29. scribit eundem extruxisse *porticum, basilicamque Lucii & Caji. Livia Augusti* uxor apud plerosque in suspicionem venit maturatæ Cæsaribus mortis, teste *Dione* apud *Zonaram*. Profecto Tacitus *lib.* I. *de utroque juvene* scribens, ait: *Mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abstulit.* At *lib.* IV. propè finem id firmissime asseverans, de *Livia* inquit: *Quæ florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.* Utut illa erga superstites

A se gesserit, immensæ molis porticum demortuorum memoriæ dicavit. Dio *lib.* LVI. ad A. V. 765. ait: *Porticus Liviæ in honorem Caji & Lucii Cæsarum ædificata, tum dedicata fuit.* Idem Dio in fragmentis *lib.* LV. ait: *Porro corpora Caji ac Lucii à tribunis militum, ac singularum civitatum decurionibus Romam apportata sunt, & hastæ quas aureas ab equitibus, cum virilem togam sumerent, acceperant, in curia suspensæ.* Id honoris Druso defuncto antea datum, eodem Dione teste *lib.* LV. Augustus, inquit, *Romam corpus defuncti attulit, portantibus id principio usque ad hiberna centurionibus ac Tribunis militum, inde singularum in itinere urbium primoribus.* Nullus dubito quin utriusque
B *Cæsaris* ossa ac cineres in Mausoleum intulerit, quod sibi suisque sepulcrum *Augustus* in sexto suo consulatu A. V. 726. inter viam *Flaminiam* ripamque *Tiberis* extruxerat. Apud *Gruterum* pag. 235. 4. extat hoc inventum Romæ epitaphium.

OSSA
C. CAESARIS
AVGVSTI. F
PRINCIPIS. JVVENTUTIS

Cum *Germanicus Epidaphne* diem obiisset, *Agrippina* uxore ejusdem cineres atque ossa in Urbem
C detulit, ac inter eidem decretos honores, hos ræ citat Tacitus in fine *lib.* II. *Sepulcrum Antiochiæ ubi crematus, tribunal Epidaphne, quo in loco vitam finierat.* Ita extincto in *Lycia Cajo Cæsari, Emesani* sua in urbe Cenotaphium eidem posuerint, quod demortui tantum elogium fuit, non ibidem conditi epitaphium, uti *Bellonius* existimavit. *Augustus* postea eo in loco, ubi A. V. 752. naumachiam exhibuerat, perpetuo virentium arborum sylvam plantavit, quam NEMVS CAESARVM nuncupatam testantur tabulæ Ancyranæ. Ceterum Basilicam *Caji* ac *Lucii*, porticum *Liviæ*, nemus Cæsarum, insignia perenni utriusque *Cæsaris* memoriæ dicata opera, longior ætas ever-
D tit, ac nulla eorundem nobiliora monumenta supersunt, quam *Pisana* Cenotaphia, quorum occasione *Caji* ac *Lucii* vitam ex vetustis Romanorum scriptorum voluminibus collectam, rudiori hucusque stylo complexus, ad eorundem inferias explicandas accedo.

353
DISSERTATIO III.

INFERIÆ CAJO ET LUCIO CÆSARIBUS A PISANA Colonia Decretæ, explicantur.

CAP. I.

Vestes in calamitate ac luctu mutatæ. Qualis Senatorum & Equitum habitus in luctu publico. Sententia V. C. de sagis à plebe in luctu sumptis expenditur. Plebs in funere atrata. Magistratus nomine Duumviri in Coloniis designati. Duumviri Pisani *togis pullis amicti, annua parentalia peragere jussi. Toga pulla in epulo funebri vetita. Mulieres, stante Republica, in luctu atratæ. Sub Imperatoribus ea in re variatum. Insigne* Lactantii *testimonium.* Gutherius *funebre justitium in obitu* Augusti *primitus* Romæ *actum scribens, ex* Pisano *Cenotaphio ac veterum testimoniis confutatur. In funere indictivo nulla vestium publica mutatio fiebat.*

E SI libri Pontificum *Livio*, *Plinio*, ac *Macrobio* memorati, superessent, annuæ inferiæ à *Pisana* Colonia Manibus *Caji* ac *Lucii Cæsarum* quotannis decretæ instaurari, paucis quibusdam illustribus de petitis testimoniis, illustrari possent. Verum cum primi Christianæ religionis propagatores idola ac superstitiosas Gentilium cæremonias antiquassent, libros etiam, in quibus impia sacra descripta legebantur, flammis absumpsere, quo nulla apud posteros vetusti erroris vestigia remanerent. Cum non semel Heroum funera, vel datæ eisdem inferiæ, poetis memorentur, hinc factum est, ut quædam veterum ritu

tuum monumenta vatum carminibus inserta, supersint. Extant etiam inscripta antiquitus saxa, sed ex quibus vix unum aut alterum funerum ritum doceamur. At in *Pisanis* tabulis funebres ritus adeo difuse ac perspicue describuntur, ut vel inde ingens eisdem pretium accedat, ac plane inter præcipua P. R. monumenta reponantur. Ceterum haud animum induxi hac occasione proliziores de veterum exsequiis, ac inferiis commentarios adornare, cum neque is sim qui hanc Spar-
354 tam aggrediar, neque tantum otii ad id peragendum supersit. Quare eos tantum funebres ritus, qui in Pisanis tabulis recitantur, adductis veterum testimoniis, explicabo. Et quidem, ut hinc exordiar, vestem in calamitate ac luctu seu publico, seu privato mutari solitam notius plane est, quam ut densatis veterum testimoniis, demonstrandum videatur. Servius in XI. *Æneid.* auctor est hunc ab Ægyptiis morem derivasse: *Eosque*, inquit, *primos Liberum, quem Osirim appellant, à fratre Tiphone interemptum, atra veste luxisse*, inde ceteris gentibus traditum, ut post interitum suorum affinium, vel in gravissima calamitate, veste mutata, lugerent. Cum *Ciceroni* à *Clodio* dies indicta esset, Ninnius Tribunus plebis, *ut vestem tanquam in publica calamitate mutarent, hortatus est*; Dio *lib.* XXXVIII. Quod summo sibi postea honori deputans *Cicero*, ab exilio reversus, in Sestiana dicebat: *Quid enim quisquam potest ex omni memoria sumere exemplam illustrius, quam pro uno cive & bonos omnes privato consensu, & universum Senatum publico consilio mutasse vestem? quæ quidem mutatio non deprecationis facta est, sed luctus; quem enim deprecarentur, cum omnes essent sordidati?* Et paullo post: *Erat igitur in luctu Senatus, squalebat civitas publico consilio mutata veste.* Quod vero *Gabinius* ac *Piso* consules ipsius adversarii edixerant, *ut ad suum vestitum Senatores redirent*, contra eosdem invectus, scribit: *Etiamne edicere audeas, ne mœrerent homines meam, suam, Reipublicæ calamitatem, neve hunc suum dolorem, veste mutata, significarent?* In funere etiam Principum Romanorum vestem mutatam constat ex Dione *lib.* LVI. qui describens funus Augusti, ait: *Postridie Senatus habitus est: in eum reliqui Senatores equestri habitu, magistratus senatorio, demptis prætextis, venerunt, Tiberius filiusque ejus Drusus pullam de more paratam amicti vestem.* Ita magistratus depositis togis purpura prætextis, togam puram ac latum clavum induti, in Senatum venerunt. Senatores vero in tunica, more equitum, angustos clavos assutos amiciebant; ut enim propria erat Senatorum tunica laticlavia, ita equitum angusticlavia, ubi suo tempore curiam ingredi aut non poterant ob expensas magistratuum, aut amore otii privati nolebant; quos inter Ovidius *lib.* IV. *Tristium eleg.* 10. dicebat:

Curia restabat: clavi mensura coacta est;
Majus erat nostris viribus illud onus.

Equites in luctu angustos clavos, atque annulos deponebant, quæ propria ipsorum insignia erant. Et quidem in luctu Senatores equestri habitu indui solitos alibi etiam tradit Dio, cum *lib.* XXXVIII. ait: *Ciceronem* adversus *Clodii* furorem *senatoria veste abjecta, equitis habitu sumpto*, Pompeji, aliorumque auxilium implorasse. Appianus scribit L. II. *bel. civ. Ciceronem* tunc adeo abjecti animi fuisse, *ut sordidatus pullatusque obvios suppliciter in auxilium sollicitans, non veritus sit ignotis quoque hac de causa negotium facessere.* At perperam *pullatus* Interpreti describitur; Græce enim inquit Appianus *γέμων αὐχμοῦ καὶ ῥύπου*, *obsitus squalore ac sordibus*; nempe, ut dixit Dio, *equestri habitu sumpto*, non vero pulla veste indutus. Ita idem Cicero in laudata Sestiana *omnes*

A *sordidatos* appellavit, non quod pullam vestem sumpsissent, sed quod solitam, luctus causa, mutassent. Valerius Maximus de *P. Rutilio* Senatore *lib.* VI *cap.* 4 ait: *Reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia Senatoris deposuit.* Cum Senatores obsoletam vestem induebant, insigniis senatoriis depositis, sordidati dicebantur. Quæ in publico luctu vestis mutatio in plebe fuerit haud ita facile exponitur. Vir eru- 355
ditissimus scribit ex *Cicerone* nullum dubitandi locum relinqui, cum ex eodem constet mutationem vestis à plebe factam, positis togis, sumendo saga militaria. Nam in Philippica XIV. ait: B *Brutum egressum jam Mutina cognovissem, propter ejus periculum ad saga issemus.* Dio etiam *lib.* XLIX. bello contra Antonium decreto, *saga*, inquit, *Romani omnes etiam ii, qui non proficiscebantur ad bellum, sumpserunt.* Non possum ad hanc sententiam accedere. Nam quando deposita toga, saga à populo sumebantur, ea vestis mutatio non luctus, sed belli indicium erat. Cicero initio Philippicæ VI. ait: *Tumultum decerni, justitium indici, saga sumi, dixi placere, quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas Reipublicæ injurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta à Senatu viderent.* Itaque sagum sumi indicium belli erat. C Hinc idem Orator in Philippica XII. ostendit frustra suscipi consilium legationis de pace ad *Antonium* mittendæ, quod jam saga sumpserant, nec posse se de pace legatum destinari, qui *sagorum princeps* fuisset. *Dio* loco laudato scribit populum sumpsisse *χλαμύδας στρατιωτικὰς* *chlamydes militares*, hoc est, saga, non quidem ut luctus, sed ut belli instantis periculum significaretur. Livius in *epitome lib.* LXXII. ait: *Italico bello, saga populus sumpsit.* Orosius tamen *lib.* V. *capite* 18. scribit: *Senatus sagum, hoc est, vestem mœroris, quam exorto bello sociali sumpserat, hac spe arridente deposuit, atque antiquum togæ decorem* D *recuperavit.* In quibus verbis errat, tum quod sagum Senatoribus sumptum dicit, cum *Livius* palam scribat: *saga populus sumpsit* (& certe Senatores consulares *togatos esse solere, cum civitas esset in sagis*, testatur in laudatis Philippicis *Cicero*) tum quod sagum signum mœroris dicit, cum sit belli impendentis indicium, ut cum sagati ad bellum milites pro defendenda patria, urbe egrederentur, pares se habere animos qui remanebant, ea militari veste monstrarent, ac eo pacto domi forisque maximi belli species appareret, ut *omnes*, inquit laudatus Cicero, *acrius graviusque* non ad dolendas, *sed ad ulciscendas Reip. injurias incum-* E *berent.* Hinc recte doctissimus Ferrarius *lib.* I. *de Re vestiaria in fine cap.* 32. scribit: *bellum sago notari quis nescit?* Plebem in publico luctu atratam fuisse tradit Tacitus initio *lib.* III. qui cum cineres Germanici Romam deferrentur, ait: *Ubi colonias transgrederentur, atrata plebs, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant.* Extat inscriptio Gruteri *pag.* 544. 4. & 5. ubi *C. Hostilio*, & *P. Egnatio* Tribunis quintædecimæ legionis in acie occisis,

CILINENSES. XXL. DIES. ATRATI. LVCSERVNT
HOREENSES. XXI. DIES. ATRATI. LVXERVNT

F Cum *Augustus* funebre munus demortuo ante quinquennium *Agrippæ* daret, universos id in pulla veste spectasse tradit Dio *lib.* LV. A. V. 747. *Φαιὰν ἐσθῆτα τῶν τε ἄλλων πλὴν τοῦ Αὐγούστου, καὶ αὐτῶν τῶν υἱέων αὐτοῦ λαβόντων*: *Aliis omnibus spectantibus in pulla veste, tum & filiis Augusti, ipso excepto.* Omnes ergo pullati muneri funebri adfuerunt. Itaque & plebs atrata seu pullata erat in publico funere, uti sagata in magno belli discrimine. Tunc Senatores & Equites togam pullam indue-

356 induerunt, plebs vero nigras lacernas, quamvis quidam etiam è plebe togam pullam sumpsere, qui eandem domi habebant. Cum *Romam* allatus esset nuntius *M. Aurelium Antoninum* universis carum Principem diem extremum clausisse, confusa ex *Herodiano*, luctu publico urbe, Senatus in curia, veste atra amictus, lacrymans convenit. Hæc vestis non alia, quam quæ Senatores decebat, toga pulla. Lacernas vero nigras plebi etiam extra luctum familiares fuisse tradit Suetonius *in Augusto capite* 40. *Etiam habitum*, inquit, *vestitumque pristinum reducere studuit, ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, en, ait,*

Romanos rerum dominos gentemque togatam!

Negotiumque ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis, togatum consistere. Ex his habemus lacernas nigras plebejorum, qui & inde pullati dicebantur. Quintilianus etiam *lib.* VI. *capite* 5. *pullatæ turbæ* meminit. Extat apud Martialem *libro* II. epigramma II.

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis;
Cum plebs, & minor ordo, maximusque
Sancto cum Duce candidus sederet.

In *Caji Cæsaris* cenotaphio jubent CUNCTOS VESTE MUTATA à die accepti nuntii de morte *Caji* usque ad diem, quo justa ejus Manibus persoluta essent, convictibus sese abstinere &c. Itaque intra id spatium temporis jussi sunt Magistratum *Pisis* gerentes, sine prætextis, puras togas gerere, equites vestem sine angustis clavis induere, Decuriones cretatis ac candidis togis depositis, obsoletas assumere, plebem vero atratam, hoc est, pullis, vel obsoletis lacernis amiciri. Etenim tempore luctus vestium species in plebe à nemine veterum scriptorum proditur, quod ea res vulgo erat notissima; cum vero ex *Tacito* ac laudatis inscriptionibus constet populum in luctu atratum fuisse, hoc ipsum de *Pisanis* colonis judicandum videtur. Forte etiam vestes mutarunt, non atratas sumendo, sed obsoletas & squalidas sibi imponendo, ut universus populus eo sordido amictu publicum coloniæ mœrorem exprimeret.

In decreto de sacris funebribus quotannis stata die *Lucio Cæsari* instaurandis, hæc leguntur: *Per magistratus, eosque qui ibi juri dicendo præerunt* TOGIS PULLIS AMICTOS, *quibus eorum jus, fasque erit eo die* EJUS VESTIS *habendæ inferiæ mittantur.* Hic magistratus nomine Duumviri designantur, quamvis Proquæstores, ac Ædiles magistratum etiam gerebant. De *Africæ* Duumviris scribitur in fragmento de gestis in *purgatione Felicis* Episcopi *Aptungitani tom.* I. *Conc. Labbeæ edit. pag.* 1451. *Magistratus, suppleto anno, omnes actus suos domum suam tulit.* In Synodo Eliberitana can. 56. *Magistratum uno anno, quo agit duumviratum, prohibendum placuit, ut se ab Ecclesia cohibeat.* Idem patet ex *L.* 8. 16. 28. *de Decurionibus* Cod. Theod. & *L.* I. & 2. *de Magistrat. Municip.* Cod. Just. Tertullianus capite 12. de spectaculis: *Quæsturas dico, & Magistratus, & Flaminia, & Sacerdotia.* Magistratus soli Duumviri simpliciter dicebantur. Ita *cap.* 16. Actorum Apost. legitur: *Miserunt magistratus lictores*, quod nomen sæpius repetitur, cum *Paulus* in colonia *Philippensi* in *Macedonia* in carcerem detrusus fuisset: ac Duumviri tantum eo nomine indicantur.

357 Initio etiam decreti *Pisani* de augendis *Caji* demortui honoribus, dicitur: *Cum in colonia nostra propter contentiones candidatorum magistratus non essent.* Et postea inferius: *Cum primum per legem coloniæ Duoviros creare & habere potuerimus &c.* Magistratus qui juri dicendo præerat in coloniis,

A erant tantum Duumviri, seu Quatuorviri, ubi plures creabantur, uti dissertatione prima dictum est. Hinc ubi dicitur: *Per magistratus eosque qui ibi juri dicendo prærunt*, illa voce *eosque* mox appellati magistratus *Pisani*, hoc est, Duumvirorum munus ac potestas exprimitur, non vero alii ab ipsis distincti magistratus nominantur. Porro decretum fuit Duumviros *Pisanæ* coloniæ quo die *Lucii* Manibus justa funebria quotannis persolvebant, esse *togis pullis amictos*, quibus etiam eo tantum die ad feralia sacra peragenda, jus da-tum *ejus vestis habendæ*. Etenim Duumviri to-gas purpura prætextas, & quidem de more can-

B didas induebant; quo tamen die funebre anniversarium sacrificium facturi essent, albis prætextis depositis, jussi sunt pullas togas induere. Qui munus gladiatorium dabant, pullis togis amicti præsidebant. Ita *Commodus* cum munus gladiatorum daret, dicitur Lampridio *cap.* 16. *in pullis vestimentis præsidens*; quamvis *Augustus*, uti superius ex Dione notabam, in munere gladiatorio quod in honorem *Agrippæ* dabatur, *spectantibus omnibus in pulla veste*, eandem non sumpserit. In epulo funebri toga pulla uti nemini licebat. Hinc tot clamores *Cicero* in *Vatinium* extulit, quod is

C secus egisset: *Quis unquam*, inquit, *in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla? Cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla unquam data est? cum tot millia accumberent, cum ipse epuli dominus albatus esset &c. te cum C. Fidulo atrato, ceterisque tuis furiis intulisti.* Additque cetera inter quæ in Vatiniana laudata fuit exaggerat, *ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris; epulæ quidem ipsæ dignitatis.* Ex *Pisano* tamen lapide colligimus eos, qui annua religione Manibus defunctorum inferias mittebant, *togis pullis amictos* fuisse. Num vero togæ pullæ Duumvirorum fuerint prætextæ? Paulus apud *Festum* scribit: *Prætexta pulla nulli alii lice-*

D *bat uti, quam ei qui funus faciebat.* Cum vero Duumviri prætextas tanquam magistratus insignia, induerent, quo eadem ipsorum dignitas in sacris peragendis itidem conspicua esset, prætexta pulla usos existimo.

Verum non modo viros, verum etiam mulieres durante justitio, ob mortem *Caji*, vestes mutasse colligitur ex eodem decreto, in quo legimus jussas *MATRONAS quæ in Colonia nostra sunt, SUBLUGERE.* Equidem mulieres in luctu, deposita purpura & auro, atras vestes sumpsisse certum est, nec vacat veterum jamdiu eruditis prænotata testimonia exscribere. Dionysius

E *lib.* VIII. ait: *Romanorum matronæ, ut mos est illis in luctu domestico & necessariorum funeribus, deposito auro & purpura ceteroque ornatu, atratæ ipsum per annum integrum luxerunt.* Ovidius feminas in luctu atratas passim inducit. *Lib.* VI. *Met. v.* 289.

—— stabant cum vestibus atris
Ante toros fratrum, demisso crine, sorores.

Et *v.* 566.

—— velamina Progne
Deripit ex humeris auro fulgentia lato,
Induiturque atras vestes, & inane sepulcrum
F *Constituit, falsisque piacula Manibus infert.*

Lib. VIII. *v.* 447.

Cum videt extinctos fratres Althæa referri:
Quæ, plangore dato, mœstis clamoribus urbem
Implet, & auratas mutavit vestibus atris.

Et *v.* 784.

Omnes germanæ Cererem cum vestibus atris
Mœrentes adeunt.

Servius in III. *Æneid. Cato ait deposita veste purpurea, feminas usas cærulea, cum lugerent. Veteres sane cæruleum nigrum accipiebant.* Li- plus

psius in excursibus ad *lib.* II. Taciti suspicatur mulieres *Romanas* non quidem atras vestes in luctu sumpsisse, sed mundum tantum muliebrem posuisse, quod Valerius Tribunus apud Livium *lib.* XXXIV. dicat: *Mulieres quid aliud in luctu quam purpuram & aurum deponunt? quod cum eluxerunt, sumunt.* Verum eo loci *Valerius M. Catonis* orationi respondet, qui feminarum luxum ex præscripto legis Oppiæ reprimendum contendebat, auro ac purpura feminis interdicens. At *Valerius* eadem illis pro majori mundi muliebris ornatu concedenda esse contendebat, quod ipsæ nullis magistratibus, nullis sacerdotiis, nullis denique triumphis decorabantur, sed in vestium tantum splendore unicum earundem insigne repositum erat. Itaque ea solum commemorat, quæ pretiosa in luctu à matronis deponebantur; non autem ea, quæ in signum mœstitiæ assumebant. Præter purpuram tamen ac aurum depositum, atras in luctu vestes induisse laudatus Dionysius testatur. Valerius Maximus *libro* I. *cap.* I. scribit: *Itaque matres ac filiæ conjugesque nuper interfectorum, abstersis lacrymis, depositisque doloris insignibus, candidam induere vestem, & aris dare thura coactæ sunt.* En deposita doloris insignia, nempe atras vestes, quarum loco *candidas* resumere publico edicto coactæ sunt. At sub Cæsaribus atras vestes antiquatas, ac candidas in luctu à feminis gestatas erudite observant Lipsius citato loco, Kirchmannus *lib.* II. *de funer. Rom. cap.* 17. ac ætatis nostræ decus Octavius Ferrarius *par.* I. *lib.* I. *de re Vestiaria cap.* 23. quod post tot coloratarum vestium usum invectum, candidæ eviluerant, luctui tantum funebri reservatæ. Herodianus *in funere Severi* scribit: *Feminæ vestibus albis, iisque vulgaribus indutæ, mœrentium speciem præbent.* Causas assignat albarum vestium in funere *Plutarchus* in problematis. Ceterum atras rursus vestes à feminis in luctu resumptas colligo ex aureo opusculo *Lactantii* de morte persecutorum, quod hoc anno maximo Ecclesiasticæ historiæ incremento, eruditissimus *Stephanus Baluzius* è Bibliotheca Illustrissimi *Colberti* in publicam lucem eduxit. Etenim *cap.* 39. scribit *Maximinum* Imperatorem *Valeriam Augustam* demortuum paucos ante dies virum lugentem, ad nuptias secum contrahendas per legatos sollicitasse: *Adhuc*, inquit, *in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto.* Cui illa respondit: *Non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere.* Ita sequiore ætate atras iterum vestes viduæ induebant.

Gutherius *lib.* III. *de jure Manium cap.* 29. opinatur in publicis tantum calamitatibus, stante Republica, vestem mutatam, non vero in morte cujusquam privati; at re *Romana* ad Cæsares delata, publicum justitium *primum in funere Augusti introductum.* Hæc tamen ex *Pisanis* tabulis refelluntur. Nam in morte *Caji Cæsaris Pisis cunctos vestes mutasse* diximus, publico justitio indicto,
359 quod in sequentibus exponemus; illud etiam *Romæ* antea servatum non uno exemplo colligimus. Pedo Albinovanus *in elegia ad Liviam in morte Drusi* A. V. 745. canebat:

Urbs gemit: & vultum miserabilis induit unum;
Gentibus adversis forma sit illa precor.
Incerti claduntque domus, strepitantque per urbem:
Hic illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura silent: mutæque jacent sine vindice leges:
Adspicitur toto purpura nulla foro.

Itaque justitio in morte *Drusi* indicto, magistratus prætextas deposuerant, ac universi, clausis tribunalibus, forum deseruerant. Nec tamen ille tum primus publicus luctus fuit, cum A. V. 731. in morte *Marcelli* nepotis *Augusti* publicum lu-
A ctum contigisse idem poëta testetur:

Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis;
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.

Octaviæ sorori *defunctæ honores maximos Augustum* tribuisse scribit Suetonius *cap.* 61. Dio vero in *fine lib.* LIV. narrat eandem *Octaviam* pro rostris à *Druso* laudatam, additque: *Qui in publico videlicet luctu, vestem Senatoriam permutavit.* Toties ante obitum *Augusti*, justitium S. C. indictum fuit in morte affinium ac propinquorum ejusdem. Idem justitium in obitu *Lucii* ac *Caji Cæsarum* repetitum fuit. Hinc, quod is honor filiis Principum defunctis dari consueverat, factum est, ut audita
B morte Germanici, *ante edictum magistratuum, ante Senatus consultum, sumpto justitio, desererentur fora, clauderentur domus, passim silentia & gemitus, nihil compositum in ostentationem. Et quanquam neque insignibus lugentium abstinerent. &c.* ex Tacito *libro* II. *Annal.* Quibus postremis verbis vestium mutationem designat; illa enim erat insigne lugentium in funere. Idem Dio *lib.* XLVII. scribit *Atiam Cæsaris Augusti* matrem *publica sepultura honoratam*, anno V. C. 711. quo pariter Vellejus libro II: ait *Pansæ atque Hirtii corpora publica sepultura honorata*, cum ambo pari fato bello *Mutinensi* contra *Antonium* cecidissent. Maxi-
C mus defuncti honor habebatur publico funere efferri. Scribit *de Tiberio* Tacitus libro III. *Ut mors Sulpicii Quirinii publicis exequiis frequentaretur, petivit à Senatu.* Et *lib.* VI. *L. Piso* præfectus Urbis eidem dicitur *publico funere celebratus.* Hæc publica funera S. C. vel ab Imperatoribus decreta, passim *Romanis* scriptoribus memorantur. Verum in iis nec publica vestium mutatio, neque justitium per præconem indicebatur, sed tantum sumptus funeris publica pecunia fiebat. Et quidem cum *Augustus Atiam* matrem amisit, nondum Senatus uni Principi servire didicerat, ut in morte feminæ publicum luctum universis
D indiceret. Cicero *in fine Philippicæ* IX. de supremis honoribus *Servio Sulpicio* in legatione defuncto statuendis à Senatu, decretum præformans ait: *Eum quam amplissime supremo die suo efferri:* Et statim: *Senatum censere atque è re publica existimare Æediles curules edictum quod de funeribus haberent, Servii Sulpicii Q. F. Lemonia Rufi funeri mittere, utique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo in loco videbitur pedes triginta quoquo versus assignet, quo Servius Sulpicius inferatur &c.* Hæc *Cicero* de alieno funere ac sepulcro dicebat eo anno, quo tum *Pansam*, tum etiam ipsum Oratorem postremum fatum manebat. Itaque ad
E Æediles curules spectabat funus publicum per præconem edicere, populum ad exequias evocantes
Hinc Ovidius *lib.* VI. *fastorum:* 360

Adde quod Ædilis, pompa qui funeris irent,
Artifices solos jusserat esse decem.

Hoc funus publicum indictivum dicebatur, *ad quod*, ut ait Festus, *per præconem populus evocabatur.* Syllæ funus describit Appianus *lib.* I. *bel. civ. pagina.* 417. ubi cum dixisset *publicas exequias* eidem decretas, in ordine funebris pompæ describitur eidem *Senatus universus, & magistratus cum suis insigniis.* Quare nulla vestium mutatio ab Æ-
F dilibus tum indicta, quamvis publicum funus duceretur; siquidem Senatus in veste laticlavia, magistratus in prætextis, quæ erant ipsorum insignia, funeri interfuere.

CAP. II.

Justitium coloniæ Pisanæ *in morte* Caji Cæsaris *ex ejusdem Cenotaphio describitur. Templa Deorum occlusa. Hujusce ritus causæ producuntur. Ludis ac votis publicis instantibus, justitium exutum. Ædes* Cereri Pisis *Actes* Neronis *libertæ nomine dicata. Balneæ quoque publicæ eodem in luctu*

 clausæ.

clausæ. De Thermis *vetustis* Pisarum. *Earundem hypocauston adhuc superstes describitur. De illius fenestris* Robortelli *opinio refellitur. Vera de iisdem doctissimi Equitis Fr.* Mariæ Cesfinii *sententia* Senecæ, Statii, *ac* Martialis *testimoniis confirmatur. Balneæ antiquiorum obscuræ:* Cæsarum *ætate fenestris ac specularibus illustratæ. Tabernæ, durante justitio, clausæ. Plura ea de re exempla ex Livio densata. Convictus in colonia inhibiti. Matronæ jussæ sublugere. Quædam de earundem luctu notata. Quid* elugere, prolugere, & sublugere *significent. Finis justitio* Pisano *quando statutus? Ossa* Caji Cæsaris Romam *relata ac condita.* Gutherius *negans mortuos cum imperio in provinciis potuisse in Urbem deferri, confutatur. Quædam* Valerii Maximi *à* Tacito *discrepantia indicatur.*

PIsani quo conceptum ex morte *Caji Cæsaris* dolorem, testatum facerent, publico decreto universa maximi mœroris signa complexi, edixere: *Cunctos veste mutata, templisque Deorum immortalium, balneisque publicis, & tabernis omnibus clausis, convictibus sese apstinere, matronas quæ in colonia nostra sunt, sublugere.* Et hæc quidem *ex ea die qua ejus decessus nuntiatus esset, usqui ad eam diem, qua ossa relata, atque condita, justaque ejus Manibus perfecta essent.* Nusquam in literatis saxis, unico hoc *Pisano* excepto, publici luctus ac sumpti justitii species describitur. Extat apud Gruterum *pagina.* 493. 2. inscriptio *Romana*, sed omni ex parte adeo lacerata, ut justitium, ac publicus tantum luctus nominatus appareat. Hocce est fragmentum quod restitui ac suppleri non potest.

361 CONSILIIS. PVBLICIS. CON...
ANNVM. EXPLETVRVS
MORTEM. EIVS. IVSTITIO. PER. CON
OMNES. LVXERVNT. CENSV...

At in *Cajano* Cenotaphio totius justitii forma describitur, ut vel inde maximum eidem pretium accedat, quod veteres victoris gentium populi ritus in luctu publico manifestat. De vestium mutatione in proximo capitulo dictum est; jam cetera ordine prosequar. Illi quidem quo superos in partem doloris vocarent, eorundem templa de more claudi jusserunt: TEMPLISQ. DEORVM IMMORTALIVM CLAVSIS. *Romani*, uti etiam ceteri mortales, cum res publica ob pestem, vel cladem in discrimine versari videretur, supplicationes ad omnia pulvinaria Deorum instituebant, ac votis nuncupatis, Numina sibi propitiare conabantur, cujus religiosi moris in *Livio* aliisque exempla passim occurrunt. Recte Silius Italicus *lib.* VI.

Tanta adeo, cum res trepidæ, reverentia Divum
Nascitur, & raræ fumant felicibus aræ.

At justitio indicto, in publico luctu Deorum templa claudebantur. Ovidius *lib.* V. *fastorum Lemuria* describens, ait:

Fana tamen veteres illis clausere diebus,
Ut nunc ferali tempore operta vides.

Nempe tempore publici luctus in morte Cæsarum: Veteres enim quæcumque ad funus spectabant *feralia* dixere. Ita Tacitus initio *lib.* III. *feralem urnam*; *Virgilius* laudat *ferales cupressus*, quod ejus arboris ramis pyræ cingebantur; Lucanus *lib.* VIII. *feralem pompam*, cum funus Pompeji describit, Plinius *ferales epulas*, quæ in funere fiebant, vocavere. Hinc diem 18. Februarii *Feralia* dixerunt, de qua Ovidius *lib.* II. *Fastorum:*

A *Hanc, quia justa ferunt, dixere Feralia lucem.*
Ultima placandis Manibus illa dies.

Pedo Albinovanus in *elegia de consolatione ad Liviam in morte Drusi* justitium describens, templa Deorum id temporis clausa testatur, cujus etiam ritus causas assignans, canit:

Jura silent: mutæque jacent sine vindice leges,
Adspicitur toto purpura nulla foro.
Dique latent templis, neque iniqua ad funera vultus
Præbent, nec poscunt thura ferenda rogo.
Obscuros delubra tenent; pudet ora colentum
Adspicere, invidiæ quam meruere, metu.
Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
B *Sustulerat timidas sidera ad alta manus.*
Jamque precaturus, quid ego jam credulus, inquit,
Suspiciam in nullos irrita vota Deos?
Livia non illos pro Druso, Livia movit;
Nos erimus magno maxima cura Jovi?
Dixit & iratus vota insuscepta reliquit;
Duravitque animum, destituitque preces.

Et sane in morte affinium Dii passim ab Ethnicis in invidiam vocabantur. Quintilianus in proœmio *libri* VI. filiorum acerbissimum fatum deplorans, ait: *Quis enim mihi bonus parens ignoscat, si studere amplius possum? ac non oderit hanc animi mei firmitatem, si quis in me est alius usus vocis, quam* C *ut incusem Deos, superstes omnium meorum?* Statius lib. VI. Thebaidos.

Primævique senes, & longo examine matres
Invidiam planxere Deis, miseroque tumultu
Bina per ingentes stipabant funera portas.

Et rursus:

—— —— alio tibi, perfide, pacto
Jupiter, hunc crinem voti reus ante dicaram,
Si pariter virides nati libare dedisses
Ad tua templa genas, sed non ratus ore sacerdos,
Damnatæque preces; ferat hæc quæ dignior umbra est.

Virgilius ecl. 5. in funere Daphnidis.

D *Quum complexa sui corpus miserabile nati,*
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.

Silius *lib.* XIII. Scipionem suorum cædem deplorantem, cetera inter hæc dicentem inducit:

—— —— pietas irata sinistris
Cœlicolis furit, atque odit solatia luctus.

Statius in epicedio patris *lib.* V. *Sylvarum:*

Major certe aliis Superos & Tartara pulsem
Invidia.

Suetonius in *Caligula cap.* 5. de ejusdem patre Germanico Cæsare scribens, ait: *Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversæ Deum aræ, Lares à quibusdam familiares in publicum abjecti, partus* E *conjugum expositi.* Hinc *Pedo* dicebat in funere *Drusi* Deos in clausis templis occultari *metu invidiæ* quam meruerunt, optimum Ducem ac rei *Romanæ* augendæ necessarium, acerbo fato rapientes. Haud tamen colonis *Pisanis* ejus ætatis in Deorum templis claudendis, impiæ licet simulacrorum superstitioni mancipatis, majoris etiam impietatis crimen affingam. Itaque eo consilio, justitio durante, templa occluserunt, ut vel Dii ipsi in partem publicæ mœstitiæ venire velle viderentur: seu ne lugubri spectaculo Deorum oculos funestarent. Hinc cum Feralia sacra Manibus mense Februario *Romæ* fiebant, Deorum templa F claudebantur. Ovidius *lib.* II. *fastorum.*

Di quoque templorum foribus celentur opertis;
Thure vacent aræ: stentque sine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulcris
Errant: nunc posito pascitur umbra cibo.

Cur enim templa Deorum patuissent, cum justitio incumbente, nullus ad illorum aras accedere posset, quod mutata veste omnes essent sordidati, hoc est, obsoletis ac squalidis vestibus amicti? Etenim puras atque albas vestes induti, templa sacris

A cris operaturi, subibant. Sacerdos apud Plautum in *Rudente Act.* 1. cum videret feminas *mœstiter vestitas* ad templum accedere, inquit:

—— —— æquius vos erat
363 *Candidatas venire, hostiatasque ad hoc*
Fanum: ad istunc modum non veniri solet.

Horatius *lib.* II. *Sat.* 2.

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Ovidius in exilio albatus Natalem uxoris celebrabat. *Lib.* V. *Trist. Eleg.* 5.

Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.

B Cum primum felix prælii exitus contra *Antonium* apud *Mutinam Romæ* nuntiatus esset, ac plures contenderent saga deponenda, ac publicas supplicationes decernendas, Cicero *in Philippicæ XIV.* initio *reditum ad vestitum confectæ victoriæ* reservandum dixit, addens: *Quæ est autem ista sententia, ut in hodiernum diem vestitus mutetur, deinde cras sagati prodeamus?* Quod tum turpe erat, *tum ne Diis quidem immortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad saga sumenda discedere.* Igitur albis togis amicti, non autem ob mutatas vestes, sordidati ad Deorum aras accedebant. Quamvis autem in fine ejusdem orationis dicat: *M. Cornutus prætor urbanus supplicationes per dies*
C *quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat*, eas supplicationes dubio procul habendas distulere, quousque à sagis ad togas redissent. Etenim in Philippica XII. dicit cunctos Antonii *scelere in hac vestitus fœditate*, nempe in sagis, constitutos; nec fas erat sordidatos ad Deorum templa adire. Immo nec licebat ludos, quod Diis sacri habebantur, à sordidatis celebrari. Tiberius apud *Tacitum lib.* III. mœsta ob mortem *Germanici* urbe, proposito edicto hortatus est, *quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent. Tum exuto justitio, reditum ad munia.* Scribit eadem de re Suetonius *cap.* 6. *in Caligula: Non edictis in-*
D *hiberi luctus publicus potuit, duravitque etiam per festos Decembris mensis dies*, nempe Saturnalibus. Mortuo Ælio Cæsare Kal. Januariis, nullum justitium indictum, sed *ab Hadriano votorum causa lugeri est vetitus*, ex Spartiano *de vita Hadriani cap.* 23. hæc enim vota pro salute Imperatorum nuncupabantur tertio Nonas Januarias. De hisce votis nuper scripsit Jo. Petrus Bellorius *de Romana antiquitate* ultra omne præconium benemeritus, in doctissima Diatriba de nummo Antonini Pii. Hæc omnia illustrat Livius *lib.* XXII. describens luctum *Romæ* post *Cannensem* cladem susceptum: *Adeo*, inquit, *totam urbem explevit luctus, ut sacrum an-*
E *niversarium Cereris intermissum sit: quia nec lugentibus id facere est fas, nec ulla in illa tempestate matrona expers luctus fuerat.* Itaque ne ob eandem causam alia quoque sacra publica, aut privata desererentur, Senatus consulto diebus triginta luctus est finitus. Ex his altera causa colligitur clausorum *Pisis*, durante publico luctu, templorum, quod nec supplicationes nec sacrificia id temporis fieri poterant; unde nec opus erat templa recludere, nullis ad eadem sacrorum causa adeuntibus. Porro nulla veterum Coloniæ *Pisanæ* templorum vestigia supersunt. Unicum extat saxi fragmentum in exteriori parte majoris Basilicæ ad meridiem, inscriptum: RERI SAC. AVG. LIB. ACTE: *Cereri sacrum Augusti liberta Acte.*
F Hæc fortassis fuit famosa Neronis amoribus liberta, de qua plura habet Tacitus *lib.* XIII. & Suetonius *cap.* 28. in Nerone: *Actem libertam*, inquit, *paullum absfuit, quin justo matrimonio sibi conjungeret: submissis consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent.* Num ipsa Acte suis impensis ædem *Cereri Pisis* extruendam curaverit, an quispiam Coloniæ civis ad demerendam sibi libertæ 364
apud Principem potentissimæ gratiam, ejusdem nomen, quod probabilius videtur, inscripserit, nec scio, nec inquiro. Quod tamen eo nomine diversorum *Cæsarum* libertæ nuncupatæ fuerint, non ausim affirmare uti certum *Neronis* libertam ibidem designari. Præter templa, publicas etiam balneas, durante luctu, claudi jusserunt: BALNEISQVE PVBLICIS *clausis.* Cum veteres ad valetudinem primum, dein ad delicias lavarentur, non modo *Romæ*, verum etiam in coloniis ceterisque oppidis balneæ publicæ visebantur, quarum aliquas Cæsares, vel ditissimi civium gratuitas populo extruebant, cum aliæ essent meritoriæ. *Romæ* quidem *Diocletiani*, *Severi*, aliorumque Thermæ etiamnum visuntur, quas inter *Diocletianeæ* ob magnitudinem oppidi instar sunt. Balnearum in coloniis tituli prostant apud Gruterum *pagina* 180. & seq. *pag.* 376. 5. 494. 5. *Pisanæ* in *Cajano* cenotaphio laudantur. Harum ruinæ adhuc *Pisis* visuntur ad portam *Lucensem*, ex quibus vasta earundem moles intelligitur; præsertim cum in vicinis hortis illarum fundamenta ad mirabilis artificii turrim majoris Basilicæ usque ducantur. Hæc quidem subtus terram latent; verum unicum balnearum hypocauston adhuc integrum superest, quod olim *Franciscus Robortellus* litigiis contra celeberrimos suæ ætatis scriptores ultro susceptis, famosus, ac postea *Franciscus Maria Ceffinius* Equestris Ordinis vir, ac in Academia *Pisana* princeps Juris Professor vespertinus, literarum eruditione ac morum elegantia domi forisque celebratus, datis ad viros doctissimos literis, descripserunt, quas *Joannes Rhodius* magnæ vir lectionis, suis in *Scribonium Largum* commentariis inseruit. Porro hypocauston octogona forma constructum visitur, altum pedes *Romanos* XXXI. ac dimidium: longum vero P. XXXIV. itidem cum dimidio. Tubuli intra parietem surgunt, per quos igneus vapor è præfurnio receptus, parietem circumquaque calefaciens, sursum ad hemisphærium ascendebat. Loculamenta in modum statuariæ thecæ intra parietem interiorem à pavimento surgentia visuntur, in quibus consistentes sudabant. Hemisphærium in summitate rotundam fenestram habet, quæ æreo clypeo catena suspenso, obstruebatur. Cujus rei causam aperit Vitruvius *lib.* V. *Mediumque*, inquit, *lumen in hemisphærio relinquatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendeat, per cujus reductiones & demissiones perficietur sudationis temperatura.* Plinius *lib.* II. *epist.* 17. Laurentinum suum describens, ait: *Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet.* In medio vero fornicis ea fenestra aperiebatur, ut æqualiter in hypocausto calor temperaretur, nec cuilibet vento directe exposita esset. In inferiori autem curvatura hemisphærii octo fenestræ & quidem quadratæ panduntur, æqualiter in gyrum dispositæ, eæque sesquipedales. *Robortellus* putavit hasce etiam fenestras æneis clypeis tectas fuisse ad vim caloris temperandam. Verum orbiculatum in fastigio foramen id commode præstabat, nec tot fenestræ eum in usum multiplicandæ erant. Rectius Eques *Ceffinius* ad ornatum easdem factas censuit; nempe ut specularibus convestitæ, calorem retinerent, ac majorem lucem admitterent. Addit tamen easdem à vetustis scriptoribus omnino prætermissas, suamque de iisdem opinionem *doctiorum conjecturis* remittere. Hanc sane eruditissimi atque amicissimi viri sententiam non equidem uti doctior, sed tanquam curiosior paucis firmabo. Balneas antiquitus obscuras fuisse testatur Seneca *epist.* 86. scribens de balineo *Scipionis Africani:* 365

Bal-

Balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine A *antiqua. Non videbatur majoribus nostris caldum, nisi obscurum.* At posteriori ætate cum universa *Romæ* luxus occupasset, intra balneas etiam admissus est. Hinc fenestræ ac specularia in eisdem ad ædificii pulchritudinem multiplicata. Audiatur iterum Seneca: *In hoc balneo Scipionis minimæ sunt rimæ magis, quam fenestræ, muro lapideo exsectæ, ut sine injuria munimenti lumen admitterent. At nunc blattaria vocant balnea, si quæ non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi & lavantur, simul & colorantur, nisi ex solio agros & maria prospiciant.* Hinc non tantum baptisterium describit, in quo lavabantur, B sed etiam hypocauston, in quo & sudabant, & ungebantur; unde laudato *Plinio* idem dicitur *unctuarium hypocauston.* At fenestræ, quas *Seneca* appellat, non erant circa fornicem, sed paullo supra pavimentum aperiebantur, cum è solio maria atque agri prospicerentur. Statius tamen *lib.* I. *Sylvarum* describens balneum *Etrusci*, fenestras in superiori concameratione sitas, non obscure indicat, scribens:

Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.

Hic loquitur de hypocausto, dum igneo æstu solem uri dicit; C illis vero verbis *multus ubique dies*, fenestras in gyrum circumquaque dispositas innuit, per quas sol toto die in balneariam cellam admittebatur. Martialis *lib.* VI. *epigr.* 42. easdem *Etrusci* balneas describens, ait:

Lux ipsa est tibi longior, diesque
Nullo tardius à loco recedit.

Quod solis radii per aliquas fenestrarum quacumque hora diei in balneum admittebantur, seu uti dicebat de balneis Seneca *totius diei solem fenestris* recipiebant. Dum vero *Statius* scribit à sole *culmina totis radiis perforata*, easdem fenestras in curvatura hemisphærii, D uti in *Pisano Laconico* apparent, fuisse aperte significat. Sane sequiori ætate sub imperio Cæsarum balneæ obscuriores contemptui erant. Hinc *Martialis* tenebricosas *Grylli* cujuspiam balneas irridet *lib.* I. *epigr.* 60.

Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli.

Et rursus *lib.* II. epigr. 14. de *Selio* ubique se lavante, ut ubique ad cœnam invitaretur, scribit:

Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi.

Seneca laudatus: *Quantæ nunc*, inquit, *aliqui rusticitatis damnant Scipionem, quod non in caldarium suum latis specularibus diem admiserit?* E *quod non in multa luce decoqueretur.* Hinc colligo *Pisanas* thermas post *Augusti* imperium extructas, & si conjecturæ indulgere liceat, *Antonino Pio* imperante. Nam plurium lapidum fragmenta in exteriori parte majoris Basilicæ visuntur, ejusdem Principis nomine inscripta, quæ ex thermarum ruinis illuc deportata suspicor, quod nulla alia vetustiora monumenta *Pisis* supersint. Cum doctissimus *Cessinius Pisanum Laconicum* perlustraret, à vicino pistore sarmentis ac virgultorum fascibus oppletum locum offendit, ædilibus indignatus, qui unicum veterum *Pisarum* ædificium virorum illustrium scriptis commendatum, F vilibus adeo usibus deputassent. Verum in præsentia asinorum stabulum evasit. Tanta rerum vetustarum
366 incuria cives manet. Ita summa imis longa dies miscuit, ut gratuitum *Pisanæ* coloniæ balneum nostra ætate in meritorium rudentium animalium stabulum versum, vix præ fœtore venerandæ antiquitatis studiosorum aspectum admittat. *Pisani* hypocausti figuram exhibeo *.

* Vide Tab. IV. Fig. 8. Pag. 96.

Laconici hujus forma interior.

Alt. Palm. Rom $31\frac{1}{2}$. Long. Palm. $34\frac{1}{2}$.

A. *Loculamenta in quibus homines ad sudandum consistebant.*
B. *Fornix.*
C. *Fenestræ quadratæ.*
D. *Fastigium Subdivale & apertum, ex quo clypeus dependebat.*

Ceterum, ut ad intermissam narrationem revertar, thermæ publicæ *Pisis* tempore justitii clausæ fuerunt; neque enim decebat, homines sordidas ac squalentes vestes indutos, interiores corporis maculas lavacris eluere. *Cajus Cæsar Drusilla* sorore, teste Suetonio *cap.* 24. defuncta, *justitium indixit: in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge, liberisve, capitale fuit;* ut universis non modo balneis publicis, verum etiam privatis interdictum fuerit. Mortuo *Constantino*, Eusebius *lib.* IV. *cap.* 69. *de vita* ejusdem scribit: *Balnea & fora rerum venalium clausa.* Nullus ignorat in balneis odoratis unguentis corpora perungi solita, quæ inter lugubria cessabant. Regum II. 14. *Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum.* Præterea Esther. 14. 2. *Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis cinere & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis.* Quod vero Hebræi cum mœsti ac lugentes jejunabant, unguentis abstinebant, Martialis *lib.* IV. *epigr.* 4. eosdem inter pessime olentia referens, ait:

Quod jejunia Sabbatariorum:
Mœstorum quod anhelitus reorum.

Huc revoco illa Plinii ex *lib.* XIII. *cap.* 13. *Aquilæ certe ac signa pulverulenta illa, & custodiis horrida unguntur festis diebus*, ut majori lætitia dies festi celebrarentur.

Non solum templa ac balneas, verum etiam & tabernas occludi jusserunt: ET TABERNIS 367
OMNIBUS CLAUSIS. Tabernas in signum publici mœroris claudere *Romani* jam inde à primis sæculis conditæ urbis consueverunt. Cum *Sabini* consulem ac legiones intra castra obsiderent, *L. Quintius* Dictator, *justitium*, inquit Livius, *lib.* III. *edicit; claudi tabernas tota Urbe jubet.* Cum primum intellexere legiones ad furcas Caudinas sub jugum à Samnitibus missas, *extemplo sine ulla publica auctoritate concessus in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ, justitiumque in foro sua sponte cœptum prius quam indictum; laticlavi, annuli aurei positi*, ex eodem *lib.* IX. Cum cæsi *Posthumii* consulis, ac fugatarum legionum nuntium accepissent, tabernas conclusere. Verum Senatus injunxit Ædilibus, *ut urbem circuirent, aperirique tabernas, & mœstitiæ speciem publice urbi demi juberent.* Idem *lib.* XXIII. Cum *Caligula* ob mortem sororis *Drusillæ* justitium indixisset, auctor est Philo *in libro de legatione ad Cajum Alexandriæ officinas propter luctum in morte Drusillæ clausas fuisse.* Hinc *Pisani* publicæ mœstitiæ speciem in acerba *Caji* morte ostensuri, tabernas omnes occluserunt.

Insuper quo luctus in omnem formam susceptus videretur, jussi sunt universi CONVICTIBUS SESE APSTINERE. Et hoc vel apud barbaros mœroris signum fuisse testatur Suetonius *cap.* 5. *in Caligula*, scribens maxima doloris indicia ob mortem *Germanici* Cæsaris barbaros ipsos ac *Romano* nomini alias infestos dedisse: *Regum etiam regem & exercitatione venandi, &* CONVICTU *Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar est.* Hic erat *Artabanus* rex *Parthorum*, ex Tacito *lib.* II. *Annalium*, ubi narrat *Artabanum* legatos ad *Germanicum* misisse significans *se cupere renovari dextras, daturumque honori Germanici,*

nici, ut ripam Euphratis accederet. Megiſtanes apud *Parthos* iidem qui primates, ſeu Summates à voce Græca μεγιςος *maximus*; Satrapæ vulgo à ſcriptoribus appellati. Tacitus *lib.* XV. *de Corbulone* ſcribit: *Megiſtanas Armenios, qui primi à nobis defecerant, pellit ſedibus, caſtella eorum excindit.* Cum *Cicero* poſt Pharſalicam cladem, ac bella in *Africa* & *Hiſpania* à *Cæſare* profligata, abjecta ſpe Reipublicæ reſtituendæ, rus ſeceſſiſſet, L. Lucejus *lib.* V. *famil. epiſtolam* 14. ad eundem ſcribens, cum dixiſſet *& lacrymis & triſtitiæ te tradidiſti*, addit: *Gratia contendimus & rogando, ſi quid noſtra cauſa vis, ut iſtis te moleſtiis laxes, & ad convictum noſtrum redeas, & ad conſuetudinem vel noſtram communem vel tuam ſolius & propriam.* Octavia mortuo juvene *Marcello* filio, perpetuo dolori ſe tradidit, uti fuſius narrat *Seneca cap.* 2. de conſolatione ad Marciam: *A ſolemnibus officiis ſeducta, & ipſam magnitudinis fraternæ nimis circumlucentem fortunam exoſa, defodit ſe, & abdidit.* Ita convictu ſeſe abſtinuit. Cum *Germanici* cineres *Romam* deferrentur, conſules ac Senatus, ac magna pars populi viam complevere; *Tiberius atque Auguſta publico abſtinuere, inferius majeſtate ſua rati, ſi publice lamentarentur*, ex Tacito initio *lib.* III. *Annalium. Caligula* ob mortem *Druſillæ* ex Seneca *cap.* 36. *de conſulat. ad Polybium, conſpectum converſationemque civium ſuorum profugit.* Converſatio idem eſt ac convictus argenteæ ætatis ſcriptoribus uſitata vox, uti magnus verborum Latinorum cenſor Scioppius in *lib. de ſtylo hiſtorico* notavit. Idem Seneca ad Helviam matrem *cap.* 15. ait: *Adjicis iſtis loca ipſa gratulationum & convictuum, & ut neceſſe eſt, efficaciſſimas ad vexandos animos recentis converſationis notas.*

368 His autem mœſtitiæ publicæ ſignis additur: MATRONAS *quæ in colonia noſtra ſunt*, SUBLUGERE. Matronis in funere clariſſimorum virorum diuturniorem fletum ſuſceptum frequenter in vetuſtis hiſtoriis legimus. Livius *lib.* II. *Bruti* funeri publica mœſtitia decus additum ſcribit, *quia matronæ annum ut parentem luxerunt. Coriolano* defuncto, teſte *Plutarcho* de vita ejuſdem, *poſtulantibus matronis, ut eum decem lugere menſes liceret, conceſſum: qui mos lugendi patrem, filium, ac fratrem erat.* Quæ vero mulieres matronæ dicerentur, tradit Gellius *lib.* XVIII. *cap.* 6. ubi rejecta *Ælii Meliſſi* opinione, ait: *Matronam dictam eſſe proprie quæ in matrimonium cum viro conveniſſet.* Hoc autem nomine veniebant ex Paullo apud Feſtum, *quibus ſtolas habendi jus eſſet.* Hinc Valerius Maximus *lib.* VI. *cap.* 1. initio pudicitiam alloquens, ait: *Te cuſtode, matronalis ſtola cenſetur.* Et Vitruvius *lib.* 1. *cap.* 1. *Itaque*, inquit, *oppido capto, viris interfectis, matronas eorum in ſervitutem abduxerunt. Nec ſunt paſſi ſtolas, neque ornatus matronales deponere.* Ovidius *lib.* II. *Triſtium:*

Ecquid ab hac omnes rigida ſummovimus arte:
Quas ſtola contingi, vittaque ſumpta vetat?
At matrona poteſt alienis artibus uti:
Quodque trahat, quamvis non doceatur, habet.

Matronæ autem juſſæ ſunt SUBLUGERE. Seneca epiſt. 63. *Annum feminis ad lugendum conſtituere majores, non ut tandiu lugerent, ſed ne diutius; viris nullum legitimum tempus eſt, quia nullum honeſtum.* Dio *lib.* LVI. cum Auguſti mortem, ac juſta eidem perſoluta narraſſet, ait: *Luxerunt eum viri haud multos dies, mulieres autem integrum annum, quod decretum erat.* Ita in Piſano decreto non viris, ſed matronis tantum luctus injungitur. Lege 3. *D. de his qui notantur infamia*, in edicto prætoris legitur: *Intra id tempus quo elugere virum moris eſt, antequam virum elugeret, in matrimonium collocaverit &c.* Cujacius

A ad L. 2. *ſi qua ex feminis C. de ſecundis nuptiis*, recte notat *elugere* idem eſſe ac luctum perficere, ut *enavigare*, navigationem perficere. Plinius *lib.* VI. *cap.* 17. ait: *Proditur Alexandrum Magnum nullo die minus ſtadia DC. navigaſſe in Indo, nec potuiſſe ante menſes quinque enavigare.* Livius *lib* XXXIV. *de feminis* ait; *Quid aliud in luctu quam purpuram & aurum deponunt? quod cum eluxerunt, ſumunt. At prolugere* ex Feſto dicuntur, *qui ſolito diutius lugent.* Ita *Octavia Auguſti* ſoror *Marcellum* amiſſum proluxit. Verum *ſublugere* in noſtro Cenotaphio non quidem ſignificat aliquantulum lugere, ſicut *ſubdubito, ſubluceo, ſubalbico* B vim ſuæ ſignificationis ob illam particulam *ſub* aliquantiſper imminuunt, ut Grammaticis notum; nam ut ibidem legitur: *pro magnitudine tantæ ac tam improviſæ calamitatis*, cum juſtitio publico indicto, in omnem formam luctus in colonia eſſet, non aliquantulum, ſed plane juſte lugere matronæ juſſæ ſunt. Itaque ſublugere ſignificat, ſub recitatis publici mœroris inſignibus lugere.

Tempus juſtitii ob mortem *Caji Cæſaris* in *Piſana* Colonia obſervandi, hiſce terminis in eodem Cenotaphio definitur: *Ex ea die qua ejus deceſſus nuntiatus eſſet, uſqui ad eam diem qua oſſa relata, atque condita, juſtaque ejus Manibus perfecta eſſent.* C Igitur juſtitium incœptum fuit IV. Non. Aprilis A. V. 757. à parilibus, quo die nuntius de morte *Caji Piſas* allatus eſt. Tum primum templa Deorum, balneæ publicæ ac tabernæ omnes occluſæ ſunt, ac Matronæ *Piſanæ* luctum inchoarunt. 369 Qua vero die juſtitio exuto, ad munia reditum ſit, ignoratur, cum lateat dies, qua *Caji* Manibus juſta *Romæ* perfecta fuerint. Mortuo *Druſo Auguſti* privigno ac *Tiberii* fratre in *Germania*, cum milites ejuſdem corpus ibidem cremare vellent, *Tiberius* cadaver ab eiſdem impetravit, ac eximia continuati funeris pompa, per *Romana* oppida *Romam* advexit. D *Pedo Albinovanus* ad Liviam ait:

Quippe ducem arſuris exercitus omnis in armis,
Inter quæque ruit, ponere certus erat.
Abſtulit invitis corpus venerabile frater,
Et Druſum prunæ quod licuitque dedit.

Nempe inteſtina, quæ in *Germania* cremata fuere; corpus vero in campo Martio rogo impoſitum fuit, ac juſta eidem facta eximia pompa, ex Livio *lib.* CXLV. At cum *Germanicus* in *Syria* obiiſſet: *Sane corpus ob longinquitatem itinerum externis terris quoquo modo crematum*, teſtatur Tacitus *lib.* III. *Agrippina* autem illius uxor ac noſtrorum *Cæſarum* ſoror, oſſa ac cineres *Romam* detulit. E Ita in *Caji Cæſaris* funere factum fuiſſe ejuſdem Cenotaphium oſtendit; ſiquidem ob itineris longinquitatem in *Lycia* ejuſdem corpore cremato, cineres & oſſa *Romam* RELATA, in Mauſoleo *Auguſti* CONDITA ſunt. Ovidius *lib.* III. *Triſt. eleg.* 3. utroque verbo in uno & altero verſu uſus eſt, quos junctos exhibeo.

Oſſa tamen facito parva referantur *in urna;*
Inque ſuburbano condita *pone ſolo.*

Habes hic *oſſa relata atque condita.* Oſſa condere idem eſt, ac ſepulcro inferre. Ita *L.* 3. *D. de relig. & ſumpt. fun. Sepulcrum eſt ubi corpus oſſave hominis condita ſunt.* Et *L.* 39. ibid. F *juſtæ ſepulturæ, id eſt, terra conditum corpus.* Et *L.* 5. *D. de mortuo infer.* dicuntur *Reliquiæ hominis conditæ.* Tacitus lib. 1. *Trium legionum oſſa &c. condebant.* Cicero *lib.* II. *de legibus* recitans illud Ennii de Africano: *Hic ſitus eſt*, addit: *Vere; nam ſiti dicuntur ii, qui conditi ſunt.* Virgilius V. *Ænead.* v. 46.

Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo relliquias, divinique oſſa parentis
Condidimus terra.

Lucanus *lib.* VIII.

Condita laudabit Magni socer impius ossa.

Silius *lib.* IV.

—— *tellusque hostilis conderet ossa..*

In vetustis inscriptionibus pag. 696. 5. hæ literæ in fine epitaphii visuntur: O. E. B. Q. C. quæ *Scaliger* interpretatur: *Ossa ejus bene quiescant condita.* Additur in cenotaphio *Caji: Justaque ejus Manibus perfecta essent*; videlicet quousque cremato cadavere, solemnia funebria perficerentur. Nam putabant animas defunctorum vagari, donec earum corpora insepulta jacebant. Virgilius *lib.* VI.

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.

Tertullianus in *libro de anima cap.* 56. Gentilium opinionem exponens, ait: *Creditum est insepultos non ante ad inferos redigi, quam justa perceperint.* Cicero *lib* II. *de leg. Nec tamen*, inquit, *eorum an-*
370 *te sepulcrum est, quam justa facta.* Et *leg.* 2. *D de in jus vocando*, cavetur ne quis *justa mortuo facientem* in judicium vocet.

Hic *Gutherii* quædam opinio refellenda est. Is *libro* I. *de jure Manium cap.* 6. scribit, consule, seu quocumque cum imperio proconsulari in acie, vel in castris defuncto, non potuisse ejusdem cadaver intra urbem inferri, quod Dio de mortuo *Druso* scribat *libro* LV. sub initium: *Quoniam, qui cum exercitu ab urbe profectus esset, fas non fuit intra pomœrium intrare, cum ea quæ ante perfici majorum instituta juberent, non adimplesset.* At vir eruditus infeliciter hallucinatur. Nam Dio de *Augusto* ea scribit, non de *Drusi* cadavere, quod reapse in urbem advectum, ac in ipso foro expositum idem Auctor testatur, scribens: *Cadavere ejus in foro proposito, duplex Drusi laudatio; una à Tiberio in ipso foro: altera in Flaminio Circo ab Augusto habita est, qui cum exercitu Urbe profectus, neque fas ei erat intra pomœrium intrare &c* uti proxime. Sane forum erat intra urbem, ac intra pomœrium. Lex vero quæ vetabat ne qui cum imperio militari esset, intra pomœrium veniret. viventibus imposita erat, non autem cadaveribus defunctorum. *Pedo Albinovanus* qui funus *Drusi* spectavit, hæc de eodem dicentem *Liviam* inducit:

Funera ducuntur Romana per oppida Drusi,
Heu facinus! per quæ victor iturus erat.
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis.
Hei mihi quam dispar huic fuit illud iter.
Cum subiit fractis mœrentem fascibus Urbem;
Quid faceret victus, sic ubi victor init?

In edito exemplari, quo usus sum, legitur: *Consuluit fratris &c.* sed citra dubium reponendum est: *Cum subiit*, ut carmen sensum suum habeat. *Gisbertus Cuperus* alia loca hujusce elegantissimæ elegiæ *lib.* IV. *Observat. cap.* 3. feliciter emendavit. *Augustus* quod imperio proconsulari extraordinario accepto (*Romanæ* rei licet arbiter, vetustas majorum leges servare voluit) in *Gallia* transpadana substiterat, ut bello *Germanico* proximior esset, apud *Ticinum* cadaver *Drusi* excepit, ac *Romam* usque comitatus, extra pomœrium mansit; prius enim imperium proconsulare deponere, ac res eo bello gestas Senatui exponere debuit, antequam urbem ingrederetur. Dio *in fine lib.* XXXIX. *de Pompejo* scribit: *Idemque populo extra pomœrium congregato, quia ipsi proconsulare imperium tum gerenti in urbem venire non licuit, multa pro Gabinio verba fecit.* Hinc pluries apud *Livium* iis qui cum imperio ad urbem sive comitiorum, sive triumphi causa accederent, Senatus extra urbem datus legitur. Tacitus *lib.* III. recitans quæ vulgo dicebantur de honoribus defun-

A cto *Druso* ab *Augusto* habitis, ait: *Ipsum asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem à corpore, simul urbem intravisse, circumfusas lecto Claudiorum Juliorumque imagines, defletum in foro &c.* Et quidem de *Drusi*, qui in consulatu decessit, cadavere in Urbem illato cum *Dione* consentit, quamvis *Augustus* extra pomœrium Urbis substiterit. Immo quod de progresso *Ticinum* usque *Augusto* ad corpus demortui *Drusi* excipiendum, *Tacitus* scribit, dubium facit *Valerius Maximus*, *Tacito* auctor antiquior, quique suum opus *Tiberio* Imperatori nuncupavit; etenim *lib.* V. *capite* 5. scribit: *Tantum enim*
B *amorem princeps parensque noster insitum animo fratris Drusi habuit, ut cum Ticini, quo victor hostium* 371
ad complectendos parentes venerat, gravi illum & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognosceret, protinus inde metu attonitus erumperet &c. Igitur *Augustus* ac *Livia* erant *Ticini* sub obitum *Drusi.* Utut de *Augusto* sit, ex *Tacito* etiam constat *Drusi* in consulatu mortui cadaver in Urbem deportatum. Neque id novo exemplo; nam *Rutilii* consulis bello Italico interempti cadaver *Romam delatum* testatur Appianus *libro primo bel. civ. pagina* 376. *Hircii*, ac *Pansæ* consulum, qui civili bello ad *Mutinam* ceciderant, corpora *Romam*
C missa idem scribit *lib.* III. *pagina* 574. Nullus dubito quin *Caji* etiam ossa ac cineres in ferali urna *Romam* delata, post laudationes funebres in Rostris recitatas, in Augusti Mausoleo conditæ fuerint. Tunc justis eidem *Romæ* perfectis, *Pisana* colonia diuturniorem justitium exuit, reclusis Deorum templis, balneis ac tabernis apertis, ac luctu à matronis finito, universi positis lugubribus, ad priorem vestitum rediere.

CAP. III.

Dies obitus Caji Pisis Alliensis *decernitur. De diebus atris apud* Romanos. *Plurimi etiam Chri-*
D *stiani eorundem superstitione olim tenebantur. Dies cladis* Alliensis *semper infausti ominis habitus.* Plutarchus *vanam atrorum dierum religionem demonstrat. Quædam de diebus* Ægyptiacis *adnotata: ac vetus Kalendarium explicatum. Sacrificia ac supplicationes atro die vetabantur. Quidam nec eo die parentalia licere arbitrati. Cur Janum in sacrificiis præfabantur. Sponsalia eo die* Pisis *inhibita.* Scaliger Festum *perperam corrigit. Sponsalia in luctu domestico permissa. Convivia funesto die prohibita.* Ludi Circenses *ac* Scænici *eo quoque die* Pisis *vetati. Plura de* Circensibus *in coloniis editis colliguntur. Ludi*
E *scænici Diis placandis stulte inventi.*

PIsani quo semel in morte *Caji* suscepti doloris memoria ad seros quosque posteros propagaretur, jusserunt, ut in Cenotaphio ejusdem legitur: *Diem eum quo die Cajus Cæsar obit, qui dies est ante diem VIIII. Kalend. Martias, PRO ALLIENSI lugubrem memoriæ prodi, notarique in præsentia, omnium jussu, ac voluntate.* Varro *lib.* V. L. L. ait: *Alliensis dies ab Allia fluvio dictus; nam ibi exercitu nostro fugato, Galli obsederunt Romam.* Anno ab Urbe condita 365. ad *Alliam* flumen undecimo ab *Roma* lapide, *Romani* in-
F gentem à *Gallis* cladem acceperunt, ac tertio postea die barbari victores urbem, nemine defendente, occuparunt, paucis quibusdam Capitolium tenentibus. Hoc infortunium *Romanis* contigit XV. Kal. Augusti, quem diem lugubrem semper habuere. Livius *lib.* VI. ad A. V. 366. ait: *Tum de diebus religiosis agitari cœptum, diem* 372
ad XV. Kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fœde pugnatum, à posteriori clade ALLIENSEM nuncuparunt, insignemque rei nulli publi-

publice privatimque agendæ fecerunt. Cur vero diem potius cladis, quam captæ urbis, atrum esse jusserint, prodit Cicero *lib.* IX. *epist.* 5. *ad Atticum* scribens: *Majores nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnæ, quam urbis captæ: quod hoc malum ex illo; atque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Acceptæ apud *Alliam* cladis *L. Aquinius* haruspex causam interrogatus, teste Macrobio *lib.* I. *Satur. cap.* 16. in Senatu, à quo requirendarum religionum causa accitus fuerat, respondit: *Q. Sulpicium tribunum militum ad Alliam adversus Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quinctilis.* Addit re ad collegium Pontificum à Senatu relata, Pontifices decrevisse *postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus atros dies habendos, ut hi dies neque præliares, neque puri, neque comitiales essent.* Hinc Ovidius de iisdem diebus postriduanis initio *lib.* I. *fastorum* cum Kal. Nonas, atque Idus nominasset, statim ait:

—— omnibus istis
Ne fallare, cave, proximus ater erit.
Nomen ab eventu est: illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.

Et sane horum dierum superstitio adeo in animis hominum ex majorum traditione inoleverat, ut ipsimet Christiani eosdem dies uti religiosos servarent. Unus mihi auctor sufficiat *Augustinus* in expositione epistolæ Paulinæ ad Galatas: *Nunc autem*, inquit, *innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt: die post Kalendas non proficiscor.* Idem testatur *epist.* 119. Ceterum diem *Alliensem Cicero* suo tempore religiosum fuisse testatur, quem talem etiam habitum A. V. 757. quo *Cajus* decessit, ex nostro Cenotaphio intelligitur. *Vitellius* Imperator infaustum ejus diei omen visus est omnium Principum primus contempsisse. Scribit de eodem Suetonius *cap.* 11. *Magis deinde ac magis omni divino, humanoque jure neglecto, Alliensi die Pontificatum adeptum maximum cepit.* At Tacitus *lib.* II. *hist.* non quidem *Alliensi* die Pontificatum adeptum, sed edictum de publicis cæremoniis emisisse scribit: *Funesti*, inquit, *ominis loco acceptum est, quod maximum Pontificatum adeptus, Vitellius, de cæremoniis publicis XV. Kal. Augusti edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi, Alliensique cladibus.* Auctor est Livius *lib.* VI. *Prænestinos* exercitum contra *Romanos* ducentes, apud *Alliam* flumen castra metatos, spem victoriæ loco delegantes: *Si diem*, dicebant, *contactum religione, insignemque nomine ejus loci timeant Romani, quanto magis Alliensi die Alliam ipsum monumentum tantæ cladis reformidaturos?* At *T. Quinctius Cincinnatus* Dictator jactans curaturum se, *ne qua terra infausta sit victoriæ suæ*, collatis apud *Alliam* cum hoste signis, acceptam ante annos tredecim eo ipso in loco cladem, insigni victoria pensavit. Ita nulla loci religio *Romanos* à dimicando cohibuit. At dies *Alliensis* semper apud ipsos religiosus fuit, ut nec illo die fas esset jus dicere, prœlium inire, ludos exhibere, comitia celebrare, supplicationes, sacrificia, convivia peragere, immo ne mortuis quidem parentare, ut postea ostendam. Plutarchus *in Camillo de atris diebus* disputans, vanam
373 eorundem religionem demonstrat, dicens: *Romani eadem die victi à Cimbris, Scipionis exercitum amisere. At Lucullus eo die Tigranem Armenium vicit.* Addit *Attalum* regem ac *Pompejum* Magnum eo qui ipsis natalis dies fuerat, vitam postea amisisse. Quod tamen de *Pompejo* perperam scribit; nam hic *pridie natalem ipsius*, die 29. Septembris occisus fuit ex Vellejo *lib.* II. *cap.* 53. qua die de *Mithridate* triumphaverat, ex Plinio *lib.* VI. *cap.* 26. & *lib.* XXXVII. *cap.* 2. ac Dione *libro* XLII. Immo *Plutarchus* in *Pompejo* parum sibi constans, scribit eundem jugulatum fuisse anno ætatis undesexagesimo postridie Natalis sui, annum ac duos insuper dies illius vitæ falso adjiciens, uti recte *Usserius* observavit.

Hæc vana atrorum dierum religio adeo invaluerat, ut iidem dies in Kalendariis obsignarentur. In veteri Kalendario *Constantio* imperatore scripto, sæpe legitur: *Dies Ægyptiacus. Lambecius* vir alias eruditus, in notis *tom.* 4. *Bibl. Vindebon.* ait sibi non liquere, quidnam ibidem significetur. Illi dies apud *Ægyptios* erant atri ac *Alliensi* persimiles. Sanctus *Ambrosius* in epistola Paschali ad Episcopos *Æmiliæ* scribit plerosque Christianos more Paganorum solere *varios quoque cursus Lunæ obeundis negotiis commendare, vel cavere quosdam dies; quemadmodum plerique posteros dies, vel Ægyptiacos declinare consueverunt.* Præterea S. Augustinus in laudatis comment. *epist.* ad Galatas, ait: *Plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora à Mathematicis accipiunt. Jam vero ne aliquid inchoetur aut ædificiorum aut hujusmodi quorumlibet operum diebus, quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant, nescientes, uti dicitur, ubi ambulant.* Magister, seu *Petrus Comestor in Hist. Scholast. quæst.* 15. olim opinatus est, *Ægyptios* illis diebus aliqua plaga percussos, quas quatuor supra viginti fuisse putavit, *quia in quolibet mense duo Ægyptiaci vocantur in Kalendariis.* Hanc tamen opinionem pluribus confutat Tostatus in *cap.* 12. *Exodi* ad illa verba: *Sic autem comedetis &c.* Hinc tamen patet illud Kalendarium, quod *Herwartus*, dein *Bucherius*, ac denique *Lambecius* notis illustratum, evulgarunt, *Petro Comestori* notum fuisse, quod tamen nullus eorundem Scriptorum observavit. Et sane in eodem viginti quatuor dies *Ægyptiaci* per annum signantur; mense quidem Januario, dies secundus, sextus, ac decimus sextus dicuntur *Ægyptiaci*; at mense Septembri unicus tantum dies, nempe IV. Nonas, *Ægyptiacus* notatur; in singulis vero reliquis decem mensibus unus & alter dies *Ægyptiaci* statuuntur. Nulla tamen eorundem publice saltem, apud *Romanos* religio erat; siquidem sæpe iisdem diebus ludi edebantur. Ita dies 21. Aprilis, quæ Natalis Urbis erat, ac Circensium missibus XXIV. celebrabatur, *Ægyptiacus* ibidem dicitur. Et pridie Non. Decembris legitur: *Munus Arca. Dies Ægypt.* & die 14. ejusdem mensis: *Ludi. Dies Ægypt.* Laudatus *Lambecius*, cum sexies mense Decembri legeret: *Munus Arca*, semel vero & iterum: *Munus Candida*, recte hoc alterum: *Munus Candidatorum*, interpretatur. De priori vero notat in *Bucherii* codice scriptum: *Munus Archa*, ac munus Arcadicum ibidem designatum putari. Verum ex *Lampridio* ejus vocis explicatio petenda est, qui *cap.* 43. *de vita Alexandri Severi* ait: *Quæstores candidatos ex sua pecunia jussit munera populo dare, sed ut post quæsturas præturas acciperent, & inde provincias regerent. ARCARIOS vero instituit, qui de ARCA fisci ederent munera, eademque parciora.* Itaque *Munus Arcariorum* eo in Kalendario notatur, quod munus non à privatis, sed pu- 374
blici fisci pecunia edebatur. Hactenus de diebus atris.

Pisani, ut diem immaturi obitus *Caji Cæsaris* luctuosum posteris proderent, eundem pro *Alliensi* esse, & haberi in colonia jusserunt, caventes ne quid eo die fieret, quod atro *Alliensi* die peragi vetabatur. Et in primis NE QUOD SACRIFICIUM PUBLICUM, NEVE QUAE SUPPLICATIONES fierent. Sacrificia ac supplicationes in publico luctu non fiebant; nam templa Deorum id temporis, uti dixi, occludebantur.

bantur. Gellius *lib.* IV. *cap.* 9. scribit: *Religiosi enim dies dicuntur tristi omine infames, impeditique: in quibus & res divinas facere, & rem quampiam novam exordiri temperandum est.* Livius *lib.* XXII. post Cannensem cladem descriptam, ait: *Adeoque totam urbem opplevit luctus, ut sacrum anniversarium Cereris intermissum sit, quia nec lugentibus id facere est fas &c.* Cum *M. Horatio Pulvillo* consuli templi Jovis Capitolini dedicatio forte obtigisset, alterius consulis necessarii id ægre ferentes, tali commento ab ipsa dedicatione *Horatium* revocare conati sunt. Postem jam tenenti consuli, fœdum inter precationem Deum nuntium incutiunt: mortuum ejus filium esse, funestaque familia templum dedicare non posse. Hinc Ovidius *lib.* XI. *Met. v.* 583.

At Dea non ultra pro functo more rogari
Sustinet: utque manus funestas arceat aris.

Macrobius *lib.* I. *Satur. cap.* 15. quærit cur Nonis, cum is dies non esset feriatus, nuptiarum celebritas vetaretur? respondet: *Ideo & Nonas inhabiles nuptiis esse dixerunt, ne nupta aut postera die libertatem auspicaretur uxoriam, aut atro immolaret, quo nefas est sacra celebrari.* Nulla igitur sacrificia aut supplicationes publicæ atro die fieri licebat. Et quidem cum supplicatio indicebatur, ea dies feriata ac festa evadebat. Cicero in III. Catilinaria: *Quamobrem*, inquit, *Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum conjugibus & liberis vestris.* Quare die atro ac lugubri nulla supplicatio publica haberi poterat. Immo nec ii qui exsequias ducturi erant, aut inferias Manibus daturi, quamvis ob luctum atras vestes induerent, atro die ex quorundam sententia poterant parentare. Hæc scribit idem Macrobius *lib.* I. *Satur. cap.* 16. *Sed & Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominari atro die non oportet. Q. Fabius Max. Servilianus* Consul fuit A. V. 612. ac postea Censor ex Valerio Maximo *lib.* V. *cap.* 1. Et quidem in omnibus sacrificiis sive superis sive inferis Diis illa fierent, *Janum* omnium primum, dein *Jovem* præfari debebant. Cicero *libro* II. *de nat. Deorum num.* 50. ait: *Principem in sacrificando Janum esse voluerunt.* Ovidius *lib.* I. *Fast.* hujus ritus causam quærens, *Jani* responsum subjicit:

Mox ego: cur, quamvis aliorum numina placem,
Jane, tibi primum thura merumque fero?
Ut possis aditum per me, qui limina servo,
Ad quoscumque voles, inquit, habere Deos.

Macrobius *lib.* I. *Sat. cap.* 9. Janum ait *invocari primum, quum alicui Deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum Deum, cui immolatur, accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad Deos ipse transmittat.* Hinc Gentiles irridens Arnobius *lib.* IV. scribit: *Janum in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere Deorum ad audientiam*
375 *creditis.* Cato *de re Rustica cap.* 134. instruens rusticum Cererem, facto sacrificio, suæ messi propitiam facturum, ait: *Jano, Jovi, Junoni præfator*, & *cap.* 141. docens pro agro lustrando *Marti Silvano* suovetaurilia, id est, ut ibidem explicat, porci, agni, ac vituli sacrificium faciendum, ait: *Janum Jovemque vino præfamino, sic dicito.* Turnebus *lib.* XV. *Adversf. cap.* 14. ait: *Id valet præfator; ergo quod sequitur* sic dicit, *delendum est.* At cum *sic dicito* legatur, haud ea correctione opus. Quare legendum est *præfator, ac sic dicito*, vel *præfatus, sic dicito.* Ex his patet cur sacrificia aut supplicationes atro die fieri vetabantur, quod nec *Janum* nec *Jovem* tunc quispiam præfari poterat. Formulam precum qua *Janum* ac *Jovem* præfabantur, tradit *Cato* in utroque capite laudato. Verum *cap.* 6. ostendam licitum fuisse atro die parentare.

Præterea vetarunt: NIVE SPONSALIA celebrarentur; siquidem nuptiarum celebritas atris diebus inhibita erat. Macrobius *cap.* 16. *lib.* citati, ait: *Varro ita scribit: Mundus cum patet, Deorum tristium atque inferum quasi janua patet.* Propterea addit illis diebus: *uxorem liberum quærendorum causa ducere, religiosum est.* Festus *V. Mundus*, scribit: *Mundus ut ait Capito Atejus in libro* VI. *Pontificali, ter in anno patere solet, diebus his: postridie Vulcanalia & ante diem sextum Iduum Novembris.* Lacunam supplet ibidem Paullus inserens: *& ante III. Nonas Octobris.* Scaliger in notis ait: *Pro Atejo lego Attius.* At perperam legit. Nam C. Atejus Capito à Tacito laudatur lib. III. Annalium in fine uti *principem civitatis locum studiis civilibus adsecutus.* Item Suetonio *cap.* 10. & 22. *de Grammaticis.* Gellius *lib.* IV. *cap.* 6. laudat *verba Ateji Capitonis ex quinto librorum, quos de Pontificio jure composuit.* Macrobius *libro* VII. *Satur. cap.* 13. ait: *Profero quæ de hac eadem causa apud Atejum Capitonem Pontificis juris inter primos peritum, legisse memini.* Porro *Paullus* addit ibidem eos dies inferis Diis sacratos, *quos etiam dies religiosos esse judicaverunt.* Quare quod atri essent, per eosdem jura non dabantur, nec comitia, aut sacrificia, vel nuptiæ celebrari poterant. Nuptiæ durante luctu, vetabantur. Hinc viduæ intra decem menses marito novo jungi non poterant, ut patet ex *D. de his qui notantur infamia.* Cum *Augustus Octaviam* sororem ex defuncto nuper *Marcello* prægnantem, *Antonio* uxorem, petente id exercitu, tradidisset, à Senatu impetravit, ut *Octavia* publica lege solveretur. Cum mense Februario Manibus parentum sacra piacularia fiebant, nulli uxorem tunc ducere licebat. Ovidius *lib.* II. *Fastorum* ait:

Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ,
Expectet puros pinea teda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri:
Comat virgineas hasta recurva comas.
Conde tuas Hymenæe faces, & ab ignibus atris
Aufer; habent alias mæsta sepulcra faces.

Verum licet eo tempore luctus nuptiæ celebrari vetarentur, sponsalia tamen intra id tempus licite peragi poterant. Ita *L.* 10. *D. de his qui not. infam.* ex Paullo recitatur: *Quæ virum eluget, intra id tempus sponsam fieri non nocet.* Quare *Augustus* mortuo *Agrippa*, *Juliam* ejusdem uxorem *Tiberio* despondit A. V. 742. illam tamen eidem *Tiberio* anno postea A. V. 744. copulavit, quod utrumque tradit Dio *lib.* LIV. Verum die obitus *Caji* perpetuo apud *Pisanos Alliensi*, non solum nuptiæ, sed etiam sponsalia prohibita sunt, quam- 376
vis illa, ut recte docet Florentinus *L.* I. *D. de sponsalibus*, non sint nisi *mentio & repromissio nuptiarum futurarum*, ac ex Ulpiano *L.* 4. *ejusd. tit.* sufficiat nudus consensus in nuptias futuras ad constituenda sponsalia. Cum enim ea die quotannis mœrorem ac luctum ob acerbum *Caji* fatum renovarent, sponsalibus cuique in colonia interdictum fuit, quod illa hilari animo à contrahentibus, læta universa familia, celebrabantur. *Alliensis* dies erat, quem *insignem rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt*, uti *Livius* laudato loco testatur.

NIVE CONVIVIA PUBLICA. Hæc quoque durante luctu vetita erant. Cum *Augustus* ac ceteri *Romani* cives justitium ob mortem *Caji Cæsaris* servarent, unus *Asinius Pollio* convivium id temporis cum amicis celebravit, quod cum Princeps intellexisset, per codicillos non tantum civiliter, sed etiam familiariter questus est: *quod in tam magno ac recenti luctu suo, homo carissimus*

ſimus ſibi, pleno convivio cœnaſſet, teſte Seneca patre in prooemio *lib.* IV. *controverſiarum.* Ibidem in controverſia priori patrem à ſepulcro, ubi tres recens amiſſos filios lugebat, ad convivium vi abductum, hæc fantem inducit: *Credo mirari aliquem, quod in forum amiſſis modo liberis, veniam. At ego jam in convivio fui*; & poſtea: *Projectus in omnia gulæ libidiniſque flagitia, omnibus denotandus cenſoribus.* Paullus inſignis Juriſconſultus *lib.* I. *recept. ſent. cap. ult.* ait: *Qui luget, abſtinere debet à conviviis, ornamentis, & alba veſte.* Auctor eſt Plutarchus *in Sylla*, hunc ex univerſis fortunis, quas ampliſſimas in tot ditiſſimorum civium proſcriptione collegerat, *Herculi* decimam partem ſacrificantem, ſplendida convivia populo *Romano* inſtruxiſſe: inter quæ cum *Metella* uxor morbo gravata, ultimo jam fato urgeretur, *Sylla*, ne publicam domus lætitiam funeſtaret, *ſcripto ad illam repudio, viventem adhuc, alterum in domicilium transferri juſſit. Caligula* inſtante juſtitio in morte *Druſillæ* non modo publica convivia, ſed privatas etiam in communi domeſticorum accubitu cœnas inhibitas voluit. Verba ſunt *Suetonii cap.* 24. *Eadem defuncta juſtitium indixit: in quo riſiſſe, laviſſe, cœnaſſe cum parentibus, aut conjuge, liberiſve capitale fuit.* At *Piſani* publica tantum convivia prohibuere. Quidam tamen cum memoriæ ſuorum munus darent, epulum publicum *Romano* populo exhibere ſolebant, in quo tamen albati accumbebant. Cum in funebri epulo *Q. Arii Vatinius* atratus interfuiſſet, uti ſuperius dicebam, *Cicero* contra eundem declamat in Vatiniana: *Cedo quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, ut munus ſit funeris, epulæ ipſæ quidem dignitatis. Sed omitto epulum populi Romani feſtum diem, argento, veſte, omni apparatu viſendo &c.* Itaque nihil lugubre interveniebat, ſed ſplendido ac ſumptuoſo apparatu epulum funebre inſtruebatur. Dio *lib.* XXXVII. *ad* A. V. 694. Fauſti epulum recitat: *Sub idem tempus*, inquit, *Fauſtus Syllæ filius ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit, populumque lauto epulo excepit, iiſque balnea, & oleum donavit. Sylla* dictator ante annos duodeviginti obierat V. C. 676. Id moris antiquitus apud *Romanos* fuiſſe teſtatur Livius ſcribens *lib.* VIII. *Viſceratio data à M. Fulvio in funere matris.* Ita vocabatur crudæ carnis facta Populo largitio. Hinc plebs bene paſta, eundem ſuum tribunum deſignavit. *Honoris etiam ei cauſa fuit, tribunatuque plebis proximis comitiis abſens præſentibus præfertur.* Idem Livius lib. XXXIX. *P. Licinii*, ait, *funeris cauſa, viſceratio data, & gladiatores LXX. pugnarunt, & ludi funebres per triduum facti, poſt ludos epulum: in quo cum*
377 *toto foro ſtrata triclinia eſſent, coegit pleroſque tabernacula ſtatuere in foro.* Hæc congerit Kirchmannus *libro* IV. *cap.* 5. *Hebræi* ſeptem dies lugebant, dein convivium celebrabant. Joſephus de *Archelao Herodis* regis filio ſcribit *lib.* XVII. *cap.* 10. *Per ſeptem dies juxta patriam legem luctu patris celebrato, & in fine luctus funebri epulo populo præbito, in templum aſcendit.*

NIVE QUI LUDI SCAENICI CIRCENSIESVE *eo die fiant, ſpectenturve.* Uti *Romæ* ita in Coloniis ludi ſcænici ac Circenſes edebantur; ſiquidem populus *Romanus*, uti Juvenalis *Sat.* X. v. 78. dicebat,

— — qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenſes.

De ludis Circenſibus eruditiſſimum volumen edidit meus conterraneus *Panvinius*; de ſcænicis vero *Lilius Gyraldus* in Dialogis de ſcæna, aliique, quos inter nominandus venit *Caſpar Bartholinus*,
A ob morum elegantiam, ac Latinæ Græcæque eruditionis peritiam ſuis exteriſque notiſſimus, qui volumini de Tibiis veterum de ſcænicis tibiis egregiam diſſertationem inſeruit. Et quidem Circenſes *Romæ* frequentiſſime per annum fieri ſolitos demonſtrat antiquum Kalendarium, quod integrum, uti plurima alia veterum ſcriptorum volumina debemus eximiæ induſtriæ *Lambecii* V. C. ibidem enim ſæpius legitur CM. XXIV. nempe: *Circenſium miſſus viginti quatuor*, ut expoſui in diſſertatione de votis Decennalibus cap. I. In coloniis etiam, aliiſque *Romani* imperii urbibus Circenſes exhibitos tum ſcriptores antiqui, tum literati la-
B pides conteſtantur. *Theodoſius* ſenior cum mane ludos Circenſes *Mediolani* ſpectaſſet, inſequenti nocte è vita diſceſſit, ex Socrate in *fine lib.* V. *Conſtantium* Imperatorem *Arelate* in *Galliis* ludos Circenſes dediſſe ſcribit Ammianus Marcellinus *lib.* XIV. *De Carthaginenſium* Circenſibus apud Patres non ſemel mentio fit. S. Auguſtinus *lib.* V. *cap.* 27. *de Alypio* celebri poſtea Eccleſiæ Africanæ Antiſtite, ſed tum juvene ſcribit: *Gurges tamen morum Carthaginenſium, quibus nugatoria fervent ſpectacula, abſorbuerat eum inſania Circenſium.* In *canone* 61. *Synodi Carthaginienſis* anno Chriſti 401.
C accuſantur fideles, quod Dominica in albis *ad Circum magis, quam ad Eccleſiam convenirent.* Et ſane ad inſaniam uſque ibidem Circenſes ſpectatos prodit Salvianus *lib.* V. *de Providentia: Circumſonabant*, inquit, *armis* muros *Carthaginis populi barbarorum, & Eccleſia Carthaginenſis inſaniebat in Circis.* Item: *Ac vix diſcerni forſitan poterat plebis ejulatio, quæ cadebat in bello, & ſonus populi qui clamabat in Circo.* Cum *Trevirenſes* quater jam à barbaris expugnati, Circenſium edendorum facultatem ab Imperatore flagitaſſent, idem *Salvianus* laudato loco vehementiori, quo pollebat, orationis impetu, in eoſdem invectus, inter cetera
D lectu plane digniſſima, ait: *Circum à Principibus poſtulatis? Cui quæſo ſtatui, cui populo, cui civitati? Urbi exuſtæ, & perditæ: plebi captivæ & interemptæ, quæ aut periit, aut luget?* Et invectivam terminans, ait: *Jacent reliquiæ infeliciſſimæ plebis ſuper tumulos ſuorum mortuorum, & tu Circenſes rogas?* Narrat ibidem ſua ætate ludicra Circenſia *non in omnibus Romanorum urbibus* acta; ſed tantum in nobilioribus, *ſed nec illic quidem agi, ubi ſemper ſunt acta antea. Non Maſſiliæ, quia delecta eſt; non Agrippinæ, quia ab hoſtibus tenetur; non Treveris, quia quater everſa eſt.* Tertullianus *capite* 7. *libri de Spectaculis* ſcribit ceteras imperii *Romani* urbes pro facultate urbanam pompam in 378
E edendis Circenſibus æmulatas. Ejus verba ſubjicio: *Ea ſi minore cura per provincias pro minoribus viribus adminiſtrantur; tamen omnes ubique Circenſes illuc deputandi, unde expetuntur; inde inquinantur, unde ſumuntur. Nam & rivulus tenuis de ſuo fonte, & ſurculus modicus ex ſua fronde qualitatem originis continet. Viderit ambitio, ſive frugalitas ejus, quo Deum offendit. Qualiſcumque pompa Circi, etſi pauca ſimulacra circumferat, in uno idololatria eſt; etſi unam thenſam trahat, Jovis tamen plauſtrum eſt &c.* De Circenſibus qui *Capuæ* edebantur, extat lex 2. Gratiani Imperatoris *tit.* 10.
F *lib.* XV. *Cod. Theodoſiani.* Circenſes in Coloniis dabantur ob magiſtratus ac ſacerdotia collata. Apud Gruterum *pag.* 431. *Sex. Ligurius* Duumvir *Lugdunenſis* ob honorem perpetui Pontificatus, congiarium Decurionibus, Equitibus, ac plebi *Lugdunenſium* largitus,

ITEM LVDOS CIRCENSES DEDIT

Pag. 101. 3. ob honorem Pontificatus *L. Lucretii* in colonia *Aſtigitana*, ſtatua pietati *Auguſti* dicitur ab eodem dicata. Et de ejuſdem filia *Flaminica* perpetua legitur:

EDITIS. AD. DEDICATIONEM. SCAENICIS
LVDIS. PER. QVATRIDVVM. ET. CIRCENSIB
ET. EPVLO. DIVISO. POSVIT

Immo non solum fæminas, verum etiam & libertos ob honorem seviratus Circenses dedisse patet ex inscriptione *pag.* 1073. 6. in qua dicitur *Sex. Quintius Sex. Quintii* libertus ob acceptum Seviratum pecuniam populo divisisse,

DATO. EPVLO. CIVIBVS. ET
INCOLIS. ET. CIRCENSIBVS. FACTIS

De Circensibus urbium in provinciis *Romanis* extat lex *Theodosii* junioris *tit. de spectaculis lib.* XV. *Cod. Theod.* qua jubet, ut diebus Dominicis, aliisque festivis solemnitatibus ibidem recitatis, *omni Theatrorum atque Circensium voluptate, per universas Urbes, earundem populis denegata, totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.* Data est ea lex anno epochæ vulgaris 425. quam accurato commentario *Brissonius* illustravit. Legatur hac de re *homilia* 5. S. Joannis Chrysostomi in *cap.* 1. *Geneseos.*

In colonia etiam *Pisana* Circenses edi solitos *Cajanum* cenotaphium prodit, in quo eorundem voluptas die anniversario obitus *Caji Cæsaris* populo denegata fuit; uti pariter scænici ludi eadem lugubri die vetiti fuere. Ludi scænici ad Deos placandos à *Romanis* publice instituti fuerant, iique dabantur, quoties plures festi dies continuabantur, quamvis aliis quoque diebus à privatis exhiberi poterant; at illi erant insigniores, quia stato tempore quotannis edebantur. Ita ludis Megalensibus, qui per sex dies mense Aprili fiebant in honorem magnæ Matris Deorum, quatuor *Terentii* comœdias recitatas, etiamnum legimus; *Phormio* ludis *Romanis* mense Septembri exhibitus
379 fuit. Ludis Apollinaribus comœdias habitas testatur Cicero *lib.* II. *ad Atticum epist.* 19. Livius *lib.* VII. auctor est A. V. 390. grassante in Urbe pestilentia ludos scænicos primitus datos: *Cum*, inquit, *vis morbi nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scænici, nova res bellicoso populo (nam Circi modo spectaculum fuerat) inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur.* Addit ludiones ex Etruria accitos, & *quia* hister *Thusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum.* Scænici autem ludi in theatro edebantur, unde & theatrales nuncupati. Arnobius *lib.* VII. contra Gentiles ait: *Vos equorum curriculis, & theatralibus ludis persuasum habetis Deos delectari, & affici voluptate, irasque aliquando conceptas, eorum satisfactione molliri.* Hinc Circenses ac scænici ludi frequentius fiebant, quod vanæ religionis superstitione consecrati videbantur, quem errorem exagitant, immo potius irrident Tertullianus in *libro de spectaculis, Arnobius* laudatus, & S. Augustinus *lib.* II. *de civitate Dei cap.* 27. appellat *talium numinum placationem petulantissimam, impurissimam, impudentissimam, nequissimam, immundissimam, cujus actores laudanda Romanæ virtutis indoles honore privavit, tribu movit, agnovit turpes, fecit infames.* Id diserte dicitur *L.* 1. *D. de his qui not. infamia*, & passim in utroque codice *in tit. de Scænicis.* Cum Cæsar quingentis millibus H-S. ex Macrobio *lib.* II. *cap.* 7. *Decimum Laberium* Equitem *Romanum* invitasset, ut in scænam prodiret; ille non quidem duodecim millibus ac quingentis scutatis *Romanæ* monetæ vocem ingenuam in scæna vendidit, sed eandem petentis potestati invitus commodavit. Hinc in prologo dixit:

Ego bis tricenis annis actis sine nota,
Eques Romanus lare egressus meo,
A *Domum revertar mimus; nimirum hoc die*
Uno plus vixi mihi, quam vivendum fuit.

Ludi scænici in *Italiæ* urbibus frequenter edebantur, ex quibus actores in minoribus theatris exerciti, *Romanas* postea aures suis facetiis implebant. Scribit ibidem *Macrobius* de Publio Syro: *Cum mimos componeret, ingentique assensu in Italiæ oppidis agere cœpisset, productus Romam per Cæsaris ludos, omnes qui tunc scripta, & operas suas in scænam locaverant, provocavit.* Augustus scænicos ludos exhibuit, iisque sæpius interfuit. Suetonius cap. 43. *Fecitque*, inquit, *nonnunquam vicatim,*
B *ac pluribus scænis per omnium linguarum histriones.* Et Ovidius *lib.* II. *Tristium*, quæ longior ipsius poetæ ad Augustum apologia est, hæc scribit:

Inspice ludorum sumptus, Auguste, tuorum:
Empta tibi magno talia multa leges.
Hæc tu spectasti, spectandaque sæpe dedisti;
Majestas adeo comis ubique tua est.
Luminibusque tuis, totus quibus utitur Orbis,
Scænica vidisti lætus adulteria.

Ita & Principis & Urbium reginæ exemplo, scænici ludi, ut in aliis civitatibus, *Pisis* quoque dabantur, ubi etiam ante *Romam* conditam exhibiti fuerant, cum histriones ex *Etruria Romam*
C postea accitos ex *Livio* dixerim. Extat in *Cod. Theod. lex* 13. *de scænicis*, in qua *Honorius* Imperator jubet mimas ad proprium officium revocari, *ut voluptatibus populi, ac festis diebus solitus ornatus deesse non possit.* At cum *Pisani* diem obitus *Caji* pro *Alliensi* deputandum jusserint, eidem diei scænica voluptas, omnisque ludorum ornatus deesse debuit. Utinam nostra ætate apud Christianæ religionis professores singuli quique dies, 380
quod theatrales ludos attinet, forent *Allienses*, ut cunctis scæna interdictum esset. Etenim hisce in theatris morum honestas turpium amorum spectaculo deturpatur, ac lenocinia, adulteria, iisque
D affinia vitia discuntur. Unde enim nisi à scæna *obscænum* ac *obscænitas* derivarunt? Non appellabo hic canonem XV. Codicis Ecclesiæ *Africanæ*, aut Sanctorum Patrum adversus ludos scænicos invectivas, ne alieno prorsus loco Christianum concionatorem agere velle videar.

Cap. IV.

Locus annuis inferiis Cæsarum destinatus, à privatis emptus. Rogi extra urbes incensi. Variæ veterum de Diis Manibus opiniones recitantur. Pluto *Summanus, hoc est, summus Manium, nuncupatus. Manes ex Leg. XII. tabul. Deos habi-*
E *tos.* Symmachus *id negans à* Prudentio *falsi convictus. Aræ supra tumulos erectæ. Inscriptio* Pisana *militaris. Aræ procul etiam à sepulcris Diis Manibus excitatæ.* Gutherius Lucani *versum perperam corrigit. Cadavera plebejorum in arca in rogum delata. Omnes aræ Deorum Manium sacræ contra* Gutherium. *Idem* Dionem *&* Appianum *falsi accusans, refellitur. Ara statim post necem Cæsaris, in foro eidem extructa.* Suetonii *dictum corrigitur.*

Nullæ huc usque è vetustis ruderibus erutæ inscriptiones inferias, quas defunctorum Manibus *Romani* dabant, nobis exposuerunt. *Lucii*
F tantum *Pisanum* Cenotaphium easdem sub oculos ponit, ac quæ sparsim apud antiquos scriptores de sacris Diis Manibus factis legimus, ea omnia literatus ille lapis ostendit. In primis autem *C. Canio Saturnino* Duumviro *Pisano* ac Decem-primis datur cura aspiciendi ac eligendi ex duobus locis, uter *publica pecunia* A PRIVATIS EJUS LOCI, *quem magis probaverint, videatur* EMENDUS, in quo ara ferali posita, Diis Manibus *Lucii Cæsaris* justa anniversaria fiant. De Decemprimis

primis dixi *differt.* I. *cap.* 3. ubi hæc Hermogeniani antiqui J.C. verba laudavi: *Decem-primi tributorum exactioni ita præerant, ut si quid detrimenti fiscus mortuorum causa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent.* Hinc decem-primis injungitur, ut de emendo loco inferiis annuis deputando, deliberent, ne quid detrimenti *Pisanæ* coloniæ ærarium caperet. Porro locus *à privatis emendus* dicitur, quia nefas erat teste Cicerone *lib.* II. *de leg. locum publicum privata religione obligari.* Et rursus ibidem: *Sic decretum à Pontificum collegio non esse jus in loco publico fieri sepulcrum.* Hinc & Ulpianus *l.* 8. *D. de relig. & sumpt. fun.* ait: *Si in locum publicis usibus destinatum, intulerit quis mortuum, Prætor in eum judicium dat.* Hic locus debebat esse purus, qui ab eodem Ulpiano *L.* I. *D. cit.* definitur: *qui neque sacer, neque religiosus, sed ab omnibus hujusmodi nominibus vacare debet.* Ita-
381 que nec publica, nec privata religione sacratus esse poterat. Is autem locus *publica pecunia à privatis emendus* dicitur. Ita in veteri saxo legitur apud Gruterum *pag.* 200. 4.

L. CALPVRNIVS PISO
M. SALVIVS
PR. AER
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS
PVBLICA. PECVNIA. REDEMPTAM
TERMINAVER

Mortuorum cadavera extra urbes à *Romanis* cremabantur, ne si rogus intra mœnia accenderetur, flamma flante vento impulsa, viciniores ædes corriperet. Cum plebs *P. Clodii* cadaver in curia combussisset, curia cum aliquot proximis ædibus conflagravit, ex Appiano *lib.* II. *bel. civ. pag.* 440. & Dione *lib.* XL. qui id factum notat, *sepulturæ ritibus temeratis.* Cui malo postea *Augustus* occurrens vetuit, *ne mortui intra duo millia passuum ab Urbe cremarentur*, teste eodem Dione *lib* XLVIII. In inferiis *Lucii Cæsaris*, post factum sacrificium, legitur: STRVEM LIGNORVM SVCCENDANT; quare ne flamma urbis ædificiis noceret, locus extra mœnia emendus fuit, in quo strues illa succenderetur. Auctor est S Cyprianus in *lib. de vanitate Idolorum*, à *Romanis* Deum Viduum coli solitum, *qui anima corpus viduet, qui quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur.* Neque enim licebat intra urbem sacra Diis Manibus facere, quod putabant sacra civitatis funestari. Hinc Paulus *lib.* II. *recept. sent. tit.* 21. ait: *Corpus in civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis, & qui contra fecerit, extra ordinem punitur.*

In lacuna quæ in eodem Cenotaphio *Lucii* visitur, ara ejusdem Manibus dicanda nominabatur, quæ ponenda erat in area publica pecunia à privatis redempta; nam postea legitur ibidem: Apud EAM ARAM *quod annis* A. D. X. . . . . . *publice* MANIBVS EJVS *per Magistratus &c. inferiæ mittantur.* Qui essent Manes, non una erat antiquorum sententia. Etenim ipsæ defunctorum animæ quibusdam Manes dicebantur. Horatius *lib. primo Sat.* 8. ait:

—— cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.

Silius *lib.* VIII.

Dii longæ noctis: quorum jam numina nobis
Mors instans majora facit, precor, inquit, adeste,
Et placidi victos ardore admittite Manes.

Divus Augustinus *lib.* IX. *de Civitate Dei cap.* II. scribit *Plotinum* insignem Platonicum tradere *ex hominibus fieri lares, si meriti boni sunt; Lemures, seu larvas, si mali. Manes autem Deos dici, cum*

A *incertum est, bonorum eum, seu malorum esse meritorum.* Appulejus in *libello de Deo Socratis* scribit animam hominis corpore exutam, *si quieto ac pacato numine domum possidet*, larem familiarem dici; si vero incerta sede vagetur, *larvam* appellari; *cum vero incertum est quæ cuique eorum sortitio eve-* 382
nerit, utrum lar sit, an larva, nomine Manium Deum nuncupant, & honoris gratia, Dei vocabulum additum est. Ovidius *lib.* V. *Fast.*

Mox etiam lemures animas dixere silentum.

Ubi eas ex Gentilium Theologia domos habitare dicit, ac sacris quibusdam, quæ inde *Lemuria* dicebantur, expelli; ritum vero ridiculum ibidem
B describit. Aliis tamen visi sunt Manes ab ipsis animabus distinguendi. Lucanus *lib.* VIII. ait:

—— Manes animamque potentem,
Officiis averte meis.

Tibullus *lib.* III. *eleg.* 2.

Præfatæ ante meos Manes, animamque rogatæ.

Silius Italicus *lib.* XIII. *de Scipione* scribit:

Ergo excire parat Manes, animasque suorum:
Alloquioque virum tantos mulcere dolores.

Martianus Capella *lib.* II. *de nuptiis* ait: *Manes corpori humano præsules attributi sunt, qui parentum seminibus manaverunt. Denique hæc omnis aeris à*
C *Luna diffusio sub Plutonis potestate consistit, qui ideo dicitur Summanus, quasi summus Manium. Verum illi Manes, quoniam corporibus eo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post vitam hisdem delectantur, atque cum his manentes, appellantur lemures.* Vetus inscriptio pag. 1015.

PLVTONI. SVMMANO
ALIISQ. DIS. STIGIIS

Arnobius *lib.* V. raptum Proserpinæ describens: *Emicuit*, inquit, *Summanus è terris quadriugo vectitatus. Plutonem* vero seu Summanum dominum Manium tradit Statius *lib.* IV. *Thebaid.*

D *Tartareæ sedes, & formidabile regnum*
Mortis inexpletæ; tuque ò sævissime fratrum,
Cui servire dati Manes, æternaque sontum
Supplicia, atque imi famulatur regia mundi.

Idem Arnobius *lib.* IV. jure optimo Gentilium errorem irridet, qui Manibus sacra facerent, cum tamen quinam reapse illi essent, ignorarent, ipso Varrone ea in re plurimum hæsitante, qui tamen omnium antiquorum volumina excusserat. Ceterum *Romani* vulgo Manes & Deos credebant, & eisdem sacra faciebant. Extat lex XII. Tabularum Ciceroni memorata *lib.* II. *de Leg. num.* 24. *Deorum Manium jura sancta sunto. Hos, leto da-*
E *to, Divos habento.* Festus *V. Manuos*, ait: *Inferi Dii Manes pro bonis dicuntur à suppliciter eos venerantibus propter metum mortis; ut immanes quoque pro valde non bonis dicuntur.* Quintilianus in præfatione *lib* VI. *Juro*, inquit, *per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos Manes numina doloris mei.* Plinius *Epicuri* de grege porcus, animæ immortalitatem irridens, Deos Manes mortuorum animas fingi affirmavit *lib.* II. *cap.* 55. *In mortis quoque tempore*, inquiens, *ipsa vitam mentitur, alias immortalitatem dando, alias transfigurationem, alias sensus inferis dando, & Manes colendo, Deumque faciendo, qui jam etiam homo esse*
F *desierit.* Ex his colligo ipsas mortuorum animas 383
vulgo pro Diis Manibus habitas. Verum postquam Christianæ religionis professores Manium divinitatem confutare occœperunt, Gentiles invictis nostrorum argumentis pressi reponere solebant, Manes juxta ipsorum sententiam Deos non esse: quod responsum manifestæ falsitatis convincens Prudentius *lib.* I. *con. Symmachum* præfectum Urbis, ait:

Esse

U V

Esse Deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipsa patrum monumenta probant: DIS MANIBUS: *illic*
Marmora secta lego, quæcunque Latina vetustos
Custodit cineres, densisque Salaria bustis.

Sepulcrales enim illi tituli DIS MANIBUS supra tumulos Latina ac Salaria via passim extantes, apparebant, uti etiam in omnibus oppidis tota *Italia* aliisque *Romanis* provinciis visebantur. Plures etiamnum cernuntur *Pisis* in ædibus *Roncionorum* ac *Tortorum*, & aliquot produxi in priore dissertatione; cetera vero id genus epitaphia *Pisana* omitto, quod præter defunctorum nomina, nihil scitu dignum continent. *Jacobus Sponius Romanæ* antiquitatis bono natus, cum ejusdem illustrandæ causa in *Græciam* transmisisset, ac vetustissimorum rituum & bonarum artium natale illud solum perlustraret, in vetustis *Græcorum* sepulcris, quorum fragmenta longior ætas ac præsens dominorum barbaries reliqua fecit, eos titulos nusquam in epitaphiis se observasse testatur *sect.* I. *Miscellan. Antiquit. art.* 7. Vir eruditus ea in peregrinatione usus est patrocinio Illustrissimi & Excellentissimi *D. Joannis Mauroceni*, cum legationibus *Sabaudica*, *Gallica*, ac *Germanica*, se ipso semper major, atque aucta ubique terrarum virtutis fama, perfunctus, *Byzantium* postremo Serenissimæ Reipublicæ Orator proficisceretur. Quo in munere tantam sibi apud universum Senatum gratiam conciliavit, ut absens inter Divi Marci Procuratores cooptatus fuerit. Prolixa laudatio quæ non quæritur, sed tenetur. Idem vero *Sponius* tria *Græca* epitaphia abs se *Romæ* visa laudat, initio hisce literis signata Θ. K. Quæ sane literæ in titulis sepulcralibus *Græcis* apud Gruterum sæpius etiam leguntur, ac præsertim in iis, qui *Romæ* dicati sunt, pag. 326. 1. 335. 1. 596 1. 634 1. 665. 8. 680. 2. 690. 8. 700. 2. 769. 4. 780. 4. 791. 2. 810. 3. 825. 4. 948. 2. 1035. 9. Equidem pag. 780. 4. legitur: Θ. KA. At pagina 825. 4. ΘΕΟΙϹ ΚΑΤΑΧΘ. At pag. 680. 2. & 1156. 7. diserte scalptum est: ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙϹ: nempe DIIS MANIBUS. Ita *Græci Romæ* habitantes, *Romano* more titulum in sepulcro inscribebant, secus ac in *Græcia* aliisque *Græcos* ritus colentibus in *Asia* oppidis fieret. In eodem opere Gruteriano illæ notæ Θ. K. semel in Græcia sculptæ *pag.* 846. 3. & iterum Ancyræ in Galatia *pag.* 1146. 2. leguntur: quæ tamen epitaphia non *Græcos*, sed Latinos homines posuisse, Latina eorundem nomina ostendunt. Ceterum vetustum ejus sepulcralis tituli apud *Romanos* morem unum & alterum epitaphium indicant, quæ à laudato *Sponio Romæ* exscripta, atque ab eodem accepta *Franciscus Biragus Mediolanensis* ad me postea transmisit. Utriusque exemplum subjicio.

384 D. M. S
M. LICINIO. M. F. CRASSO
FRVGI. LICINIAE. CRASSAE
M. LICINIVS. M. F. ESQ. IVNIOR
ARAM. D. XIII K. MART
L. AEMILIO. MAMERCO. ET
C. CAESIO. FABIO. VIBVLANO. COS

Item

DIS. MANIBVS
C. ALFIDIO. C. F. PAL. MANCINO
EQ. VIXIT. ANN. LXXXIX.
Q. ALFIDIVS. C. F. PALATINA. TAPPVS
D. D. II. NON. APRIL CN. FABIO. AMBVSTO
C. PLAVTIO. PROCVLO. VERO. COS

Prior inscriptio posita est A. V. 271. altera vero A. V. 397. & in utraque *Dii Manes* nominantur. Verum prius illud epitaphium vel spurium est, vel ab ignavo scriptore posteriori ætate præformatum fuit. Nam A. V. 271. nondum diphthongus AE *Romæ* in usu erat, sed more *Græcorum* diphthongo AI utentes, scribebant AIMILIUS, uti ostendo *dissert.* 4. *cap.* 5. Præterea in prænomine alterius Consulis erratum est; ille enim dicebatur *Kaiso Fabius Vibulanus*, ut eundem nominant Dionysius *lib.* VIII. Diodorus Siculus *lib.* XI. & Livius *lib.* II. scribens: *Tenuere tamen Patres, ut cum L. Æmilio Mamerci F. Kæso Fabius crearetur.* Ubi diphthongo AE more sui sæculi Livius usus est. *Kæso* autem ac *Cajus* distincta erant prænomina, ac primum K, alterum C, scribebatur. Hinc in fastis Capitolinis ad A. V. 296. legitur: Q. FABIUS. M. F. K. N. VIBULANUS. III. nempe *Marci filius*, *Kaisonis nepos.* Quare in posito epitaphio perperam scalptum fuit C. CAESIO, cum K. hoc est, *Kaisone* vetusto ejus sæculi charactere sculpendum fuisset; ille enim Consul Καίσων Φάβιος *Diodoro* ac *Dionysio* scribitur. Ceterum si germana esset ea inscriptio, omnium quæ extant, vetustissima censeretur, cum duobus sæculis, & quod excurrit, columnam Duilianam, qua nullum antiquius marmor inscriptum reperitur, præcederet. Alterum vero epitaphium dicatum fuit triennio post laudatam columnam, ac proinde hac excepta, ceterarum inscriptionem vetustissimam continet, ac in eadem Dii Manes nominantur. In *Lucii Cæsaris* cenotaphio jubentur inferiæ MANIBUS EJUS mitti, ac insuper victimæ. . IS MANIBUS EJUS mactari. Illustrissimus *Boldonus*, qui abs se edito Epigraphicorum volumini utramque *Pisanam* tabulam inseruit, PIIS reposuit, ubi binæ literæ in lapide detritæ sunt. Sed DIIS plane legendum puto. Macrobius *libro primo Sat. capite* 10. loquens de honoribus *Accæ Laurentiæ* vita defunctæ à Senatu decretis, ait: *Solemne sacrificium institutum, quo DIIS MANIBUS EJUS per Flaminem sacrificaretur.* Aulus Gellius *lib.* X. *cap.* 18. scribit: *Id monumentum Artemisia cum DIS MANIBUS sacris Mausoli dicaret &c.* Fateor tamen posse etiam PIIS legi; Apu- 385
lejus enim *lib.* VIII. scribit: *At ego sepulcrum mei Leopolemi tuo luminum cruore libabo, & sanctis Manibus ejus istis oculis parentabo.*

In eodem *Pisano* lapide descripta leguntur sacrificia APUD EAM ARAM quotannis in Colonia instauranda Diis Manibus *Lucii Cæsaris.* Aræ supra tumulum frequenter apud Gruterum leguntur. Vide *pag.* 517. 518. 528. 549. 575. 941. 922. & alibi. *Pisis* in ædibus familiæ *Tortorum* hanc inscriptionem legi.

C. VIRRIVS. IVCVNDVS
VEXIL. COH. II. VIG
VISERTI. LATINII
MILIT. ANN. VI. MEN. VII
DIES. XVIIII
IN. EIS. TESSAR. OPTIO
VEXILLARIVS
VIX. ANN. XXVII
ARAM. CVM. BASE. SVA
T. P. I
ARBITRATV. LVCILIÆ. LACÆNÆ
ET. C. VIRRI. IVCVNDI. F

Hanc inscriptionem Gruterus semel ex *Robortello* recitat *pag.* 569. 1. & iterum ex Appiano *pag.* 570. 5. hæc tamen quosdam errores continet, neque versus eo modo quo in lapide leguntur, sunt descripti. Suetonius *cap.* 50. scribit: *Neronem* gentili

tili *Domitiorum* monumento conditum, *superstanti Lunensi ara*. Hæ tamen aræ etiam extruebantur ubi quis Diis Manibus demortui sacra facere vellet, quamvis eo in loco defuncti ossa condita non essent. Tacitus *lib.* III. *Annalium* sub initium scribit, dum cineres *Germanici* per *Italiæ* oppida *Romam* deferrentur, *etiam quorum diversa oppida, tamen obvii, & victimas atque aras Diis Manibus statuentes, lacrymis & conclamationibus dolorem testabantur*. Idem *lib.* II. *Hist.* narrat *Vitellium* extructis in campo Martio aris, inferias *Neroni* fecisse. Idem *lib.* II. *Annal.* de *Germanico* contra *Germanos* legiones ducente, ait: *Et veterem aram Druso sitam disjecerant; restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit.* Drusi autem cadaver *Romam* allatum fuerat. Suetonius vero de eodem *Druso* defuncto ait: *Ceterum exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent.* Ara, cujus meminit *Tacitus*, erat in *Germania*; at *Galli* etiam sua in provincia ad aram *Drusi* sacra annua faciebant. Ita *Pisani* aram Diis Manibus *Lucii* ac *Caji Cæsarum* struxere, apud quam iis diebus, quibus juvenes illi acerbo fato sublati fuerant, annuas inferias coloniæ magistratus darent. Aras sepulcrales poëtis frequenter nominatas legimus. Virgilius 3. *Æneid. v.* 62. ait:

386 *Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens*
Aggeritur tumulo tellus: stant Manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.

Ovidius *lib.* VIII. *Met. v.* 480.

Ante sepulcrales infelix astitit aras.

Gutherius L. 2. de jure Manium *cap.* 19. de hisce aris sepulcralibus quædam erudite congerit, in pluribus tamen in præsentia castigandus est. Ille quidem initio aras Manium producit ex *lib.* VIII. *Lucani*, *Pompeji* rogum describentis:

Da vilem Magno plebei funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.

Contendit Gutherius pro *arcam*, legendum *aram*, quod in arca corpus comburi non posset. Sed sane poëtæ sensum non est assecutus. *Lucanus* eo loco describit vota *Cremutii Cordi* quæstoris, qui *Pompeji* cadaveri funus saltem plebejum optabat, & in primis arcam, in qua ejusdem bustum in rogum deferri posset. Hæc arca, in qua corpora plebejorum ad rogum portabantur, sandapila dicebatur. Suetonius *de Domitiano cap.* 17. *Cadaver ejus*, inquit, *populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllix nutrix in suburbano suo Latina via funeravit.* Et Horatius *lib.* 1. *Sat.* 8.

—— *angustis ejecta cadavera cellis,*
Conservus vili portanda locabat in arca.

Nobiles in lectis, vel lecticis in rogum efferebantur; viliorum vero cadavera in arca in pyram portabantur. Hinc *Cordus* vilem saltem arcam cadaveri Magni *Pompeji* in rogum deferendo precabatur. Et quidem ex sequenti versu res ipsa intelligitur; neque enim corpus ex ara, sed ex arca, in qua deferebatur, in siccos ignes, ut poëtæ verba reddam, effundebatur.

Idem ibidem ait non omnes aras in honorem defunctorum prope tumulum, vel cenotaphia fuisse consecratas; sed illas tantum quæ principibus viris extructæ fuerant, aut iis qui Divi credebantur, quosve superstites uti Heroas in Deorum numerum relatos adorabant. Sed omnes aras sepulcrales utpote Diis Manibus structas, sacras fuisse existimo. Servius in illud Virgilianum carmen *Æneid.* V.

Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras,

Mœstas, inquit, *aras ad hominem pertinet, id est, Diis Manibus consecratas; quod paullo post dicit:* altaria liquit: *vult esse divinitatis post apotheosim.*

A Hoc ipsum patet ex variis inscriptionibus, in quibus sacrificia super tumulum facienda, nominantur. *Pag.* 565. 5.

D. M.
CLATIA. MEGISTE
L. SATRIO. BASSO
MIL. LEG. III. CYRENAEICAE
7. CAPITONIS
CON. B. M. FECIT
ET. SIBI. POSTERISQVE. EORVM
B ITV. AMBITV
CORONARE. SACRIFICARE

Idem patet ex epitaphiis *pag.* 662. 5. 964. 2. Annuam parentationem exhibet *pagina* 547. 8.

L. IVLIO. SECVNDO 387
VTRICLARIO. COR
C. I. P. A. QVI. LEGAVIT
EIS. TESTAMENTO
SVO $\overset{V}{\text{A}}$. CC. VT. EX. VSVR. EOR.
C OMNIBVS. ANNIS. SACRIFIC
IO. EI. PARENTETVR

Porro sacrificia super aras fiebant, atque religiosæ ac sacræ erant. Scribit Capitolinus de *M. Aurelio* Imperatore *capite* 3. *Tantum autem honoris magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret.* Hostiæ autem in aris adolebantur. Turnebus *lib.* XVII. *cap.* 6. ac Cerda in *comment.* III. *Æneid.* ad *v.* 305.

Et geminas causam lacrymis sacraverat aras,

notant veteres consuevisse binas aras Heroibus defunctis excitare; quare ibidem à poëta Andromacha Hectori justa persolvens, binas eidem aras ponere fingitur. D Æneas etiam ex eodem V. *Æneid. v.* 46. *Anchisi* duas aras consecratas dicit:

Annuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo relliquias, divinique ossa parentis
Condidimus terra, & mæstas sacravimus aras.

Gutherius laudato loco ait Andromacham binas aras struxisse, ut una mariti esset, altera filii; aut certe quia inferi impari numero gaudere dicerentur. Sed duplicis aræ in parentalibus extructæ rationem ex *Statio* mihi non obscure colligere videor, qui *lib.* VI. *Thebaid. Archemori Lycurgi* regis filii exsequias describens *v.* 118. ait:

E *Jamque pari cumulo geminas, hanc tristibus umbris,*
Ast illam superis, æquus labor excitat aras.

Nempe geminas aras extruebant, unam Diis superis, alteram Diis Manibus, seu inferis, ut utrosque defunctis propitiarent. Lactantius in *commentariis ad Statium*, aras pro pyris intelligit, quarum unam pro filio, alteram pro Amphiarai serpente excitatam putat. At quæ aræ seu pyræ pro serpente Diis Manibus excitatæ fingi possunt? Sed neque rogi, seu pyræ Diis superis consecrantur, quæ Deos Manes juxta Gentilium *Theologiam* decebant. Servius superius laudatus ad illa: F *mæstas sacravimus aras*, scribit: *mæstas ad hominem pertinet, id est, Diis Manibus consecratas.* Verum rectius una Diis superis, altera Diis inferis sacrata dicitur. Gutherius eo *cap.* 19. *lib.* II. notat aras non ipsis hominibus defunctis, sed Diis Manibus ipsorum extrui solitas. At ipsis etiam demortuis aras positas ostendunt vetustæ inscriptiones, quas nuper *Jacobus Sponius* celeberrimus venerandæ antiquitatis Mysta publicavit *libro primo Miscellan. sectione* 1. *art.* 4.

388 P. AMBIVIVS
P. FIL. QVI. HERMES
ARAM. POSVIT
P. AMBIVIO. P. LIBERT
HERMETI. PATRI. SVO. VIXIT
ANNIS. LXVII
ET. AMBIVIAE. PL. IVCVNDAE
SORORI. SVAE. VIX. ANN. XIX. M. VI

SVETRIVS. HERMES. HIC. SITVS
EST. CVI. TERTIA. CONIVNX
ARAM. CONSTITVIT. DIGNO
MERITOVE. MARITO sic
CVM. QVO. CONCORDIAM
TAM. MVLTOSQVE. PER. ANNOS
VIXIT. ET. TENERO. CASV. SBTA
MARITO. EST. &c.

Exſtat apud Gruterum *pag.* 858. 12. hocce epitaphium.

Aſtorio meritam dicat hanc Octavius Aram,
Acri homini, atque alacri, forti, fido, atque venuſto,
Cui domus Aſſirius fuerat, cui Quinctio nomen.
Hic in flore cubat, longum ſecurus in ævum,
Poſt ter vicenos, & tres bene conditus annos.

Cum Manes à plurimis ipſæmet mortuorum animæ eſſe crederentur, ideo conſueverunt aras ipſis etiam defunctis, ponere. Idem etiam *Gutherius* perperam reprehendit *Dionem* ac *Appianum*, quod ſcripſerint occiſo *Cæſari* à quibuſdam aram in foro, in quo crematus fuerat, extructam. *Uterque*, inquit, *falſus eſt*; *nulla enim ara Cæſari extructa, ſed columna ſolida XX. pedum lapidis Numidici cum hac inſcriptione:* Parenti Patriæ, *apud quam longo tempore plebs ſacrificare, vota ſuſcipere &c. perſeveravit.* Hæc ille ex Suetonio *cap.* 8. Addit ex Cicerone: *Hanc execratam columnam evertit Dolabella.* Verum ſi plebs ibidem ex *Suetonio* ſacrificaſſe dicitur: aram quoque ibidem fuiſſe neceſſe eſt. Sed *M. Brutus* ac *Caſſius* ipſius Cæſaris interfectores ejuſdem aræ meminere *lib.* XI. *famil.* Ciceronis *epiſt.* 2. ſcribentes: *Putaſne nos tutos fore in tanta frequentia veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus.* Si veterani aram defuncto dicatam, reponere velle dicebantur, profecto antea poſita ibidem fuerat. Hæc autem addunt, in eadem epiſtola: *Scribitur nobis magnam veteranorum multitudinem Romam conveniſſe jam, & ad Kalendas Junias futuram multo majorem.* Hæc epiſtola ante Junium A. V. 710. ſcripta eſt; quare ara Cæſari extructa una cum columna, menſe Aprili, aut certe ſub initium Maji à *Dolabella* everſa, ac dejecta fuit. Et quidem *Ciceroni* inter præclara *P. Cornelii Dolabellæ* initio conſulatus, quem ſtatim poſt necem *Cæſaris* inivit, memoratur in prima Philippica *everſio illius execrandæ columnæ.* Hinc patet minus recte dici à Suetonio *longo tempore* apud aram, ſeu columnam à plebe ſacrificia facta, concepta juramenta &c. cum vix altero menſe à nece *Cæſaris*, quæ Idibus Martiis contigit, eædem ſuperfuerint.

CAP. V.

389 *Inferiæ Diis Manibus* Caji *ac* Lucii Cæſarum *quotannis mittendæ, ex* Piſana *tabula deſcribuntur. Ex ſacrificiis victimarum, & libationibus conſtabant. Bos & ovis atri immolati. Diis inferis furvæ victimæ ſemper mactatæ. Eædem cæruleis vittis ornatæ. Cæruleus color pro nigro antiquis uſurpatus. Non ipſis defunctis, ſed Diis Manibus eorum ſacrificia facta.* Accæ Larentinæ *parentalia. Non fuit Dea apud* Romanos. *Adolere victimas, idem ac comburere.* Gutherius *oppoſitum ſcribens, ex Latinis Scriptoribus confutatur. Diis inferis integræ hoſtiæ immolatæ. In ſacrificiis Diis ſuperis factis, ſola exta in aris cremata. Libationes mellis, lactis, olei in* Piſano *Cenotaphio memoratæ, plurimis veterum teſtimoniis illuſtrantur. Cur nulla vini vel thuris mentio. Thus in ſacris* Etruriæ *antiquitus non adhibitum. Quantum thuris in funeribus conſumptum. Differentia inter* fundere & vergere *à* Gyraldo & Gutherio *adducta, ex* Piſana *tabula ac vetuſtis Scriptoribus refellitur.*

Jam ad inferias ventum eſt, quas quotannis Diis Manibus *Cæſarum Piſani* mittere decreverunt, eaſque duraturis in omne ævum characteribus, in *Lucii* cenotaphio deſcripſere, in quo legimus: *Apud eam Aram quodannis A. D. X... publice Manibus ejus per Magiſtratus, eoſque, qui ibi juri dicendo prærunt, togis pullis amictos, quibus eorum jus faſque erit eo die ejus veſtis habendæ, INFERIAE MITTANTVR. Feſtus* inferias vocat *ſacrificia quæ Diis Manibus inferebant*; unde quod ea ſacrificia inferis fierent, inferiæ ſunt appellata ex Servio in X. *Æneid.* Turnebus *lib.* IV. *Adverſ. cap.* 22. mavult inferias ab inferendo dictas, quod mortuorum umbris inferantur. At prior etymologia magis mihi probatur. Conſtabant ex hoſtiis, quas immolabant, ac liquoribus, quos ſpargebant, ut pleraque alia ſacrificia, quæ Diis ſuperis fiebant. Satis eleganti phraſe dicitur in *Piſana* tabula *inferiæ mittantur.* Etenim Lucretius *lib.* III. ea loquendi formula uſus fuerat, ſcribens:

Et quocumque tamen miſeri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, & manibu divis
Inferias mittunt.

Et Virgilius IV. *Georg. v.* 544. & 552.

Inferias Orphei Lethæa papavera mittes.
Inferias Orphei mittit, lucumque reviſit.

Et *lib.* XI. *Æneid. v.* 81.

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæſo ſparſuros ſanguine flammas.

Silius etiam *lib.* XV. in fine ait:

—— *inferias in tempore dignas* 390
Miſſurum fratri clauſo commurmurat ore.

Quintilianus declamat. 10. ait mortuos *ſentire quas mittamus inferias, & honorem percipere tumulorum.*

Deinde quæ inferiæ mittendæ eſſent, ſtatim deſignantur: *BOSQUE & OVIS ATRI infulis cærulis infulati Diis Manibus ejus MACTENTUR.* Victimæ nigri coloris Diis inferis immolatæ in Græcis Latiniſque Scriptoribus paſſim occurrunt. Feſtus V. *Furvum*, ait: *Furvum bovem, id eſt, nigrum immolabant Averno.* Hunc vero ritum antiquiſſimum fuiſſe colligimus ex Homero qui *lib.* XXIV. *Odyſſeæ* funus *Achillis* deſcribens, ait:

—— πολλὰ δ' ἐπ' αὐτῷ
Μῆλα κατεκτάνομεν μάλα πίονα, καὶ ἕλικας βοῦς.
—— *multas autem in ipſo*
Oves jugulavimus valde pingues & nigras boves.

Virgilius id paſſim tradit. *Lib.* V. *Æneid. v.* 96. in annuis inferiis *Anchiſi* datis ab *Ænea:*

—— *cædit quinas de more bidentes,*
Totque ſues, totidem nigrantes terga juvencos.

Lib. VI. deſcribens *Æneam* Diis inferis ſacrificantem, ait:

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencas
Conſtituit.

Georg. IV. *v.* 544.

Infe-

Inferias Orphei Lethæa papavera mittes,
Et nigram mactabis ovem.

Lib. IV. *Æneid. v.* 153. *Sibylla Æneæ* inferos petituro, sacrificium injungens, ait:

Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.

Quam fabulam imitatus *Silius Italicus* fingit *Sibyllam* hæc *Scipioni* & ipsi Tartareas sedes invisuro, dixisse:

Nec cunctata diu vates; mactare repostis
Mox umbris, inquit, consueta piacula nigras
Sub lucem pecudes.

Statius quoque *lib.* IV. *Thebaid.*

Velleris obscuri pecudes, armentaque sisti
Atra monet.

Hujus autem ritus hanc apud Arnobium *lib.* VII. originem, sive causam adducebant: *Esse inferos, & esse Manes, & habitare nescio quos in his Deos hominibus minus faustos, & tristioribus præpositos rebus, quæ causa, quæ ratio est, ut atræ his hostiæ, nigerrimique admoveantur colores, quia nigra nigris conveniunt, & tristia tristibus grata sunt.* In sacrificio fratrum Arvalium Gruteri *pag.* 121.

SVMMAN. PATR. VERB. ATROS II.

Nempe: *Summano Patri verbeces atros duos. Summanum* autem *Plutonem* dictum *cap.* 4. prænotavi. Porphyrius apud *Eusebium Cæsariensem lib.* IV. *de præparat. Evang cap.* 4. ex oraculo *Apollinis* cæremonias sacrificiorum recitans, ait:

391 *Terna quidem Divis cœlestibus hostia, & ipsa*
Candida mactanda est; terna & terrestribus, atque
Atra eadem; gaudent porro & capiuntur apertis
Terrestres aris, foveas cum Numina contra
Exposcant atro imbutas inferna cruore.

Itaque Diis inferis atræ victimæ in scrobe, seu terra effossa immolabantur; cujus quidem ritus frequens apud poetas mentio occurrit. Ovidius *libro* VII. *Met.* ferale Medeæ sacrificium describens, *v.* 243. ait:

Haud procul egesta scrobibus tellure duabus,
Sacra facit: cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit sanguine fossas.

Hic quoque *velleris atri* victimas legis. Statius *L.* IV. *Thebaid.* idem tradit:

Tres Hecatæ, totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus jubet esse focos; tibi rector Averni,
Quamquam infossus humo superat tamen agger in auras.

Silius *lib.* XIII. de vate *Scipionem* sacra Diti facienda prædocente, ait:

Inducit juvenem, ferroque cavare refossam
Ocyus urget humum.

Horatius *libro* I. *sat.* 8. visam abs se fingit *Canidiam* magam cum *Sagana* socia:

—— scalpere terram.
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent animas responsa daturas.

Uti vero victimas Diis superis mactandas candidis infulis coronabant, ex opposito nigris vittis ornabant pecudes Diis inferis immolandas. Hinc Bos & ovis inferiis *Lucii Cæsaris* destinati, jubentur esse INFULIS CAERULIS INFULATI. Colorem cærulum, seu cæruleum pro nigro usurpatum dudum eruditis prænotatum est. Cornelius Fronto *de differ. vocum* ait: *Cærulus naturæ color est. Cæruleus naturam fingit. Ita alterum est: alterum fit.* Verum minus recte illa distinguuntur; siquidem infulæ quæ in *Pisana* tabula *cærulæ* dicuntur, ab aliis, ut statim dicam, cæruleæ appellantur. Servius in III. *Æneid. Cato ait deposita veste purpurea, feminas usas cærulea, cum lugerent. Veteres jane cæruleum nigrum accipiebant.* Virgilius in VI.

A *Æneid.* cymbam Charontis modo *ferrugineam*, modo *cæruleam* vocat, *Versu* 410.

Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.

Ubi Servius *nigram, tristem, ac lugubris coloris* interpretatur. Bovem nigrum cæruleis infulis ornatum habemus apud Flaccum *lib.* I. *Argonaut.* in sacrificio Diti facto.

Sordidus, & multa pallens ferrugine taurus
Stabat adhuc, cui ceruleæ per cornua vittæ.
Hunc sibi præcipuum gentis de more nefandæ
Thessalis in seros Ditis servaverat usus

Duo media carmina omisi, quod ad rem non erant. *Pedo Albinovanus* mortem cæruleam vo-
B cat in *Elegia* in morte *Drusi*:

Lumina cærulea jam jamque natantia morte.

Maximus poetarum funus *Polydori* describens III. *Æneid. v.* 63. aras ferales infulis cæruleis cinctas dicit:

—— stant Manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.

Valerius Flaccus *libro* III. *Argonaut.* tenebrosas 392
inferorum sedes vocat cæruleas.

Cimmerium domus, & superis incognita tellus,
Cæruleo tenebrosa situ, quo flammea nunquam
Sol juga sidereos nec mittit Jupiter annos.

Denique Statius *Tiresiæ* sacrum Diis inferis cele-
C bratum describens, *libro* IV. *Thebaid.* canit:

Tum fera cæruleis intexit cornua sertis.

Varro *lib.* VI. L. L. scribit: *Infulas apparet dictas in hostiis, quod è lana, quæ adduntur infulæ, intra hostiarum cornua velamenta erant. Itaque cum ad sepulcrum ferunt frondes atque flores, addunt tunc lanam.* Quare cæruleis, hoc est, nigris infulis tum sepulcra, tum etiam victimæ Manibus mortuorum immolandæ, cingebantur.

Additur designatis victimis, earumque ornatu: DIIS MANIBUS EJUS MACTENTUR. Hæc *capite* 4. explicui, ubi varias de Diis Manibus opiniones antiquorum produxi. Antequam
D *Romani* suos Cæsares per apotheosin in Deos referrent. Diis Manibus eorundem, ubi diem postremum obiissent, sacrificia faciebant; neque enim fas erat nisi Diis victimas mactare. At postquam *Julius Cæsar*, dein *Augustus*, ac plurimi postea Imperatores in Deorum numerum relati fuerunt, ipsis sacrificia, non eorum Diis Manibus instituta sunt, cum inter superos degere crederentur, aut certe fingerentur. Hinc templa, pulvinaria, ac sacerdotum nova sodalitia inventa, divino eorundem cultui destinata. *Neronis* filiæ quadrimestri defunctæ decretum à Senatu *honorem divæ, & pulvinar, ædemque, & Sa-*
E *cerdotem* testatur Tacitus *Annal.* XV. At imperante *Augusto* nondum tanta erga Principem adulatio eruperat. Hinc utrique *Cæsari* ejusdem filiis defunctis, parentalia decreta sunt, in quibus sacrificia non eisdem *Cæsaribus*, sed Diis Manibus eorundem stata anni die fierent. Ille quidem *Julium Cæsarem* patrem Divis adscriptum, aris, templis, sacrificiis honoravit; at neutiquam passus est eosdem honores extinctis filiis deferri. Macrobius *de Acca Larentia* scribit *lib.* I. *cap.* 10. Saturnalium: *Et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo Urbis sculpta est. ac solemne sacrificium ei-*
F *dem constitutum, quo DIIS MANIBUS EJUS per Flaminem sacrificaretur, Jovique feriæ consecratæ &c.* Ex his patet *Accam Larentiam* minus recte ab *Octavio Minutio* in libro contra Ethnicos inter *Romanorum* Deas recenseri. Nam nulli Deo à *Romanis* parentabatur. Quamvis autem de *Acca Larentia* non una fuerit veterum sententia, uti constat ex eodem *Macrobio*; omnes tamen constanter tradunt parentalia die X. Kal. Januarias eidem celebrata. *Cato* ait eandem ob agros populo *Romano* legatos, *sepulcri magnificentia, &*

annuæ parentationis honore dignatam. Licinius Macer à Romulo in honorem Accæ *parentalia diemque festum pietatis causa statutum* dicit. Cicero in *lib. epist. ad M. Brutum, epist.* 19. ait: *In eoque sum majorum exemplum secutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, cujus vos Pontifices ad aram in Velabro facere soletis.* Et ita legitur in editione Parisiensi A. 1554. & Florentina P. Victorii 1571. Sed ex MS. Mediceo scribendum est: *vos cujus Pontifices ad aram in Velabro sacrificium facere soletis.* Terentius Varro *libro* v. de L. L. *Accalia*, inquit, *feriæ publicæ Lau-*
393 *rentinæ. Is dies, quem quidam in scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant festo die, qui* Acca *dicitur. Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam ad sepulcrum Accæ, ut quod ibi prope faciunt Diis Manibus servilibus sacerdotes, qui uterque locus extra urbem antiquam fuit non longe à porta Romanula.* Integrum *Varronis* testimonium recitavi, quod erroribus obnoxium olim *Scaliger* prænotarat. Gutherius *lib.* II. *cap.* 11. & 36. ex hoc *Varronis* loco probat sacerdotes publicos *Romæ* Manibus servorum parentasse. Et sane *Varro* dum ait: *qui uterque locus extra urbem antiquam fuit*, duo loca palam designat, unum, in quo ad sepulcrum *Accæ* parentabant: alterum, in quo Manibus servilibus justa faciebant, quæ *Scaliger* in notis non observans, legendum scripsit: *Diis Manibus ejus*, omissa voce *servilibus*. Interim constat ex *Varrone* Velabrum *extra urbem antiquam* fuisse; nam intra urbem non licebat Diis Manibus sacrificia publice peragere. Hinc & *Diti patri & Proserpinæ ludi Terentini in campo Martio fiebant tribus noctibus, & hostiæ furvæ immolabantur*, ex Censorino *de die Natali cap.* 5. Ceterum pomœrio postea prolato, ac Velabro urbi addito, in regione XI. ex *P. Victore*, parentalia *Accæ* eodem loco fieri permissa sunt. Ex his patet *Accam Larentiam* non habitam tanquam Deam à *Romanis*, ac festum die 22. Decembris ferias Jovi consecratas fuisse, non ipsi *Accæ*, quamvis ab eadem Larentalia dicerentur.

Mactatis victimis furvis, bove scilicet & ove, Diis Manibus Cæsarum, additur statim in *Pisano* nostro lapide: EAEQVE HOSTIAE EO LOCO ADOLEANTVR. Nonius Marcellus ait: *Adolere verbum proprie sacra facientium, quod significat votis & supplicationibus Numen auctius facere, ut est in iisdem:* Macte esto, *& intelligi debet ab eo quod est adolevit, id est, crevit.* In sacris *Romanis*, ut ea à vulgi captu remotiora essent, Græca & obscura vocabula ad illa significanda usurparunt, ut *libro* VII. *Arnobius* fusius ostendit. Ita pro *augeo*, quod Latinum erat, dixerunt ab ἀδολεσχῶ *adoleo*. Servius in I. *Æneid. v.* 708. *flammis adolere penates*, ait: *Adolere proprie est augere. In sacris autem adolere per bonum omen dicitur; nam & in aris non adolentur aliqua, sed cremantur.* Arnobius Gentiles *lib.* VII. irridens, quod vino Jovi sacrificantes, dicerent: *Mactus hoc vino inferio esto*, scribit: *Quid est aliud quam dicere, tantum esto mactus, quantum volo; tantum amplificatus: quantum jubeo, tantum honoris assumito: quantum habere decerno, & verborum circumscriptione definio.* Gutherius *libro* III. *de vet. jure Pont cap.* 6. *In aris*, inquit, *nihil adoletur, sed crematur, & consumitur. Adolere enim proprie est igne puro, thure, & precibus Deos ad altaria placare.* Appellat Tacitum *libro* II. *Hist.* scribentem de sacris Veneris Paphiæ: *sanguinem aræ offundere vetitum, precibus & igne puro altaria adolentur.* Verum uti recte tradit Marcellus de varia significatione serm. *adolere est urere.* Ovidius *lib.* I. *Fast.* Janum hæc sibi fari fingit:

Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello:
Hæc adolet flammis cum strue farra suis.

Idem *lib.* III. *adolere* pro eodem ac *comburere* exta victimarum in ara accepit:

Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset,
Sors erat æternos vincere posse Deos.

Antias Livio sæpius laudatus historicus, *lib.* LXXIV. apud Priscianum *lib.* IX. ait: *Eo omnes hostiæ, vituli viginti septem conjecti, & ita omnia adulta sunt.* Actius Cassius ad Tiberium: *Sic est,* 394 inquit, *contra Ægyptiis maximum sacrificium, ubi integrum anserem adoleverunt.* Apud Diomedem Grammaticum *lib.* I. Valerius Flaccus *lib.* III. *Argonaut.* cum dixisset: *Tum piceæ mactantur oves &c.* addit:

—— rapidis adolentur cetera flammis.

Arnobius qui optime non modo res, sed & vocabula propria sacrorum Gentilium novit, *lib.* VII. de Diis ex opinione eosdem colentium, scribit: *Neque prius iras atque animos ponunt, nisi sibi adoleri paratas conspexerint tænias, offasque penitas.* At ibidem ait: *Offa penita est cum particula visceris cauda pecoris amputata.* Et Cicero *lib.* IX. *famil. epist.* 22. *ad Pætum: Caudam antiqui penem vocabant*; & ex Festo Nævium laudante: *Est absemen carnis cum coda.* Nec aliter interpres antiquissimus verbum *adoleo* in Levitico usurpat. In *cap.* 3. *v.* 5. *Adolebuntque ea super altare, lignis igne supposito.* Et *v.* 16. designatis quibusdam extis victimæ: *Adolebitque ea super altare sacerdos, in alimoniam ignis, & suavissimi odoris.* Et cap. 6. v. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum.* Passim eodem verbo combustionem in altari exprimit. Ea etiam phrase utitur Macrobius *lib.* I. *Satur. cap.* 16. scribens: *Nam cum hostia cæditur, fari nefas est; inter cæsa, & porrecta fari licet; rursus cum adoletur, non licet.* Idem autem ex vetustis Scriptoribus docet *lib.* III. *cap.* 2. *Exta porriciunto tantum in altaria, aramve, focumve, eove quo exta dari debebunt.* Ut idem sit *porricere* ac aris exta dare ibidem adolenda, hoc est, comburenda. Hoc ipsum ostenditur ex Catone *cap.* 141. *de re Rustica*, ubi hanc sacrificaturo precandi formulam, pro agro lustrando, exhibet: *Mars pater, ejusdem rei ergo macte hisce suovetaurilibus lactentibus immolandis esto.* Festus ait: *Mactus magis auctus.* Itaque sacrificaturus precabatur, ut ea hostia numinis honor mactus esset, hoc est, adolesceret, seu auctior fieret; at cum hostia, vel ejus exta cremabantur, reipsa, ut illi quidem opinabantur, numinis honor augebatur, seu adolescebat. Nam dum precabatur *macte esto*, antequam sacrificium perageret, dum hoc ipsum perficiebatur, Deus quicumque esset, mactus fiebat, hoc est, honore reapse auctus. Hinc Arnobius *lib.* VII. irridet Ethnicos qui dicerent de Diis: *Augustiores, potentiores mactatis pecudibus fiant.* Et inferius ait: *Ergone ille putor, qui ex coriis tollitur, atque exspirat ardentibus, qui ex ossibus, qui ex setis, ex agnorum lanitiis, gallinarumque de plumis, Dei munus & honor est, mactaturque hoc illis &c.* Cum ergo hostiarum combustione Dii macti fierent, eorumque honor augeri crederetur, eædem adoleri dictæ sunt, quod augmento Deorum honori essent. Interim ex laudato *Catone* efformari preces possunt, quibus Dii Manes hostiis mactabantur; exempli gratia in sacris anniversarii funeris *Lucii Cæsaris*, nempe: *Dii Manes, vos precor, quæsoque, uti sitis volentes, propitii Lucio Cæsari. Ejus rei gratia hoc bove, & hac ove immolandis macti estote.* Tum hostiæ adoleri primum dicebantur, cum eisdem aræ admotis, illæ preces concipiebantur. Hinc Servius ait:

ait: *In sacris adolere per bonum omen dicitur*; quod oblatis hostiis, Deorum honorem augentes, eosdem propitios futuros ominabantur. Illæ etiam preces signabant destinatum ex immolandis victimis augmentum. A

Hostiæ quæ Diis inferis mactabantur, solidæ in aris comburebantur, eratque holocaustum, quod sacrificium ita dicebatur, cum totum com-
395 burebatur; Græcis enim ὁλόκαυςον *totum combustum* significat. Virgilius VI. *Æneid. v.* 252.

Tum stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis.

Servius ibidem scribit. *Non exta dicit, sed carnes; nam viscera sunt quicquid inter ossa, & cutem est;* B *unde & visceratio dicitur convivium de carnibus factum, ut supra diximus. Ergo solida viscera holocaustum signant, quod detractis extis, aræ superimponebatur: quæ numquam ablata, elixa etiam ipsa reddebantur: unde infert: fundens ardentibus extis.* Seneca Tragicus in *Oedipo Act.* 3. describens sacrificium Diis inferis peractum, ait:

—— irrigat sanguis focos,
Solidasque pecudes urit.

In aliis autem sacrificiis quæ à Romanis Diis superis fiebant, sola exta in ara comburebantur, uti fuse narrat *Dionysius Halicarnassensis* in fine libri septimi, ubi de victima, quam Romani immolare solebant, ait: *Mox excoriatam concidebant* C *membratim, delibatasque ex singulis extis, aliisque membris primitias, fare obvolutas, in canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas, succendebant &c.* Hæ particulæ *prosecta*, & *prosiciæ* dicebantur, easque suis quasque nominibus obscuris illis quidem, & eo ipso à vulgi intelligentia remotis, recenset Arnobius *lib.* VII. laudato. Reliquas vero victimæ partes sacerdotes aliique comedebant. At nefas erat carnes victimæ in ara funebri ardentes, tollere, easque comedere, is enim funestari putabatur, uti recte observat *Gyraldus* in *Syntagmate* 17. Donatus in *Adelphos* ait: D *De his quæ libantur inferis, quisquis ederit, aut biberit, funestabatur.* Victimæ quæ Diis Manibus mactabantur, detracta prius pelle, uti in aliis quoque sacrificiis, comburebantur. Homerus *Iliad.* 23. describens inferias Patrocli, ait: *Multas oves & boves* πρόσθε πυρῆς ἔδερον, *ante pyram excoriarunt.* Deus quidem jussit Hebræis in sacrificiis expiatoriis victimam unà cum pelle comburi, at non super altare. Levitici IV. 12. *Pellem vero & omnes carnes cum capite & pedibus & intestinis & fimo, & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent, incendetque ea super lignorum struem.* Hæc tamen in- E dicata potius, quam huc advocata puta, ne sacra profanis miscere velle videar.

Interea dum victimæ cremabantur, libamina super easdem fundenda in eodem cenotaphio designantur: *Superque eas singulæ* VRNAE LACTIS, MELLIS, OLEI FVNDANTVR. Urna erat vas fictile. Ovidius 3. *Met. v.* 173.

—— funduntque capacibus urnis.

In sacris, quæ Diis inferis fiebant, lac, mel, & oleum super ardentes hostias effusa tum Græci, tum Latini scriptores testantur. Hæ autem inferiæ, quæ liquoribus constabant, à Græcis χοαὶ dicebantur. Apud *Euripidem* filius *Achillis* aureo poculo fundit χοὰς θανόντι πατρὶ, *libationes mortuo patri.* Apud poëtas Latinos eorundem liquorum in sacris inferorum frequens mentio occurrit. F Virgilius VI. *Æneid. v.* 252. olei meminit:

Tum stygio regi nocturnas inchoat aras:
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Et superius in funere Miseni *v.* 224.

—— —— congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Idem lac quoque in parentalibus fusum scribit a- 396
gens de exequiis *Polydori libro* III. *v.* 66.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

Et in parentalibus Anchisæ *lib.* V. *v.* 76.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho,
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Ovidius *lib.* VII. *Met.* à *v.* 243. sacrificium à Medea inferis factum describens, ait:

Sacra facit; cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit, & patulas perfundit sanguine fossas.
Jam super invergens tepidi carchesia mellis,
Verba simul fundit, terrenaque Numina poscit.

Nemesianus Ecloga prima scribit:

Dat grandæva Pales spumantia cymbia lacte;
Mella ferunt Nymphæ; pictas dat Flora coronas;
Manibus hic supremus honor; dant carmina Musæ.

Silius Italicus narrans inferias à *Scipione* suorum Manibus missas, *lib.* XVI. ait:

Dona ferunt, tumulisque super flagrantibus addunt.
Ipse tenens nunc lacte sacro, nunc plena Lyæo
Pocula, odoriferis aspergat floribus aras;
Tum Manes vocat excitos.

Statius *lib.* IV. *Thebaid.* de sacrificio Diti peracto loquens, hæc canit:

Inclinat Bacchi latices, & munera verni
Lactis, & Actæos imbres, suadumque cruorem;
Manibus aggeritur quantum bibit arida tellus.

Et *lib.* VI. in pomposo funere pueri *Archemori:*

Pallentique croco strident ardentia mella,
Spumantesque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratissima cymbia lactis.

Et *lib.* V. *Sylvarum* in epicedio filii:

—— & ardentes extinxit lacte favillas.

Carchesia ac cymbia laudatis poëtis memorata, pocula apud Græcos significabant, de quibus lege Macrobium *lib.* V. *Satur. cap.* 21. At in parentalibus *Lucii Cæsaris* non pocula, sed urnæ lactis mellis & olei fundi jubentur super ardentes victimas, id enim moris erat; unde *tumulis flagrantibus*, & *ardentia mella*, poëtæ dixerunt, ac *Virgilius* diserte eos liquores fusos super ardentes hostias dixit, nempe cum adolerentur:

Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Hosce ritus antiquissimos fuisse constat ex *Homero* qui eosdem in exequiis recitavit. Nam *Iliad.* 23. narrans solemnia funebria ab *Achille Patroclo* celebrata, ait:

Ἐν δ' ἐτίθει μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας
Πρὸς λέχεα κλίνων.
Imposuitque mellis & olei amphoras,
Ad feretrum acclinans.

In Odyssea K. Circe jubens *Ulyssi*, ut libamina Manibus defunctorum funderet, uti imperat

Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δ' ἡδέϊ οἴνῳ.
Primum mulso, dein autem suavi vino.

Et *lib.* XXIV. *Odysseæ* de exequiis ab Argivis *Achilli* celebratis, ait:

Καίεο δ' ἔν τ' ἐσθῆτι Θεῶν, καὶ ἀλείφατι πολλῷ, 397
Καὶ μέλιτι γλυκερῷ.
Cremabaris autem in veste Deorum, & unguento multo,
Et melle dulci.

Sophocles in *Electra* ad tumulum fusos recitat πηγὰς γάλακτος *fontes lactis.* Miror Kirchmannum *lib.* IV. *de funer. Rom. cap.* 2. ubi de funebribus libationibus disputat, has inter mel non recensuisse, cum tot Scriptores ejusdem meminerint; quibus addendus Silius *lib.* XIII. ubi fingit vatem *Scipioni* iter ad inferos meditanti, dixisse:

Mella simul tecum, & puri fer dona Lyæi.

Hinc de eodem una cum vate sacrum ferale *Plutoni* ac *Proserpinæ* faciente, statim addit:

Fundunt mella ſuper, Bacchique, & lactis honorem.

In Gruterianis inſcriptionibus *pag.* 748. 7. epitaphium exhibetur, cujus hic fragmentum ſubjicio.

Numina nunc inferna precor, patri date lucos,
Quis eſt purpureus, perpetuuſque dies.
Hic certe, ut meruit, cuncta'ſt data cura ſepulcro;
Texerunt favi de Siculis apibus.

Servius ad verſum 66. *lib.* III. *Æneid.* ait: *Bene animam lacte & ſanguine dicit elicitam ad tumulum. Lacte namque nutritur corpus poſt animæ conjunctionem, & anima ſine ſanguine nunquam eſt, quo effuſo recedit.* *Nicephorus Gregoras*, quem ibidem *Cerda* laudat, horum rituum cauſam aſſignat; nempe mel offerri, quia dulce, contra amaritudinem mortis: lac, quia album, contra nigredinem tenebrarum. *Lucianus* autem ſcribit: *Verum illis perſuaſum eſt, umbras ab inferis reduces, cœnare quidem, utcunque liceat, circa nidorem volitando, bibere autem è favis mulſum.*

Ex laudatis Latinorum vatum teſtimoniis patet vinum in parentalibus adhibitum, quod tamen in noſtra tabula ceteras inter libationes non recenſetur. Plinius *lib.* XIV *cap.* 12. ſcribit: *Numæ regis Poſthumia lex eſt, vino rogum ne reſpergito.* Igitur initio nec *Romanis* vinum in uſu fuit, cum exequias celebrabant, quem vetuſtum morem *Piſana* colonia forte retinuit. Ceterum exiſtimo lege Pontificia certa quædam libationum genera decreta fuiſſe, quibus in juſtis perſolvendis uterentur; nullam tamen neceſſitatem cuiquam impoſitam, ut omnia ſimul libamina in parentalibus funderet, ſed plura vel pauciora pro libito. Ita *Virgilius* in deſcriptis funeribus nullam mellis mentionem fecit; *Silius* ac *Statius* oleum non nominarunt, uti etiam *Nemeſianus.* In noſtro Cenotaphio ſanguis ſuper aram fuſus non dicitur, cum tamen *Virgilius*, *Ovidius*, ac *Statius* effuſas ſanguinis pateras in inferiis, ſeu ſacris Ditis pronunciarint. Id autem uti in omni ſacrificio victimarum uſitatum, in *Piſana* tabula omiſſum eſt. Nam cum victima mactabatur, ſanguinem pateris excipiebant, eumque ſuper aras fundebant, antequam exta porricerentur. Tacitus uti proprium Veneris Paphiæ *lib.* II. *Hiſt.* notat, quod ibi *ſanguinem aræ offundere vetitum.* Arnobius *lib.* VII. hæc in ſacris inferorum adhibita libamina commemorans, ait: *Quod ſi grata numinibus inferis ea quæ ſunt nigra, furvique æſtimatis coloris, cur non omnia cetera, quæ illorum inferri ſacrificiis moris eſt, ſint nigra & fumigata, tetraque & colo-*
398 *rata curatis? Inficite thura, ſi dantur, falſas fruges, atque univerſa libamina, lactis, olei, ſanguinis; hic ut ponat purpureum colorem, illa ut ne* (ita legendum) *ſint lucida, fuliginem infundite cum favillis.* Habes hic libationes lactis, olei, ſanguinis. Cum vero ait: *inficite thura, ſi dantur*, non obſcure indicat, non ſemper, ſeu non ubique thus in parentalibus adhibitum. In noſtro ſane Cenotaphio non legitur. Plinius *lib.* XIV. *cap.* 12. *de Arabia*, è qua thus deportatur, ſcribit: *Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum aſſeverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero Princeps noviſſimo Poppeæ ſuæ die concremaverit. Æſtimentur poſtea toto orbe ſingulis annis tot funera, acervatimque congeſta honori cadaverum, quæ Diis per ſingulas micas dantur.* Tantum thuris in ſacris feralibus conſumebatur, cum ſuperis per ſingulas micas daretur, ac ipſis etiam Imperatoribus, cum pro eorum ſalute ſacra fierent, *grana thuris unius aſſis*, teſte *cap.* 30. Apologetici *Tertulliano*, ſufficerent. *Arnobius* ibidem advertit priori ſæculo in ſacris *Romanorum* nullum thuris uſum fuiſſe, additque:

A *Neque genitrix & mater ſuperſtitionis Etruria opinionem ejus novit aut famam, ſacellorum ut indicant ritus.* At colonia *Piſana*, quod coleret ſacra publica populi *Romani*, quæ ſub obitum Cæſarum curabat *T. Statulenus Juncus* Pontifex Minor, uti in *Cajano* lapide dicitur, thure in ſacrificiis utebatur, cujus tamen nulla in inferiis *Lucii Cæſaris* mentio fit, quod res vulgo nota erat, nec decreto ſancienda videbatur, quippe quod in ſacris etiam parentalibus adolebatur, uti pluribus tradunt Cerda in *lib.* VI. *Æneid. ad v.* 225. & Kirchmannus *lib.* III. *de fun. Rom. capite* 5. aliique. Statius *libro ſecundo Sylvarum* in exequiis *Glaucii* ca-
B nit:

Ipſe etenim tecum nigræ ſolemnia pompæ,
Spectatumque Urbi ſcelus, & puerile feretrum
Produxi, & ſævos damnati thuris honores.

Lucanus de *funere Pompeji lib.* VIII.

Non precioſa petit cumulato thure ſepulcra
Pompejus, Fortuna, tuus; non pinguis ad aſtra
Ut ferat è membris Eoos fumus odores.

Gyraldus *in Syntagmate* 17. ſcribit inter *fundere* ac *vergere* hanc eſſe diverſitatem: ut fundere ſit ſupina manu libare, ut in IV. *Æneid.*

—— *media inter cornua fundit,*

C quod fiebat in ſacris ſuperum; *vergere* vero, ſeu *invergere* converſa in ſiniſtram partem manu ita fundere, ut patera converteretur, quod in ſacris inferis fiebat. Idem tradunt Gutherius *lib.* IV. *de vet. jure Pontif. capite* 8. Cerda in 6. *Æneid. ad verſum* 244. ubi idem docet *Farnabius.* Verum in noſtro Cenotaphio legimus: *Superque eas ſingulæ urnæ lactis, mellis, olei* FUNDANTUR, ut plane appareat *fundi* dictas etiam libationes, quæ Diis Manibus fiebant. Virgilius in annuis inferiis *Anchiſæ* deſcribendis, *lib.* V. *verſu* 76. canit:

Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho
D *Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro.*

Idem de ſacris Plutoni factis *lib.* VI. *v.* 254. ait:

Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

Cur in priori carmine *vergit*, ac in altero *vergens* 399
non dixit, utroque verſu optime cohærente, ut vim propriæ ſignificationis exprimeret? Ita in funere Miſeni ſcripſit: *fuſo crateres olivo*, cum *verſo* percommode dicere potuiſſet. Silius Italicus in *lib.* XIII. de ſacris Ditis ait:

Fundunt mella ſuper, Bacchique, & lactis honorem.

Seneca Tragicus in *Oedipo Act.* 3. ſub initium ſa-
E crificium à *Tireſia* Diti factum deſcribens, plura *Piſano* Cenotaphio ſimiliter loquitur:

Nigro bidentes vellere, atque atræ boves
Retro trahuntur.

Et poſtea:

—— —— *irrigat ſanguis focos*
Solidaſque pecudes urit, & multo ſpecum
Saturat cruore; libat & niveum inſuper
Lactis liquorem, fundit & Bacchum manu
Læva, canitque rurſus.

Hic habemus nigras boves & oves, ac libamen lactis, ac verbum *fundit*, quæ omnia in noſtra tabula leguntur. Quod autem dicit *manu læva*,
F *Farnabius* ait hoc eſſe *invergere*, cum Diis ſuperis manu dextera libaretur. At cum in inferiis Cæſarum urnæ liquoribus plenæ ſuper holocauſtum fundendæ fuerint, id haud ſatis commode manu tantum læva fieri potuit. Utut hæc contigerint, mihi interim ſatis eſt oſtendiſſe verbum *fundere* proprie de libationibus Diis inferis factis, à *Virgilio* aliiſque Latinis ſcriptoribus uſurpatum.

CAP.

Cap. VI.

Sacra Diis inferis noctu fieri solita. Ludis sæcularibus sacrificia Diis stygiis hora noctis secunda fiebant. Parentalia, aliave sacra inferorum post mediam noctem peracta. Num atro die parentare nefas? Kirchmanni *ac* Gyraldi *sententia negans, ex Cenotaphio Pisano confutatur.* Fabii Maximi Serviliani *ea de re opinio explicatur.* Janum *ac* Jovem *die atro præfari licitum. Inferias Manibus* Cæsarum *mittere privatis permissum. Unum tantum cereum, facem, coronamve deferre datum. Cerei ac faces in funeribus ac parentalibus. Coronæ supra tumulos ac cenotaphia in annuis inferiis positæ.*

Antequam ad privatorum munera, quæ ad inferias *Cæsarum* deferre permissi sunt, descendo, quædam de tempore publici sacrificii quod hucusque descripsi, prænotanda sunt, ex quibus *Pisana* tabula magis illustrabitur. Illud apud omnes constat sacra Diis inferis noctu fieri solita, quamvis non omnia eadem noctis parte peracta fuerint. Censorinus *cap.* 5. *de die Natali* scribit ex Sybillinis libris renuntiatum fuisse: *Uti Diti patri & Proserpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hostiæ furvæ immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent.* Hinc iidem *Sæculares* vulgo appellati. Zosimus initio *lib.* II. carmina Sybillæ recitat, inter quæ ad institutum nostrum sequentia:

400 *Nox brevior tenebris terras ubi texerit atris,*
Solque suum jubar abdiderit, tum victima Parcis
Agnorum atque ovium pariter cadat Oceaninis.

Hæc sacrificia inita statim nocte facta testatur *Zosimus*: *Prima*, inquit, *nocte spectaculorum, ad horam secundam, tribus aris in ripa fluminis extructis, Imperator cum XVviris tres agnos cædit, & aris sanguine respersis, solidas victimas adolet.* Suetonius *de Augusto* scribit *cap.* 31. *Sæcularibus ludis juvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum.* Virgilius *Æneid.* VI. describens sacrificium ab *Ænea Plutoni* ac *Proserpinæ* celebratum, *v.* 252. ait:

Tum stygio regi nocturnas inchoat aras.

Ubi eruditissimus Cerda *in notis num.* 25. recte observat aras appellari *nocturnas*, quod noctu sacra Diis stygiis fiebant. Addit ex Silio *lib.* XIII. eadem post mediam noctem peracta. Hoc tamen non semper in eisdem sacris usitatum video; nam sacrificia ludis sæcularibus *secunda noctis hora* facta laudatus *Zosimus* testatur. Silius Italicus inducit vatem inferna sacra Scipionem hisce docentem:

Nec cunctata diu vates, mactare repostis
Mox umbris, inquit, consueta piacula nigras
Sub lucem pecudes.

Quæ accurate *Scipioni* observata idem poëta tradit, scribens:

Inde ubi nox jussam procedens contigit horam,
Et spatia æquarunt tenebras transacta futuras,
Consurgit stratis &c.

Itaque post mediam noctem sacra inferorum celebrata tradit; quod *unum Silium* docuisse *Cerda* affirmavit. Verum ante *Silium* eodem tempore, nempe post mediam noctem *Romanos* Diis Manibus sacra fecisse ante diem VII. Idus Maji tradit Ovidius *lib.* V. *Fast.* ubi Lemuria describit:

Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri;
Inferias tacitis Manibus illa dabant.

Postea tempus eorundem sacrorum designans, addit:

Nox ubi jam media est; somnosque silentia præbent,
Et canis, & variæ conticuistis aves;
Ille memor veteris ritus, timidusque Deorum,
Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.

A Quare inferiæ quotannis Diis Manibus Cæsarum *Augusti* filiorum post mediam noctem fiebant, uti cetera quoque sacra Deorum inferorum.

Nunc disputandum est de die, quo eisdem Cæsaribus annua religione *Pisani* coloni parentare jussi sunt. Macrobius *lib.* I. *Saturnal. cap.* 16. scribit: *Sed & Fabius Maximus Servilianus Pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Janum, Jovemque præfari necesse est, quos nominare atro die non oportet.* Ex his Gyrald. in *Syntag.* 17. Kirchmannus *lib.* IV. *de funer. Rom. cap.* I. Gutherius, aliique vulgo existimarunt nefas fuisse atro die mortuis pa-

B rentare. Hanc tamen opinionem manifestæ falsitatis convincit Cajanum nostrum cenotaphium. Nam in eodem legitur decretum fuisse à Colonis *Pisanis* ob mortem *Caji* justitium sumi: *Diemque eum quo die C. Cæsar obit, qui dies est ante diem VIIII. Kalendas Martias pro Alliensi lugubrem memoriæ prodi &c. caverique ne quod sacrificium* 401 *publicum, neve quæ supplicationes, nive convivia publica POSTEA in eum diem, eove die qui dies erit ante diem VIIII. Kal. Mart. fiant, concipiantur, indicanturve &c.* Igitur ille dies erat in perpetuum futurus ater, ac Alliensi similis. At statim ibidem decretum legitur: *Utique EO DIE quod annis*

C *publice Manibus ejus per magistratus, eosve qui Pisis jure dicundo prærunt, eodem loco, eodemque modo, quo L. Cæsari parentari institutum est, PARENTETUR.* Hæc non interprete indigent, sed Lectore. Ex iis enim communis opinio falsa cognoscitur, ac funebres victoris gentium Populi ritus intelliguntur, qui viris eruditissimis hucusque latuere. Et quidem justitio publice sumpto, mortuis *Romæ* eodem durante, parentatum non obscure ex veterum scriptorum monumentis colligitur. Livius *lib.* XXII. scribit ob *Cannensem* cladem luctum publicum *Romæ* susceptum, ad-

D ditque: *Itaque ne ob eandem causam alia quoque sacra publica aut privata desererentur, S. C. diebus triginta luctus est finitus.* Tacitus *libro* II. narrat audita *Romæ* morte *Germanici* justitium sumptum, quod nullis edictis inhiberi potuisse testatur Suetonius *capite* 6. *de vita Caligulæ*, *duravitque*, inquiens, *etiam per festos Decembris mensis dies*, nempe Saturnalibus, quorum prima dies agebatur sextodecimo Kal. Januarias, ex Macrobio *libro* I. *Satur. capite* 10. Addit *Tacitus* paulo post initium *lib.* III. *Annal. Tiberium* diuturnius justitium ægre ferentem, edicto monuisse: *Principes mortales, Rempublicam æternam esse; proin repeterent solemnia, & quia ludorum Megalensium spectaculum suberat,*

E *etiam voluptates resumerent. Tum exuto justitio, reditum ad munia.* Hæc ille. Megalensia celebrabantur Nonis Aprilis. Denique ob mortem *Drusillæ* sororis *Caji Caligulæ*, diuturnius justitium actum fuit, ex Suetonio *cap.* 24. *in Caligula.* Hisce tamen justitiis adhuc durantibus, plurimi vita functi sunt, eisque propinqui & affines parentarunt, cum mortuos extulerunt. At certum est omnes dies justitii atros à *Romanis* habitos. *Fabius Max. Servilianus*, qui consulatum gessit A. V. 612. idemque Pontifex in libro à *Macrobio* laudato, scripsit *non oportere atro die parentare*, quod non idem est ac *nefas fuisse* atro die parentare, uti *Kirchman-*

F *nus* putavit, sed in ea se sententia esse significavit, ut melius quisque faceret, si à justis funebribus atro die abstinens, eadem in alium diem differret, quamvis non esset nefas eadem atro die perficere; cujus sententiæ eam rationem reddit, quia, dum defunctis parentatur, *tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominari atro die non oportet.* Neque hic affirmat nefas fuisse *Janum* ac *Jovem* atro die nominare, sed non oportere, hoc est, melius esse, ac eorum majestati magis congruere,

gruere, eosdem atro die non appellare. Ita Cicero pro *Cornelio Balbo numero* 5. scribit: *Nunc vero quid dicitur? quid ait accusator fecisse Pompejum, quod ei facere non licuerit? quod gravius est, quam si factum ab eo diceret, quod non oportuisset; est enim aliquid, quod non oporteat, etiamsi licet; quicquid vero non licet, certe non oportet.* Vel dicere possumus *Fabium Servilianum* in ea opinione fuisse, quam tamen Romani non probarunt, siquidem *Macrobius* suis in libris non semel diversas sibique invicem contrarias opiniones eorum recenset, qui de rebus sacris scripserunt, quas etiam sæpius sub lite dimittit. Et sane in eodem capite 16. immo in eadem pagina diversas auctorum sententias recitat, num inter ferias nundinæ com-
402 putandæ essent. At cum in Cajana inscriptione *Statulenus Juncus* princeps *Pisanæ* coloniæ, idemque Pontifex minor sacrorum publicorum populi *Romani* dicatur, certum est *Pisanos* colonos Pontificias leges, quæ de sacris erant, observasse, ac proinde nullo Pontificio jure vetitum fuisse, ne atro die parentaretur, cum *Pisani Cajo* demortuo quotannis atro die justa persolvenda decreverint. Eo autem die licite *Janum* ac *Jovem* præfabantur. *Janum* quidem, quia idem ab *Ovidio* petenti ab illo causam, cur in qualibet precatione ipsum præfari deberet, respondisse fingitur initio *lib.* I. *Fastorum:*

Ut possis aditum per me, qui limina servo,
Ad quoscumque voles, inquit, habere Deos.

Igitur per *Janum* atro die aditus patebat precibus, ac sacris Diis inferis, seu Diis Manibus factis. Etenim atro die atra Numina rogari fas erat. Ita cum Lemuria, hoc est, sacra Deorum Manium mense Majo celebrarentur, *Janum* præfabantur, cum tamen ea die ad superos Deos publicæ preces aditum non haberent, scribente Ovidio *lib.* v. *Fastorum:*

Fana tamen veteres illis clausere diebus,
Ut nunc ferali tempore operta vides.

Jovem etiam licite (juxta ineptæ religionis leges id verbum acceptum sit) præfatos, cum die atro parentabant, colligo ex hisce verbis Macrobii *lib.* I. *Satur. cap.* 10 *Existimarunt antiqui animas à Jove dari, & rursus post mortem eidem reddi.* Qua opinione ducti ferias *Jovi* consecrarunt qua die *Accæ Larentinæ Romæ* parentabant, ut idem ibidem testatur. Itaque quemadmodum quilibet privatas inferias, amissis parentibus quotannis facere poterat, quamvis atra sibi dies esset, ita publice quoque parentari fas fuit, licet ea dies publice atra haberetur. *Æneas* de die anniversaria mortis *Anchisæ* apud Virgilium *lib.* v. *v.* 49. ait:

Jamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic Dii voluistis) habebo.

Acerbum diem dicit, nempe atrum, atque atro sibi lapillo signandum, seu funestum ac lugubrem; at *honoratum*, ob honorem parentalium, quo quotannis genitoris *Anchisæ* Manes prosequi decreverat. Interim ex proximè disputatis infertur dies obitus *Lucii Cæsaris*, qui in ejusdem Cenotaphio plures versus detruncato, desideratur. Nam cum in ejusdem fratris *Caji* inscriptione idem mortis dies dicatur, quo annuæ eidem inferiæ decretæ sunt, cumque annua parentalia *Lucii* circa diem XII. Kalendas Septembris celebrari jussa fuerint, uti *dissertatione secunda capite* 15. ex eodem lapide perspicue demonstravi, eodem quoque die idem mortem operiisse dicendus est.

Hactenus inferiæ utrique *Cæsari* à *Pisana* colonia publice quotannis instaurandæ, expositæ sunt; ad privatas modo descendo, quæ in eodem Cenotaphio ita designantur. Victimis Diis Manibus *Lucii* immolatis, ac super easdem in ara ardentes lactis, mellis, atque olei libationibus fusis, *TUM demum factam ceteris potestatem, si qui privatim velint Manibus ejus inferias mittere, nive quis amplius VNO CEREO, VNAVE FACE, CORONAVE mittat.* Cereos ac faces in funebri pompa, vel parentalibus in usu semper fuisse certum est. Seneca in fine *lib. de brevitate vitæ: At mehercule, inquit, istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces & cereos ducenda sunt.* 403
Immo Isidorus *lib.* XI. *cap.* 2. scribit: *Funus dictum à funalibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant.* Hosce ex papyro cereos laudat *Paulinus* in tertium Natalem S. Felicis:

Limina ceratis adolentur odora papyris.

Festus *V. Cereus*, ait: *Cereos Saturnalibus muneri dabant humiliores potentioribus, quia candelis pauperes, locupletes cereis utuntur.* Hinc quo nobilius *Lucio* parentaretur, non candelas, sed cereos circa ejusdem aram funebrem accendi voluerunt. Candelas in exequiis nominat Persius *Sat.* 3. *v.* 103.

Hinc tuba, candelæ; tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidus calces extendit.

Candelæ cereo minores erant, eæque plures in candelabro, quod apud nobiles etiamnum fit, figebantur. Martialis *lib.* XIV. *epigr.* 43. *de candelabro* ait:

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt.

Quod antea dixerat Varro *lib.* IV. L. L. *Candelabrum à candela, in eo enim funiculi ardentes figebantur.* Ita in *Italia* nostra *cerei* vulgo dicuntur candelæ grandiores ex pura cera compositæ; cum candelæ nomen etiam iis, quæ ex sevo conflata lucent, conveniat; unde & Columella *lib.* II. *de re Rustica cap. ult. candelas sevare* dixit. Cadaver *Cæsaris* in lecto eburneo, auro ac purpura strato apud Rostra compositum, ex Suetonio *cap.* 84. *repente duo quidam gladiis succincti, ac bina jacula gestantes, ardentibus cereis succenderunt.* Qui sane cerei circa defuncti corpus ardebant. Ita in gestis de martyrio *S. Cypriani* legimus ejusdem corpus *cum cereis* expositum. Eosdem in cœmeteriis antiquitus etiam à Christianis accendi solitos constat *ex canone* 34. *Synodi Illiberitanæ*, in quo hæc leguntur: *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt;* vel ne honor, qui ipsos solos Martyres decere videbatur, omnibus defunctis promiscue tribueretur, unde sanctorum, hoc est, piorum hominum mentes offendi possent, quæ est *Mendozæ* interpretatio, vel ne fideles immodica ardentium cereorum cura, à frequentia orationis avocarentur, quæ altera est *Garziæ* expositio. Additur: VNAVE FACE. Uti cerei à ditioribus ad *Lucii* inferias mittebantur, ita & plebeis, ut faces quæ minoris pretii erant, eisdem inferrent, permissum est. Facum materiam Plinius designat *libro* XVI. *capite* 18. *Nunc*, inquit, *facibus carpinus & corylus familiarissimæ.* Columella laudato loco scribit: *Feriis autem ritus majorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, candelas sevare.* Ita & Virgilius *ecloga* 8. *v.* 29.

Mopse novas incide faces; tibi ducitur uxor.

Ideo vero feriis licebat far pinsere, faces incidere, ac candelas sevare, quia omnia illa sacris peragendis inserviebant. Etenim mola salsa, hoc est, farre tosto, ac sale condito, ac dein commollito, hostiam aspergebant, omnesque prosiciæ victimæ immolatæ farrea farina conspersæ, in ara comburebantur. Hinc die feriato licebat far pinsere. Ovidius *libro primo Fast.* ait:

Ante Deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica salis,

Ita & faces licitum erat feriis incidere, quod sacris

404 cris funerum præsertim inserviebant. Tacitus initio *lib.* III. *Annal.* in funere *Germanici* nominat *conlucentes per campum Martium faces.* Idem *lib.* II. *Hist.* in inferiis *Neronis*: *Faces*, inquit, *Augustales subdidere.* Virgilius *lib.* XI. *Æneid. v.* 141. in funere *Pallantis* à *Turno* occisi, ait:

Arcades ad portas ruere, & de more vetusto
Funereas rapuere faces: lucet via longe
Ordine flammarum, & late discriminat agros.

Ovidius epist. 2.

Suntque sepulcrali lumina mota face.

Hasce faces funebres passim Scriptores vetusti nominant, & in quibusdam sepulcris etiamnum insculptæ visuntur. Easdem in annuis etiam parentalibus accendi solitas ex *Suetonio* eruditis prænotatum; is enim de *Augusto* scribit *cap.* 98. *Hujus Masgabæ ante annum defuncti, tumulum cum ex triclinio animadvertisset, magna turba, multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronunciavit*, cui & alterum statim addidit:

Ὁρᾷς φάεσι Μασγάβαν τιμώμενον.
Vide facibus honoratum Masgabam.

Denique legitur: CORONAVE. De coronis quibus coronabantur defuncti cum efferrentur ad tumulum, legatur Kirchmannus *lib.* I. *de fun. Rom. cap.* 11. ac Lipsius *in notis ad lib.* XIV. *Taciti.* Hic de coronis supra tumulum positis dicendum est. Plinius *lib.* XXI. *cap.* 3. *Et jam*, inquit, *tunc coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, ac sepulcrorum & Manium.* Tibullus *lib.* II. *eleg.* 3.

Atque aliquis senior veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo.

Suetonius in *Nerone cap. ult.* scribit eodem extincto, non defuisse, *qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent.* M. Aurelius Imperator adeo grata memoria quos præceptores habuerat, prosecutus est, ut teste Capitolino *cap.* 3. *sepulcra eorum aditu, hostiis, floribus semper honoraret.* Statius *lib.* III. *Sylvarum* in epicedio *Hetrusci* patris, ait:

—— nunquam, sospite nato,
Triste chaos, mæstisque situs patiere sepulcris;
Semper odoratis spirabunt floribus aræ.

Virgilius describens *Æneam* annua justa patri solventem *libro* V. *v.* 79. ait:

Purpureosque jacit flores, ac talia fatur.

Non defuere quos sepulcralium coronarum studium ac cura tenuit, ut hæredes ea conditione instituerint, ut quotannis ipsorum sepulcrum coronis exornarent. Apud Gruterum *pag.* 460. 3. *L. Publicius* certam pecuniæ summam collegio Fabrorum legat, ut arcam sepulcralem *Publiciorum* ROSIS EXORNENT. Et ibidem collegium decernit QVOD ANNIS ROSAS PVBLICIIS SVPRA S. (*sepulcrum*) MITTENDAS. Pagina 715. 10. C. Vius jus sepulcri, in quo condendus erat, libertis etiam concedit, HAC LEGE, VT QVOTIENS QVIS EORVM SVIS CORONAS PONENT, ET ARAM NOSTRAM CORONENT. *Pag.* 753. 4. *P. Appius* Collegio Dendrophororum dat C. millia nummum, *Romanæ* monetæ scutatos bis mil-
405 le ac quingentos, ita ut lectisternium TEMPORE PARENTALIOR. QVODANNIS PONATVR, ET PARENTETVR. ITEM CORONAE MYRT. TERNAE, ET TEMPORE ROSAE JUL. TERNAE EIS PONANTVR &c. Initio quidem Christiani quo se à superstitiosis Gentilium ritibus alienos ostenderent, nullas circa fidelium tumulos coronas ponebant; unde & illæ eorundem paganorum contra Christianos querelæ apud *Octavium Minucium*: *Coronas etiam sepulcris denegatis.* At posteriori ætate, Idolorum cultu jam antiquato, supra suorum tumulos etiam ipsi flores spargere non dubitarunt, hæc *epist.* 21. Hieronymo ad Pammachium scribente: *Ceteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos.* Verum non solum supra sepulcra, sed etiam apud cenotaphium flores in parentalibus spargi solitos docet inscriptio *Drusi* patris memoriæ apud *Ravennam* à *Claudio* Imperatore dicata, quæ *pag.* 237. 5. apud Gruterum exhibetur. Ib dicitur *Claudius* donasse septimæ decuriæ Fabrum militiæ, seu classis Ravennatis H-S. CIↃ. *ob memoriam patris sui*,

SVB. HAC. CONDITIONE. VT. QVOTANNIS ROSAS. AD. MONVMENTVM. EJVS. DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR. DVMTAXAT IN. V. ID. JVLIAS. &c.

At apud *Ravennam Drusi* tantum cenotaphium fuisse constat ex *Albinovano*, *Tacito*, ac *Suetonio*, qui tradunt cadaver *Drusi Romæ* sepultum.

CAP. VII.

Sacris operantes cincti Gabino *ritu. Hujusce ritus origo exposita. Sacra privata eodem cinctu* Gabino *peracta. Idem ritus in supplicationibus, in deducendis coloniis, in devotionibus, ac hostium spoliis cremandis servatus. Magistratus* Pisanæ *coloniæ post sacrificia Diis Manibus* Cæsarum *facta, struem lignorum jussus succendere.* Servius *pyræ à rogo diversitatem inconstanter assignat. Nobiliores virorum insignium rogis faces subdebant. De area parentalibus* Cæsarum *peragendis destinata. Pedes XL. quoquo versus extensa. Eadem stipitibus septa. De tutela fundi, ac maceria sepulcrorum.*

Sacrificio Diis Manibus *Lucii* celebrato, additur in ejusdem Cenotaphio: *Dum ii qui immolaverint* CINCTI CABINO RITV, STRVEM LIGNORVM SVCCENDANT, *adque eo exinde habeant.* Servius in illud Virgilianum:

Ipse Quirinali trabea, cinctuque Gabino,

scribit: *Gabinus cinctus est toga sic in tergum rejecta, ut una ejus lacinia à tergo revocata hominem cingat.* Mos ac nomen à *Gabiis* ortum. Nam cum isti sacris extra belli metum operarentur, improvisa hostium incursione nuntiata, ita uti erant togis succincti, ab aris contra hostem statim profecti, insigni victoria potiti sunt. Hinc ad *Ro-* 406
manos cinctus Gabinus in peragendis sacris derivavit, cum toga dextero humero dejecta partim caput obvolverent, partim supra sinistrum humerum retrorsum rejecta, ac sub pectus revocata, semet præcingerent. Iconem è veteri statua sacerdotali exhibet vir doctissimus *Octavius Ferrarius* parte priori de re Vestiaria *lib.* I. *cap.* 10. *pag* 34. Hoc cinctu Gabino utebantur sacris operantes; eoque præcinctos Pontifices minores exhibet in publica supplicatione Lucanus *lib.* I. scribens:

Pontifices sacri quibus est permissa potestas;
Turba minor sequitur RITV succincta GABINO.

Quæ ipsa sunt nostri lapidis verba. Eodem pariter modo Pontifex Maximus in ipsa inauguratione describitur à *Prudentio* in carmine de *Romano* Martyre:

Mire infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea;
Cinctu Gabino sericam fultus togam.

Livius *lib.* V. ait: *Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ, ad id faciendum C. Fabius Dorsuo, Gabino cinctu sacra manibus gerens, cum de Capitolio descendisset &c.* Qui colonias deducebant, dum tauro ac vacca ad aratrum junctis,

ducto sulco, mœnia designabant, à Servio in *libro* v. *Æneid.* cincti ritu Gabino producuntur. Ejus verba sunt in comment. ad versum 750. *Transcribunt urbi matres* &c. ex Catone in libris Originum: *Conditores civitatis taurum in dextra, vaccam intrinsecus jungebant, & incincti RITU GABINO, id est, togæ parte caput velati, parte succincti, tenebant stivam incurvam &c.* De capite velato idem prodit *Livius*, cujus testimonium ex *lib.* VIII. exhibeo. Cum *Decius* consul inito cum Latinis prœlio, vidisset hastatos hostium impressionem in lævo cornu non sustinentes, sese ad principes recipere, *M. Valerio* vocato: *Agedum*, inquit, *Pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite &c.* Postea verbis, quibus se devovit, recitatis, addit de Decio: *Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit.* Idem *lib.* x. narrat ejusdem filium cum vehementi oratione contenderet sacerdotia cum plebeis communicanda, parentem memorasse *incinctum Gabino cultu, super telum stantem*, quo se habitu devoverat. *Appianus* etiam, uti scite V. C. Ferrarius *cap.* 14. libri laudati prænotavit, quoties à *Romanis* Imperatoribus hostium spolia cremabantur, eosdem Gabino ritu cinctos describit. In Mithridaticis *pag.* 199. *de Sylla* ait: *Inutilia quæque coacervata, Romano more incinctus, cremavit, Diis belli præsidibus sacrata.* Idem in Punicis *pag.* 83. *de Scipione* post captam Carthaginem: *Scuta, machinas, & naves inutiles, Marti, Minervæque sacratas, more patriæ accinctus, cremavit.* Ita pariter in parentalibus *Lucii Cæsaris* Duumviri, qui victimas immolarunt, jubentur *cincti Gabino ritu*, struem Diis Manibus sacratam incendere. Et illi quidem etiam cum immolabant, more *Romano*, pulla prætexta ritu Gabino cincti erant; nam is erat habitus sacris operantium, uti ex *Livio*, ac *Lucano* ostensum. Ne tamen struem combusturi, habitum mutarent, hoc est togæ cinctum solverent, admonentur. Cum quis secum hostes devovebat, se atque hostes Diis Manibus sacrabat, ut ex hisce verbis, queis devotionem concipiebat, intelligitur: *Legiones, auxiliaque hostium mecum Diis Manibus,*
407 *Tellurique devoveo*: apud Livium *lib.* VIII. laudato. Quare cum se devoventes, ritu Gabino ferales illas preces haberent, eodem etiam modo togam præcingebant, qui sacra Diis Manibus annuis inferiis recurrentibus, faciebant.

Duumviri cincti Gabino ritu jubentur pyram accendere: STRUEM LIGNORUM SUCCENDANT. Hæc strues lignorum pyra, seu rogus dicebatur, cum in eadem cadaver comburendum ponebatur; quamvis *Servius* & quidem inconstanter rogum à pyra diversum dixerit. Nam in *lib.* III. *Æneid.* ait: *Extructio lignorum, rogus; subjectio ignis, pyra.* At in *lib.* XI. scribit: *Pyra est extructio lignorum; rogus, cum jam ardere cœperit.* Sed certum est pyram ac rogum idem omnino esse, & Grammaticum illum utrumque perperam distinxisse. Virgilius in VI. *Æneid. v.* 215. *Ingentem struxere pyram. Lib.* XI. *v.* 184. *Constituere pyras*; & *v.* 204. *Innumeras struxere pyras.* Igitur errat *Servius* scribens: *Extructio lignorum rogus.* Idem poëtarum maximus *lib.* IV. *Æneid. v.* 504. de Didone ait:

At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tedis, atque ilice secta.
Intenditque locum sertis, & fronde coronat
Funerea.

Inferius autem *v.* 645. de eadem ait:

Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conscendit furibunda rogos.

A Ita eandem lignorum struem *in penetrali sede*, seu *in interiori* parte *domus* extructam, ac nondum ardentem, modo pyram, modo rogum nuncupavit. Quod ignis πῦρ à Græcis appellatur, inde strues lignorum, ac rogus πυρὰ eisdem dicitur, quod nomen postea Latio donatum est à poëtis. Ceterum in *Pisana* tabula nec pyra nec rogus nominatur, sed in eadem legimus *struem lignorum*, quod nullum in ea cadaver urendum esset. Rogus quidem strues dicebatur, unde Lucanus *lib.* VIII.

—— nobile corpus
B *Robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt.*

Rogus enim erat strues lignorum ad cadaver comburendum. At non omnis lignorum strues erat rogus. Ita *Levitici* IV. 22. quibusdam extis victimæ in altare combustis, pellem ac carnes ac reliqua ejusdem victimæ is qui sacrificium expiatorium faciebat, jussus est efferre extra castra: *incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.* Et *Genesis* 32. de *Abrahamo* filium sacrificaturo dicitur: *Posuit eum in altare super struem lignorum.* At lignorum strues, quandoque ara dicebatur. Virgilius in VI. *Æ-*
C *neid.*

—— aramque sepulcri
Congerere arboribus, cœloque educere tentant.

Ubi *Servius* recte notat pyram significari, *quæ in modum aræ construi solebat.* Silius etiam Italicus *Virgilium*, in cujus pene sepulcro habitabat ex Plinio *libro* III. *epist.* 7. imitatus *lib.* XV.

—— alta sepulcri
Protinus extruitur, cœloque educitur ara,
Convectant sylvis ingentia robora, credas
Sidonium cecidisse ducem.

D In nostro tamen Cenotaphio strues illa lignorum 408
ab ara, quæ certe, uti ceteræ, marmorea fuit, distincta apparet; nam ibidem dicitur: *Utique locus ante eam aram, quo ea strues congerantur, componantur, pateat &c.* Itaque strues illa ante aram componenda, ac terminatis publicis sacrificiis victimarum, datisque libationibus, accendenda erat. Hujus ritus in annuis parentalibus nullus, quem sciam, veterum scriptorum meminit. *Virgilius* paulo post initium *lib.* v. describens annua justa *Anchisæ* persoluta, recitat victimas mactatas, ac libamina superinfusa, ac flores sparsos; at accensæ postea lignorum struis mentionem nullam fa-
E cit. Hinc ex unica inscriptione *Pisana* funebrem parentalium annuorum ritum intelligimus, quem nulla hucusque monumenta prodidere. Illa lignorum strues admotis facibus, accensa rogum *Lucii Cæsaris* repræsentabat, quasi tunc eidem exequias postremo officio celebrarent; exequias enim vita functi, præsente tantum cadavere, duci magnus dudum Criticus observavit. De lignis, ex quibus rogus conficiebatur, consule Kirchmannum *lib.* III. *de fun. Rom. cap.* 1. ubi ex *Herodiano* specie quadrangula ac æquis lateribus formatos rogos dicit. *Homerum* poterat appellare tot sæculis ante *Herodianum* scribentem *lib.* XXIII. *Iliad.*
F in funere *Patrocli*:

Ποίησαν δὲ πυρὴν ἑκατόμπεδον ἔνθα καὶ ἔνθα.
Fecerunt autem pyram centum pedum quoquoversus.

Sed de his pauca mox subjiciam; nam ordine cuncta recito, uti in tabula leguntur. Arnobii huc verba appello *lib.* VII. scribentem: *Quid est honoris genus lignorum struibus incensis cœlum fumo subtexere, & effigies Numinum nigrore offuscare forali?* Quæ quidem contra victimarum ustrinam loqui-

A loquitur. In parentalibus etiam Deos Manes ſtrue lignorum accenſa, novo honore mox mactare per ſummam dementiam arbitrabantur.

Quo vero major eidem honoris acceſſio fieret, Magiſtratus, qui Manibus *Lucii Cæſaris* immolabant, jubentur, ut cincti Gabino ritu ſtruem lignorum SUCCENDANT. Rogum Heroum ac inſignium virorum nobiliores incendebant. *Silius* narrans exequias ab *Hannibale* factas *Marcello Romani* exercitus Imperatori in acie cæſo, ait:

Ipſe facem ſubdens: laus, inquit, acta perennis.

Auguſti cadavere in campo Martio rogo impoſito, *centuriones, acceptis facibus juſſu Senatus, rogum incenderunt*, ex Dione *lib.* LVI. Cum *Vitel-*
B *lius Neroni* inferias ſolemni pompa daret: *Cæſæ publice victimæ, crematæque; faces Auguſtales ſubdidere*, teſte Tacito *lib.* II. *Hiſt.* Auguſtales autem erant collegium nobiliſſimum Sacerdotum, in quod ipſi Principes cooptabantur, ut diſſertatione prima oſtenſum eſt. In exequiis *Severi* Imperatoris, equeſtri ac militari decurſione circa rogum de more peracta, ſcribit *Dio* apud *Xiphilinum*: *Filii ignem accenderunt.* Lucanus *lib.* VIII. in viliſſimo funere *Pompeji* deſcribendo, *Cordum* civem *Romanum* hæc fantem inducit:

Robora non deſint miſero, nec ſordidus uſtor.
C *Sit ſatis, ò ſuperi, quod non Cornelia fuſo*
Crine jacet, ſubjicique facem complexa maritum
Imperat.

Ita eidem precatur ſordidum ſaltem uſtorem, qualis plebejis *Romæ* contingebat. At ex eiſdem verbis colligitur uxores, quod fæminis facem rogo ſubdere non licebat, imperare ſolitas aliis, ut pyram accenderent. Obſervatum eruditis eos qui rogum incendebant, averſo vultu faces ſubdidiſſe, quem ritum ex Virgilio didicerunt VI. *Æneid.* *v.* 223.

409 *—— ſubjectam, more parentum,*
Averſam tenuere facem.

D Præſcriptis victimis, libationibus, ac funereis ritibus, qui in annuis inferiis Manibus Cæſarum mittendis in colonia *Julia Piſana* obſervari debebant, additur in eodem Cenotaphio decretum de loco, in quo ſtrues illa lignorum congerenda erat: *Utique LOCUS apud eam Aram, quo ea ſtrues congerantur, componantur, PATEAT QUOQUE VERSUS PEDES XL.* Strues, quod nomen eſt collectivum, numero etiam plurali jungi poteſt, idque Grammaticis notum, cujus conſtructionis *diſſert.* 4. *capite* 6. plura veterum teſtimonia producam. Illa vox UTIQUE in lapide ibidem lacero non legitur; verum quod ante vo-
E cem LOCUS, manifeſte punctum viſitur, ibidem UTIQUE reponendum ex *Cajano* lapide colligitur, ac ex conſueta publicorum decretorum formula, quorum pleraque in Gruteriano volumine exhibentur. Legatur *pagina* 242. Cicero in decreto de publica ſepultura Ser. Sulpicio ſtatuenda *in Philipp.* 9. ait: UTIQUE *locum ſepulcro in Campo Eſquilino C. Panſa conſul, ſeu quo in loco videbitur, pedes triginta QUOQUOVERSUS aſſignet.* In quibus *Piſani* decreti formula apparet. *Vitruvius* noſter Veronenſis *lib.* IV. *capite* 5. teſtatur templa quadrata extrui paſſim ſo-
F lita; hinc locum Diis Manibus ſacrum quadratum eſſe voluerunt. Hujus conſuetudinis exemplum antiquiſſimum lego apud Homerum Odyſſea XI.

Βόθρον ὄρυξα ὅσσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα;
Ἀμφ᾽ αὐτῷ δὲ χοὰς χεόμεν πᾶσι νεκύεσσιν.
Foſſam feci cubitalem quoquoverſus;
Circa eam autem libamina fundebamus omnibus mortuis.

In Gruterianis inſcriptionibus *pag.* 710. *L. Valerii* infantis epitaphium legitur, cujus, quæ ad rem faciunt, priora verba ſubjicio.

POS. TITVLO
QVOQVOVER. P. III
DIS. MANIBVS
SACRVM

Cum vero dicitur: *Locus* QUO *ea ſtrues* CONGERANTUR, COMPONANTUR, *pateat quoque verſus pedes XL.* dubitari poſſit, an totum eundem locum ea ſtrues quoquoverſus occupaverit, vel potius illis verbis deſignata fuerit amplitudo areæ, intra quam ea lignorum ſtrues componenda erat. Equidem ſcio ampliſſimos rogos à poetis deſcriptos in funere virorum illuſtrium. Virgilius *lib.* VI. *Miſeni* à *Trojanis* combuſti, pyram hiſce deſcribit à *v.* 179.

Itur in antiquam ſylvam, ſtabula alta ferarum;
Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex:
Fraxineæque trabes, cuneis & fiſſile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.

Quæ Macrobius *lib.* VI. *Satur. cap.* 2. Ennianis verſibus, quæ ibidem exhibet, ſimilia dicit. Silius *libro* X. in narrandis exequiis militum, qui in *Cannenſi* acie ceciderant, *Virgilium* imitatur; quod tamen plurimas ibidem pyras extructas dicit, ejuſdem verba non refero. *Statius* quidem de unius pueri Archemori rogo *libro* VI. *Thebaid.* inquit: 410

—— cadit ardua fagus,
Chaoniumque nemus, brumaque illæſa cupreſſus;
Procumbunt piceæ, flammis alimenta ſupremis.
Ornique, iliceſque trabes, metuendaque ſucco
Taxus, & infandos belli potura cruores
Fraxinus; atque ſitu non expugnabile robur.
Hinc audax abies, & odoro vulnere pinus
Scinditur, acclinant immenſa cacumina terræ
Alnus amica fretis, nec inhoſpita vitibus ulmus.

Verum hæc poetis altius exaggerare licuit. Interim puto ſtruem in annuis parentalibus *Cæſarum* accenſam, neutiquam univerſam aream XL. pedes quoquoverſus extenſam, occupaſſe, ſed in medio ejuſdem quadrangula ſpecie de more, ante aram extructam. Hinc ibidem additur: *Lignorumque acervos ejus rei gratia quod annis IBI conſtituatur*; nempe in eadem area. Cur enim, cum binas tantum victimas immolarent, tam grandem poſtea lignorum acervum componendum, comburendumque juſſiſſent;

Illa autem area XL. P. quoquoverſus, jubent in decreto eodem, pateat: STIPITIBUSQUE ROBUSTIS SAEPIATUR. Hæc tutandi cauſa fundi, in quo annuæ inferiæ *Cæſaribus* mittendæ erant, decreta ſunt. Varro *lib.* I. *de re Ruſtica cap.* 14. inter quatuor genera tutelarum fundi ponit *ſæpem ex agreſti ligno, ſeu arboribus truncis dimiſſis in terram, deinceps conſtitutis.* Hæc plane tutela decreta fuit eidem areæ; nempe grandiores arborum trunci ſimul juncti, quoquoverſus XL. P. aream circumdabant. Habemus *L. funeris. D. de relig. & ſumpt. fun.* hocce reſcriptum: *Munimentum autem ſepulcri id eſſe Divus Hadrianus reſcripſit, quod munimenti, id eſt, cauſa muniendi ejus loci factum ſit, in quo corpus impoſitum ſit.* Auguſtus mirandi operis ſepulcrum ſibi, ac affinibus extruxit, eratque ex Strabone *lib.* V. *pag.* 163. *ferrea ſæpe in orbem cinctum.* Extant *Veronæ* Principum *Scaligerorum* ſepulcra plane illa regia apud Eccleſiam Divæ Mariæ antiquæ, uti vocant, quæ cratibus ferreis circumquaque muniuntur, eorumque ectypum videre licet apud *Panvinium* in *lib. de antiq. Veronæ.* Ceterum ſepulcrorum munimenta ex maceria vulgo conficiebantur. Hanc *maceriam ſepulcrorum* nominat lex 73. *D. de contrahen. empt.* Hinc Auguſtinus *in Pſal.* 76. ait: *Quæ eſt maceria ejus? munitio ejus.* Varro laudato loco eandem vocat fabrile ſæpimen-

mentum, idemque noviſſimum, videlicet inter tutelas fundi. Suetonius in *Nerone cap.* 33. cum narraſſet eundem fuiſſe conſcium mortis *Claudio* Imperatori illatæ, ait: *Denique buſtum ejus conſæpiri niſi humili, levique maceria neglexit.* Maceria circa ſepulcra tutelæ gratia poſita paſſim apud *Gruterum* nominatur. Vide *pag.* 588. 3. 606. 2. 668. 6. 671. 6. & 896. 14. Plura de eadem ſcribit Gutherius *lib.* II. *de jure Manium cap.* 30. Porro eadem area una cum ara, quoquoverius P. XL. erat ſacra, utpote dicata Diis Manibus *Cæſarum.* Cum *Clodius* pulſo in exilium *Cicerone*, ejuſdem domum dejeciſſet, in ejuſdem area ſtatuam Libertatis collocavit, eidemque aream dicavit. At *Cicero* ab exilio reverſus, orationem pro domo ſua apud collegium Pontificum recitavit, qui, uti ſcribit ad Atticum *lib.* IV. *epiſt.* 2. decreverunt, *videri poſſe ſine religione jam partem areæ mihi reſtitui.* Apud Gruterum *pag.* 61. 3. hæc inſcriptio legitur:

411 Haec. area. intra. hanc. definitionem cipporum. clauſa. verrubus. &. area quæ. eſt. inferius. dedicata. eſt. ex voto. ſuſcepto. quod. diu. erat. ne glectum. nec. redditum. incendiorum arcendorum. cauſa. quando. urbs. per novem. dies. arſit. Neronianis. temporibus. &. hac. lege. dedicata. eſt ne liceat. intra. hos. terminos. aedificium. extruere. manere. negotiari arborem. ponere. aliudve. quid. ſerere. &. ut. praetor. cui. haec. regio ſorti. obvenerit. litaturum. ſe. ſciat aliuſve. quis. magiſtratus. Volcanalibus. X. Kal. Sept. omnibus. annis vitulo robio. &. verre.

Hactenus de inferiis ac loco, in quo eaſdem quotannis Diis Manibus *Lucii Cæſaris Piſana* Colonia mittendas eſſe decrevit, quarum ne ulla oblivio poſteros caperet, additur: CIPPOQUE GRANDI *ſecundum aram defixſo hoc decretum cum ſuperioribus decretis ad ejus honores pertinentibus* INCIDATUR, INSCULPATURVE. Hic cippus idem ipſe lapis eſt, in quo inferiæ harumque ritus modo *Piſis* leguntur, qui cum per plura ſæcula latuiſſet, non multos abhinc annos repertus, ac in pulcherrimo *Piſanorum* cæmeterio collocatus, inter præclariora *Romanæ* gentis monumenta jure ac merito reponitur. In cenotaphio *Caji*, quod undeviceſimo poſtea menſe paris magnitudinis cippo inciſum, inſculptumve fuit, nullæ eidem inferiæ mittendæ, deſcribuntur, ſed decretum eſt, ut qua die *Cajus Cæſar* obiit, *quodannis publice Manibus ejus per Magiſtratus, eoſque qui Piſis jure dicundo præerunt*, EODEM LOCO EODEMQUE MODO, *quo Lucio Cæſari parentari inſtitutum eſt*, PARENTETUR. Itaque ad eandem aram Diis Manibus *Lucii* ac *Caji Cæſarum* fratrum eaſdem victimas immolarunt, ac utrique eodem prorſus modo parentarunt. Cum mortuo *Germanico* plurima ad ejuſdem honores augendos Senatus ſtatuiſſet, ſcribit Tacitus *libro* II. *Annalium: Pleraque manent, quædam ſtatim omiſſa ſunt, aut vetuſtas obliteravit.* Nullus dubito quin ſuperſtite *Auguſto*, *Piſani* utriuſque *Cæſaris* Manibus annuas quas decreverunt, inferias tulerint. Num autem imperante poſtea *Tiberio*, *Cajo Cæſari*, ejuſque memoriæ infeſto, eaſdem inferias mittere perſeveraverint, aut quando primum illas omiſerint, in tanta temporum vetuſtate ignoratur. 412

CAP. VIII.

Columnæ, dein Arcus ducibus poſt victoriam erecti. Arcus ſtante Republica nunquam mortuis decreti. Sub Auguſto Druſo, *ac poſtea* Piſis Cajo Cæſari *demortuis extructi. Arcus* Caji *devictarum gentium ſpoliis ornatus. Statua pedeſtris triumphalis* Cajo, *ac binæ equeſtres inauratæ eidem, ac* Lucio *fratri poſitæ. Statuæ equeſtres raro* Romæ *dicatæ.* Velleji *de ſtatua* Cæſari Octaviano *decreta, error refellitur.* Piſanæ *Coloniæ ad* Auguſtum *legatio.*

Luctum in morte *Caji Cæſaris* à *Piſana* colonia publice ſuſceptum, ac inferias utrique *Cæſari* quotannis *Piſis* inſtauratas, deſcripſi. Hinc gradum facio ad monumenta victoriarum *Caji* in ejuſdem Cenotaphio recitata; hæc enim in eodem leguntur: *Utique* ARCUS *celeberrimo Coloniæ noſtræ loco conſtituatur, ornatus* SPOLEIS *devictarum, aut in fidem receptarum ab eo gentium, ſuperque eum* STATUA PEDESTRIS *ipſius* TRIUMPHALI ORNATU, *circaque eam duæ* EQUESTRES INAURATAE GAI *&* LUCI *Cæſarum* STATUAE *ponantur.* Plinius *libro* II. *epiſt.* 7. commendat morem dicandi viris illuſtribus ſtatuas, *ex quibus*, inquit, *in celeberrimo loco non modo ſpecies & vultus illorum, ſed honos etiam & gloria refertur.* Extat apud Gruterum *pagina* 408. decretum coloniæ *Tergeſtinæ*, quo eximie laudant *Fabium Severum*, jubentes *Statuam ei auratam equeſtrem primo quoque tempore in celeberrima urbis noſtræ parte poni.* Ita *Piſani* cives inquiunt: *Arcus celeberrimo coloniæ noſtræ loco conſtituatur.* Antiquitus viris re publica fortiter ac feliciter geſta, columnas tantum dicari ſolitas teſtatur Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* 6. *Columnarum*, ait, *ratio erat, attolli ſupra ceteros mortales: quod & arcus ſignificant, novitio invento. Cajo Duillio*, qui claſſe contra *Pœnos* educta, *Romanorum* primus navalem victoriam obtinuit, roſtrata columna in foro poſita fuit, elogio ejuſdem in baſi deſcripto, cujus fragmentum habes apud Gruterum *pag* 404. 1. nec ulla hactenus Duilliana antiquior inſcriptio ſupereſt. Initio vero arcus lateritii tantum erant, ſimplici rudique opere excitati; poſtea vero è marmore extrui cœpere, ſtatuis, aliiſque ornamentis inſigniti, quorum aliquot etiamnum *Romæ* viſuntur. Ceterum nuſquam mortuis, florente Republica, arcus à S. P. Q. R. decreti ſunt, ſed imperatoribus, qui victores reverſi, id partæ gloriæ monumentum referebant, quo ſeros quoſque poſteros ad bellicam virtutem excitarent. Ubi re *Romana* ad unum *Auguſtum* delata, miræ adulandi artes eruperunt, mortuo in *Germania Druſo Nerone* ejuſdem *Auguſti* privigno, arcus eidem via *Appia* à Senatu decretus fuit. Scribit Suetonius *cap.* 1. *de vita Claudii Druſi* filii: *Præterea Senatus inter alia complura, arcum marmoreum cum tropæis via Appia decrevit.* Dio vero *libro* LV. ait: *Honoreſque ſtatuarum, arcuum, & honorarii ad ipſum Rhenum tumuli dati.* Hunc primum defuncto Duci erectum arcum accepimus. Alterum *Piſanum Caji* cenotaphium prodit, eidem Cæſari poſt mortem à *Piſanis* celeberrimo coloniæ loco decretum, cujus nulla uſpiam alia memoria, ſupereſt. Poſt *Auguſti* mortem, id ho- 413
noris tertius *Romanorum* ducum poſt obitum, obtinuit *Germanicus* Cæſar, hæc ſcribente Tacito *libro Annalium ſecundo: Arcus additi Romæ, & ad ripam Rheni, cum inſcriptione rerum geſtarum, & mortem ob rempublicam obiiſſe.* Piſani quoque in Cajano cenotaphio referunt *ipſum volneribus* PRO RE PUBLICA *exceptis, ex eo caſu crudelibus fatis*

tis ereptum. Immo ipsi *Liviæ* uxori *Augusti*, ac nostrorum Cæsarum novercæ, ubi ultima senecta finem vivendi fecit, *arcum quoque nulli unquam mulieri id datum, decreverunt*, teste Dione *lib.* LVIII. cujus tamen honoris feminæ collati cum ipsum Tiberium *Liviæ* licet filium, puderet, arcum matri suis se impensis extructurum promisit, *quem tamen neque publicis pecuniis fieri passus est, neque suis ipse fecit.* Dionis ibidem verba sunt. At num *Romæ* quoque à Senatu defuncto *Cajo* arcus decretus fuerit, non ausim sine teste affirmare; quamvis exemplo *Drusi*, ac *Pisanæ* coloniæ facto, hunc etiam honorem à Senatu illum tulisse crediderim.

Arcus isti à Græcis scriptoribus tropæophori appellati sunt. Dio *libro* LIII. scribit: *Arcus tropæum ferens in alpibus ei positus est*; quod spolia ex hostibus reportata in eodem sculpta visebantur, quemadmodum in trophæis fiebat, quæ excitabantur eo in loco, in quo duces contra hostes victoriam obtinebant. Nominis etymologiam docet *Nonnius Marcellus: Fuga hostium Græce vocatur τρόπη: hinc spolia capta, fixa in stipitibus, appellantur tropæa.* Virgilius *libro* XI. *Æneid.* trophæum eleganter describens, à *v.* 5. ait:

Ingentem quercum decisis undique ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias (tibi magne trophæum
Belli potens) aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum,
Perfossumque locis, clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Juvenalis *Satyra* 10. hæc de trophæo scribit:

Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu.

Habes ex Juvenale arcum spoliis devictarum gentium ornatum, qualem *Cajo Pisani* ponendum jussere. Dio *lib.* XLII. narrata victoria *Julii Cæsaris* de Pharnace reportata, ait: *Cumque trophæum eo in loco Mithridates de Triario statuisset, quia id consecratum belli Diis, evertere fas non erat; ipse de Pharnace suum opposuit, atque ita Mithridaticum obscuravit, quodamque modo dejecit.* Et quidem initio ipsimet duces erant tropæophori. Virgilius *lib.* XI. *v.* 83.

Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Magnus poeta ubique *Romanos* ritus vetustate probatos fingens, *Romuli* factum expressit, qui cum *Acronem Ceninensium* regem occidisset, quo votum *Jovi* maxime gratum, ac civibus spectatu jucundius redderet, teste in ejus vita *Plutarcho*, circumspiciens in exercitu, quercum grandem præcidit, & instar trophæi formavit, *Acro-*
414 *nis* arma ordine singula circumposuit, atque aptavit. *Ipse veste præcinctus, & caput florente coma coronatus, trophæum subjectum dextero humero innixum subiens ibat.* Hinc factum, ut qui primi Christianæ religionis defensionem stylo executi sunt, in trophæis Crucem à *Romanis* adoratam dixerint. Tertullianus *cap.* 16. Apologetici: *Sed & victorias*, inquit, *adoratis, cum in tropæis cruces intestina sint trophæorum.* Et Minutius scribit: *Trophæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum & adfixi hominis imitantur.* Etenim lignum in modum crucis formatum armis occisi ducis vestiebant, ut hominis speciem exhiberet. Hoc ostendunt innumera numismata, in quibus trophæa sculpta visuntur. At postea spolia gentium devictarum æratis postibus ducta, vel in marmoreis arcubus insculpta sunt, quo perennior eorundem memoria ad posteros propagaretur.

A Ovidius *lib.* v. *Fast.* de templo *Martis Bis-ultoris* ab *Augusto* ædificato, ait:

Perspicit in foribus diversæ tela figuræ,
Armaque terrarum milite victa suo.

Eadem spolia hostium in arcubus etiam sculpta sunt. Ita *Romæ* in radicibus Palatini montis visitur arcus *Titi Vespasiani*, & in eodem insculptum candelabrum, atque alia quæ cum variis templi *Hierosolymitani* instrumentis *Romam* detulit. In arcu *Septimii Severi* cernuntur pugnæ ab eodem cum barbaris habitæ, ac captivorum agmina. Claudianus in *paneg.* 3. *de Stilichone* canit:

—— septem circumspice montes,
B *Qui solis radios auri fulgore lacessunt,*
Indutosque arcus spoliis, æquataque templa
Nubibus, & quidquid tanti struxere triumphi.

Cum *Cajus Arabiæ* tumultus sedaverit, ac *Armeniam* partim vi, partim terrore, ad obsequium reduxerit, *Ariobarzane* eidem rege imposito, ac uti in ejusdem Cenotaphio legitur: *Bene gesta re publica, devicteis aut in fidem receptis bellicosissimis ac maxsimis gentibus*; hinc decretum est à *Pisanis* colonis, ut trophæa ex tot barbaris prœlio victis, aut bello tantum ostentato, quod pulcherrimum victoriæ genus est, citra cruorem in fidem populi *Romani* receptis, in ejusdem triumphali arcu in-
C sculperentur.

Præterea non solus arcus *Cajo* decretus est, verum etiam *super eum STATUA PEDESTRIS ipsius TRIUMPHALI ORNATU.* Frequentes *Romæ* statuas à Senatu decretas testatur Cicero in *Philippica* 9. *Majores quidem, nostri*, inquit, *statuas multis decreverunt, sepulcra paucis.* De pedestribus vero statuis scribit Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* 6. *Pedestres sine dubio Romæ fuere in auctoritate longo tempore.* Cum *Cicero* in oratione proxime laudata contenderet statuam dicandam *Servio Sulpicio*, qui legatus ad *Antonium Mutinam* obsidentem profectus, obierat, ait: *Pedestrem ex ære statuam tanquam ex ejus auctoritate, & voluntate decerno, quæ quidem magnum civium dolorem & desiderium honore monumenti minuet, & leniet.* At statuam pedestrem *Caji* triumphali ornatu poni jusserunt, ut triumphalibus ornamentis insignita, debitum ejusdem victoriis triumphum exprimeret. Insignia triumphalia describit apud Livium *lib.* x. *P. Decius Mus*, cum contenderet sacerdotia plebejis etiam communicanda: *Cui hominum*, inquit, *Deorumque indignum videri potest eis viris, quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali laureaque honoraritis, quorum domos spoliis hostium affixis, in-* 415
E *signes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia insignia addere?* Idem Livius *libro* XXX. Scipio *Masinissam*, inquit: *sella curuli, scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat; addit verbis honorem, neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse.* Vestem autem triumphalem ex purpura & auro textam fuisse tradit Plinius *lib.* IX. *cap.* 36. scribens: *Purpura in triumphali miscetur auro.* Ea vero tunica *palmata*, uti Festus V. *Picta*, scribit, *à latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* Et antea dixerat: *Picta quæ nunc toga dicitur, antea vocabatur purpurea, eaque erat sine pictura.* At postea auro *Phrygio* opere intexto, quasdam in eadem figuras exprimente, togæ pictæ nomen eidem
F continuatum. Scio hæc postrema *Manutio* in epistola de toga non probari; putat enim togam pictam semper fuisse variis figuris distinctam, nec duæ imagines triumphales, quas in æde *Vertumni* & *Consi* cum toga pure purpurea sine ullis figuris pictas *Verrius Flaccus* laudat, fidem eidem faciunt, quod rudiori illo sæculo nesciebat pictor

Phrygium opus in toga illa purpurea delineare. At pictor qui faciem virorum triumphalium penicillo exprimere potuit, idem profecto flavis lineis togam purpuream valuit variare, ut aureas figuras utcunque in eadem repræsentaret. Togam pictam scalptam habemus in nummo *Cæsaris*, cujus ectypum exhibent eruditi, inter quos Gutherius *lib.* I. *de vet. jure Pont. capite* 28. & Eques Patinus ad *cap.* 84. Suetonii *de vita Cæsaris*. Eandem togam pictam induunt *Diocletianus* ac *Maximianus* in raro, immo singulari aureo numismate Mediceo, majoris magnitudinis, quod peculiari dissertatione exposui, ubi etiam de triumphalibus ornamentis disserui. Auctor est *Vellejus* duos Tribunos plebis legem tulisse, ut Pompejus *ludis Circensibus corona aurea & omni cultu triumphantium uteretur.* Dio scribit *lib.* XXXVII. datum eidem, ut *vestem triumphalem* in equestribus certaminibus indueret. Cicero vero *lib.* I. *ad Atticum epist.* 15. *Pompejum* perstringens, ait: *Pompejus togulam illam pictam silentio tuetur suam.* Ex quibus recte infert *Manutius* togam pictam inter triumphales ornatus fuisse. His de rebus consulendus est *Octavius Ferrarius* parte priori *de re Vestiaria lib.* II. *cap.* 8. siquidem vir eruditissimus eo in campo adeo diligenter messuit, ut tenue spicilegium posteris reliquum fecerit.

Statuam pedestrem *Caji Cæsaris* triumphali ornatu in medio fastigii arcus locandam jussere, addentes: *Circaque eam* DUAE EQUESTRES INAURATAE GAI ET LUCI CAESARUM STATUAE *ponantur.* Rariores fuisse *Romæ* statuas equestres inauratas tradit Cicero *in nona Philippica*, ubi de statua *Sulpicio* ponenda verba faciens, ait: *Gratior illi, si quis est sensus in morte, ænea statua futura, & ea pedestris magis, quam inaurata equestris, qualis est L. Syllæ prima statua; magnifice enim Ser. Sulpicius majorum continentiam diligebat, hujus sæculi insolentiam vituperabat.* Ita insolentia ejus sæculi inauratas statuas invexerat. Auctor est Vellejus *lib.* II. juvenem Cæsarem contra *M. Antonium* à Senatu cum exercitu missum, honoratum equestri statua in rostris, *qui honor*, inquit, *non alii per trecentos annos, quam L. Syllæ, & Cn. Pompejo, & C. Cæsari contigerat.* Livius *lib.* VIII. scribit: *L. Furium Camillum* ac *C. Mænium* consules ob *Latium* subactum triumphasse:
416 *Additus*, inquit, *triumpho honos, ut statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur.* Id contigit A. V. 417. nempe ante annos 294. quam *Octaviano Cæsari* statua decerneretur. Idem *lib.* IX. *P. Cornelio Arvina* & *Q. Marcio Tremulo* Coss. A. V. 448. ait: *Marcius de Hernicis triumphans, in urbem rediit: statuaque equestris in foro decreta est.* Hinc patet *Vellejum* rotundo numero usum, cum à statua *Marcio* decreta, ad alteram juveni *Octaviano* à Senatu positam, anni tantum 263. intercesserint. Adeo rari exempli fuerat Imperatores multis licet victoriis illustres, auratis statuis honorare. Et quidem *Augustus* id temporis annos tantum undeviginti natus erat. Cicero *lib. epist. ad M. Brutum* 19. cum ob id ab hoc ipso reprehenderetur, *Philippum Augusti* vitricum ejus decreti auctorem facit, scribens: *Statuam Philippus decrevit, celeritatem petitionis primo Servius, post majorem etiam Servilius; nihil tum nimium videbatur.* Verum Kal. Januariis A. V. 711. à palilibus, Cicero *quintam Philippicam* recitans, de honorandis iis, qui contra *Antonium* exercitus in fide Reipublicæ, sive Senatus tenebant, verba faciens, statuam inauratam equestrem *Lepido* ponendam dixit, decretum hisce præformans: *Eique, M. Lepido, statuam equestrem inauratam in rostris, aut quo alio loco in foro vellet, ex hujus Ordinis sententia statui placere.* Tunc autem nondum statuam *Cæsari Octaviano* decretam fuisse ex verbis *Ciceronis* colligimus: *Nec vero*, inquit, *cuiquam possumus commemorare hunc honorem à Senatu tributum judicio Senatus soluto & libero.* Nam *Sylla*, *Pompejus*, ac *Cæsar* nimia potentia libertati Senatus obnoxii fuerant. Itaque *Octavianus* ante Kal. Januarias A. V. 711. equestri statua non fuit ornatus. Hinc errat Vellejus *lib.* II. scribens de juvene Cæsare: *Eum Senatus honoratum equestri statua &c. proprætorem una cum consulibus designatis, Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit.* Nam Kal. Januariis *Hirtius* & *Pansa* reapse consulatum iniere, neque erant consules tantum designati, quomodo anno superiori proximo 710. appellabantur, quo tempore *Cæsar* statuæ honorem nondum acceperat. Certe Cicero *in Philippica* V. quam ipsis Kalendis Januariis, *Hirtio* & *Pansa* Coss. recitavit, hæc ait: *Demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. Sit pro Prætore eo jure quo qui optimo &c.* Itaque nondum erat proprætor, cum jam *Hirtius*, ac *Pansa* inissent consulatum. *Dio lib.* XLV. & XLVI. recitat orationes *Ciceronis* ac *Caleni* ineunte Januario ejus A. V. 711. in Senatu habitas, additque: *Postridie eorum qui Cæsaris causam agebant, factio obtinuit. Itaque decretum est, ut Cæsari statua poneretur, ut inter quæstorios esset senator &c.* Quare nec ea die fuit proprætor renunciatus, sed quæstoriis tantum additus. Hasce statuas equestres, quas *Cicero* laudatus ac Catullus *epigr.* 82. *ad Juventium* vocant *inauratas*, uti & *Pisana* inscriptio, in vetustis elogiis diversimode expressas legimus. Nam *statuam equestrem* AURATAM habemus *pag.* 306. 3. AURO INLUSTREM *statuam* pag. 370. 3. AURO SUPERFUSAM *pag.* 353. 4. STATUAM SUB AURO pag. 401. 1. & 465. 8. Notat Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* 6. fœminam hoc honore antiquitus *Romæ* insignitam: *Cloeliæ*, inquit, *statua est equestris, seu parum esset toga eam cingi*, Auctor est *Livius* statuas inauratas sero in *Italia* dicatas fuisse. Nam *lib.* XL. ad A. V. 573. de *Man. Acilio Glabrione* scribit: *Statuamque auratam quæ prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit.* Hic ille *Glabrio* fuit, qui ad *Thermopylas* cum *Antiocho* rege pugna inita, insignem 417
de eodem victoriam retulit, uti fusius narrat Appianus *in Syriacis pag.* 98. quod ibidem etiam *Livius* notavit. Ingentem postea inauratarum statuarum equestrium numerum *Romæ* dicatum fuisse, patet ex Cicerone *lib.* VI. *ad Atticum epist.* I. scribente: *Cum in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animadvertissem &c.* Unus *Q. Metellus Scipio* tot dedicavit. Statuæ nullæ *Romæ* loco publico dicari poterant sine Imperatorum permissu. Hinc Plinius *lib.* I. *epist.* 17. scribit: *Titinius Capito ab Imperatore nostro impetravit, ut sibi liceret statuam L. Silani in foro ponere.* In coloniis vero & municipiis à decurionibus facultas ponendæ statuæ concedebatur, ut ex Gruterianis inscriptionibus patet. Vide *pag.* 479. 7. 355. 1. 436. 1. & alibi. Locus vero designabatur vel à decurionibus, ut patet ex inscriptionibus, ubi hæ literæ leguntur: L. D. D. D. *Locus datus decreto decurionum.* *Pag.* 404. 1. & passim; vel ab ipsis Duumviris, ut constat ex *pag.* 355. 1.

Augustus colonias in *Italia* ea inter ceteras lege deduxerat, ut graviora quæque à decurionibus decreta sibi, libello transmisso, significarentur, teste Suetonio in *vita ejusdem cap.* 46. quamvis de magistratibus colonicis ea tantum *Suetonius* scribit. Sed de ceteris quoque, quæ graviores expensas exigebant, *Augusti* placitum rogandum utraque *Pisana* inscriptio manifestat. Nam in

Cenotaphio *Lucii Cæsaris* legitur: *Utique primo quoque tempore* LEGATI *ex nostro Ordine Imp. Cæsarem Augustum patrem patriæ &c.* ADEANT, PETANTQVE AB EO, *uti Colonis Juliensibus, Coloniæ opsequenti Juliæ Pisanæ, ex hoc decreto ea omnia* FACERE, EXSEQVIQVE PERMITTAT. Quod vulgo *quam primum* dicitur, *primo quoque tempore* in decreto dixere. Ita Cicero in fine Philippicæ 3. *Primo quoque tempore de his rebus ad hunc Ordinem referant.* Livius *libro* XLII. *Ut Brundusium primo quoque tempore mitti possent.* In Cenotaphio *Cajano T. Statulenus Juncus Pisanæ* coloniæ princeps civis ac Pontifex Minor, idemque Flamen Augustalis jussus dicitur ad *Augustum* legatione suscepta, eidem libello tradito, significare decretum de augendis honoribus *Caji Cæsaris* acerbo fato sublati, à *Pisana* colonia conditum, quod *Augustum* adprobasse ibidem legimus. Etenim Imperatores honores defunctorum imperantis licet familiæ memoriæ decretos, non semel imminuerunt. Tacitus *libro* V. *Annalium* cum Senatus nimios demortuæ *Liviæ Tiberii* matri honores statuisset, *Tiberius*, inquit, *honores memoriæ ejus ab Senatu large decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis.* *Lucio Cæsari* puras tantum inferias *Pisana* colonia decrevit, quod ille *Romæ* educatus, cum primo urbe profectus, Massiliæ *inglorius*, ut *libro* IV. *capite ultimo* scribit *Florus*, repentino morbo decessit. At *Cajo* quod summo cum imperio bello in Oriente feliciter administrato, acerba morte ereptus fuerat, statuas triumphales atque arcum devictarum gentium spoliis ornatum, erexerunt. Ovidius *libro secundo de arte*, triumphum vano omine eidem *Cajo Cæsari*, cum expeditionem ad bellum Parthicum adornaret, hisce versibus augurabatur:

Ergo erit illa dies: qua tu, pulcherrime rerum,
Quatuor in niveis aureus ibis equis.
Ibunt ante duces onerati colla catenis:
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.
418 *Spectabunt juvenes læti, mistæque puellæ:*
Diffundetque animos omnibus illa dies.

Illa tamen dies nunquam advenit; nam eundem, ut verbis Cenotaphii utar, crudelia fata debito triumpho surripuere. At *Pisani* quo suum erga imperantem familiam obsequium publico monumento testatum facerent, triumphalem *Cajo* arcum, pedestrem ac equestrem inauratam statuam celeberrimo coloniæ loco erexerunt, ut ejusdem memoriam ad seros quosque posteros transmitterent. Verum vel longa ætas, vel hostilis potius rabies hæc quoque Cæsaris monumenta delevit, nec ulla eorundem vestigia *Pisis* supersunt.

CAP. IX.

Sex. Ælius Catus *ac* C. Sentius Saturninus *in Cenotaphio* Cajano *nominati, illustrantur.* Ælii *antea* Allii & Ailii *nuncupati.* *Qui* CATI *agnomen eam in familiam primus intulerit?* Sex. Ælius Catus *Consul* Straboni *laudatus.* Casaubonus *eundem in* Licinium Crassum *perperam mutat.* Sentia *gens plebeja* Romam *ex* Atinate *præfectura transmigrarat. Proavus ac pater* C. Sentii Saturnini *Consulis commendantur. Hic semel consul fuit.* Baronius *ac* Pamelius Saturninum *filium cum* Sentio *patre confundunt. Consul uterque in* Pisano *lapide nominati legem* ÆLIAM SENTIAM *promulgarunt.* Alciati *ea de re error corrigitur. Lex* ÆLIA SENTIA *in Topicis* Ciceronis *falso nominatur, ac germana lectio restituitur. Consules laudati, fuerant Triumviri Monetales. Utriusque numismata producuntur.*

Cum victoris gentium populi fasti ab antiquis scriptoribus digesti, partim eorum voluminibus amissis, partim Amanuensium inscitia, vel certe incuria, laceri, corrupti, ac innumeris mendis deturpati, ad avorum ætatem pervenissent, mirum dictu! quantus eisdem ex literatis lapidibus è terra erutis, nitor accesserit. *Onuphrius Panvinius Veronensis* noster eo in stadio ceteris lampadem prætulit, omniumque studia vicit, editis eruditissimis commentariis, in quibus *Romanos* consules ex vetustis inscriptionibus suos quosque ordine digestos, exhibuit. Verum cum nova subinde saxa è vetustis ruderibus effodiantur, novus in dies eisdem fastis splendor additur, ac errores qui in eosdem irrepserant, feliciter corriguntur. In *Cajano* Cenotaphio collegium consulum legitur, quod nulli hucusque lapides prodidere; ejusque beneficio insignium scriptorum errores emendantur, qui utrumque consulem perperam descriptos exhibuerunt. Hæc prope finem *Cajanæ* inscriptionis leguntur: *Conscriptis quæ ad IIII. Nonas Apriles, quæ* AELIO CATO, C. SENTIO SATVRNINO COS. *fuerant, facta, acta, constituta sunt, &c.* In indice consulari præfixo *lib.* LV. *Annalium Dionis* legimus: *Sex. Æmilius Q. F. Catus, C. Sentius C. F. Saturninus.* Ubi perperam prioris consulis familia *Ælia* in *Æmiliam* mutatur. Recte Vellejus *libro* II. scribit 419 *Tiberium* adoptatum ab Augusto *Ælio Cato, Sentio Cos.* In *Cassiodori* Chronico adduntur prænomina: *Sextus Ælius & C. Sentius.* De utroque consule pauca subjiciam, ac quædam de lege *Ælia Sentia* notabo.

Æliorum familiæ initio adeo angusta res domi fuit, ut teste Valerio Maximo *lib.* IV. *cap.* 4 sexdecim eodem tempore *Ælii* fuerint, quibus una domuncula erat eodem loco, ubi, ut ille ait, nunc sunt Mariana monumenta; & unus in agro *Vejente* fundus minus multo cultores desiderans, quam dominos habebat. Hæc tamen plebeja gens in numerosas postea familias excrevit, *Tuberonum*, *Pætorum*, *Lamiarum*. *Q. Ælius Pætus* Pontifex ac Prætor in acie *Cannensi* cecidit, duobus filiis relictis, quorum prior *P. Ælius Pætus* consulatum gessit eo anno, quo bellum secundum *Punicum* finitum est. Alter filius *Sex. Ælius Pætus* cui, ut à fratre distingueretur, ac scientiæ & prudentiæ ejusdem gratia, *Cati* cognomentum inditum. Cicero *lib.* I. de Oratore hunc *Sextum Ælium Catum* laudat, quem propter juris civilis peritiam sic ab *Ennio* commendatum dicit:

Egregie cordatus homo Catus Aeliu' Sextus.

De eodem in Bruto scribit: *Numeroque eodem fuit Sex. Ælius juris quidem civilis peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus.* Utriusque nomen extat in fastis consularibus Capitolinis Gruteri *pag.* 293.

P. ALLIVS. Q. F. P. N. PAITVS. L. F. XXXXVI
SEX. ALLIVS. Q. F. P. N. PAITVS. CATVS

P. Ælius Pætus lustrum XXXXVI. fecit collega *P. Cornelio Scipione Africano* A. V. 555. *Sextus* vero frater anno insequenti consulatum obtinuit, quod ex laudatis fastis ac Livio *lib.* XXXII. colligitur. Lustrum vero XXXXVII. in eisdem fastis collega *C. Cornelio Cethego* dicitur fecisse

SEX. AILIVS. Q. f. P. n. PAITVS CATVS

Hinc infertur hanc gentem prius *Alliam* nuncupatam fuisse, omniumque primum Sextum quo de loquimur, *Ailium* appellatum, uti & *Aemilii* Græca diphthongo *Aimilii* in eisdem fastis scribuntur; eos vero postea *Aelios* ac *Aemilios* dixere; & Livius in fine *lib.* XXXI. & *lib.* XXXII. *Sex. Ælium Catum* vocat. Pomponius in *lib. de origine juris* laudat volumen *Sex. Ælii Cati Tripertita* dictum, *qui liber*, inquit, *veluti cunabula juris continet*, eratque interpretatio XII. tabularum. Ex hoc

hoc celeberrimo apud *Romanos* viro originem duxit *Sex. Ælius Catus*, qui consulatum gessit A.V. 757. quo *Cajus Cæsar* obiit, idemque in *Pisana* tabula signatus legitur. Ejus meminit Strabo *lib.* VII. *pagina* 212. scribens: *Equidem nostra ætate Ælius Catus ex trans Istrum sitis partibus à Getis, quæ gens eodem cum Thracibus sermone utitur, in Thraciam quinquaginta millia hominum traduxit, qui nunc ibi habitant, & Mysi appellantur.* Ex his patet eundem fuisse legatum proprætorem *Mœsiæ*. *Straboni* scribitur Αἰλί☉ Κάτος: veteres interpretes perperam Latine reddidere: *Ælius Cato*; siquidem Græcis Κάτων dicitur qui à *Romanis Cato* nuncupatur. Verum *Casaubono* ad locum lau-
420 datum *Strabonis* hæsit calamus: *Quisnam est*, inquit, *iste Ælius Catus?* Hinc errorem in codicem irrepsisse judicans, substituit *M. Licinium Crassum*, qui de *Getis* A.V. 725. triumphavit, contestatus *Ælium Catum* esse sibi *incognitum*. Verum illum *Casaubonus* novisset, si fastos consulares adiisset, in quibus ad A.V. 757. ejusdem consulatus signatur. Rursus extant nummi *Augusti* inscripti: SEX. AELIVS CATVS IIIVIR A. A. A. F. F. S. C. & in postica: AVGVSTVS. TRIBVNIC. POTEST. Itaque fuit Triumvir monetalis post annum Urbis 731. quo Augustus Tribuniciam potestatem accepit. Horum numismatum ectypum in fine capitis exhibebo.

Alter consul collega *Sex. Ælii Cati* nominatur in tabula *Pisana C. Sentius Saturninus.* Gens *Sentia* plebeja fuit ex præfectura *Atinate Romam* profecta, quod eruditis prænotatum est ex *Cicerone* in *Planciana*, in qua de *Atinatibus* loquens, ait: *Cum ornatissimi atque optimi viri Cn. Saturnini patrem Ædilem, cum prætorem viderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, sed etiam in præfecturam illam sellam curulem attulisset, mirandum in modum lætati.* Is *C. Sentius Saturninus* vocabatur, quem *Cicero* in *Verrina* quinta laudans, inquit: *Modo C. Sentium vidimus, hominem veteri ac singulari innocentia præditum, propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedonia, permagnam ex cibariis pecuniam deportare.* *Macedoniæ* præerat anno Urbis 672. duodecim ante annos quam *Cicero* orationem illam recitaret. Ejus meminit Plutarchus in *Sylla*, & *Orosius lib.* V. *capite* 18. scribit *Sothimum* regem cum magnis *Thracum* copiis in *Macedoniam* irrupisse; *tandem*, inquit, *à C. Sentio prætore superatus, redire in regnum suum coactus est.* Hic duos filios habuit *C.* ac *Cn. Sentios*; *Cneum Sentium* laudatus *Cicero* nominat in *Planciana*; *Cajum* ex fastis Capitolinis habemus, in quibus inter Pontifices, qui ludis sæcularibus ab *Augusto* anno Urbis 737. celebratis præsederunt, Gruteri *pagina* 295. nominatur *C. Sentius C. F. C. N. Saturninus.* Hic *C. Sentius* nepos fuit *C. Sentii*, qui *Macedoniæ* anno Urbis 672. præfuit; nam ex Vellejo *libro* II. anno Urbis 757. *Sentius Saturninus* partem legionum in *Germania* regebat, & ex Dione *libro* LV. ornamenta triumphalia ob rem bello *Germanico* feliciter gestam, accepit. Hinc non filius, sed nepos ejus *C. Sentii* dicendus est, qui ante annos 87. *Macedoniam* administravit. Plurima de hoc *Saturnino* ex vetustis Scriptoribus collecta exhibui *dissert.* 2. *capite* 14. ubi catalogum præsidum *Syriæ*, quam idem A.V. 749. regebat, contexui. Interim corrigendus index consularis, qui *libro* LIV. *Dionis* præmittitur, ubi legitur ad annum Urbis 735. *C. Sentius P. F. Saturninus*; *Caji* enim filius dicendus est ex laudatis fastis Capitolinis, in quibus ita signatur.

C. SENTIO. C. F. C. N. SATVRNINO

Dissentiunt Scriptores, num hic *C. Sentius Saturninus*, *Augusto* imperante, semel atque iterum

A gesserit consulatum. Nam A.V. 735. & 757. in fastis habetur consul *C. Sentius Saturninus. Pamelius in notis ad caput* 19. *lib.* IV. *Tertulliani contra Marcionem*, scribit *Sentium Saturninum* bis consulem fuisse: semel anno Urbis 735. cum *Q. Lucretio Vespillone*, & iterum A.V. 757. cum *Sex. Ælio Cato.* Eadem in opinione sunt viri erudi- 421 tione insignes *Henschenius* ac *Papebrochius* in Diatriba præliminari ad mensem Aprilem num. 9. & 11. ubi ad A.V. 757. hocce collegium consulum ponunt: *Sex. Ælius Catus, C. Centius Saturninus II.* At Baronius *in Apparatu num.* 89. scribit *Quinctilium Varum* amplissima consulatus digni-
B tate *secundo auctum: primum cum collega Vespillo: secundo cum Ælio Cato.* Ubi sane *Quinctilii Vari* nomen calamo decidit, cum *Sentium Saturninum* scribere vellet, ut ex antecedentibus patet. Ceterum *Panvinius, Sigonius, Pighius*, accuratissimi fastorum restauratores, nullam iterati consulatus *C. Sentii Saturnini* mentionem fecere. Id vero recte eosdem fecisse patet ex nostra tabula, in qua nulla plane nota numerali iteratus *Saturnini* consulatus indicatur, quod tamen libera Republica, ac imperante *Augusto* semper in more fuit, uti ex lapideis fastorum fragmentis intelligitur. Vellejus *lib.* II. cum narrasset *Tiberium* A.V. 757. ab
C *Augusto* adoptatum, ad *Germanicum* statim bellum profectum, scribit eundem *in iis quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris ejus in Germania fuerat, præfecisse.* Itaque *C. Sentius Saturninus*, qui A.V. 735. cum *Q. Lucretio Vespillone* consulatum gesserat, eo anno erat legatus proprætor *Germaniæ*. Addit Vellejus: *De cujus viri claro celebrique consulatu prædiximus.* Si hic iterum consul fuisset, dixisset: *de cujus priori consulatu &c.* Hinc *C. Sentius Saturninus* qui in *Pisano* marmore consul nominatur, erat filius *C. Sentii Saturnini*, qui eo anno V.C. 757. exer-
D citibus in *Germania* præerat, cum filius *Romæ* consulatum gereret. Dio *in indice consulum initio lib.* LV. scribit: *C. Sentius C. F. Saturninus*, qui pronepos fuit *C. Sentii Saturnini*, quem A.V. 672. *Macedoniæ* rectorem diximus, à quo primum sella curulis in *Sentiam* familiam illata fuit, teste *Tullio* laudato in *Planciana.* Ursinus in *libro de familiis Romanorum* scribit: *Sentia gens incertum patricia, an plebeja fuerit.* Sed ex *Cicerone* constat plebejam fuisse, ac ex præfectura *Atinate Romam* migrasse, & *C. Sentium* eodem *Cicerone* vivente, omnium primum ejus familiæ magistratum *Romæ* obtinuisse. Vir eruditus miratur ea
E de re *Ursinum* dubitasse, cum Suetonius diserte *cap.* 12. in *Julio* dicat Senatum *C. Rabirii* opera *L. Saturnini seditiosum tribunatum coercuisse.* Profert nummum cum epigraphe L. SENTI. C. F. quo *L. Saturninum Suetonio* memoratum designari arbitratur. Ex tribunatu autem plebis patet *Sentiam* familiam inter plebejas reponendam esse. Hic tamen scriptor minus recte illud numisma retulit ad *L. Saturninum*, cujus eo loci *Suetonius* meminit. Nam hic erat è gente *Appuleja* uti optime Eques *Patinus* in additis notis ad *Ursinum* observat. Auctor *de viris illustr.* ait: *Lucius Appulejus*
F *Saturninus, tribunus plebis seditiosus &c.* & in fine: *Caput ejus Rabirius quidam Senator per convivia in ludibrium circumtulit.* Asconius in Pisonianam *L. Appulejum Saturninum Tribunum plebis* nominat. Cicero *in oratione pro Balbo* ait lege *Appuleja Saturninum C. Mario* permisisse, ut in singulis coloniis ternos cives *Romanos* facere posset. Hinc Floro *libro* III. *cap.* XVI. *seditio Appulejana* describitur. Idem habet Appianus *lib.* I. *bel. civ. pag.* 367. In Liviana epitome in prænomine erratum est; ibi enim dicitur *Cn. Appulejus Saturninus*, qui *Lucius* nuncupandus fuerat, uti patet ex laudatis scripto-

scriptoribus, ac Cicerone *in oratione pro C. Rabirio*; & *in Bruto* ait: *Seditiosorum omnium post Gracchos L. Appulejus Saturninus eloquentissimus visus est &c.* Num vero *L. Sentius Saturninus*, cu-
422 jus nummum V.C. exhibet, *C. Sentii Saturnini*, quo de loquimur, frater fuerit, quod C.F. dicitur, incertum ponatur. Gens *Sentia* ab *Augusto* inter patricias forte relata videri possit, cum de eodem in Ancyrano marmore legamus: PATRICIORVM NVMERVM AVXI CONSVL QVINTVM, nempe A.V.725. ad quem etiam annum recte hoc ipsum Dio refert in fine *lib.* LII. scribens: *Patriciorum etiam familias, Senatu id permittente, quia pleræque perierant, suffecit*; qua de re proxime quædam notabo.

Celebris est apud Juris consultos lex *Ælia Sentia*, cujus meminit Justinianus *libro* I. *Instit. tit.* 5. *de libertinis*, & sæpius variis in legibus appellatur à vetustis Juris professoribus. Alciatus in com. ad *leg.* 70. *de verb. significat.* ait: *Ælius Sentius legem tulit, quæ ab ejus nomine Ælia Sentia appellata est.* Et interpres ad laudatum titulum Justiniani scribit: *Hanc legem statuit consul Romanorum, qui Ælius Sentius dicebatur.* Sed hi infeliciter hallucinati sunt; siquidem *Ælii* ac *Sentii* distinctæ erant *Romanorum* familiæ, quas illi in unam conflant, ut unus idemque vir *Ælius Sentius* ejus legis auctor habeatur. *Augustus* cum leges promulgavit, easdem nomine consulum, qui id temporis magistratum gerebant, publicari jussit; unde ab eisdem etiam nomen sortitæ sunt. Tacitus *libro* III. *Annal.* scribit: *Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus post Julias rogationes incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario sanxerat.* Illam vero nomen sortitam à consulibus suffectis A.V.762. testatur Dio *lib.* LVI. *Inde*, inquit, *lex quoque Papia Poppæa à M. Papio Mutilo & Q. Poppæo Secundo lata est, qui parte ejus anni consules, uterque neque uxorem neque liberos habebat: quo ipso deprehendi potuit, quam ea lex necessaria fuisset.* In fragmentis Capitolinis Gruteri *pag.* 295. post consules ordinarios A.V. 762. *C. Poppæum Sabinum* ac *Q. Sulpicium Camerinum*, subjiciuntur

EX. K. JVL. M. PAPIVS. M. F. M. N. MVTILVS Q. POPPAEVS. Q. F. M. N. SECVNDVS

Ita lex *Junia Norbana*, quam *Tiberius* tulit, nomen accepit à *M Junio Silano* & *L. Norbano Flacco* qui A.V.772. consulatu perfuncti sunt. Ex his patet legem *Æliam Sentiam* latam fuisse jussu *Augusti* ab *Sex. Ælio Cato* ac *C. Sentio Saturnino* Consulibus, qui in *Pisano* cenotaphio nominantur. Quo anno mortuo *Cajo Cæsare*, *Tiberius* ab *Augusto* adoptatus, statimque ad bellum *Germanicum*, uti dixi, missus fuit. Dio adoptione eadem *lib.* LV. recitata, post paucos versus subdit: *Quia multi multos manumittebant, ætatem quam & manumittens, & manumittendus habere deberent, juraque quibus erga libertos cum alii, tum ipsi patroni uterentur, constituit.* Hæc sancita sunt lege *Ælia Sentia*, quod ejus anni consules *Sex. Ælius*, ac *C. Sentius* sua nomina eidem legi præscripserunt. Justinianus *lib.* I. *Instit. tit.* 61. *de manumissione*, ait: *Eadem lege Ælia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur.* Præterea libro D. 40. titulus IX. præponitur: *Qui & à quibus manumissi liberi non fiant, & ad legem Aeliam Sentiam.* Ubi *L.* 5. 8. 27. 32. jura patronorum erga libertos ex lege *Ælia Sentia*, quam nominant, ab antiquis Juris consultis exponuntur; uti etiam *D. de jure patronatus L.* 6. & 15. & *D. de hæred.*
423 *instituendis L.* 57. & 60. In libro Topicorum Ciceronis ad Trebatium hæc leguntur: *Cum lex Ælia Sentia assiduo vindicem assiduum esse jubeat,*

A *locupletem jubet locupleti.* Cicero *libro* VII. *fam. epist.* 19. hæc ad C. Trebatium scribit: *Itaque ut primum Velia navigare cœpi, institui Topica Aristotelica conscribere, ab ipsa urbe commonitus amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegio scriptum, quam planissime res illa scribi potuit.* Subsignatur epistola: *V. Kal. Sextiles Rhegio.* Etenim cum A.V.710. post occisum *Cæsarem* Idibus Martiis, videret omnia *Romæ* turbata esse, decreverat ex *Italia* discedere, neque reverti, nisi sub anni exitum. Vulgo existimabatur in Græciam *ad Olympia* invisenda profectus, ex *libro* XVI. *ad Atticum*
B *epist.* 6. Eo vero anno Olympias 184. Kal. Sextilibus contigit. Ibidem autem *epist.* 5. scribit se, *cum unum diem Veliæ substitisset*, venisse *Vibonem IX. Kal.* ubi *obduxit posterum diem*, inde *Rhegium* transmisit. Igitur librum Topicorum *Cicero* scripsit anno Urbis 710. intrà diem 24. & 27. Quinctilis, seu Julii, & quidem *in ipsa navigatione Rhegium*, ut idem in ejusdem operis præfatione testatur. Qui igitur fieri potest, ut eo in libro nominaverit *legem Æliam Sentiam*, quæ anno postea quadragesimo septimo ab *Augusto* jussa est publicari? At certum est errorem antiquitus in Ciceronianum codicem irrepsisse, quod Boethius *in commentariis Topicorum Tullii*, legem *Æliam Sentiam* legit. Itaque
C censeo sciolum quemdam ad marginem primum scripsisse *Sentia*, quod postea verbum ab Amanuensibus in textum traductum fuit. Pomponius *libro* I. *de reg. juris* testatur *Sex. Ælii* volumen vulgo *jus Ælianum* nuncupatum. Hoc vero à *Cicerone* loco laudato intelligi patet. Nam ibidem ait: *Cum lex Ælia* (vocem Sentia omitto) *assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuplex enim assiduus, ut ait Ælius, appellatus ab ære dando.* Hinc Charisius *libro* I. *Institut. Gram.* scribit: *Ditiores qui asses dabant, assidui dicti sunt.* Gellius *libro* XVI. *capite* 10. ait in XII. tabulis hanc legem
D latam: *Assiduo vindex assiduus esto.* Quod *Sex. Ælius* in Tripertita, quod volumen erat XII. tabularum interpretatio, uti ex *Pomponio* prænotavi, ex iisdem tabulis eam legem exscripsit, infert *Cicero* ex eadem lege vindicem locupletem constitui locupleti. Ex his apparet vocem *Sentia* in eum *Ciceronis* locum perperam intrusam fuisse. Tacitus *libro* II. *Annalium* scribit *Claudium* Imperatorem numerum patriciorum auxisse *paucis jam reliquis*, inquit, *familiarum quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant; exhaustis etiam quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Sænia sublegere.* *Vetranius* in notis putat *lege Sentia* legendum. Recte tamen *Lipsius*
E notavit hanc legem de augendo numero patriciorum, latam fuisse à *L. Sænio* consule suffecto anno Urbis 724. uti patet ex veteri fragmento apud Gruterum *pagina* 299. ubi anno belli *Alexandrini* nominatur consul K. NOV. L. SAENIVS. *Augustus* vero anno insequenti consul V. legem exequutus, patriciorum numerum auxit, cum Censor una cum *Agrippa* esset, ex Dione *libro* LIII. ac lapide Ancyrano, uti proxime prænotavi. Itaque lex *Ælia Sentia* lata fuit à *Sex. Ælio Cato* ac *C. Sentio Saturnino* Coss. qui in *Pisano* Cenotaphio nominantur. Eorundem numismata visuntur apud antiquarios, scalpta cum essent Triumviri mone-
F tarii. Eadem olim publicaverat Goltzius *in Augusto pagina* 61. & 63. quorum ectypo præsens dissertatio claudetur*. Cum vero in neutro nummo anni 424
Tribuniciæ potestatis *Augusti* signentur, anni pariter, quibus cudendæ monetæ præfecti sunt, ignorantur. Interim certum est ea numismata scalpta post annum Urbis 731. quo Tribunicia potestas *Cæsari Augusto* primum delata fuit, uti ex *Dione* ac fastis Capitolinis in superiori dissertatione, magno *Panvinio* præeunte, demonstravimus.

* Vide Tab. IV. pag. 96. fig. 9.

425
DISSERTATIO IV.

LATINITAS ET ORTHOGRAPHIA UTRIUSQUE Pisanæ Tabulæ Augustea ætate digna demonstratur, ac V. C. censura refellitur.

CAP. I.

Viri doctissimi de arte Grammatica scripserunt. Puritas linguæ Latinæ extra Urbem deficiens. Quid Livii *Patavinitas.* Asinius Pollio *laudatur. Lapides antiquitus inscripti, variatæ Latinitatis testes.* Pisanæ *tabulæ apud* Pichenam & Ughellum *mendosissimæ.*



Antequam manum de tabulis nostris tollo, operæ pretium duxi earundem latinitatem puram putam ævi Augustei ostendere, sive earundem verba, sive orthographia consideretur; siquidem intelligo virum eruditione æque ac dignitate præstantem plerasque in iisdem voces tanquam ab aurei sæculi Latinitate degenerantes, in reprehensionem vocare. Equidem cum hactenus res in laudatis Cenotaphiis contentas exposuerim, meum quoque esse putavi, verba etiam ibidem insculpta defendere. Nec mihi quispiam vitio vertat, quod ad Grammaticorum scholas descendo. Nam *Romanorum* doctissimi stylum hoc in opere summa cum laude exercuerunt. *Cæsar Romani* imperii conditor de verborum analogia, *Terentius Varro* de lingua Latina volumina exararunt. *Plinius* in præfatione ad *Vespasianum* editos abs se de Grammatica libellos recenset, quos octo *dubii sermonis* titulo inscriptos, Plinius nepos laudat *libro* III. *epist.* 5. testatus eosdem post viginti libros de bellis Germanicis, atque alia volumina ab avunculo elucubratos. Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 7. scribit *Messallam Corvinum* virum consularem ac triumphalem, eundemque præclarissimum Augusteæ ætatis Oratorem, libros non de verbis solum, verum etiam de literis publicasse. Cicero cum *in libro de Oratore ad Brutum* pleraque hoc de argumento adnotasset, *hæc*, ait, *dixi brevius*, *quasi hac de re una disputarem*; *est enim hic locus late patens*, *de natura usuque verborum*; *lon-*
426 *gius autem quàm instituta oratio postulabat*. *Cassiodorus* cum doctissima volumina emisisset, morientibus tum in *Italia* literis, anno ætatis nonagesimo tertio, ut in præfatione testatur, volumen de Orthographia compilavit. Utinam is essem, qui de Latinorum verborum usu ac proprietate judicare possem! Verum hanc aliis difficiliorem Spartam relinquens, intra bina *Pisana* marmora brevissimo spatio sistam, ut eorundem verba ab eruditi censoris objectis defendam. Nam Octavius Boldonus Episcopus Theanensis *in opere Epigraphicorum*, disputationem instituens de barbarie verborum, *libro* II. advertit ætatem Latinitatis aliam fuisse *Romæ* auream, aliam vero in coloniis deteriorem, quod extra urbem non tam puro sermone utebantur. Hoc ex *Pisanis* inscriptionibus *Augusto* imperante dicatis, ostendit: *in quibus*, inquit, *aureo licet sæculo natis*, *apparent nihilominus vestigia nonnulla impuræ latinitatis*; statimque indicem contexit verborum, quæ ibidem minus Latine aut dicta, aut scripta contendit. Ceterum non possum doctissimi alias Præsulis censuram, quam in præclarissima aurei sæculi monumenta exercet, adprobare, cum omnia verba ac singulæ literæ in iisdem tabulis purissimæ Latinitatis mihi esse videantur. Latinus sermo angustis olim terminis conclusus, una cum *Romanæ* gentis imperio per universum fere terrarum orbem longe lateque diffusus est. At quemadmodum fontes quo longiori alveo variis hinc inde aquis adaucti, puriori minus unda decurrunt: ita civium *Romanorum* coloniæ in diversas provincias deductæ, patrii idiomatis puritatem peregrinis vocabulis corrumpebant. Immo nova ac plane barbara verba in *Latium* irrupisse auctor est Quintilianus *libro* 1. *capite* 5. *Rheda* enim ac *petoritum* verba Gallica, *mappa* Punica vox, aliæque aliunde derivatæ, Latio donatæ sunt. Unde enim aureo Latinitatis sæculo argentea ejusdem ætas successit, nisi quod plurimæ voces *Romæ* antea non frequentatæ, in urbem irrepsere? Hinc laudatus scriptor *capite* 6. ait: *Tota sæpe theatra*, & *omnem Circi turbam exclamasse barbare scimus.* Quare extra dubium videtur in *Italiæ* urbibus, in quibus *Latinæ* linguæ usus invaluit, plures voces adhibitas, quæ raro in urbe audiebantur. Cicero *in dialogo*, cui à *Bruto* nomen imposuit, hunc ipsum alloquens, cum à *Cæsare* Dictatore *Cisalpinæ Galliæ* proconsul destinatus fuisset, ait: *Id tu*, *Brute*, *jam intelliges*, *cum in Galliam veneris*; *audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ*; *sed hæc mutari*, *dediscique possunt.* Hinc Asinius Pollio teste *Fabio libro* 1. *capite* 5. & *libro* VIII. *cap.* 1. putabat inesse Livio *quandam Patavinitatem.* Scio *Balthessarem Bonifacium* scribere: *Dispeream*, *si Asinius ipse tam ridiculæ inventor calumniæ*, *quid esset sciebat*; ubi varias etiam de *Livii* Patavinitate opiniones recenset. Verum Fabius *cap.* 5. ait: *Taceo de Thuscis & Sabinis & Prænestinis quoque*; *nam ut eorum sermone utentem Vettium Lucillius insectatur: quemadmodum Pollio deprehendit in Livio* Patavinitatem: *licet omnia Italica pro Romanis habeam.* Nempe hic probatæ eloquentiæ scriptor quædam verba, seu potius verborum constructionem non tritam *Romæ*, sed *Patavinis* familiarem, suis in libris adhibuit. Et sane *Asinius* Augusteæ ætatis Orator eloquentissimus, quive ipsimet *Livio* æqualis fuit, licet huic superstes vixerit, diutius cum imperio *Venetorum* regiònem, *Livio* tum vivente, obtinuerat. Vellejus *L.* 2. ait: *Pollio Asinius cum septem legionibus diu retenta in potestate Antonii Venetia*, *magnis speciosisque rebus circa Altinum aliasque ejus regionis urbes editis &c.* Quo sane tempore cum agri in Transpadana regione veteranis militibus jussu Triumvirorum dividerentur, *Vir-* 427
gilius ejusdem *Asinii* proconsulis patrocinio, suos agellos recuperavit, teste *Donato* in vita *Virgilii.* Itaque *Asinius Patavinorum* sermonem optime observavit; unde quandam in *Livio* Patavinitatem notare potuit. Quare non sine injuria tanti Oratoris famosus ille Latinorum Censor scripsit, unum *Asinum* (ita ignominiæ causa *Asinium* nominavit) *Livium* Patavinitatis incusare potuisse.

Lapides quidem *Romano* imperio florente inscripti, Latini sermonis longe certiores testes censendi sunt, quam vetustissima quæque volumina, in

in quæ tot subinde indoctæ librariorum manus grassatæ sunt. Si *Virgilii* poëtarum maximi vetustos codices consulas, tot variantes passim lectiones ab eruditis producuntur, ut vir doctissimus *Pierius Valerianus* justæ molis volumen ex eisdem concinnaverit. At neque eam diversitatem everso una cum imperio, *Romano* eloquio, ferrea Latinitatis ætas induxit; nam altero sæculo, post *Virgilii* obitum, quædam verba non eadem in omnibus *Maronis* codicibus lecta non uno loco *Gellius* adnotavit. In primo *Georg. v.* 208. legitur:

Libra die somnique pares ubi fecerat horas.

Julius Romanus apud *Sosipatrum Charisium* legit: *Libra dii*, cum veteres nomina desinentia in *es*, in genitivo per duo ii. plerumque extulerint, cujus exempla Vossius colligit *lib.* II. *de analogia cap.* 19. quam etiam terminationem retinet in alio *Virgilii* carmine Gellius *libro* IX. *cap.* 14. Valerius Probus initio *lib. Catholicorum* scribit illum genitivum more vetusto per *e* terminatum; hinc legit: *Libra die.* In pervetusto codice *Romano* scribitur: *Libra diei* per diphthongum *ei*, ut ibidem notat *Pierius. Gellius* tamen *Libra die* legendum esse contendit. Accusativos plurales nominum tertiæ declinationis quorum genitivus pluralis in *ium* desinit, non per *es*, sed in *is* apud *Virgilium* ut plurimum terminatos *cap.* 3. ostendam, quos tamen vetustissimi scriptores modo in *es*, modo in *eis* terminatos laudarunt, non Virgilianæ, sed suæ ætatis consuetudinem secuti. Hinc cum codices quamvis vetustissimi, ac fere vix ex auctorum manibus in publicum emissi, tot passim mutationibus obnoxii evaserint, operæ pretium erit antiquarum inscriptionum, quæ in marmoribus insculptæ leguntur, testimoniis uti; eosdem enim characteres, quibus primum insculptæ fuerant, ad nostram usque ætatem retinuerunt. Hac plane regia via ad puritatem Latinæ orthographiæ investigandam *Aldus Manutius* incessit, qui plures postea imitatores habuit. *Quintilianus* veterem scribendi modum ex vetustis *Romanorum* inscriptionibus ostendit *libro* 1. *cap.* 4. & 7. Ex antiquissima Duilianæ columnæ inscriptione posita A. V. 494. discimus eo sæculo literam G nondum apud *Romanos* fuisse, uti neque consonantes geminatas, literam D in fine quorundam nominum positam, E pro I, O pro V scriptam; ibi enim legimus LECIONES, MARID, CLASES, NAVEBOS, CAPTOM, Gruteri *pag.* 404. ut ejus sæculi character ex aureo tantum illo fragmento intelligatur. Rursus ex aliis inscriptionibus de re agraria, de judiciis, aut finibus regundis, quæ in æneis tabulis adhuc supersunt, apparet Latium sermonem successu temporis nitidiorem ac jucundiorem evasisse. Ævi autem Augustei epigrammata ac elogia purissimæ latinitatis characterem præ se ferunt, uti ex Ancyranis tabulis patet. At quemadmodum ex innumera gentium colluvie passim sub imperio Cæsarum *Romam* commigrantium, barbaræ voces in urbem irrepserunt, ita eadem sequioris ætatis inscripta monumenta exhibent. Hinc pro exemplo adducendæ sunt inscriptiones marmorum ac
428 numismatum aureo Latinitatis sæculo formatæ, quibus suppares adjici possunt argenteæ etiam ætatis epigrammata eaque publico nomine exarata. Nam privatæ inscriptiones barbara non semel manu descriptæ, & æque ignava marmorarii dextera in lapide insculptæ, in orthographiam plerumque peccant, uti ex multis veterum epitaphiis intelligimus. At, inquiunt, sculptores rude hominum genus fuisse, qui, non secus ac imperiti librarii sæpe ab exemplo deficiunt, Latinas plerumque voces corruptissime in lapidibus inciderunt. Verum, uti recte prænotatum Vossio *libro* 1. *de Arte Grammat. cap.* 44. Lapidariis ævo Augusteo vernacula erat lingua Latina, cujus prorsus nostri in *Italia* præsertim typographi ignari sunt. Et quidem cum publica decreta à coloniis condebantur, quod ad *Augustum* transmittenda erant, teste Suetonio *capite* 46. à doctissimis civibus præformabantur, ne *Augusti*, quem severum verborum censorem norant, oculos offenderent. Auctor est *Tiro*, doctus ille *Ciceronis* libertus, apud Gellium *libro* x. *cap.* 1. *Pompejum* in publico quopiam monumento tertium sibi delatum consulatum descripturum, dubitasse num se consulem *tertio*, an vero *tertium* inscriberet, ac ea de re *Ciceronem* consuluisse, qui respondit, ne diverse opinantium censuras subiret, TERT. sculpendum esse, cujus vocis alteram syllabam non expressam, pro libito quisque poterat pronuntiare. S. Augustinus in *lib. de Grammatica* ex *Varrone* tradit, *secundo consulem* ad ordinem spectare, nempe quod alter collega primum designatus fuit; *secundum* vero, aut *tertium* denotare numerum iterati consulatus. In Ancyranis tabulis Augustus *consul quintum*, & Marius à Cicerone *consul sextum*, *Agrippa* in inscriptione Panthei *consul tertium* nuncupantur. In Cenotaphio *Caji* jubetur *T. Statulenus Juncus* decretum de annuis inferiis *Cajo* in *Pisana* colonia mittendis, ad *Augustum* deferre. Hinc colligimus summa diligentia proprietati verborum eosdem studuisse, ac in eisdem postea sculpendis curasse, ut Latinæ orthographiæ characteres servarentur.

Ceterum ut in libris exscribendis non semel erratur, ita in vetustis inscriptionibus in codices referendis, exscriptorum tum negligentia tum etiam inscitia peccari solet; unde quibusdam visum fuit minus inscriptis lapidibus deferendum, quasi errores qui in exemplis apparent, in iisdem etiam saxis contineantur. Id facile ex inscriptionibus plerisque *Aldi Manutii* ac *Gruteri* monstrare possem; verum haud fas sit à *Pisanis* nostris tabulis longius abire, cum præ ceteris inscriptionibus id infortunium illæ subierint. *Curtius Pichena* omnium primus *Pisana* Cenotaphia recens inventa, suis in librum 1. Taciti commentariis inserta publicavit; quæ tamen tot mendis scatent, ut monstro propius videatur virum eruditum eumque *Pisis* sæpe degentem, adeo depravate eadem exscripsisse. Ejusdem errores diversamque in plerisque orthographiam subjiciam, ne quis ex diversa lectione earundem germanum tabularum characterem in dubium vocet. In *Lucii* quidem Cenotaphio vel in limine in errorem impingit. Nam in Cenotaphio *Lucii Cæsaris* scribit: *Ad XVIII. K.* pro *XIII K. Q. Petilius: M. Puppius: A. Balbius*, pro *Petilius: Pupius: Albius.* Item: *Maximi: Tribunitiæ: Filii*, pro *Maxsimi: Tribuniciæ: Fili.* Rursus: *Juredicendo: Gabino: refusiis*, pro *Juridicendo: Cabino: robustis* Præterea, *Sepiatur: vitari: obsequenti*, pro *Sæpiatur: vitare: opsequenti.* In *Caji* vero Cenotaphio: *Q. Fatilius: M. Pierius*, pro: *Q. F. Atilius: M. Herius.* Item, *Justissimum: usque: præerat: improvisæ: abstine-* 429
re: scenici: Circensesve: eo die, pro *Justissumum: usqui: prærat: inprovisæ: apstinere: scænici: Circiensesve: utique eo die.* Denique *Locus: ita quod: A. D. IIII. Nonas: II. Præfecti: quam primum: ita, ut: observarique*, pro *Arcus: idque: ad IIII. Nonas: II. Vir. Præfecti: cum primum: ita ut: opservarique.* Ceterum eædem Tabulæ apud *Ferdinandum Vghellum* longe gravioribus erratis deturpatæ leguntur, & ut omittam variatam plurium verborum orthographiam, in *Caji* Cenotaphio scribitur: *Comptibus*, pro *convictibus.* Præterea: *Memoriam prodi*, pro *memoriæ.* Item *Qui*

iis juridicundo: pro *Pisis jure dicundo.* Postea *oleis:* pro *spoleis.* Ad hæc: *caveatur . . . . . iis in tabulas*, cum diserte scalptum sit: *Auctoribusque iis in tabulas.* Rursus *Interea Vlenus Juncus*, pro *T. Statulenus Juncus.* Postremo: *colonia*, *placare*, *constitutum*, *à Q. L. Titio A. F. & F. Allio:* pro *coloniæ*, *placere*, *constituta ab L. Titio A. F. & T. Allio.* Hisce aliisque mendis scatent aurei Latinitatis sæculi Cenotaphia apud memoratum Scriptorem *tom.* 3. *Italiæ sacræ*, ubi *Pisanæ* Ecclesiæ Archiepiscopos recitat, quibus addendus est Illustrissimus ac Reverendissimus *D. Franciscus è Comitibus Ilcii*, vetusta familiæ nobilitate, eximia doctrina, parique pietate insignis, qui ejusdem modo Urbis sacra moderatur.

CAP. II.

Aurea utriusque Cenotaphii Pisani *Latinitas à viri doctissimi censura vindicatur.*

RECte ac sapienter *Valerius Chimentellius* eloquentissimus idemque eruditissimus humaniorum literarum in *Pisana* Academia dudum professor *cap.* 7. *de Bisellio* pronuntiavit *Pisana* Cenotaphia *omnino legi dignissima & Augustei ævi excellentia, & Latini sermonis candore, & funebrium officiorum ritu præstantia.* Verum cum laudatus *Boldonus* plures in utraque tabula voces vel plane barbaras, vel non Latino saltem charactere, seu orthographia sculptas, in reprehensionem vocaverit, ejusdem objectis responsionem brevissimam adornabo. Quod vero *Virgilianum* codicem Mediceum *Romana* majori litera antiquitus exaratum, post eruditos lapides, subinde appellabo, pauca hic de eodem libuit prænotare. Hanc qualemcumque operam jure suo exigit liber ille ob vetustatem, ac characterum nitorem pretiosissimus, idemque ab eruditissimis tum elapsi proxime, tum etiam præsentis sæculi Scriptoribus jure ac merito commendatus. Quibus accedit eundem in Laurentiana Bibliotheca, regio illo plane veterum MSS. voluminum thesauro servari. Quare cum tot literaria subsidia Magni *Cosmi* III. gratia ex eadem insigni Bibliotheca subinde referam, meum esse putavi omnium vetustissimum ejusdem codicem eruditi Consulis manu emendatum, rudiori licet stylo illustrare.

430 §. I.

Codex Virgilii *MEDICEUS omnium vetustissimus, quo sæculo scriptus.* Turcius Rufius Apronianus Asterius *eundem codicem in suo consulatu emendavit. Insignes hujus* Asterii *Magistratus ex ejusdem chirographo recitantur.* Asteriorum *familia* Romæ *sub Cæsaribus nobilissima.* Sirmondus *ac* Wilthemius *putant* Turcium Asterium *fuisse consulem A. Domini* 449. *Pluribus confutantur.* Asturii Diptychum *Leodiense explicatur. Magistri militum Comiti Domesticorum Protectorum ac Comiti S. L. prælati.* Asterius *fuit consul A.* 494. *Ejusdem de suomet consulatu epigramma ex eodem Mediceo codice exhibetur. Post consulatum poema Paschale* Sedulii *collegit, ac publicavit. Decretum de libris canonicis & apocryphis quo anno, & à quo Pontifice conditum?* Turcius Asterius *sitne auctor elegiæ* de collatione veteris & novi testamenti. Sirmondi *sententia de ætate* Sedulii *expenditur.*

INter Virgilianos codices manu exaratos, qui plurimi in copiosissima Serenissimi COSMI III. Magni Ducis *Etruriæ* Bibliotheca ad *D. Laurentii* servantur, unus longe ceteris antistat, sive characteris antiquitatem, sive elegantiam spectes, ut jure ac merito *Nicolaus Heinsius* Musarum deliciæ ac Parnassi decus, in præfatione nuperæ ac omnium emendatissimæ Virgilianæ editionis, eundem codicem dixerit *unum instar omnium, qui parem vetustate nullum per Europam universam habeat. Aldus Manutius* aureo hocce volumine olim usus fuit in adornando libro, quem de Orthographia concinnavit. In *V. Ætherius* laudat Virgilii codicem *majusculis litteris perscriptum, eo tempore, quo Turcius Rufius Apronianus vivebat: quod ipsius Turcii manus indicat: qui liber prius asservabatur à Rodulfo Pio Cardinale Carpense.* Heinsius proxime laudatus scribit: *Possessorem liber tunc nactus Lodovicum Cardinalem Carpensem, à quo postea ad Achillem Statium pervenit.* In nomen doctissimi Purpurati error irrepsit; ille enim *Rodulfus* dicebatur, quod præter *Manutium*, ipse etiam *Achilles Statius* testatur hoc epigrammate, quod eidem codici præfixum legitur:

Purpureos sparge in frontem, atque in cornua flores,
Albaque ter plenis lilia da manibus.
Namque vides sæcli monumentum insigne prioris,
Quo neque nobilius, nec prius extat opus.
Felix sorte tua & vita, Maro, dignior, unum
Hoc superest de tot millibus archetypum.
Mæcenas, ne tu cum re simul ipse perires,
Arma feri jussit militis esse procul.
Et tua, RODULFI, quæ non obliteret ætas
Ulla, piæ servant hæc monumenta manus.

Idem *Achilles Statius* in notis ad carmen IV. *Catulli* nostri *Veronensis*, scribit legendum esse *phasellis* in *versu* 28. *lib.* IV. *Georgicorum: Auctoribus*, inquit, *libris duobus antiquissimis Virgilii, Vaticano, & illo altero Rodulfi Pii Cardinalis Carpensis.* Ita utrobique *Rodulfum Pium* ejus pretiosi codicis possessorem laudat, ut plane nesciam undenam vir clarissimus acceperit, memoratum codicem possessorem postea nactum fuisse *Achillem Statium.* *Rodulfus* è nobilissima *Piorum* Principum *Carpensium* familia, cum esset Vaticani Senatus princeps, decessit anno 1564. VI. Non. Maji, uti patet ex epitaphio eidem *Romæ* posito à B. *Pio* V. Pont. Max. Panvinius meus in *lib.* II. *fastorum* ad A. V. 1089. de Rodulfo Pio scribit: *quo viro neminem vetustiorum monumentorum studiosiorem, proborum & doctorum hominum amantiorem unquam cognovi.* Plura eidem delata elogia videsis apud *Victorellum*, *Ughellum*, ac recentiorem *Oldoinum* in supplementis *Ciaconii*. *Aldus Manutius* toto passim opere Orthographico *Virgilium Carpensis* appellat, ac semel tantum ejusdem codicis testimonio perperam utitur in verbo *irrito*, quod iisdem characteribus in *Virgiliano* codice Cardinalis *Carpensis* scriptum dicit. At secus plane ibidem legitur. Etenim IV. *Æneid. v.* 178. scribitur: 431

Illum terra parens ira inritata Deorum.

Et *lib.* V. *v.* 442.

—— *omnemque pererrat*
Arte locum, & variis assultibus inritus urget.

Et *lib.* VI. *v.* 446.

Inritatque virum telis, & voce lacessit.

Idem etiam *Manutius* non semel dissimulavit in eadem voce eo in codice variatam subinde orthographiam. Ita ex eodem docet *glæbam* cum diphthongo scribendam, qua quidem scribitur *lib.* II. *Georg. v.* 399. & in primo *v.* 65. Verum I. *Æneid. v.* 535. diphthongus omittitur:

Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.

Variam etiam orthographiam ejusdem codicis subticuit in verbis ab S incipientibus, ac ex præpositione EX compositis, uti §. sequenti ostendam. *Achilles* etiam *Statius* loco laudato ait in eodem codice scribi *phasellis* cum *ph* ac duplici liquida, quod alterum falsum est; siquidem IV. *Georg. v.* 280. quem ille appellat, legitur:

Et circum pictis vehitur sua rura PHASELIS.

Doctissimi viri oculis ac calamo ad alia properantes, in uno, & altero verbo exscribendo, ab A exemplari aberrarunt. Ceterum in hoc eximio codice in fine libri Bucolicorum hæc minutis quidem characteribus, at majoris *Romanæ* literæ forma expressis, hæc leguntur:

TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS V. C. ET INL. EX COMITE DOMEST. PROTECT. EX. COM. PRIV. LARGIT. EXPRAEF. VRBI PATRICIVS ET CONSVL ORDIN. LEGI ET DISTINXCI CODICEM FRATRIS MACHARII V. C. NON MEI FIDVCIA SET EIVS CVI SIT AD OMNIA SVM DEVOTVS ARBITRIO XI. KAL. MAII ROMAE.

P. VERGILI MARONIS

Distinexi emendans gratum mihi munus amici. * succedens *operi sedulus incubui.*

BUCOLICON LIBER EXPLICIT.

432 Hoc plane nobilissimi ac docti Consulis chirographum ibidem legitur: Tum subjicit elegans epigramma de tribus spectaculis, quæ ob honorem sibi delati consulatus, id temporis edebat. Idem inferius exhibebo. Interim antiquitas pretiosi codicis intelligitur; neque enim eo anno quo *Asterius* consul fuit, scriptus est, sed illum sibi à *Macario* traditum, tunc *Asterius* distinxit, atque emendavit. *Macarius* vir erat Senatorii ordinis, qui *clarissimi* titulum ab Imperatoribus sequiori ætate per *codicillos clarissimatus* obtinebant, ex *L.* 180. & 183. *de decurion. Cod. Theod.* Extat apud Cassiodorum *libro* VII. *cap.* 38. formula, cui titulus: *De honore Clarissimatus*; ubi Theodoricus Rex ait: *Clarissimatus igitur honorem, ornamenta judicii nostri, regia tibi largitur auctoritas.* Cum enim rex ille *Romanos* magistratus servari voluisset, titulos etiam virorum insignium, uti Cæsaribus postremis in *Italia* imperantibus fieri consueverat, retinuit. Lampridius *cap.* 21. ait *Alexandrum Severum* Præfectis Prætorio *Senatoriam addidisse dignitatem, ut viri clarissimi & essent, & dicerentur.* Porro anno 494. quo consul *Asterius* à *Macario* Virgilianum codicem dono accepit, *Theodoricus* in *Italia* regnabat. Illum quidem *Asterius* amicitiæ gratia *fratrem* nuncupat, cum tamen nullo affinitatis vinculo eidem jungeretur; unde postea scripsit:

Distincxi emendans gratum mihi munus amici.

Ceterum annus quo idem codex exaratus fuit, in obscuro latet; & satis vero simile videtur antiqua manu scriptum fuisse, ut ipsa etiam vetustas pretium adderet muneri, quod Consuli offerebatur. *Lucas Holstenius* insignis nostræ ætatis scriptor idemque veterum codicum diligentissimus censor, in judicio, quod de nobilioribus Bibliothecæ MEDICEÆ, in qua ad aliquot menses habitavit, MSS. tulit, hanc de laudato Codice sententiam pronuntiavit: *Virgilius majusculis literis scriptus in quadrato, omnium codicum hujus Bibliothecæ est antiquissimus, mille ducentorum circiter annorum; nam circa Valentis, aut Theodosii tempora scriptum existimo.* Hasce *Holstenii* schedas mihi communicavit *Antonius Magliabecus*, vir toto literario Orbe summis præconiis jure ac merito celebratus, qui cum optimarum artium studiosis ubique gentium non barbararum degentibus, literaria subsidia transmittat, tantam librorum copiam, tot præclaras omnigenæ, qua ad stuporem usque pollet, eruditionis notitias præsens, propitiori mihi Numine, præsenti suppeditavit, ut maximam hujusce voluminis partem eximiæ ejusdem erga me beneficentiæ acceptam feram.

Gens *Turcia Aproniana Asteria* nobilissima *Romæ* habebatur, utpote consulatibus, urbanis præ- B fecturis, militaribus ac palatinis dignitatibus ab Imperatoribus longa annorum serie decorata. *Rufina* ac *Secunda* sorores, quæ martyrium pro Christiana religione subiere, dicuntur habuisse *patrem clarissimum Asterium, matrem item clarissimam Aureliam.* Extant Acta passionis apud *Surium* die X. Julii. Passæ sunt *Junio Donato* Præfecto Urbis, cujus magistratus incidit in A. 257. *Valeriano* IIII. & *Gallieno* III. Conss. ex vetusto indice Præfectorum Urbis. Cognomina *Rufii* ac *Secundi* familiaria erant *Turciorum*, uti proxime apparebit. Nomina vero feminarum frequenter cognomina familiæ diminutiva exprimebant, uti ab Agrippa *Agrippina &c.* Quare à *Rufii* cognomine *Rufina*, & à *Secundis Secunda* dictæ sunt. *Panvinius* ad annum Urbis 1092. *libro secundo Fastorum* insi-
C gnem inscriptionem producit, quæ etiam septi- 433
ma legitur in magno volumine Gruteriano *pag.* 476.

ASTERII

L. TVRCIO. APRONIANO. V. C
FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C
PRAEFECTI. VRBIS. NEPOTI
L. TVRCI. SECVNDI. V. C. CONSVLIS
QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. OMNI
VIRTVTE. PRAESTANTI. STATVAM
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM
AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT
D CVRANTIBVS. FL. SPE. V. P. ET. CONDO
NIO. TAVRO. IVN
POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS

Hæc inscriptio dicata fuit A. 346. qui majori parte signatus in fastis fuit: *Post Amantii & Albini consulatum*, cum *Augusti* fratres secum diffidentes, nullos Kalendis Januariis consules publicassent. Tres vero in hoc epigrammate *Turcii Aproniani* laudantur: avus, filius, ac nepos. *L. Turcius* Secundus avus dicitur consul, qui tamen nusquam in fastis legitur. Equidem arbitror ejusdem consulatum incidisse intra A. 307. & 312. cum diviso in plures *Augustos Romano* imperio, non eadem ubique essent collegia consulum, uti plane heri scribebam ad nobilissimum virum *Franciscum Biragum Mediolanensem*, historiæ *Augustæ* studiosissimum, quam etiam E eruditissimo volumine brevi illustrabit. Nam anno 311. scribit auctor Indiculi Præfectorum Urbis à *Cuspiniano* olim publicatus: *Consules quos jusserint DD. NN. Augusti.*

Ex mense Septembri factum est, Rufino & Eusebio. Itaque *Romæ* eo anno usque ad mensem Septembris, nulli consules fuerant publicati; eo tamen mense *Maxentius* designavit *Aradium Rufinum* qui A. 304. Præfectus Urbi fuerat, & *Eusebium*, qui à Constantino *L.* 1. *de annona & Trib.* data anno 315. dicitur: *ex consule.* At in *Gallia*, *Hispania*, ceterisque trans Alpes provinciis, quæ ad *Constantini* imperium pertinebant, *Maximianus Galerius* solus consul eodem anno 311. nominabatur. Ita legitur in *fastis Idatii*, & in fragmento consulari à Bucherio edito *pagina* 250. *Maximiano VIII. solo Lun.* nempe eo anno Kalendas Januarias die Lunæ fuisse, uti reapse dies Lunæ, seu feria secunda fuit prima dies ejusdem anni 311. Cyclo Solis XII. Lunæ VIII. litera G. In *Græcia*, *Macedonia*, *Dacia*, aliisque provinciis *Illyrici*, in *Thracia*, atque *Bithynia*, quæ partim *Galerio Augusto*, partim *Licinio* Imperatori parebant, dicebantur consules *Galerius Maximianus* octies &
434 *Maximinus* iterum. Hæc nuper didici ex aureo libello *Lactantii Firmiani* de mortibus persecutorum à viro doctissimo *Stephano Baluzio* ex insigni Illustrissimi D. *Colbertii* Comitis sacrarum ac privatarum largitionum Bibliotheca evulgato; siquidem scribit *cap.* 35. edictum pro Christianis à *Maximiano Galerio* paucis ante ejusdem mortem diebus *propositum Nicomediæ pridie Kal. Majas ipso octies & Maximino iterum Consulibus.* Prosper *in Chronico*, Victorius *in canone Paschali*, *Cassiodorus*, Auctor *Chronici Alexandrini*, aliique eo anno cum *Maximiano* octies *Licinium* collegam posuerunt. Hic forte in *Pannoniis*, *Rhætia*, ac *Norico*, ubi *Licinius* imperabat, idem semet collegam *Maximino* addiderat. Eusebius *libro* IX. *cap.* 11. scribit maximo in honore habitum fuisse ab Orientis Imperatore *Maximino Peucetium*, *quem ille iterum ac tertio Consulem, & Præfectum, ac Procuratorem summæ rei creaverat*; qui tamen à doctis fastorum collectoribus ne semel quidem consul nominatur. Valesius in *notis Eusebianis* A. 312. statuit in Oriente consules *Maximinum* Augustum II. & *Peucetium* II. Verum ex *Lactantio*, qui id temporis *Nicomediæ* degebat, patet *Maximinum* iterum consulem fuisse anno superiore 311. Uti vero *Peucetius* consul in Oriente fuit, ita pariter *L. Turcius Secundus* in Occidente consulatum quandoque gessit, quamvis neuter in fastis signatus appareat; cum tamen eo sæculo nulli suffecti consules crearentur. Alter vero *L. Turcius Apronianus* superioris *Turcii Secundi* filius inscribitur Præfectus Urbis. Auctor indiculi Præfectorum urbis scribit: *Constantio II. & Constante. Pridie Idus Julias Turcius Apronianus menses tres Præfectus Urbi.* Itaque ejusdem urbana præfectura contigit anno 339. Tertius vero hujus filius, ac superioris nepos *L. Turcius Secundus Apronianus Asterius* in vetustis saxis ac libris sæpius laudatur. Extat hocce epigramma apud Panvinium *lib.* III. *fast.* & Gruterum *pag.* 165.

CVRANTE L. TVRCIO SECVNDO
APRONIANI PRAEF. VRB. FIL
ASTERIO CORR. FLAM
ET PICENI

Hic igitur *Flaminiam* ac *Picenum* administravit, itemque *Thusciam* & *Umbriam*, cui etiam *Spoletina* colonia *Romæ* æream statuam dicavit. Hic postea anno 363. à *Juliano* Præfectus Urbi impositus fuit, ex Ammiano Marcellino initio *lib.* XXIII. Cum enim una cum quibusdam Senatoribus nobilissimis legatus ad eundem venisset, imperium nomine S.P.Q.R. gratulaturus, Imperator *Apronianum Romæ decrevit esse præfectum.* Eundem

A laudat *libro* XXVI. scribens: Sub hoc *Aproniano ita jugiter copia necessariorum abundavit, ut nulla saltem levia murmura super inopia victui congruentium oriretur.* Ejusdem severitatem in eadem urbana præfectura contra veneficos describit eodem *lib.* XXVI. *pagina* 336. & 337. *quod*, inquit, *Juliani promotus arbitrio agentis etiam tum per Syrias, in itinere unum amiserat oculum*, quod sibi malum à veneficis illatum suspicabatur. Extant apud Gruterum *pagina* 647. duæ vetustæ inscriptiones cum titulo: 435

EX AVCTORITATE
B TVRCI APRONIANI. V. C
PRAEFECTI. VRBIS

Harum inscriptionum una est de pecore sub exagio vendendo, & appendendo; altera de levamine Suariorum. Extat *lex.* 3. *de Suariis, Pecuariis &c. Cod. Theod.* eo ipso anno 363. missa à *Juliano* Augusto cum titulo: *Fl. Aproniano suo salutem.* Gothofredus *in notis* recte advertit erratum ab exscriptoribus, quod *Apronianus* non *Flavius*, sed *Turcius* ubique appellatur. Et sane ille non è *Flavia*, sed *Turcia* gente erat. Ceterum *L. Turcius Apronianus Asterius Gentilium* superstitionem
C sectabatur; neque enim impius Apostata Christianum hominem Urbis Præfectum designasset. *Panvinius* ad annum Christi 397. hanc inscriptionem recitat:

DD. NN. VALENTE. V. ET. VALENTINIANO. AVGG. COSS
TVRCIVS. SECVNDVS. ASTERIVS.
V.C. XV. VIR. S. F
PONTIVS. ATTICVS V. C. &c.

Itaque A. 376. *Turcius Asterius* erat Sacerdos col-
D legii Quindecim virorum sacris faciundis, uti etiam nuncupatur in inscriptione statuæ eidem à *Spoleto* Ordine dicatæ. Verum cum hic anno 339. quæstor, prætor, ac plurium provinciarum rector dicatur, longe probabilius videtur, hunc qui anno postea 37. dicitur Quindecimvir S. F. illius qui *Juliano* imperante Præfectus Urbi fuit, filium fuisse. Anno 400. erat in ore famæ *Apronianus*, qui *Rufini Aquilejensis* partes fovebat, de quo dixi *libro primo Histor. Pelag.* capite secundo. In magnis Ecclesiæ Annalibus ad annum 400. legitur: *Apronianus quoque nobilis genere, Rufini partes tuebatur; itemque Macarius, ad quem præfatio-*
E *nem in versionem Periarchon inscripserat: quem maritum fuisse nobilissimæ Romanæ feminæ idem ipse Rufinus tradit.* Rufino quidem in priori invectiva dicitur: *Vir fide, eruditione, nobilitate, vita clarus Macarius.* Forte ab hoc *Macario* originem duxit *Macarius* qui Virgilianum codicem *Turcio Aproniano Asterio* anno 494. donavit, veteris *Macariorum* cum *Apronianis* amicitiæ cultor. Hoc tamen conjecturæ loco habeatur.

Hos sequuntur duo *Asterii* sub Honorio, ejusque successore *Valentiniano III.* magisterio utriusque militiæ in *Hispania* perfuncti. Idatius *in Chronico* ad annum imperii *Honorii XXVI.* vulgaris e-
F pochæ 420. scribit: *Vandali Suevorum obsidione dimissa, instante Asterio Hispaniarum Comite, & sub Vicario Maurocello aliquantis Bracaræ in exitu occisis, relicta Gallæcia, ad Bæticam transierunt.* Ejusdem meminit *Renatus Profuturus Frigeridus* apud Gregorium Turonensem *lib.* 1. *hist. Francorum*, ubi recitata *Constantini* tyranni nece, quæ contigit A. 414. ait: *Cum autem Asterius codicillis imperialibus patriciatum sortitus fuisset &c.* Itaque fuit Comes utriusque militiæ ac Patricius. Idem

postea

postea *Idatius* ad A. 17. *Valentiniani III.* nempè
436 Christianæ epochæ 440. ait: *Asturius Dux utriusque militiæ ad Hispanias missus, Tarraconensium cædit multitudinem Bacaudarum.* Bacaudæ id temporis agrestium hominum turmæ rebellantes, ac Transalpinas provincias prædatoriis agminibus devastantes, dicebantur, de quibus post *Scaligerum* in *notis Eusebianis num.* 2303. plura erudite prosequitur multæ variæque lectionis scriptor doctissimus *Carolus Dufresnius* in Glossario, quo ingens sequioris ætatis historiæ lumen invexit. Ille quidem biennio *Hispaniam* militari imperio administravit. Nam ad A. 19. ejusdem *Valentiniani* idem *Idatius* scribit: *Asturio Magistro utriusque militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudes, natu nobilis &c.* Denique ad A. 26. ait: *Asturius vir illustris ad honorem provehitur consulatus*; quo anno narrat in *Hispanias* missas epistolas *S. Flaviani*, ac *S. Leonis* Magni ad eundem *Flavianum* responsa. Anno vero 27. *Valentiniani* mortem *Theodosii* junioris recitat, quæ contigit die 29. Julii A. 450. In fastis A. 449. *Turcii Asterii* ac *Fl. Protogenis* consulatus ponitur. In integris fastis *S. Prosperi Aquitanici*, & in *Idatianis* vulgo appellatis, apud Labbeum *tom.* 1. MSS. *Bibl.* & in fine *Novellæ* 8. & 14. Valentiniani Augusti *Asturius* scribitur. In epistolis tamen *S. Leonis* editionis doctissimi *Paschasii Quesnelli* legitur: *Asterio & Protogene viris clarissimis Consulibus*; nempe ab epistola 20. ad 47. *Asterius* etiam dicitur in fastis, quos canoni *Paschali* inservit A. 457. *Victorius Aquitanus* editus ab *Ægidio Bucherio pag.* 59. Nec secus eum nominat Sidonius Apollinaris *lib.* VIII. *epist.* 6. hæc scribens ad *Nematium* de *Flavio Nicetio* Oratore Gallicano: *Audivi eum adolescens atque adhuc nuper ex puero, cum pater meus Præfectus Prætorio, Gallicanis tribunalibus præsideret, sub cujus videlicet magistratu consul Asterius anni sui fores votivum trabeatus aperuerat. Adhærebam sellæ curuli, etsi non latens per ordinem, certe non sedens per ætatem: mixtusque turmæ censualium pænulatorum, Consuli proximis proximus adhærebam. Itaque ut brevi peracta, nec brevis sportula, datique fasti, acclamatum est ab omni Galliæ cœtu, primoribus advocatorum &c.* Ex quibus patet *Asterium* Kalendis Januariis in *Gallia* consulatum iniisse. In actis Synodi secundæ S. *Flaviani* contra *Eutychem*, quæ repetita fuere Act. 1. Concilii *Calchedonensis* in *Labbeana edit. pag.* 236. *tom.* 4. legimus: *Flavio Protogene viro clarissimo, & qui fuerit nuntiatus, consulibus sub die 6. Iduum Aprilium*, idemque iterum legitur in altera sessione habita V. Kal. Majas, ibidem *pag.* 245. Diviso imperio in Orientale & Occidentale, alter consul in Oriente, alter in Occidente creabatur; quamvis quandoque ambo in Oriente, vel Occidente procederent. Haud tamen licebat iis qui in imperio Orientis, degebant, Occidentalis consulis nomen publicis monumentis adponere, nisi ab Imperatore Orientis publicatus fuisset; eo autem non publicato, post nomen consulis Orientalis, scribebant, *& qui fuerit nuntiatus.* Equidem in primis certum est *Asterium* Kalendis Januariis consulem processisse, cum oculatus testis *Sidonius* scribat: *Consul Asterius anni sui fores votivum trabeatus aperuerat.* Aperire annum, est annum inchoare. *L.* 1. *de oblat. vot.* dicitur: *Quando votis communibus felix annus aperitur.* Plinius in panegyri: *Contigit ergo privatis aperire annum, fastosque reserare, & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quod consul alius quam Cæsar esset.* Sidonius etiam Apollinaris *in panegyri* ad *Anthemium* Augustum ac Consulem, scribit: *Annum pande*
437 *novum.* Rursus certum est Flavianum ac collegas Episcopos in literis *S. Leonis Asterium* Occi-

A dentis Consulem legisse; nam *epistola* 20. ad *Flavianum* subscribitur: *Data duodecimo Kal. Martii Asterio & Protogene VV. CC. Cons.* quæ quidem epistola à Patribus laudatur in actis Synodalibus habitis VI. Id. Aprilis: *Ante paucos*, inquiunt, *dies literæ sanctissimi Archiepiscopi Romanorum Leonis insinuatæ sunt nobis, continentes, quia questus est Reverendissimus Archimandrita Eutyches, & appellavit in tempore examinationis nostram audientiam per dationem libelli.* Quæ ipsa plane sunt quæ in laudata *S. Leonis epistola ad Flavianum* continentur. Ex quibus patet perperam *par.* 1. *Act.* præliminarium Synodi *Calchedonensis* eam *S. Leonis*
B epistolam subscribi datam *XII. Kal. Maji*, ubi *Martii* legendum esse recte advertit eruditissimus Quesnellus *in notis pagina* 839. Itaque post nominatum *Fl. Protogenem*, dicitur *& qui fuerit nuntiatus*, quod *Asterium* consulem Occidentalem licet sibi ex literis *S. Leonis* notum, *Theodosius* Imperator in Oriente non publicaverat. Ea dicendi formula primum occurrit *L. un. de lusoriis* Cod. T. quæ dicitur: *Dat. V. Kal. Febr. Constantinop. D. N. Theodosio Aug. V. & qui fuerit nnntiatus*, nempe A. 412. Ubi tamen puto legendum *Theodosio Aug. IV.* nempe A. 411. quo nullus in Occidente consul fuit. Nam *L.* 1. *de frum. Alexand.*
C dicitur: *Dat. V. Kal. Febr. Constantinop. Honorio IX. & Theodosio V. Augg. Cons.* A. 412. & eadem ipsa die qua superior lex emissa legitur: *Theodosio V. & eo qui fuerit nuntiatus.* Initio act. Synodi Calchedonensis dicitur: *Consulatu piissimi & amatoris Christi Imperatoris Fl. Marciani PP. Augusti, & ejus qui fuerit nuntiatus.* Item Novella Marciani 3. *de prædiis civit.* scribitur data *Marciano. Aug. I. Cos.* prætermisso *Adelphio* consule Occidentali. At epistolæ *S. Leonis* eodem anno 451. scriptæ, nempe à 58. ad 75. signantur *Adelphio V. C. Consule*, Imperatoris *Marciani* con-
D sulis Orientalis nomine omisso; quamvis plures earundem epistolarum ad ipsum *Marcianum* scriptæ sint. Novella etiam *Valentiniani Augusti* IX. ac sequentes dicuntur datæ *Adelphio V. C. Cos. Marciani* consulatu omisso; quod hic tantum in Oriente, ille vero solum in Occidente fuissent consules publicati. Verum quamvis Orientales *Asterii* consulis non meminerint, cum publica monumenta conscriberent, in Occidente cum *Asterio* Orientalem consulem *Protogenem* nominarunt, uti ex epistolis *S. Leonis*, ac *Valentiniani* III. Novellis ostendi. Extat *Theodoreti* epistola ad *Protogenem* tum consulem data; ac post bien-
E nium initio *act. Synodi Calchedonensis* dicitur Concilium celebratum præsente una cum aliis ibidem nominatis, *magnificentissimo & gloriosissimo expræfecto, & exconsule ordinario, ac patricio Protogene.* Hactenus de *Asterio* consule A. 449. quem tamen non *Asterium*, sed *Asturium* nuncupatum fuisse ex vetustis MSS. proxime demonstro.

Anno Christi 494. Consules in fastis nominantur *Asterius* & *Præsidius*, quorum hic in Oriente, ille in Occidente magistratum gessere. Sirmondus in notis ad *epist.* 24. *lib.* 1. *Ennodii Ticinensis* scribit in codice Remensi poëmatis Paschalis *Sedulii* hæc legi: *Hoc opus Sedulius inter char-*
F *tulas dispersum reliquit. Quod recollectum, adornatumque ad omnem elegantiam, divulgatum est à Turcio Rufio Asterio V. C. Consule ordinario atque Patricio.* Quibus hoc epigramma subjicitur, ab eodem *Asterio* compositum.

Sume, sacer meritis, veracia dicta poetæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi, 438
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope & cura edita sunt populis.

Quem

Quem quamvis summi celebrent per sæcula fasti,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Superior adnotatio erat etiam in codice, quo *Aldus Manutius* senior usus est; siquidem advertit illud opus non à Sedulio, *sed à Turcio Rufo Asterio V. C. ex consule ordinario atque patricio*, publicatum fuisse. Ubi *Asterius* non quidem *consul*, sed *exconsul* dicitur. In vetusto autem Codice Vaticano *num.* 1165. post carmen *Paschale Sedulii* hæc leguntur: *Hoc opus Sedulius inter cartulas dispersum reliquit, quod recollectum, & adunatum, atque omni elegantia divulgatum est à Turcio Rufio Asterio quinto V. C. exconsule ordinario atque patricio.* Similem huic codicem etiam vidit *Cuspinianus*, qui in fastis ad consulatum *Asterii* & *Præsidii* ait: *Inter opuscula Sedulii legitur elegans carmen elegiacum quod à Turcio Ruffo Asterio Quinto V.C. exconsule ordinario atque Patricio scriptum est.* At Panvinius ad annum Christianæ epochæ 494. *lib.* III. *fastorum* ait: *Turcii Secundi Asterii V.C. exconsulis ordinarii meminit Sedulius, ad quem elegiacum carmen misit.* Vir eruditissimus, quod cognomen *Secundi* in antiquis inscriptionibus *Asteriis* datum legerat, idem quoque *Asterio* consuli A. 494. attribuit. *Aldus* vero ac *Cuspinianus*, & scriptor codicis *Thornejensis Ruffum* vel *Rufinum* minus recte nominarunt, cum ex *Vaticano* ac *Remensi* codice *Rufius* diceretur. Verum ex aureo Mediceo *Virgilii* codice *Asterii* nomen ac cognomina ipsiusmet *Asterii* manu conscripta intelliguntur; nempe: *TURCIUS RUFIUS APRONIANUS ASTERIUS.* Cognomen *Quinti* perperam additum ex ejusdem *Asterii* chirographo apparet. Sequiori ætate quatuor, quinque, immo septem partim nomina partim cognomina non pauci referebant, postremum tamen cognomen proprium habebatur, quo solo vulgo appellabantur, si ceteris abstinere placuisset. Ita legimus: *Anicius Manlius Severinus Boethius: Magnus Aurelius Cassiodorus Senator: Marcus Mæcius Mæmmius Furius Balburius Cæcilianus Placidus:* in veteri inscriptione apud Panvinium *lib.* II. *fast.* ad A. V. 1095. Et *in Diptycho Bituricensi: Fl. Anastasius Paulus Probus Sabinianus Pompejus Anastasius.* Lege tabulas consulares Panvinii *lib.* III. In fastis tamen *Boethius*, *Senator*, *Placidus*, & *Anastasius* scribuntur. *Turcius* quoque *Rufius Apronianus* in uno & altero epigrammate semet postremo *Asterii* tantum cognomine designat. Ex ejusdem tamen nominibus constat *Asterium*, qui *Virgilii* codicem emendavit, eundem fuisse qui postea exconsul *Paschale Sedulii* carmen abs se collectum publicavit, eundemque sacræ ac profanæ poesis studiosum fuisse, quod ex ejusdem etiam duplici epigrammate intelligimus.

Cum duos *Asterios* eodem quinto sæculo Consules ordinarios in fastis legamus, *Panvinius* ac *Cuspinianus* scribunt *Turcium Asterium* qui *Sedulii* carmina evulgavit, illum fuisse qui A. 494. cum Præsidio consulatum gessit. At *Sirmondus* in notis ad laudatam *epistolam* 24. *Ennodii*, ait eosdem *in errore versari*, cum ille plane fuerit *Asterius* qui A. 449. collegam in magistratu habuit *Fl. Protogenem*; tum quia recitata nomina huic potius congruunt; tum quia id tempus cum *Sedulii* obitu cohæret, quem ex integris *Gennadii* exemplaribus scribit obiisse *Theodosio* regnante, cui etiam
439 opus suum dedicavit. Additque allatum *Asterii*
epigramma ante Paschalia *Sedulii* positum *omnem dubitationem adimere.* Adducit ibidem diptychum Leodiense inscriptum: FL. ASTURIUS V. C. ET INL. COM. ET MAG. UTRIUSQ. MIL. CONS. ORD. quem ait fuisse collegam Præsidii A. 494. *Labbeus* ubi de *Sedulio*, scribit: *Turcium vero Rufium Asterium, sive Asturium illum esse censeo cum Sirmondo qui consulatum gessit A.* 449. Addit tamen, si dicatur esse collega *Præsidii*, sibi perinde esse. *Joannes Pearson* in eruditissimis Vindiciis epistolarum S. Ignatii *par.* I. *cap.* 4. *pag.* 46. post Usserium *lib.* III. *de primordiis Eccles. Britan. cap.* 16. scribit *Turcium Rufium Asterium* fuisse consulem A. 494. eumque exconsulem *Sedulii* carmina publicasse, quæ confidenter pronuntiat, nihil oppositum sentientis *Sirmondi* argumenta moratus, quæ adeo levia eidem visa sunt, ut ne ullam quidem illorum mentionem faciendam esse putaverit. Alexander Wilthemius in *appendice ad Diptychum Leodiense cap.* I. diptychum à *Sirmondo* laudatum, à semet inspectum, emendatius exhibet, videlicet: FL. ASTYRIUS. V. C. ET. INL. COM. EX MAG. UTRIUSQ. MIL. CONS. ORD. In primis recte notat Y. pro V veteres non semel usurpasse; nam *Purrhum* ac *Phruges*, non *Pyrrhum* aut *Phryges* dicebant, ex Cicerone *in Oratore*; quod etiam patet ex aliis vocibus *cap.* 19. indicis Gruteriani ad lit. V. Deinde ait dubitare se ne in laudato à *Sirmondo* Remensi codice ab antiquario erratum sit, dum eidem scriptus est *Turcius Rufius Asterius*; ac diversis quorundam codicum lectionibus recitatis, suspicatur in eadem adnotatione *Seduliano* poemati præposita ab exscriptore errorem admissum. Verum etiamsi integra eidem codici fides habeatur, putat in eodem Diptycho exprimi *Asterium* consulem A. 449. non autem alterum collegam *Præsidii* A. 494. cum id temporis nulla fieri posset nummorum in populum erogatio. Denique notat non obstare plura illa cognomina sive prænomina quæ in codice Remensi *Asterio* tribuuntur; nam non semper universa in viro nominando exprimebantur, quod multis exemplis confirmat: *Non obstat ergò, inquit, prænominum illorum omissio, quin hoc Diptychon nostrum sit Flavii Turcii Rufii Astyrii consulis ordinarii, collegæ Protogenis, quod Sirmondus negabat.* Hæc Wilthemius. Ex codice tantum Mediceo hæc de duobus *Asteriis* controversia, nisi mea me fallit opinio, penitus profligatur. Nullus illic Amanuensium, seu librariorum error fingi potest; siquidem est ipsummet *Asterii* Consulis chirographum, in quo illius nomina, cognomina ac gesti ab eodem magistratus omnes ipsiusmet manu descripti, leguntur. Illud iterum recito: *Turcius Rufius Apronianus Asterius V.C. & inlustris ex Comite Domesticorum Protectorum, ex Comite privatarum Largitionum, ex Præfecto Urbi, Patricius, & Consul ordinarius, legi & distincxi codicem &c.* Hic neutiquam se *Flavium* nominat, ut plane diversus sit à *Flavio Asturio* seu *Astyrio*, qui in laudato diptycho inscribitur. Hic erat è gente *Flavia*, noster vero *Turciorum* familiæ. Non enim *Flavius* prænomen est, sed nomen familiæ ac gentis *Flaviæ*, ad quam *Turcii Aproniani* non pertinebant. Nec obstat commune utrique cognomen *Asterii*; nam viri diversarum gentium eadem sæpe cognomina referebant. Cognomen *Capitonis* datum est *Asiniis*, *Attejis*, *Cossutiis*, *Egnatiis*, *Fonteis*, *Herenniis* aliisque; *Cottæ Aureliis*, *Aurunculeis*, *Corneliis*; *Bassi Aufidiis*, *Aureliis*, *Cæciliis*, *Cæsiis*, *Cejoniis*, *Cæselliis* &c. Immo *Asterii* cognomen diversæ à *Turciis Romanis* familiæ habuerunt. Extat *lex* 37. *de oper. publ.* data A. 397. ab *Arcadio* ad *Asterium* Comitem
Orientis, qui anno insequenti 398. *S. Joannem* 440
Chrysostomum ad se evocatum, *Constantinopolim*, ejus urbis sacris præficiendum, jussu *Arcadii* transmisit, ex Sozomeno *lib.* VIII. *cap.* 2. ac Palladio *in dialogo de gestis Chrysostomi.* Ennodius *lib.* V. *epist.* 2. *Marcianum Asterii* filium laudans ait: *Venit ad te cum censu patris eruditio; & bono sobolis Aste-*

Asterium sepulcra restituunt: Et postea: *Non est bonis partubus infœcunda Liguria.* Itaque ille *Asterius* non è *Romana*, sed è *Ligurum* gente erat. Omitto ejusdem nominis seu cognominis sophistam *Arrianum* in *Cappadocia Socrati* memoratum *lib.* 1. *cap.* 24. ac *S. Asterium*, cujus quædam homiliæ supersunt. Et sane cum in diptycho *Fl. Astyrius* sculptum fuerit, ac *Prosperi* & *Idatii* fasti, itemque *Novellæ Valentiniani*, *Marcellinus* in Chronico edit. *Sirmondi*, & *Victor Tunnonensis Asturium* cum *Protogene* consulem prodant, jure licet judicare ita quoque pro *Asterio* legendum in subscriptionibus epistolarum *Leonis* Magni, ac laudata epistola 6. *Sidonii Apollinaris.* In codice Mediceo *Sidonii*, & in uno Vaticano *num.* 1783. atque altero *Mediolanensi* Bibl. Ambrosianæ antiquissimo in pluteo sub litera P. *num.* 44. legitur: *Consul Astirius anni sui fores votivum trabeatus aperuerat.* In duobus tamen Vaticano altero *num.* 1661. ac *Mediolanensi* alio lit. P. *num.* 417. recentiori manu exaratis, *Asterius* scribitur. In tribus vero codicibus Mediceis epistolarum S. Leonis *Asterius* legitur, uti & in MSS. Vaticanis, & *Mediolanensibus.* Verum in antiquissimo ac insigni codice Cardinalis *Grimaldi* asservato apud Patres Oratorii in suburbio *S. Michaëlis* in omnibus laudatis epistolis *Leonis* Magni constanter legitur: *Asturio & Protogene*, ut mihi significavit vir eruditissimus *Paschasius Quesnellus*, quem in MSS. voluminibus Leoninis versatissimum hac de re per literas consulendum putavi. Labbeus etiam *tom.* 4. *Concil. pag.* 11. in fine epistolæ ad *S. Flavianum* testatur in quibusdam MSS. legi: *Asturio*, & *Austurio.* At collega *Præsidii* A. 494. in antiquis omnibus fastis *Asterius*, nusquam *Asturius* vel *Astyrius* scribitur. Imo Eusebio Cæsariensi *lib.* VII. *cap.* 14. laudatur *Astyrius vir è Senatorum Romanorum numero, cum imperatoribus in primis carus tum omnibus & nobilitatis & facultatum gratia conspicuus.* Græcæ Ἀςύριος scribitur, qui a doctissimo Valesio *cap.* 16. & 17. novissimæ Eusebii editionis *Asturius* dicitur. Non semel enim nomina propria scribentes, pro V ponebant Y; quod ex nummis ostendit Spanhemius *dissert.* 2. Hinc promiscue dixere *Syllam* & *Sullam: Syriam* ac *Suriam: Borysthenem* ac *Borusthenem: Illuricum*, & *Illyricum.* Et quod propius ad rem facit, in vetustis saxis *pag.* 481. 1. & 562. 4. legitur: PRAEF. COH. II. ASTURUM; ac *pag.* 439. 5. & 465. 10. PRAEF. COH. II. ASTYRUM. Ex his patet *Fl. Astyrium* seu *Asturium* diversum plane fuisse à *Turcio Rufio Aproniano Asterio*, secus ac *Wilthemio* videbatur.

Hanc utriusque diversitatem satis manifeste ex codice Mediceo deduco. Nam *Asterius* delatas sibi dignitates enumerans, Comitivam Domesticorum Protectorum, ac privatarum Largitionum, præfecturam Urbanam, ac patriciatum recenset. Nusquam se, *Magistrum militum* appellat. At *Fl. Asturius ex Magistro militum* Consul in Diptycho nuncupatur; ubi nec Patricius dicitur. Auctor est Zosimus *lib.* II. *Constantinum*, quo duorum Præfectorum Prætorio auctoritatem ac potestatem ipsis non semel Augustis exitiosam (præfecti enim Prætorio *Commodum*, *Caracallam*, *Gordianum*, ac *Numerianum* occiderant) imminueret, non modo quatuor Præfectos insti-
441 tuisse; verum etiam duos Magistros militum exercitui præposuisse, quorum unus equitum, alter peditum diceretur; cum ante Præfecti Prætorio militare imperium summa cum potestate exercerent. Errat vero *Zosimus* scribens hoc militare magisterium à *Constantino* institutum, postquam duplici prœlio victo, atque in ordinem redacto *Licinio*, universum imperium occupasset. Nam

A *L.* 1. *de annona* C. T. data A. 315 decennio fere ante *Licinii* exauctorationem, meminit *Constantinus Eusebii ex Consule & ex Magistro equitum & peditum.* Porro Augusti non semel unum eundemque probatæ sibi virtutis ducem una simul equitum & peditum Magistrum designabant, qui vulgo dicebatur *Comes & Magister utriusque militiæ*, scilicet equestris ac pedestris. Extant in codice *Theodosiano* plurima Principum rescripta ad Magistros utriusque militiæ. In vetustis etiam inscriptionibus non semel mentio eorundem occurrit. *Pag.* 1164. thesauri Gruteriani.

B FL. FELIX. V. C. MAGISTER VTRIUSQ. MILITIAE. PATRICIVS. ET. EXCONS. ORD. ET PANDVSA. EIVS. INL. FEMINA VOTI. COMPOTES. DE. PROPRIO. FECERVNT

Pag. 1079. 14.

FL. RICIMER. V. I. MAGISTER VTRIVSQ. MILITIAE. PATRICIVS. ET. EX. COM. ORD. PRO
C VOTO. SVO. ADORNAVIT

Hujusmodi inscriptiones non paucæ in vetustis saxis occurrunt. Vide *pag.* 412. *num.* 3. & 4. Magistri utriusque militiæ Comiti Domesticorum, ac Comitibus sacrarum & privatarum Largitionum præferebantur. Valentinianus senior A. 372. hæc *L.* 1. *de præf. & præt.* ait: *Præfectum Urbi, Præfectum Prætorio, Magistros equitum ac peditum indiscretæ ducimus dignitatis.* Theodosius ibidem *L.* 2. jubet ut Magister utriusque militiæ, cum munere abiisset, præcedat Præfectum Prætorio deposito magistratu, si hic post illum promotus sit. Item *L.* 38. *de decurion.* summi magi-
D stratus hoc ordine recitantur: *Magistri equitum ac peditum, V. C. Comes Domesticorum, nec non sacrarum Largitionum Comes &c.* quo modo etiam numerantur *L.* 1. *qui à præbit. tironum.* Hinc Comites Domesticorum Protectorum ad magisterium equitum, vel peditum, nedum utriusque militiæ, honoris augendi gratia, non semel promovebantur. *Barbatio* sub *Gallo* Cæsare fuit Comes Domesticorum, ex Ammiano Marcellino *lib.* XIV. *pag.* 31. *edit. Lindebrogii.* Idem Ammianus *lib.* postea XVI. *pagina* 76. scribit. *Parte alia Barbatio post Sylvani interitum, promotus ad peditum magisterium, ex Italia jussu Principis*
E *cum XXV. armatorum millibus Rauracos venit.* Et *lib.* XVIII. *pag.* 128. narrata Barbationis nece, ait: *Dum domesticos Protectores sub Gallo regeret Cæsare, proditor erat & perfidus: & post ejus interitum, nobilioris militiæ fastu elatus, in Julianum itidem Cæsarem paria confingebat. Julianus* Imperator statim post delatam sibi ab exercitu purpuram ac nomen Augusti, *Dagalaiphum* Comitem Domesticorum designavit A. 361. ex Ammiano *libro* XXI. *pag.* 202. Idem postea anno pri- 442
mo Valentiniani, nempe epochæ vulgaris 364. dicitur Ammiano *libro* XXVI. *pag.* 337. *tunc equestris militiæ rector*, nempe Magister equitum. Fl.
F Richomeres A. 377. *Domesticorum tunc Comes* nuncupatur ab eodem historico *libro* XXXI. *pagina* 479. cui postea A. 391. inscribitur. *L.* 13. *de re militari* cum titulo: *Richomeri Comiti & Magistro utriusque militiæ.* Severus A. 364. erat Comes Domesticorum *ex L.* 2. *& 3. de Domest. & Protect.* At post triennium *Magister peditum* dicitur Ammiano *libro* XXVII. *pagina* 367. Anno 393. *L.* 5. *de Domest. &c.* inscribitur *Addeo Comiti Domesticorum*; lex vero 6. *ibid.* eidem A. 395. mit-

titur inſcripta: *Addeo Comiti & Magiſtro utriuſque militiæ.* Itaque *Turcius Rufius Aſterius*, cum in laudato chirographo ſemet utriuſque militiæ Magiſtrum neutiquam nominet, ac inferiores palatinos magiſtratus, id eſt Comitivam Domeſticorum, ac rei privatæ, abs ſe geſtos recenſeat, diverſus fuit ab *Aſturio* utriuſque militiæ Magiſtro. Cur enim ſe ex Comite Domeſticorum ac ex Comite utriuſque militiæ non inſcripſiſſet, ſi hoc altero magiſtratu priori longe digniori perfunctus fuiſſet, & eo quidem loco, ubi accurate omnium ſuarum dignitatum titulos enumerat? Hinc *Aſtyrius* ſeu *Aſturius*, qui anno 440. teſte *Idatio* in *Hiſpania* fuerat *Magiſter utriuſque militiæ*, anno 449. in diptycho dicitur:

EX. MAG. VTRIVSQ. MIL. CONS. ORD

Quo geſti magiſtratus titulo viri illuſtres, poſtquam abdicaverant, appellabantur. *Flavius Filoxenus* in diptycho vetuſto apud *Sirmondum* in notis ad *epiſt. 6. libri* VIII. *Sidonii Apollinaris*, appellatur:

COMES. DOMEST. EX. MAG. M.
PER. THRACIA. ET. CONSVL
ORDINAR

Ammianus Marcellinus *lib.* XXII. *pag.* 240. meminit *Marcelli exmagiſtri equitum & peditum.* Item *L.* 3. *de metatis* nominantur *Ex-magiſtri equitum & peditum, quos decurſi actus illuſtrat auctoritas.* In fine Novellæ 14. Theodoſii legitur: *Eodem exemplo Aſpari viro inluſtri Comiti Exmagiſtro militum & Exconſuli bis ordinario.* Et *L.* 1. *de annona*, uti dixi, laudatur *clariſſimæ memoriæ Euſebius ex Magiſtro equitum & peditum.* Itaque cum paſſim militaris Magiſterii titulus eo munere perfunctis viris deferretur, palam colligitur *Turcium Rufium Aſterium* non fuiſſe Magiſtrum utriuſque militiæ, cum ceteras inter ſibi delatas dignitates, nullam militaris magiſterii mentionem fecerit.

Wilthemius, uti errat, *Turcium Rufium Aſterium* cum *Flavio Aſturio* confundens, recte tamen contra *Sirmondum* docet *Fl. Aſturium* A. 449. collegam fuiſſe *Protogenis*, non autem A. 494. *Præſidii.* Quæ tamen ad id probandum adducit, nullo negotio refelluntur. Nam quod ait *Aſturium* in diptycho *Romana* veſte indutum apparere, cum in *Græcis* diptychis neſcio quid *Græcanici* habitus inſpiciatur, quidpiam forte probaret, ſi conſtaret *Aſterium* conſulem A. 494. fuiſſe in Oriente creatum, ejus vero collegam *Præſidium* fuiſſe conſulem Occidentalem. At *Aſterius* reapſe à
443 *Theodorico* Rege conſul in *Italia* creatus fuit, ac XI. Kal. Majas *Romæ* erat, quo tempore conſularia ſpectacula in Urbe edidit, ut ex ejuſdem poſtea epigrammate oſtendam; *Flavius* vero *Præſidius* fuit deſignatus conſul in Oriente ab Imperatore *Anaſtaſio*, unde in faſtis Græcis primo loco ponitur ante *Aſterium*, uti patet ex Chronico Alexandrino, cum tamen in Latinis faſtis *Caſſiodori*, & auctarii *Victorii Aquitani*, aliiſque *Præſidius* poſt *Aſterium* nominetur. Quod addit *Aſturium* ibidem uti nummos ſpargentem exprimi, quod poſt *Marciani* legem vetitum erat, indeque conſequens fieri, ut *Aſturius* eo in diptycho inſcriptus fuerit conſul A. 449. triennio ante illam legem emiſſam; hoc, inquam, lubricum argumentum eſt. In primis quia lex *Marciani* vim ſolum in Oriente habebat; cum præſertim jubeat ut à Conſulibus vice ſpargendæ in populum pecuniæ, *ad reſtaurationem aquæductuum hujus ampliſſimæ urbis*, nempe Conſtantinopolis, *centena pondo auri præſtentur per ſingulos conſulatus.* At certum eſt conſules Occidentis nullam pecuniæ ſummam, nedum tantum auri pondus *Byzantinis* aquæductibus extruendis impendiſſe. Præterea diſcere poterat ex *Novella Juſtiniani* 105. *Marciani* legem à quibuſdam tantum conſulibus rei familiaris ſtudioſis, ſervatam fuiſſe etiam in imperio Orientali; ubi alii plures pecuniam larga manu in proceſſibus conſularibus profundere ſolebant. Do ejuſdem Principis verba: *Igitur & poſt prædictam* Marciani *conſtitutionem, quoniam invenimus, quod QUIDAM hanc ſequentes, nihil ſpargere populo paſſi ſunt; alii autem & ultra legem agere hæc petentes, & promerentes quæ petiverunt, deinde ad ſui animi reſpicientes menſuram, circa aſperſionum largitatem ultra terminum celebraverunt: quidam vero medium bene eligentes, mediocribus pro plurimis contenti fuerunt, &c.* Itaque plures impetrata à Principe ſpargendi facultate, pecunias in populum erogabant. Denique *Theodorico* in *Italia* regnante, *Aſterius* A. 494. conſulatum geſſit. At ſub eodem rege conſules non pecuniam tantum, ſed plane divitias in populum effudiſſe teſtatur *Caſſiodorus* teſtis oculatus in fine Chronicorum ſcribens Eutharicum Conſulem *Romæ* ludos ſplendidiſſimos exhibuiſſe, *ſtupente etiam Symmacho Orientis legato divitias Gotthis Romaniſque donatas*; qui ubi poſtea Ravennam ivit, *iteratis editionibus, tanta Gotthis Romaniſque dona largitus eſt, ut ſolus potuerit ſuperare quem Romæ celebraverat, conſulatum.* Idem Theodoricus apud Caſſiodorum *libro* II. *variar. epiſt.* 2. deſignans *Felicem* conſulem anni 511. ait: *Sume igitur per indictionem IV. conſulatus inſignia: dignumque te tantorum deſideriis præſenti comproba largitate. Hic profecto locus eſt, ubi præconium meretur effuſio, quando virtutis genus eſt, propriam ſubſtantiam non amare, ubi tantum opinionis acquiritur, quantum facultatibus abrogatur.* Hujus tamen Conſulis avaritiam ſeu in donando parcitatem idem poſtea rex reprehendit *libro* III. *variar. epiſt.* 39. Legatur Ennodius Ticinenſis *libro* VIII. *epiſtola* 37. Itaque cum *Wilthemii* argumenta infirma appareant, ex chirographo tantum *Turcii Aſterii*, quod in *Virgiliano* codice legitur, *Aſteriorum* Conſulum diverſitas intelligitur. Nam *Turcius Rufius Aſterius*, uti dixi, magiſtratus, quibus perfunctus fuerat ante conſulatum, enumerans, nequaquam ſe Magiſtrum utriuſque militiæ nuncupavit, quo titulo *Fl. Aſturius* in diptycho decoratur. Præterea noſter *Turcius Aſterius* ſemet *Patricium* inſcribit, quæ omnium maxima dignitas habebatur; quo tamen ſplendido nomine *Fl. Aſturius* ibidem non appellatur, ſed tantum *Comes, & Ma-* 444
giſter utriuſque militiæ. Patriciatus dignitas uni tantum conſulatui cedebat. Caſſiodorus *lib.* VI. *cap.* 2. in formula patriciatus ait: *Præfectorios & aliarum dignitatum viros præcedit, uni tantum cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis conſtat aſſumi.* Conſulatum intelligit. Hinc Magiſtri militum ob bene navatam in bello operam, ab Imperatoribus Patricii creabantur. Idatius in Chronico ad initium imperii *Valentiniani* III. ait: *Felix Patricius ordinatur ex Magiſtro militum*; & ad annum IX. ejuſdem Principis: *Aetius Dux utriuſque militiæ Patricius ordinatur.* Sidonius carm. 2. de Procopio ait:

Suſcipit hunc reducem duplicati culmen honoris,
Patricius, nec non equitum, peditumque Magiſter.

In reſcriptis, ſeu legibus Auguſtorum ad viros illuſtres miſſis, in titulo *Patricii* appellantur quicunque ea dignitate ornati erant. *Novella* 24. *Theodoſii* mittitur *Aetio Comiti & Magiſtro utriuſque militiæ & Patricio.* Novella 2. Majorani *Ricimero viro inluſtri, Comiti & Magiſtro utriuſque militiæ & Patricio.* Idem vero *Ricimer* ac *Felix* in laudatis ſuperius ſaxis inſcribuntur *Magiſtri utriuſ-*

utriusque militiæ & Patricii. Victor Tunonensis in Chronico ait: *Belisarius Magister militum & Patricius*; quod etiam de aliis scribit. Hinc initio Actionum Synodi *Calchedonensis* plures viri nobilissimi nominantur exconsules, expræfecti, exmagistri, iidem Patricii dicuntur, qui eam dignitatem obtinuerant. Ex his, quæ hactenus prolixius forte prosecutus sum, patet *Fl. Asturium* consulem fuisse collegam *Protogenis* A. 449. *Turcium* vero *Rufium Apronianum Asterium* gessisse consulatum cum Præsidio A. 494. *Theodorico* in *Italia* regnante. Hic autem *Asterius* Præfectus etiam Urbi antea fuerat, quam præcipuam viri dignitatem ex Mediceo tantum codice intelligimus.

Certum est hunc ipsum *Asterium* genus duxisse à *Turciis Apronianis*, qui in vetustis inscriptionibus superius recitatis, laudantur. *Aproniani* cognomine in solo Mediceo codice sua ipsius manu scripto, appellatur, quod *Turciis* familiare fuit. Is consul A. 494. dono accepit à *Macario* V. C. *Virgilianum* codicem, qui in Medicea Bibliotheca servatur, quem idem eburneo scipione deposito, consulari manu correxit, & eo sane tempore quo *Romæ* XI. Kal. Maji triplex spectaculum eximio splendore ac maximis expensis, edebat. Hoc ex ejusdem epigrammate intelligimus. Nam ibidem cum scripsisset,

Distincxi emendans gratum mihi munus amici:

statim hosce versus subjecit, quibus triplices abs se editos ludos, Circenses, scænicos, ac theatrales significat. Quod epigramma majusculis, ut ajunt, literis scriptum est, licet minutissimis.

Tempore quo cenaces Circo subjuncximus, atque
Scenam Euripo extulimus subitam:
Ut ludos, currusque simul, variumque ferarum
Certamen junctim Roma teneret ovans.
Tantum quippe sophos merui; terna agmina vulgi
Per caveas plausus concinuere meos.
In quæstum famæ census jactura cucurrit;
Nam laudis fructum talia damna ferunt.
Sic tot consumptas servant spectacula gazas,
Festorumque trium permanet una dies.
445 *ASTERIUMQUE suum vivax transmisit in ævum,*
Qui partas trabeis jam bene donat opes.

Turcius Asterius cum consulatu abiisset, *Cœlii Sedulii* Paschalia carmina collecta, evulgavit, uti ex MSS. Vaticano aliisque eruditi post *Aldum* seniorem prænotarunt. In Synodo Romana sub *Gelasio* in decreto de libris canonicis & apocryphis legitur: *Item venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.* Hæc vero Synodus in quibusdam editionibus legitur celebrata *Asterio* & *Præsidio* Conss. & sub horum consulatu recitatur à Baronio *in magnis Annalibus.* Verum cum *Turcius Asterius* post annum 494. nempe *exconsul*, uti in laudatis codicibus legitur, *Sedulii* carmen publicaverit, *Usserius* ac *Pearson* recte advertunt eam Synodum non fuisse eo anno 494. celebratam, cum id temporis nondum *Asterius Sedulii* carmina divulgasset. *Usserius* tamen scribit *Gelasium* memoratam postea Synodum coegisse. At Pearson *cap.* 4. superius laudato, ac *Paschasius Quesnellus* in notis ad codicem canonum Ecclesiæ Romanæ *dissert.* 12. *cap.* 4. *num.* 3. putant illud decretum post *Gelasii* obitum conditum fuisse, quod *Dionysius Exiguus*, qui post mortem *Gelasii Romam* veniens, ac ibidem canones Synodorum ac decreta Pontificum colligens, nullam ejus decreti mentionem fecit. Immo doctissimi iidemque diligentissimi veterum MSS. excussores *Stephanus Baluzius* in antiquissimo *Vergelensi* codice, & *Chiffletius* in *Jurensi*, illud decretum *Hormisdæ* Papæ attribui testantur.

A *Nicolaus* I. Pontifex in *epist.* 42. *ad Episcopos Galliæ*, quæ in Synodo VII. *Romana* habetur, *Lupus* Abbas *Ferrariensis* in fine epistolæ ad *Carolum Calvum*, & in fine *quæst.* 3. *de sanguine Christi*, *Gelasium* ejusdem decreti auctorem produnt. Idem tradit *Hincmarus* & auctor Chronici *Contulensis* à V. C. *Dacherio* publicatus, qui omnes sæculo nono ea literis mandarunt. *Pearson* prolixiorem de tempore conditi illius decreti disputationem instituit, ac *pag.* 53. ait putare se post Synodum V. anno 553. celebratam, sanctionem illam de libris probandis, improbandisve scriptam fuisse. Verum ante annum 520. evulgatum illud decre-
B tum non obscure colligitur ex *epist.* 70. *Hormisdæ* ad *Possessorem* Episcopum de *Fausti Rejensis* libris scribentis: *Neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare.* Recte prænotavit *Baronius* ad annum 520. *Hormisdam* illis verbis significasse decretum de libris apocryphis in quo una cum aliis *opuscula Fausti Regensis Galliarum* proscribuntur. Non est hujus loci de his disputare; siquidem satis mihi est ostendisse nostrum *Asterium* exconsulem *Sedulii* carmina in publicum emisisse, ac proinde
C decretum illud, in quo *Sedulii* poëmata Paschalia laudantur, factum fuisse post A. 494.

In Bibliotheca Patrum veteris edit. A. 1589. *tom.* 8. legitur elegiacum carmen cum titulo: *Turcii Ruffi Asterii viri Consularis veteris & novi testamenti, Sedulio hactenus adscripta, collatio.* Hujus priora carmina sunt:

Cantemus, socii, Domino, cantemus honorem;
Dulcis amor Christi personet ore pio.

Addit Collector: *Carmen istud ab eo editum (quamquam inscriptum Sedulio) annotavit Cn. Spinianus, atque Aldus. Panninius vero Turcio inscriptum &* 446
D *missum.* Sed error Typographi corrigendus est, ac legendum: *Cuspinianus, atque Aldus; Panvinius vero &c.* quod adnotatum volui, quia in recenti editione Bibl. Patrum Lugdunensi *tom.* 9. *pag.* 464. *Cuspiniani* ac *Panvinii* nomina corrupte iterum expressa sunt. *Cuspiniani* verba in fastis ad A. 493. & mei *Panvinii* ad A. 494. superius recitavi. *Labbeus* ait illam elegiam falso *Turcio Asterio* adscribi, cum illius auctor fuerit *Sedulius*, editor vero *Asterius.* Et sane sive *Sedulius* idem carmen *Asterio* exconsuli inscripsisset, quod scribit *Panvinius*, sive *Asterius* illud potius ad *Sedulium* misisset, aperte colligeremus *Sedulium* vixisse
E post A. 494. Verum illa utroque modo asserta carminis nuncupatio, nullo vetusti codicis testimonio firmatur. In laudato codice Vaticano *num.* 1165. post opus *Paschale*, ponitur recitata adnotatio, qua significatur *Sedulii* opus divulgatum fuisse *à Turcio Rufio Asterio quinto V. C. exconsule ordinario atque Patricio.* Quibus statim subjicitur elegia: *Cantemus, socii, Domino &c.* Quare utrum auctorem habuerit illud carmen, incertum est, uterque enim poëticæ studiosus fuit; nec *Labbeus* adeo confidenter debuit eam elegiam *Turcio Asterio* abrogare. Cum vero in vetustis codicibus *Sirmondo* ac *Usserio* laudatis, *Asterius* o-
F peri *Seduliano* præmiserit epigramma ad *Macedonium*, cui *Sedulius* carmen Paschale nuncupaverat; satis probabile videri potest, *Sedulium* circa A. 494. vel paucis antea annis & scribendi & vivendi finem fecisse, atque *Asterium* defuncti amici poëtæ schedulas collegisse, ac publicasse. *Sirmondus* tamen minus recte putavit *Sedulium Theodosio* juniori opus suum nuncupasse, ac eodem imperante obiisse, quod postremum testatur se in integris *Gennadii* exemplaribus legisse. In quibusdam *Seduliani* operis editionibus præmittitur præ-

fatio ad *Theodosium* paucis versibus exarata, cujus initium est:

Romulidum ductor, clari lux altera solis:
Eoum qui regna tenes moderamine justo,
Spes Orbis, fratrisque decus: dignare Maronem
Mutatum in melius divino agnoscere sensu.

Et post octo tantum versus, præfatio hisce carminibus terminatur:

Hæc relegas, servesque diu, tradasque minori
Arcadio; hæc ille suo generi, hæc tua semper
Accipiat, doceatque suos Augusta propago.

Theodosius senior, qui obiit sub initium A. 395. filium habuit *Arcadium*, cum junior *Theodosius Arcadii* filius nullam masculam prolem suscepe-rit. Itaque senior *Theodosius* ibidem appellatur, & quidem imperante in Occidente *Valentiniano*, qui Idibus Maji A. 392. occisus fuit; hic enim illis verbis *fratrisque decus*, intelligitur. Fateor levi correctione adhibita, juniorem *Theodosium* posse ibidem designari; videlicet si dicatur:

Arcadiæ: hæc illa suo generi &c.

Etenim *Arcadia Theodosii* junioris soror, superstes fuit usque ad A. 444. ex Chronico *Marcellini* Comitis. At hæc nulli nupsit. Num poëta regios hymenæos ac futuram prolem eo carmine augurabatur? Ipse quidem id fabulis propius existimo. Lubricum etiam est testimonium codicum *Gennadii*. Nam cum *Gennadius* opus de illustribus Scriptoribus emiserit in lucem ante A. 495. ut ex ejusdem verbis ostendi *lib.* II. *Historiæ Pelagianæ cap.* 16. Sedulianum opus laudare non potuit, quod Asterius *exconsul* ante annum 495. quo
447 primum *exconsul* dici potuit, *Sedulii* carmina nec collegerat, nec evulgaverat. Itaque aliena manu *Gennadii* codicibus *Sirmondo* laudatis, *Sedulius* insertus fuit; quemadmodum de *Cæsario Arelatensi* in plerisque tum manu exaratis, tum editis *Gennadii* codicibus nominato, ostendi *lib.* II. *cit. cap.* 22. Hactenus de *Turcio Rufio Aproniano Asterio*, cujus integra nomina ac cognomina, & insignes magistratus, ac sacri & profani carminis studium prolixius exposui, ut eximio codici Mediceo, quem subinde appellabo, ingens auctoritatis pondus accedat, quod eum vir doctissimus ac nobilissimus sub ipsa spectaculorum editione, consulari manu emendavit. At ex Historico repente in Grammaticum transeo.

§. II.

Vetustiores Latini litera X non usi. Eadem pro CS & GS inducta. Hoc alterum perperam à Vossio *negatur.* Romani *prius X quam G adhibuerunt, secus ac* Diomedi *scriptum. MAXSUMI cum S post X antiquo charactere in* Pisanis *tabulis sculptum.* Valerius Probus *refellitur. Num litera S in compositis ex præpositione EX retinenda.* Priscianus *à* Dausquio *inconstantiæ falso accusatur. Varia* Virgiliani *codicis Medicei orthographia* Aldo Manutio *dissimulata. CETEROS sine diphthongo in priori syllaba scribendum. In* Pisanis *Cenotaphiis citra reprehensionem legi QUOD ANNIS & ADQUE.* Dausquius *iterum confutatur.*

ERuditus alias Censor initio statim orthographiam vocis MAXSUMI, quæ in utraque *Pisana* tabula legitur, in reprehensionem vocat, quod perperam litera S duplici X subjiciatur. Diomedes *lib.* II. *Artis Grammaticæ cap. de litera* scribit: *X duplex est, ante quam inventam, G & S, vel C & S veteres scriptitabant.* Petrus Diaconus *in epistola ad Conradum* Imperatorem, quæ præmittitur ejusdem libro de notis literarum, ait: *X litera ante Augusti tempus non erat, sed pro ea C & S scribebant*, quod antea *Isidorus* tradiderat. Utriusque tamen errorem refellunt plurimæ leges agra-

A riæ ac de finibus regundis, diu ante *Augusti* ætatem in æneas tabulas relatæ, in quarum adhuc fragmentis litera X apparet; immo in Duiliana columna inscripta A. V. 494. legimus EXEMET, mAXIMOS, & EXFOCIUNT. Marius quidem Victorinus testatur initio *lib. de Orthogr. Nigidium Figulum*, qui *Ciceronis* amicus & familiaris fuit, ex *lib.* IV. *famil. epist.* 13. idemque insignis Astrologus, ex *cap.* 94. Suetonii *in Augusto*, numquam in plurimis libris, quos elucubravit, X usum fuisse, *qua tamen*, inquit Quintilianus *lib.* I. *cap.* 4. *carere potuimus, si non quæsissemus.* Vossius *lib.* I. *artis Gram. cap.* 21. fatetur communem
B esse opinionem X non tantum CS, verum & GS valere, ac num pro utris ponatur, ex obliquis intelligi, & voces quæ in genitivo aliisque casibus retinent C, in recto eandem literam olim habuisse, ut *ducis* rectus erat *ducs*; in iis vero, in quibus G scribitur, X pro GS positam, ut *frugis*, *regis*, à recto *frugs*, *regs*. Hanc tamen senten- 448
tiam falsi redarguit; tum quia G post X à Latinis formatam constat, tum quia in genitivo *nivis*, nec C, nec G scribitur; ejus tamen nominativus ab antiquis *nics* formabatur. Hæc olim opposuerat Marius Victorinus *lib.* I. *pag.* 2466. *collect. vet. Grammaticorum.* Vossii tamen opinio-
C nem ex Varrone possum refellere, qui *lib.* VIII. L. L. diserte scribit: *Ex C & S crux*; *ex G & S frux*, quarum vocum diversitas in obliquis *crucis* & *frugis* cognoscitur. Adeo vetusta est illa regula, quam *Vossius* sequioris ætatis Grammaticis inventam arbitrabatur. Porro ante invectam X, in omnibus vocibus CS ita utebantur, ut in multis tamen C sono literæ G enuntiarent, uti inferius ostendam. Quamvis enim *Cneus*, *Cabinus*, *&c.* scriberent, sono G priorem literam efferebant. Quod de genitivo *nivis* opponit, olim ab iisdem Grammaticis, quod *Vossius* dissimulavit, dilutum fuit. Diomedes *lib.* II. *cap. de interro-*
D *gat. literarum*, ait: *Sed sunt nomina in quibus neque C neque G possit proferri, ut nix nivis, senex senis. Hæc autem nomina privilegio quodam contra rationem declinantur.* Rectius Priscianus *lib.* VI. prope finem respondet: *Antiqui tamen etiam ninguis dicebant:* Et statim: *quamvis Plautus genitivum ejus senicis protulit in Cistellaria.* Itaque *nigs* ac *senecs* pronuntiabatur, quod in vetustiori declinatione in obliquo prioris G, in posterioris vero nominis genitivo C efferretur. Erratum tamen Diomedi, dum scripsit: *Ante X inventam, G & S, vel C & S veteres scriptitabant.* Nam literam X ante G inventam constat ex columna
E Duiliana, in qua X visitur, at pro G semper C litera legitur.

Quamvis vero X pro duplici litera CS ante A. V. 494. in usum *Romæ* venisset, non defuere docti viri, qui pro simplici G, vel Græca litera X eandem scribentes, literam quoque S in media voce, vel in fine eidem subjicerent. Hinc in vetustis inscriptionibus Gruteriani thesauri *pag.* 204. legimus DIXSERUNT. *Pag.* 203. coloniam DEDUXSIT. *Pag.* 202. EXSIGATURVE, & FAXSIT, ac MAXSUME. *Pag.* 205. I. 509. 510. 512. PROXSUMEIS;
F & *pag.* 449. 12. DEIXSISTIS. Et hæc quidem fuerunt Senatus consulta ante ævum Augusteum, ac *Ciceronis* tempora in æneas tabulas relata, ut publicus ejus prioris ætatis character habendus videatur. In fragmento etiam vetustissimo *pag.* 184. 2. legitur: *Q. Fabius* Q. F. MAXSUMUS; qui itidem character visitur in nummis gentis *Egnatiæ*, & in AXSIIS. Quare voces MAXSUMI & DEFIXSO, quæ in *Lucii* Cenotaphio leguntur, antiquissimam orthographiam exprimunt. *Probus*, qui *Trajano* imperante floruit,

ruit, apud *Pierium Valerianum in comment. ad lib.* VII. *Æneid. pag.* 125. ſcribit X non ſemper duplicem eſſe, ſed tantum cum ſyllabæ ſubjicitur, ut *nox*, *lex* pro *nocs*, *legs*; *ſiquidem*, inquit, *tunc ſonum duarum literarum contineat. At vero quando præpoſita ſyllabæ exiſtat, non duplex, ſed ſimplex eſt accipienda, ut puta Maximus, Anxius. Nunquidnam Macſimus aut Ancſius, & cetera talia?* Additque: *CS & GS literæ geminatæ, ſi vocalibus præponantur, nunquam ſonum ſyllabæ ſuſcitabunt.* At conſtat *Probum* perperam ſcripſiſſe. Nam ante inventam literam X, *Romani* ſcribebant *Macſimus* & *Ancſius*. Certum enim eſt non ſcripſiſſe *Maſſimus* & *Anſius*; ſiquidem teſte Feſto V. *ſolitaurilia*, ante *Ennium* poetam, *nulla tunc geminabatur litera in ſcribendo.* Itaque ſcribebant *Macſimus*. At inventa X pro CS, eadem duplex præpoſita eſt ſecundæ ſyllabæ, vo-
449 cali A primam terminante. Ex his patet X ſemper eſſe duplicem, tum in medio, tum in fine verbi poſitam, quia ubique pro duabus literis CS vel GS ſubſtituta fuit. Equidem notandum eſt in columna Duiliana legi: *mAXIMOSQUE maceſtratos*, ut X ſola pro CS poſita fuerit. Quare S poſt X in laudatis legibus, medio inter *Duilii* conſulatum ac *Ciceronis* ætatem ſcripta fuit. Quod vero ille modus ſcribendi aſperiorem pronuntiationem reddebat, & quia S in X continebatur, omitti cœpit, ita tamen ut pro libito citra reprehenſionem infereretur. Hinc in prioribus quinque verſibus Cenotaphii *Lucii* legimus: MAXIMIS, MAXSIMOS, & MAXIMI & in antepenultimo MAXIMUM; qui varius ſcribendi character in *Caji* etiam tabula apparet. Ita Gruteri *pagina* 204. in S. C. de finibus regundis, verſu tertio legitur: DIXSERUNT, & *verſ.* 4. DIXERUNT. Et *pagina* 202. in eodem verſu ponitur: FAXSIT, & FAXIT. In codice autem Virgiliano Mediceo nuſquam XS junctæ leguntur. *Ecloga* 10. *verſu* 72.

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo.

Et 1. *Georg. v.* 329.

Fulmina molitur dextra: quo maxuma motu
Terra tremit.

Ita etiam in *Piſanis* tabulis Maximus modo per I, modo per U effertur, qua de re *capite* 4. quædam adnotabo. Verum licet, imperante *Auguſto* in verbis ſimplicibus S poſt X omitti vulgo cœperit, ut patet tum ex noſtris tabulis, tum ex nummis, atque lapidum inſcriptionibus eidem dicatis, in quibus paſſim *Pontifex MAXIMUS* appellatur, non defuere poſtea qui antiquatum ſcribendi characterem obtruderent. Hinc in nummis *Galbæ*, *Vitellii*, *Veſpaſiani*, ac *Domitiani* legitur PAXS; in lapidibus etiam *Uxſor*, *Vixſit*, *Sexſus*, *Exſtruxſerunt*, uti recitat Dauſquius *in Orthographicis tractatu* 2. *ſect.* 1. *pagina* 29. Haud tamen de verbis ex præpoſitione EX ſequente S compoſitis una eſt doctorum ſententia, cum alii S retinendam, alii omittendam eſſe contendant. Vetuſtiores Grammatici per *EXS* ſcribendum conſtanter tradidere. Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 7. Cæſellius in *collectione Grammaticorum* edita ab *Helia Puſchio pag.* 2314. ſcribit: *Quæcunque verba primo loco ab S litera incipient, ea cum præpoſitione EX compoſita literam eandem S habere debent.* Idem tradunt *Annæus Cornutus* ejuſdem collectionis *pag.* 2284. & ſequenti. Papirianus *pag.* 2291. Scaurus *pag.* 2262. Ex recentioribus Pierius *in lib.* V. *Æneid. pag.* 68. V. *Exul*, Manutius *in Orthographia* V. *Exſaturo &c.* Voſſius *libro* 1. *art. Gram. cap.* 43. Dauſquius *par.* 2. *Orthog. tract.* ſ. ad vocem *Ex* pag. 124. ubi *Velium Longum* pro hac ſententia perperam appellat. Nam hic vetuſtiſſimus Grammaticus *Gellio* laudatus *lib.* XVIII.

A *cap.* 9. ſcribit *pag.* 2226. quoſdam docere ambiguitatis tollendæ cauſa, præpoſitionem EX in verbo *ſpecto ludos* v. g. cum S ſequenti jungendam, non autem cum dicimus expectare aliquem. *Verum*, inquit, *uno modo utrumque ſcribi licet: nec timere eam ambiguitatem, quæ eſt multis verbis familiariſſima. Cum in hac litera X etiam S poſita ſit & compoſita.* Hanc poſtea Orthographiam ſecuti ſunt *Scaliger* pater de cauſis L. L. *capite* 34. Marius Corradus *libro* II. de L. L. *Guilelmus Canterus*, cujus verba fuſius recenſet eruditiſſimus 450
Grævius *in notis ad epiſt.* 18. *lib.* 7. *familiarium.* Dauſquius ait *Priſcianum* hac in quæſtione varium
B fuiſſe, quod *lib.* II. ſcribit præpoſitionem *ex* retinendam in compoſitis, quoties ſimplicia inchoantur ab C, P, Q, S, T. ut *excurro*, *expello*, *exquiro*, *exſicco*, *exſequor*; cum tamen *lib. primo* oppoſitum tradidiſſet, ſcribens *pag.* 558. *Melius ergo nos quoque X ſolam ponimus, quæ locum obtinet CS*; tum quia id ipſe aurium ſonus judicat; tum quia conſonante antecedente litera S geminari nequit: *Geminari autem*, inquit, *videtur S poſt conſonantem, ſi X antecedente, quæ loco C & S fungitur, ipſa conſequatur, ut exſequiæ, exſequor.* Additque poſſe eadem ratione ſcribi obſſeſſus, abſſectus, quod minime licet. At *Dauſquius* per-
C peram inconſtantiæ *Priſcianum* incuſat. Nam in *lib.* II. *pag.* 571. cum *exſequor* ſcripſiſſet, hanc ſtatim parentheſim ſubjicit (*Sic enim placet his; qui de orthographia ſcripſerunt, quamvis euphonia, & ratio ſupradicta de literis ſecundum Græcos abjicit S antecedente X*) Hinc immerito Priſcianus *lib.* II. *pag.* 571. Dauſquio dicitur *ſe ipſo conſideratior*, quaſi à priori ſententia receſſerit, quam tamen ibidem iterum inculcat, teſtatus ſe ſcribere *exſequor* juxta aliorum ſententiam. *Voſſius* ſcribit inani ſcrupulo ductum *Priſcianum*, ne in verbo *exſequor* litera S geminaretur; nam duo SS concurrere nihil prohibet, cum ſcribamus *oſſa*,
D *laſſa*, *cauſſa*. *Cur*, inquit, *exſcribo ipſi malunt, quam excribo?* Verum in illis vocibus SS geminantur vocali antecedente; at *Priſcianus* negat poſt conſonantem poſſe geminari. Cum *exſequor* idem ſit ac *ecſſequor*, quod X exprimit CS, duo SS poſt C ponerentur. Idem de *exſcribo* dicendum. Sane Curtio Pichenæ *in præfatione ad lib. Taciti* dicitur *liber exſcriptus.* Certum eſt ante X invectam, Latinos CS literis uſos, quibus alteram S neutiquam addebant, quod conſonantes teſte Feſto ſuperius laudato, non geminabant. Hinc ſcribebant *ecſequor*, *ecſilium*, *ecſcribo*, *&c.* Quare cum X pro CS poſtea poſuere, ſcripſiſſe videntur *exequor*, *exilium*, *excribo &c.* In ve-
E tuſto, ſane fragmento legis judiciariæ Gruteri *pag.* 507. legitur: *Aut in* EXILIUM *abierit.* Quæ inſcriptio *Ciceronis* tempora præceſſit, ut minus recte *Pierius*, *Dauſquius*, aliique contendant ex vetuſtis lapidibus *exſilium* ſcribendum. At geminatis poſtea conſonantibus, literæ X ſubjici etiam S cœpit, quod ex multis vetuſtis epigrammatis oſtenſum eſt. Ita in Cenotaphio *Lucii* prope finem legitur: *EXSEQUIQUE permittat.* Itaque id temporis poſt præpoſitionem EX verba ſimplicia ab S inchoata, eandem etiam compoſita retinebant. In veteri tamen ſaxo pagina
F 1115. 8. legimus: EXEQUIARUM.

Aldus Manutius eandem orthographiam ex vetuſtiſſimo *Virgilii* codice, qui modo in Laurentiana Medicea Bibliotheca cuſtoditur, ſæpius confirmat in verbis *exſaturo*, *exſpecto*, *exſolvo*, *exſto*, *exſupero.* At vir doctus plane diſſimulavit in eodem codice in iiſdem verbis ex præpoſitione *ex* compoſitis, modo retineri S ſimplicium, modo etiam omitti. Nam in *lib.* XII. *Æneid.* ſcribitur: *v.* 20.

Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est.
At *v.* 46.
Flectitur: exuperat magis, ægrescitque medendo.
Lib. V. *v.* 54.
Exsequerer, strueremque suis altaria donis.
At *lib.* IV. *v.* 396.
Jussa tamen Divum exequitur, classemque revisit.
Lib. V. *v.* 290.
Consessu medium tulit, exstructoque resedit.
451 Sed *lib.* IV. *v.* 267.
Extruis? heu regni rerumque oblite tuarum.

Ita varius earundem vocum character eo in codice apparet. In aliis etiam verbis S post EX passim ibidem omittitur. Certe numquam *exsilium* scriptum legitur: *Lib.* II. *v.* 368.
Exiliumque pati.
v. 780.
Longa tibi exilia, & vastum maris æquor arandum.
Lib. VII. *v.* 359.
Exulibus ne datur ducenda Lavinia Teucris?
Lib. II. *v.* 542.
— — — *corpusque exangue sepulcro*
Reddidit &c.
v. 385.
Atque hic successu exultans, animisque Chorœbus.
v. 470.
Exultat telis, & luce coruscus ahena.
v. 154.
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas.
Eclog. 8. *v.* 91.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.

Heinsius in nupera editione legit *exsilium*, *exsultat*, *exsangue*; at idem scribit *exutas* & *exuvias*, cum tamen hæc postrema verba ab *ex* & *suo* originem habeant. Hinc Cæsellius *pag.* 2315. ait: *Exsui habet S; sui enim est, & insui &c. inde* exsuviæ, *unde* exuti, *id est, spoliati.* Cum nuper perlustrarem Livianam *Gronovii* patris editionem, quam hoc anno doctissimus *Jacobus* filius iterum adornatam, auctamque, edendam curavit, in *libro* XXVII. *capite* 2. legi: *Brevem illi lætitiam qua exsultet, effecturum.* At paullo inferius *cap.* 4. scribitur: *Lascivientium modo piscium exultasse.* Ita vir eruditus illis in verbis post EX modo S posuit, modo omisit. Isidorus *libro* I. *Orig. capite* 26. *Exultat*, inquit, *melius sine S litera, scribitur X. Nam cum ipsa X ex C & S constet, quomodo cum in ea sit S, additur altera?* Hactenus de his. Messallæ Corvini *librum de S litera* laudat Quintilianus *lib.* I. *cap.* 7. in quo sane probabile est hac de re fusius disputatum.

Jam ad alias voces *Pisanorum* lapidum à *Boldono* barbarismi incusatas, descendo. Eas inter sunt CETEROS in Cenotaphio *Lucii*, & CETERA in Cajana tabula, ubi priorem syllabam cum diphthongo AE scribendam V. C. censet. Verum secus nos docent vetustissima quæque monumenta, vel imperio Cæsarum antiquiora. Gruteri *pagina* 202. *in lege agraria v.* 8. legitur CETERORUM *locorum. Pagina* 204. v. 29. *Ita uti* CETERI, & *v.* 33. *in* CETERO *agro. Pagina* 206. CETERUM. *Pagina* 510. 3. *in eos* CETEROS. *Pagina* 628. *ita utei* CETEREI. In celebri marmore *Narbonensi* imperanti *Augusto* dicato: CETERAE *leges.* Itaque constanti charactere aureo Latinitatis sæculo nusquam diphthongus in priori illa syllaba legitur. Vetustos codices non appello, quod toties exscripti, non multum fidei iisdem habeatur. Antiquissimum tamen *Virgilii* volumen Mediceum non omittam, in quo uti recte *Manutio* prænotatum, in eo nomine diphthongus non scribitur. *Lib.* II. *Æneid.* *v.* 467.
Cetera qua jusso, mecum manus inferat arma.

A Et *lib.* XII. *v.* 40.
Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia &c.

Eodemque semper charactere ea vox ibidem scripta legitur. *Vossius* ac *Dausquius* illud nomen ab origine diphthongum exigere censent, quod sit ex καὶ ἕτερος, Græcis & *alius.* At erudita marmora longe solidiora sunt, quam istæ plerumque aut erroneæ, aut dubiæ de origine verborum phantasiæ, in quibus vel ipse *Romanorum* doctissimus *Varro* sæpissime ridiculus fuit.

Præterea in *Lucii* lapide ponitur QUOD. AN- 452
NIS; ubi *quotannis* scalpendum fuisse idem censor existimat. At Quintilianus *lib.* I. *cap.* 4. scribit: *Quid T literæ cum D quædam cognatio? Quare minus mirum, si in vetustis urbis nostræ & celebribus templis legantur: Alexanter & Cassantra.* In inscriptione posita *Tiberio* imperante *pag.* 228. legitur: QUODANNIS. & paullo inferius: QUOTANNIS. Item *pag.* 47. 3. QUODANNIS. Vide etiam *pag.* 378. 1. 571. 1. & alibi. Veteres enim *quod* pro *quot* frequenter scribebant. In oratione *Claudii* Imperatoris de civitate Gallis danda *pag.* 502. apud *Gruterum* legitur: *In* QUOD *formas statusque res publica nostra diducta sit*, pro *quot formas &c.* Angelus Politianus inter Latinæ linguæ reparatores merito nominandus, *lib.* IV. *epist.* 9. ad *Philippum Poscum* plura testimonia adducit, quibus motum se dicit ad scribendum *quodannis*, non autem *quot annis.* Præter vetusta epigrammata, ait in antiquo *Virgilii* codice *Romano*, qui in interiori Palatina, hoc est, Vaticana bibliotheca servabatur, *quodannis* semper legi. In priori ecloga:
Pocula bina novo spumantia lacte quodannis.
Verum in vetustissimo fragmento Gruteri *pag.* 506. *v.* 15. habetur: *De CL. vireis* QUOT. ANNIS. Idem *pag.* 376. 5. legitur. In codice *Virgilii* Mediceo non eadem ubique orthographia servatur. Nam tum junctim, tum separatim *quotannis* & *quot annis*, legitur. Immo semel *quod annis* scriptum fuit; quanvis *Turcius Apronianus* supra D literam T posuerit. Carmina indicabo. *Lib.* I. *Georg. v.* 198.
— — *ni vis humana quotannis.*
V. *Æneid. v.* 59.
— — *atque hæc mea sacra quot annis &c.*
VI. *v.* 20.
— — — — *tum pendere pœnas*
Cecropidæ jussi (miserum) septenna quod annis
Corpora natorum.

Pierius in *Eclogam* I. *Maronis* ait: *In antiquis tamen omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit*, QUOT. ANNIS, *distincte scribitur, idque plurimum in marmoribus & tabulis æneis.* At semel in Mediceo codice majusculis literis QUOTANNIS junctim legitur, quod itidem in inscriptione laudata *Tiberio* dicata conspicitur. Dausquius *tract.* 16. *pag.* 262. ait: *Quodannis nusquam sectim, sed junctim; cur usu duce non quot annis?* At fallitur. Nam in *Pisana* tabula sectim legitur QUOD. ANNIS; uti etiam *quot annis* in laudata Gruteri *pagina* 506. Varia est ea in re lapidum orthographia. Is tamen scribendi character antiquis Grammaticis minus probabatur. Velius Longus *pag.* 2231. scribit *quod* esse pronomen relativum, *quot* vero notam numeri, & adducto Virgilii *versu* 121. *lib.* IX.
Quot prius æratæ steterant ad litora naves,
Qui enim, inquit, *per D scribunt, turbant sententiam, cum pronomen accipiunt pro adverbio numeri, est enim, tot nymphæ, quot naves ante fuerunt.* Victorinus Marius *lib.* I. *artis Grammat.* ait: *Quotiens numerum significamus, per T, non per D scribendum erit, ut tot, quot.* Idem docet Cassiodorus

A rus *cap.* 15. *de divinis lectionibus.* Ita hanc regulam Grammaticis inculcantibus, vetus ille scribendi modus antiquis familiaris, antiquatus fuit, quem tamen iterum doctissimus *Politianus* restitutum voluit. Initio etiam cenotaphii *Caji* legitur: QUOD *adsunt*, pro *quot adsunt.*

453 Eodem modo defenditur orthographia vocis conjunctivæ ADQUE pro *atque* quæ in cenotaphio *Lucii versu* 24. legitur; utroque enim modo pro libito id temporis, & post quatuor etiam sæcula ea conjunctio exarabatur. In Cajano lapide *versu* 21. legitur: *Relata* ATQUE *condita.* At perperam à V. C. notari *adque* patet ex innumeris inscriptis antiquitus saxis. Et quidem Quintilianus B *lib.* 1. *cap.* 7. ait: *Illa quoque servata est à multis differentia, ut AD cum esset præpositio, D literam; cum autem conjunctio, T acciperet.* Itaque multorum, at non omnium illa erat orthographia. *Verum*, addit, *hæc jam inter ipsas ineptias evanuerunt.* Itaque ineptam quæstionem vocat, quod AD tum pro præpositione, tum pro conjunctione, majorum exemplo, recte scribi poterat. In vetustis inscriptionibus legimus *pag.* 256. 1. *securitatem ADQUE gloriam*, Pag. 281. 1. *Pio ADQUE inclito.* Pag. 284. 7. *Maximi ADQUE invicti.* Pag. 408. *amplissimus ADQ. clarissimus.* Ibidem etiam scriptum est in versu sequenti ATQ C & iterum prope finem, ut palam fiat veteres promiscue *adque* & *atque* conjunctionem scripsisse. Ceterum hic quoque character antiquis Grammaticis displicuit. Velius Longus *pag.* 2230. ait: *At cum* T conjunctionem disjunctivam facere: *Ad* per D præpositionem. Idem docet Marius Victorinus *lib.* 1. *pag.* 2458. initio, ubi tamen ait: *Nos per* sed *quam per* set *scribamus.* Non omnes tamen veteres eam regulam admisere. Nam Comminianus apud Sosipatrum Charisium *lib.* II. *cap. de conjunctione pag.* 203. ait: *AT conjunctionem: AD vero præpositionem scribunt*; εὐφωνότερον *tamen est, ut hæc per D scribatur, ne subsequens T li-* D *tera duriorem suique similem sonum literæ amplexa, dictum faciat immitius.* Diutius vero ADQUE scriptum fuisse patet ex rescriptis Imperatorum in *Cod. Theodosiano*; siquidem innumeris aliis omissis, *L.* 44. *de Hæreticis* scribitur: *Donatistas adque hæreticos.* Item: *ad singulas quasque insulas, adque provincias.* Et in fine: *Adque omnia &c. ad Largitiones sacras illico dirigantur.* Politianus *lib.* IV. *epist.* 9. *Ad* conjunctionem citra reprehensionem scribi pronuntiat, laudatque vetusti codicis Virgiliani carmen *Eclog.* 2.

Adque humiles habitare casas, & figere cervos.

E Pierius initio *lib.* IV. *Æneid. pagina* 54. notat se in vetusto codice legisse: *Ad regina gravi*; additque: *Non in codicibus tantum antiquis, verum etiam in veterum monumentis observatum sæpius AD & AT sive per T, sive per D scribantur, idem significare, quamvis juniores Grammatici præpositionem à conjunctiva præpositione distinxerint.* In sæpius appellato Virgilii codice Mediceo legitur ATQUE. In IV. *Georg. v.* 342.

Atque Ephyra, atque Opis & Asia Deiopeia.

In vulgatis *atque Asia* scribitur. At *Pierius* ex antiquis codicibus reponit: *& Asia.* In primo quidem *Æneid. v.* 415. scriptum fuerat:

F *Ad Venus obscuro gradientes aere sæpsit.*

Item *lib.* VI. *ver.* 626.

Mœnia conspicio, adque adverso fornice portas.

Verum ibidem supra D in illa particula conjunctiva posita apparet litera T, minus necessaria utrobique correctione. Num exscriptor vetustum idiographum eo in charactere imitatus fuerit, vel sui sæculi modum scribendi, incertum pono. Eam forte literam mutabat, prout sequentis syllabæ sonus dulcius sonare videbatur.

§. II.

Recte in Cajano *lapide legi* PRAERUNT. *Item* IMPERI. *Similes genitivi casus non solum apud Poëtas, verum etiam in soluta oratione per unam I elatos, contra Priscianum & alios ex vetustis inscriptionibus demonstratur. Veteres ibidem non semper I longam scripsere contra* Vossium. 454

Idem censor bis peccatum esse putat in verbo *præerunt.* Nam in *Lucii* tabula scalptum scribit PRERUNT, & in Cajana PRAERUNT, hic altera *litera*, ibi vero diphthongo Æ omissa. At quod diphthongum attinet, dubio procul falsus est. Nam in cenotaphio *Lucii v.* 17. legitur juri dicendo ..... UNT. prioribus literis verbi *præerunt*, perforato ibidem marmore, omnino deletis. *Pichena* reposuit PRAESUNT; sed ex periodi constructione, ac ex *Cajano* lapide futuro tempore PRAERUNT legendum constat; etenim bis ibidem iis characteribus exaratus, litera posteriori E elisa. Id per crasin non semel apud antiquos scriptum comperimus. Horatius *lib.* 1. *Sat.* 9.

Difficiles aditus primos habet: haud mihi dero.

Silius *lib.* VI. ait: *nec cernere derat.* In vetusto codice Virgilii Mediceo *lib.* VII. *v.* 262.

Divitis uber agri, Trojæve opulentia DERIT.

In vulgatis tamen habetur *deerit:* immo in ipso codice laudato aliena manu altera E litera superius addita conspicitur, superflua tamen correctione, quæ etiam visitur ad *v.* 233. *Georg.* II. cum tamen ibi legatur:

Si derunt, rarum pecorique & vitibus almis
Aptius uber erit.

Pierius in notis ibidem ait in antiquis codicibus legi: DERUNT, *facta synæresi ex duobus EE in unum.* At ratione metri id poetis licuerit. Exstat vetusta inscriptio libera adhuc *Romana* Republica sculpta Gruteri *pag.* 506. *v.* 31. in qua legitur, *Joure dicendo* PRAESSE *solent:* cui in *Cajana* similiter: *Jure dicundo* PRAERUNT. Neque hæc prolixiorem apologiam poscunt.

Optime etiam *v.* 8. *Cajanæ* tabulæ legitur IMPERI *Romani*; at perperam ille genitivus per unam I terminatus, barbarismi arguitur. Equidem Grammatici communi consensu docuere neutra secundæ declinationis, quorum casus rectus ante *um* habet I, in patrio casu per duplex II efferenda. Ita Velius Longus *de Orthographia pag.* 2221. Q. Terentius Scaurus *pag.* 2257. Cæsellius *in excerptis à Cassiodoro pag.* 2317. Charisius *lib.* 1. *inst. Gram. pagina* 60. eisque recentior Priscianus *lib.* VII. Divus etiam Augustinus in arte Grammatica ait: *In genitivo per duo II scribuntur, ut hoc ingenium, hujus ingenii; sic imperium imperii.* Hinc Probus *lib.* 1. unam I scribentibus *vitium barbarismi* opponit *pag.* 1396. At Publius Consentius in *lib. de nomine & verbo*, cum idem tradidisset, ait: *Quamvis à plerisque jam per unam I efferatur iste genitivus, ut est promissa Lavini: pauperis & tuguri: nec cura peculi.* Priscianus etiam laudato loco scribit: *Frequenter tamen invenimus veteres in hujusmodi genitivis, id est, geminantibus I, sub-* 455 *trahere ex eis alteram.* Additque post plura *Virgilii* testimonia: *Hoc tamen faciunt metri causa.* Id olim Romanorum vetustissimus præmonuerat Lucilius scribens apud *Sosipatrum Charisium lib.* 1. *cit.*

— servandi numeri, & versus faciendi,
Nos Cœli, Numeri numerum & servemu' modumque.

Nempe pro *Cœlii* & *Numerii.* Ceterum Plinius *lib.* V. dubii sermonis, teste eodem Charisio, dicit *esse quidem rationem per duo II scribendi, sed multa*

multa jam conſuetudine ſuperari. Pierius vero erudite in *lib.* 1. *Æneid. ad v.* 251.

Hic tamen ille urbem Patavi, ſedeſque locavit, ſcribit: *Sed enim quod Priſcianus poetarum tantum innititur exemplis, multa veterum inſcriptionum exempla commemorare poſſem, quibus appareat Oratores etiam eandem ſcriptionis formam ſecutos eſſe.* Unicam tantum laudat inſcriptionem *Flavi Sabini*, quem *Veſpaſiani* fratrem putat. Equidem in *Lucii* tabula legitur *FIli auguris*; & in *Cajana* GAI ET LUCI *ſtatuæ ponantur.* In fragmentis legum ante tempora Ciceronis *pag.* 509. apud Gruterum: De CONSILI *majoris partis ſententia. Pag.* 515. *Agri*, AEDIFICI, *loci.* Quæ iterum habes *pagina* 206. 2. Aevo autem Auguſteo in Ancyranis tabulis legitur *pag.* 231. CONGIARI. Auri CORONARI. In inſcriptione à S. P. Q. R. dicata Auguſto A. V. 725. *Divi IVLI F.* quæ repetitur in aliis epigrammatis *pag.* 226. 5. 235. 7. 8. 10. Item *pag.* 228. 8. *Natali* TIBERI *Caes.* Paſſim vero præfecti AERARI leguntur *pag.* 26. 2. 214. 396. 408. & alibi. In oratione *Claudii* Imperatoris: *Prolati* IMPERI *ultra Oceanum.* Hinc vana apparet cenſura Soſipatri ſcribentis *pag.* 54. *Quare magis denotati ſunt, qui maluerunt per unum I* imperi, *&* ingeni *dicere, quam declinare ſecundum regulam* imperii *&* ingenii *geminata I litera.* Nam altera I omittitur in *Piſano* decreto, ac oratione *Romani* Principis, quem *pertinaciter liberalibus ſtudiis deditum* deſcribit Suetonius *cap.* 40. & 41. ubi etiam narrat eundem adhuc privatum librum de tribus literis ſcripſiſſe. Voſſius *lib.* 1. *de Arte Gram.* initio *cap.* 29. notat duo I olim Latinis in uſu fuiſſe, breviorem, ut PIUS: longiorem, ut PISO; *Longiuſculo*, inquit, *uſi cum I ſonaret EI, vel pro duobus II poneretur.* Idem tradit Dauſquius *ſect.* 2. *pag.* 93. Hoc tamen pro libito uſurpatum patet ex tabulis Ancyranis in quibus cum I longiori leguntur verba *conſulIbus, omnIum, curIam, municipIa.* Immo & duo longiora elementa II juncta: *ſtipendIIs, manibIIs, colonIIs, municipIIS.* Et in *Lucii* cenotaphio ſcalptum eſt *FIli* priori I longa, breviori vero ubi pro duobus II genitivum terminantibus, poſita eſt. In *Cajano* vero *imperi, Gai, Luci*, brevioribus I terminantur, cum tamen pleraque alia verba longiori I ibidem inciſa legantur. Item Gruteri *pagina* 208. legitur: *AedificIs Aeli Donati*, in priori voce I longiore, in ſequenti breviore apparente, ut plane conſtet eam regulam pro libito uſurpatam fuiſſe. Fateor tamen I longiorem ſæpe poſitam, ubi pro duabus II. genitivi ſubſtituebatur, ut videmus in inſcriptionibus *pagina* 235. 7. 8. 10. 234. 6. *Pag.* 26. 9. *Dies ſacrificii.* Sed ne ubique id ſervatum dicam laudata *Piſanarum* tabularum orthographia vetat. In codice etiam Mediceo *Virgilii*, qui majoribus characteribus deſcriptus fuit, nuſquam I longiores viſuntur, ſed æqualis cum ceteris figuræ. Sed poſt quadringentos annos id forte librariis ignoratum, vel certe in codicibus neglectum, quod tamen in lapidum inſcriptionibus plerumque ſervabatur.

456

CAP. III.

Optime in Cajano *lapide ſcalptum:* Ultra *FINIS EXTREMAS. Accuſativos tertiæ declinationis in EIS, in ES, & IS Latinis antiquitus terminatos, ex columna Duiliana aliiſque inſcriptionibus ante Cæſarum imperium ſcalptis, oſtenditur. Eoſdem caſus*, Auguſto *imperante, non per* eis, *ſed per ES & IS ſcriptos. Lapidum ac nummorum inſcriptiones recitantur. Id ipſum ex vetuſtiſſimo omnium* Virgilii *codice* MEDICEO, *aliiſque à* Pierio Valeriano, *ipſoque idiographo* Virgilii *à* Valerio Probo *laudatis, demonſtratur.* Ciceronem, Salluſtium, *ac* Livium *eoſdem accuſativos per IS extuliſſe ex Mſs. MEDICEIS. Idem apud* Gellium *ac Pandectas* Florentinas *obſervatum.* Pomponius Secundus, Cornelius Fronto, *ac* Terentianus Maurus *eam quarti caſus pluralium tertiæ declinationis terminationem non admittentes, refelluntur. Accuſativi iidem ætate* Soſipatri Chariſii *in IS terminari deſierant. Plurium Gramaticorum canon de accuſativis in* is *exeuntibus, à* Plinio *ac* Probo *rejectus.* Priſciani *de iiſdem regulas deficere. Comparativa nomina genitivum multitudinis non in IVM, ſed in VM, accuſativos vero in IS mittere ex* Julii Modeſti *Auguſteæ ætatis ſcriptoris ſententia.* Euphoniæ *in his rationem habendam* Publius Conſentius *tradidit. Finis feminino etiam genere à* Romanis *ſcriptoribus elata. Plura ad hoc probandum è* Virgilii *codice Mediceo carmina recitantur. Comminianus in* Virgilii *carmine ſolæciſmum perperam notat.* Finis certa *apud* Lucretium *ſæpius legitur. Finis in codicibus MSS.* Livii *feminini generis.*

ILluſtriſſimus ſcriptor quibuſdam qui hodiernam tantum Grammaticam callent jure reprehendere viſus eſt ea *Cajani* lapidis verba: ULTRA FINIS EXTREMAS, *ubi fines extremos dicendum* fuiſſe contendit. Non poſſum non mirari virum eruditum, qui eo in volumine de veterum Latinitate prolixius diſputat, ac antiquos lapides inſcriptos, paſſim laudat, vetuſtum loquendi modum ab omnibus Grammaticis inculcatum, ac in ſaxis frequenter occurrentem, ignoraſſe. Etenim antiqui *Romani* tum florente Republica, tum *Auguſto* imperante, accuſativos plurales nominum tertiæ declinationis, quorum genitivus multitudinis in IVM deſinebat, ſæpius per IS terminabant. Hinc inter recentes Grammaticos non ignobilis Deſpauterius *lib.* II. *de nominibus tertiæ declinationis* ſcribit:

> *Quum genitivus* ium *dat, quartus in IS quoque fiet.*

Ibidem vero advertit veteres eos accuſativos per diphthongum *eis* extuliſſe, qua de re plura mihi dicenda ſunt. In primis certum eſt *Romanos* A. V. 494. eoſdem accuſativos promiſcue per *es*, *eis*, 457
& *is* terminaſſe. Nam in columna *Duilii*, in qua omnium quotquot ſuperſunt, vetuſtiſſima inſcriptio Romæ legitur, hæc habentur: CLASESQUE NAVALES PRIMOS ORNAVET. Et poſt: CLASEIS POENICAS: & COPIAS CARTACINENSIS PRAESENTE &c. Præter triplicem illam quarti caſus pluralis terminationem, ex voce *claſes* patet id temporis conſonantes nondum fuiſſe geminatas. Eandem vero orthographiam per plura ſæcula retentam ex aliis inſcriptionibus, ac vetuſtis codicibus oſtendo. *Pag.* 501. exſtat decretum de immunitate *Thermenſibus Piſidiæ* conceſſa, in quo legimus: *Intra ſuos FINEIS*, & *per eorum FINEIS*; ibi tamen etiam ſcribitur: *Inter CEIVES Romanos.* Item *Pag.* 205. *v.* 18. *Quei ager ULTRA FINIS populorum leiberorum Uticenſium &c. Pag.* 506. *v.* 15. *OMNIS in taboleis publicis ſcriptos in perpetuo habeto.* Et hæc Senatus conſulta ante *Varronis* ac *Ciceronis* ætatem condita ſunt. *Varro* quidem eos accuſativos per *eis* lubentius terminandos tradidit, hiſce tantum decem exceptis, *falces, merces, axes, lintres, ventres, ſtirpes, urbes, corbes, vectes, neptes*, quæ nomina in accuſativo per *eis* terminari poſſe negavit. At Plinius apud Chariſium *lib.* 1. *pag.* 104. V. *Fonteis* hancce *Varronis* regulam *ridiculam* appellat. Interim *Scaliger* corrigendus venit, qui *libro* IV. L.

L. ita

L. ita *Varronis* verba recitat: *Qui mortaleis, atque urbeis, belluasque omneis juvat*; siquidem *Varro* negabat *urbeis* dici posse. Recte Vossius *lib.* II. *de Gram. cap.* 4. notat in diphthongo *ei* literam E debilem sonum habuisse, ac vocalem I magis exprimi solitam, ita ut postea E marcescente, I sola retenta fuerit. Id evidenter patet ex innumeris vocibus, in quibus pro diphthongo *ei* sola I longa postea scripta apparet. Plauti *Capteivei*, *captivi* evasere: *Eidus idus: Galleis, Sabineis, Etrusceis*, ac similia in fastis Capitolinis scripta nomina, *Gallis, Sabinis, Etruscis*, posterior ætas scripsit. Ita accusativi tertiæ declinationis *Cicerone* florente, ac dein *Augusto* imperante, per *es* & *is* terminabantur. De priori terminatione constat, quæ postea sola in usu remansit; de altera vero in IS plura dicenda sunt, quod paullatim omissam, hac ætate eruditis quibusdam viris ignoratam viri clarissimi censura ostendit. Vetustas inscriptiones præmittam, de quibus dubitare nemo possit, quod in illas librariorum inscitia grassari non potuit. In Gruteriano thesauro *pag.* 328. 1. in S.C. de ludis sæcularibus, quos *Augustus* edidit, legitur: LUDOS SAECULARIS; pro *sæculares*. In tabula Ancyrana: *Annum quintum & decimum AGENTIS CONSULIS designavit*: pro *agentes consules*. Hujus inscriptionis exemplar ipse *Augustus* propria manu exaravit. Extant etiam plurima numismata *Augusti* cum epigraphe: OB CIVIS SERVATOS. Alias incerti temporis inscriptiones subjicio. *Jaderæ*, quæ *Dalmatiæ* munitissima metropolis est, ex *pag.* 84. 6.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVG
PARENS. COLONIAE. MVRVM
ET. TVRRIS. DEDIT
T. IVLIVS. OPTATVS. TVRRIS. VETVSTATE
CONSVMPTAS. INPENSA. SVA. RESTITVIT

458 Pag. 198. 6.

SEX. ATILIVS. M. F. SERRANVS
PRO. COS. EX. S. C
INTER. ATESTINOS. ET. VEICENTINOS
FINIS. TERMINOSQVE. STATVI
IVSSIT

Sex. Atilius Serranus M. Atilii Serrani Prætoris A.V. 580. ex Livii *libro* XLI. filius, consul A.V. 618. post consulatum prorogato in Transpadana *Italia* imperio, lites de termino agri inter *Patavinos* & *Atestinos* composuit. Alteram postea controversiam de limitibus agrorum inter eosdem *Atestinos* ac *Patavinos* enatam, *L. Cæcilius Metellus* anno V.C. 638. Senatu jubente diremit. Id nuper ostendit eruditissimus Comes & Eques Sertorius Orsatus, *libro primo Hist. Patavinæ part.* 1. *pag.* 31. cujus docti voluminis editionem Auctoris mors statim secuta, grave vulnus intulit *Romanæ* antiquitati tot editis ab eodem voluminibus illustratæ. Porro in sylva montis Vendæ hocce epigramma *Orsatus* exscripsit.

L. CAECILIVS. Q. F. PR
OCOS.... TERMINOS
FINISQVE. EX. SENATI
CONSVLTO. STATVE. IVSIT
INTER. ATESTINOS
PATAVINOSQVE

L. Cæcilius Metellus, vulgo *Diadematus*, *Q. Metelli Macedonici* filius, uti ostendi *dissert.* 1. *cap.* 5. consulatum gessit A.V. 637. ac *Italiam* provinciam sortitus, altero anno regionem Transpadanam pro consule obtinuit, quod ex recitato decreto de finibus regundis apparet. Porro in utra-

A que vetustissima inscriptione FINIS accusativo plurali scalptum legitur. Ejusdem etiam casus similis terminatio in inscriptis post *Augusti* ac priorum Cæsarum imperium lapidibus sæpius in thesauro Gruteriano occurrit. In epitaphio *pagina* 607. legitur:

Viximus; hic OMNIS exitus unus habet.

Pag. 950. 10.

Adfectus OMNIS possidet iste lapis.

Pag. 1123.

ARDENTIS oculorum orbes, umerosque NITENTIS.

Immo everso *Romano* imperio, ac *Gotthorum* bar-
B barie verba Latina penitus opprimente, hocce epigramma scalptum est, ex *pag.* 168. 9.

DN. ATALARICVS. REX
GLORIOSISSIMVS. HAS
SEDIS. SPECTACVLI. ANNO
REGNI. SVI. TERTIO. FIERI 459
FELICITER. PRECEPIT

Nulla in illis vocabulis mutatio fieri potuit, secus ac in antiquorum scriptorum codicibus subinde contigit, quorum tamen nonnulli meliori fato, neutiquam supinæ exscribentium inscitiæ ob-
C noxii, familiarem vetustis Latinis characterem feliciter retinuerunt. Hos inter principe loco mihi recensendus venit *Virgilii* codex Mediceus, de cujus vetustate plura mihi superius narrata sunt. In hoc autem volumine memorati accusativi tertiæ declinationis in omnibus paginis tum per *es* tum per *is* majori *Romana* litera terminati, leguntur. *Nicolaus Heinsius* elegantissimus Musarum amasius, in nupera *Virgilii* editione ejusdem codicis orthographiam locupletissime expressit, quamvis, ut verum fatear, frequenter eosdem accusativos secus ac in laudato MS. leguntur, extulerit, quod tamen Amanuensis incuriæ depu-
D tandum censeo. In *lib.* XI. *v.* 324.

Sin alios FINIS aliamque capessere gentem
Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore NAVIS,
Seu plurEs complere valent.

Heinsius *pluris* scribit, secus ac in MS. legitur. Ibidem *v.* 360.

Quid miseros toties in aperta pericula civEs
Projicis, ò Latio caput horum & causa malorum?
Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Heinsius aliter ac MS. *civis* reposuit. Item *lib.* 1. *Aeneid. v.* 184.

—— —— —— trIs litore cervos
E *Prospicit errantIs: hos tota armenta sequuntur*
A tergo, & longum per vallIS pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celerIsque sagittas
Corripuit.

Item *lib.* VII. *v.* 164.

Aut acrIs tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cum prævectus equo longævi regis ad aurIs
Nuntius ingentIs ignota in veste reportat
Advenisse viros &c.

Pierius Valerianus in vetustissimis aliis *Virgilii* codicibus hujusmodi accusativos in IS desinentes
F sæpissime laudat. In *lib.* II. *v.* 66. *crimine ab uno disce omnes*, ait: *Pleraque omnia venerandæ vetustatis exemplaria, quæ in manus nostras devenere, uno exemplo legunt: DISCE OMNIS*; quam *Donati* etiam lectionem esse testatur. Idem II. *Georg.* ad *v.* 196. cum dixisset in vulgatis legi *urentes culta capellas*, ait: *In antiquis omnibus codicibus manu scriptis, quos versare contigerit, scriptum observavi:*

Aut ovium fetus, aut urentIs culta capellas.

Hæc passim eo in Scriptore occurrunt, qui etiam

plura notat de hisce accusativis in IS elatis L. 5. v. 406. *Ante omnes stupet &c.* cum dixisset: *In antiquis OMNIS*, non sine indignatione disputationem claudens, ait: *Quæ quidem scribendi ratio quotidie nunc corrumpitur, neque codex jam ullus extat, quem non Librarii arbitrio suo totum audeant contaminare.* Qui tamen vir eruditissimus vetustum characterem servans in epistola nuncupato-
460 ria ad *Julium* Cardinalem Mediceum scribit: *Ita ut apud omnis nostrarum literarum affectatores non parva suborta sit hæsitatio.* Lege eundem in notis *lib.* II. *Aen. v.* 490. ubi iterum de iisdem accusativis in IS disserit. Ceterum cum Grammaticæ præceptores eos accusativos non uno modo terminandos censerent, *Virgilii* scripta juxta propriam opinionem, omissa idiographi lectione, commutarunt. Etenim in VI. *Aen. ver.* 719. ita in Mediceo codice legitur:

Principio cælum, ac terras, camposque liquentIs.

At Diomedes *lib.* II. *pag.* 442. §. *de Hirmo* scribit *liquentEIs*, quam lectionem Erythræus, aliique maluerunt. Farnabius vero cum Lacerda & pluribus *liquentes* scribit. *Lib.* III. *versum* 71. legit Heinsius:

Deducunt socii navIs & litora complent.

Erythræus, Farnabius, aliique *naves* reddunt. At Valerius Probus *libro* I. *Gram. Instit. pag.* 1429. *Deducunt socii naveis.* Erythræus satis frequenter eos casus per diphthongum Græcam *ei* reddit. Verum Pierius in *lib.* I. *Æn.* ad *v.* 111. ait: *Syrteis per* ei *ut pleraque alia scriptitant, quod in codicibus antiquis inventu rarissimum.* Sane in Mediceo nusquam apparet. *Priscianus* qui *Justiniano* imperante, *Constantinopoli* Grammaticam professus est, *lib.* VII. *pag.* 775. plura *Virgilii* loca laudat, in quibus accusativi plurales tertiæ declinationis semper in IS, nunquam in EIS definunt, quam sane diphthongum non fuisse characterem Augusteæ ætatis inscripta monumenta declarant. Sed hac de re proxime sermo redibit. Antequam ad alios scriptores transeam, vulgaris quædam *Gellii* de eodem *Virgilii* charactere narratio hic repetenda est. Is *libro* XIII. *cap.* 19. scribit: *Interrogatus est Probus Valerius (quod ex familiari ejus quondam comperi)* hasne Urbis, *an* has urbes, *&* hanc turrem, *an* hanc turrim *dici oporteret.* Tum *Probum* respondisse aures interrogandas. Cum vero ille rursus peteret quonam modo aurem interrogaret, *Probum* statim reposuisse: *Quo suam Virgilius percunctatus est, qui diversis in locis URBES & URBIS dixit, arbitrio consilioque usus auris. Nam in primo Georgicon, quem ego, inquit, librum manu ipsius correctum legi*, Urbis *per I literam scripsit. Verba è versibus ejus hæc sunt:*

—— —— *Urbisne invisere, Cæsar,*
Terrarumque velis curam.

Verte enim & muta, ut urbes *dicas, insubidius nescio quid facies & pinguius. Contra in III. Æneidos* Urbes *dixit per E literam:*

Centum urbes habitant magnas. v. 106.

Hæc jam muta, ut urbis *dicas; nimis exilis vox erit & exsanguis. Tanta quippe junctura est in consonantia vocum proximarum.* Hæc Probus. Ex his non leve auctoritatis pondus adjicitur codici vetustissimo Mediceo, in quo similiter I. *Georg. v.* 25. *Urbisne invisere* legitur, & in altero ex III. *Æn. Centum urbes habitant.* Miror V. C. *Heinsium* omisso charactere *Probi* ac ipsius etiam Medicei codicis, quem in illis accusativis efferendis sequi se in præfatione prænotaverat, scribere maluisse: *Centum urbIs habitant.* In eodem Mediceo codice *Finis* sæpe plurali accusativo effertur, uti in *Pisana* tabula scalptum est; in aliis etiam versibus eorundem librorum *fines* legimus.

Lib. I. *v.* 564.
Moliri, & late finIs custode tueri.
Lib. VIII. *v.* 159.
Protinus Arcadiæ gelidos invisere finIs.
Lib. XI. *v.* 517.
Longus in occasum, finis super atque Sicanos.
Ibid. *v.* 524.
Sin alios finIs aliamque capessere gentem.
Lib. I. *v.* 570.
Sive Erycis finEs regemque optatis Acesten.
Lib. VII. *v.* 149. 461
Orta dies; urbem, & finEs, & litora gentis
Explorant.
v. 334.
—— —— *Italosque obsidere finEs.*

Heinsius in duobus postremis carminibus *finis* edidit. *Gellius* laudatus ait se ejusdem accusativi per *es* & *is* efferendi diversitatem alio in loco *apud Virgilium* observasse, nempe *lib.* X. *v.* 350. ubi dicit:

Tres quoque Threicios Boreæ de gente suprema,
Et tris, quos Idas pater & patria Ismara mittit.

Verum in MSS. Mediceo utroque loco TRIS legitur, uti etiam *Heinsius* scripsit. Ipse quoque *Gellius* sæpius per IS eosdem accusativos terminavit, ut paullo inferius ostendam. Hactenus de *Virgilio*, quem reapse ita scripsisse colligimus ex laudati *Probi* verbis; siquidem testatur id se legisse in *libro* I. *Georgicorum* quem *manu ipsius Virgilii correctum* viderat.

Poetarum principi Oratorum atque Historicorum principes adjungo *Ciceronem* ac Livium. Equidem dolendum est viros eruditos, qui subinde utriusque volumina edidere, plerosque accusativos, qui in manu exaratis codicibus per IS scripti legebantur, modo per *es*, modo per *eis* cum diphthongo *Græcorum* extulisse. Doctissimus *Petrus Victorius* in editione Florentina A. 1571. veterem characterem ex antiquissimis codicibus in epistolis ad *Atticum* summa fide reposuit. Ita *lib.* I. *epist.* 15. legimus: *Auris nactus tuas.* Libro II. epist. 12. *Ad tris tabernas.* Lib. V. epist. 9. *per omnis nostros.* Libro vero VII. epist. 3. plures eo modo definentes accusativos addensat: *Omnis damnatos, omnis ignominia affectos, omnis damnatione ignominiaque dignos &c. tribunos valentis, addito C. Cassio; omnis qui ære alieno premantur, quos pluris esse intelligo, quam putaram.* Hanc ego lectionem constanter servatam in sex codicibus Mediceis adnotavi. Similiter terminatos casus apud *Ciceronem* aliis in locis vide apud Priscianum *lib.* VII. *pag.* 777. qui etiam superius *pag.* 769. duo alia ejusdem loca exhibet, in quibus scribit: *Dies continuos compluris*, & *compluris armatos*, quæ postrema verba appellat ex oratione pro Cæcina, ubi in editis *complures* legimus. In *Livii* quoque libris plerumque accusativos casus, de quibus loquimur, per *eis* scriptos ab editoribus videmus, nempe *absenteis, solemneis, hosteis, pugnanteis &c.* cum tamen in vetustis codicibus per IS elatos, legamus. Ne tamen hic paginas prolixiori testimoniorum recitatione impleam, ex *libro* XXXI. in quo de bello *Macedonico* scribit, quædam tantum subnotabo. In duobus MSS. Mediceis initio statim legi: *Perscripturum res omnis Romanas.* Plerique tamen ad quos etiam *Gronovius* pater accessit, *omneis* edidere. Ibidemque *cap.* 17. *Non modo adeuntis aditu arcebant.* Glareanus *adeunteis*, Gronovius *adeuntes* scripsere. In eodem *cap.* 17. legimus Abydenos inclusisse *matronas omnis in templo Dianæ*, at pretiosas vestes *in navis Rhodiam Gizicenamque*; ubi legendum *Cyzicenamque*; tum delectos qui rebus desperatis, tectis publicis privatisque *ignis subjicerent.* In editis *omnes* & *naves* & *ignes* habemus. In capite 18. *Apol-*

A *Apolloniam terrestris copias, navalis Corcyram in hyberna deduxisse.* In cap. 19. *Ipse in navis imponendos curavit.* In cap. 21. *Et obire ad omnis hostium subitos conatus posset.* In cap. 26. *Philocles Philippi* regis præfectus dicitur *ad depopulandos Athenienſium FINIS* profectus; ubi etiam legimus; *hostis effusos.* In cap. 32. Romanorum legatus ait in oratione ad *Aetolos*, *Siciliæ* civitates *stipendiarias nobis ac vectigalis esse.* In *cap.* 462 33. de *Philippo* rege dicitur: *Navalis copias Demetriadem in Thessalia contrahebat.* Item: *Ipse terrestris copias comparabat.* In quibusdam editis *terrestreis* habetur. Rursus ibidem: *in montis propinquos refugientibus barbaris.* In capite 37. *Pars obvios habuerunt hostis.* In cap. 38. *Itaque secundum duas adversas equestris pugnas.* In impressis *equestreis* olim editum. In capite 39. *Pulsatio scutorum parumper succedentis Romanos tenuit. Deinde iis quoque spretis, partim testudine facta, per adversos vadunt hostis.* Denique in capite 43. *Per eos dies & Athenagoras regius præfectus Dardanos recipientes se in FINIS, adeptus &c.* Ex hisce, ut innumera alia omittam, patet *Livium* etiam per *is* accusativos tertiæ declinationis, quorum genitivus pluralis in *ium* desinit, extulisse, quos cum viri docti legissent, haud bona fide per *eis* ediderunt. *Sallustium* etiam per *is* eos casus scripsisse vel initio *Catilinariæ* historiæ intelligitur, quam hisce exorditur: *OmnIs homines &c.* quam lectionem in duodecim MSS. Mediceis fideliter expressam vidi. Eodem charactere eadem verba recitarunt vetusti Grammatici Charisius *lib.* 1. *pag.* 122. Priscianus *lib.* 7. laudato, aliique. Idem vero *Charisius*, uti observavit Pierius *lib.* II. *Æneid.* ad *v.* 311. hæc Sallustii verba refert: *Non tu scis, si quas ædis ignis cepit acriter, haud facile sunt defensu, quin & comburantur proxumæ.* Plautus Latini sermonis elegantissimus magister, in editione *Boxhornii*, eodem modo eos casus effert. In Milite II. 4. *vers.* 5. *Habet auris.* In Casina II. 5. v. 34. *Conjiciam sortis in sitellam.* In Aulularia IV. 8. initio: *Aureos montis colunt.* Similia apud eundem passim occurrunt. Hinc certum fit aureo Latinitatis sæculo eam dicendi formam in usu fuisse, quæ etiam argenteo sæculo, & æneo quoque continuatam notavi. Unum argentei sæculi scriptorem *Tacitum* appellabo. Extat in Medicea Bibliotheca ejusdem volumen, quod unum in *Germania* repertum, ac *Leoni* X. oblatum, *Philippus Beroaldus* in publicum emisit. Is codex annales de imperio *Tiberii* Cæsaris complectitur, ac sæpius eosdem accusativos tertiæ declinationis per *is* scriptos exhibet, quo modo ex eodem codice illos edidit *Curtius Pichena* vir eruditus ac Magno *Etruriæ* Duci à secretis. Ex libro primo quædam tantum loca indicabo. In *cap.* 3. legitur: *Omnisque per exercitus ostentatur.* In cap. 4. *imminentis dominos.* In cap. 20. *retinentis centuriones.* In cap. 36. *adversum abscedentis legiones.* In cap. 40. *contra rebellis auxilium.* In cap. 44. *Ob imminentis Suebos:* pro *Suevos.* Alia testimonia omitto, admonens tamen *Pichenam* semel & iterum characterem codicis in hoc priori libro mutasse. In *cap.* 60. MS. habet: *Bructeros sua urentis.* At Pichena scripsit *urenteis.* Rursus cap. 77. MS. *Ne egredientes in publicum, equites Romani cingerent.* Pichena non per *es*, sed per *is* scripsit *egredientis.* Eruditi *A. Gellium*, seu uti alii malunt, *Agellium*, æneæ ætatis scriptorem nuncupant. Is autem *lib.* XVIII. *edit. Henrici Stephani cap.* 10. ait: *Sed alios quoque itidem errantis audivi.* Lib. XIX. cap. 5. *Is nos aquam multam ex diluta nive bibentis coercebat.* Cap. 10. *Quos loquentis id audias.* Cap. 11. *In pluris versiculos licentius liberiusque.* Cap. 12. *omnis universos, & terras cultioris* dicit. Hæc ex plurimis, quæ passim ibidem occurrunt, laudasse sufficiat. Denique in Pandectis MSS. quæ in Gaza Magni Ducis *Etruriæ* diligentiori custodia servantur, non semel accusativus pluralis eorundem nominum tertiæ declinationis in IS effertur. *Lib.* VIII. *tit.* 1. L. 8. *de servit.* legitur: *licet per partis adquiri non poterit. Lib.* X. *tit.* 2. L. 20. *Indemnis igitur coheredes suos præstare cavebit.* 463 Lib. X. tit. 3. L. 1. *quod socio actio magis ad personalis invicem præstationes pertinet.* Lib. XII. tit. 2. L. 28. *ceterosque similis.* Lib. XXXIX. tit. 4. L. 16. *ne decipiat profiteri volentis.* Ceterum cum hæc duo volumina à victrici *Pisanorum* classe *Pisas* delata fuissent, ac in minus eruditi I. C. manus incidissent, hic literæ majusculæ I in syllaba penultima tria puncta ad latus addidit, ut E litera designaretur. Insulsam tamen correctionem alienum atramentum manusque recentior ostendunt, uti *Laurentius Theodorus Gronovius Jo. Friderici* F. adnotavit. Profecto *Taurellus* Pandectas ad aureum hocce authographum emendans, spuria correctione rejecta, eosdem accusativos per IS extulit.

Hinc factum est, ut vetusti Latinæ linguæ præceptores, cum eandem ad quasdam regulas contraherent, accusativos plurales tertiæ declinationis in *is* vel *es* desinere pronuntiarint. Neque enim eam terminationem ipsi primum commenti sunt, sed quod eandem passim observabant in *Cicerone*, *Sallustio*, *Virgilio*, *Livio*, aliisque aurei Latinitatis sæculi scriptoribus, ad quorum phrasem ac characterem tanquam ad obrussam puritatis & elegantiæ Latinæ posterorum orationem exigerent. Horum testis locupletissimus venit *Priscianus*, qui tot scriptores aureæ ætatis passim appellat, ac plurima *Sallustii*, ac pleraque *Ciceronis*, & aliorum quæ interciderunt, volumina subinde allegat. Is ergo *lib.* VII. *pag.* 777. scribit: *Nominum*, seu ut alii legunt, *omnium quæ tam nominativum, quam genitivum similem habent, eorum accusativus vero in ES, frequenter in IS solet terminari, ut hic & hæc omnis, hujus omnis, hos & has omnIs.* At si in *Cicerone* ac *Virgilio* iidem accusativi semper in *es*, ut in editis eorundem libris modo legitur, exissent, qua fide testatus fuisset Grammaticorum diligentissimus *raro in es, frequenter in IS* solere terminari? Ea autem quæ multa statim laudat, *Virgilii* testimonia, passim in *es* desinentia in editis libris legimus. Cum veteres per *eis* frequentius hosce casus terminarent, *Augusti* ætate pro diphthongo *ei* longa I litera poni cœpit. P. Nigidius Figulus *Ciceronis* amicus in *lib. de nat.* & *ordine literarum* apud Gellium *lib.* XIX. *cap.* 14. scribit: *Græcos non tantæ inscitiæ arcesso, qui OV ex O & Y scripserunt, quantæ qui ei ex E & I; illud enim inopia fecerunt: hoc nulla re subacti.* Cujus rationem reddit Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 7. *quia I tam longæ quam brevis naturam habet.* At *Augusto* imperante pro *ei* diphthongo longam I positam tabulæ Ancyranæ aliaque laudata saxa ostendunt, in quibus nusquam illa diphthongus scribitur in accusativis casibus, sed legimus *sæcularis*, *agentis*, *finis*; uti & in ejusdem vulgari numismate: OB CIVIS SERVATOS. Quæ cum iisdem characteribus, quibus primum inscripta fuerant, ad nostram usque ætatem pervenerint, longe majori fide digna censentur, quam codices manu exarati, tot exscribentium, ut sæpius dixi, erroribus obnoxii. Non defuere tamen viri docti, qui eos casus non per *is* sed per *eis* terminandos putarunt. De *Pomponio Secundo* poeta scribit Plinius apud *Charisium lib.* III. *pag.* 111. V. Monteis: *Propter homonymum nominativi, accusativo casu* omnis *non putat dici, sed* omneis. Idem docuit Cornelius Fronto in

in *lib. de differ. vocum pag.* 2201. V. *Treis.* In hac quoque opinione fuit Terentianus Maurus *cap. de ſyllabis pag.* 1393. ſcribens:

Eitur in ſilvam, neceſſe eſt E & I connectere,
Principali namque verbo naſcitur, quod eſt EO.
464 *Sic* oveis, plureis, omneis, *ſcribimus pluraliter,*
Non enim nunc addis E, ſed permanet, ſicut fuit;
Lector & non ſingularem nominativum ſciet.

Itaque *omnis* v. g. accuſativo plurali ſcribere recuſabant, quod eodem modo nominativo ſingulari efferebatur. At inanem ſcrupulum paſſos conſtat ex nominibus quartæ declinationis, quorum rectus, ac genitivus, tum etiam nominativus & accuſativus plurales in VS uniformiter exeunt, nempe *manus*, *fluctus*, *ſumptus &c.* Sane ex illis Terentiani: *Non nunc addis E*, infertur ea ætate eos accuſativos plurales per IS elatos, *ovis*, *pluris*, *omnis*, queis tamen mavult E ante I inſeri, quo lector ſtatim videat non eſſe nominativos ſingulares. Quod vero addit: *ſed permanet ſicut fuit*, vel intelligit antiquum characterem, cum *fineis*, *civeis*, *omneis* ſcribebant; vel certe modum pronunciandi; etenim quamvis poſtrema ætate *Romanæ* Reip. diphthongus *ei* ponebatur, ea ut ſimplex I longa ſonabat, quod ſatis colligitur ex Ciceronis *epiſt.* 22. *lib.* IX. *familiarium*, uti *Voſſius* recte prænotavit.

Valerius Probus *lib.* II. *Inſtit. Gram. pag.* 1442. ſcribit: *Nominativum*, *accuſativum*, *& vocativum pluralis generis maſculini & feminini* es *producta ſyllaba terminabit*; *hic & hæ*, *hos & has*, *& ò Sacerdotes. Interdum accuſativus IS*, *ut hos & has agilis.* Itaque ætate *Probi* iidem accuſativi raro per *is* terminabantur. In Chronico autem *Euſebii* dicitur *Probus* Grammaticus anno ſecundo imperii *Neronis* floruiſſe. Idem poſtremo loco inter Grammaticos à *Suetonio* numeratur. Illum etiam ſub *Domitiano* Principe vixiſſe patet ex *lib.* II. ejuſdem laudato, qui *Catholica* inſcribitur; ibi enim *pag.* 1463. *Martialis* epigramma adducit, quod *Domitiano* principe editum fuit. Gellius *lib.* III. *cap.* 1. & 15. & *lib.* XIII. *cap.* 13. & 19. ſcribit ſe cum iis locutum, qui *Valerium Probum* differentem audierant. Idem vero *Gellius* teſtatur ſe adoleſcentem *Romæ* coluiſſe *Herodem Atticum* virum conſularem, *lib.* IX. *cap.* 2. Hic vero anno vulgaris æræ 146. conſulatum geſſit, *Antonino Pio* Imperatore. Et *lib.* II. *cap.* 26. ait: *Favorinus Philoſophus cum ad M. Frontonem conſularem pedibus ægrotum viſeret*, *voluit me quoque ad eum ſecum ire.* At *Cornelius Fronto* conſul ſuffectus fuit à *M. Aurelio* principe, ex *Auſonio* in panegyrico ad *Gratianum.* Ex his colligo *Probum* uſque ad *Trajani* fere imperium vixiſſe. Id probari poſſet, quod in libro de Notis qui eidem adſcribitur, ſub litera I legamus: *In Foro Trajani.* At cum in lit. S. ſcribatur: SEU: AUG. ARM. PART. *Severus Auguſtus*, *Armenicus*, *Parthicus*; utrumque eidem libro aliena manu inſertum fuit; vel alium plane auctorem illud volumen habuit. Soſipater Chariſius *cit. pag.* 28. ait: *Omnia nomina in* is *terminata*, *quæ dativo I exierint*, *neceſſe eſt genitivo & accuſativo ante ultimam*, *I recipiant*, *ut agreſtis*, *ium*, *hos agreſtis*; *cœleſtis*, *ium*, *hos cœleſtis.* Eandem terminationem habere dicit quæ ablativo caſu in I exeunt, *ignis*, *igni*, *hos ignis.* Idem tradit *pag.* 69. ubi ponit *hos & has nobilis.* Verum inferius *pag.* 122. ſcribit: *Nam accuſativus juxta regulam*, *manente I litera*, *debet enuntiari*, hos & has agilis, *ut eſt apud Salluſtium:* Omnis homines; *ſed eum ad nominativi & vocativi formam conſuetudo tranſduxit.* In ætate Chariſii non in IS, ſed in *es* accuſativi illi caſus deſinebant. Incerta ætas eſt qua *Chariſius* vixit; at conſtat floruiſſe ante *Priſcianum*, à quo non uno loco laudatur.

A Ex illius vero ſententia conſuetudo jam ante indu- 465
cta, Grammaticæ regulas, juxta quas *neceſſe eſt* eos caſus in *is* deſinere, eoſdem per *es* efferendo, obduxerat. Hinc D. Auguſtinus in *libro de Grammatica*, quem A. 386. vulgaris Epochæ *Mediolani* paullo ante baptiſmum, compoſuit, hoſce accuſativos tertiæ declinationis per *es* efferendos docet, nec verbum quidem de famoſa illa apud veteres terminatione in *is* facit.

Veteres Grammatici inter præcipuas regulas, quibus accuſativi tertiæ declinationis in *is* exire dignoſcerentur, hanc tradidere; nempe ſi genitivus pluralis ante VM haberet I, ſeu ea nomi-
B na accuſativo plurali in *is* deſinere, quæ in genitivo per *ium* terminabantur. Hanc omnium fere Grammaticorum canonem fuiſſe teſtatur Publius Conſentius in *lib. de nomine & verbo pagina* 2040. ſcribens: *Sane plerique omnes has regulas qua genitivum in* ium *mittunt*, *dicunt etiam accuſativum pluralem in* is *mittere*, *ut has puppis*, *hos montis*, *hos optimatis.* Servius in lib. I. Virgilii ad *v.* 112. *Tris Notus abreptos &c.* ait: *Tris Latinum eſt. Genitivus enim pluralis quotiens in* ium *exit*, *accuſativum pluralem in* is *mittit*, *ut puppium puppis*; *quotiens in* um *exit*, *in* es, *ut patrum patres.* Hanc ipſam regulam inter recentiores Grammaticos tra-
C dit *Deſpauterius*, cujus huncce ſuperius canonem laudavi:

Quum genitivus ium *dat*, *quartus in* is *quoque fiet.*

Valerius Probus in Arte apud Pierium in *libro* II. *Æneid. ad verſum* 490. *Amplexæque tenent poſtes &c.* illud præceptum, ut imperitum redarguit. Plinius etiam apud *Chariſium* citat. *pagina* 104. V. *Funes* eoſdem errare plurali legitur; at nuſquam *nubis* in accuſativo multitudinis; tum quia quæ in genitivo plurali habent *um* ſine I præcedente, mittunt accuſativos in is; unde ait Salluſtius: *Per liberos atque parentis veſtros.* Denique quia deſinentia genitivo plurali in *ium*, promiſcue apud
D antiquos in accuſativo per *is* & *es* terminata leguntur. Hæc *Probus.* At *Priſcianus*, quo haſce difficultates evaderet, quoſdam canonas ſtatuit, queis oſtendi poſſit, quinam quarti caſus tertiæ declinationis per *is* ſcribantur. *Voſſius* diligenter eaſdem regulas congeſſit, & expendit libro ſecundo *de Analogia capite* 16 Primus canon eſt: *Omnium quæ tam nominativum quam genitivum ſimilem habent*, *eorum accuſativus raro in* es, *frequenter in* is *ſolet terminari*, *ut hic & hæc omnis*, *hujus omnis*, *hos & has omnis.* Hanc regulam plurium auctorum teſtimoniis firmat. Quod advertit eos accuſativos *raro in* es, *frequenter in* is terminari,
E minus mihi probatur. Nam promiſcue pro libito tum in *es*, tum in *is* exire ex laudatis ſuperius locis Virgilianis patet; ſiquidem nomen *finis*, cujus ſimiles ſunt nominativus ac genitivus ſingulares, & genitivo multitudinis in *ium* exit, accuſativum promiſcue in *is* & *es* terminatum habes apud Virgilium, ac vetuſtas inſcriptiones. In oratione Claudii Cæſaris Gruteri *pagina* 520. *Ad extremos FINES Galliæ Narbonenſis veniſti.* Rurſus apud eundem poetam in Mediceo Codice omnium optimo ac vetuſtiſſimo, nomen *ignis*, cujus nominativus ac genitivus caſus ſingulariter ſi-
F milem terminationem habent, accuſativo plurali promiſcue per *is* & *es* effertur. Libro primo *Æneidos* verſu 529.

Oramus: prohibe infandos à navibus ignes. 466

Lib. II. *v.* 276.

Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignis.
v. 502.
Sanguine fœdantem, *quos ipſe ſacraverat*, *ignis.*
v. 624.
Tum vero omne mihi viſum conſidere in ignes.

Lib.

Lib. II. *v.* 664.

Hoc erat, alma parens, quo me per tela per ignis.

v. 686.

Excutere & sanctos restinguere fontibus ignes.

Lib. VII. *v.* 196.

— — *medias acies, mediosque per ignes.*

v. 320.

Cissæis prægnans ignis enixa jugales.

Lib. VIII. *v.* 199.

Ore vomens ignis, magna se mole ferebat.

v. 267.

Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignis.

Lib. IX. *v.* 78.

— — *tantos ratibus quis depulit ignes?*

v. 145.

Neptuni fabricata manu, considere in ignis.

Lib. X. *v.* 56.

Juvit & Argolicos medium fugisse per ignes.

v. 271.

— — *& vastos umbo vomit aureus ignis,*

Itaque sæpe *ignis* in accusativo multitudinis, per ES etiam terminatus legitur; quamvis sæpius per IS in eodem codice scriptus appareat. Et sane, ni librario erratum, cum *lib.* II. *v.* 624. legatur *considere in ignes*, at *lib.* IX. *v.* 145. *considere in ignis*, patet non semper euphoniæ gratia, sed pro scribentium arbitrio eos casus diversas terminationes subiisse.

Alter canon est: *Similiter faciunt accusativum ejusdem formæ semper pluralia, ut hi manes, horum manium, hos manes, vel manis.* Itaque promiscue in *es* & *is* pluralia tertiæ declinationis in quarto casu terminantur. Hinc *pluris* in Cicerone & *plures* in Virgilio superius ostendi: uti etiam *tris* & *tres*, uti *Gellius* legebat. Tertius canon additur. Plerumque in *is* terminari, quæ nominativo per *er*, & ablativo I efferuntur, ut *acris*, *salubris*, *celeris*; raro autem hosce casus in *es* desinere. Quam regulam ex antiquis scriptoribus stabilit. Ultimus canon est. Nomina in *er*, & *ns* exeuntia in nominativo singulari, accusativum pluralem tum in *is* tum in *es* mittere, uti *inertes* & *inertis*, *partes* ac *partis*. Verum *Priscianus* omittit nomina desinentia in *bs*, uti *urbs*, *trabs*, *scrobs*. Et sane *urbis* in plurali accusativo apud *Virgilium* vidimus. Ex *Prisciani* tamen regulis, quæ *Probus* opponebat, evanescunt. Nam nusquam legitur in casu quarto plurali *nubis*, quod hoc nomen, quamvis genitivum multitudinis in *ium* mittit, non tamen in singulari eodem modo nominativo ac genitivo terminatur, cum sit *nubes nubis*. Secus *ignis*, *finis*, *omnis &c.* quæ utroque casu similiter desinunt. Quod addit de desinentibus in genitivo in *um*, quæ tamen in quarto casu per *is* scribi possunt, uti *parentis*, ex quarto canone *Prisciani* eliditur; nam hoc nomen in recto per *ns* terminatur. Et sane quod *Servius* laudato loco dicit *quotiens genitivus pluralis in um exit, in es* accusativum mittere, universe falsum est. Non oppono quod proxime notabam *parentum* ac *parentis* pluraliter dici; siquidem scribit Charisius pagina 111. *Cicero rationis memor parentium sæpe dicit. Fronto pro Ptolomæensibus* Parentum tuorum, *ut ait Plinius, alias poetarum vice, qui regulam satis idoneam sopierunt.* In epitaphio imperante Tiberio posito, legitur pagina III. PARENTIUM SUORUM. In tabulis Ancyranis, nisi exscribentibus erratum est, habetur *agentis consulis*, pro *agentes consules*; genitivus tamen alterius nominis in *um* desinit, nempe *consulum*. Præterea Charisius *pagina* 100. hæc *Plinii* verba ex libris dubii sermonis recitat: *Julius Modestus ita definiit. Quæ nomina comparan-*
467 *di fuerint, & accusativis pluralibus in IS exient, scilicet*, fortioris, fortiorum *facere debent*, *non*

A fortiorium, *id est, ante* VM *syllabam I recipere non debent.* Hoc locupletissimo antiquissimi Grammatici testimonio iterum confirmatur quod superius demonstrabam, videlicet Augusti ætate accusativos plurales declinationis tertiæ non per *eis*, sed per *is* scriptos; quamvis litera longa I diphthongum EI supplebat. Nam *C. Julius Modestus* vixit sub disciplina *C. Julii Hygini* à *Julio Cæsare* anno Urbis 707. post captam *Alexandriam*, *Romam* advecti, qui postea libertus *Augusti* fuit, ac ob antiquitatis notitiam *Polyhistor* appellatus. *Hujus*, inquit Suetonius cap. 20. de Grammaticis, *libertus fuit Julius Modestus, in studiis atque*
B *doctrina vestigia patroni secutus.* Præterea ex recitatis *Julii Modesti* verbis patet præter quatuor illos à *Prisciano* numeratos canonas, addenda esse comparativa nomina, quæ etiam *is* in quarto casu multitudinis habere possunt. Ceterum in his una omnium optima regula est euphonia, uti ex Probo *Gellius* allato superius testimonio, adnotavit. Publius etiam Consentius *in Arte pagina* 2040. cum quædam de hisce accusativis in *is* præmisisset, scribit: *Sed in hoc quoque sequenda euphonia est*, nempe quod auribus jucundius sonat. Hæc prolixius exposui, non solum ut phrasis illa Cajani lapidis *ultra FINIS extremas*, juxta
C tritas Grammaticæ artis regulas præformata monstraretur, verum etiam ut antiquatos pluralium tertiæ declinationis canonas, tot scriptorum aurei Latinitatis sæculi testimoniis in bono lumine collocarem; cum iidem & longioris ætatis caligine, & veterum Auctorum libros subinde mutantium temeritate, ac denique jamdiu tritæ apud Grammaticos syntaxeos consuetudine, nostra ætate adeo in obscuro lateant, ut vir insignis qui justo volumine variatæ Latinitatis causas investigat, eosdem plane ignorans, *Finis* in quarto casu multitudinis in *Pisana* tabula solœcismi incusarit; cum tamen juxta Grammaticorum canones elegantissi-
D me & scriptum, & sculptum fuerit.

Alterum quoque adjectivum nomen, nempe *extremas*, optime positum ex iisdem Grammaticorum regulis intelligitur. Etenim docent nomen *finis* masculini ac feminini generis esse. Publius Consentius *in Arte pagina* 2026. scribit: *Nam inter femininum & masculinum sunt hæc nomina, cortex, silex, finis, stirps, pinus, dies; utrovis enim genere lecta inveniuntur.* Priscianus libro V. scribit: *Finis quoque tam masculini, quam feminini generis usurpavit auctoritas.* Idem antea monuerat *Nonnius Marcellus* ubi agit de indiscretis generibus, producens testimonia *Accii*, *Cœlii*, *He-*
E *minæ*, *Varronis*, ac *Virgilii*; Varronis quidem *lib.* IV. *de vita Populi R. Ita hujus belli horribilis finis facta.* Virgilii codex Mediceus omnium antiquissimus, in *lib. Æneid.* sæpius finem feminino genere elatam exhibet. Immo cum in *v.* 24. *lib.* I. *masculino* genere *quem finem* prius scriptum fuisset, *Turcius Apronianus* ita correxit:

— *QUAM das finem, rex magne, laborum.*

Lib. II. *v.* 554.

HAEC finis Priami fatorum &c.

III. *v.* 145.

QUAM fessis finem ferat &c.

V. *v.* 327.

— — *fessique sub IPSAM*
Finem adventabant.

V. 384.

F *QUAE finis standi? quo me decet usque teneri.*

XII. *v.* 793.

QUAE jam finis erit, conjunx? quid denique restat? 468

Quæ loca similiter *Nicolaus Heinsius* exhibuit in nitidissima *Virgilii* editione. Et sane in *v.* 554. *Hæc finis Priami fatorum*, eam lectionem *Servius* habet, uti & *Comminianus*, ac MS. codices, eam-

que *Erythræus*, *Donatus*, *Cerda*, *Farnabius*, alii-
que in *Virgilianis* editionibus servarunt. Gellius
lib. XIII. *cap.* 19. hæc *Valerii Probi* verba reci-
tat: *Sed in illo quoque itidem Virgilii versu:*

Hæc finis Priami fatorum,

simul ut &, Hic finis, *dicas*, *durum & absonum*
erit, *respuentque aures quod mutaveris.* Commi-
nianus antiquus Grammaticus apud Sosipatrum
Charisium *lib.* IV. *cap. de solœcismo pag.* 239. scri-
bit solœcismos fieri *per genera nominum:* Hæc fi-
nis *Priami* fatorum, *pro hic finis.* Verum homi-
nem errare certum est, cum tot *Romani* scripto-
res *Nonnio* laudati, finem feminino genere extu-
lerint. *Lucretius* aurei sæculi scriptor, qui obiit
eo ipso die quo *Virgilius* virilem togam induit,
Pompejo ac *Crasso* utroque iterum Coss. V. C. 699.
sæpius finem feminini generis facit. Ea loca ap-
pellabo, quæ ratione metri genus masculinum
excludunt. *Lib.* I. ait:

At nunc nimirum frangendi reddita finis
Certa manet.

Item ibidem:

Sive foras fertur non est ea fini profecto.

Lib. II. scribit:

Quæ quoniam non sunt in rebus abdita, certa &
Finis utrinque tenet summam.

Item ibidem:

Nulla 'st finis, uti docui, res ipsaque per se
Vociferatur.

Item ibidem:

Certa quidem finis vitæ mortalibus extat.

Valerius Probus apud *Pierium* in notis ad *lib.* II.
Æn. pag. 32. scribit veterum Grammaticorum re-
gulas finem masculini generis statuere, rationis
tamen musicæ gratia, à Virgilio feminino gene-
re exaratam. At *Cassius Hemina*, & *Terentius*
Varro soluta oratione finem feminini generis fece-
re. Immo ipse elegantissimus Latinæ Historiæ
scriptor *Livius*, si antiquis codicibus fides habea-
tur, non semel genere feminino posuit. Nam *lib.*
IV. *cap.* 2. ait: *Finem ergo non fieri nec futuram.*
Idem *lib.* XXII. *cap.* 57. *Quænam futura finis tan-*
tis cladibus foret. Gronovius pater in notis ad *lib.*
IV. ait: *Futuram ex omnibus MSS. & Campani*
atque Aldina editis scripsimus. Hæc quemadmo-
dum *Pisanæ* tabulæ characterem solide firmant,
ita etiam ex eadem ipsa quoque ingens auctorita-
tis pondus accipiunt. Nam in nulla hucusque
reperta inscriptione, *finis* feminino genere elata
legitur, nisi in hac Cajana tabula; in oratione
enim *Claudii* Cæsaris Gruteri *pag.* 502. *ad EX-*
TREMOS fines Galliæ Narbonensis legimus; at
in Pisana: *Ultra finis EXTREMAS Populi Ro-*
mani scalptum est. Unde iterum & somniatus in
Virgilii carmine *Comminiano* solœcismus, ac mu-
tatio generis ratione metri musici à *Probo* conficta,
refelluntur, simulque rejicitur censura, qua V.
C. eam loquendi phrasem in *Pisano* Cenotaphio
castigandam putabat.

Cap. IV.

469 *Recte in Cajano lapide* Devicteis *scalptum. Vete-*
res diphthongo EI pro I longa usi. Duæ voca-
les VV in eadem syllaba antiquitus nunquam po-
sitæ, sed loco alterius O, quæ tamen per V pro-
nuntiabatur. Hinc Volneribus *in eodem Ceno-*
taphio scriptum. Digamma à Claudio invectum.
Penultima syllaba superlativi nominis cum vocali-
bus I aut V pro libito elata. Obit *unica I si-*
ne errore ibidem legi. Composita à jacio *cum sim-*
plici I leguntur in vetustis saxis ac codicibus; se-
cus tamen Quintilianus *ac* Gellius *docuerunt.*

PLures insuper voces laudatus Scriptor in Ca-
jano lapide barbarismi incusat, quas tamen
juxta tritam aurei Latinitatis sæculi orthogra-
A phiam scriptas demonstro. Quod opponit legi
DEVICTEIS *pro devictis*, inane est. Quid e-
nim frequentius in vetustis inscriptionibus occur-
rit quàm diphthongus EI, ubi postea longior I
litera signata fuit? Varro *lib.* V. L. L. scribit:
A quibus iisdem principiis antepositeis præverbiis pau-
ceis, immanis verborum accedit numerus; quod præ-
verbiis additeis, atque commutateis, aliud atque a-
liud fit. In fastis Capitolinis legimus triumphos *de*
Latineis, Sabineis, Etrusceis, Pœneis, Sardeis, &c.
Id passim in omnibus S. C. ac plebis scitis appa-
ret, ut certe Lectorum patientia abuterer, si hic
innumera veterum monumentorum verba eo cha-
B ractere formata, colligerem: Apud Gruterum *pa-*
gina 500. legitur *Scriptei sunt.* Et: *Usei, Fru-*
cteive sunt, pro *Scripti, usi, fructi sunt.* Exstant
nummi Augusti cum epigraphe: CIVIBUS
SERVATEIS. Hinc Priscianus *lib.* I. *agens de*
ordine literarum, ait: *I quoque apud antiquos post*
E ponebatur, & EI diphthongum faciebat, quam
pro omni I longa scribebant, more antiquo Græco-
rum. *Panvinius* maximus ille *Romanæ* antiquita-
tis instaurator, in tabulis consularibus *pagina* 23.
in margine scribit: *Pax cum Partheis, signeis re-*
cepteis. Sane *Verrius Flaccus* quamvis imperante
Augusto, fastos triumphales concinnarit, ponit
C *Ventidii* triumphum *ex monte Tauro & Partheis.*
In nummis *Augusti* legimus: SIGNIS RECE-
PTIS, in aliis RESTITUTIS, non *recepteis*,
aut *restituteis.* Ita in Cajano lapide post *devicteis*
statim legimus *receptIs*, & *exceptIs*, longa I loco
diphthongi EI exarata, ut prior ille character ve-
terem orthographiam exprimat, quæ ad *Ciceronis*
usque tempora servata fuerat, ac à *Varrone*, aliis-
que viris doctissimis tum quoque retenta, quam-
vis *P. Nigidius Figulus* ipsi *Varroni* æqualis, a-
pud Gellium *lib.* IX. *cap. ult.* eam diphthongum
loco I præter rationem à majoribus inductam pro-
nuntiaverit.

D Vox etiam VOLNERIBUS, quæ in *Caji*
Cenotaphio legitur, antiquam orthographiam sa-
pit; siquidem nunquam VV jungebant in una
syllaba, sed loco secundæ ponebant O, cujus
postea rationem adducam. Plautus in *Truculento*
V, *ver.* 51. *Cave faxis volnus.* In *Mostel.* III. 2.
ver. 73.

Ad eam rem facere volt gynecæum novom.

Id quoque in Terentii comœdiis passim occurrit. 470
Ita in veteri inscriptione *pagina* 204. legimus:
RIVOM, & INIQUOM. Lucretius *libro* III.
de serpente caudam obtruncato, scribit:

Volnere tortari, & terram aspergere tabo:
E *Ipsam seque retro partem petere ore priorem*
Volneris ardenti ut morsu premat, icta dolore.

In toties laudato *Virgilii* codice Mediceo *volnus*,
& *vulnus* legitur, quæ diversitas scribendi, ex-
scriptori potius quam *Virgilio* tribuerim. *Lib.* XII.
v. 420.

Fovit ea volnus lympha longævus Iapyx
Ignorans: subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor: omnis stetit imo volnere sanguis.

Lib. II. *v.* 630.

Volneribus donec paullatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avolsa ruinam.

Lib. XI. *v.* 56.

F *Volneribus pulsum aspiciens &c.*

In aliis autem locis etiam vulneribus scriptum est.
Quædam tantum indicabo. *Lib.* III. *Georg.* v.
221.

Vulneribus crebris: lavit ater corpora sanguis.

Æn. XII. *v* 51.

—— & nostro sequitur de vulnere sanguis.
v. 943.
—— victum quem vulnere Turnus
Straverat &c.

v. 948.

Æn. XII. *v.* 948.

Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat &c.

Eodem charactere *Heinsius* laudata carmina edidit, postremo tantum excepto, in quo *volnere* reposuit. In *Lucii* tabula scalptum est: *Lignorumque* ACERVOS *ejus rei gratia quod annis ibi constituatur*, pro *acervus*. Quintilianus *lib.* I. *cap.* 7. scribit: *Nostri præceptores* cervom, servomque *V & O literis scripserunt, quia subjecta sibi vocalis in unum sonum coalescere, & confundi nequiret; nunc V gemina scribuntur.* Priscianus *lib.* I. ex *Papiriano* tradit *Romanorum* vetustissimos literam O loco V adhibuisse, additque: *Maxime digamma antecedente, hoc faciebant, ut* servos *pro servus*, volgus *pro vulgus*, Davos *pro Davus.* Immo etiamsi diversæ forent syllabæ, si V priorem terminabat, ac altera V sequentem inchoabat, loco alterutrius ponebant O. In inscriptione *pag.* 204. legitur: *Flovium, confluont, ager compascuos erit.* Terentius Scaurus *de Orthographia pagina* 2251. ait antiquos scripsisse *equom* & *servom* per *vo*; *quoniam*, inquit, *scierunt vocalem non posse geminari, credebantque & hanc literam geminatam, utroque loco in sua potestate servari, ignorantes eam præpositam vocali, consonantis vice fungi, & poni pro ea litera quæ sit F.* At plane illud non ignorabant, sed ex modo V. literam pronuntiandi, inferebant non posse geminari, quin syllaba augeretur, ita ut vox *servus* hanc pronuntiationem exigeret *ser-u-us* quod ineptum judicabant. Et sane cum *Augusto* imperante, prior V pro consonante acciperetur, *Claudius* Imperator, quod rem satis dubiam apud plerosque animadverteret, Æolicum digamma invexit, quod inversæ literæ Ⅎ forma exprimebatur. Ita in inscriptione eodem Principe, *Neroni* Cæsari dicata, hic appellatur Gruteri *pagina* 236. XVℲIR. VIIℲIR. ac princeps IVℲENTVTIS. Vide aliam inscriptionem *pag.* 1055. *Claudio* Cos. V. positam. Mortuo tamen *Claudio*, iterum duplex VV restituta fuit, cum digamma omisissent cum auctore demortuum, & Tacito *lib.* II. *Annal.* ubi de inventis à *Claudio* literis ait: *Aspiciuntur etiam*
471 *nunc in ære publicandis plebis scitis per fora ac templa fixo.* Verum Diomedes *lib.* II. *de arte Gram. cap.* de litera, digamma laudans, ait: *Hinc V item digamma ascribi solet, ut cum sibi ipsi præponitur, ut* serfus, fulgus. *Nam V literam geminari in una syllaba plurimi negant.* Ita eidem opinioni plurimi etiam tum obstinatius adhærebant; licet Augustea ætate V geminata fuisset, quod ex Ancyranis tabulis discimus, in quibus legimus: *Novo fonte in* RIVUM *ejus immisso.* At in altero elogio *M. Aurelio* Imperatore restituto, scalptum est: RIVOM *aquæ Marciæ.* Pag. 177. I. Sane Vossius *lib.* II. *de analogia cap.* 5. timidius scripsit *se non defendere qui ævo Augusteo in casu recto avos dicat.* Nam ea ætate ita plane scribebant, qui V in una eademque syllaba geminare recusabant. In *Pisana* tabula ævo Augusteo inscripta, *Acervos* in casu recto dicitur, & in codice *Virgilii* Mediceo legitur *lib.* IV. *Georg. v.* 19.

—— *& tenuis fugiens per gramina RIVOS.*

Pierius etiam in notis ad *librum* III. *Æn. v.* 703. *Arduus inde Agragas*, ait: *In antiquis ARDUOS.* Immo *Scaurus*, qui veteres loco VV per VO scribentes, uti *ignorantes* arguere non dubitavit, hæc statim scribit *pag.* 2251. *Equus & servus, & equum & servum per vus non per O efficere; excepto uno avia, avos; unde apparet avom debuisse dici.* Interim notanda quæ scribit Velius Longus in *lib. de Orthographia pag.* 2222. ubi cum dixisset veteres *primitivus*, *adoptivus* per V & O scri-

A psisse, ait: *Apparetque eos hoc genus nominum aliter enuntiasse. Nam cum per O scriberent, per V tamen enuntiabant.* Recte Cassiodorus in præfatione *libri de Orthographia*: *Itaque quod ante scribebatur per V & O, per duo VV modo scribere nobilis rectitudo scribendi per vias certissimas investigata esse videtur: & ideo præsens opus non desit directum, ut* VOLNUS, *vulnus.* Ex his patet nullo jure ab erudito censore vocem *Volneribus* in Cajano saxo reprehendi, cum famosum omnibus antiquis, & Augustea, immo & insequenti ætate plurimis frequentatum characterem exprimat.
B *Verum*, uti præmonuit Quintilianus *lib.* I. *cap.* 7. *Orthographia quoque consuetudini servit, ideoque sæpe mutata est.*

Insuper corrigitur vox SIMILLUMUM, quæ in eodem *Caji* Cenotaphio legitur; quod *simillimum* scribere debuerant. Insequentem autem vocem JUSTISSUMUM V. C. non emendat, quod *justissimum* per I perperam legit. Hæc tamen inania sunt. Nam veteres nomina superlativa in penultima syllaba per V sæpissime efferebant. Plautus in *Milite Act.* II. 2. *ver.* 20. ait: *Sed simillumus dicito esse.* In Rudente Act. III. 4. ver. 1. *sacrilegissume.* v. 17. *perjurissume.* v. 46.
C *impuratissume* vers. 49. *mendacissumus.* v. 52. *optumum, sincerissumum.* In Curculione *Act.* I. 1. scribit:

Huic proximum illud ostium occlusissumum,
Belissumum, hercle, vidi, & taciturnitissumum.

Velius Longus, quem superius ex *Gellio* ostendi ante *Antonini Pii* principatum floruisse, in sua Orthographia, cum *pag.* 2216. dixisset ambiguum esse, utrum per I quædam scribenda sint, an per V, ut est *optumus, maxumus*, hæc ait: *Erraverunt autem Grammatici, qui putaverunt superlativa per V enuntiari. Ut enim concedamus illis in optimo, in maximo, in pulcherrimo, in justissi-*
D *mo, quid facient in his nominibus, in quibus manet eadem quæstio, superlatione sublata, manubiæ an manibiæ; libido an lubido.* Quibus sane nequaquam negat superlativa in penultima syllaba recte per V enuntiari, sed ostendit in quæstione de V vel I in vocibus quibusdam scribenda, regulam à quibusdam Grammaticis traditam de V in superlativis 472
adhibenda, deficere, quod præter superlativa, dubium adhuc esset de quibusdam nominibus positivis, num per V vel per I scribenda forent. Quintilianus *lib.* I. *cap.* 7. scribit: *Etiam optimus, maximus, ut mediam I literam quæ veteribus V fuerat, acciperent, primum Cæsaris inscriptione tradi-*
E *tur factum.* Verum in *Duilii* columna ante ducentos annos quam Cæsar consul esset, inscriptum, legimus: *mAXIMOS macistratos*; quare Cæsar haud primus ejus characteris auctor videri possit. Ceterum diu ante Cæsarem scriptum est in tabulis vetustis Gruteri *pag.* 202. *ver.* 39. *Maxsume*, & pag. 206. ver. 3. *Proxumum*, & alibi *proxsumum*, uti *cap.* 2. indicavi. Cæsare vero per I ea nomina scribente, ceteri quoque eadem litera loco V uti passim consuevere. At V iterum repositam, & quidem ferreo Latinitatis sæculo testatur Marius Victorinus *in cap. de Orthographia pagina* 2456. de *Licinio Calvo* Oratore
F scribens: *Idem* optimus, maximus, *scripsit, non ut nos per V literam.* Hanc tamen suæ ætatis orthographiam eundem *Victorinum* non probasse patet ex iis quæ inferius docet *pag.* 2458. ubi ait scribendum *acerrimus, existimat, extimus, intimus, maximus, minimus &c. potius per I, quam per V.* In tabulis *Pisanis* scalptum utrumque; siquidem legitur *Maxsumi*, & *Maximi*, ut plane pareat utramque vocalem pro libito in penultima syllaba superlativorum id temporis adhibitam, ac proinde recte dictum: *simillumum ac justissimum.*

Ne

Ne quid tamen dissimulem in Mediceo *Virgilii* codice ea nomina per I efferuntur in *lib. Æneid.* II. *v.* 794.

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

v. 426.

—— cadit & Ripheus justissimus unus

Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.

In superlativo vero *maximus* in eodem codice modo I, modo V ponitur, ut §. 1. monstravi.

Præterea idem Scriptor in eodem *Cajano* lapide barbarismi incusat OBIT temporis præteriti; cum scribendum fuisset *obiit* cum duplici II. Sed neque hic in rectam orthographiam peccatum est. Nam *obit* pro *obiit* per sincopam scriptum fuit. *Pag.* 654. 5. hæc *Romana* inscriptio recitatur:

Ælia Saturnina OBIT uno insuper anno,

Nec saltus vitam protulit, aut choreæ.

Gruteri *pag.* 473. 6.

L. TERENTIO. VERO
IIVIRO. TEVRN
PR. IVR. DIC
OBIT. AN. LX. &c.

Pag. 74. 2.

QVI. K. AVGVSTIS. PRIMVS
MAGISTERIVM. INIT

Sæpius etiam in *Virgilii* codice Mediceo vetustissimo alterum I omittitur, quod antequam ostendo, *Lucretii* carmen recito ex *lib.* III. ubi cum
473 narrasset quorundam obitus, verbis præteriti temporis semper usus, ait:

Ipse Epicurus obit, decurso lumine vitæ.

Pierius in notis ad *Eclogam* III. *pag.* 14. *ad v.* 7. *objicienda memento* ait: *In antiquis omnibus codicibus OBICIENDA unico I in secunda syllaba legitur, & ita reliqua omnia quæ à* Jacio *componuntur.* Equidem in Mediceo *Virgilii* codice observavi omnia ea verba à *jacio* composita, unica I scribi. III. *Georg. v.* 389.

Reice, ne maculis infuscet vellera pullis.

v. 422.

Deice: jamque fuga timidum caput abdidit alte.

IV. *Georg. v.* 26.

Transversas salices & grandia conice saxa.

Lib. II. *Æneid. v.* 200.

Obicitur magis, atque improvida pectora turbat.

v. 236.

Subiciunt lapsus, & stuppea vincula collo.

VI. *v.* 835.

Proice tela manu, sanguis meus.

XII. *v.* 837.

Adiciam: faciamque omnes uno ore Latinos.

Hoc charactere passim leguntur eadem composita in vetustis inscriptionibus. *Pagina* 164. 1. in rescripto Imperatoris Vespasiani: *Si qua nova ADICERE voltis.* Ubi notandum etiam venit neque digamma, neque duplicem VV positum in verbo *vultis*, sed veterem orthographiam servatam; de qua plura in voce *Volneribus* dixi. *Pag.* 1081. 2. in rescripto *Domitiani* Cæsaris: *Huic epistolæ SUBICI jussi.* In antiquissima inscriptione posita *P. Rutilio Cn. Mallio* Coss. A. V. 649. legitur *pag.* 207. *Ad mare vorsum PROICITO.* Aliam exhibet *Manutius* in Orthographicis V. *Abjicio.* Ceterum Quintilianus *libro* I. *cap.* 3. scribit: *Quæret etiam hoc, quomodo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, cum consonantium coeat nulla, nisi alteram frangat. Atqui litera I sibi incidit; conjicit est ab illo Jacit.* Gellius etiam *lib.* IV. *cap.* 17. ait præpositiones *ob* & *sub* verbo *jacio* additas, neutiquam barbare produci, *secunda enim litera*, inquit, *in his verbis per duo II, non per unum scribenda est.* Additque: *Et ideo syllaba productius latiusque pronuntiata, priorem syllabam brevem esse non patitur.* Virgilius in allato carmine 236. *lib.* II. *subjiciunt* priorem syllabam longam facit, quam tamen Lucanus corripit *libro* VII.

A

Ipse manu subjicit gladios, ac tela ministrat.

Rectius ergo per duo II ex *Gellii* sententia scribitur, cum in carmine ea syllaba producenda est, qua de re vide *Pierium* laudatum ad 3. *Eclogam Virgilii.* Sed his omissis, ad præteritum OBIT revertor. Hoc sane *obi*, *obisti*, *obit*, præterito tempore indicativi conjugatum arbitror, quod exemplo præteriti verbi *redeo*, vel *pereo* ostendi potest. Virgilius II. *Æneid. v.* 275. ait:

B

Hectore qui redit exuvias indutus Achillei.

Propertius etiam *lib.* II. *Eleg.* 33. ait:

Tu quoque, ò Eurytion, vino, Centaure, peristi.

Valerius Probus, quod prænotavit *Pierius Valerianus* in notis ad Eclogam primam, scribit *Ciceronem* præteritum *perii* duplici II pronuntiasse: *At Terentium* peri *unico I pronuntiare maluisse; quod à secunda ejusdem temporis, STI detracta syllaba, primam fieri putaverit.* Itaque uti dictum: *peri*, *peristi*, *perit*, ita etiam *obi*, *obisti*, *obit*, citra errorem scribi potuit. In vetusto epitaphio *pag.* 339. legitur:

Pulchre vixisti, fato mortalis OBISTI.

C

CAP. V. 474

NI pro ne *in antiquis inscriptionibus ac scriptoribus legi. Diphthongus AE olim à Latinis, more Græcorum, per AI scripta. Num* Spoleis *in* Pisano *lapide perperam scalptum sit. Prænomina* Caji *ac* Cnei *per G pronuntiata: at per C vel G ad libitum scripta. Antiqui* Cabino *pro Gabino scribebant. Recte in Cajano Cenotaphio ALI pro* alii, *ac* perpetuom *legi. Quidam errores orthographici in* Pisanis *Tabulis à sculptoribus admissi, indicantur.*

D

CEtera quæ in *Pisanis* tabulis in reprehensionem vocantur, paucis expediam. Scribit memoratus censor perperam NIVE pro *neve* ibidem scalptum legi. Verum secus docent tum vetera alia monumenta, tum antiqui omnes Grammatici. In primis constat priori ætate NEI ac NEIVE à Latinis scriptum; illæ enim conjunctiones, seu ut mavult *Priscianus*, adverbia eo modo per diphthongum EI scripta passim leguntur in fragmentis legum de agris ac judiciis, quas *Antonius Augustinus*, *Sigonius*, ac *Gruterus* ediderunt. At illa diphthongo vel omissa, vel postea antiquata, modo per I, modo per E eædem voces scriptæ inveniuntur. In vetustissima inscriptione A. V. 649. posita, in *col.* 1. *pag.* 207. bis

E

NI legitur, & in *col.* 3. *Dum NI MINUS viginti adsient.* Item in decreto ante Cæsarum imperium *pag.* 629. dicitur: *DUM Ni in ieis viatoribus &c. legant.* In epitaphio *pag.* 996. 12. *Rogo per Deos superos inferosque, NI velitis ossa mea violare.* Servius Grammaticus in III. *Æneid. ad v.* 686. *NI teneant cursum*, scribit: *Antiqui* NI *pro* ne *ponebant, qua particula plenus est Plautus.* Ex quibus patet posteriori manu eam particulam in *Plauti* codicibus mutatam; siquidem *ne* ubique legitur. Priscianus sub initium *lib.* XV. ait: *NI quoque pro* ne *accipitur, sicut supradictus Virgilii versus ostendit:* Ni teneant cursus, *pro* ne teneant. *Quod etiam Donatus in comment. Æneid. affirmat, dicens: NI pro ne; sic veteres.* Vide Turnebum *lib.* XVII. *Adverf. cap.* 11. Passeratium ad *Eleg.* 7. *lib.* II. *Propertii*, aliosque ad *cit. v. Virgilii.*

F

Vox CAISARI cum diphthongo AI, quæ à V. C. erroris notatur, nusquam in *Pisanis* tabulis legitur; sed constanter cum diphthongo AE. Verum etiamsi eo charactere scripta fuisset, nullo jure

jure emendanda esset. Nam veteres Latini more Græcorum, diphthongo AI utebantur, cujus testis locupletissimus *Ennius*, qui passim ita scribit. Unicum locum appellabo ex *lib.* XVI. *Annalium:*

Reges per regnum, statuasque, sepolcraque quairunt;
Aidificant nomen.

In fastis Capitolinis *Aimilius*, *Ailius*, *Caisar* leguntur, qui posteriori ætate fuere *Aemilii*, *Aelii*, *Caesares.* Quintilianus *libro* I. *cap.* 7. *AI syllabam*, inquit, *cujus secundam nunc E literam ponimus, varie per A & I efferebant; quidam semper ut Græci: quidam singulariter tantum, cum in dativum vel genitivum casum incidissent. Unde* pictai vestis, & aquai *Virgilius amantissimus vetustatis suis carminibus inseruit.* In vetustis etiam inscriptionibus CAISAR legitur, Gruteri *pagina* 235. 8. & rursus 236. 4. 9. 238. 6. 9. In nummis etiam *Caisar* inscribitur, ut erudite observat doctissimus Span-
475 hemius *dissert.* 2. *de usu & præst. numis.* Consule *cap.* 19. indicis Gruteriani, ubi plura exempla densantur.

Præterea corrigitur in Cajano lapide vox SPOLEIS pro *spoliis.* Fateor in hac voce nusquam E pro I positam occurrere. In Capitolinis fastis ad A. V. 531. recitatur triumphus *M. Claudii Marcelli*, ubi legitur: *Isque SPOLIA opima retulit, duce hostium Virdumaro ad Clastidium interfecto.* Hosce vero triumphales fastos collegit *Verrius Flaccus Caji* ac *Lucii* Cæsarum præceptor. In vetusto etiam *Virgilii* codice Mediceo *spolia* per I. scripta leguntur. *Lib.* IX.

Victores præda Rutuli, spoliisque potiti.

Verum neutra secundæ declinationis recto casu in *ium* desinentia, non paucos per *eum* extulisse testatur Charisius *lib.* I. *Instit. Gram. pag.* 56. scribens: *Pallium, scrinium, dolium, allium, solium; sic enim dici debent, non ut alii diserti dicunt, alleum per E, & doleum, & palleum.* Eos vero sic scribentes non imperitos de plebe viros, sed *disertos* vocat. Et sane in veteri Kalendario apud Gruterum *pag.* 139. ad mensem Septembrem DOLEA, non autem *dolia* legitur. Pierius in *eclogam* 2. *Virgilii* scribit: *Ejus quoque*, nempe allii, *syllaba pene ultima negotium facessit antiquis Grammaticis, quum ea jam ætate vulgatum esset per E Alleum scribere, quod adhuc in vetustis aliquot codicibus habetur; ita doleum & palleum.* Codicem laudatum *Virgilianum* appellare non possum, quod quinque priores Eclogæ cum parte sextæ ad carmen usque 47. interiere. Sæpius vero E pro I positum plurimis exemplis ostendit Dausquius *pag.* 33.

Arguit etiam quod GAI pro *Caji* scalptum est. Hæc tamen minus erudita censura est. Diomedes *lib.* II. ait: *G nova est consonans, in cujus locum C solebat apponi, hodieque cum Gajum notamus Cæsarem, scribimus C. Cæsarem.* In columna Duiliana C pro G scribitur; ibi enim *leciones*, *macistratos*, *Cartacinienses*, *pucnando*, legimus. Quintilianus *lib.* I. *cap.* 7. ait quædam aliter scribi, aliter enuntiari. *Nam Gajus*, inquit, *C litera notatur.* Terentianus Maurus *pag.* 2402. in fine scribit:

Vel priores G Latini nondum ab apice finxerant.
Cajus prænomen proinde C notatur, G sonat.

Dausquius *par.* I. *Orthograph. cap.* 5. scribit: hanc rationem delumbatam esse. *Nam*, inquit, *cum C scriberetur, nondum adinvento G, credibile cuiquam est C sonuisse sonore ipsius G? Non opinor, non enim erat; quonam igitur ore exprimerent?* Miror hunc Scriptorem contendere de veterum pronuntiatione cum *Quintiliano* aliisque vetustissimis Latinæ linguæ magistris. Litera C non eodem sono in omnibus vocibus efferebatur; nam in quibusdam sonum G præferebat. Hinc *Spurius Carvilius* libertus parvo apice inferiorem partem C signans, teste *Plutarcho* in *quæst. Rom.* literam G præformavit, qua postea Latini usi sunt in iis verbis perscribendis, quæ diverso sono à ceteris, in quibus erat C, efferebantur. Ceterum in prænominibus *Caji* ac *Cneji* eadem vetus litera C remansit, quæ tamen uti antiquitus G sonum habebat. Equidem *Cajum* cum sono G *Gajum* pronuntiatum *Quintilianus* testatur. Cur vero literam G non adhibebant, nisi ob reverentiam vetustissimi prænominis C litera designati? Græci quidem cum *Gajum* atque *Gneum* litera G pronuntiari intelligerent, imo audirent, gamma iisdem prænominibus præposuerunt, ac Γάϊος, Γνάϊος Græce scripta leguntur. Sed Latinos quoque 476
non paucos G litera usos testatur antiquus scriptor de nominibus *Romanorum*, qui appendicis loco ponitur in volumine Valerii Maximi: *Alii*, inquit, *Neum, alii Gneum, alii Cneum scribunt. Qui G litera in hoc prænomine utuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea litera usa est.* Hoc tamen postremum ex proxime dictis falsum apparet; siquidem paullo post initium sexti sæculi ab Urbe condita, litera G in usum venit. Marius Victorinus in *Orthographia pagina* 2456. ait: *Gneus Pompejus Magnus & scribebant & dicebant.* At secus fuisse non solum Fabius laudato *cap.* 7. sed ipsæ inscriptiones vetustissimæ ostendunt. In Capitolinis fastis *Cneus* hisce notis exprimitur CN. Verum cum plerique contenderent eodem modo scribendum quomodo & loquebantur, cum *Gajum* pronuntiarent, *Gajum* quoque scribebant. Ea de re gravis inter veteres Grammaticos controversia fuit. Cornutus Annæus in *excerptis à Cassiodoro* ait: *Nonnulli putant auribus deserviendum, atque ita scribendum, ut auditur. Ego*, inquit, *non omnia* auribus dederim. *Papirianus* apud eundem *Cassiodorum* secus sentiens, *aliter*, inquit, *scribere, & aliter enuntiare vecordis est.* Quid hac de re *Augustus* judicaverit, prodit Suetonius *cap.* 88. de eodem scribens: *Orthographiam, id est, formulam rationemque scribendi à Grammaticis institutam, non adeo custodiit; ac videtur eorum sequi potius opinionem qui perinde scribendum ac loquantur, existimant.* Apud Gellium *libro* XV. *cap.* 7. *Augustus* epistolam ad *Cajum* Cæsarem hisce exorditur: *Have, mi Cai, meus ocellus jucundissimus &c.* Sed *Caji* prior litera variari potuit ab exscribente. Ex tabula *Pisana* videtur colligi Augustea ætate eo in prænomine tum C tum etiam G literas pro libito usurpatas. Nam ibidem etiam legitur: *Cum ad IIII. Nonas Apriles allatus esset nuntius CAJUM Cæsarem &c.* Unde *Victorinus* dixit veteres in *Cneo* etiam scribendo, G literam posuisse, non quod omnes, sed quod plerique ita scribebant. Inter inscripta antiquitus saxa, quæ in Cimeliis alias mihi laudati *Apollonii Bassetti Florentini* Magno Duci *Etruriæ* à secretis, servantur, visitur urna elegantissima cum epitaphio:

V. F
GNEVS. PECCATIVS
BALBVS. VI. VIR
SIBI. ET. Q. PEC
VIXIT. AN. LXI

Ex iis quæ proxime dixi, alterius vocis character in cenotaphio *Lucii* Cæsaris defenditur, quem idem censor corrigit, nempe: CABINO *ritu*, pro *Gabino ritu.* Quod enim ante G inventam, Urbs *Cabiorum* in *Volscis*, ejusque populi in sacris peragendis, cinctus *Cabinus* diceretur, inducta

etiam consuetudine literæ G, à plerisque litera antiqua C retenta fuit, quamvis sono G proferretur. Habemus hujusce scribendi formulæ testem Marium Victorinum hæc in *cap. de Orthographia* scribentem: *Apud antiquos C poni solitum, ut pro agro Gabino, Cabino: pro lege, lece: acna, pro agna.* Itaque Pisani vetusta litera usi sunt. In Mediceo *Virgilii* codice G legitur *lib.* VII. *v.*
477 612.

Ipse Cyrinali trabea, cinctuque Gabino.

& *v.* 682.

Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ Junonis &c.

Ubi vox illa *Cyrinali* Græcorum more scripta est; hi enim *Cyrinum* scribebant, quem Latini *Quirinum*, uti patet ex *cap.* 2. Euangelii *D. Lucæ*; nam pro *Latino* Q ipsi K reponunt.

Duo insuper verba contra Orthographiæ regulas scalpta in *Cajano* lapide reprehenduntur, videlicet: ALI magistratus pro *alii*, ac LEGITUME pro *legitime*. Hæc tamen ex superius productis facile defenduntur. Nam uti dictum est ad *U. IMPERI*, sæpe unica litera I pro duplici II in vetustis monumentis posita fuit. In veteri inscriptione *pag.* 1081. dicitur: *Si qui ALI at fines sunt.* Recte etiam LEGITUME legitur. Etenim ex præmissis in penultima syllaba loco I ponebatur U; ita *optume*, *maxume*, *legitume* veteri formula Latini scribebant. Haud necesse est serram per eandem lineam reciprocare. Denique censuræ subjicit, quod prope finem Cajanæ inscriptionis habetur: IN PERPETUOM *ita fieri, agi &c.* ubi ait scalpendum fuisse *in perpetuum.* Hunc quoque scrupulum Censori superius evulsi. Nam quoties duplex U, etiam ubi digamma non interveniebat, simul scribenda erat, posteriorem in O permutabant; ita *compascuos*, *arduos* &c. in vetustis monumentis legitur. Immo *Perpetuom* diserte à *Plauto* non semel positum videmus. In *Cistel. Act.* 1. 3. *v.* 46. ait:

Ut sunt humana, nihil est perpetuom datum.

In Epid. I. v. 15. *Quid ais? perpetuom valuisti?* In Curculione I. 3. v. 33. *Nullum est homini perpetuom bonum.* Hoc ipsum apparet in fragmentis vetustissimarum legum, quæ ante Ciceronis ætatem conditæ sunt. *Pag.* 506. *ver.* 27. & 444. 8. legitur: IN PERPETUOM. *Pag.* 207. col. 2. *marginem* PERPETUOM. In Narbonensi lapide Augusto inscripto, habetur in titulo: *Votum susceptum à plebe Narbonensium IN PERPETUOM*; & postea versu 11. *Qui se Numini ejus in PERPETUUM colendo obligaverunt.* Gruteri pag. 229. Hinc patet Augusteo sæculo utramque vocalem pro libito ea in voce usurpatam.

Hactenus de verbis quæ vir eruditus in *Pisanis* Tabulis uti minus Latine aut dicta, at saltem scalpta, barbarismi incusabat, quæ tamen locupletissimis testimoniis, de quorum fide dubitare nemo possit, aurei sæculi Latinitatis characterem præ se ferre demonstravi. Ceterum ut amanuenses, & librarii non semel ab idiographo aberrare solent, idem etiam lapidariis scalptoribus contigisse innumeræ veterum inscriptiones multis erroribus corruptæ, ostendunt. Neutra Pisana tabula ab hoc infortunio immunis fuit. In Cenotaphio *Lucii versu* 12. legitur: *Per consesum*, pro *consensum.* In v. 25. ponitur *Habeant* loco *abeant*, à verbo *abeo*, *abis.* In postremo versu est OMIA sine N, cum *omnia* legendum sit, quos sane errores lapidarii fabri vitio deputandos, nullus, ut arbitror, inficias ibit. In Cajano vero saxo *v.* 21. DECESUS legitur; verum ante septem versus ibidem recte scalptum est: EX DE-

A CESSU, S geminata. Unus hic tantum levissimus error in prolixa illa inscriptione scalptori excidit. 478

CAP. VI.

Aurei Latinitatis sæculi Orthographia ex Pisanis *Cenotaphiis demonstratur.* Nuntius, *ac* Nuntio *non per C, sed per T scribenda.. Dausquii dictum confutatum.* Felix *sine diphthongo OE.* *Pisana inscriptio producitur.* Mæstus *ac* Mæror *cum diphthongis AE & OE antiquitus scripta.* Non dum *sejunctim exarandum.* Alliensi *cum unica L scribendum* Manutius, Sigonius, *aliique perperam dixere.* Servii *error notatur.*
B In præsentia *phrasis aurei eloquii.* *Vox* impræsentiarum *ante* Ciceronis *tempora usurpata, secus ac* Scioppius *censuit.* *Scæna cum diphthongo AE in inscriptis saxis sæpius occurrere, aliter ac* Scaligero *judicatum.* Auctor *cum CT, non cum TH in vetustis elogiis legi.* Aspicio *cum D scribendum* Dausquius *falso putavit.* Bedam *cum duplici SS* asspicio *scribens, rejicitur.* Virgilius *solæcismi inepte à* Comminiano *ac* Donato *incusatur.* *Nomina singularia collectiva eleganter verbo plurali juncta.* *Plura* Virgilii *ac* Livii *testimonia producta.* Sæpio *cum diphthongo*
C *AE in vetustis saxis ac codicibus legi.* *Varia orthographia in voce* solemnis. In *Præpositio in compositis non mutata.* *Vox* Magistratus *in quas syllabas, secus ac Grammaticis visum, antiquitus divisa.* *Accentus in* Pisanis *Tabulis signati, exponuntur, ac veterum Grammaticorum canones de iisdem recitantur.*

LIteratos lapides rectam scribendi formulam docere, eosque vetustis quibusque codicibus præferendos nullus inficias ibit, præsertim vero si illi aureo Latinitatis sæculo inscripti fuerint; unde & ad eorundem obrussam recta scribendi ratio exigenda est. Hinc quorundam verborum
D characterem ex *Pisanis* Cenotaphiis utpote Augustea ætate exaratis, hic subjiciam, ut aurei sæculi orthographia intelligatur. In *Cajano* lapide *versu* 7. legitur: *Cum allatus esset* NUNTIUS *Cajum* &c. & v. 21. NUNTIATUS *esset.* Itaque *Nuntius* per T non per C scribendus est, uti etiam verbum *nuntio* cum compositis *denuntio*, *enuntio*, *pronuntio.* Manutius in Orthographicis monet etiam in *Virgilio Carpensi* ita legi. Et sane in eodem codice, qui modo Mediceus est, *lib.* XI. *Æn. v.* 547. scribitur:

Cui Pyrrhus: referes ergo hæc, & nuntius ibis.

& L. II. v. 540.

E *Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.*

Illustrissimus *Boldonus* in *Pisana* tabula laudata *nuncius*, & *nunciatus* præter lapidis characterem edidit. Vossius *lib.* 1. *de analogia cap.* 36. ait: *Classicis nuncius.* At omnium classicorum auctoritas infra Pisani lapidis fidem est. Dausquius *par.* 2. *in fine tract.* 13. scribit: *Alter an omnino lapidem literatum viderit, cui* Nuntius *per T, nullus mihi dictat nuncius.* Ibi vero per C scribendum con- 479
tendit, quod sit *à nunc & ciendo*, *quod rei nunciatæ audienti* nunc *primum desiderium* cieat, *& cognitionem exacuat.* Hanc tamen etymologiam lapis *Pisanus* elidit. Et sane in verborum origi-
F ne deducenda vel ipse *Varro* dum acutus videri voluit, quandoque ridiculus evasit. Verum profert cum *Manutio* inscriptionem, in qua *denunciatores* per C leguntur. Est illa æneæ ætatis anno quinto *Antonini Pii* scalpta, nempe centum ac quadraginta annis post Cajanum cenotaphium. In antiquissimo S. C. ante *Ciceronis* ætatem edito, Gruteri *pag.* 499. 12. legitur: *Vobeis NONTIATA esse. Lipsius*, *Lambinus*, *Gronovius*, aliique litera C *nuncium* extulerunt.

In

In v. 10. legitur: FELICITER *peregerat.* Igitur in Orthographiam peccant priorem syllabam per diphthongum OE scribentes, cum simplicem vocalem E exigat. In elogio tamen quod *Decio* Imperatori dicatum *Feltriæ*, quæ *Venetorum* urbs est, etiamnum visitur, sculptum est: *Pio Fœlici.* Insignis tamen inscriptio censenda est, quod ibidem dicitur: *Trib. Pot. III. Cos. II.* nam in annis *Decii* viris eruditissimis erratum est. Sed de hoc alias dicemus. *Manutius* nummorum ac lapidum inscriptiones plurimas addensat, in quibus *Felix* sine diphthongo ponitur. Videndus etiam Spanhemius *dissert.* 8. *pag.* 726. In Augusteæ ætatis elogio apud Gruterum *pag.* 229. legitur: *Quando eum sæculi FELICITAS Orbi terrarum Rectorem edidit.* Unum hic epitaphium producam, quod *Pisis* quinque ab hinc annis extabat, at *Florentiam* postea advectum, in peristylio Musei Magni Ducis *Etruriæ* cum aliis inscriptis antiquitus saxis visitur.

D M
M. VLPIO. AVG. LIB
VERNAE
AB. EPISTVLIS
LATINIS
VIBIA. THISBE
VXOR
INFELICISSIMA

Hic *M. Ulpii Trajani* Augusti libertus fuit, ac eidem ab epistolis Latinis. Hæc autem inscriptio inter officia domus Augustæ apud *Gruterum* non legitur.

Versus 17. ita initio detruncatus legitur: M... OREM. *Pichena* reposuit MAJOREM. Recte vero Boldonus MOERORem. Nam periodus orationis id exigit; siquidem scribitur: *Eaque res non dum quieto luctu, quem ex decessu L. Cæsaris fratris ejus Consulis designati &c. Colonia universa susceperat, renovasset, multiplicassetque mœrorem.* Esset enim cacophonia *multiplicassetque majorem*, ac aureo sæculo non digna locutio. Ipse quidem *Mœrorem* cum diphthongo œ reposui, ita
480 tamen ut censeam diphthongum AE characterem antiquiorem exhibere. Profecto in Mediceo nunquam satis laudato *Virgilii* codice, semper diphthongus AE scripta fuit. *Lib.* IV. *v.* 32.

Solane perpetua MAERENS carpere juventa?
v. 82.
Sola domo MAERET vacua, stratisque relictis.

Variant tamen scriptores diphthongum, quibusdam OE, aliis AE ea in voce adhibentibus; utrisque vero vetustæ inscriptiones suffragantur. Cum AE legitur *pag.* 717. *ult.* 799. 8. *Pag.* 707. 4. hocce epitaphium ponitur:

Parce tuam conjunx fletu quassare juventam,
Fataque mAErendo sollicitare mea.

Et *pag.* 939. 1. in altero:

Nondum secura dum flet mAEstissima mente
Occidit, & tristes decepit mAEsta fovendo.

In aliis tamen epitaphiis visitur diphthongus OE, *pag.* 669. 10. 673. 12. 712. 4. 619. 9. 832. 8. 851. 12. & *pag.* 1003. 4.

MOEsta soror, mOEsti fratres, mOEstique parentes,

Et *pag.* 556. 1. legitur:

AELIA AELIANA
PARens MOERens
FILia MERenti
P C

Præterea in v. 14. visitur adverbium temporis
A NON. DUM disjunctim medio puncto sculptum, quæ tamen verba *Pichena* perperam juncta exhibuit. Illa autem in epitaphio ex *pag.* 939. proxime recitato, conjunctim leguntur. *Manutius*, licet in memorato saxo secus positum dicat, ait: *Non dum disjunctim scriberem*, laudatque locum quendam *Ciceronis*, ex quo tamen ad arbitrium exscripto, nihil certi probari possit. Dausquius *pagina* 212. conjunctim scribendum docet. Neuter aureæ ætatis orthographiam, quæ in nostro Cenotaphio apparet, observare potuit. Hoc ipsum ex analogia DUM TAXAT deduci potest,
B quod disjunctim medio puncto in duabus vetustis inscriptionibus, florentis rei publicæ *Romanæ* tempore, in æneas tabulas relatis, conspicitur *pagina* 505. & 507. cum tamen Dausquius *Dumtaxat* scribat, ne quidem de disjunctione dubitans, uti etiam *Manutius.* In posterioris ævi inscriptionibus *pag.* 573. 1. 574. 6. *Dumtaxat*, & *pag.* 275. 1. *Dumtaxat* conjunctim sculptum est. At adverbium *Non dum* majori *Romana* litera conjunctim in sæpe memorato codice *Virgilii* scribitur *lib.* II. *Georg. v.* 322.

NONDUM hiemem contingit equis; jam præterit æstas.

Ubi etiam vides *hiemem* sine y scribi. Sed hoc
C nihil ad *Cajanum* lapidem. Invaluit autem consuetudo *Nondum* junctim scribendi, quam tamen ita retinendam censeo, ut qui secus scribat, vetustissima nostri lapidis orthographia defendi possit.

In versu 25. dies quo *Cajus* Cæsar decessit, decernitur PRO ALLIENSI deputandus. In charactere *Alliæ* fluminis, unde dies acceptæ apud ipsum cladis à *Romanis*, *Alliensis* dicta, *Ser-*
vio erratum fuit, idemque doctis viris Manutio 481
ac Dausquio imposuit. Servius ad *vers.* 717. *libri septimi Æneid.*

Quosque secans infaustum interluit Allia nomen,

D scribit: *Sane Alia dicitur, cui additur unum L propter metrum, ut relliquias. Lucanus bene posuit, ut: Quas Aliæ clades.* Idem postea tradidere *Manutius*, ac *Dausquius*, & ante utrumque Sigonius *in notis ad epitomem Livianam lib.* V. docet: *Aliam scribendam uno L; & dies Aliensis;* tum quia *Servius* id olim monuerat, tum quia Plutarchus *in Camillo* ἀλίαν unico L exaravit. Horum tamen orthographiam redarguunt plura testimonia *Varronis*, *Livii*, *Ciceronis*, *Taciti*, *Suetonii*, ac *Macrobii* mihi dissertatione III. *cap.* 3. laudata, in quibus constanter cum LL geminata *Allia* legitur. Sed locupletissime id ostendit *Cajana* ta-
E bula, in qua diserte habetur: *ALLIENSI. Servius* vero *Lucani* sensum neutiquam assecutus est. Etenim *lib.* VII. scribit:

Non istas habuit pugnæ Pharsalia partes,
Quas aliæ clades.

Ubi *aliæ* relativum nomen est, non vero fluvii nomen proprium. Comparat enim ibidem cladem Pharsalicam cum aliis cladibus. Et sane in eodem *libro* VII. superius idem *Lucanus*, ut in MSS. Mediceis constanter legitur, scripserat:

Et damnata diu Romanis Allia fastis.

Plutarchum scriptorem Græcum non moror; quamvis librariis error ille adscribi possit; nec
F res tanti momenti est, ut velim vetustos codices consulere, cum ex *Pisano* cenotaphio recta ejus nominis orthographia extra dubium ponatur.

In *vers.* 26. legitur: *Notarique in præsentia, omnium jussu ac voluntate.* Augusti ac Ciceronis ætate *in præsentia*, non autem *impræsentiarum* dicebant. Cicero *libro* XV. *ad Atticum epistol.* 20. *Hoc*, inquit, *video in præsentia.* Pompejus Magnus inter epistolas *libri.* VIII. *ad Atticum* 19. ait:

Quot in præsentia cohortes contra te habeat Cæsar. Qua phrase in altera epistola ibidem utitur. Livius lib. XXI. *Id quod maxime in præsentia desiderabatur.* Et lib. XLII. *Queis legati nullo in præsentia responso dato, Chalcidem se sequi jusserunt.* Scioppius maximus ille Latini sermonis censor, in *libro de stylo historico pagina* 118. Casaubonum carpit ac Thuanum, quod hic semel & iterum *in præsentiarum*, ille vero *impræsentiarum* dixerint, vocatque vocabulum *lutulentum*, nempe *lutea demum Latini sermonis ætate fabricatum.* Verum antiquitus illud vocabulum usurpatum patet ex *lib.* I. *Annalium C. Fannii*, cujus hæc verba Priscianus recitat *lib.* XIII. *cap. de secunda declinatione pronominis pag.* 960. *editionis Putschianæ*, quam secutus sum ubicumque in hac dissertatione veteres Grammaticos appellavi: *Cum*, inquit Fannius, *in vita agenda didicimus multa, quæ impræsentiarum bona videntur, post inventa, & multo amplius alius modi atque ante visa essent.* Cicero in *libro de amicitia* dialogum recitat habitum à *C. Fannio C. Lælii* genero, cum Lælio socero ac Mucio Scævola *paucis diebus post mortem Africani*; hic autem cum pridie quam excessit è vita, à Senatu P. Q. R. sociis & Latinis domum reductus, mane in lectulo repertus est mortuus *M. Aquillio*, *C. Sempronio* Coss. ex Vellejo *libro secundo* V. C. 625. Itaque eo anno *C. Fannius* vivebat, de quo scri-
482 bit *Cicero* in Bruto: *Ejus omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta, perspici potest.* Bruti *epitomam Fannaniorum*, id est annalium, nominat Cicero *lib.* XII. *ad Atticum epist.* 5. Ex his constat contra *Scioppium* vocabulum *impræsentiarum* diu antequam *Cicero* nasceretur, Latinis scriptoribus usitatum, quod etiam in *Catonis* fragmentis legi idem *Scioppius* fatetur, sed putat recentiori librarii manu intrusum, quod quidem ridiculum est. Nam ea ratione quælibet verba quæ Grammatici ex scriptoribus *Cicerone* ac *Varrone* vetustioribus producunt, in dubium revocari possent, ac luteo Latinitatis sæculo ficta judicari; neque enim ex invariatis lapidum inscriptionibus probari possunt.

In versu 30. legitur: *Nive qui ludi SCAENICI CIRCIENSESVE eo die fiant.* Julius Scaliger ineptos vocat scribentes *scaenam* cum diphthongo AE. At non ineptus Varro libro VI. L. L. dum scribit: *Obscænum dicitur à* scæna, *& ut Græci scribunt, & Accius scribit* scena. *In pluribus verbis A ante E alii ponunt, alii non, ut quod partim dicunt* sceptrum, *partim dicunt* scæptrum *&c.* Quod enim scæna à Græcis non per αἰ sed per η scribebatur, ab *Accio* more solito η in ε in Latino vocabulo mutata est. In vetustis inscriptionibus cum diphthongo SCAENA passim occurrit: *pag.* 330. 1. 331. 4, 6. 583. 1. 655. 1. & alibi, ut palam fit *Accii* charactere antiquato, *Varronis* literas invaluisse. Cum vero laudatæ inscriptiones post *Augusti* imperium positæ fuerint, ex *Pisano* lapide omnium antiquissimo, diphthongus AE in voce *Scæna* aureo Latinitatis sæculo usurpata intelligitur. In *Virgilii* codice Mediceo scæna cum diphthongo scripta est; quamvis semel cum E simplici etiam legatur. In III. *Georg. v.* 24.

Vel scena ut versis discedat frontibus, utque &c.

Verum in aliis ejusdem codicis carminibus diphthongus inserta visitur. In *lib.* I. *Æneid. v.* 168.

—— —— *tum silvis scæna coruscis.*

v. 433.

—— —— *scænis decora alta futuris.*

Lib. IV. *v.* 471.

Aut Agamemnonius scænis agitatus Orestes.

In *vers.* 41. scribitur: *Eorum publica* AUCTORITATE *adhibita, legitume id caveatur*, AUCTORIBUSQUE *iis in tabulas publicas referatur.* Variatum & quidem contentiose in orthographia vocis *Auctor*, & *Auctoritas.* Nam Jul. Scaliger in *lib. de causis* L. L. ac *Erythræus* putarunt scribendum *Autor*; Ramiresius aliique multi malunt *Author* scribere, ac ita plane scribit *Famianus Strada.* Plurimi vero *Auctor* cum CT exarant. Hanc postremam scribendi formulam ex quibusdam inscriptionibus *Manutius* ac *Dausquius* erudite firmarunt. At illæ sæquioris ævi sunt, quibus tamen ingens auctoritatis pondus ex *Augusteæ* ætatis *Pisano* monumento accedit. Præterea in oratione *Claudii* Imperatoris de civitate *Gallis* danda, quæ in lapideas tabulas relata fuit, Gruteri *pag.* 502. legitur: *Nam & hoc inter* AUCTORES *discrepat.* Eodem modo scriptum est *pag.* 197. 5. 370: 3. 386. 3. 443. 6. 452. 5. 647. 6. Verum *Auctor*, vel cum H. *Author* antiquitus etiam quosdam scripsisse colligi possit ex libello *M. Probi* de Notis, ubi ait: AUT. vel AUTH. vel AUC. *Autoritas*, vel *Auctoritas.* Probus autem circa *Trajani* imperium vivebat, uti superius adnotabam. Quæ ex libris afferuntur testimonia, quod illi recentiori manu scripti sunt, mi- 481
nus auctoritatis habere videntur. Ceterum in vetustissimo illo *Virgilii* codice Mediceo *Auctor* legitur. *Lib.* VI. *v.* 651.

Ilusque, Assaracusque, & Trojæ Dardanus AUCTOR.

Et *L.* XII. *v.* 158.

Auctor ego audendi.

In Cenotaphio *Lucii* versu 14. legitur: ASPICIENDIQUE *uter eorum &c.* Dausquius *parte* 2. *tract.* 1. *pag.* 11. *V. Adscisco* ait: *Omnino ante S, Ad incolumen servari vel subjectis binis consonis, ut Adsello, Adscendo, Adspiro, Adspicio;* quem scribendi modum alii quoque servarunt præpositionem *ad* in eo verbo composito retinentes; spicio enim antiquitus usurpabatur. Plautus in *Milite Act.* III. *Sc.* 1. *v.* 100. ait: *quo supercilio spicit.* At postea compositum tantum *aspicio* in usu fuit. Erratum sane *Dausquio* aliisque qui integram præpositionem retinendam putarunt. Nam in nostro Pisano lapide omittitur. In vetusta etiam altera inscriptione *pag.* 655. QUEI ASPICIS. & *pag.* 653. 8. in qua ADSERIT legitur. D in verbo *aspicio* omittitur:

Amissos ornat titulis: en aspice junctos.

Et *pag.* 450. 5.

Te canat & placidum jugiter aspiciat.

Papirianus apud *Cassiodorum* scribit: *Necesse est hanc literam interire, id est D, ut aspiro, aspicio.* In collectione Putschii *pagina* 2293. Priscianus *libro* 1. *cap. de numero literarum* versus finem *pag.* 560. ait: *Subtrahitur D etiam cum sequens syllaba ab S & alia consonante incipit, ut aspiro, aspicio, ascendo, asto.* Idem eodem *lib.* 1. *pag.* 569. scribens de verbis à præpositione AD compositis, ait; *Subtrahitur etiam*, nempe D, *in quibusdam, cum sequens dictio à gn, vel sp, vel sc incipit, ut agnitus, aspectus, ascendo. Aliis enim sequentibus literis, integra manet in compositione, ut adbibo, adhæreo, admitto, adquiro, advoco.* Ita vetusti Grammatici *Pisano* lapidi similiter scribendum judicarunt. Hinc corrigendus *Beda*, qui initio libelli de Orthographia scribit: *Asspiro, asspicio sine D scribenda sunt per duplicem S, licet cum AD præpositione composita sint, quia perit ibi D.* Verum quamvis ibi D pereat, nulla litera ejusdem loco substituenda est. In optimo illo æque ac vetusto Virgiliano codice Mediceo legitur *lib.* IV. *Æneid. v.* 372.

Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.

Et *lib.* XI. *v.* 56.

Volneribus pulsum aspicies.

In

In vers. 26. legitur: *Utique locus, quo ea STRUES CONGERANTUR, COMPONANTUR, pateat &c.* Quod *strues* nomen singulare, sed collectivum est plura significans, recte plurali verbo jungitur, nempe: *& strues congerantur &c.* Miror hæc doctos alioqui Grammaticos ignorasse. Nam Comminianus apud *Sosipatrum Charisium pag.* 239. inter species solœcismorum recenset eum qui fit *per numeros, ut:* pars in frusta secant (Virgilii *lib.* I. *Æneid.* hemistichium est ad *v.* 216.) *pro* secat, *posuit pluralem numerum pro singulari.* Quem solœcismum *per numeros* eodem in versu notat *Donatus pag.* 2769. Verum perperam poetarum Principem in ea constructione solœcismi incusarunt, cum ea dicendi formula, & quidem eleganter sæpius usus fuerit. In *lib.* II. *Georg. v.* 14.

Pars autem posito surgunt de semine, ut altæ
Castaneæ &c.

Lib. II. *Æneid. v.* 400.

—— —— pars ingentem formidine turpi
484 *Scandunt rursus equum, & nota conduntur in alvo.*

Et *lib.* XII. *v.* 278.

Pars gladios stringunt manibus: pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt.

Et *lib.* XI. *v.* 466.

Pars aditus urbis firment, turresque capessant.

Ita quod eques ac pubes pro equitatu, seu plurium equitum vel juvenum turma ab eodem poeta accipiuntur, plurali verbo junguntur *lib.* X. *v.* 238. qui ita in Mediceo codice scribitur:

Jam loca jussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques.

Lib. V. *v.* 119.

—— triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt.

Farnabius præter MSS. fidem, ac passim vulgatam editionem *tenet* reposuit. Hanc vero scribendi formulam Oratores quoque & Historici eleganter secuti sunt, à quibus nomina singularia collectiva, *civitas, plebs, populus, pars, numerus, &c.* vel partitiva, *quisque, alius, uterque, neuter*, verbo plurali juncta leguntur. Ex uno *Livio* pauca ex plurimis quæ occurrunt, testimonia exhibeo. *Lib.* VII. *cap.* 19. *Delecti nobilissimus quisque qui Romam mitteretur.* Lib. XXVII. cap. 51. *Tum enim vero ætas omnis currere obvii; primus quisque oculis auribusque haurire tantum gaudium cupientes.* Ibidem cap. 3. *Par numerus Romanorum sociorumque eodem in præsidium cum frumento missi sunt.* Lib. XXII. *cap.* 6. *Pars magna, ubi locus fugæ deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quod capitibus humerisque extare possunt, sese immergunt.* Lib. XXIII. *cap.* 44. *Itaque quamquam utraque pars avidi certaminis erant, eo die tenuerunt sese tamen munimentis.* Lib. XXIV. *capite* 15. *Tum redintegrata pugna est, & eques etiam in hostem emissus, quibus cum impigre Numidæ concurrissent &c.* Ita *pars* & *eques*, uti ante *Virgilius* scripserat, à *Livio* etiam cum plurali verbo posita sunt. Cum vero *pars* ac reliqua nomina collectiva utriusque numeri verbo copulari possint, num in eadem periodo modo singulari, modo plurali recte junguntur? In codice Mediceo laudato *lib.* XI. *v.* 466. legitur:

Pars aditus urbis firment, turrIsque capessat.

Et sane in *Taciti* itidem Mediceo codice pervetusto *lib.* II. *cap.* 24. habetur: *Pars navium haustæ sunt*; & postea: *Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant.* Quam lectionem *Lipsius, Pichena*, aliique servarunt. Ex his infertur recte scalptum in *Pisana* tabula: *Ea strues congerantur, componantur*, quod *strues* plura simul ligna coacervata significat. Quæ quidem *Ughellus*, seu potius qui ad *Ughellum* utriusque tabulæ

A exemplum transmiserunt, non intelligentes, ac mendosam scriptionem censentes, singulari numero, *congeratur, componatur*, scripsere.

In *v.* 7. habetur: *Stipitibusque robustis SAEPIATUR.* Quidam teste Pierio in *lib.* VII. *Æneid. pag.* 120. *stypitibus* per Y in prima syllaba scripserunt, quod στύπος Græce scribatur stipes seu truncus, ut plane Græcum vocabulum sit Latio donatum. Equidem *Dausquius pag.* 298. fatetur eam vocem origine literam *Pythagoræ* exigere, quamvis Latiari I scribatur. *Pierius* sub lite characterem dimittit. Verum ex nostro cenotaphio constat aureo *Latinitatis* sæculo cum I

B scriptum *Stipitibus.* In Virgiliano etiam codice Mediceo *lib.* VII. *Æneid. v.* 524.

Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis. 485

Verbum *sæpio*, ac *sæpes* nomen vulgo sine diphthongo scribuntur Vossio *libro* I. *de Analogia cap.* 33. *Farnabio, Erythræo, Heinsio*, aliisque ad *v.* 34. & 54. Eclogæ primæ. In Virgiliano vetustissimo codice Mediceo ejus vocis variatur Orthographia. In *lib.* I. *Æn. v.* 415.

At Venus obscuro gradientes aere sæpsit.

v. 443.

Infert se sæptus nebula (mirabile dictu)
Sæpta armis, alioque alte subnixa resedit.

C Verum *lib.* VII. *v.* 600. & iterum *lib.* IX. *v.* 551. Sepio, ac septus sine AE diphthongo legitur:

Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Ut fera quæ densa venantum septa corona.

At *Pierius* ad *v.* 54. *Ecl.* I. ait: *Romanus codex* (nempe ille vetustissimus Aldo Manutio, Achilli Statio, aliisque commendatus) *& alter oblongus SAEPES per AE diphthongum scribunt.* Ita *sæptum*, & *sæpsit se tectis. Quæ*, inquit, *recte scribi ostendit adverbium* sæpe *ejusdem originationis.* Hanc plane orthographiam aliæ vetustæ inscriptiones confirmant. *Pag.* 61. 5. legimus: ARAM SAEPIENDAM. Et *pag.* 864. SAXO SAE-

D PTUM. Quibus si nostra aureæ ætatis inscriptio addatur, nullus ab ea voce diphthongum excludere jure poterit; præsertim cum hactenus nullus inscriptus antiquitus lapis SEPIO sine diphthongo nobis exhibuerit. Scio apud *Dionem* Σέπτα scribi; at *Dio* ducentis annis & quod excurrit, post *Pisani* lapidis inscriptionem vixit, & idiographum forte librarius perperam exscripsit. Interim ex codice Mediceo colligimus, etiam abhinc mille ac ducentis annis *Sepio* cum simplici vocali E, tum etiam cum diphthongo AE scriptum, quod illud verbum apud auctores utroque modo id temporis scriptum legebatur.

E In ver. 30. & 31. ejusdem cenotaphii *Lucii Cæsaris* legitur: *Nam quod ad cetera SOLEMNIA, quæ eodem illo die vitare &c.* Jam superius vocem *cetera* sine diphthongo AE scribendam, ex vetustissimis victoriis gentium Populi monumentis demonstravi. Verum de charactere vocabuli *Solemnia* discrepant auctores, immo & ipsæ veteres inscriptiones. Aldus Manutius in Orthographia ait: *Sollemne, non solenne habent antiquissimi libri, & lapides.* Profert fragmentum vetustum in quo legitur: RITUS SOLLEMNES. *Pagina* 39. 5. apud Gruterum.

LAPIS AVSP. S. Q. CAECILIO METELLO. PONT. MAX. SOLLEMNI CVM PRECATIONE &c.

F Hæc omnium antiquissima inscriptio est ante A. V. 691. posita; nam *Q. Cæcilius Metellus* Pontifex Max. obiit A. V. modo signato, in cujus locum *C. Julius Cæsar* Pontifex Max. creatus fuit, ut *dissert.* I. *ex Dione* ac *Suetonio* notabam. Præterea *pagina* 121. 3. in fragmento fratrum Arvalium le-

legitur: SOLLEMNE DEAE DIAE. Quædam de Dea Dia nuper adnotata vidi à Jacobo Sponio viro eruditiſſimo *lib.* 1. *ſupplementi Gruteriani ſect.* 1. *art.* 2. Sacrificium *ſollemne* appellatum dicunt, quod *ſollum*, hoc eſt, totum, integrum,
486 ac ſolidum ſtata anni die fiebat, uti teſtatur laudatus *Manutius.* Hinc cum duplici LL ab Oſca voce *Sollo ſollemne* ſcribunt. Hæc ſane orthographia hac in voce in Virgiliano etiam codice Mediceo ſervatur. *Lib.* II. *v.* 202.

Sollemnis Taurum ingentem mactabat ad aras.
Lib. v. *v.* 53.
Annua vota tamen ſollemniſque ordine pompas.
Lib. VIII. *v* 102.
Forte die ſollemnem illo rex Arcas honorem.
Lib. IX. *v.* 626.
Ipſe tibi ad tua templa feram ſollemnia dona.

Heinſius venerandæ antiquitatis codicem ſecutus, idem vocabulum cum duplici LL. ubique ſcribit. Verum plerique viri eruditi exarant SOLENNE cum unica L, ac loco M altera N litera ſubſtituta. Huic orthographiæ adhæret *Dauſquius* poſt prolixam de hocce ſcribendo vocabulo diſputationem *pag.* 292. & 293. Laudat ibidem ejus vocis etymologiam hiſce verbis ab S. Auguſtino traditam *tom.* x. *ſerm.* 2. *Fer.* 2. *Pentecoſtes: Solemnitas namque*, inquit Magnus Pater, *ab eo quod ſolet in anno*, *nomen accepit: quomodo* perennitas *fluminis dicitur*, *quia non ſiccatur æſtate*, *ſed per totum annum fluit*, *ideo* perenne, *id eſt*, *per annum*, *ſic &* ſolenne, *quod ſolet in anno celebrari.* Favet huic etymologiæ Feſtus ſcribens: *Sollemnia ſacra dicuntur quæ certis temporibus*, *anniſque fieri ſolent.* Ita legit Dauſquius; ſed Scaliger *ſolemnia* in ſua Feſti editione, at Gruterus *pagina* 124. ad frag. I. *ſolemnia* ex eodem Feſto ſcribunt. In vetuſtis etiam inſcriptionibus iiſdem literis *ſolenne* ſcalptum apparet. *Pag.* 47. 3. legitur: *Cum pia* SOLENNE *mente rite feciſſet.* Et *pag.* 1063. 3. VOTO SOLENNI. Neutram tamen ſcribendi formulam alii ſequuntur; nec enim *ſollemne*, vel *ſolenne*, ſed *ſolemne* dicendum contendunt. Beda in *lib. de Orthographia pag.* 2347. ait: *Solemne eo quod ſolet in anno*, *per unum L ſcribendum eſt*, *ſed & M ſequenti ſyllabæ ſecundum Priſcianum jungi debet.* Gruterus proxime laudata *pag.* 124. ait: SOLENNE *autem*, *non* SOLEMNE *inciſum eſt conſtanter in vetuſtis monumentis.* At falſo judicaſſe conſtat ex iis ipſis inſcriptionibus, quas variata eo in vocabulo orthographia, ex ejuſdem ſcriptoris theſauro produxi. Voſſius *libro* 1. *de Arte Gram. cap.* 43. ait ſcribendum *ſolemne*, *non ſollenne*, *ut vulgo exaratur*; at poſtea bis cum geminata LL. repetit *ſollemne.* In Pandectis ante mille annos, & quod excurrit, majori *Romana* litera exaratis, ubique legitur SOLLEMNE, quod poſt *Taurellum*, in nova editione Pandectarum, quam adornat, oſtendet *Gronovius* junior, qui integra hieme *Florentiæ* in utroque aureo volumine habitavit, ac plures textus mihi ad ipſum adeunti, recitavit. Cum in vetuſtis lapidibus habeamus *Sollemne*, *Solemne*, *ac Solenne*, eamque diverſam orthographiam doctiſſimi ſcriptores ſecuti ſint, non auſim certos ejus vocabuli characteres ſtatuere. Interim conſtat aureo ſæculo *Hortenſii* ac *Ciceronis* ſcriptum SOLLEMNE, quod laudata inſcriptio *Q. Metello Pio* Pont. Maximo dicata, oſtendit. Eodem vero ſæculo puriſſimæ Latinitatis exeunte, in *Piſana* tabula ea vox unica litera L expreſſa legitur. At *Solenne* æneî ſæculi characterem præfert, quod ex recitatis inſcriptionibus patet. Omitto hic barbaræ locutionis vocem SOLEMPNE, quam lutea poſtea ætas invexit.

Quædam tamen verba in noſtris Cenotaphiis iis literis inſcripta ſunt, quas poſterior ætas non re-
A cepit. Etenim in *Cajano* legitur ver. 24. APSTINERE; & prope finem: OPSERVARIQUE; in fine etiam alterius lapidis OPSEQUENTI. *Pichena* & *Ughellus* ubique B loco P ſubſtituerunt. Boldonus *Obſervarique* repoſuit. Auctor 487
eſt Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 7. veteres B ſono literæ P pronuntiaſſe: *Ut cum dico*, inquit, *OBTINUIT*, *ſecundam enim B literam ratio poſcit*; *aures magis audiunt P.* Hinc cum plerique, quos inter *Auguſtum Suetonius* fuiſſe ſcribit, eo quo loquebantur, modo ſcribendum putarent, P pro B ponebant, ubi hæc litera alterius ſono efferebatur. Ita in duplici elogio dicitur ſtips anno novo
B Auguſto APSENTI data. Et in antiquiori lapide *C. Marius* dicitur conſul III. APSENS creatus *pag.* 436. 3. In fragmento legis agrariæ legitur *pag.* 203. *ver.* 40. OPTINEBIT; itemque in altero S. C. antiquiſſimo *pagina* 628. In oratione Claudii *pag.* 502. *OPTINUIT. Pag.* 453. OPSIDES, & OPSIDIONE. Vide indicem Gruterianum *cap.* 19. lit. B. Et ſane res vetuſtis Grammaticis dubia viſa eſt. Terentius Scaurus *in collectione Putſchii pag.* 2261. ſcribit: *Item non conſtat*, obſcurum, *utrum per OB*, *an per OP debeat ſcribi*; *nec minus* Obſervo, Obſideo, *cum in illis B litera evidenter ſonum ſuum vindicet.* Pu-
C to legendum: *in illis P. litera*, ut ex Quintiliano dicebam. *Velius Longus* qui ante *Hadriani* imperium floruit, *pagina* 2224. *quoniam*, inquit, *&* accondit *habet*, *&* abſcondit *durius ſonabat*, *intervenit P litera*, *quæ exornaret auditum*; *de qua ſcriptione quæritur*, *utrum per P*, *an per B & S debeat ſcribi.* Qui per P & S ſcribendum cenſebant, rationem ejus ſcriptionis aſſignabant, teſtibus laudatis ſcriptoribus, quod Græci ea vocabula per literam pronuntiabant, cui PS apud Latinos æquivalent. Et ſane Curtius Valerianus in iiſdem Caſſiodori excerptis *pag.* 2289. ſcribit: *Ubicumque PS erunt*, *dividi non poſſunt*, *ſed ad ſe-*
D *quentem*, *vel antecedentem ſyllabam applicabuntur*, *tanquam unius literæ poteſtatem habeant:* apſtinui, aps *& tinui:* apſceſſi, aps *& ceſſi:* apſcondo, aps *& condo.* Ita eum characterem in verbis illis veterum more ſervabat. Tanta vero cognatio eſt inter B & P, ut in eodem verbo variato tempore, invicem commutentur. Ita in præſenti dicitur: *Labor*, *ſcribo &c.* at in præterito *ſcripſi*, *lapſus ſum.* Ceterum poſteriori ætate in vocabulis *obſervari*, *abſtinere*, *& obſequenti*, dimiſſa P litera, antiquis licet uſurpata, B conſtanter ſervata fuit. Hinc in veteri epitaphio *pag.* 669. 4.
E legitur: OBSEQUENS *magiſtris fui. OBSERVAVI parentum præcepta.* Quæ orthographia modo vulgo retinetur.

Cajanus lapis *v.* 20. habet: *Tam* INPROVISAE *calamitatis*, N litera loco M in priori ſyllaba vocis *improviſæ* collocata. Hanc quoque literam *Pichena* variavit; nam legit *improviſæ.* Verum apud antiquos quoties præpoſitio IN alteri voci à P incipienti jungebatur, neutiquam N literam in M mutabat. Hinc in codice *Theodoſiano* paſſim legimus: *Inplicat*, *inportune*, *inponere*, *inprobus*, *inpunitas.* Idem character in *Virgilii* codice Mediceo ſervatur. *Lib.* 1.
F *Æneid. v.* 59.

INPROVISUS ait: coram quem quæritis adſum.

Et *lib.* II. *v.* 182.

INPROVISI aderunt; ita digerit OMINA Calchas.

In vetuſta inſcriptione poſita A. V. 649. legitur *pagina* 207. in priori columna: INPONITO. Et in tertia: *Quod ieis* INPROBARINT, INPROBUM *eſto. Pag.* 203. *v.* 20. INPASTUM. Quæ ſcribendi formula frequenter occurrit in vetuſtis

tustis monumentis. Grammatici tamen N in M mutandam docuerunt, hacce regula adsignata ex *Papiriano* apud *Cassiodorum pag.* 2293. *IN præpositio, si composita sit, & P, aut B, aut M sequatur, N in M convertit, ut improbus &c.* Priscianus etiam idem tradit *lib.* 1. *pagina* 556. *auctore*,
488 inquit, *Plinio, Papiriano, & Probo.* Hanc tamen regulam Augustea ætate non servatam noster lapis ostendit, neque eandem universis postea probatam patet ex aliis vetustis monumentis. Nam & in Pandectis Florentinis legimus: *Inpressum, inperfectum, inpossibile &c.*

Quod vero *Pisanarum* tabularum orthographiam illustramus, quidpiam in *Lucii* cenotaphio video quod præter tum veterum tum recentium Grammaticorum præcepta scalptum est. Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 7. scribit: *Est etiam in dividendis verbis observatio, mediam literam consonantem priori, an sequenti syllabæ adjungas.* In ea tabula *v.* 16. nomen *magistratus* ita dividitur MAGISTRATUS; postrema enim pars versus 16. finitur MAGIS, ac TRATUS initio insequentis ponitur. Cæsellius antiquus Grammaticus in excerptis apud Cassiodorum *pag.* 2316. scribit quoties in verbo tres consonantes junctæ sunt, ita dividi: *ut plostrum strum, lustrant strant, capistrum strum; æque claustrum, rastrum, campestre. Fere autem tres hæ consonantes tertio loco R habent.* Beda etiam in *lib. de Orthographia pagina* 2343. ejusdem collectionis Putschii ait: *Plaustrum, capistrum, claustrum, vestrum, & talia, tres consonantes vocali sequente, in unam syllabam jungendæ sunt.* At secus in Pisana tabula apparet: ibi enim tres consonantes eædem STR in voce Magistratus ita scalptæ sunt, ut S ad secundam syllabam GIS, duæ reliquæ TR insequenti vocali A conjunctæ appareant. Illam vero earundem literarum divisionem apud *Romanos* in usu fuisse patet ex laudata oratione *Claudii* Cæsaris apud Gruterum *pag.* 507. ubi eadem vox *magistratus* uti in *Pisano* cenotaphio, dividitur; siquidem versus ibidem 26. in binas hasce syllabas desinit MAGIS, insequens vero incipit TRATUS. Quare ex utraque antiquioris ætatis inscriptione vulgata illa Grammaticorum regula minus antiqua convincitur. In Cajano etiam cenotaphio v. 19. legitur: *Inter* SESE *consenserunt:* & v. 24. SESE *apstinere.* Quare cum nullum punctum inter *sese* positum fuerit, patet unam vocem ex iisdem syllabis componi. Verum in antiquiori inscriptione pagina 506. habetur: *Jouratoque* SE. SE. EOS. EX. H. L. *legisse.* Hinc nihil certi ea de voce repetiti pronominis statuo. Quomodo vero differant *se*, ac *sese*, tradidit Julius Cæsar *lib.* II. *de Analogia* apud Sosipatrum Charisium *lib.* 1. *Gram. pagina* 86. nempe cum aliquem quid in alium fecisse ostendimus, *se* dicimus, ut ille ait *se hoc illi fecisse.* Cum autem in se ipsum, tunc dicamus *sese* geminari, ut *dixit sese hoc sibi fecisse.* Hinc cum consensus & abstinentia in iis sint, qui consentiunt, & abstinent, recte pronomen *sese* utrobique in *Pisana* tabula geminatur.

Denique ad eandem orthographiam pertinent accentus, qui in utraque tabula visuntur, de quibus quædam subnotabo, ne quidpiam in iisdem omittam. Vossius *lib.* II. *de Arte Gram. cap.* 8. scribit: *Quam recens eâ sit consuetudo apponendi accentus? De Latinis satis apertum ex lapidibus antiquis; quo enim vetustiores, eo magis accentiunculis carent. Lapides aliquos objectant, ubi reperiantur: sed imperite adeo scalptos, ut satis liqueat nullam eorum rationem haberi oportere.* Hæc vir doctissimus. At ejusdem opinionem uterque lapis *Pisanus* elidit, in quibus accentus notantur, quorum etiam rationem ex vetustis Grammaticis producam. In

A primis non esse recentem consuetudinem apponendi accentus colligimus ex nostris tabulis, quæ vetustissimæ sunt, utpote imperante *Augusto* sculptæ, & aurea Latini sermonis ætate. Rariores quidem in lapidibus accentus signatos videmus. Nam inter innumeras inscriptiones in thesaurum 489
Gruterianum collectas, paucissimæ accentus præferunt; exempli gratia *pagina* 453. 607. 4. 637. 1. 698. 3. 816. 8. 950. 8. Et aliæ rarissimæ. In pluribus forte accentus scalpti sunt, quos tamen exscriptores omiserunt. Equidem Manutius in V. *Lacrimæ* pagina 476. editionis secundæ Orthographicorum, Telephi ejusdem epitaphium
B recitat quibusdam accentibus notatum, quos tamen Gruterus idem epitaphium *pagina* 709. 8. recitans, omisit. Et, ut verum fatear, ipse etiam nullam eorundem in exscribendis tabulis Pisanis rationem habendam ducebam, quod & in tot versibus paucissimi occurrebant & in iisdem verbis modo positi, modo omissi apparebant. Verum cum exempla utriusque cenotaphii *Jo. Baptistæ Ricciardo* in Academia *Pisana* Ethices Interpreti, legenda tradidissem, is sedulo monuit, ne accentus sibi antea in utroque lapide adnotatos, præterirem. Itaque doctrina æque ac amicitia commendati mihi viri monitis morem gessi. Porro hi o-
C mnes accentus acuti sunt, quales etiam visuntur in laudatis apud Gruterum inscriptionibus. In cenotaphio *Lucii v.* 16. & in *Cajano v.* 22. legitur MA'NIBUS priori syllaba accentu acuto signata. Hic sane discretionis gratia additus est, & Dii Manes intelligerentur, non autem *manus* humani corporis partes. Legitur cum eodem accentu DIS MA'NIBUS Gruteri *pag.* 836, 1. 916. 1. 910. 6. & alibi. Quintilianus *libro* 1. *capite* 7. scribit apicem seu accentum addi solitum, *cum eadem litera alium atque alium intellectum prout correpta, vel producta est, facit, ut* malus *utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur.* Lapida-
D rius tamen in eadem voce *Manibus* bis in cenotaphio Lucii omisit accentum *v.* 19. & 22. Addit ibidem Quintilianus: *Cum eadem litera nominativo casu brevis, ablativo longa est, utrum sequamur, plerunque hac nota monendi sumus.* Hinc in tabula Lucii v. 15. PECU'NIA', & in Caji v. 24. COLONIA' in ultima syllaba accentum habent, quod ablativo casu utrumque nomen ibidem positum est. Donatus in *cap. de tonis* ait: *In Latinis nunquam acutus accentus in ultima syllaba poni potest, nisi discretionis causa, ut in adverbio* poné, *ideo ne verbum putetur imperativi modi.* Quare *Coloniá* ac *pecuniá*, causa discretionis à casu recto, in Pisanis
E lapidibus ablativo casu elatæ, acuto accentu in postrema syllaba notantur. In Cajano tamen cenotaphio *v.* 5. & 18. *colonia* in ablativo itidem casu nullo accentu distinguitur. In voce autem *Pecunia* tetrasyllaba præter ultimam, antepenultima etiam accentum habet. Vossius laudato loco ait: *Quomodo alioqui vox una accentus habet binos?* At certe in epitaphio pagina 452. bini accentus semel & iterum in singulis verbis visuntur, de quibus tamen alii viderint. Priscianus in *lib. de accentibus pagina* 1287. ait: *Observatur namque unus accentus in integris dictionibus, ut* Románus, Hispánus; *in compositis vero unus similiter, ut male-*
F *sánus, intereáloci.* Idem inferius *pag.* 1290. *de accentu* nominum ait: *Omnia vocalem I ante vocalem habentia, in antepenultima mutant accentum, ut Veneria, Marcelia, Placentia, Ausonia, Junonia.* Proxime autem prænotarat nomina quæ I ante vocalem producunt, uti Philosophia, Papia, fio, penultimam acuere. Quare cum *Pecunia* I ante A in penultima corripiat, accentum acutum in antepenultima habere debet, uti reapse in *Pisano* marmore scalptum fuit; ubi etiam in ultima accen-

centum iterat discretionis causa, quod ibidem etiam post *Donatum Priscianus* advertit pag. 1288. Itaque duo accentus ea in voce notati sunt, quorum prior in antepenultima proprius ejusdem vo-
490 cis est: alter vero in ultima ex accidenti ponitur, ablativi casus à nominativo discernendi gratia. Præterea in Cajana inscriptione *v.* 14. LU'CTU, & *vers.* 18. CA'SU in priori syllaba acuuntur. Et recte quidem; siquidem omnis vox bissyllaba priorem acuit, ut inquit Diomedes *lib.* II. *pag.* 426. *collect.* Putschii, *quum positione longa est utraque, ut sollers.* Quæ inter Grammaticos certa sententia est. Hac ipsa ratione *v.* 19. legitur A'TRI in *Lucii* cenotaphio priori syllaba accentu signata. At ibidem BO'SQUE itidem acuitur, quod enclitica particula QUE sequatur. Vossius *cap.* 9. *lib.* II. laudati scribit: *Hodie eas*, nempe accentiunculas, *contra consuetudinem veterum*, *at non contra Grammaticorum præscriptum*, *duobus locis apponimus. Unus est in compositis cum encliticis. Servius in* 1. *Æn. Pronuntiationis causa*, *contra usum Latinum*, *syllabis ultimis*, *quibus particulæ adjunguntur*, *accentus tribuitur*, *ut Musáque illéne*, *hujúsce.* Hæc illi; quorum tamen opinio ex voce laudata *Pisani* marmoris refellitur. Nam ex eadem constat antiquitus nomina encliticæ copulata, in postrema syllaba ante encliticam acutum accentum habuisse, ac proinde minus recte *Servium* putasse id esse contra usum Latinum, seu contra consuetudinem veterum, uti *Vossius* dixit. Recte Martianus Capella *lib.* III. *Encliticarum*, inquit, *hoc proprium est acuere partes extremas vocum*, *quibus adjunguntur.* Præterea in *Lucii* tabula *v.* 15. legitur: A PRIVA'TIS, media syllaba acute scripta. Diomedes *cit. pag.* 426. hanc regulam assignat: *Si omnes tres syllabæ longe fuerint, media acuetur, ut Románi, legáti, prætóres, prædónes.*

A In Cenotaphio *Caji v.* 6. vox *Magistrátus* nullo accentu notatur. At *v.* 31. legitur: Per MAGISTRA'TUS. Inferius vero *v.* 55. MAGISTRATU'S, eodemque accentu in ultima syllaba scripta est in tabula *Lucii v.* 17. *Per Magistratus.* Cur in eodem quarto casu multitudinis modo ultima, modo penultima acuitur? Cur semel & iterum ultima syllaba accentu acuto notatur? Donati superius regulam appellavi: *In Latinis nunquam acutus accentus in ultima syllaba poni potest.* Quæ communis Grammaticorum sententia est, Cledonii in Arte *pag.* 1888. Diomedis *lib.* II. *cap. de accent. pag.* 425. Prisciani in lib. de *accent. pag.*
B 1287. Maximi Victorini in Arte Grammat. *pag.* 1942. Præterea in *Cajana* inscriptione *v.* 26. habetur: *Omnium* JUSSU' *ac voluntate:* voce *jussu* acute in ultima syllaba signata, quæ apud Latinos, ut iidem Grammatici tradiderunt, discretionis tantum causa accentum subire potest. Hujus tamen accentus ea ratio assignari forte possit; quod *jussu* verbum passivum fuit præteriti temporis apud *Ennium*, *Lucretium*, ac antiquiores poetas. Illi enim metri gratia, in voce *jussus* omittebant postremam S, quod *Cicero* sua ætate *subrusticum*, *olim autem politius* judicatum testatur in Oratore *ad M. Brutum.* Ennius in *lib.* VII. *Anna-*
C *lium*, ait:

Comiter impertit; magna quom lassu' diei
Parti fuvisset, de summeis rebu' gerundeis:

Hinc quo ablativus casus *jussu*, à verbo passivo *jussu* distingueretur, acuto accentu ultimam syllabam nominis notatam voluere. Profecto nulla alia hujusce accentus causa mihi occurrit. Hactenus de utriusque Cenotaphii *Pisani* latinitate & orthographia.

F I N I S.



INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

Augu-

Cinctus

Hero-

Magi-

N.


O.

P.

Præ-

FINIS.

Omissum sic inserito
Pag. 215. lin. 10. post pecuniam *exegit.*



DOMINICI ANGELI,
Castrensis,

DE

DEPRÆDATIONE CASTRENSIUM,


ET

SUÆ PATRIÆ

HISTORIA.

Editio nunc ex Manuscripto primum edita, accurata, cum Indice Copioso.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

AD LECTOREM TYPOGRAPHUS.

INTENTISSIMA nostra cura, Auctores & manuscriptos Codices, pulvere situque obsitos ex obscura vetustate eruendi, fecit, ut illorum multi perpetuo non laterent, nec tardius multo in lucem venirent. Fatum hoc procul omni dubio Historiæ DOMINICI ANGELI *Castrensis*, De suæ Patriæ Deprædatione, Anno salutis nostræ MDLXXV exaratæ, obtigisset, quod nimirum in bibliotheca, ut in ergastulo inclusa detenta fuisset, nisi eam Vir Eminentissimus *Justus Fontaninus* à Cubiculo honorario anctissimi Domini Nostri ex singulari suo amore & benevolentia erga rempubl. literariam ex custodia quasi erutam ad nos misisset, ut mediante impressione libertati restitueretur & publici juris fieret. Non opus hic erit, multa de ansa & occasione Historiam hanc scribendi, scriptori data, afferre, nec etiam de fide Auctori habenda; quoniam iste in præfatione sua, nostram sequente has explicat, ad quam lectorem ablegamus. Nostrum autem studium huic Editioni impensum paucis enarrare, vitio, Candide Lector, non dabis. Orationes primo in hac Historia occurrentes cum nominibus Propriis, ut statim ob oculos Lectoris versarentur, diversis à materia characteribus excudi jussimus, Manuscripto omni diligentia & sedulitate prius perlecto & recognito. Deinde quoque compendia vocum & literarum notas, quibus hoc MS. affluebat, sustulimus. Indicem denique de Historia hac & deprompsimus, & disposuimus, & in calce adjecimus. Hunc ergo nostrum laborem & conatum, ne Memoriæ hæ perirent, & exstinguerentur, in bonam partem accipies. Hoc si consecuti erimus, incitamento nobis erit, ejusmodi manuscripta plura, cum participes fieri possumus, in usum & commodum reipublicæ literariæ typis mandare. Hac spe & promissione Te, Candide Lector, tutelæ divinæ, nos vero tuo favori commendamus. Vale.

DOMINICI ANGELI, *Castrensis*, DE DEPRÆDATIONE SUÆ PATRIÆ HISTORIA.

CUM nulla hominibus facilior ad vitæ institutionem via sit, quam rerum ante gestarum cognitio: qua media tanquam ob aliorum exempla effectrice, & magistra non pauci ediscere solent rerum ac fortunæ varietatem æquanimiter tolerare, & à facinoribus sæpenumero abstinere: urbis Castri *meæ Patriæ Deprædationis Historiam fide dignis delectam senioribus viris, qui ea tempestate rebus interfuerunt, in lucem dare constitui: ut illius calamitatis eventum scire volentibus longæ inquisitionis labor absit. Et id quidem parvi oneris, non laudis ergo, sed ut potius nonnullorum mei amantissimorum rogationibus, suasionibusque obtemperarem, pro viribus enixus sum elucubrare. Quod autem rei seriem non succinctim dilucideque perstrinxerim: studiosus quisque lector boni consulat, meque à livido obtrectatore, qui ultra crepidam fortasse judicaret, ut mordere suis blaterationibus auderet, undecumque tueatur. Nam testatum apud omnes relinquo, id non ex meo commento excogitatum esse, sed potius ex veridicorum testimonio singillatim prodiisse.*

Castri, *Kalendis Decembris, Anno jubilei & nostræ salutis* CIↃ. IↃ. LXXV.

D. Angelus.

DOMINICI ANGELI, *Castrensis*,

CASTRENSIUM DEPRÆDATIONIS HISTORIA.

LEXANDER *Farnesius* senior Cardinalis (ipse est *Paulus III.* Pont. Max. qui summa Dei providentia in Divi *Petri* Apostolorum Principis cathedra tribus usque lustris ampliusque in Urbe sedit) cum mira *Castrum* patrimonii civitatem suorum oppidorum ditioni connectendi cupidine affectus esset: Paulo post *Burboniam* Urbis direptionem, ad suam maritimam olim *Sancti Maximiliani* Abbatiam, nunc vero arcem Abbatiæ ad *Pontem* vulgo nuncupatam ab ipsa *Castrensi* civitate quinque passuum millia distantem, & ruinosæ *Bulciæ* senis stadiis propinquam summo mane profectus est: illucque nonnullos *Castrensium* primores acciri jussit: quos, ut venerunt, in intimam diversorii partem secedens, remotis arbitris, sic in concione compellavit. *Dilecti fratres, nostra cum vetere amicitia conjuncta vicinitas adigit, ut vestram salutem servari semper exoptemus. Cum autem vos nostræ familiæ studiosos undequaque cognoverimus; cogimur ad benefaciendum vobis, qui nobis ipsis etiam obsecundastis. Quo circa ubi majus cuique amico prospicimus periculum imminere, ibi cautius agendum fore opinamur. Inspiciendum itaque à nobis est, quicquid evenire potest: promptitudo enim prima est, opinionem eorum, quæ eventura sunt, celeritate præripere. Vos non ignoratis Romanam urbem hisce temporibus ab effero Caroli Burboniæ Ducis exercitu captam esse: cunctaque fere oppida Italiæ ab Ultramontanis militibus surripi, omnia in sanguine, ferro, & fuga versari, neminemque esse, qui suæ vitæ discrimen non metuat, Romano etiam non excepto Pontifice, qui pro servanda sua salute cum paucis comitibus mutata veste aufugiens, ad Urbem veterem advolavit. Propterea cum vos non lateat, quod est ille felix, quem aliena pericula cautum faciunt, quodque casus dementis correctio fit sapientis: vos ex aliis periculum metuentes, eoque magis quoniam vestra civitas ab Urso, Lupaque circumvallata sit, surreptioni, & casui obviare, vestræque omnium saluti consulere debetis: ne vos postmodum rei vestræ prudenter non consuluisse pigeat. Publica universaliaque omnia Castrensium jura vestra sunt in potestate, neminique, nisi cui vobis libuerit, obnoxii estis obedientiam exhibere: cumque casus immineat, ut quisque pro comperto habet, non modo Romanæ Ecclesiæ, verum totius Italiæ ditionem Ultramontanorum imperio esse cessuram: nostrumque filium Petrum Aloysium Farnesium Imperialis factionis consectaneum vobis arctissimo vinculo necessitudine astringi: velim (quod nobis tum justum, tum honestum factu videtur) ut cum aliquo milite pro vestræ civitatis hominumque securitate, ac salute eum suscipiatis; quo usque dignoscatur, quem nam exitum dirus Ita-*

A *larum rerum incursus habeat. Et si forte Romana urbs suam pristinam vindicabit libertatem: vobisque summus Pontifex id vitio dare velit, quasi ab Apostolica sede defeceritis: responsum dari poterit: vos Petrum Aloysium non ex rebelli animo, sed ex nostro (quoniam ex Romanorum Cardinalium Collegio sumus) assensu pro vestræ salutis securitate, in civitatem introduxisse. Sin autem Romanæ res Ultramontano Imperio subjicientur; Petro Aloysio ejusdem Imperii factionis consectaneo, benemeritoque ex Imperatoris munificentia, vestra civitas procul dubio subdita restiterit. Cumque novissimum hoc vobis contingat, haud amplius à rigidis Patrimonii legatis & ministris in multiplici subsidiorum ac impensarum gene-*

B *re urgebimini: quin potius sub ipso Petro Aloysio posterisque vos, vestrique liberi, ac prognati omnes honesta immunitate, libertateque in ævum potiemini. Quod quidem non solum, ita nos Deus adjuvet, efficiemus; sed etiam in candidato folio à vobis porrigendo, nostraque & Petri Aloysii subscriptione sub certa bonorum justorumque Principum fide semper servanda comprobabimus.* Ad hoc acciti cives responderunt. *Foret, sapientissime Pater, maximum nobis pretium aliquando sub Farnesia ditione persistere: qua apud nostros animos charius nihil esset. Verumtamen cum res atque pericula nostra consideramus, longe nobis alia mens extat: Nam sine summi Pontificis assen-*

C *su, quis sanæ mentis à nobis id faciendum suadeat? Exigamus autem Pontificis assensum & Castrensis populi votum: qui licet in contraria studia ut plurimum scindi soleat: attamen tum nostro tum cognatorum, familiariumque suasu res ipsa ad optatum usque finem perduci poterit.* Hinc ea completa concione cives abierunt: & quæ acciderant, reliquis civitatis hominibus retulere: & cum universorum consensus ad ea neutiquam haberi posset: tunc de re ipsa nihil est actum. Verum cum *Nicolaus Joannis Cobellæ* filius ob homicidium in *Meotium Testæ* perpetratum à patria procul esset: *Joannesque* pater dubitaret ob ejusmodi crimen Apostolico fisco descripta filialis legitimæ bona addictum iri:

E pro filii reductione, & bonorum conservatione facilius potienda, se *Alexandro* Cardinali, & *Petro Aloysio* junxit: animoque complectens, quænam ambobus *Castrensium* ditione potiundi cupido incesserat: illos alloquendo indicavit ea tempestate locum dari, quo ad obtinendam civitatem voti compotes esse possent. Illi autem aures ad ea præbentes, modum indagarunt, quo res facile compleri posset. *Joannes* vero & cognatorum & amicorum ope consummari rem posse demonstravit. Cumque id *Alexandro* Cardinali & *Petro Aloysio* comprobaretur: *Joannes* ipse cum *Nicolao* filio ad civitatem properantes, quo ad latenter fieri potuit: *Antonium Scaramucciam*, *Jacobum Caronium*, *Antonium Joannis Scinchæ*, *Michaelem Angelum Francisci*,

cisci, *Joannem Petri Antonii*, *Sebastianum Christophori*, plerosque cognatos, & amicos, clam in concione vocatos compellavit: significavitque eis, quæcumque acciderant: quidque pro sui filii reductione, & pro universorum civium salute factu opus essent. Illi autem re ipsa plene cognita, *Alexandri* Cardinalis & *Petri Aloysii* votis assenserunt. Et conspiratione clanculum inter se facta, absque patrum in consilio vocem habentium, ac populi assensu, scientiaque, *Petrum Aloysium* cum duabus centuriis sub *Archangeli* & *Julii Viterbiensium* præfectorum cura persistentibus, in *Castri* civitatem induxerunt. Et contubernio in Episcopali Palatio, nonnullisque aliorum civium domibus seorsum posito, *Antonius Sciucha* non immemor injuriæ, quam verberibus ipsius conjugi Gratiosæ *Joannis Petri Antonii* germanæ *Salvator Christophori Soranensis* cognomento *Carosinus* olim intulerat: ultionis opportunitatem nactus, à prænominatis conspiratoribus sociatus, *Petrum Aloysium* alloquitur: insimulatque *Carosinum* à *Ludovico Ursino Pitiliani* Comite accersitum esse, *Castri*que furtim prodendi mandatum ab eo habuisse: propterea que imminenti surripiendæ civitatis suspicione, *Castrensibus* plurimum expedire, siquam citius neci *Carosinus* traderetur. *Petrus Aloysius* id auditum parumper intra se meditans, illorum voluntati morem gerere decrevit: & licet hujusmodi proditioni, veluti nonnulli ajebant, *Carosinus* assentiri noluisset: hunc tamen cum literis ad Comitem *Ludovicum* legare ex industria constituit. *Carosinus* autem invitus ad *Pitilianum* pergens iter, à præmissis aliquot *Petri Aloysii* militibus, in quadam specu ad Borealem vinearum civitatis exitum latitantibus, fuit interceptus: & demum intra superiora vineta prope quandam *Raynerii* sorbum in regione *Plani* sitam, caute, festinanterque ductus gladiorum acie perfossus occubuit. Interea militum prius introductorum cohortes in Episcopalibus ædibus contubernium habentes pro necessitate laquearia tignaque comburere, nonnullaque Episcopalis mensæ mobilia disperdere: Quæ omnia cum ad fratris *Gabrielis* ab *Ancona* Eremitani ordinis Archiepiscopi *Dyrrachiensis*, *Castrensium* Episcopi & *Rom.* Pontificis sacristæ aures increbrescerent: rumorque esset *Castrenses* ab Apostolica sede defecisse: nulla interposita mora quæ in civitate gerebantur summo Pontifici *Gabriel* nunciavit. Summus itaque Pontifex *Gallicæ* tunc factionis consectaneus cum hæc audisset, animo consternatus decrevit meritis pœnis supplicioque conspiratores afficere: & *Ludovico Ursino* Comiti sub silentio surripiendæ civitatis negocium dedit, pravosque affligendi commissionem contulit: interimque *Petrum Aloysium* ejusdem Comitis generum sub excommunicationis innodatione, & ejus oppidorum spolio, monuit, ut Apostolicæ sedi *Castri* civitatem seducto milite expeditam, liberamque dimitteret. *Petrus Aloysius* Pontificiis monitis obedientiam licet invitus exhibens, profectioni se accinxit: & dum extra *Lambertam* civitatis portam prodiret: *Castrenses* se comitantes benigne salutatos non modo gressus retrahere fuit adhortatus, verum etiam admonuit, ut ipsorum omnium rebus prudenter consulerent, totamque civitatem vigilanter custodirent: quoniam à summo Pontifice satis irato monitoriæ literæ emanarunt, quibus ipsimet *Petro Aloysio* præcipiebatur, ut civitatem dimitteret: propterea que suspicari dabatur, repentinum civitati casum imminere. Interea Comes *Ludovicus* volens debito fini Pontificiam commissionem demandare: circa Novembreis Kalendas Dominici anni CIↃ.IↃ.XXVII. complures, quos habere potuit, militum manipulos, in expeditionem educens, ad Æoam cavam contra *Castelli* portam circa jactum lapidis prope existentem, noctu jussit delitescere, monuitque, ut summo mane sub silentio portam subirent, & civitatem eorum arbitrio diripiendam caperent. Quod, ut illis fuerat injunctum, sedulo factum est. Mane itaque facto cum exploratores civitatis portas aperuissent, &, quoniam frigus erat, pro acapnis ad proxima vineta discurrerent: è subsessis prodiere hostes, & civitati propinquantes, primam exteriorem portam ingressi sunt, interioremque subire properantes, à *Joanne Martellino* illuc forte adveniente, vixque in tempore eam occludente, & à nonnullis aliis ab ipso mox ad arma vocatis civibus rejecti sunt. Et subinde quærentes sibi locum dari, ut aperto Marte civitatem expugnarent, videntesque nihil proficere, infecto negocio recesserunt. Cum vero Pontifex Episcopi relatu intelligeret rem ipsam ex voto non potuisse perfici, minusque posthac expeditum iri suspicaretur: eo quod *Ludovicum Petri Aloysii* socerum esse dignosceret: mox potiora remedia sciscitatus, *Galeatio Farnesio* ipsius Episcopi compatri diripiendi *Castri* negocium dedit. Quo quidem sibi dato *Galeatius* volens non apertis præliis, verum insidiose *Castrum* ingredi: *Antonium Cælestini*, & *Thomam Francisci*, *Soranenses*, ac nonnullos alios dictæ nationis asseclas percontatus est, ut per insidias civitatis depopulationi operam darent: quod si ab eis fieret, summo illud Pontifici perquam gratum fore significavit. Mox autem ab eis perficiendæ rei habito consensu, *Cyrnæorum* militum in *Montisalti*, & *Brachiani*, oppidis degentium centurias clanculum collegit, & ad *Farnesii* castrum noctu præcepit accedere. *Soranenses* itaque proditionis ministeria procurantes, *Galeatio* semotum *Praticotoniæ* rupis indicarunt locum, unde milites facilius, tutiusque possent civitatem introire: ipsi enim proditores ajebant nocturnos custodes civitatem circumcursantes illuc non accedere: seque ibi intempesta nocte ejusmodi proditioni operam navare commode posse. *Galeatius* autem cognita præsignati loci commoditate, habitaque altitudinis rupis mensura, post solis occasum in conticinio jussit instructas militum tum *Cyrnæorum* tum subditorum copias è *Farnesio* cum opportunis munimentis circa *Amonis* Sylvam ad Boreale latus procedere: & pergens magnis itineribus ad concubiæ noctis finem *Castrensem* agrum est ingressus: & pedepressim ad usque vineta procedens, donec ad occasum luna declinaret, binos armatos sub unius *Soranensium* ejusmodi rei consciorum ducatu seorsum præmisit: ut ad *Corvi* Collem Boreali civitatis lateri vicinum, e quo nocturnæ extra civitatem missæ excubiæ consueverant explorare, clanculum se perducerent: procubitoresque ipsos, si fieri posset, caute caperent, vel sub silentio, nequis præsentisceret, interimerent. Dumque armati una cum eorum duce circa lunæ occasum loco vigiliarum propinquarent: *Julius Hieronymi Spontonis* procubitorum alter hostilem pedum supplosionem, ac arma virgultorum ictu crepitantia sensit. Quocirca consocium adolescentem prope dormientem è somno statim summissa voce excitatum ad fugam unanimiter arripiendam, & *Castrenses* ad arma lacessendum hortatus est. Ambo itaque oculis intenti dum binos armatos per latam viam raptim venire; & exinde digredientes ad *Corvi* Collem per clivosum sancti *Sylvestri* tramitem accedere prospiciunt: suis aclidibus manu prehensis, è loco statim abeuntes, & veloci cursu viciniorem civitati collem pertranseuntes fere ad rupes contra portam *Farellam* positos simul pervenerunt: ubi

ubi vocem extulere, ut ad arma *Caſtrenſes* provocarent. Tunc *Leonardus Alphoni Taſcarella* nuncupatus, qui à Caſtelli regione domum forte redibat, *Julii* clamantis vocem agnoſcens, eum inveſtigavit, quidnam foret. *Julius* autem reſpondens, ad arma iterum atque iterum clamitavit, ſignificavitque armatos hoſtes ad mœnia propinquare. Et continuo ne ab armatis offenderetur, ſub denſis cujuſdam foveæ vepribus unà cum ſocio delituit. Ipſi vero armati veloci gradu ad clamorem properantes, binos procubitores intente perquiſivere, qui, licet non procul ab eis eſſent, tamen ob nocturnas tenebras repperiri nullibi valuerunt. Quo circa vigilibus ipſis non repertis ad exercitum armati regreſſi ſunt, omniaque, veluti acciderant, *Galeatio* nunciarunt. Qui nihilominus per occultos tramites civitati milites remiſſius propinquare imperans, uſque ad S. *Sylveſtri* oratorium contra civitatem elate reſpondens tacite ſe perduxit: ibidemque paſtoribus ovinum gregem cuſtodientibus comprehenſis, & fune colligatis, paululum ab incepto deſtitit, dum canes ingenti latratu totam circumpoſitam regionem replebant, & fere ad poſtremam uſque noctis vigiliam cum militibus conſedit. *Caſtrenſes* vero ad arma jam excitati, arreptis armis, funalibuſque, ac laternis accenſis civitatem luſtrantes, omnia circumſpectare, & procul è mœnibus præligatos paſtores efflagitare, quid tam ingentes ſibi vellent canum latratus. Illi autem ab armatis coacti ad veritatis ſimulationem, reſponderunt à lupis gregem infeſtari. Cives itaque multiplicatis circa mœnia vigiliis, cum ad majorem plateam conveniſſent, moleſte ferentes inſomnem noctem agere, cœperunt inter ſe conſulere, quæ nam factu opus eſſent: & nullis emiſſis exploratoribus ad regionem, in qua canes latrabant, & cætera ſuſpecta loca inſpiciendum: dum inter ſe diſſenſio exoriretur: nam alii ob exteriorum vigilum clamorem ad arma à *Taſcarella* auditum, & ſignificatum, civitati hoſtes propinquare ajebant: alii vero deprædationis periculum abeſſe: & dum vario ſermone, tumultuque noctem traherent; primates ipſius *Taſcarellæ*, & infimorum deſpecto conſilio: qui omnes inſtar *Trojanæ Caſſandræ* ruinam vaticinabantur; ægreferentes intempeſtæ frigidæque noctis onus ſuſtinere: unus poſt unum nihil de futura proditione cogitantes ad propria dormitum redierunt. Plebs vero viſo optimatum receſſu: cognitoque (cum caſus accideret) multo minus ſibimet innoxiis proletariis, quam locupletibus primariis direptionem civitatis obfuturum, oculis & ſomno gravata etiam ad propria conceſſerunt. *Galeatius* autem expectatam conſpicatus horam, & non ultra differendum ratus, militum cohortes paulatim procedere juſſit: & per Populeam cavam non ſine aliquo armorum ſonitu à nonnullis *Caſtrenſium* vigiliis audito, ad locum à proditoribus *Soranenſibus* præſignatum ſexaginta *Cyrnæos* factioſos & cordatos, inter quos *Jacobum Jacomucium Corſum*, milites ex acie ſelectos, cum ſcalis cæteriſque opportunis inſtrumentis pro tempore, atque loco paratis accedere ſub ſilentio præmiſit: illiſque injunxit, cum primum intraſſent, ut majorem plateam occuparent, & *Lambertam* portam interfectis cuſtodibus ferro aperirent, ut reliquæ bellatorum copiæ illuc adventantes, in civitatem inducerentur. Quæ omnia ad præſcriptum agentes, præſentibus animis magno ſub ſilentio perfecerunt. Nam ipſi *Cyrnæi* milites præſignatis ad Borealia *Praticotonii* latera rupibus circa jactum lapidis contra S. *Mariæ* fontem minantibus caute, quo ad fieri potuit, ſcalas, dato ſigno proditoribus ibidem excubantibus, admoverunt. Cum-

A que *Caſtrenſis* quidam adoleſcens nomine *Tempeſta* ſimul cum proditoribus excubaret, aliquantulumque ſtrepentes hoſtes audiret, percontatus eſt conſocios, quid nam ſtrepitus ille ſignificaret. *Cæſar Pecciæ Pitilianenſis*, qui cum illis erat, huic reſpondens dixit, milites à Comite miſſos huc adventare, ut civitatem ingrediantur, nonnulloſque *Caſtrenſium* primates, qui *Petrum Aloyſium* intromiſerunt, ſupplicio puniant; ipſumque adoleſcentem his verbis acquieſcentem monuit, ut ſomno indulgeret. Interea cum ligneæ ſcalæ rupibus admotæ non ſatis longæ forent ad aſcenſum: à proditoribus funes ſubminiſtrati ſunt: quibus B ad ligneas ſcalas connexis, milites ad rupis faſtigia confeſtim conſcendere cæperunt: verum *Abſalone Martellino* ac conſociis exploratoribus tunc forte circumluſtrantibus cum laterna procul inſpectis, animo ceſſim eundi, pedem referentes, ab aſcenſu aliquantulum deſtiterunt. Sed, ut illos ad præſtitutum proditionis locum non accedere, quin potius procul ire vidiſſent: arrectis animis, qui primi aſcenderant, alios ſub rupibus commorantes, ut conſcenderent, tam obnixe ſollicitarunt: donec omnes ſexageni milites ſurſum adrepentes abſque obſtaculo civitatem ingreſſi ſunt. Heu! quis nunc talia recenſendo temperet C à lachrymis? Pœnitet me quidem cæpiſſe flebilis civitatis caſum deplorare: Nam licet octennio meam natalem præceſſerit diem: miſerrima tamen hæc meditans, videor tum meorum conjunctorum, tum reliquorum civium innoxiorum oculis lachrymarum fontem, pectoribus gemitum, cordibus dolorem, vulneribus ſanguinem, animis defectionem, & denique neci necem in me ipſum renovare. Quamvis autem turbatus animus horreat ejuſmodi calamitatem meminiſſe: tremulaque manus movere calamum refugiat: tamen ne videar invitus majorum votis obſecundare, & ſtudioſi lectoris expectationem fallere: cœpta ſe- D quar. Cur autem, ſiquis prius rogitet, hæc acciderint? ſubdam brevibus. Huc optimatum ac infimorum diſcordiæ; Huc inteſtina odia, contentiones, rixæ, publicorum bonorum dilapidationes; Huc proximæ conſpirationes, pluraque flagitiorum ſcelera, ac corrupti denique mores civitatem induxerunt. Nec, tametſi feſta ſanctorum Innocentium dies adventarat, innoxiorum civium profuit innocentia: nam juſtus ſimul & injuſtus calamitatibus oppreſſi ſunt. *Cyrnæi* itaque bellatores circa ultimam vigiliam inſtante adhuc nocte civitatem ingreſſi, haud mora per Capitonis viam procedentes, ad majorem plateam E confertim advolarunt: eamque in principiis viarum occupantes, exinde ad *Lambertam* portam reſerandam, veluti fuerat eis injunctum, bis denos ipſorum milites miſerunt: qui bipenni ſcalpro à *Joanne Antonio Jacobi* Armigeri ſubgeſto *Lambertæ* portæ ſeras peſſulumque fregerunt: ad quam reliquæ confertiſſimæ *Galeatii* militum copiæ, quæ interim ex Populea cava deſcendentes, per viam ſub rupibus Portæ S. *Mariæ* ſitam perrexerant, licet à nonnullis ejuſdem Portæ cuſtodibus eſſent lapidibus infeſtatæ, denique pervenerunt: eamque catervatim ingredientes, relictis ibi cuſtodibus, omnes ſimul ingenti furore, ac voce F inſtar maris ſonante, irruentes, totam civitatem ſomno ſepultam è veſtigio invaſerunt: Et ad plateam procedentes, cum aliis primis demum congregati bellicorum ſcloporum ſtrepitu, & ingenti clamore ad *Caſtrenſium* animos percellendos, terque quaterque *Romanæ* Eccleſiæ nomen ingeminantes, ſtricta acie, & pilis minantibus vociferabantur. Tunc *Narducius Clarantanæ* bellatorum ſtrepitu excitatus, cum ex injuncto Communis Palatii ſcalas aſcenderet, ut campanæ ſonitu ad

ad arma capienda dormientem populum lacesseret, crebris scloporum ictibus occubuit. Miseri autem cives, nec non *Julius* & *Archangelus* à *Viterbio* militum duces, qui civitatis præsidio jam venerant, hostili etiam clamore conterriti, sumptis armis, ad majorem plateam, ad quam in hostium rumoribus convenire eductis in aciem militibus consueverant, seorsum insurgentes, ut sibi ferro viam aperirent, & platea hostes ejicerent, in ipsos confertissimos hostes acerrime concurrentes, & ob salutem strenue pugnantes, non sine plurimorum & civium, & militum fæda strage, & internecione, à sclopis, sarissis, ac stricto hostium mucrone repulsi sunt. Et licet reliqui cives ad hostium vires propulsandas accurrerent, tamen ne decem quidem simul adesse poterant, sed palantes dispersi sunt singuli ab hostium conspectu: nec fuit, qui fugientes congregaret. Tanta (proh dolor) fuit in ipsa civium, & hostium congressione, conflictuque cruoris effusio, ut per viam à Sancti *Pancratii* sacello circa dimidium stadium usque ad regionem *Capitonis* declinantem, defluere sanguineum rivulum crederes. Hæc autem in aurora, Sabbati Sanctorum Innocentium die quinto Calendas Januarii ejusdem anni CIↃ. IↃ. XXVII. luna sexta, densa supra modum obcæcante nebula, ut sese homines vix possent intueri, nec non maximo algore existente acciderunt. Quis illius itaque noctis cladem, proximeque illucentis diei funera fando explicet? Heu heu pudet dicere! dicam tamen, quia fuit. O! quot vulnera illata, quot interneciones, adulteria, stupra, & rapinæ, quotque inaudita hostium flagitia maxima cum diritate perpetrata fuerunt? Tunc vox in viis, ploratus, & ululatus audiebatur, incredibilisque omnium cælo tendebat ejulatus: filii dira parentum, parentesque immatura filiorum funera deflebant. Intrepidi milites, pilis hastisque minantibus ac sclopis armati circumeuntes totam civitatem devastare, & nemini parcentes (proditoribus *Soranensibus*, paucisque aliis eorum cognatis, & affinibus dumtaxat exceptis) omnium substantias diripere. Immissus erat civitati gladius nec erat, qui illum averteret: Immissus erat domibus ignis, nec erat, qui illum extingueret. *Cyrnæi* bellatores, quibus etiam *Galeatius* concesserat, ut quæcumque concupissent, impune raperent, veluti mos erat eis, aperta prædatione grassari: sacrilegia committere: Sacra temerare: expapillatis brachiis templa dispoliare: in ædes irrumpere, & catillare: clausa loca effringere, & abdita scrutari: opulentos quærere: alios dormientes, alios occursantes interficere: pluresque vibicibus afficere, ut divites, & pecuniosos assignarent: strepituque ac tumultu omnia miscere: nec non ita se in omnibus nefarie gerere, ac si non *Cyrnus*, at *Caucasus*, vel *Hyrcania* tam graves chelydros, sanguinariasque bestias aluisset. Ater ubique cruor fundebatur: crudelis ubique pavor, & plurima mortis imago aderat: totaque civitas, dum innumera, quæ linguæ officium vincunt, scelerum genera perpetrabantur, horrida cæde & suspiriis ubique resonabat: nec non vehementi prælio, labore, ac vociferatione cuncta strepebant. Interea cives, partim qui *Petrum Aloysium* in civitate introduxerant, partim, qui conspirationi non adhæserant, vitæ discrimen metuentes, latibula exquisiverunt: nam alii supra domorum tecta, alii in columbariis, alii in fænilibus, instar mei patris *Dominici* in fænili domus *Ciafardellorum*, alii in nonnullis domibus ab aliquo hostium immunitate amicabiliter donatis, veluti in domo presbyteri *Antonii* & *Horatii Mazettorum*, in qua ipsi cum eorum mulieribus ac nepte

A *Bartholomæa* mea genitrice, periculum evitantes, delituerunt, & salvi facti sunt: alii quoque à mænibus, atque rupibus vel præcipiti saltu, vel fune demissi aufugientes, alienas regiones peragrare coacti sunt. *Galeatius* autem cum civitatem subiisset, dum *Castrensium* substantiarum populationi, cæterisque profanis navaret operam, *Joannis Cobellæ*, quem hostili prosequebatur odio, ex eo, quod dixerat: quid, adversum me *Galeazettus* ille à *Farnesio* unquam poterit? inter hæc à militibus coram se perducti, flexisque genibus veniam orantis, misereri noluit: sed ira succensus fulmineo illum gladio incursim perfo- B dit. Neque hic de *Sebastiano Christophori Conchæ* silentium fiet: qui armorum acie certatim excissatus, demumque à militibus vestibus exutus, in majori platea bidui spectaculo jacuit exanimatus. Verum quid de finitimorum oppidorum hominibus ubique depopulantibus sileam? *Soranenses*, & *Pitilianenses*, nonnullique alii non sine aliquo rubore ad deprædationem, cursitantes, omnia convasare: at hisce longe immaniores *Farnesiani*, *Graviscæque* seu *Montaltenses* non modo supellectilia, & reliqua pretiosa *Castrensium* bona diripere: verum quoque ligneas ostiorum fenestrarumque valvas, & (proh indignum facinus) sa- C cerdotalia indumenta, calices, sacrarumque ædium campanas validis malleorum ictibus perfractas ad *Farnesium* castrum jumentis transvehere. Neque imprimis majorem palatii communitatis campanam desivissent transportare: sed cum infinitis ea percussionibus effringi nequisset, illorum votum ad effectum perduci minime valuit. *Galeatius* demum, Episcopo, qui pridie Kalendas Januarias ad captæ civitatis curam, & tranquillitatem à Pontifice commissarius fuerat creatus, *Castrum* adveniente, dimissis copiis, omni prædæ genere refertus, & gestiens *Farnesium Castrum* profectus est. Episcopus vero volens D Pontificiis commissis parere, dissimulata casus molestia à *Soranensibus* proditoribus, eorumque complicibus, qui à conspiratorum metu fere soluti, *Castri* quietè degebant, ipsam civitatem custodiri mandavit. Interim *Antonius Sciucha*, ac nonnulli alii conjuratorum, qui in ipsa direptionis die vitæ discrimen formidantes procul ierant, neu *Soranenses* de proditione perpetrata impune gloriarentur, hostium depopulantium discessu quam primum audito, ut iterato scelere primum scelus cumularent, *Senas* profecti sunt: & pro *Castrensi* patria exorantes, ab illius inclytæ Reipub. Magistratu nonnullas bellatorum copias E obtinuere. Cumque civitati clanculum propinquassent, communicato prius consilio una cum *Mansueto Dominici*, *Alexandro Savinello*, ac nonnullis aliis, qui *Lambertæ* portæ præerant: in cryptis contra ipsam portam à sinistra sub columbanæ via sitis, cum militibus nocte adventantes delituerunt. Mane autem facto, & orto jam sole, cum *Alexander* scloporum ludicra dissimularet, & extra portam custodes milites moraretur: præstitutum sclopi explosione signum dedit: eoque dato valvas *Mansuetus* festinanter occlusit. Tunc *Antonius* & conjurati explosionis signo ha- F bito, una cum abditorum bellatorum cohorte è specubus exsilientes, celeri gradu, ad *Lambertam* portam irruerunt: & custodibus extra eam existentibus & frustra subire conantibus, partim peremptis, partimque præ timore ad vicina arundineta defugientibus, portam *Mansuetus* reclusit. *Antonius* & pugnatores illico civitatem ineuntes, relictis ipsi portæ custodibus, ad *Petronis* plateam catervatim pervenerunt: ibique *Thomam* è proditoribus unum adinventum magno impetu insurgentes armis deperdere conabantur. *Thomas*

vero

vero veſtigia inſiſtens dum ſe armis tueretur, *Julium Matthæi*, à quo exſerto gladio infeſtabatur, intrepide necavit. Huc vero *Senenſis* quidam armiger clypeatus accurrens tam crebris recluſi mucronis ictibus illum cædere nitebatur: ut per vicinum auſtralem viculum deſcendere, & civitatis rupium profunditatem experiri coegerit. Et dum ob caſum in vitæ examine proditor ipſe laboraret, à nonnullis mulieribus anxiari proſpectus, civibuſque ſignificatus, à *Michaele Angelo* uno conjuratorum pluries gladio perfoſſus, & extinctus, una cum *Joanne Antonio*, qui ſcalpro portæ ſerram rumpens hoſtes intromiſerat, etiam à militibus interempto, in proditionis loco ad lignum pedibus fune ligatis, verſo capite ſuſpenſus pependit. Poſt hæc autem cum *Antonius* conſpirator & reliqui complices vidiſſent fere omnes *Soranenſes* proditores, præter *Antonium Cæleſtinum*, qui procul evaſerat, ultimum ſupplicium ſumpſiſſe, omniaque ſibi tuta eſſe, & in portu navigare *Senenſium* pugnatorum copias dimiſerunt. Pontifex vero plena relatione de his, quæ geſta fuerant, ab Epiſcopo, & à *Joanne Baptiſta Blaxiolo*, cujus germanus *Gabriel* à conjuratis civitatem noviſſime ingreſſis, fortaſſe immerito fuerat necatus, rite indagata & habita: Epiſcopum ipſum *Gabrielem* pridie Kalendas Martii CIϽ. IϽ. XXVIII. nati Salvatoris anno denuo majori cum facultate commiſſarium deputavit: ut omnia, quæ ad rectum civitatis regimen eſſent opportuna, reformaret: & tam ſuper omnibus aliis, quam ſuper perpetrato rebellionis facinore per aliquos civitatem *Caſtri* extra ſedis Apoſtolicæ devotionem tradendo, inquireret, & ſine ullius cenſuræ vel irregularitatis incurſu caſtigaret, omniaque ad tranquillum civitatis ſtatum bene viſa omnimodo perficeret. Epiſcopus autem Commiſſarius, rebellionis cauſa clanculum indagata, reique veritate plene cognita, conſpiratoribus civibus amicum ſe diſſimulanter agens, *Antonium* & *Michaelem Angelum*, quos habere potuit, (nam alii ſcilicet *Joannes Petri Antonii* paulo ante deprædationis diem obierat, *Joannes Cobellæ*, & *Sebaſtianus Chriſtophori*, ac nonnulli alii in ipſa deprædatione fuerant necati, pauci vero aufugerant, fucatis verbis ad prandium in *Aldobrandinorum* ædibus à *Margherita Gabrielis Blaxioli* præmortui uxore conditum, in Epiſcopali palatio denique paratum, attraxit. Et dum in aula ſimul diſcumberent, lineum mantile, quo ablutas manus abſterſerant, in ſignum ad Eoam feneſtram poni, expandique mandavit. *Alexius Circitor*, & in ora Patrimonii ſatellitum præfectus, quem ad hoc Epiſcopus prius evocarat, proſpecto mantilis ſigno, ſibi olim ad rem præordinato, una cum ingenti ſatellitum cohorte à cavæ contra *Caſtelli* portam ſitæ latibulo confeſtim erumpens, & civitatem clam ingreſſus, Epiſcopale Palatium circumſepſit: nonnulliſque ſecum adhibitis ſatellitibus aulam ingrediens poſt datam convivis ſalutationem, circa menſam aliquantulum ſpatiatus eſt: & nactus occaſionem, conjuratores *Antonium* valido ſe gladio diu defendentem, & *Michaelem Angelum* inſtar agni obmuteſcentem denique comprehendit: amboſque à ſatellitibus mitigari mandavit: & poſt modicam ſalutaris pœnitentiæ intercapedinem illis datam, in ulteriori contra ſolis occaſum ſito cubiculo, reſti eorum cujuſque gulæ circumſerta, laquearis tigno annexa, & abaco, quem ſub ipſorum captivorum pedibus poſuerat, poſtmodum ſemoto, miſere ſuſpendit. Interea *Antonius Scaramuccia*, qui una cum *Antonio* & *Michaele Angelo* ſtrangulatis olim conſpiraverat, ab Epiſcopo *Viterbium* cum literis ad Patrimonii Vicelegatum deſtinatis ſeorſum miſſus

A eſt: quarum tenore mandabatur, ut idem *Antonius* delator ultimo infligeretur ſupplicio: ſed cum inſcius rei Vicelegatum comperiſſet in cubili jacentem, & in paroxyſmi principio febricitantem magis ingraveſcere: literas ei dedit: quas etſi Vicelegatus legiſſet, tamen quia febre acriter laborabat, iis prope cervical poſitis, quieti indulgebat. *Antonius* vero cum diu expeditionem præſtolaretur, fruſtraque experiretur: præ tædio, nullo habito reſponſo, recedens, ad *Caſtri* cavam uſque pervenit: ibidemque ab *Angelo Carneſicca* ſuſpenſorum internecione perſpecta, è *Caſtrenſi* agro procul iens, Epiſcopi Commiſſarii manus evaſit. B Hæc ubi ceciderant, cum idem Commiſſarius Epiſcopus videret civitatem pravis conjuratoribus vacantem, ad perpaucos, qui in ea remanſerant, cives animum vertit: eoſque amanter adhortatus eſt, ut in poſterum pacifice ac quiete degerent: imprimiſque cognoſcens non modo civium res fuiſſe à militibus direptas, verum etiam (proh ſcelus) à *Farneſianis* ſacrarum ædium campanas, calices, ſacerdotalia indumenta, cæteraque Eccleſiaſtica mobilia ſacrilegis manibus ad *Farneſium Caſtrum* eſſe tranſvecta: pro ipſorum recuperatione facienda, à ſummo Pontifice monitorias excommunicationis literas con- C tra *Pitilianenſes*, *Soranenſes*, *Farneſianoſque* ac *Montaltenſes*, in Urbe veteri pridie Kalendas Aprilis tunc inſtantis ab Dominica incarnatione CIϽ. IϽ. XXVIII. anno emanatas impetravit. Et denunciationibus inter divina ſolemniter factis, vix potuit perfractarum campanarum fruſta reparare: quæ deinde, menſe Martio, & noſtræ ſalutis CIϽ. IϽ. XXX. anno ab *Antonio Bradino Senenſi* Campanario in priſtinum redactæ ſunt. Hæc itaque fuit ſumma *Caſtrenſium* depopulationis: quæ quidem circa ſeptem hebdomadas perduravit. Nec deſunt, qui pro locorum proportione judicent, atque aſſeverent majorem à *Cyr-* D *næis* militibus ac vicinis direptoribus e *Caſtro*, fuiſſe quam ab *Ultramontanis* è *Roma* elicitam prædam, & ea ratione: quod plures *Cornetani*, *Tuſcanenſes* nonnullique alii finitimi præ timore, ne ab *Hiſpanis*, qui Urbem diripuerant, & alias *Italiæ* civitates, & oppida tunc devaſtabant, etiam ipſi diriperentur, & devaſtarentur, cum ſuis pretioſioribus ſupellectilibus atque rebus ad *Caſtri* civitatem tanquam locum ab omni incurſu tutum, atque munitiſſimum confugerant. Sed libet non ab re fortaſſe digredi. Parva enim vero hæc, de qua ſuperius dictum eſt, civitas, quæ in colle ſita lyræ formam imitatur, & præru- E ptis rupibus ac profunda valle circumdata eſt; & cujus quidem mœnia vel inſuperabiles rupes quis niſi præpetibus alarum pennis tranſcendere valeat & oppidum nomine *Caſtrum* felix antiquitus dicebatur. Verumtamen octingentis ampliuſque peractis annis ſuperveniente flebili urbis *Proſæ*, vel (ut altero perhibent cognomine) *Bulciæ* quinquaginta ſtadiis à *Caſtro* diſtantis deſolatione, à ſummo *Rom.* Pontifice per Epiſcopalis cathedræ tranſlationem civilitate donata fuit, & *Caſtrum* ſimplici nomine appellata eſt. Hæc ipſa proximis temporbus ante ſuperiorem depopulationem opulenta, & ſeptenis amplius quoque bellatorum F civium munita, centuriis inter cæteras Patrimonii divi *Petri* adeo validiſſima erat civitas, ut finitimis tum *Senenſium*, tum aliorum Dominorum oppidis terrorem quandoque incuteret. Quod autem in lamentabilem caſum prolapſa ſit, & facta vicinis opprobrium, & deriſus his, qui in circuitu ſunt, haud mirum. Nam cum in pacifica ſanctæ *Romanæ* Eccleſiæ ditione ipſius homines vitam agerent: ſummuſque Pontifex ad gubernandam civitatem aliquos de ſacro Cardina-

nalium collegio, & præsertim *Joannem* de *Pisanorum* familia *Venetum* Cardinalem à *Leone X.* creatum destinaret: primarii nonnulli cives conspirantes, & reliquam populi partem seducentes non modo hujusmodi gubernatores renuerunt, verum etiam & armis propulsarunt. Præterea manus eorum fuerunt ad rapinam pronæ, sanguineque pollutæ: pedes eorum ad malum cucurrerunt: & non fuit judicium in gressibus eorum: viam pacis reliquerunt: multiplicatæ sunt eorum iniquitates coram domino: & facta est veritas in oblivionem. Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, ac in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniebant. Et propterea talia agentes digni fuerunt calamitatibus, & morte: & non solum qui ea fecerunt, sed & qui facientibus consenserunt. Quod ita sit, res ipsa demonstrat. Nam ab illo superioris depopulationis tempore usque ad CIↃ. IↃ. XXXIV. Dominicæ Nativitatis annum, infortunia, calamitates, ac pressuras, quas nunquam putaverunt, undique passi sunt. Et omissa multorum peregrinatione, ut sub illorum temporum penuria, ac diritate in alienis terris sibi victum pararent: sine intermissione à vicinis oppidanis non modo bestiarum ac rerum surreptionem sustinere, & incredibilia pro passu vectigalia solvere: verum etiam instar obsidum detineri: veluti pro exemplo, pro publico debito à *Caninensibus Petri Biliæ Castrensis* frumentum fuit subtractum: *Dominicus Angelus* meus genitor pro hæredum *Jacobi Rufini* credito contra Communitatem à *Petro Aloysio Farnesio Canini* fuit detentus: qui postea, cum summa florenorum viginti & unius soluta, ab ipsa *Castrensi* Communitate in *Prati Ulpitæ* sub die XVII. Novembris anni CIↃ. D. XXXII. datione fuit reintegratus: nec non *Sigismundus Joannis* etiam pro universali obligatione ab *Alexandro Farnesio* Cardinali in oppido *Gradularum* coarctationis pœnam passus est. Plures quoque alii, quorum nomina perdifficile foret singulatim enarrare, multifariam vexati fuere. Sed quoniam Dominus non vult peccatorum interitum, sed ut potius convertantur, atque vivant: de excelso cælorum tabernaculo afflictorum corda prospiciens, suam illis misericordiam clementer ostendere dignatus est. Effecitque ut à sacro Cardinalium in sancto spiritu legitime congregatorum collegio sub mense Octobris anni CIↃ. IↃ. XXXIV. *Alexander* ipse Cardinalis *Farnesius* in LXVI. ætatis anno constitutus, & collegii Decanus ad summi Pontificatus apicem eligeretur: qui sic electus & corona insignitus, tanta sibi commissum populum sapientia ac virtute gubernavit: ut toto quindennio aurea illa secula iterum elucescere viderentur. Hic ad suam agnationem magis illustrandam locupletandamque propensior effectus *Petrum Aloysium Castri* Ducem creavit: qui dum vixit, civitas ipsa superiorum oblita calamitatum, ita pacis ac tranquillitatis dono frui: beneficiis, ac gratiis cumulari: magnificis ædificiis exornari: variisque artibus ditari: ut pro tot tantisque collatis muneribus summo rerum opifici gratias ageret. Ex nepotibus autem *Alexandrum*, & *Raynutium* Cardinalatus dignitate insignivit: *Octavium Camerini* Ducem effecit: & perpetuum *Nepetis* gubernatorem, eique *Margharitam Austriacam Caroli V.* Imp. filiam conjugem dedit: ex qua gemelli *Alexander*, & *Carolus* orti sunt. Victoriam cum *Guidone Ubaldo Urbini* Duce legitime copulavit; deinde *Petro Aloysio* Duci *Placentiam* & *Parmam* in feudum concessit: ac *Rom.* Ecclesiæ *Camerinum Nepetem*que in commutationem reddidit. Insperata vero *Petri Aloysii* eveniente internecione, *Octavio Placentiæ* ac *Parmæ* Ducatum transtulit: & *Horatio* Duci, qui cum *Diana Valloys Francorum* Regis filia matrimonium contraxit, *Castri* Ducatum contulit. Novissime autem tum senio confectus, tum aliquo angore debilitatus Pontifex ipse occubuit. Post hæc *Horatio*, Duce in obsidione *Edim* strenue cadente, Dux *Octavius* & *Castrensem* Ducatum obtinuit: quem diu sub *Hieronymæ Ursinæ* Ducissæ suæ genitricis cura, & post hujus obitum sub *Alexandri* Cardinalis germani sui fratris protectione ac regimine commisit. Superiorum autem gemellorum alter tantummodo vivit, scilicet *Alexander:* qui *Mariam Lusitaniæ* Regis filiam duxit in uxorem: ex qua optimæ indolis filios *Raynutium* & *Odoardum* procreavit. Hic autem & re, & nomine quidem est *Alexander:* nam in naumachia ad *Naupactum* tantæ strenuitatis, vigorisque futuri specimen præ se tulit: ut *Farnesios*, *Petrum*, *Raynutium*, *Aloysium* cæterosque atavos rei militaris duces ac Imperatores fama atque gloria sit apprime præstiturus.

FINIS.



INDEX
MEMORABILIUM.

Farne-

FINIS.





JUSTI FONTANINI,

Forojulienſis, a Cubiculo honorario Clementis Pontificis XI.

DE ANTIQUITATIBUS HORTÆ COLONIÆ ETRUSCORUM LIBRI DUO.

Ubi præter Hiſtoriam HORTANAM alia etiam non pauca Res Romanas Italicaſque illuſtrantia, proferuntur.


Accedunt

ACTA VETERA,

Inter quæ Decretum ſincerum Gelaſii I. Pontificis ex inſigni Codice Vaticano.

Editio Secunda, Aucta & Recognita.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

Quicquid ſub terra eſt in apricum proferet ætas.
Horat. lib. 1. *epiſt.* 6.

NOVÆ HUJUS EDITIONIS
P R Æ F A T I O.
I N G E N U E L E C T O R.

M*agnum inter hanc nostram & priorem Editionem* Romæ *MDCCVIII. in* 4.to *apud* Franciscum Gonzagam *impressam, esse discrimen, quivis comparationem modo instituens perspiciet. Nam auctor nonsolum eam, adhuc superstes, diligenter recognovit, sed etiam hinc inde novis additamentis auxit. ut hoc videre licet in nostra pag.* 10. 13. *&* 29. *ubi paginæ, quæ accesserunt, asterisco sunt insignitæ, quare easdem numerorum notas, paginas prædictæ Editionis indicantes, bis in margine adjectas invenies, quod factum primò, ut paginarum ordinem in sequentibus retinere potuerimus, secundò autem, ut lectori primo intuitu appareant, quæ ab Auctore addita sint. Pag. quoque* 38. 45. 46. 85. 86. 100. 103. 105. 106. *& a pag.* 107. *usque ad* 112. *quædam esse mutata & inserta reperies. Eorum autem, quæ hisce duobus continentur libris, mentionem injicere, esset Æthiopem lavare; quoniam illa Auctor in Præfatione sua Editioni* Romæ *typis mandatæ præmissa, brevibus significavit, ad quam Lectorem ablegamus. Operam autem & studium nostrum in recudendis his Antiquitatibus præstitum, te ignorare nolumus. Scias itaque, nos primum diligentissime, ut figuræ æneæ ad exemplar præscriptum accurate & nitide exsculperentur, curasse: deinde nonsolum menda, in calce prioris editionis apposita, quæ auctore inconsulto irrepserant; sed etiam ea, quæ Auctor, eam relegendo, postquam publici juris esset facta, observavit, & calamis excepta ad nos misit, stricte emendasse. Porro quo-*

que rubris characteribus iisdem in locis, ac auctor, usi sumus, ubi, vel lacunas in inscriptionibus expletas, vel auctores in lectione differre, monstrat. quod etiam in Decreto Gelasii *I. Pontificis observatum. Tandem nomina propria, aliaque notatu digna literis cursivis, ut vulgo dicitur, ut evolventi subveniamus, excudi fecimus. Conatus hosce nostros, si mereantur, æqui bonique consule, ac favere perge. Vale.*

FERDINANDO NUPTIO, ARCHIEPISCOPO NICÆNO, VIRO ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO, Postea S. R. E. CARDINALI

JUSTUS FONTANINUS.



Hortanis Antiquitatibus, temporum calamitate & majorum incuria laceris atque dispersis, te auspice, medicas manus admovi, Ferdinande Nupti, vir illustrissime, easque magno quasi naufragio superstites tabulas in unum congessi, ut Coloniæ Augustæ, olim in *Tuscia* suburbicaria florentissimæ, imaginem quandam pro virili expressam, tibi uni primum, deinde erudito orbi spectandam proponerem. Vereor tamen ne apud sapientes viros inconsultus appaream, utpote qui in retegenda clarissimæ urbis facie haud satis pro dignitate animo reputaverim quantum recentior ejus amplitudo priscæ illi, omni licet laudum genere ornatissimæ, te uno cive antecellat. Tu enim in Urbe rerum domina quatuor Summis Pontificibus diuturna rerum experientia probatus, præcipuisque muneribus subeundis adhibitus, universæ Aulæ *Romanæ*, ceterarum omnium emunctissimæ, oculos in te conversos, nullis externis opibus subnixus ita sustinuisti, ut ad singula, quæ tuæ prudentiæ iidem optimi Pontifices incumbere voluerunt, natus, & a quodam veluti numine factus, omnium consensu credereris. Quare, præstantissime Ferdinande, te per varios eosque arduos munerum gradus supremo nutu traductum, ut inde patefieret animi tui magnitudo mira quadam virtute munita, omnes non immerito existimant. Dictu vero difficile est quantum ista morum tuorum gravitas, versatile ad omnia ingenium & singularis humanitas omnes devinxerint, usque eo sane, ut plurimi occurrant, qui certatim studia omnia se tibi debere fateantur: inter quos ob tua in me merita primas jure mihi deferri hic lubens ostenderem, nisi declinanda esset suspicio, multiplices laudes tuas privatis officiis meis potius fore adscribendas, quam publicæ famæ, in cujus ore versantur. Has equidem necesse non habeo fusiori stilo persequi, tum quod splendore ipsæ suo sine aliena oratione satis enitеant, tum ne eas enarrando videar pudorem tuum onerare voluisse. Illud tamen silentio neutiquam est prætereundum, immo vero & omnium ore celebrandum magnopere est, quod ipse non raro suspexi; te nimirum inter severiora divini humanique juris studia, in quorum sanctiori larario justitiæ & religioni diu noctuque litare consuevisti, sæpenumero ævi retroacti illustres fastos, tanquam sacros Tripodas consulere: unde ex mentis tuæ hinc instructæ ditissimo ærario nihil non luculentum, perfectum, commenda-

datumque prodire omnes prædicant, & palam compertum est. In his vero tot tantaque præcelsæ indolis tuæ specimina protulisti, doctrina, integritate, animoque in omnes effuso, ut CLEMENS XI. Pont. Max. insignium virorum acerrimus judex ad honoris culmen amplissimo ordini proximum, te pro ea, qua fulges modestia, de hoc minime cogitantem, evexerit. Quæ quum ita sint, ut novis ornamentorum accessionibus quamprimum floreas & tuorum meritorum cumulus in excelso loco jam positus, & vota publica flagitare non cessant. Neque profecto is, qui rerum potitur, sapientia juxta ac auctoritatis fastigio summus, frustra id nos sperare jubet. ROMÆ prid. Kal. Februarias MDCCVIII.

PRÆFATIO LECTORI BENEVOLO.

Abhinc septennium & quod excurrit hæ nostræ Antiquitates Hortanæ *absolutæ jam fuerant, ut nonnullis viris doctissimis, qui eas legerunt, atque pro sua humanitate in suis scriptis etiam laudarunt, vulgata res est: quod justis de caussis dictum volumus: haud sane ad jactantiam. non enim ignoramus quanti sint faciendæ observationes, quæ aliud propemodum cogitanti exciderunt: quasque perpetuo silentio obruissemus, nisi secus illis visum fuisset, quibus lubenter non obsequi religio est. Quare eas in unum volumen congestas atque hinc inde auctas edere tandem decrevimus in duos libros distinctas. Prior complectitur* Hortanas Antiquitates *pro modulo nostro explicatas ab origine urbis secundum eorum seriem, quæ ad nostram notitiam venerunt. Raptim quoque, ut res exigit, semel atque iterum ad proximas urbes excurrimus, puta ad* Faliscos *&* Vejos: *de quorum situ quoniam variæ, nec nisi vulgo probatæ opiniones circumferuntur, ab affectu opidanorum vel studio partium excogitatæ; nos ab hac labe immunes, qui singulorum caussas procul habemus, veriorem, ut quidem credimus, & eruditis acceptiorem iis de urbibus sententiam proferre haud sumus veriti. Alter vero liber constat dissertatione* de Poëtria *insigni* Proba Falconia Hortanâ, *quam hactenus viri celeberrimi* Faltoniam *&* Romanam *dixerunt: ubi etiam de ejus scriptis fusius agitur, & de Decreto* Gelasiano, *in quo ejusdem Centones sub nota apocryphorum memorantur. Hæc omnia subinde clauduntur exercitatione chronologica de* Hortanis episcopis; *& veterum demum actorum Appendice illuc spectantium: inter quæ eminet sincera editio ejusdem Decreti, quod* Gelasio *I. Pontifici Maximo suffragiis criticorum deinceps adjudicatum iri vix dubitamus. Hoc autem loco iis, quæ diximus pag.* 222. *&* 333. *de vetustis codicibus, in quibus Decretum illud* Gelasium *auctorem præfert, addere lubet & alium codicem antiquissimum literis* Saxonicis, *servatum* Neapoli *in bibliotheca cœnobii sancti* Johannis *de* Carbonaria, *in quo exstat* Gelasii Decretale, *ut olim adnotavit* pag. 111. sui Itineris Italici *Johannes Mabillonius, nuper eruditorum & proborum omnium dolore nobis sublatus. Exilem vero conatum nostrum illos haud omnino aspernaturos confidimus, qui non ignorant quanti intersit rei literariæ, antiquarum urbium lipsana omnia evulgari; dum illis historia sacra & profana, res geographica & chronologica illustrantur: quæ studia utinam eo pacto majoribus nostris arrisissent ac nostræ ætatis clarissimis viris arrident. non enim doleremus deperditos & in ædificiorum fundamentis jaciendis dissectos atque sepultos quamplurimos literatos lapides, simulacra & nummos fusos, inscriptasque membranas in varios usus præpostere collocatas (non tamen omnes, sicut* Pyrrhonæi *quidam Thrasones perfricta fronte blaterare non dubitant, quibus jure maximo sua verba redduntur) quarum rerum subsidio doctrina temporum mirum quantum augeri potuisset. Nihilominus accedente potentiorum præsidio, quo sane res literaria magnopere indiget, tantæ calamitati adhuc consuli utcunque posset ubi celebriorum & vetustiorum urbium* Italiæ *nostræ monumenta a peritis viris, qui profecto non desunt, accurate illustrata ederentur.* Italica *enim Historia post* Græcam *omnium*

omnium est eruditissima & scitu dignissima, utpote quæ universalis Historiæ majorem & præstantiorem partem constituit, quemadmodum viri eximii ex Transalpinis *non inviti agnoscunt, dum nostratium rerum commentarios undique studiose conquirunt: quæ cura præcipue tetigit clari nominis philologum* Johannem Georgium Grævium. *Hic enim post* Romanarum Antiquitatum *Scriptores varios in unum corpus digestos, animum etiam converterat ad* Antiquitatum Italicarum *Scriptores colligendos, ipsis* Batavorum *typographis animo plane regio stimulos addentibus: raro quidem exemplo, neque, ut nunc res sunt, hic in* Italia *sperando. Licet autem* Grævius *id omnino absolvere non potuerit morte præreptus, absolvendum tamen reliquit studiis* Jacobi Perizonii *V. C. De his te monitum volui, Lector benevole, ut lucubrationem nostram quantulamcumque æqui bonique consules. Interim vale.*

BLASIUS CARYOPHILUS. V. C.

AD AUCTOREM.

Ἀμφανέοντι τόπον δ' Ὄρθης, καὶ θέσκελα ἔργα,
Νηὸν κ' εὐώδη Ἀμφιτρυωνιάδου,
ΦΟΝΤΑΝΙΝΕ φέρει σοι νῦν κλέος οὐρανόμηκες

Ἰταλίη γλυκερὸν μοῦ τὸ λέγουσα δ' ἔπος.
Εἴς τε φάος ἄγαγες ΦΟΝΤΑΝΙΝ' ἄφθιτα ἔργα
Τέκμωρ εὔδηλον δ' ἀμφοτέρων ἀρετῆς.

Imprimatur

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesgerens.

REverendissimi Patris *Paulini Bernardinii* Sac. Apost. Pal. Magistri nutu opus, cui titulus: *Justi Fontanini de Antiquitatibus Hortæ Coloniæ Etruscorum libri duo &c.* magna animi voluptate perlegi: & Cl. Viri studium in eruendis perlustrandisque veteribus monumentis tanta diligentia & accurato labore, mirabar. Sicut vero in reliquis jam summo Litteratorum plausu editis lucubrationibus, quibus multa supplevit, illustravit, & critica virgula notavit, debitam doctrinæ & honoris palmam est promeritus; ita evulgatis hisce Antiquitatibus, tum nostræ *Italiæ*, tum posteritati maximum emolumentum, quin etiam Auctori amplam gloriæ segetem accessuram censeo. Quamobrem cum opus ipsum nulla Fidei Catholicæ bonisque moribus adversa contineat, & ex ejus lectione omnigenæ eruditionis feracissima, ecclesiasticæ historiæ & profanæ bona plura redundatura sint, feliciter in lucem prodire poterit. Dabam in Collegio Urbano de Propaganda Fide die 29. Januarii 1707.

Ego Franciscus Dominicus Bencini S. T. D. & Lector & in eodem Collegio Bibliothecæ Præfectus.


Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magister.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.


LIBRI SECUNDI.



AP-

APPENDIX ACTORUM.





JUSTI





LUGD. BAT. Excudit PETRUS VANDER Aa.



1 JUSTI FONTANINI DE ANTIQUITATIBUS HORTÆ ETRUSCORUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

SYNOPSIS.

I. *Urbium & populorum origines à magnis viris deſcriptæ.* II. Hortæ *urbis ſitus & variæ appellationes.* III. *Condita à* Pelasgis. IV. *Quando* Pelasgi *in* Etruriam *migraverint.* Hortæ *cives contra* Æneam *præliati.* Tiberis *navigabilis juxta* Hortam. V. *Gens* Hortenſia *ex eadem urbe deducta.* VI. Horta *male cum* Ortona *confuſa.* VII. Horta *una ex duodecim urbibus* Etruriæ, *non autem* Veji. VIII. *Tres* Etruriæ *à* Lucumonibus *rectæ.*

PRimæ urbium & populorum origines omni ævo apud omnes gentes tam venerabiles & pene dixerim ſacræ fuerunt, ut ſcriptorum omnium antiquiſſimus & ſanctiſſimus *Moſes* magnam earum partem divino volumini de mundi creatione inſeruerit, & de plurimis in-
2 ſuper egerit *Eſdras* ſeu quisquis alius in narratione eorum, quæ prætermiſerat *Moſes.* Immo & ceteri auctores, qui longo intervallo ſequuti ſunt, in eadem veſtigia incurrentes id ipſum ob oculos habuerunt, quemadmodum ex *Herodoto* hiſtoriæ *Græcæ* parente & ex *Thucydide* literis & genere nobiliſſimo apparet. Sane *M. Porcius Cato* Cenſorius, ut ad noſtros deveniam, vir magnus domi forisque, *utpote qui tres ſummas in homine res præſtitiſſe exiſtimatus eſt, optimus orator, optimus imperator, optimus ſenator* (ut de eo inquit Plinius *libro ſeptimo capite triceſimo ſeptimo*) Italicarum urbium origines ſeptem libris complexus eſt: in quorum fragmentis, quæ nobis veteres ſcriptores ſervarunt, quæque à ſe collecta explicavit Antonius Riccobonus in *Commentario de hiſtoria*, tanta notitia *Italiæ* antiquitatum elucet, ut nemo non doleat, ſcripta auro & cedro digniſſima per temporis injuriam magna rei literariæ calamitate aboleri potuiſſe: quod idem fatum hiſtorias etiam *Sempronii Aſellionis* nobis invidit. Hæc monumenta à priſcis auctoribus laudatiſſima ſi noſtra ætate ſupereſſent pro *Catonianis* & *Sempronianis* illis, quæ, ut omnes jam norunt, ex officina famoſi hominis *Annii Viterbienſis* prodierunt, perſpecta utique haberemus primordia ejus urbis, de qua ſcribere adgredimur, *Hortæ* ſcilicet in *Etruria* mediterranea Coloniæ: neque ejus originem
3 in tanta rerum antiquitate anxio labore & ſtudio
A conjecturarum hinc inde jam expiſcari opus eſſet, procul abjectis mendaciis & impoſturis, quæ fraudulentiſſimo auſu in ſui Petri Baccarini *de Horta* chronicis Hortanis commentus fuit rei literariæ peſtis *Alphonſus Ceccarellus* apud *Leonem Allatium* ad calcem editionis ſecundæ *Animadverſionum in Antiquitates Etruſcas* ab *Inghiramio* vulgatas.

II. Poſterioris ævi ſcriptores *Hortam* locant in *Etruria* ſuburbicaria, patrimonium ſancti *Petri* nunc dicta, & quidem in ipſo Ducatu *Romano* Anaſtaſius *in Zacharia:* eſtque in colle trans *Tiberim* ſita ubi recipit *Narem* fluvium in limite *Umbriæ* ad *quadrageſimum* ab Urbe lapidem, ut ait idem Anaſtaſius *in Benedicto* III. non vero ad *vi-*
B *ceſimum quartum*, ut putavit *Daniel Papebrochius in tomo altero Maji Bollandiani pag.* 154. neque ad *triceſimum quartum*, ut ſcripſit Michael Antonius Baudrandus *in Geographia ordine literarum diſpoſita. Hortæ* quidem vocabulo non unum opidum appellatum invenio. *Hortæ* in *Bœtica* prope *Nebriſſam* meminit Petrus Marſus *in Silium Italicum libro tertio:* & *Horta Dertoſanæ* in *Catalonia* diœceſeos legitur *in tomo altero* Martii Bollandiani *pag.* 667. De *Horta* inſula *Novarienſis* lacus in *Gallia Ciſalpina*, in quam *Berengarius* conjectus
C fuit ab *Ottone* Imperatore, loquitur Carolus Sigonius *in libro ſexto de Regno Italiæ. Orta* in *A-* 4
prutio memoratur à Johanne Berardo *in Chronico Caſaurienſi tomo quincto Spicilegii Dacheriani pag.* 395. At his urbibus nihil omnino eſt cum noſtra hac *Horta*, quæ olim vario nomine appellata eſt. Siquidem à Plinio *in libro tertio capite quincto*, ubi alphabetico ordine civitates enumerantur ſeptimæ regionis *Italiæ*, in qua eſt *Etruria*, vocatur *Hortanum:* à *Geographo Ravennate libro quarto pag.* 214. & ab Anaſtaſio *in Vigilio*, *Hortas* ſive *Ortas:* à Paullo Diacono populari noſtro *in libro quarto capite octavo de Geſtis Langobardorum*
D *Horta*, vel, ut alii malunt, *Hortas:* à Johanne Boccatio *in capite nonageſimo quincto de claris mulieribus Orthi:* & ab ejus exſcriptore Jacobo Philippo Bergomate *capite centeſimo & viceſimo ſeptimo libri ejuſdem argumenti Orti:* ab aliis *Horti* & *Orta*; unde etiam ejus civium diverſa appellatio facta eſt.

III. Hanc eandem urbem non quidem latini nominis, quaſi ab *hortorum* amœnitate ſic dictam, ut placuit Friderico Taubmanno *in notis ad librum ſeptimum Æneidos*; ſed *Etruſcæ* vel *Græcæ* appellationis ego facile putarim: nam præter quamquod de *Horta Dea* uxore *Romuli* meminit Lilius Gy-

raldus *in syntagmate primo de DIs gentium*, cujus
templum semper patuisse tradit Plutarchus *in Quæ-*
5 *stionibus Romanis tomo secundo* operum editionis
Xylandri pag. 275. *Orthe* etiam, sive *Orthi* Ὄρθη
opidum in *Thessalia* memoratur apud Homerum
in libro altero Iliados vers. 739. à Strabone *in libro*
nono, à Plinio *libro quarto capite nono* & ab Eusta-
thio *in Homerum pag. 333.* à cujus opidi civibus,
memoria vetera repetenti mirum forte videri non
poterit conditam fuisse *Ortham* sive *Ortam* urbem
Etruriæ mediterraneæ atque ob memoriam *Thes-*
salicæ Orthæ patrio nomine appellatam: *Pelasgos*
enim, qui *Peloponnesum* relinquentes in *Hemoniam*
sive *Thessaliam* migraverunt, *Etruriæ* vel tunc
temporis *Umbriæ* oris postea insedisse, eruditis
nota & pervulgata res est, de qua fusius agit *Ro-*
manarum & *Græcarum antiquitatum* peritissimus
scriptor Dionysius *libro primo capite undevicesimo*
editionis *Oxoniensis* nuperrimæ adornatæ per *Jo-*
hannem Hudsonium, ubi narrat eosdem *Pelasgos*
Thessalia à *Deucalione* pulsos & per varias regiones
jactatos, tandem de *Italia* petenda cogitasse &
conscensis navibus, mari *Ionio* trajecto, ad unum
è *Padi* ostiis nomine *Spinetum* adplicuisse, urbem-
que ostio fluminis cognominem condidisse: at il-
los, qui mediterranea petierant, superatis *Italiæ*
montibus pervenisse in *Umbrorum* agrum *Aborigi-*
nibus finitimum: quæ gens cum primis antiqua
& ampla & alios multos *Italiæ* agros habitabat.
Itaque *Umbriæ* tunc late patenti *Pelasgi* incubue-
6 runt. Inde postea rejectos *Pelasgos*, in *Aborigi-*
num terras invasisse tradit *Dionysius*, qui capite
vicesimo sexto testatur postquam res *Pelasgorum*
deficere cœperunt, nihilominus quandam earum
partem nomen *Pelasgicum* utcunque adhuc reti-
nuisse: cui tandem nihil præter *Crotonam* opidum
Etruriæ vetustissimum reliqui mansit. Herodo-
tus *in libro primo capite quinquagesimo septimo* in hac
urbe, quam ipse Κρηστῶνα *Crestonem* appellat, ad-
huc suo tempore *Pelasgorum* linguam obtinuisse
auctor est; eandemque à *Pelasgis* nomen tulisse o-
pinatur Theodorus Ryckius *in Dissertatione de pri-*
mis Italiæ colonis capite tertio num. XXI. ad calcem
Castigationum *Lucæ Holstenii* ad *Stephanum* de ur-
bibus, propterea quod in *Thessalia*, unde illi à
Deucalione pulsi erant, ejusdem ferme nominis
urbs antiquissima exstiterit: in cujus ipsi memo-
riam patriæ urbis appellationem repetiisse viden-
tur. Sic etiam *Pisas* vetustissimam *Etruriæ* ur-
bem à *Pisæis*, antiqua *Peloponnesi* gente & ludis
Olympicis apud ipsam celebratis ubique notissi-
ma, oriundos scribit Geographorum doctissimus
& accuratissimus Strabo *libro quincto*, Plinius *li-*
bro tertio capite quincto & alii, quorum testimonia
congerit sæculi nostri & literarum decus amplis-
simum Henricus Norisius Cardinalis *in Cenotaphiis*
Pisanis Dissertatione prima capite primo: licet ta-
7 men *Dionysius* tradiderit, *Pelasgos* jam nobis supe-
rius laudatos, quorum antiquissimam patriam *Pe-*
loponnesum Ephorus apud Strabonem *in libro quin-*
cto & Apollodorus *in Bibliotheca libro secundo ca-*
pite primo, *Pelasgiam* appellant, icto cum *Abori-*
ginibus fœdere, maritimæ *Etruriæ* opida incoluisse,
partim ab hostibus antea habitata, partim ab ipsis
condita, inter quæ *Pisa* enumeratur. Hæc *Dio-*
nysii sententia legitimo & vero *Catoni* perperam
adsignatur in spuriis fragmentis falsi *Catonis* ab *An-*
nio confictis. Porro *Argivi* etiam *Etruriæ* inco-
læ, quorum Rex *Halesus* urbem *Faleriorum* ex-
struxit, *Pelasgi* fuerunt ex Strabone *libro octavo*,
necnon & *Tyrrheni*, ut ex *Thucydide* & *Sophocle*
ostendit Samuel Bochartus *in parte altera Geogra-*
phiæ sacræ sive *in Chanaan libro primo capite trice-*
simo tertio pag. 649. editionis *Cadomensis*. Gen-
tem vero *Pelasgam* fuisse errabundam valde & va-
gam testatur Herodotus *in libro primo capite quin-*
A *quagesimo sexto*, ubi vocat eam πολυπλάνητον κάρτα,
idest *pervagantem maxime*. Id autem calamitati
& infelici *Pelasgorum* fortunæ tribuit *Dionysius*,
qui eorum mutationes recenset *in libro primo:* sed
Jacobus Palmerius *in libro primo capite nono Græ-*
ciæ antiquæ hanc notam amoliens, illos rerum do-
minos fuisse ostendit, caussamque eorundem erro-
ris & peregrinationis putat fuisse πολυανδρείαν & ab-
undantiam juventutis, quam solum natale non 8
capiebat. Hinc plures expeditiones in *Græciæ* di-
versas partes & extra *Græciæ* terminos *Pelasgicum*
nomen ubique gentium celeberrimum reddiderunt:
quæ sane potissima caussa multis post sæculis in *Ita-*
B *liam* & in alias Imperii *Romani* provincias *Gothos*
& *Langobardos* ex septentrionali plaga deduxit.
IV. Prima illa *Pelasgorum* in *Italiam* migratio
ex doctissimo *Ryckio* facta est periodo Juliana
MMMCLXXXVI. ante primam Olympiadem anno
DCCLII. ideoque CCCXLIV. ante epocham *Trojæ*
captæ secundum *Eusebii Scaligeriani* calculum ad
Eratosthenis canones correctum. Et sane Poëta
maximus sub ipso Trojano excidio *Hortam* sive
Hortim hanc nostram rebus florentem facit *in li-*
bro septimo Æneidos, ubi copias duce *Messapo* con-
tra *Æneam* pro *Turno* præliaturas misisse traditur,
quas ipse *Hortinas* appellat *vers. 716.*
C *Nursia & HORTINÆ classes, populique Latini,*
ubi *classibus* equites significari docet *Servius*: quam-
vis ego non videam cur naves quoque hic à *Vir-*
gilio denotari non potuerint: siquidem *Tiberim* eo
loci, ubi *Hortam* à septentrione alluit, naves su-
stinuisse, gravissimi auctores produnt: ex quibus
Dionysius *in libro tertio capite quadragesimo quarto*
scribit quod Tiberis *navigiis fluvialibus mediocris*
magnitudinis ad ipsos usque fontes navigari quidem
potest; usque ad *ipsam vero Urbem magnis marinis*
onerariis. Livius *in libro altero capite tricesimo* 9
quarto narrans caritatem annonæ & famem, quæ
Romæ grassatæ fuerunt anno U. C. CCLXI. unde
D ex *Sicilia*, *Cumis*, & *Tuscia* commeatus deduci
oportuit, testatur per *Tiberim* ex *Tuscia*, cui
postea *annonariæ* cognomen indiderunt, frumen-
tum *Romam* advectum: *ex Tuscis*, ait Livius, *fru-*
mentum Tiberi venit: eo sustentata est plebs: quo
quidem naves onustas juxta *Hortanam* urbem al-
lapsas nemo non videt. Hæc mire confirmat *Ta-*
citus Annalium libro tertio capite nono ubi iter *Pi-*
sonis, mortuo *Germanico*, *Romam* adventantis de-
scribens, prope *Narniam* in *Narem* fluvium eum
descendisse, atque inde secundo *Tiberi Romam* us-
que ad sepulcrum *Augusti* in campo Martio dela-
tum affirmat: *ab Narnia* (verba sunt Taciti) *vi-*
E *tandæ suspicionis, an quia pavidis consilia in incerto*
sunt, *Nare ac mox Tiberi devectus*, *auxit vulgi i-*
ras, *quia navem tumulo Cæsarum adpulerat:* quip-
pe *Nar* prope *Hortam*, atque, ut ait *Strabo* in
libro quincto, *supra Ocriculos in Tiberim exiens na-*
vigabilis scaphis haud magnis. Sed ubi postea cum
Tiberi conflatur, navibus amplioribus sustinendis
aptus efficitur. Livius in *libro quarto capite deci-*
mo tertio sub anno U. C. CCCLIV. hæc habet: *in-*
signis annus hieme gelida ac nivosa fuit, *adeo ut viæ*
clausæ, *Tiberis innavigabilis fuerit.* quod sane in-
telligendum est de navigatione *Tiberina* supra *Hor-* 10
tam, ubi amnis facilis est, glacie compressa; po-
F tissimum vero *Perusiam* & *Tudertum* versus: quod
secus evenit infra *Hortam* ob violentiam *Naris* in
Tiberim magno impetu irruentis. Ab aliis scriptori-
bus ejusdem opidi cives dicuntur *Hortani*, *Ortanen-*
ses, & *Hortenses*: qui tamen confundendi non sunt
cum *Hortensibus* illis à Plinio *lib. 3. cap. 4.* in prima
regione *Italiæ*, nempe in *Latio*, collocatis: neque
cum *Hortensibus* sextæ regionis, *Umbriam* comple-
ctentis: quo cognomento *Urbinates* dictos fuisse
prodit idem Plinius *libro eodem capite decimo tertio.*
V. Ab *Horta* hac nostra gentem *Hortensiam* in
Ro-

TAB. II.

Pag. 3


TIBERIS.

Explicatio.

1. *Horta.*
2. *Monast. S. Bernardini.*
3. *Monast. S. Mariæ Gratiarum.*
4. *Mon. Cappuccinorus.*
5. *Ecclesia S. Laurentii.*
6. *Traiectus Tiberis.*
7. *Rudera pontis Augusti.*
8. *Ecclesia S. Marci.*

HORTÆ
Conspectus Septentrionalis.

LUGD. BAT.
Excudit Petrus vander Aa.



Romana Republica florentissimam eductam fuisse conjecit popularis noster interioribus literis ornatissimus *Philippus a Turre*, modo *Adriensis* Pontifex, *in Monumentis veteris Antii capite primo:* quare posthabito *Alexandro* ab *Alexandro*, qui *libro primo Dierum genialium capite nono Hortensios* sic dictos putavit quod *hortorum* studio tenerentur, ego ejusdem eruditissimi auctoris sententiam facile amplector, præcipue quum videam ad eam confirmandam suppetias etiam ferri per *Græcorum* auctoritatem, à quibus idem *Latinum* nomen *Hortensius*, æque ac reliqua ab urbibus derivata, non
11 aliter efferri consuevit, quam exclusa litera ν, ut Ὀρτήσιος pro *Hortensius*, Gallia Ναρβονησία & Λουγδουνησία pro *Narbonensis* & *Lugdunensis* : & Hispania Ταρρακωνησίου, pro *Tarraconensis*, explosa semper litera ν ante σ : ex quo Franciscus Hottomannus *in notis ad Orationem Ciceronis pro L. Quinctio* putavit latine etiam scribendum *Hortesius*, non *Hortensius*. sed *Fulvius Ursinus* æneæ tabellæ & veterum omnium, ut inquit, librorum auctoritate secus edoctus, contra opinatur. Neque tamen iisdem *Hortensiis* quicquam fuisse puto cum *Hortensibus Umbriæ*, ac *Latii*. hi enim cito interierunt, immo Philippus Cluverius *in Italiæ antiquæ libro tertio capite quarto pag. 969.* istud vocabulum cum ceteris populis opidorum, qui à Plinio *in libro tertio capite quincto* recensentur, existimat esse corruptum propterea quod *Hortenses Latii* neque ab aliis auctoribus memorati reperiantur, neque ubinam fuerint investigari possit, quum jam ætate *Plinii*, nullis relictis vestigiis, periissent. Et forte isti *Hortenses* Latii sunt *Hortonenses* ex *Hortona* ultra *Algidum* montem, de qua paullo post agam. *Umbriæ* autem *Hortenses* hoc nomine parum innotuerunt, quum nihil aliud, quam *Urbinates*, alios ab *Urbinatibus Metaurensibus*, indicarent. Notum est porro, antiquos à multis *Italiæ* opidis variis de caussis seu quod in iis habitarent, aut nati essent, aut per majores suos
12 inde orti; seu quod memorabile aliquid vel ipsi, vel patres eorum in illis gessissent, cognomenta sumpsisse, ut pluribus exemplis docet vir eruditionis non proletariæ Jacobus Perizonius *in Animadversionibus historicis capite primo pag. 34.* Sic *Tarquinii* ab urbe *Tarquiniensi*, *Coriolani* à *Coriolo*, *Aternii* ab *Aterno*, *Gabinii* à *Gabiis*, *& Pompeji* à *Pompejis* opidis vetustissimis denominati fuerunt, ut bene adnotatur apud virum in literariæ perinde ac *Belgicæ* Reipublicæ fastis laudatissimum Gisbertum Cuperum *in additamento ad Harpocratem pag. 237.* His æque ac Familia *Hortensia* ab urbe *Horta* addi potest *Aquilejensia* ab *Aquileja* nostra, quæ prostat in lapide antiquo apud memoratum Turrium *in Dissertatione de Beleno pag. 261.* neque omittendum est, eandem familiam cum & sine adspiratione à veteribus scriptam fuisse, *Hortensiam* nempe *& Ortensiam* : cujus rei exempla suggerit Scaliger *Capite vicesimo tertio Indicis Thesauri Gruteriani* : quod pridem quoque observaverat Claudius Dausquius *in Orthographicis:* nempe eodem modo quo *Horta* & *Orta* in libris & lapidibus usurpari videmus.

VI. Mirari certe vehementer subiret, quod miratus fuit etiam Leander Albertus *in Descriptione Italiæ*, *Hortæ*, licet antiquissimæ urbis, præter unum *Plinium*, veteres scriptores *Strabonem*, *Ptolemæum*, *Melam*, & *Stephanum Byzantium*
13 non meminisse; nisi nota res esset eosdem auctores de urbibus amplitudine & frequentia celebrioribus, atque ad vias regias seu littorales sitis mentionem facientes, ceteras missas fecisse, quæ inde aberant, cujusmodi *Hortam* fuisse nemo non novit. Hinc *Strabo* & *Ptolemæus* de *Urbino*, *Iguvio*, *Tiferno*, *Sarsina*, & *Auximo* eadem caussa tacuerunt: quas tamen antiquissimas & honestissimas

A urbes in *Umbria* & *Piceno* fuisse aliunde comperimus. enimvero quod *Julius Roscius* civis *Hortinus* scribit in argumento elegantis opusculi Antonii Massæ *de origine & rebus Faliscorum*, *Hortæ* civitatis memoriam extare apud *Dionysium Halicarnasseum*, id falsum est; & *Roscius* amore patriæ passus est se in errorem abduci à *Sigismundo Gelenio* latino interprete *Dionysii.* hic enim *libro decimo Antiquitatum Romanarum capite vicesimo sexto sub anno Varroniano* CCXCIX. quum narrasset, *Æquos* populos in *Latio* non ita pridem à *Romanis* devictos, arma resumpsisse & *Corbionis* opidi præsidium sopitum magno numero interfecisse,
B hæc subdit : οἱ δὲ λοιποὶ μεγάλῃ χειρὶ στρατεύσαντες ἐπὶ πόλιν Βιρτῶνα τοῦ Λατίνων ἔθνους ἐξ ἐφόδου παραλαμβάνονται, quæ sic vertit Sylburgius : *ceteri magno numero egressi*, *Ortonem Latini nominis opidum primo impetu ceperunt :* sed *Virtonem* seu *Birtonem* reddere debuisset, ut reddendum agnoverat *Lapus Biragus* primus interpres *Dionysii.* *Hortanam* vero pro 14
Birtonem expressit *Gelenius.* Sylburgius *in notis pag. 72.* observat in vulgatis *Livii* codicibus eam urbem vocari *Hortanam*, in MSS. *Hortonam:* alia *Livii* exemplaria *Artonam* etiam exhibent, & codex Vaticanus *Bottonem* βοττῶνα: ex qua diversitate Sigonius *in scholiis Livianis libro altero num.*
C XXIII. conjicit ubique legendum esse *Ortonam*, sicuti etiam legitur apud Livium *libro tertio capite tricesimo*, qui idem factum narrat quod *Dionysius*, locatque eam ultra *Algidum* montem, quam antea *libro secundo capite quadragesimo tertio* non *Etruscam*, sed *Latinam urbem* appellaverat. *Corbionem* opidum situm fuisse ultra *Algidum* versus *Præneste*n circa *Lavicanam* viam, & non procul inde *Hortonam*, ostendit Cluverius *in libro secundo capite duodecimo Italiæ antiquæ pag. 780. & libro tertio capite quarto pag. 968.* putatque Lucas Holstenius *in notis ad Cluverium pag. 162.* & 201. eandem *Hortonam* eo loci fuisse ubi nunc est *Monte-*
D *fortino*, ad quod propius accedit nomen *Birtonis* Dionysii. Ab hac autem alia est *Ortona* in *Aprutio* citeriori, quam *Frentanorum* navale appellat Strabo *libro octavo*: quæque vix *Romanis* erat cognita quando *Latinam Hortonam Æqui* ceperunt. Quod spectat ad *Strabonem*, vir eruditus & disertus *Vincentius Borghinius* in sua *Etruria*, quæ prostat inter ejus lucubrationes *Italice* scriptas vo- 15
lumine primo, suspicatur *pag. 315.* mancum & mutilum esse illum auctorem ubi agit de *Etruria*, quia sæpenumero codicibus veterum scriptorum ob injuriam temporum ad unicum apographum redactis, hoc si mutilum erat, mutila itidem omnia exemplaria inde exscripta vulgari necesse e-
E rat : quod quidem *Straboni* evenisse oportet, ubi interrupta deprehenditur illa pars quæ ad *Etruriam* pertinet : quamobrem ea caussa esse potuit cur hodie apud *Geographum* quotquot fuerunt peritissimum, *Hortæ* nullam mentionem factam videamus.

VII. Quum vero urbem *Hortanam* sub ipsa *Ilii* ruina populis florentem ostenderim ex *Virgilio Italicarum* rerum consultissimo, conjicere licet eam unam fuisse ex duodecim urbibus totidem potissimos *Etruriæ* populos constituentibus, qui duodecim pariter inter se *dynastias*, ut vocat Po-
F lybius *libro secundo pag. 105.* editionis *Casaubonianæ*; sive ut Dionysius *libro sexto capite septuagesimo quincto* ἡγεμονίας idest *principatus* sive *ducatus*, ut vertit *Sylburgius*, formabant : quos Servius Danielis *in librum decimum Æneidos*, *præfecturas* appellat. *Livii* & *Dionysii* testimonia, qui præter *Strabonem Plutarchum*, & *Servium* eos duodecim populos memorarunt, Cluverius recitat *in libro altero Italiæ antiquæ pag. 403.* Hi singuli singulos Principes sive reges habuerunt, qui *Etrusca* lingua *Lucumones* appellabantur, unde ait *Servius* 16

ad secundum Æneidos: *propter duodecim populos Tusciæ, duodecim Lucumones, qui reges sunt lingua Tuscorum.* Eosdem duodecim *Etruriæ* populos & *Lucumones* memorat in quinctum *Æneidos* ex *M. Terentio Varrone*, atque etiam in decimum, ubi ex duodecim *Lucumonibus* unum ceteris omnibus imperasse demonstrat: quod per vices & certo singularum urbium ordine factum censet Cluverius *pag.* 454. ita ut ex ipso duodecim urbium numero unus omnibus præfuerit. Duodenæ illæ Principes urbes totidemque populi steterunt inter *Apenninum* montem, *Tiberim* amnem & mare inferum, ubi *Etruscorum* gentem cum *Pelasgis* dominatam fuisse palam est. Quum autem easdem urbes & populos nemo veterum nominatim expresserit, licet de singulis se copiose scipturum promiserit *Dionysius*, post tot sæcula primus omnium Flavius Blondus *in Etruria sua pag.* 300. operum editionis *Frobenianæ* easdem hoc pacto recensuit: *Lunam*, *Pisas*, *Populoniam*, *Volaterram*, *Agyllinam* (*Cærem* etiam dictam) *Fesulas*, *Russellanam*, *Arretium*, *Perusiam*, *Clusium*, *Faleriam*, & *Vulsiniam*. At vero Alexander ab Alexandro *Dierum genialium libro tertio capite duodetricesimo*, *Lunam*, *Pisas*, *Populoniam*, *Fesulas*, *Russellanam*, & *Faleriam* reticuit, atque ad complendum
17 numerum illum duodenarium advocavit *Mantuam*, *Tarquinios*, *Corytum*, *Fidenas*, *Vetuloniam*, *Vejos*. Carolus Sigonius *de antiquo jure Italiæ libro primo capite nono* numerum à *Blondo* adsignatum retinuit, nisi quod pro *Lunensibus Vejentes* admisit. Eundem iterum censum etiam turbavit Borghinius *in sua Etruria*, quoniam *pag.* 330. *Lunam*, *Cærem*, *Falerios*, *Pisas*, *Fidenas*, & *Mantuam* expunxit, ceterasque in ordine per *Blondum* & *Alexandrum* recensito superstites, recipiendas putavit, tanquam veras & origines *Etruscæ*, non autem a *Græcis* & *Pelasgis*, ut reliquæ, ædificatas: quas propterea ab eo numero ejecit. Sed nihilominus Philippus Cluverius *in libro secundo Italiæ antiquæ capite primo pag.* 453. *Cærem*, & *Falerios* retinuit, sicuti etiam Holstenius ad *Stephanum de Urbibus pag.* 251. Et quidem si originariæ tantum urbes *Etruscæ* duodenarium illum numerum complerent, & reliquæ inde essent excludendæ, omnes procul exsulare cogerentur, utpote quæ ab alienigenis gentibus, *Pelasgis*, *Oenotriis*, *Tyrrhenis*que conditæ fuerunt, ut palam facit eruditissimus *Ryckius*, & præcipue de *Cortona* sive *Crotona* in *capite tertio num.* XXI. Dissertationis superius laudatæ. Quare si in duodenarium eum numerum *Hortam* recipiendam putamus, nihil nos facere videbimur, quod rationabilibus conjecturis non innitatur.

18 VIII. Et sane præterquam quod *Hortinos* cives tempore adventus *Trojanorum* in *Italiam*, potentes fuisse ex *Virgiliana Æneide* observavimus: unde quoque inter præcipuos *Etruriæ* populos haberi poterant, nempe inter illos duodecim, quorum veteres scriptores meminerunt; lacus ipse *Vadimonis*, qui ad secundum ab *Hortina* urbe lapidem patet, nomen *Etruscum* præferre videtur, saltem dimidium; *Etrusci* enim proprio idiomate Reges suos *Lucumones* appellabant, ut supra ex *Servio* & *Dionysio* adnotavimus. Ut vero *Hortanæ* urbi inter duodenas locus pateat, *Veji* mihi ab eo numero expungendi videntur, propterea quod regnum proprium ipsi constituerent, ab *Etruscorum* dynastia separatum. Hinc Livius *libro quarto capite decimo septimo* sub anno U. C. CCCXVI. *Lartem Tolumnium*, *Vejentum regem* appellat, non *Etruscorum*: & *libro primo capite tricesimo* U. C. anno XCV. *Vejentes* in ipsa *Etruria* non agnoverat: *proximi Etruscorum Vejentes.* In libro quincto capite primo anno U. C. CCCL. *Vejentes tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum caussa erat, regem creavere.* Non abnuerim tamen *Vejentes* fuisse *Etruscis* fœderatos: quod ex *Livii* non uno loco deducitur, & ex *Dionysio* initio libri noni narrante, sub anno Varroniano CCLXXV. *coactum fuisse concilium Etruscorum*, qui à *Vejentibus* rogati, ut bello contra Romanos *sese adderent socios*, tandem 19
decreverunt, *licere Etruscis, qui vellent ire in eam militiam, ita ut in Vejentum auxilium justus exercitus conflueret:* συνήχθη εἰς κοινὴν ἐκκλησίαν τὸ ἔθνος, καὶ πολλὰ Οὐεϊεντανῶν δεηθέντων συναίρεσθαι σφίσι τοῦ κατὰ Ῥωμαίων πολέμου, τέλος ἐξήνεγκαν ἐξεῖναι τοῖς βουλομένοις Τυρρηνῶν μετέχειν τῆς στρατείας. καὶ ἐγένετο χεὶρ ἀξιόμαχος ἡ τοῖς Οὐεϊεντανοῖς τοῦ πολέμου συναιρομένη. Neque alio modo exponenda videntur loca veterum à *Cluverio* recitata pag. 532. ut inde probet *Vejos* ob summam potentiam inter duodecim *Etruriæ* populos connumeratos: quum è contrario vel ideo ex se regnaverint, cum *Etruscis* tamen proximis fœderati ad *Romanorum* vim amoliendam. Quare ex nostris calculis numerus duodecim urbium *Etruriæ* à veteribus indicatus hoc modo complendus erit. I. *Perusia.* II. *Cortona.* III. *Arretium.* IV. *Clusium.* V. *Volaterræ.* VI. *Vetulonia.* VII. *Volsinium.* VIII. *Rusellæ.* IX. *Tarquinii.* X. *Cære.* XI. *Horta.* XII. *Falerii.* Hæc ut accuratius firmentur, & omnis difficultas ex veterum scriptorum testimoniis auferatur, mihi ostendendum est non unam aut alteram, sed tres *Etrurias* fuisse, quarum singulæ duodecim urbes, totidem *Lucumonum* sedes habuere. patet enim *Etruscos* non intra unum *Apenninum* montem & mare *Tyrrhenum* clausos stetisse; sed à mari infero ad superum, nempe *Adriam* usque pertigisse, ut testatur Scylax Caryandenus in *Periplo*. Livius *libro* 20
quincto capite tricesimo tertio Adriam, quæ mari *Adriatico* nomen dedit, *Tuscorum Coloniam* appellans, disertissimis verbis hæc omnia confirmat ubi de opibus & potentia *Etruscorum* loquutus, hæc habet: *ii in utrumque mare vergentes, incoluere urbibus duodenis terras: prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum totidem quot capita originis erant, coloniis missis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuere.* unde Camillus Peregrinus junior in *Apparatu ad Antiquitates Capuanas pag.* 641. merito arguit *Cluverium*, qui hanc *Etruriam Circumpadanam*, quæ est secunda ex *Livio*, quamque *novam* Servius appellat, ipse unus veterem & primam fuisse contenderit. Plinius *libro tertio capite decimo sexto Adriam opidum Tuscorum* vocat, aitque eosdem Tuscos *omnia flumina fossasque à Pado, egesto maris impetu per transversum in Adrianorum paludes, quæ septem maria appellantur*, fecisse. *Tusci* ergo in hac secunda *Etruria* trans *Apenninum* duodecim urbes, totidem *Lucumonum* sedes condiderunt: ex quibus *Bononiam*, quam Tusci *Felsinam* vocitarunt, reliquis præfuisse, jure dubitari nequit. de hac enim Plinius ita scribit *libro tertio capite decimo quincto: Colonia Bononia, Felsina vocitata quum princeps E-* 21
truriæ esset: ubi Plinium de *nova* hac seu secunda *Etruria*, non de veteri illa intra *Apenninum* & mare inferum jacente loquutum, in comperto est. hujus enim veteris erat princeps & caput non *Felsina*, sed *Vetulonia* teste Silio Italico in *libro septimo:*

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis,
Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces,
Et junxit totidem tacito terrore secures:
Hæc altas eboris decoravit honore curules,
Et princeps Tyrio vestem prætexuit auro.

Virgilius quidem in decimo *Æneidos* videtur *Mantuam* suam caput *Etruriæ Circumpadanæ* constituisse illis carminibus:

Mantua dives avis. sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni:

Ipsa

Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat.

Sed hæc more poëtico in gratiam patriæ suæ cecinit *Maro*: quod agnovit etiam *Servius* ejusdem interpres, à Poëta novam & veterem *Etruriam* misceri animadvertens, *ut utriusque principatum patriæ suæ adsignet, quum alioquin Mantua ad hæc auxilia in Mezentium pertinere non debeat.* Quare nullum dubium est, *Bononiam* caput fuisse *Etruriæ Circumpadanæ*, à duodecim *Lucumonibus*, qui totidem urbibus præerant, imperio rectæ. Harum prima *Bononia*, secunda *Adria*, tertia *Mantua* utique erat. reliquas enim novem alii requi-
22 rent. Frustra est ergo *Johannes Baptista Agucchius* Archiepiscopus *Amasenus* in epistola Italica *de prisca origine, & dominatu Bononiensis urbis*, ubi duas *Etrurias Circumpadanas*, alteram *Felsinæ*, alteram *Mantuæ* subjectam comminiscitur. Tertia *Etruria* fuit in ea parte *Italiæ*, quam postea *Campaniam* dixerunt, atque hujus princeps fuit *Capua*: in qua quidem *Etruria* iidem populi *quum duodecim urbes condidissent, quæ cunctarum quasi caput esset, Capuam condiderunt*, inquit Strabo *libro quinto*: illuc enim *Etruscos* quo tempore trans *Apenninum* imperio excurrerunt, suas Colonias misisse ostendit *Camillus Peregrinus*, judicio & eruditione haud quidem vulgari spectabilis, *in Apparatu pag.* 644. Quare, ut superius jam dicta iterum memoria repetamus, luculenter patet *Hortam* urbem in prima illa & ceterarum antiquissima *Etruria* sitam, diversam omnino fuisse ab *Ortona* sive *Hortona* in *Latio*, secus ac *Roscius* commentus fuerat: quod quidem aliquando animadvertit *Abrahamus Ortelius*. quum enim *in Synonymia geographica pag.* 166. *Hortam*, de qua loquimur, cum *Ortona Livii* & *Dionysii* eandem fecisset, postea *in Thesauro geographico* mendum correxit & unam ab alia distinxit. Constat quidem ejusdem *Etruscæ Hortæ* vetustatem literis commendasse Anastasium *in Leone* IV. ubi ait, eundem Pontificem in pristinum locum & statum reduxisse muros & por-
23 tas *Hortanæ & Amerinæ valde antiquarum civitatum*: unde & Flavius Blondus *libro primo Italiæ illustratæ pag.* 310. eam *Civitatem vetustam* appellavit. Et sane quanquam cetera argumenta deessent, id abunde testatum relinquerent prisci ævi monumenta & inscriptiones *Hortanæ*: quas ex ipsis lapidibus diligentissime exceptas hic subnectere haud extra rem fore existimavi quod pleræque hactenus editæ non fuerint, & quod gratiam me initurum sperem ab eruditis, qui tamen id acceptum ferent Ferdinando Nuptio Archiepiscopo *Nicæno*, viro non tam dignitate ipsa, quam meritis suis amplissimo, mihi vero multis & magnis nominibus semper memorando. is enim easdem inscriptiones, qua est erga me benignitate, mecum humanissime communicavit, & illius nutu & auspiciis hæc nostra quantulacunque lucubratio producta est.

24 ## CAPUT II.

SYNOPSIS.

I. Horta *Colonia militaris ab* Augusto *deducta. Templum* Martis Ultoris *ab eodem erectum.* Horta *in Tribu* Quirina *&* Arniensi *descripta.* II. Octavianus *plures in* Italia *Colonias militares deduxit: quando* Augusti *cognomentum adsumpserit.* III. *Earundem militarium Coloniarum numerus.* IV. *Duumviratus magni habitus.* V. *Seviri Augustales non magistratus, sed sacerdotes fuerunt. A* Tiberio *instituti. A sodalibus Augustalibus distincti. Sex tantum.* VI. *Inter se ordinem servarunt. Pontificatus à Quinquennalitate diversus.*

Antequam vero illud efficio, inscriptio *Ortana* reliquarum omnium præstantissima, vel-
A uti agmen ducens, præmittenda est: quam ex schedis Barberinis *in Syntagmate inscriptionum capite quinto num.* 302. non ita dudum vulgavit *Raphael Fabrettus*, vir de *Romanis* antiquitatibus supra omne præconium bene meritus, idemque mei amantissimus dum fata Deusque sinebant. Ex ea discimus, *Ortam* ab *Augusto* Coloniam fuisse deductam: cujus rei nulla apud auctores memoria reperitur: quod nempe Augusteæ ætatis historiæ 25
latine scriptæ interciderint: quæ caussa est cur nemo item historicorum ceteras Colonias ab eodem Imperatore conditas memoret: quum tamen ex solis nummorum & lapidum inscriptionibus eruantur, ut de *Parma*, *Perusia*, & *Verona* sua do-
B cuit Henricus Norisius *in Cenotaphiis Pisanis dissertatione* 1. *cap.* 2. Quam vero inscriptionem *Ortanam Fabrettus* protulit, hic iterum exhibeo. *Fabretto* enim viro diligentissimo fidere malo, quam *Jacobo Sponio*, qui, ut postea observavi, cum duabus aliis ab se exceptam e schedis *Barberinis*, *Ortonæ* tribuit *in Miscellaneis eruditæ antiquitatis*, ante *Fabretti* opus vulgatis *pag.* 174.

MAVORTI. VLTORI
Q. NINNIVS. Q. F. QVIR. PAETVS
II. VIR. COLON. ORTANAE
AVG. ET. VI. VIR. AVGVSTAL
QVINQVEN. II. SACRVM.

Hoc marmor plura nos docet. *Ortæ* scilicet (quæ
C antiquitus sine adspiratione scribebatur) *Martem* titulo VLTORIS cultum fuisse: cui *Romæ* templum eodem titulo erexit *Augustus*, ut constat ex tabulis *Ancyranis* apud Gruterum *pag.* ccxxxii. cujusque AEDITVVS. T. FLAVIVS. AVGusti LIBertus memoratur *pag.* cccxvi. 8. Istud templum Augustus *bello Philippensi pro ultione paterna suscepto*, jam *voverat*, ut ait Suetonius *in ejus vita capite undetricesimo*; nimirum anno U. C. dccxii. secundum calculos *Norisianos* 26
in Cenotaphiis laudatis dissertatione secunda capite viii. & demum anno U. C. dccxxxiv. illud extrui jussit, ut in eodem recepta à *Parthis Roma-*
D *na* signa suspenderet, ex Dione *libro quinquagesimo quarto*: quod postea dicavit anno U. C. dcclii. ut ex *Vellejo* docet idem *Norisius*. Nummos *Augusti* cum effigie templi & epigraphe MARTIS. VLTORIS exhibet *Carolus Patinus* ad locum citatum *Suetonii*. Neque tamen pro eodem voto *Augusti* hoc marmor in urbe *Ortana* MAVORTI. VLTORI dicatum existimo. nam Collegium Augustale, cujus in illo fit mentio, institutum fuit à *Tiberio* anno quo obiit *Augustus* U. C. dcclxvii. quod infra apparebit. Patet insuper ex eodem marmore, *Ortanam* urbem in Tribu QVIRINA fuisse descriptam: quæ erat ex una & triginta ru-
E sticis, à *Curensibus* Sabinorum populis sic dicta, ut ait *Festus*. nam Tribus in urbanas & rusticas divisas fuisse palam est: ex quibus rusticæ nobiliores habebantur. In urbanis ii, qui rura non habebant, censebantur, & præterea libertini omnes, secus ac in rusticis, in quibus tantum ingenui conscribebantur: quamobrem urbanæ Tribus semper ignobiliores rusticis habitæ sunt, & è rustica in urbanam transferri, fuit ignominiæ, ut notat Paullus Manutius in *libro de Comitiis Romanorum capite de Tribubus*, & Carolus Sigonius *de Antiquo jure civium Romanorum libro primo capite tertio*. Attamen constat etiam ad Tribum *Ar-*
F *niensem* (sive *Arnensem*) *Ortam* aliquando perti- 27
nuisse, quemadmodum ex alio lapide *Ortano* infra capite nono apparebit: quæ item erat ex rusticis, & forte antequam *Orta* Colonia militaris jussu *Augusti* deduceretur: qua occasione ex Tribu *Arniensi* in *Quirinam* transire potuit. Hoc priusquam ostendo, observare lubet cum Petro de Marca *in Marca Hispanica libro secundo capite quarto num.* v. Colonias fuisse opida propagata ex ci-

 vitate

vitate *Romana*, civibus paganis vel militibus ex S. C. vel Principis jussu deductis aut ad condendam novam urbem, aut ad supplendam antiquam. Isthæc opida teste Agellio *libro decimo sexto capite decimo tertio, jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habent: quæ tamen conditio quum sit magis obnoxia, & minus libera, potior tamen & præstabilior existimatur propter amplitudinem majestatemque populi Romani: cujus istæ Coloniæ quasi effigies parvæ, simulacraque esse videntur.* Veruntamen idem scriptor celeberrimus *Petrus de Marca* animadvertit discrimen aliquod fuisse inter Colonias, quum aliæ uberiori, quædam contractiori immunitate fruerentur, adstrictis vel ampliatis earundem privilegiis: quamobrem a veteribus traditum est alias fuisse immunes; quasdam juris *Italici*; nonnullas *Latinorum*, idest jure antiquo *Latii* utentes, donec *Antoninus Caracalla* omnes qui Imperio *Romano* suberant pro civibus
28 haberi jussit ea constitutione, quam laudat Ulpianus in *Lege* XVII. D. *de statu hominum*: quamque nuper egregio & bonæ frugis pleno Commentario explanavit vir de omni antiquitate meritissimus *Ezechiel Spanhemius.* Alia in hanc rem dissérit *Nicolaus Bergerius* in præstantissimo opere *de publicis & militaribus Imperii Romani Viis libro quarto sectione octava*, ubi colonos, partem nempe civium *Romanorum*, in urbes à S. P. Q. R. & postea ab Imperatoribus ob unam alteramve ex quinque his caussis deductos observat. Primo ut provinciales & subjectos in officio continerent. Secundo ut subitis hostium incursionibus veluti totidem arces & propugnacula Imperii *Romani* opponerentur. Tertio ut *Romanus* sanguis undique propagaretur. Quarto ut plebem inopem & Urbi imperanti gravem sic exhaurirent. Quinto denique, ut militibus emeritis præmia largirentur.

II. Jam vero scire juverit, *Augustum* postquam apud *Actium* victo *Antonio* jam totius *Romani* orbis imperium occupasset, plures in *Italia* Colonias cognomento *Augustas* instituisse, militibus, qui secum omnibus bellis interfuerant, agris eorum, qui *Antonii* rebus studuerant, divisis, quum *Dyrrhachium*, *Philippos* & alia opida, priscis dominis in exsilium missis, iisdem habitanda concessisset, ut ait Dio *libro quinquagesimo primo pag.* 445. editionis *Johannis Leunclavii.* Hoc non se-
29 mel fecit *Augustus* longe post suum Consulatum quartum, annumque U. C. DCCXXIV. quo Colonias alias duodeviginti, cognomento *Julias* deduxit, quarum meminit Appianus *de Bellis civilibus libro quarto pag.* 590. editionis *Henrici Stephani:* nempe *M. Licinio Crasso* & *Cn. Lentulo* Augure Coss. anno U. C. DCCXL. Item *Claudio Nerone* II. & *Pisone* Coss. U. C. DCCXLVII. & sequenti; & denique *L. Caninio Gallo* & *Q. Fabricio* Coss. suffectis, anno U. C. DCCLII. ut prodit *marmor Ancyranum pag.* CCXXXI. ubi militum, quibus agri adsignati fuerunt, paullo plura quam ducenta millia fuisse testatur idem *Augustus.* Hoc vero deductoris cognomentum, quod postea Coloniæ sibi adsumpserunt, *C. Julius Cæsar Octavianus* in suo consulatu VII. & *M. Vipsanii Agrippæ* III. anno U. C. DCCXXVIII. à Senatu *L. Munatii Planci* sententia obtinuerat, ex Dione *libro quinquagesimo tertio*, ac Censorino *de Die natali capite vicesimo primo*: scilicet anno quarto *Actiaco*, non autem primo, ut putabat Josephus Scaliger *in animadversionibus ad Chronicon Eusebii num.* MCCXXVIII. & *in notis criticis ad spuriam elegiam Cornelii Galli*, à nobis alibi quoque, nempe *in historia literaria Aquilejensi*, discussam. Atque hæc est insignium Chronologorum sententia, Dionysii Petavii *de Doctrina temporum libro decimo capite sexagesimo nono* & sequenti, ac Jacobi Usserii *in Annalibus pag.*
30 581. editionis *Parisiensis*: qui de compacto id

A contigisse statuunt annis viginti septem ante epocham Christianam. De his Coloniis ab *Augusto* deductis loquitur *Hyginus* inter auctores rei agrariæ collectos à Wilhelmo Goesio *pag.* 160. ubi hæc habet: *Divus Augustus in adsignata orbi terrarum pace, exercitus, qui sub Antonio aut Lepido militaverant, pariter & suarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis. His, quibusdam delectis hostium civitatibus, novas urbes constituit: quosdam veteribus opidis deduxit, & colonos nominavit. Illas quoque urbes, quæ deductæ à Regibus aut Dictatoribus fuerant (quas bellorum civilium interventus exhauserat) dato iterum*
B *Coloniæ nomine ampliavit, quasdam & finibus.* Siculus etiam Flaccus apud eundem Goesium pag. 23. *qui*, inquit, *à divo Julio deducti erant, temporibus Augusti militiam repetierant, consumptisque bellis, victores terras suas repetierant: in locum tamen defunctorum alii agros receperunt. Ex quo fit, ut his centuriis inveniantur & eorum nomina qui deducti erant, & eorum qui postea in locum successerunt. Augustus* ergo *Italiæ* urbes tot delectibus per bella civilia exhaustas, militibus in eas missis frequentandas curavit: quo quidem facto & militum cupiditati, & Coloniarum infrequentiæ maximus Imperator consuluit.

C III. Has militum Colonias, quas in *Italia* de- 31
duxit *Augustus* veteres scriptores, qui hodie supersunt, tanquam rem suo ævo notissimam, literis committere neglexerunt: nam *Vellejus*, qui de Coloniis à Senatu deductis accurate tractavit, de militaribus ait se ideo loqui non velle, quia *militarium & caussæ & auctores & ipsarum* PRÆFULGENT NOMINA, *libro primo capite decimo quarto.* Hinc haud mirum, si rem omnibus exploratissimam historici silentio præterierunt: unde etiam Suetonius *in Augusto capite quadragesimo sexto*, earundem *Coloniarum* numero expresso, nomina ipsa reticuit: *Italiam*, inquit, *duodetriginta*
D *Coloniarum numero deductarum ab se frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit: etiam jure ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit, excogitato genere suffragiorum, quæ de magistratibus urbicis Decuriones colonici in sua quisque Colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* At quænam fuerint istæ XXVIII. militum Coloniæ ab *Augusto* intra *Italiam* deductæ, nemo hactenus pleno numero aperuit. nam Frontinus *in fragmento illo* operis sui *de Coloniis*, *undecim* tantum nominatim designavit, nempe *Soram*, *Teanum Sidicinum* (hanc in duas perperam divisit Sigonius) *Puteolos*, *Acerras*, *Alatrium*, *Atellam*, *Caudium*,
E *Beneventum*, *Cumas*, *Graviscas*, *Nuceriam.* De 32
Benevento id præterea confirmat vetus epigramma à Camillo Peregrino vulgatum *in Apparatu ad Antiquitates Capuanas pag.* 745. & postea à Fabretto *capite secundo num.* 248. Sigonius *de antiquo jure Italiæ libro tertio capite quarto* addit *Augustam Taurinorum*, *Bovianum*, *Capuam*, & *Ariminum.* Norisius vero *in Cenotaphiis Pisanis dissertatione prima capite altero* ex *Thesauro Gruteriano* quinque alias enumerat, *Augustam Perusiam*, *Coloniam Felicem Nolanam*, *Coloniam Juliam Augustam Parmam*, *Coloniam Augustam Laurentum*, & *Coloniam Augustam Veronam*: quibus adjungi
F posse opinatur & urbem *Pisanam*, quamvis præter *Juliæ* cognomen *Pisanæ* urbi impositum, ejus rei testem appellare non possit. His ego ex marmore 8. CCCCXXXII. AUGUST*am* POL*am* in *Istria* (quam *Italiæ* adjunxit *Augustus*) & *Coloniam Ortanam Augustam* in *Etruria*, jure optimo superaddo: nec deerunt in posterum penitioris antiquitatis seduli scrutatores, qui quinque reliquas Colonias Augustas *Italicas* ad complendum numerum à *Suetonio* indicatum in apertum proferent.


TAB. III.
TIBERIS
Scala di palmi Romani
50
100
200
300



rent. Tunc vero quando *Orta* Colonia Augusta deducta est, erectas fuisse putamus columnas structiles, vulgo *le pile d'Augusto*, utranque *Tiberis* ripam contra aquarum impetum defendentes, ubi & antiqui Pontis vestigia adhuc supersunt: cujus, 33 ut tunc verosimiliter fuit, vel iterum exstrui posset, (Vide Tab.III.) ichnographiam hic damus, per gnavum & peritum artificem *Franciscum Sforzinum* olim delineatam jussu Mæcenatis nostri Eminentissimi Cardinalis Josephi Renati Imperialis, quum pro munere Præfecti Congregationis, ut vocant, boni regiminis, quod providentissime juxta ac vigilantissime gerit, de eodem Ponte magnifice reparando meditaretur: qua de re alias quoque actum nos docet *Julii Roscii Hortani* municipis *Narratio ad Xystum* V. Summum Pontificem, opus profecto eruditum & elegans, *Hortanæ*que Historiæ illustrandæ peropportunum: quod ex Bibliotheca Vaticana depromtum, integrum alibi proferam, quoniam ante nunquam editum fuit.

IV. In *Ortana* Colonia *Q. Ninnius Pætus* erat *Duumvir* quum lapidem MAVORTI. VLTORI erexit. enimvero in Coloniis Duumviri non secus ac Consules *Romæ*, sub Imperatoribus habebantur: congregabant Senatum, qui in Coloniis *Curia* appellabatur: hinc ii, qui in consilium admittebantur, Decuriones dicti, & *Romæ* Senatores: quod luculente docuit, ut juris divini & humani, sic & antiquitatum antistes eximius Antonius Augustinus *in Dialogo sexto in numismata & inscriptiones*. De Duumvirum magistratu quoniam lectissima eruditionis copia Cardinalis Norisius *in Cenotaphiis Pisanis dissertatione altera capite tertio* aliorum studia antevertit, mihi pauca ex ejus operosis lucubrationibus delibasse sat erit, quo *Ortanæ* Coloniæ dignitas, & veterum magistratuum splendor his, qui jejunam de illa apud scriptores mentionem factam offenderint, vel hinc innote-
34 scant. Is observat Duumviratum tanti fuisse *Romanis*, ut à nobilissimis Senatoribus iniretur. Hinc *Pompejus Magnus* post Orientem debellatum, ob amorem *Juliæ* relicta *Roma*, Duumviratum *Capuæ* gessit, quemadmodum testatur Cicero *in Oratione post reditum in Senatum.* Ad Duumviros in Coloniis pertinebat caussas ad Decuriones referre, & eorum sententiam rogare. In aliquibus *Italiæ* urbibus Quatuorviri magistratum gerebant; at in una eademque urbe modo *Duumviros*, modo *Quatuorviros* laudari in inscriptionibus, patet ex *Thesauro Gruteriano pag.* XCVI. 1. CCCCXLV. 2. CCCCLXVI. 4. CCCCLXXII. 7. DLV. 2. & alibi passim, quod ideo factum putat *Norisius*, quia initio Duumviri creabantur, at postea, ut civium ambitioni satisfieret, Quatuorviri, quo facilius hac ratione ad plures summus Coloniarum magistratus perveniret. In Coloniis eosdem Duumviros è tribunali jus dixisse, in saxis Gruterianis plane compertum est: at quidem graviora crimina ad *Romani* Senatus cognitionem spectabant, puta proditio, conjuratio, veneficium, & cædes dolo malo patrata. Verum *Augustus* imperio suo tutius potiturus, sicut urbani Senatus potestatem, ita etiam Coloniarum antiquam jurisdictionem specie honoris imminuit. Hoc eruimus ex ejus vita à *Suetonio* conscripta, ubi de Coloniis ab *Augusto* deductis, inter quas & *Orta* fuit, sermonem habet. Ejus verba quamvis semel recitata, huc iterum adferam ex *libro secundo capite quadragesimo sexto*, ut rem, de qua agimus, testimonio confirmemus: *excogitato genere suffragiorum, quæ de*
35 *Magistratibus urbicis Decuriones Colonici in sua quisque Colonia facerent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent*, quum usque ad illam diem Coloniæ sibi suos magistratus elegissent absque postulatione confirmationis à Senatu *Romano*. Præterea ab illo tempore nec graviores expensas, puta in inferiis, arcubus, statuis, ante impetratam ab Imperatore facultatem, facere poterant: quod ex *Pisanis Cenotaphiis* docet eorundem Eminentissimus illustrator. Duumviri lictores habebant, sed non ita fascium usum usque ad *Tiberium*; iisdemque togam concessam fuisse ostendit Octavius Ferrarius *de re Vestiaria libro altero capite tertio*. Annuum Duumviratum observo ex Canone quinquagesimo sexto vetustissimi Concilii *Illiberitani*, ubi *Christianus* anno uno, quo agit Duumviratum ab Ecclesia segregari præcipitur, propterea quod teneretur edere ludos & spectacula: ubi legi merentur quæ congerit Gundisalvus Tellez *in commentariis ad idem Concilium libro tertio pag.* 439. editionis *Lugdunensis*. Huc etiam facit *lex* XVI. *Codicis Theodosiani libro* XII. *tit.* 1. in qua respuentes Duumviratum, nempe ob immensos sumptus, qui iis incumbebant, præcipue in ludis & spectaculis edendis, duplicati temporis & magistratus pœna damnati biennio integro ejus onera sustinere coguntur. Jacobus Gothofredus *in commentariis ad eandem legem* scribit Duumviros quinquennales fuisse qui quincto quoque anno recurrente 36
id munus sustinebant, ex *Grutero* CCCXXII. 8. At *Gundisalvus* laudatus ob merita & munificentiam in patriam putat Duumviros in quinquennium electos.

V. *Q. Ninnius* in Colonia Ortana *Sevir Augustalis Quinquennalis iterum* dicitur. An Magistratus sive Sacerdotii genus fuerint Seviri Augustales, celeberrimi viri, qui doctis laboribus suis antiquas & sepultas has literas illustrarunt, inter se disputant: quippe Thomas Reinesius *Epistola* XXXI. *ad Christophorum Adamum Rupertum*, & *in Supplemento Gruteriano Classe* I. *num.* XII. eos inter magistratus municipales enumerans, actione juris dicundi præditos fuisse credidit: cui tamen adversatur *Norisius* in opere sæpius adducto *dissertatione prima capite sexto*, ubi Augustales non magistratus, sed sacerdotes fuisse invictis argumentis declarat: idque amplius firmat etiam eruditissimus Fabrettus *capite quincto sub numero* 306. Horum Augustalium originem ad initium principatus *Tiberii* refert Tacitus *libro primo Annalium capite quinquagesimo quarto* anno U. C. DCCLXVII. post *Augusti* apotheosin. tunc enim hujusmodi sodalium Augustalium *sacerdotium Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit*, inquit idem auctor *libro altero Historiarum capite nonagesimo quincto*: unde *Romani* orbis Coloniæ imperantis Urbis exemplo, ut insigni erga demortuum Principem officio sibi successoris benevolentiam conciliarent, Augusta- 37
lium Sacerdotum Collegia sive Corpora tunc certatim instituerunt: inter quas Colonias etiam *Orta Augusti* sacris se initiavit: quod ex alio quoque lapide *Ortano* inferius adducendo apparet, in quo *C. Baberius Augustalis* nominatur. Quamvis *Seviri* isti *Augustales* passim in veteribus saxis memorati videantur, non inde sequitur Sodales Augustales sex tantum numero in unoquoque corpore fuisse, ut perperam crediderunt viri summi Marcus Velserus *in libro quincto rerum Vindelicarum pag.* 275. operum editionis *Norimbergensis*, & Petrus de Marca *in dissertatione de Primatibus num.* CIV. nam in Collegium Augustalium *Romæ* à *Tiberio* institutum è primoribus Civitatis unus & viginti sortito adsciti fuerunt: quibus quatuor supra numerum adjecti sunt, ut ait *Tacitus*. Quum vero eadem Collegia *Romæ* & in Coloniis excrevissent, in his sex primum nominati è Corpore Augustali, *Seviri* appellabantur: at quum eorum numerus amplior etiam evasisset, in plura Collegia partiti sunt: quibus distincti Seviri præerant, quemadmodum ex vetustis elogiis lapidum constare palam facit *Norisius* loco superius indicato. Neque in singulis Collegiis Seviros plures quam sex

sex unquam exstitisse putarim, licet apud Fabrettum *capite quinto num.* 316. prostet inscriptio, in qua tredecim Seviri Augustales numerantur. hos
38 enim cum eodem peritissimo veterum monumentorum interprete honorarios fuisse arbitror: unde multiplicitas Sevirorum insurgit, dum Sevirales omnes, munere quamvis jam pridem functi, titulum honoris ergo retinebant, ut disserit idem auctor *in capite quinto sub numero* 315.

VI. Seviros inter se ordinem servasse animadvertit *Petrus de Marca.* hinc apud *Gruterum pag.* CCCCIX. 5. occurrunt PRIMI. AVGVSTALES. & in marmore Tudertino XIX. 6. PRIMIGENIVS. SEX. VIR. II. AVGVSTALIS. qui *primi* etiam *Magistri* dicebantur. At non ita certum quod ait idem doctissimus scriptor, ubi honorem Augustalitatis æque ac Flaminii & Pontificatus per quinquennium vel in perpetuum ab ordine Decurionum decretum fuisse opinatur. nam Pontifices erant perpetui, & posteriori ætate temporarii, ut sancit Norisius *in Cenotaphiis dissertatione prima pag.* 73. ubi quod in prisci ævi monumentis legantur PONTIFICES. QVINQVENNALES. duas ibidem dignitates expressas censet, ut Quinquennales fuerint in Coloniis qui *Romæ* Censores dicebantur: de quibus Cicero *libro tertio de legibus* refert duodecim tabularum sanctionem: *magistratum quinquennium habento*: unde singulis lustris creabantur: & quidem bini in singulis civitatibus, ex eodem Cicerone *in Verrina quarta.* Pontificatum vero & Quinquennalita-
39 tem diversos Coloniarum honores fuisse eruitur ex lapide CCCXCIV. 7. ubi legitur COMINIVS QVINTVS. PONTIF. ET. QQ. & pag. CCCCLXXIX. 8. C. VALERI. PETRONIANI DECVR. PONTIF. SACERD. IVVEN. MED. CAVSIDIC. QVINQ. neque id adversatus est scriptor eruditissimus & Episcopus integerrimus Philippus à Turre *in dissertatione de Colonia Forojuliensi pag.* 364. licet in Coloniis Pontifices quinquennales seu lustrales fuisse validis argumentis probare contenderit. Quare dum apud Fabrettum *capite quinto num.* 303. legitur in saxo Ostiensi *L. Carullus Felicissimus bis sevir Augustalis. idem Quinquennalis Laurentum Lavinatum.* Item numero 326. *Chryseros Sevir Augustalis Quinquennalis.* & numero 332. *L. Carullus Epaphroditus Sevir Augustalis. idem Quinquennalis*, hic duo diversa munera distinguenda sunt, non vero existimandum quod Seviratus non modo annalis, sed & *quinquennalis* exstiterit, ut probat Fabrettus *capite quinto num.* 315. Eodem pacto noster Q. NINNIVS in *Ortana* Colonia fuerit non solum *Sevir Augustalis*, ut notatur in marmore, sed & *Quinquennalis iterum. Ninniorum* autem gens non tantum *Ortæ*, sed *Romæ* etiam floruit, nam *pag.* CCXIV. & in *fastis Consularibus* legitur Q. NINNIVS HASTA cum P. MANILIO. VOPISCO. COS. anno vulgari CXIV. & pag. LXV. 8.
40 NINNIVS PHILETVS. item *pag.* DCXCVII. 7. NINNIA CRONIS. cui vix quadrimæ vita functæ genitor eleganti hoc carmine parentavit:

Quod decuit natam patri præstare sepulto,
Hoc contra natæ præstitit ipse pater.

Thomas Reinesius *classe sexta numero* CXV. recitat hanc inscriptionem ex *Italia* per *Grævium* acceptam & secum communicatam

D. M. S.
Q. NINNIO. Q. F
ARN. OPPIANICO
AED. IIII VIR. I. D
IVLIA. MARCIA. B. M

Suspicari licet hunc Q. *Ninnium* fuisse ex gente *Ninnia Ortana. Orta* enim fuit & in Tribu *Arniensi* descripta, quod monui, & infra apparebit: ex qua item Tribu erat idem Q. NINNIVS. OPPIANICVS *Ædilis Quatuorvir jure dicundo.* Diversi honorum gradus colonici inter se erant *Ædilitas* & *Quatuorviratus*, quemadmodum contra secus sentientes ostendit Norisius *in Cenotaphiis dissertatione prima capite tertio pag.* 38. Dolendum sane doctissimos veterum hujusmodi epigrammatum collectores sæpenumero adnotare neglexisse præcipua loca ubi primo effossa fuerunt: quum vel ex hoc uno capite magna historiæ, topographiæ & reconditæ vetustati lux haud raro tribua- 41
tur, atque inde gravissimæ scriptorum controversiæ variis de rebus, puta de situ urbium, templorum, theatrorum, thermarum, circorum, deque id genus innumeris aliis non semel finiantur: quæ tamen controversiæ, neglecta adnotatione, quam dixi, locorum, in quibus literati lapides eruuntur, nunquam dirimi possunt, iisdem postea lapidibus, ut sæpe contingit, alio translatis, ne dicam iterum sepultis, & ab ignorantia & avaritia hominum in alios usus redactis. Hanc rem probe animadvertit summus & vir & amicus Bernardus de Montfaucon *in capite vicesimo Diarii Italici pag.* 281. ubi ad conficiendam Urbis descriptionem accuratam inter alia monitum reliquit, ut sicubi inscriptiones eruerentur, nemini liceret eas loco movere & amoliri, donec viri docti locum ipsum & marmor literis consignassent. *plerumque enim inscriptiones*, ait vir præstantissimus, *templorum, & aliorum, quæ è vicino steterant, ædificiorum, mentionem habent.* Inde subjungit. *id si à principio factum esset, bene multa ignota rudera quid olim fuerint jam conspicuum esset.* Quod ille in Urbe rerum domina jure maximo curari vellet, id nos ubique & præcipue in reliqua *Italia* curatum vellemus.

CAPUT III. 42

SYNOPSIS.

I. Domitiani *nomen cum titulis ex publicis monumentis erasum. Nomina item aliorum.* II. *Lituræ Arcuum* Septimii Severi *à nonnullis perperam explicatæ.* III. Fulvii Plautiani *&* Plautillæ Augustæ *nomina in aliquot saxis deleta.* IV. *Inscriptionis* Hortanæ *restitutio tentata.* V. *Perfectissimorum genera & antiquitas.* Capenates *Fœderati. Quot Pentapoles in* Italia? VI. *Curatores Reipublicæ.* VII. *Ordo & Populus in Coloniis.*

JAm vero explicata utcunque inscriptione à Q. *Ninnio Pæto* Mavorti Ultori dicata, ex qua *Ortanæ* Coloniæ Augustæ amplitudo & dignitas prodit, de reliquis infra adducendis idipsum facere conabor. Ceteris autem hoc loco præferre lubet marmor non quidem casu aliquo, sed dedita opera olim prioribus quatuor lineis obliteratum: cujus latitudo est quatuor palmorum, altitudo vero totidem cum dimidio. Exstitit olim in fronte ecclesiæ Cathedralis *Ortanæ*, nunc vero jacet in solo extra eandem ecclesiam, & legitur ad calcem opusculi Antonii Massæ *de Origine Faliscorum*, necnon apud *Gruterum pag.* CCLXXXVIII. *num.* 1.

. . . . 43
. . . .
. . . .
. . . . OR
DO. ET. POPVLVS. COLONI
AE. FALISCORVM. CV
RANTE. TYRIO. SEPTIMI
O. AZIZO. V. P. CVR. R. P. DEVO
TI. NVMINI. MAIESTATI
QVE. EIVS.

Hæc

Hæc inscriptio videtur indicasse publicum aliquod monumentum in urbe *Ortana* ab Ordine & à Populo Coloniæ *Faliscorum* cuidam Imperatori erectum, ut innuunt postrema verba DEVOTI NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS, quæ nonnisi in Imperatorum monumentis usurpata reperies in inscriptis lapidibus apud *Gruterum pag.* CCXLIX. 4. CCLXXI. 1. 7. CCLXXXI. 7. atque alibi passim non solum post *Constantinum*, sed etiam longe antea, ut *Trajano* CCLVIII. 6. *M. Aurelio Antonino*, *Hadriano* & *Antonino Pio* CCLIX. 1. 8. & CCLX. 1. Cui vero ex Imperatoribus inscriptio dicata fuerit, nos fugit ob quatuor linearum erasionem, quæ non solum nomen Imperatoris, sed etiam titulos penitus sustulit, integro tamen saxo relicto, ut patet in schemate quod produxi. At
44 nihilominus conjicere licet illum fuisse *Domitianum* Imperatorem. nam Suetonius *in ejus vita capite ultimo* narrat Senatum adeo gavisum morte *Domitiani*, ut *novissime* ERADENDOS *ubique* TITULOS *abolendamque omnem memoriam decerneret:* quod quidem *ex omni ære vel saxo* factum tradit Macrobius *in libro primo Saturnal. capite duodecimo.* Scribit Lampridius *in Commodo capite decimo septimo*, hujus Imperatoris *nomen alienis operibus incisum* Senatum quoque erasisse. nam veteres ad extinguendam hominum memoriam nihil efficacius reperire potuerunt, quam eorum nomina undique eradere, ut pluribus exemplis docet *Index Gruterianus capite* XVII. sub litera N. ubi illi recensentur, quorum nomina obliterata fuerunt. Huc facit quod Reinesius *Epistola* LXIX. *ad Rupertum pag.* 612. & Jacobus Perizonius *in Dissertationum triade pag.* 22. observant, nimirum in fronte lapidis *Colotiani* CCLXX. 6. detritum fuisse nomen *Fulviæ Plautillæ Augustæ*, & in versu sexto nomen *L. Fulvii Plautiani* ipsius parentis: qui erat ex gente *Fulvia*, ut contra *Panvinium* aliosque docuit Norisius *in Epochis Syromacedonum dissertatione quinta capite tertio*: quique sub *L. Septimio Severo* vir potentissimus, Præfectus Prætorio & Consul eandem filiam suam *Plautillam* in uxorem dedit *Septimii* filio *Bassiano*, sive *M. Aurelio Antonino Pio* co-
45 gnomento *Caracallæ* cum *tanta dote*, *quanta Reginis quinquaginta satis fuisset*, ut ait Dio *libro septuagesimo sexto.* Occiso autem eodem *Plautiano*, & *Plautilla* in *Liparim* relegata, utriusque nomen sibi maxime invisum idem *Caracalla* ex marmore indicato aboleri curavit: quod alibi quoque factum fuisse mox apparebit, si insignium antiquariorum errorem à nemine hactenus animadversum hic in antecessum patefecero; nam de Inscriptionibus decreto publico erasis, si ocium aliquando suppetierit, alibi fusius agere meditor.

II. Famianus Nardinus *in sua Roma veteri libro quinto capite sexto* memorat grande illud *Romanæ* magnificentiæ post tot sæcula adhuc superstes monumentum ad radices Clivi Capitolini qua itur ad Forum, Arcum videlicet illum triumphalem Imperatori *L. Septimio Severo* & filio ejus *M. Aurelio Antonino Pio* erectum, quemadmodum patet ex bipedalibus literis ibidem in marmore primum incisis & excavatis, & deinde ære *Corinthiaco* repletis: quod contigit anno vulgari CCIII. post diem XIII. Aprilis, ut viri docti observarunt. Quia autem in quarta linea amplæ illius inscriptionis, quæ utranque Arcus faciem quaquaversum occupat, adhuc apparent vestigia characterum, quibus antiquitus deletis alii superpositi fuerunt, putavit Nardinus *L. Septimii Getæ* nomen prius ibi lectum fuisse: quod posteaquam frater ejus *Caracalla* in illum truculentas manus injecisset, ex cunctis monumentis jussu ejus obliteratum 46 unus idem *Nardinus* existimavit, in ejus rei testem adducens *Spartianum*: in quo tamen id extricare mihi non licuit, neque ulli sane unquam licebit, quia *Caracalla*, ut suum in fratrem *Getam* commissum parricidium celaret, illum inter Divos referri curavit: quod testatur Spartianus *in Geta capite secundo*; unde ajebat de eodem: *sit Divus*, *dum non sit vivus*; tantum abest, ut *Getæ* nomini, quem palam se amore prosequi simulabat, adeo solemnem infamiæ notam inurere voluerit, ut illud è publicis & omnium conspectui expositis Arcubus & inscriptionibus obliterari mandaverit. Hinc miror virum doctum *Josephum Mariam Suaresium* in Explicatione Arcus *Septimii Severi pag.* 2. Nardino hircum mulgenti, ut est in adagio, cribrum supposuisse, dum incautum ejus memoriæ lapsum excepit, *Spartiano* inconsulto. Ut antiquæ ejusmodi erasionis locus mente facilius comprehendatur, eam Arcus inscriptionem, quam non veluti emissarius cum oculis emissitiis, ut initio *Aulularia Plautinæ* nonnemo loquebatur, sed oculis optimo lumine adjutis centies lustravi, totam continuis lineis, uti adhuc est, expressam recitabo.

47 IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. PATRI. PATRIAE. PARTHICO. ARABICO. ET
PARTHICO. ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO. FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P
OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS
OB. REM. PVBLICAM. RESTITVTAM. IMPERIVMQVE. POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM
INSIGNIBVS. VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R.

48 Quartæ lineæ verba, quæ totidem abrasis olim superposita fuerunt, jam referuntur ad *Severum* & *Antoninum* ejus filium, in superioribus lineis memoratos. Duæ postremæ lineæ caussam erectionis ejusdem Arcus explanant. Eas literas, quarum spacium postea occuparunt verba illa OPTIMIS FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS. in illa eadem linea detritas olim fuisse inde liquet, quod marmor ibi est depressius quam alibi, quodque in eadem linea extra locum à reliquis literis postea occupatum, supersunt foramina ubi æs fuerat infixum: ex quibus signa priorum characterum, qui olim obliterati fuerunt, omnium oculis exhibentur: quippe illud OPTIMIS. FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS clauditur spacio, unius & alterius literæ vestigia adhuc retinente: quæ etiam manifesto arguunt, ejusdem lineæ characteres olim fuisse nonnihil grandiores, quam nunc sunt, nimirum ceteris æquales.

III. Ego vero in quarto versu elogii ejusdem Arcus ubi vestigia æneorum characterum supersunt, *Septimii Getæ* nomen expressum fuisse neutiquam puto, licet præeunte *Nardino* id opinati fuerint viri eruditi apud *Suaresium*: quibus nuper accessit nobile par scriptorum in nummaria antiquitate celebrium, nimirum Johannes Vaillantius *in Nummis Imperatorum tomo secundo* editionis tertiæ *Amstelodamensis pag.* 253. & Andreas Morellius *in Specimine rei nummariæ* editionis secundæ 49 *Lipsiensis pag.* 184. qui de compacto affirmant jussu *Caracallæ* hæc verba in eodem Arcu detrita fuisse:

PVBLIO. SEPTIMIO. GETAE. CAESARI. PONTIF

quibus deinde easdem numero literas superpositas fuisse opinantur. *Hadrianus Auzoutus*, qui apud *Suaresium* ex eadem litura hæc verba eruebat:

ET.P.SEPTIMIO.GETAE.NOBILISSIMO.CAESARI.OPT

postea sententiam mutavit, & ea quæ jam dixi una cum *Vaillantio* in foraminibus clavorum deprehendit, illuc admotis scalis, ut testatur *Morellius*. Sed ego à tantis viris dissentio, atque ibi nomina & titulos non *Getæ*, sed *L. Fulvii Plautiani* olim expressa fuisse non dubito, literarum, quæ desunt, numero religiose servato hoc pacto:

ET.L.FVLVIO.PLAVTIANO.PR.PR.COMITI.AVGG

Siquidem *Plautiani* gloriam & salutem pari pretio habitam fuisse ac ipsorum *Septimii Severi* Imperatoris & *Antonini* Cæsaris eruitur ex epigrammate *Gruteriano* XXXIX. 3. duabus lineis abraso: quod ego ejusdem L. FVLVII. PLAVTIANI. ET FVLVIAE. PLAVTILLAE. AVGVSTAE nominibus ita restituo.

50 DIANAE
PRO. SALVTE
IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. ET
M. AVRELI. ANTONINI
AVGG. ET
L. FVLVII. PLAVTIANI. ET.
IVLIAE. AVG. MATR. CASTR
ET. FVLVIAE. PLAVTILLAE. AVG

Superius memoratam erasionem lapidis *Colotiani* 6. CCLXX. quam vidit etiam doctissimus Cardinalis *Henricus Norisius* & ex eo Pagius *in Critica Baroniana anno* CXCIX. *num.* 4. hic quoque, à nobis rubro charactere suppletam, exhibemus: in qua inscriptione quum dicatur Plautianus *comes per omnes expeditiones eorum*, nempe *Severi* & *Antonini*, manifeste apparet *Plautianum* Præfectum Prætorio à *Severo* in orientem proficiscente, in Urbe relictum neutiquam fuisse. Porro in caussa excidii *Plautiani* enarranda variant *Herodianus* & *Dio*, quorum is vero, hic falso crimine per fraudem *Antonini* appetitum affirmat.

51 FVLVIAE PLAVTILLAE. AVG
VXORI
IMP. M. AVRELI. ANTONINI. AVG
PII. FELICIS. PONTIFICIS. CONS
IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. AVG. PII. FELICIS
PONTIFICIS. ET. PARTHICI. MAXIMI. COS.
III. NVRVI. FILIAE
L. FVLVII. PLAVTIANI. C. V.
PONTIFICIS. NOBILISSIMI. PR. PR. NECESSARII
AVGG. ET. COMITIS. PER. OMNES. EXPEDITIONES. EORVM
T. STATILIVS. CALOCAERVS. NOMENCL
CVM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. LEG. XVI. FLAVIAE
ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNNATORE *sic*. SCAENAR
FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPVLO. FICTORVM
PONTIFICVM. C. C. V. V. NEPOTE. SVO
AMPLA. BENEFICIA. DE. INDVLGENTIA
AVGVSTORVM. SVFFRAGIO. PATRIS. EIVS
CONSECVTVS

Antoninus Fulviam Plautillam ante annum vulgarem CCIII. uxorem non duxit, ut locuples testis

A est Dio *initio libri septuagesimi sexti* ubi post narrata Imperatoris *Septimii Severi* Decennalia eo anno exhibita, inquit: *eodem anno celebratæ sunt nuptiæ Antonini filii Severi, & Plautillæ Platiani filiæ:* qua de re erudite differit *Pagius* anno eodem CXCIX. num. V.

Haud absimili pacto, quandoquidem versor inter hæc saxa, supplendam existimo septimam lineam detritam in voto dicato anno Dionysiano CXCVII. pag. XLVI. 9. 52

B HERCVLI. INVICTO. ET
sic DIBVS. OMNIBVS. DEABVS
Q. SACRVM. PRO SALVTEM *sic*
IMP. L. SEPT. SEVERI. ET
M. AVRELIO. ANTONI
NO. CAESARI. AVG. NN
ET. L. FVLVIO. PLAVTI
ANO. C. V. PR. PR. ET. TRI
BVNIS. HELIO. MONIMO
TREBIO. GERMANO
EXERCITATORIBVS
C HELIVS. SABINIANVS
AVR. TITIANVS. GENIO
T. OPTATI. OB. REDITVN *sic*
NVMERI. VOTIS. FELI
CISSIMIS. T. FLA. RES
PECTVS. C. SEVERINVS
VITALIS. SECIVS. GE
MELLINVS. PVDESASS *sic*
FE CE RVNT
DEDIKAVER VNT
D V. IDVS. IVNIAS. LATE R
ANO. ET. RVFINO. COS

Restitutionem *L. Fulvii Plautiani* & non *Getæ* in quarta linea memorati Arcus triumphalis, alia certiora monumenta amplius confirmant. Etenim nummi *Caracallæ* medii moduli & raritatis eximiæ in aversa parte exhibent Arcum eundem cum tribus fornicibus ea plane majestate, qua illum erigi jussit Senatus. Supra Arcum duo viri, *Severus* nempe & *Antoninus* currui, quem sex equi trahunt insidentes, utrinque vero duo equites, uno & altero pedite sequente, conspiciuntur. Circum vero legitur ARCVS. AVGG. in area S. C. in antica parte est effigies *Caracallæ* cum epigraphe ANTONINVS. PIVS. AVGG. PONT. TR. P. VII. Ex hoc nummo olim Christinæ Reginæ, quem laudat etiam Franciscus Mediobarbus *in suo Occone aucto pag.* 287. *Suaresius* integrum Arcum, barbarorum & temporum injuria deformatum, restituit. Alium ejusmodi nummum æreum ex gaza Regis Christianissimi vulgavit Morellius *in Specimine rei nummariæ pag.* 182. *tabula* XVIII. In antica parte legitur ANTONINVS. PIVS. AVG. PONT. TR. P. COS. in postica idem Arcus & epigraphe ut supra. In hoc nummo non animadvertit *Morellius* post verba illa TR. P. detritum esse numerum Tribuniciæ Potestatis VI. qui integer superest in alio nummo *Musei Carthusiæ Romanæ*. etenim *Caracalla* primam Tribuniciam Potestatem inierat anno CXCVII. & CXCVIII. ut hic probat *Pagius num.* IX. Quare iidem nummi percussi sunt eodem anno, quo *Severo*, & *Antonino* triumphantibus erectus est Arcus. Vaillantius *in nummis Imperatorum tomo secundo pag.* 253. alium nummum argenteum *Caracallæ*, eumque rarissimum adducit cum eodem Arcu & epigraphe ARCVS. AVGG. Duplex litera G G duos tantum *Augustos*, *Seve-*

Severum & *Antoninum* denotat, quibus Arcus e-
rectus eſt : quique ſoli in curru triumphali con-
ſpiciuntur, licet in Arcus inſcriptione honoris
cauſſa etiam *Plautianus* memoretur. Lapis ergo
Colotianus à nobis ſuppletus inſcribebatur *Fulviæ*
Plautillæ, cujus nomen in prima linea, ut pridem
obſervaverat clariſſimus *Perizonius*, & in quarta
ejus parentis FVLVI. PLAVTIANI detritum
eſt: qui ibidem PONTIFEX. NOBILISSI-
MVS. PR. PR. NECESSARIVS. AVGG
ET. COMES. PER. OMNES. EXPEDI-
TIONES. EORVM appellatur. In altero Ar-
cu in foro *Boario*, qui adnectitur Diaconiæ ſan-
cti *Georgii* in Velabro, exſtat inſcriptio ab Ar-
gentariis eidem *L. Septimio Severo*, *M. Aurelio*
Antonino, & *Juliæ matri* ejuſdem *Auguſti* & *Ca-*
ſtrorum dicata anno altero ab eo, quo Arcus in
foro *Romano* erectus eſt, nempe vulgari cciv.
Hanc à *Smetio* deſcriptam recitat *Gruterus pag.*
cclxv. 2. ubi non ſolum integra quincta linea eſt
abraſa, ut ibidem ſignatur; ſed etiam medietas
55 tertiæ, quod ibi præteritur, & ego propius in-
ſpexi: idque patet ex depreſſione & cavitate mar-
moris, atque etiam ex ſpiſſis præter morem cha-
racteribus, qui, paucis primis illis deletis, poſtea
ſuperpoſiti fuerunt, tanquam ſi ad prima verba
referri deberent. In eadem vero tertia linea le-
guntur hæc verba: IMP. CAES. M. AVRE-
LIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG.
TRIB. POTEST. VII. COS. quibus poſtea
verbis in ſpacio olim abraſo hæc continuo ſpiſſis
literis addita fuerunt III. P. P. PROCOS. FOR-
TISSIMO. FELICISSIMOQVE. PRINCI-
PI. ET. Quando inſculpta fuit inſcriptio *Anto-*
ninus erat Conſul I. non vero III. hoc enim ac-
cidit anno vulgari ccviii. Quare hæc ibi antea
charactere ceteris conſono legebantur: ET. L
FVLVIO. PLAVTIANO. C. V. PR. PR.
COMITI. AVGG. In quincta vero linea hæc
modo apparent: PARTHICI. MAXIMI.
BRITTANNICI. MAXIMI. *Nardinus*, qui
hanc inſcriptionem inverſam & depravatam exhi-
bet in libro quincto capite decimo *Romæ* veteris,
nomen *Septimii Getæ* iterum obtrudit, *Spartiano*,
qui id ne ſomniavit quidem, in teſtem vocato. Sic
quoque Johannes Petrus Bellorius *in veteribus Arcu-*
bus Auguſtorum idem peccat dum ET. SEPTI-
MIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI
olim utrobique lectum fuiſſe libere affirmat. Sed
quum quarta linea claudatur his verbis. IMP.
56 CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII.
FELICIS. AVG. utique in quincta olim abraſa,
ubi ad ingens lineæ ſpacium implendum literæ
ſingulæ mirum quantum inter ſe diſtant, *Plau-*
tillæ nomen hoc pacto legebatur: VXORI.
FVLVIAE PLAVTILLAE. AVG. Caracal-
la *Britannici* nomen adſumpſit anno vulgari ccx.
ex *Pagio ad annum* ccix. *num.* ii. Ideo ante
hunc annum eidem inſcriptioni abraſæ ſuperpoſi-
ta non fuit appellatio BRITTANNICI. quæ
quidem appellatio errore quadratarii, ſpacium il-
lud expunctum implere ſatagentis, litera T ſu-
pervacanee geminata redundat: quam tamen *O-*
nuphrius Panvinius prætermiſit *in Commentario*
Faſtorum libro ſecundo pag. 359. In lapide 4. cli.
idem *Caracalla* vocatur BRITANNICVS.
COS. III. DES. IV. Is anno Chriſti ccxiii.
A U. C. dcccclxvi. quarto annum aperuit teſte Nori-
ſio *in epiſtola Conſulari pag.* 127. *ex lapide* 2. *pag.* xliv.
Quare conſtat *Caracallam* anno ineunte ccxii.
deſignatum fuiſſe Conſulem iv. ſi deſignatio Con-
ſulum ordinariorum in annum ſequentem ipſo an-
ni præcedentis initio fiebat, ut arbitratus eſt *Pa-*
gius anno ccxii. num. ii. licet id *Noriſius* im-
probaſſet. Quum autem occiſus fuerit *Plautia-*
nus anno vulgari ccv. ut ſupputat longe accura-
tiſſimus ſcriptor Sebaſtianus Tillemontius *in nota*
xxv. *ad vitam Imperatoris Severi tomo tertio hiſto-*
riæ Imperatorum pag. 461. editionis ſecundæ *Pa-*
riſienſis anni mdccii. quumque eadem litura facta 57
B non fuerit ante annum ccx. inde apparet ſtatim
poſt mortem *Severi*, quæ contigit *Eboraci* anno
vulgari ccxi. die iv. Februarii ex Tillemontio *in*
Severo articulo xxxvi. nomen *Plautiani* juſſu *Ca-*
racallæ ex publicis monumentis craſum fuiſſe: quod
etiam liquet ex titulo MAXIMI præter BRIT-
TANNICI *Caracallæ* poſtea adjuncto in ſupple-
mento lituræ: quem MAXIMI titulum unus
Severus antea gerebat. BRITANNICVS ve-
ro eodem anno, quo idem *Severus*, appellatus
fuit, quando geſſit Tribuniciam Poteſtatem xiii.
anno U. C. dcccclxiii. vulgari ccx. quod no-
tat Pagius *anno* ccix. *num.* ii. Neque *Severus*
C erat ita infenſo in *Plautianum* animo atque fuit *Ca-*
racalla. *Raphael Fabrettus* de re lapidaria *Roma-*
norum ſane meritiſſimus, *in Inſcriptionum capite*
decimo num. 107. elogium aliud recitat, in quo
Plautiani & *Plautillæ* nomina antiquitus abraſa
fuerunt, licet ipſe, vir alioqui oculatiſſimus, à
Nardino fortaſſe deceptus, hanc notulam eidem
adſcripſerit. *notanda abraſio nominis Getæ*. Sed
nunquid *Getæ* nomen in eodem marmore duobus
in locis, nulla ratione id flagitante, abradi pote-
rat? Inſcriptio autem, niſi mea me fallit opinio,
D utique hoc pacto ſupplenda venit:

FORTVNAE. AVG 58
PRO. SALVTE. ET. REDITV
DOMINORVM. N
SEVERI. PII. FIL
ANTONINI. AVG
L. FVLVII. PLAVTIANI. PR. PR
ET. IVLIAE. AVG. MATRIS
AVG. ET. FVLVIAE. PLAVTILLAE. AVG
ANTONIVS. LIB
PROXIMVS. A. LIBELLIS
VOTO. SVSCEPTO

E Sed jam tandem integram inſcriptionem illam
ſex continuis verſibus conſtantem ab Argentariis
dicatam in Arcu fori Boarii, una cum noſtro
ſupplemento exhibeamus, ut nobis ab hujuſmodi
eraſionibus expeditis facilius properare liceat illuc
unde diverteramus. In poſtremo verſu characte-
re ceteris minutiori ſunt tria verba peregrinum in
modum diſpoſita, quorum ordinem mutare duxi-
mus religioni. nam *Famianus Nardinus* in loco
ſuperius indicato inde ſuſpicatur aliquot ex iis Ar-
gentariis & Negotiantibus, qui Arcum erexerant,
ad ſolvendas ejus impenſas conferre pecunias re-
cuſaſſe, ideoque ea verba ceteris addita poſt de-
F cretum illud jam factum, ne illi, qui recuſave-
rant, ad vendendas illic merces ſuas ante conla-
tam pecuniam admitterentur.

59 IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO. FELICISSIMO
PONTIF. MAX. TRIBVNIC. POTEST. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI. PATRIAE. ET
IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIB. POTEST. VII. COS. L. FVLVIO. PLAVTIANO. C. V. PR. PR. COMITI. AVGG
IVLIAE. AVG. MATRI. AVG. N. ET. CASTRORVM. ET. SENATVS. ET. PATRIAE. ET. IMP. CAES. M. AVRELI. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG
VXORI. FVLVIAE. PLAVTILLAE. AVG
ARGENTARI. ET. NEGOTIANTES. BOARI. HVIVS. LOCI. QVI INVEHENT. DEVOTI. NVMINI. EORVM.

60 IV. Nec jure quisquam mirabitur, *Plautiani* nomen in Arcu *Septimii* expressum, modo illum auctoritate imperatoria vel certe imperatoriæ proxima potitum fuisse cogitaverit. Quum enim filiam suam *Caracallæ* tanta dote in uxorem tradiderit, quanta, Dione teste, *quinquaginta Reginis* sufficere potuisset, *Plautiani* potentiam hoc satis superque prodit. Dio. *lib.* LXXV. *pag.* 857. vocat *omnibus hominibus*, *atque adeo ipsis Principibus Romanis potentiorem*, Septimio nemqe, Caracalla, & duobus Getis. Statim addit: *statuæ ei multo plures*, *quam illis* (Augustis) *non solum in aliis civitatibus*, *sed etiam Romæ*; *neque tantum à privatis civibus*, *sed etiam ab ipso* SENATV *collocatæ sunt.* Cur non ergo decreto Senatus *Plautiani* nomen in Arcu exprimi jussum? Narrat Dio: *per fortunam ejus jurabant cuncti milites ac* SENATORES, *proque ejus salute* PVBLICE *ab omnibus supplicabatur.* Et mox: *Caussa harum rerum fuerat potissimum Septimius ipse*, *qui ei ita permiserat omnia*, *ut ille Imperatoris*, *hic præfecti loco esset.* Immo ait de Severo: *fere cupiebat successorem Imperii relinquere Plautianum.* Hæc ostendunt, *Plautiani* nomen decreto Senatus pridem in Arcu verosimiliter exstitisse. Senatus enim *Plautianum* supra Imperatorem suspiciebat, & populus, ex Dione *lib.* LXXVI. *pag.* 860. de eo dicebat: *tu quidem certe plusquam tres possides.* Hi
*61 sunt *Severus*, *Caracalla*, & *Geta* junior.

V. Cetera marmora *Plautiani* nomine olim insignia quamvis decreto Senatus non essent insculpta, tamen publica erant: nec dubitandum videtur de *Plautiani* nomine in iisdem eraso, maxime accedente sententia illustrium Criticorum *Reinesii*, *Perizonii*, & *Norisii*. Verum, si aliqua ex statuis *Plautiano* à Senatu erectis superesset, quas postmodum dejectas fuisse auctor est Dio *lib.* LXXV. *pag.* 858. & Spartianus *in Severo Cap.* XIV. inscriptiones decreto Senatus iisdem subjectas, etiam conspiceremus. His neutiquam obstat, *Getam* Cæsarem cum *Septimio* & *Caracalla* triumphasse, perinde ac cum *Tito Domitianus* adhuc Cæsar triumphavit, teste Zonara *lib.* XI. *Annalium pag.* 577. editionis regiæ. non enim hinc sequitur, *Getam* inscriptum fuisse Arcui, triumphum illum referenti, quum nec Domitianus inscriptus fuerit Arcui *Titi*, adhuc exstanti. Verba ejus hæc sunt

SENATVS
POPVLVS. QVE. ROMANVS
TITO. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVGVSTO

Domitiani nomen abest, quamvis triumpho Titi *equo singulari interfuit*, ut auctor est *Zonaras*. Itaque hinc nequaquam adstruitur, *Getam* lectum fuisse in Arcu *Septimii*, quum *Domitianus* pariter absit ab Arcu *Titi*.

*62 VI. Neque hoc publicum *Septimii* & *Caracallæ* monumentum solum est absque nomine *Getæ*. Etenim in elogio supra porticum *Panthei*, *Septimii* & *Caracallæ* nomina conspiciuntur, non tamen *Getæ*. Aliud huic simile epigramma exhibet *Fabrettus cap.* XII. §. 48. Ad hæc falso quispiam objiciat, *Plautianum* quo tempore uterque Arcus erectus est, nondum stetisse in summo auctoritatis fastigio. Siquidem Arcus *Septimianus* contrarium evincit, ubi legitur *Septimii* TRIBVNIC. POTEST. XI. cum *Caracallæ* TRIBVNIC. POTEST. VI. unde exsurgit A. D. 203. quo *Plautianus* jussu Imperatoris Consulatum indeptus fuerat, ex Dione *lib.* LXXV. *pag.* 857. ubi hæc profert: *Plautianum designavit Consulem*, *quem fere cupiebat successorem Imperii relinquere.*

VII. Jam chronologicos characteres Arcus Argentariorum perpendamus. Hi sunt *Septimii* TRIBVNIC. POTEST. XII. cum *Caracallæ* TRI-
A BVNIC. POTEST. VII. Ex his patet, Arcum erectum fuisse in cursu anni vulgaris 204. *Plautiano* adhuc superstite, & *Fulviæ Plautillæ* ejus filiæ nuptiis cum *Caracalla*, post *Septimii* Vota decennalia, celebratis, nempe sub *decennium* Septimiani Imperii, ex Dione *in Compendio Xiphilini pag.* 859. editionis *Leunclavii*, ubi interpres *Guillelmus Xylander* Græca verba ἐπὶ τῆς δεκαετηρίδος sic vertit: *postquam* ATTIGIT (*Severus*) *decennium principatus sui*, quum tamen *63 sensum Græcum melius expressisset *sub decennio*, nam præpositionem ἐπὶ secundo casui conjunctam, tempus indicare, & latinæ *sub* respondere docet
B Henricus Stephanus *in Thesauro linguæ Græcæ tom.* I. *pag.* 1209. Norisius Cardinalis *in Parergo de Votis decennalibus cap.* IV. errorem *Xylandri* detexit, innuens, *circa decennium* verti debuisse. Sed *sub decennium* vertendum erat, idque de exacto decennio intelligendum, quippe vota decennalia nonnisi *evoluto decennio* peracta idem vir magnus docet *cap.* I. Nummus *Septimii* apud *Adolphum Occonem* in postica epigraphen id confirmantem exhibet VOT. SVSC. DEC. TR. P. XI. COS. III. Hic annus XI. Tribuniciæ Potestatis *Septimii* decennium ejus Imperii subsequutus est. Decennales vero ludi *Romæ* per *Septimium* statuto
C tempore fieri non potuerunt, quia dum Imperii decennium intravit die I. Junii A. D. 202. *Romæ* non aderat, sed in Oriente, ut egregie ostendit Norisius *in Epochis Syromacedonum Dissert.* V. *cap.* III. Quare *Septimius* in Urbem redux Decennalia celebravit anno insequenti 203. post jam exactum annum X. Imperii mense Maji, teste nummo Occoniano, in quo est annus XI. Tribuniciæ Potestatis, ab insequenti Junio inchoatæ. Ex hactenus dictis exploratum fit, Arcum Argentariorum erectum fuisse A. D. 204. post mensem Maji, currente *Septimii* Tribunicia potestate XII. *64 & VII. *Caracallæ*. Necem *Plautiani* & repudium
D exsiliumque *Plautillæ* sex notatu digna præiverunt apud *Dionem pag.* 860. 861.

1. Irruptio *Vesuvii*, quæ mortem *Plautiani* ominata est, ut postea creditum.

2. Obitus *Getæ* senioris, qui moriturus *Septimio* fratri multa in *Plautianum* aperuit.

3 Hinc statua ænea in Foro grati animi ergo per *Septimium* eidem fratri suo decreta.

4. *Caracallæ* in *Plautillam* uxorem contumeliæ.

5. *Plautiani* inde orta indignatio in *Caracallam.*

6. Spectacula publica in honorem Heroum.

E Hæc omnia statim & in ictu oculi contingere non potuerunt; sed longo processu temporis, adeo ut à matrimonio *Plautillæ* ad ejus patrisque infortunia, intervallum aliquod, puta saltem unius anni, præterlapsum fuisse oportuerit. Id optime innotuit Setho Calvisio *in Chronologia pag.* 486. *col.* 2. ubi quum *Getæ* senioris mortem anno vulgari 204. illigasset, hæc addidit: *vixit posthæc Plautianus annuo spatio*: atque ejus necem defigit anno insequenti 205. Hoc inde amplius firmari videtur, quod in cursu anni 204. *Gaza* urbs *Syriæ* nummos *Plautillæ* percusserit A. V. 957. qui Imperii *Septimii* anno XII. & VII. *Caracallæ* respon-
F det. Consulatur Norisius *in Epochis Dissert.* V. *cap.* III. cui adstipulatur *Spanhemius* apud V. C. Hadrianum Relandum *in Palæstina illustrata pag.* *65 799. ubi à matrimonio ad exsilium *Plautillæ* in insulam *Liparim*, & ad necem *Plautiani*, ferme biennium interponit præterlapsum ab anno 203. ad annum 205. quo anno *Tillemontius* etiam *Plautiani* mortem statuit *in Historia Imperatorum tomo* III. *pag.* 461. uti jampridem animadvertimus. Quæ dixi *pag.* 46. de studio per *Caracallam* adhibito, ne fratris *Getæ* cædes ab se patrata crederetur; inde

de amplius roborantur, quod omnes, qui essent facinoris conscii, ne rem proderent, è medio tollere conatus est: quod de *Getæ* necessariis pariter fecit, irarum prætextu aliunde quæsito, ipse interim *Getæ* ejusdem effigiem honoribus prosequutus. Spartiani verba illud testantis *in Caracalla cap.* III. hæc sunt: *multos, qui cædis conscii fuerant, interemit, eumque & imaginem ejus honoravit.* Et cap. IV. in fine: neque cessavit SVB DIVERSIS OCCASIONIBVS *eos interficere, qui fratris amici fuissent.* Veritus ne *Papinianus*, qui parricidium excusare noluerat, obloqueretur, eum quoque vita privavit, teste eodem Spartiano *in Severo cap.* XXI. Hæc satis superque nos docent *Caracallæ* jussu nomen *Getæ* ex publicis monumentis nequaquam erasum, alias qui cetera ejus scelera posteritatis memoriæ commendarunt, hoc tam fœdum & publicum nequaquam siluissent. Itaque non *Getæ*, sed *Plautiani* nomen ex Arcu-
*66 bus publicis, *Caracalla* jubente, obliteratum fortasse non immerito credimus.

VIII. Ut ergo ad *Hortanam* inscriptionem revertar, ex qua alio deflexeram, præter nudum nomen titulos quoque ipsos obliterandos de nullo unquam Imperatore decretum fuisse legimus, nisi de *Domitiano:* atque hinc non solum ejus nomen deletum apparet apud Sponium *in Miscellaneis p.* 353. apud Fabrettum *capite quarto* §. 158. & apud Gruterum *pag.* V. 2. XII. 2. & LXVIII. 1. sed præter ipsum nomen etiam tituli omnes deleti sunt pag. CCXLV. 2. & CCCCXI. 1. propterea quod in publicis monumentis & omnium oculis expositis ii tituli viderentur, quemadmodum exstitit hoc nostrum marmor *Hortanum.* Hujus proinde lacunas, exemplum suggerentibus aliis inscriptionibus *Domitiano* dicatis, quibus contigit illud fatum evadere præcipue vero CVIII. 1. 2. CLV. 1. CLXXXIX. 12. DLXXIV. 5. DLXXV. 1. ita supplendas esse arbitrarer.

IMP. CAESARI
DIVI. VESPASIANI. F
DOMITIANO. AVGVSTO
GERM. PONT. MAX. OR
DO. ET. POPVLVS. COLONI
AE. FALISCORVM. CV
RANTE. TYRIO. SEPTIMI
O. AZIZO. V. P. CVR. R. P. DEVO
TI. NVMINI. MAIESTATI
QVE. EIVS

61 Notas post nomen *Tyrii Septimii Azizi* sic interpretor *Viro perfectissimo* CVR*atore Reipublicæ.* perperam enim apud *Massam* & *Gruterum* legitur in octava linea C. V. R. quæ puncta in lapide ipso non comparent. Sic apud eundem Gruterum *pag.* XLV. 2. videre est CVR. R. P. PIS*aurensium* & FAN*estrium* pag. CCCLXXXI. 1. CVR. R. P. TEANENSIS. CVR. R. P. TARRICINENSIS. & pag. CCCCIV. 7. *A. Egnatius* CVR*ator* R. CONCOR*diensis.* Scio equidem *Viros Perfectissimos* nunquam frequentius auditos fuisse quam tempore *Constantini Magni*, quem tres Perfectissimorum classes divisisse putat Guido Pancirolus *in Commentario ad Notitiam Imperii capite tertio:* de quorum tamen auctore nihil definit Jacobus Gothofredus *in notis ad Codicem Theodosianum libro sexto tit.* XXXVII. Horum primi erant Præsides seu Rectores provinciarum: secundi munere aliquo perfuncti: tertii honorarii, qui codicillis eam dignitatem impetraverant: quæ tamen his postremis nequicquam proderat ad fugam munerum, à quibus tam publicis, quam curialibus immunes erant secundi. *Gothofredus* animadvertit hos omnes his notis signari solitos V. P. vel ordine inverso P. V.

IX. Attamen fatetur eruditissimus *Pancirolus* eorum originem *Constantino* antiquiorem videri, neque constare quando inventi fuerint Perfectissi- 62
mi: quod etiam *Gothofredus* affirmat. Et quidem *Fabrettus* in superius *laudati Syntagmatis capite quarto sub num.* 169. deprehendit in lapide Gruteriano *Marcellinum Virum Perfectissimum* sub *Gallieno*, & *Lupercum* sub *Maximiano*, in quo tamen siglæ paullo aliter apparent nempe V. PERF. His subinde & reliquis antiquissimam inscriptionem ipse adducit *num.* 170. *Herculi* dicatam *Alexandro Augusto* II. & *Marcello* Coss. anno scilicet CCXXVI. in qua VV. PP. memorantur, & eam dignitatem his vetustiorem adhuc exsistere puto ex Codicis Justinianei *libro nono tit.* XLI. L. XI. ubi *Diocletianus* narrat *M. Antoninum* decrevisse ne filii Perfectissimorum Virorum pœnis Plebejorum afficerentur: ex quo videntur Perfectissimi etiam ultra *M. Antoninum* ad *Domitianum* usque reduci posse: quem Imperatorem mihi verosimile fit *Ortæ* aliqua de caussa moratum fuisse quando illi proxima *Faliscorum* Colonia istud publicum honoris signum dicavit. *Hortæ* vero in solo alieno *Falisci* inscriptionem illam erexisse propterea videntur quod utrique cum vicinis populis inter se essent *Fœderati.* Certe *Capenates*, qui ad vicesimum primum ab *Horta* lapidem, & ad decimum à *Faliscis* sub *Soracte* monte, *Leprignani* prope *Morlupum* & non alibi, steterunt, in literatis lapidibus ibidem effossis apud Fabrettum *capite quarto num.* 529. & *capite decimo num.* 99. *Fœderati* appellantur. *Fœ-* 63
derati vero dici forte potuerunt non tam quod suis institutis & legibus, suisque magistratibus regerentur, & *fœderis* cum *Romanis* tempore deditionis initi conditionibus, aut præscripti pecuniæ modi præstatione, vel certo militum numero Rempublicam juvarent: quæ erant *Fœderatorum* privilegia, teste Petro de Marca *in Marca Hispanica libro secundo capite quarto num.* IV. verum etiam quod una cum vicinarum urbium populis societatem iniissent, puta cum *Faliscis*, *Hortanis*, & *Lucoferoniensibus*, quorum opidum erat sub *Soracte*, ut notat Lucas Holstenius *ad Italiam Cluverii pag.* 61. in eam rem vetus saxum adducens. Quinque urbium *fœderatarum* regionem sive Pentapolim in istis partibus stetisse nonnulli quidem affirmarunt ex Martyrologio MS. sancti *Petri Tuscanellæ*, & ex actis ineditis sancti *Ptolemæi* episcopi *Nepesini*, in quibus semel atque iterum memoratur *Pentapolis Tusciæ:* quam Nepesinam urbem, vel ejus nominis regionem ex quinque urbibus conflatam interpretantur; sed quænam fuerint vel ubinam steterint non liquet. nam Nicolaus Nardinus *Famiani filius in libro Italico*, quem appellavit Cathedram episcopalem sancti *Ptolemæi Nepesini*, vix quicquam in rem suam bonæ frugis adduxit. Tillemontius autem *in nota* III. *ad Persecutionem Neronis tomo secundo pag.* 495. propterea quod hanc *Pentapolim* veteres omnes silentio præteriissent, an alicubi unquam exstiterit dubius hæ- 64
sit. Sicut vero in oriente variæ erant Pentapoles, quas geographi norunt, eodem pacto in *Italia* non una Pentapolis ex posterioris ævi scriptoribus erui posse videtur. Ab Anonymo Ravennate *libro quarto Geographiæ pag.* 199. *Pentapolis* ad mare Adriaticum memoratur, sed verbis tam barbare confusis, ut crucem fixerint ejus editori *Placido Porcheronio.* Verba Anonymi hæc sunt: *ad mare magnum Adriaticum est provincia Flaminia Ravennatis: item Annonaria Pentapolensis: est super ipsam Pentapolim, idest provincia Castellorum.* Porcheronius se ignorare ait *Annonariam Pentapolensem* æque ac *Provinciam Castellorum.* Trebellius Pollio in Tetrico seniore meminit *Annonariæ re-*

gionis, de qua mire disputant critici. Hæc non minus quam *Annonaria Pentapolensis* utique est *Picenum* annonarium *Flaminiæ* proximum, cujus caput erat *Ancona*. Hinc Pentapolitanam provinciam jure in *Piceno* locat Norisius *in Dissertatione de Synodo* v. *capite quincto pag.* 46. *editionis Patavinæ.* Quænam vero fuerit *provincia Castellorum* statim patebit. In Concilio vi. CP. apud Labbeum *tomo sexto col.* 705. laudantur sex urbes episcopales *provinciæ Pentapolis*, nempe *Ariminum*, *Pisaurum*, *Fanum*, *Numana*, *Auximum*, *Ancona*. *Ariminum* urbs *Flaminiæ* videtur antiquæ
65 *Pentapoli* superadditum. In eodem Concilio vi. col. 708. *Ravenna* est extra *Pentapolim* quomodo eam agnoscit etiam Anastasius *in Zacharia* ubi nominat populum *Ravennæ*, *& civitatum Pentapoleos & Æmiliæ.* Idem Anastasius *in Gregorio* II. loquens de *Leone Isaurico* Iconomacho hæc habet: *permoti omnes Pentapolenses*, *atque Venetiarum exercitus contra Imperatoris jussionem restiterunt.* Infra vero ait *Langobardis Æmiliæ* CASTRA, *Pentapolim quoque & Auximum* se tradidisse. Quare provincia *Castellorum supra Annonariam Pentapolensem* sita, cujus meminit Anonymus *Ravennas*, est *Æmilia*, quam CASTRA habuisse testis est *Anastasius*. Hæc CASTRA *Æmiliæ* nominatim recenset Paullus Diaconus nostras *in libro sexto de Gestis Langobardorum capite quadragesimo nono.* Anno DCCLVI. quo *Pipinus* Regem *Aistulphum* ea omnia, quæ *Romanæ* Ecclesiæ violenter abstulerat, reddere compulit, *Ravenna* adhuc erat extra *Pentapolim*, ut testantur coævi scriptores ab *Andrea Duchesnio* vulgati in tomo secundo collectionis historiæ *Francorum.* etenim *Tilianus* & *Loiselianus* Annalistæ pag. 12. & 26. scribunt eundem Pipinum *Ravennam cum Pentapoli conquisivisse & sancto Petro tradidisse.* Idem habet *Eginhardus* & Anonymus *Fuldensis pag.* 235. & 534, quæ mire confirmat idem Paullus Diaconus *in libro secundo*
66 *capite undevicesimo* scribens, quod in Flaminia *est Ravenna*, *& quinque aliæ civitates*, *Græco vocabulo Pentapolis dictæ.* *Picenum* annonarium & *Flaminia* unicam constituebant provinciam secundum divisionem *Constantini Magni*, quam Carolus Cointius *in Annalibus ecclesiasticis Francorum* cum reliquis divisionibus confert anno DCCLV. num. LXXIII. Ubi vero *Paullus Diaconus* jam à nobis laudatus in divisione *Italiæ*, quam protulit *libro secundo capite nono* & sequentibus, in duodecima regione *Flaminium*, in decima tertia *Picenum* constituit; hic intelligit Picenum *suburbicarium.* etenim Picenum *annonarium* sub nomine *Flaminiæ* comprehendit; ideoque in eadem sua divisione illud neutiquam nominavit. *Ravennatem Pentapolim* memorat Nicephorus Patriarcha CP. *in Breviario historico pag.* 23. *editionis regiæ:* & Paullus Diaconus *in Historia Miscella libro undevicesimo pag.* 601. *editionis* Canisianæ *haud procul ab urbe Ravenna Pentapolim* collocat. Carolus Sigonius *in libro primo de Regno Italiæ* ait *Pentapolim* fuisse partem *Piceni*, in qua *Senogalliam* reponit, *Numanam* & *Auximum* reticet. Hæc scriptorum varietas in adsignandis *Pentapolitanæ* provinciæ urbibus, inde orta est quod numerus quinque fœderatarum civitatum eo creverit, ut duas *Pentapoles* sive *Decapolim* fecerint, cujus caput fuit postea *Ravenna*, ut ajunt literæ *Gregorii*
67 II. in Conciliis Labbeanis *tomo septimo col.* 19. Ludovicus Pius *in diplomate*, quo donationem *Pipini* avi sui confirmavit, quodque multi olim ediderunt, ut dicam in fine capitis sequentis, numerum Decapoleos ad Decapentapolim auxit, sive ad tres Pentapoles in *Piceno* constitutas. ait enim se confirmare *Paschali* Pontifici, & ejus successoribus præter Exarchatum *simul & Pentapolim: videlicet Ariminum*, *Pisaurum*, *Fanum*, *Senogalliam*, *Anconam*, *Auximum*, *Numanam*, *Æsium*, *Forum Sempronii*, *Montem Feretri*, *Urbinum & territorium Balnense*, *Calles*, *Luceolos*, *Eugubium cum omnibus finibus & terris ad easdem Civitates pertinentibus* : unde patet ortum versus nihil ad Pentapolim pertinuisse trans *Musonem*, cujus sinistræ ripæ adjacet *Auximum.* Hieronymus Rubeus *in Historia Ravennate libro quarto pag.* 223. editionis secundæ gratis affirmat *Ravennam*, *Cæsenam*, *Classem*, *Forum Livii* & *Pompilii* civitates in Pentapoli contentas fuisse : ipsamque insuper urbem *Ravennatem* ab aliquibus Pentapolim dictam propterea quod partes quinque eam constituerent.

X. Jam vero quod superest elogii *Hortani* explicare pergamus. Quis fuerit CVR. R. P. nempe *Curator Reipublicæ*, egregie, ut omnia, docet Jacobus Cujacius *ad L. ultimam de officio Adsessor. lib.* I. *Responsorum Papiniani pag.* 6. ubi
rejicit *Accursium* putantem Curatorem Reipubli- 68
cæ esse Procuratorem fisci vel Cæsaris: quum tamen hæc duo munera inter se maxime distinguantur; nam *Respublica* hoc loco accipitur pro qualibet civitate fundata legibus. Quare *Curator Reipublicæ* est Curator civitatis cujuscunque, & dicitur etiam *pater Civitatis* innumeris locis in jure, Græce autem λογιστής, ut ait Gordianus Imperator *in Codicis Justinianei libro primo titulo* L. Idem Curator Reipublicæ jus dicebat inter civitatem & privatum, & decidebat caussas tantum pertinentes ad Rempublicam. Quum proinde jurisdictionem haberet, magistratus utique erat, necnon unus ex Decurionibus: vectigalia locabat, vias curabat, caussasque Reipublicæ agebat apud Præsidem vel Principem, ut alibi scribit Cujacius *in tit. de Judiciis libro primo Digestorum L.* 2. §. *ultimo.* Quumque *Tyrius Septimius Azizus* fuerit Vir Perfectissimus & Curator Reipublicæ, ergo in ea sum sententia, ut illum ex Perfectissimis illis fuisse reputem, qui postea secundum genus Perfectissimorum constituerunt : qui nimirum ad eam dignitatem per honorum civilium gradus adscenderit: quique deinde transierit ad exercendum munus Curatoris Reipublicæ & Coloniæ *Faliscorum* ab Imperatoribus dari solitum, ut patet ex lapide *Gruteriano* CCCVI. 3. ad quem quum pertineret quoque de pecuniis & operibus publicis, ut
observat Cujacius *in librum decimum Codicis Justi-* 69
nianei tit. XLIII. *L.* 3. ideo ipso CVRANTE nostra inscriptio dicata fuit *Domitiano* Imperatori ab *Ordine & Populo* Coloniæ *Faliscorum.*

XI. ORDO vero ET POPVLVS sunt Decuriones, qui in Coloniis idem erant ac *Romæ* Senatores. Hinc legitur *pag.* CCCCLVII. 6. SENATVS. P. Q. TIBVRS *pag.* CCCCLXIII. 3. S. P. Q. NOLAN*us*. Verum *pag.* MLXXXVI. 3. 4. ORDO POPVLVSQVE. NOLANVS. quo sane nomine municipalis Senatus vulgo nuncupabatur, ut ex rescriptis Cæsareis in utroque Codice servatis eruitur. Apud Gruterum inscriptio 6. *pag.* XIX. est hujusmodi.

PRO. SALVTE
COLONIAE. ET. ORDINIS
DECVRIONVM. ET. POPVLI
TVDERTIS &c.

Haud dissimilem inscriptionem *Coræ Volscorum* oppido repertam *Johannes Vignolius* V. C. nuper vulgavit cum *Dissertatione de Columna Antonini Pii pag.* 319.

TI. CL. TI. FILIO. ROM
IVSTO
OMNIBVS. HONORIBVS. CORAE. FVNCTO
ORDO. ET. POPVLVS. CORAE. BENEMERITA
EIVS

Decu-

70 Decuriones Coloniarum, qui in curia sententiam dicebant, non Patres, ut qui *Romæ* aderant in Senatu decreta condentes; sed tantum *Conscripti* appellabantur. Quare in tabula *Tarraconensi* CCCCXLIII. 6. legitur *placere* VNIVERSIS. CONSCRIPTIS. & *pag.* CCCCLVI. *placere* CONSCRIPTIS: quæ erat formula in condendis decretis Coloniarum usurpata. etenim ex usitatis decernendi formulis hæc prima erat: *placere Senatui: placere ordini*, ut videre est apud Barnabam Brissonium *in libro secundo de Formulis pag.* 215. Sicut vero Senatus ac plebs *Romæ*, ita & in Coloniis & municipiis separatim discernebantur: quod ex vetustis monumentis animadvertit eorum interpres accuratissimus Norisius *in Cenotaphiis Pisanis dissertatione prima capite tertio.* Hinc in lapidibus *Spoletinis* apud Philippum Cluverium *Italiæ antiquæ libro secundo pag.* 633. ORDO. SPOLETINORVM. DECVRIONES. ET. MVNICIPES. Exstat edictum insigne apud *Gruterum* CCXXVIII. 8. ubi legitur DECVRIONES. ET. POP. CENET*ensis.* Est *Ceneta* urbs in agro nostratium *Venetorum*, cujus hoc lapide antiquius testimonium non superest. Pag. CCCCLXV. 5. occurrunt DECVRIONES ET. PLEBS. COLONIAE. ASCVLANORVM item 6. DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIAE. ANCONITANORVM. ex quibus infertur in Co-
71 loniis Decurionum decretis scita populi & plebis adjuncta fuisse, ita quidem ut & ipsa plebs sententiam rogaretur. Hoc fuse *Norisius* prosequitur, adnotans in *Cajano Cenotaphio* plebem & populum nomine *Colonorum* sejunctim à Decurionibus designari. Idem populus *Civium* nomine exhibetur in lapide *Narniensis Coloniæ pag.* CCCLXXXVII. 2. quem hic integrum lubet adscribere prout emendatiorem produxit Jacobus Sirmondus *in Propemptici libro primo pag.* 73. quod facimus in gratiam amici nostri *Vespasiani Montini* Canonici patriæ ecclesiæ *Narniensis.*

PVBLIO. CEIONIO
IVLIANO
CORRECTORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE
OB. INSIGNIA. EIVS. GESTA. ET. INLVSTRE
ADMINISTRATIONIS. MERITVM
ORDO. NARNIENSIVM. VNA. CVM
CIVIBVS. STATVAM. CONLOCAVIT
PATRONO. DIGNISSIMO

Hæc eadem inscriptio nonnihil immutata, quasi ab hacce diversa male geminatur *pag.* CCCCLX. 4. Est *Narnia* ad octavum à Colonia *Ortana* lapidem, fuitque in Tribu *Scaptia* descripta ex tabula 2. CCCCXLIII. Forte in eadem urbe residebat Consularis *Tusciæ* & *Umbriæ*, *Corrector* appellatus: per quem magistratum tres illæ provinciæ regeban-
72 tur, nempe *Umbria* & utraque Tuscia, *annonaria*, & *suburbicaria*. Inde post *Theodosium Tusciæ* suburbicariæ suum datum *Consularem* sic dictum animadvertit Claudius Salmasius *in Eucharistico pag.* 174. ex *Novella Leonis* & *Majoriani* de adulteriis, quæ inscripta est *Rogatiano Consulari Tusciæ suburbicariæ.* Sed hoc ante *Salmasium* adnotaverat doctissimus popularis noster *Hieronymus Aleander* junior *in dissertatione prima de Regionibus suburbicariis capite tertio pag.* 29. Populi consensum Decurionum decretis adstruit præterea marmor 2. pag. CCCCLXXXIV.

ORDO. VOCONTIORVM. EX. CONSENSV
ET. POSTVLATIONE. POPVLI

Hæc POSTVLATIO exprimitur etiam *pag.* CCCCXXIII. 6. & CCCCXXXI. 1. *Postulare* autem est *desiderium suum vel amici sui in jure apud eum,*

A *qui jurisdictioni præest exponere, vel alterius desiderio contradicere* L. 1. §. postulare D. de postulan. nam his verbis: *qui jurisdictioni præest*, Prætorem magistratuque aut potestate præditum significari constat, ut pluribus ostendit Brissonius *in libro quinto de Formulis pag.* 447.

CAPUT IV. 73

SYNOPSIS.

I. Falisci Etruriæ *cum aliis male confusi.* II. *Varia*
B *nomina & situs Coloniæ* Faliscorum. III. Fescennium, *& poësis inde dicta.* Vejis *locus suus adsignatus.* IV. *Opidum* Faliscorum *non est* Galesium, *sed Civitas* Castellana. V. *Quando interierit.* Strabo *explicatus.* VI. Graciliani & Felicissimæ *martyrum acta perpensa.* VII. *Castrum* Amerinum *à via* Amerina *denominatum.* Ameriæ *antiquitas. Quid* Castellum *in constitutione* Ludovici Pii?

QUænam fuerit Colonia *Faliscorum* in lapide *Hortano* memorata hic fortasse non abs re erit investigare, quum de illa celeberrimi auctores peregrina omnino, ne dicam prodigialia in
C lucem ediderint: etenim Hubertus Goltzius *in Magna Græcia tabula* XXXV. & XXXVI. postquam exhibuisset nummos ΓΑΛΕΙΩΝ (digammate Æolico inverso) nempe *Falejorum*, subinde pag. 311. hos *Falejos* conflavit cum *Faliscis Argivorum* Colonis in *Etruria* sitis, & proinde omnia, quæ ad hos *Faliscos* spectare noverat, ad *Falejos* illos Magnæ *Græciæ* transtulit, miraculo quidem supra Amphionis artem mirando: quem saxa non urbes sono testudinis & prece blanda movisse fictis fa- 74
bulis tradiderunt Poëtæ. Ab hoc monstro erroris sibi non cavit V. C. Johannes Harduinus *in Nummis antiquis Populorum & Urbium pag.* 170.
D ubi laudatis nummis *Falejorum* ex *Goltzii Magna Græcia*, eosdem nummos *Faliscis* illis accommodavit, qui *Halesum Argivum* conditorem habuerunt: utque clarius audiretur, se loqui dixit de *Faliscis* illis, qui steterunt ubi *nunc est Civitas Castellana ad Tiberim, Hortam inter & Romam.* Nec propterea scriptor acuti ingenii hinc agnovit quam longe abessent hi termini à *Magna Græcia*, cui nihil omnino cum *Etruria*, ubi steterunt *Falisci.* Demiror ab eadem alucinatione occupatum magni nominis antiquarium & ceterorum veluti principem Ezechielem Spanhemium *in dissertatione secunda de Præstantia & usu numismatum pag.* 107. novæ editionis *Londinensis.* Istos vero *Falejos Magnæ Græciæ* præterquam in nummis *Goltzianis* apud nullum auctorem memoratos reperio, nisi forte sint *Falisci* illi, quos cum *Nolanis* & *Abellanis*, *Chalcidensium Colonos* vocat *Trogi* breviator Justinus *libro vicesimo capite primo*, videturque locare in *Campania:* inter quos *Faliscos* & *Nolanos* in nonnullis codicibus inseri *Japygios* Magnæ Græciæ testatur *Johannes Schefferus.*

II. *Faliscorum* Coloniam, *Falerios*, *Falerium*, *Faliscos*, *Faliscum*, *Æquum Faliscum*, & *Junoniam* à veteribus appellatam observat Cluverius *in* 75
F *Italiæ antiquæ libro altero capite tertio pag.* 537. quamvis scriptores latini opidum ipsum semper *Falerios*, agri vero incolas & opidi cives *Faliscos* dixerint, & agrum ipsum *Faliscum:* immo & *Græci*, nam Dio *in Excerptis Valesianis pag.* 580. urbem vocat *Falerios* & ejus populos *Faliscos.* Quare longe aberrarunt Stephanus *in libro de Urbibus*, Strabo *libro quinto*, & Solinus *capite octavo*, qui uni ex veteribus *Falerios* & *Faliscum* duo diversa opida fecerunt, quum tamen ex multis *Livii* testimonii, quæ recitantur à *Cluverio*, exploratissimum fiat, *Romanos*, qui inde tantum ad triginta circiter passuum millia distabant, unde

Fa-

Faliscorum ager *haud procul ab urbe Roma* dicitur à Plinio *libro septimo capite altero*, opidum ipsum semper appellasse *Falerios*, agrum vero & populos *Faliscos:* quorum regio brevis alioquin & admodum angusta, non ad lacum *Vulsiniensem* & Montem *Flasconum*, quod aliqui fabulantur, sed intra *Tiberim* & *Ciminium* montem stetit, ut recte docuit *Antonius Massa*. Atque hic juverit animadvertere stetisse *Faleriam* urbem etiam in *Piceno*, cujus incolæ vocabantur *Falerienses ex Piceno*, ut eruitur ex inscriptione Gruteriana *pag.* MLXXXI. 2. quamvis Cluverius *libro secundo capite undecimo pag.* 739. de illius sinceritate dubitare visus sit. Quemadmodum vero prius *Græci* auctores, ita po-
76 steriori ævo latini, *Orosius*, *Paullus Diaconus* & *Freculphus* opidum appellarunt *Faliscum* & plurali numero *Faliscos:* unde *Massam* facile fuit alucinari putantem *Falerios* & *Faliscum* duo opida fuisse, ubi scripsit patriam suam *Galesium* esse opidum *Faliscorum:* quod tamen ex *Fescennii* ruderibus conditum credit *Cluverius pag.* 551. quod si verum est, haud recte idem *Massa Galesium* suum locat in *Faliscis:* à quibus *Fescenninos* gentem diversam faciunt veteres scriptores, & potissimum Virgilius *libro septimo Æneidos vers.* 695.

Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos.

III. Ab hac urbe *Fescennina* versus ejusdem nominis apud antiquos scriptores famosi habentur. Horatius enim *epistola prima libri secundi* duo genera *vetustissimæ* & adhuc nascentis poëseos enumerat: alterius, qua utebantur in Deorum laudibus, alterius vero, quam usurpabant ubi per ludum & jocum convicia sibi dicebant, nam

Fescennina per hunc inventa licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica dicit.

Hos versus *Fescenninos* temere compositos excepit Satyra, teste Livio *libro septimo capite altero. Festus*, qui scribit ex *Fescennina* urbe eosdem prodiisse, illos deinde, qui à puerorum multitudine nubentibus canebantur, *Fescenninos* etiam dictos affirmat, quia omnium *lasciviarum* & opprobriorum plenissimi erant. *Servius* autem *Danielis* in
77 librum septimum *Æneidos* hæc habet: *Fescennium opidum est ubi nuptialia inventa sunt carmina.* Idem habent *Acron* & *Porphyrion Horatii* scholiastes. Alii vero, inter quos Franciscus Bernardinus Ferrarius *de veterum Acclamationibus libro sexto capite vicesimo tertio*, & *Dantis* defensor Jacobus Mazzonius *libro secundo capite tricesimo nono*, eandem poësim sic dictam putaverunt *à fascino*, quod arcere crederetur: quasi nimirum ab urbe *Fescennio* dici non potuerit eo modo, quo *Atellana* poësis ab *Atella* urbe nomen accepit. Lilius Gyraldus *in dialogo primo de historia* poëtarum existimat *Fescenninos* versus fuisse quales sunt *Glyconii Catulli:* & forte *Glyconium* illud *Catullianum* LXII. in hoc genere *Fescenninorum* reponendum erit; *Catullo* ipso etiam id significante iis verbis:

Neu diu taceat procax
Fescennina locutio.

Non unus quidem putavit *Fescennium* stetisse ubi nunc est Civitas *Castellana*, nulli tamen certo auctori innixus, ut fatetur *Massa:* quo pacto etiam certissimum est ibi non fuisse *Vejos*, quod ab aliis est imprudenter asseveratum: qui ab eodem *Massa* ideo refutantur, uti etiam à *Cluverio*, à *Luca Holstenio*, à *Famiano Nardino*, & post omnes à Raphaele Fabretto *in Inscriptionum capite tertio num.* 606. ubi ex veteri marmore *Vejentano*
78 quod protulerat eodem capite *num.* 324. effossum in meditullio ambitus mœniorum & rupium, munitionem olim constituentium juxta templum *Junonis Argivæ*, ipse verum situm *Vejorum* designavit in colle inter *Cremeram* fluviolum, vulgo *la Valca*, & insulam *Farnesiorum*: ad quem locum *Vejorum* prisca via cognomento *Vejentana* à *Cassia*

A deducta, ut signatur in Tabula *Peutingeriana*, hodie adhuc dirigitur: cujus quidem viæ deflexum idem *Fabrettus* ad sextum lapidem deprehendit, & reditum in viam *Cassiam* post alia tria à *Vejis* milliaria. Jacet locus ille *Vejorum*, ut nunc res sunt, ad decimum ab urbe lapidem: quod intervallum optime convenit *centum stadiis* Dionysii Halicarnassei *libro secundo capite quinquagesimo quarto*, & *duodecim* mille passibus Tabulæ itinerariæ, à veteri urbis *Romæ* amplitudine ductis. Est vero prope diversorium vulgo *la Storta*, ubi clarissima vestigia magnæ urbis apparere animadvertit Holstenius *in notis ad Cluverium pag.* 55. ibidemque *Flavius Chisius* Cardinalis loci illius dominus
B miranda antiquorum marmorum fragmenta, bases, statuas, columnas, aliaque olim effodi curavit.

IV. *Falarienses* ruinas *Faleriorum* opidi vestigia arbitratus est *Massa*, vel inde se evicisse putans *Galesium* esse opidum *Faliscorum* quod ab *Haleso Argivo Faliscæ* gentis auctore H adspiratio in G 79
literam transierit: cujus argumenti levitatem, ex *Servio* ad librum septimum *Æneidos* mutuatam, quamvis adprobare visus sit vir intimæ eruditionis consultissimus Ezechiel Spanhemius *de Præstantia & usu Numismatum dissertatione secunda pag.* 108. novissimæ editionis; illam tamen auctoritas Geographi *Ravennatis*, scriptoris omnium anti-
C quissimi, qui ejus urbis meminerit, penitus evertit: hic enim non *Gallese*, ut recenter nunc audit, sed *Galenese* eam urbem appellat *libro quarto pag.* 214. & Anastasius *in vita Gregorii* III. *Galliensium* castrum, sicut & *Blondus pag.* 311. quæ quidem appellationes nullam aut parvam habent analogiam cum *Haleso*. His accedit, quod *Massa* fateatur, nullum antiquitatis vestigium *Galesii* superesse, & quod Strabo *libro quincto* locet opidum Faliscum *prope viam Flaminiam inter Ocriculos, & Romam:* at *Galesium* situm est inter *Tiberim*, *Ortam*, & *Faleriæ* ruinas procul à via *Flaminia*, septem millia passuum à Civitate *Castellana*, totidemque ab *Horta* remotum. Quare si-
D tus *Faleriorum* alibi est investigandus: quem digito indicare videtur Zonaras *in Annalibus libro octavo num.* XVIII. elegantissimæ editionis *Cangii*, ubi quum loquutus fuisset de bello *Faliscis* per *Romanos* illato, *Manlio Torquato* agrum illorum vastante, hæc subdit: Ὕστερον δὲ ἡ μὲν ἀρχαία πόλις εἰς ὄρος ἐρυμνὸν ἱδρυμένη, κατεσκάφη. ἑτέρα δὲ ᾠκοδομήθη 80
εὐέφοδος: *tandem etiam antiqua urbs* (nempe Faliscorum) *in arduo sita monte eversa, aliaque condita in planicie, oppugnatu facilis.* Hæc neque *Galesio*, neque *Falari* quicquam conveniunt, sed tantum Civitati *Castellanæ* nunc dictæ, ut optime animadvertit *Cluverius pag.* 540. & Holstenius
E *in notis pag.* 57. & 59. Urbem autem in *planicie* conditam uterque eam esse opinatur, quæ circiter duodecim millia passuum inde aberat in via antiqua silicibus strata, quæ *Amerina* est, ut observat *Holstenius:* cujus urbis ingentes ruinæ hodieque visuntur, nomenque *Falari* adhuc retinet. Hac postea destructa, quod per *Albericum* Marchionem *Tusciæ* accidisse anno nongentesimo & decimo septimo sine ullo testimonio asserit *Massa*, incolas iterum se recepisse ad antiquos *Falerios Holstenius* existimat, tanquam ad munimentum, sive castellum, atque inde *Civitatis Castellanæ* no-
F men loco indidisse: quod verosimile etiam *Massa* arbitratus fuerat. Hoc quidem confirmari videtur testimoniis *Plutarchi in Camillo*, & Zonaræ *libro septimo num.* XXII. qui *Falerios* vocant πόλιν ἐρυμνήν, nempe *urbem natura munitam.* nam *Civitatem* quoque *Castellanam*, *locum natura satis munitum* appellat Anonymus MS. Vaticanus *in vita Paschalis* II. apud Cæsarem Baronium *in Annalibus ecclesiasticis sub anno* M. C. *num.* XX. quæ memo-

81 memoria hujus nominis *Civitatis Castellanæ* non est tamen omnium antiquissima, ut taceam de *Massa*, qui vetustiorem non invenit ea, quæ est apud Platinam *in vita Hadriani* IV. anno MCLV. nam *Rodoricus episcopus Castellanæ* (nimirum ecclesiæ) post episcopos *Amerinum* & *Nepesinum* subscribit Synodo *Romanæ* sub *Leone* IV. apud Holstenium *in Collectione Romana parte altera pag.* 116. ubi quum etiam legatur *Johannes episcopus Falaritanæ*, hic tanquam alius ab eodem episcopo *Faleriorum* sive Civitatis *Castellanæ* referendus est ad *Falariam* in *Piceno*: quæ item civitas fuit episcopalis, teste Baronio *in notis ad Martyrologium Romanum die* XII *Augusti*: ad quam proinde amandandi sunt illi episcopi, quos nominat Holstenius *in notis ad Cluverianam Italiam pag.* 57. secus ac ille arbitrabatur. Demum in actis inventionis & translationis corporum sanctorum *Abundii* & *Abundantii* factæ anno millesimo primo jussu *Ottonis* III. Imperatoris *Crescentianus* episcopus sanctæ *Castellanæ ecclesiæ*, atque etiam ipsa Civitas *Castellana* nominantur pag. 28. historiæ eorundem martyrum editæ *Romæ* anno MDLXXXIII. à Collegio *Romano* Societatis Jesu typis *Francisci Zannetti*.

V. Quo tempore urbs *Faleriorum* diruta sit, & *Falaris* ædificata, quum *Zonaras* id non expresserit, certo definire non licet, nisi quod incli-
82 nante Imperio post cruentas illas Christianorum persequutiones id ego factum opinor. non enim moror *Famianum Nardinum*, virum alioqui in antiquitate eximie peritum, dum in libro, quem inscripsit *l'Antico Vejo*, parte secunda capite quarto ita accepit verba *Zonaræ*, ac si diceret *Falerios destructos* fuisse à *Manlio Torquato*; quum particula *tandem* ὕστερον luculenter ostendat ab Historico tradi eam ruinam accidisse longo tempore post *Manlium*, qui eam urbem subegit anno U. C. DXII. ut patet ex Fastis Capitolinis apud *Gruterum pag.* CCXCVII. neque *Ordo & Populus* ejusdem Coloniæ *Faliscorum* monimentum dicare potuissent Imperatori, si eorum urbs pridem interiisset florente Republica. Quod si vero in Itinerario *Antonini* nulla *Faleriorum* fit mentio, id neutiquam factum est propterea quod tunc, quando conscriptum fuit Itinerarium, illi non starent; sed quia non erant in ipsa via *Flaminia*, quam percurrit Itinerarium. Stabant vero inter *Ocriculos* & *Romam* ubi eorum situm designaverat Strabo: ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον μεταξὺ Ὀκρίκλου, καὶ Ῥώμης: hoc est *Faleriorum* opidum *positum est* JUXTA *viam Flaminiam inter Ocriculos, & Romam*, ubi nimirum occurrit Civitas *Castellana*; non ergo ubi exstitit *Falaris*, procul scilicet in via *Amerina*, quæ una fuit ex novem viis militaribus, non secus ac rami suo stipiti, viæ *Flaminiæ* cohærenti-
83 bus, ut in laudatissimo opere de publicis & militaribus Imperii *Romani* Viis adnotavit Nicolaus Bergerius *libro tertio sectione vicesima secunda num.* 9. in *Græviano Thesauro Antiquitatum Romanarum tomo decimo pag.* 287. Eandem viam *Amerinam* per mediam *Falarim* transisse suis oculis vidit *Holstenius*, ut testatur *in notis ad Cluverium pag.* 59. In hac autem nostra explicatione loci *Strabonis* particulam ἐπὶ non pro *in*, sicut in vulgatis interpretationibus legitur, sed pro *apud*, *juxta*, *prope*, accipimus, sive pro *Græca* particula παρὰ, pro qua illam in oratione numeris soluta interdum usurpari suo exemplo docet *Thucydides*: quare ejus Scholiastes *in librum tertium capite sexto num.* VIII. *pag.* 151. novæ elegantissimæ editionis *Oxoniensis* per *Johannem Hudsonium* adornatæ, ἐπὶ, inquit, ἀντὶ τοῦ παρά. Idem Thucydides *in libro secundo capite tricesimo secundo pag.* 102. ἐπὶ Λοκροῖς τοῖς Ὀπουντίοις νῆσος, *insula juxta Locros Opuntios, vel Locris Opuntiis finitima*; & *libro tertio capite undecentesimo pag.* 205. ἐπὶ τῷ Ἅληκι ποταμῷ *juxta*

A *flumen Halecæ*. Hinc alucinatur doctissimus Cluverius *pag.* 544. *Italiæ antiquæ*, ubi explicans eundem locum *Strabonis*, totus in eo est, ut illam particulam ἐπὶ pro *in* tantummodo accipiendam mordicus tueatur. Ceterum antiquus viæ *Flaminiæ* ductus transibat *Tiberim* duobus M. P. sub Civitate *Castellana*, atque opido *Galesio* usque ad
pontem Augusti: quem veterem ductum *Sixtus* V. & *Clemens* VIII. Pontifices maximi, ut nunc est mutari jusserunt, teste Holstenio *in notis ad Cluverium pag.* 58. 84
Licet vero ex his neutiquam eliciatur urbem *Faleriorum* jam solo æquatam fuisse dum viveret auctor Itinerarii *Antonino* attribu-
B ti, nempe ævo *Symmachi* & *Rutilii Numatiani* circa finem sæculi quarti, quæ est eruditissimi Casparis Barthii sententia *Adversariorum libro quadragesimo quincto capite decimo tertio*; attamen ex Ammiano *in libro vicesimo tertio capite quincto* colligitur jam multo ante annum CCCLXIII. eam facto cessisse; siquidem ibi *Julianus* Imperator ita loquitur: *Faliscos ita oppressit* (Mars) *& Vejos, ut suadere nobis laboret monumentorum veterum fides, ut has Civitates aliquando valuisse credamus*: quæ verba tantum non exscripsit Jornandes *in libello de Regnorum successionibus*, pro *valuisse*, supposito verbo *fuisse*, quod forte in urbe *Faliscorum*
C sexto sæculo, quo scripsit idem *Jornandes*, nihil antiqui amplius superesset. Ejusdem viæ *Flaminiæ* ductum, qui obliquo & sinuoso itinere prope Civitatem *Castellanam* flectitur, nunc magno viatorum commodo & urbis ipsius emolumento, binas asperrimas rupes conjungente, qui modo exstruitur ponte lapideo immensæ altitudinis, bre-
viorem & faciliorem reddi solertissime curat JOSEPHUS RENATUS IMPERIALIS CARDINALIS amplissimus pro munere suo, quo præest Congregationi, quam vocant boni Regiminis: in cujus Eminentissimi Principis Bibliotheca, omni librorum genere instructissima, hæc ego in literas mitto. 85

D VI. Quod vero ante redditam ecclesiæ pacem *Falerii* adhuc starent videtur educi posse ex *Usuardo*, qui in Martyrologio pridie idus Augustas hæc habet: *urbe Phalari passio Graciliani & Felicissimæ Virginis, quorum primum ora pro Christo lapidibus contusa, dehinc gladio percussi optatam martyrii suscepere palmam*: ubi non *Phalari*, sive *Falari*, ut est in codice meo MS. sed *Faleriæ* esse legendum, ex monumentis Civitatis *Castellanæ*, in qua horum sanctorum corpora adservantur, docet magnus Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum*: idque etiam constat ex epitome actorum sancti *Eutitii* (cujus corpus colitur in parœcia
E *Hortana*) apud Philippum Ferrarium *in Catalogo Sanctorum Italiæ* die quincta Maji, ubi *Gracilianus* & *Felicissima* dicuntur ex urbe *Faleriorum*: eosque etiam ibidem passos tradi in actis MSS. integris apud se exstantibus affirmavit celeberrimus hagiographus Godefridus Henschenius *in tomo tertio Maji Bollandiani pag.* 458. in quibus tamen quod dicantur martyrio coronati anno IV. Impe-
rii *Claudii*, non de *Claudio* I. sive anno Christi 86
quadragesimo quarto videtur continuo admittendum. Is enim Imperator nullam persequutionem Christianis indixit; quare Franciscus Maria Florentinius in opere postumo novissime edito *de prima Tusciæ Christianitate capite decimoquarto pag.*
F 177. putabat eadem acta referri debere ad *Claudium* II, qui *Gallieno* successit anno CCLXVIII. non CCLXVII. ut ipse scribit. Sed quamvis id verum esset, annum Imperii IV. nullum haberemus, ut optime animadvertit *Henschenius*, non tamen ob caussam, quam ipse adducit, quod nempe *Claudius* vix biennium excesserit; etenim accuratissimus Sebastianus Tillemontius *in Historia Imperatorum tomo tertio nota* III. *in Aurelianum pag.* 530. multis argumentis innixus ait, dici non posse quod

Claudius obierit ante annum III. Imperii, quo volvebatur annus Christi CCLXX. Minus assentior *Henschenio* ubi putat *Claudii* istius secundi & *Aureliani* persequutionem geminam in unam confusam, eoque deceptum auctorem actorum, *Claudium* scripsisse ubi scribendus fuerat *Aurelianus.* quippe *Antonius Pagius* in antiquitate sacra & profana summa cum laude versatus, *in Critica Baroniana anno* CCLXVIII. *num.* V. negat *Claudium* ecclesiam persequutum fuisse, idque contra *Baronium*, qui anno CCLXIX. num. IV. ex argumento quorundam actorum, quæ supposititia existimat *Pagius*, scripserat *Claudium* II. edictum in Christianos promulgasse. Verum & si nemo ex vete-
87 ribus persequutionis ab eo motæ meminerit, fieri potuit, ut illius Rectores & Præsides Christianos suppliciis affecerint: & proinde dum sancti *Gracilianus* & *Felicissima* dicuntur passi anno IV, *Claudii*, vel in acta error obrepserit, & legendum erit anno III. vel scriptor actorum initium Imperii *Claudii* duxerit ab anno CCLXVII. quando idem *Claudius* una cum *Marciano* ex Imperio expulit *Gothos*, unde Senatus tunc statuam illi erigendam, & eum Consulem & Præfectum inaugurandum decrevit: quod disertissime *Tillemontius* statuit sub anno CCLXVII. in *Gallieno*, *articulo* XVII. *pag.* 358. *tomi tertii Historiæ Imperatorum.* Proinde sancti Martyres sub *Claudio* II. in urbe *Faleriis*, hoc est in Civitate *Castellana* ubi hodieque coluntur, recte dici possunt morte damnati. Ex his propterea apparet, *Usuardum* vetus nomen *Faleriis*, quod in actis eorundem Martyrum legerat, in recens, nempe *Falari* mutasse, quo nova hæc urbs è *Faleriorum* ruinis exstructa ejus tempore appellabatur: quæque perdurasse videtur etiam septimo sæculo, quum ab *Anonymo Ravennate*, qui tunc vixit, dicatur *Faleris.* In Tabula autem *Peutingeriana* inter opera *Marci Velseri pag.* 742. distat XII. millia passum à *Castello Amerino*, & V. à *Nepe*, ubi tamen X. legendum putat *Cluverius.* Sed re-
88 vera *Falaris* à *Castello Amerino* sive *Bassano* distat *milliaribus octo cum dimidio*, ab *Ortana* colonia *decem*, & à Nepe *quinque* duntaxat. Quare in eadem Tabula eo intervallo non *Falaris*, sed ipsa urbs *Faliscorum*, sive Civitas *Castellana* denotatur. huic enim convenit idem spacium: ex quo evincitur Tabulæ antiquitas, utpote quæ conscripta fuerit adhuc stante urbe *Faleriorum*, nisi forte spacium unius urbis ob similitudinem nominis ad aliam fuerit erronee translatum.

VII. *Castellum Amerinum* jam dictum ex numeris milliarium in Tabula dispositis est *Bassanum* in finibus *Hortanis*, ut colligit *Cluverius pag.* 552. etenim fallos puto qui *prædia Amerina*, quæ perambulabat junior *Plinius* quando lacum Vadimonis inspexit, de quo agam inferius, ad urbem *Ameriam* referri putaverunt: quibus accessit etiam *Holstenius* geographiæ veteris studiosissimus *in notis ad Ortelium pag.* 201. ubi hæc *prædia Amerina* sic interpretatus est: *quia Ameria ex adversa Tiberis ripa imminet.* Ea potius spectasse videntur ad Castellum *Amerinum* eidem lacui imminens in dextera *Tiberis* ripa: licet etiam ex sinistræ *Tiberis* ripæ edito loco in agro *Amerino* ubi modo est Castrum *Jovii*, æque conspici lacus potuisset: sed quia *Plinius* ait se pervenisse ad lacum ipsum, nulla facta mentione *Tiberis*, sine cujus tamen trajectu ad lacum pervenire non poterat, facile inclino, ut cre-
89 dam *prædia* illa *Amerina* prosoceri sui, quæ ipse perambulabat, non fuisse in ditione *Ameriæ*, sed in agro castri *Amerini*, cui subjacet lacus. Præstat adducere verba *Plinii*, licet totam epistolam infra sim recitaturus: *exegerat prosocer meus, ut Amerina prædia sua inspicerem. Hæc perambulanti mihi ostenditur subjacens lacus, nomine Vadimonis, simul quædam incredibilia narrantur. Perveni ad*

A *ipsum.* Distat *Castellum Amerinum* M. P. VIII. ab *Ameria* ex adverso atque è conspectu ejusdem urbis, quam *Festus* & alii non in *Etruria*, in qua fuit *Castellum Amerinum*, à via *Amerina* forte sic denominatum; cujus quidem viæ *Amerinæ* fit mentio in lapide *Auximano* apud *Gruterum pag.* CCCCXLVI. *num.* 4. sed in *Umbria* ad unum omnes locaverunt. Quare nutat sententia *Cluverii*, qui *pag.* 634. suspicatur admodum credibile esse, *Hortam Ameriæ* ditioni fuisse attributam (quamvis id haud *temere* adfirmandum censeat) & ejusdem *Ameriæ* agrum ultra *Tiberim* in *Etruriam* usque pertinuisse. Distat *Ameria* quinque milliaribus à Colonia *Horta-*
B *na*, *sex* vero *& quinquaginta* ab urbe *Roma*, ut testatur Cicero *in Oratione pro Sex. Roscio* juniore *cap.* VII. ubi ait: *quum Sex. Roscius senior ejus parens post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuncius hic Ameriam venit. decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit*; non tamen per viam, qua ex urbe *Hortam* itur, quæ erat *cisiis* impervia, licet brevior; sed per *Amerinam*, longiorem quidem, sed *cisiis* facile perviam. Hanc viam, non illam *Hortanam*, innuit *Cicero*, per *Sex. Roscium* juniorem ex Urbe *Ameriam* tam brevi spacio confectam. Hæc porro dicta sint contra illos, qui iter hoc *Amerinum* cum
C *Hortano*, de quo egi *pag.* 3. imperite miscuerunt. Consule *Diarium literatorum Italiæ tomo* XXII. *pag.* 96. Cato apud *Plinium libro* III. *capite* XIV. tradit, *Ameriam ante Persei bellum conditam annis* DCCCCLXIV. Bellum id *Persicum* seu *Macedonicum* secundum, initium cepit anno U. C. DLXXXII. *P. Licinio Crasso* & *C. Cassio Longino* Coss. ex Stephano Pighio *in Annalibus tomo altero pag.* 366. *periodo Juliana* MMMMDXLIII. secundum calculos Jacobi Usserii *in Annalibus pag.* 314. ante epocham Dionysianam CLXXI. Condita igitur fuit *Ameria* annis ante natalem Urbis rerum dominæ CCCLXXXII. ante Christum natum MCXXXVI. ab
D *Amiro* nescio quo, si credimus *Festo Pompejo.* Fuit municipium, ut non semel testatur *Cicero* & epigramma 5. CCCCLXXXV.

VESBINVS. AVG. LIBERTVS
PROC. MVNIC. CAER. II. VIR. QQ
X. VIR. STLITIB. IVDIC. PATR. MVNIC
AMERIAE. VI. VIR. AVGVSTAL

Vesbinus hic procurator municipii *Cæritum* sive *Agyllinorum*, fuerat patronus municipii *Amerini*, & nescio quid necessitudinis habuisse videntur *Amerini* cum *Cæritibus.* nam insignis tabula marmorea ejusdem *Vesbini pag.* CCXIV. dicitur DATA PRID. IDVS. SEPTEMBR. AMERIAE
E ACT*a* vero IDIB. IVNIS. Q. NINNIO HASTA. P. MANILIO. VOPISCO. COS qui nomen Fastis dederunt anno vulgari CXIV. Hoc tamen haudquaquam est insolens. duo enim munera in variis civitatibus ab uno eodemque homine exercita, alibi occurrunt. M. ARMONIVS fuit SEX. VIR. FORO. CORNELI. ET. SEX. VIR. JVLIA. CONCORDIA apud Adriensem Episcopum *de Colonia Foro-Juliensi pag.* 344. Cluverius *in libro altero Italiæ antiquæ pag.* 634. scribit, Ameriam *Augusti jussu* Coloniam fuisse deductam, *Frontino* in testem vocato, in cujus *libello de Coloniis* hæc leguntur: *ager Ame-*
F *rinus lege Imperatoris Augusti est adsignatus veteranis.* Sed vir doctissimus fallitur. aliud enim est *Coloniam deducere*, aliud *agrum adsignare* vel *dividere*, ut evolventi eundem *Frontinum* patebit: idque amplius certissimum fit ex lapide jam adducto, ubi sub *Trajano Ameriam* adhuc *municipium* fuisse evincitur. *Castellum Amerinum* indicatur in Constitutione *Ludovici* I. Imperatoris, cujus exemplum vetustis *Langobardorum* literis exaratum se habuisse testatur *Massa.* Ibi Summus Pontifex confirmatur in dominio *Romæ*, aliarumque urbium

bium in *Tuscia*: inter quas est *Nepe*, *Castellum*, *Gallesium*, *ORTA*, *Polimartium*, *Ameria*. nam referri non potest hocce *Castellum* ad Civitatem *Castellanam*; quæ nunquam appellata est *Castellum* solitarie: quod tamen opinabatur *Nardinus pag.* 159. At recte quidem refertur ad *Castellum Amerinum*: quo nomine castrum *Bassani* designatur in *Tabulis Peutingerianis pag.* 739. Eam *Ludovici* Constitutionem ex parte publicaverat Ivo *in Decreto parte* 1. *Cap.* 55. Gratianus item *in Decreto parte* 1. *Distinctione* LXIII. *cap.* XXX. & Raphael Maffejus cognomento Volaterranus *in libro* III. *Geographiæ pag.* 21. operum editionis *Frobenianæ anni* 1544. Integram postea vulgavit Ca-
92 rolus Sigonius in *libro quarto de Regno Italiæ*, & ex quatuor codicibus Vaticanis Cæsar Baronius *in magnis Annalibus anno* DCCCXVI. *num.* XI. Item Melchior Goldastus *in Constitutionum Imperialium tomo secundo pag.* 11. deinde Stephanus Baluzius *tomo primo Capitularium col.* 591. & Carolus le Cointe *in Annalibus ecclesiasticis Francorum sub anno* DCCCXVII. *num.* VI. apud quos ubique legitur: *Castellum Gallesii*, non autem *Castellum*, *Gallesium*, duo diversa loca, quemadmodum in suo apographo legerat *Massa*. At Pagius *in Critica Baroniana* hanc *Ludovici* donationem commentitiam appellare non dubitat æque ac *Constantinianam*: ejusque rationes, quas hic perpendere non vacat, videri possunt anno DCCCXVII. num. VII. Sed vir doctissimus hæc hausit, quod nollem, ex turbidis fontibus *Goldasti* & *Caroli Molinæi*, quorum nomina ideo silentio præteriit. Interim consule Jura Sedis Apostolicæ in Civitatem *Comaclensem*, ubi *Ludovicianum* diploma perpetuo scriptorum æqualium & subsequentium testimonio comprobatum, à putidissimis eorundem commentis & ceterorum hostium *Romanæ* ecclesiæ undequaque vindicavimus, & quidem generatim plaudentibus viris doctis & probis: quod citra ullam verbi invidiam dictum volumus.

93 CAPUT V.

SYNOPSIS.

I. *Unica urbs aliquando Colonia, & municipium appellata.* II. Æqui Falisci *haud diversi ab* Etruscorum Faliscis *contra* Salmasium. III. Antonii Massæ Hortam *in* Faliscorum *agro statuentis opinio rejecta.* IV. *Lacus* Vadimonis *cum aliis inepte confusus: ejusdem situs: male per* Josephum Scaligerum *locatus in* Umbria, *& per* Annium *à Deo* Vadimone *denominatus. De eo* Plinii *junioris testimonium. Res apud illum patratæ.* Abrahamus Ortelius *contra* Lucam Holstenium *defensus* V. Carolus Sigonius *ab* Anniano Catone *deceptus.* Sotion *emendatus. Ejusdem lacus singulares virtutes.*

HActenus disseruimus de urbe *Faleriorum* occasione inscriptionis *Hortanæ*, in qua eadem urbs nuncupatur *Colonia*: quippe deducta fuit à Triumviris, ut scribit *Frontinus*, qui eam *Junoniam* cognomento appellat, quod *Junonem* impendio colerent illi *Falisci*, ut *Ovidius*, aliique testantur. Nec quicquam obstat, ut credit Nardinus *in antiquo Vejo pag.* 155. inscriptio ab ipso adducta *pag.* 141. & in Civitate *Castellana* reperta, in qua urbs ubi effossa est vocatur *Municipium*,
94 non vero Colonia. siquidem adeo insolens non est, ut ipse putat, unam eandemque urbem municipium & Coloniam fuisse, uti de *Ortona* in *Aprutio* constat ex lapidibus apud Jacobum Sponium *in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis sectione quinta pag.* 174. Sic Cicero *Philippica decima tertia* commendat *lautissimum oppidum, nunc municipium honestissimorum quondam Colonorum Suessana*: quam urbem *Romanos L. Papirio Cursore* IV. & *C. Junio*
A *Bubulco* II. Coss. anno U. C. CCCCXL. Coloniam fecisse tradit Livius *libro nono capite undetricesimo*: quæ tamen ætate *Ciceronis* erat municipium. Sic & *Hadrianus* Imperator apud Agellium *libro decimo sexto capite decimo tertio* ait se mirari quod *quædam municipia antiqua quum suis moribus legibusque uti possent, in jus Coloniarum mutare gestiverint*: & Fabrettus *capite sexto pag.* 464. ostendit Colonias ipsas & earum Cives aliquando municipia & municipes appellari. Utrunque nomen iisdem oppidis pro mutata quandoque eorum conditione in antiquis monumentis ac apud auctores subinde tribui nuper quoque observavit V. C. Ezechiel Span-
B hemius *in Orbe Romano exercitatione prima capite decimo sexto pag.* 130. ubi à *Fabretto* hac de re consultus, *Vejorum* urbem *Coloniæ* nomine à *Frontino*, & *Augustum municipium* in saxo ibidem effosso dictam fuisse animadvertit.

II. Sed neque prætereunda videtur opinio *Clau-* 95
dii Salmasii, qui in Exercitationibus Plinianis *tomo primo pag.* 60. quum *Faliscos*, *Æquos* cognominari vidisset à *Strabone* aliisque, eos putavit diversos à *Faliscis* illis, qui à Plinio *libro tertio capite quarto* dicuntur cognomento *Etruscorum*. Hos arbitratur eos, de quibus hactenus loquuti sumus: illos vero in via *Flaminia* prope *Soractem* montem
C statuit: in quorum agro *Hirpinas*, sive *Hirpias* familias exstitisse *Plinius* affirmat. Harduinus etiam *in notis ad Plinium* ait Coloniam *Faliscam* cognominari *Etruscorum*, *ut ab altera Falisca, quæ Æquorum dicitur, eo cognomine dirimatur*. Sed rem accurate perpendens unius tantum oppidi territorium eo usque protensum fuisse haud difficulter agnoscet, atque *Æquos* (alios ab *Æquis* sive *Æquiculis* in *Latio*) sic dictos non *ab æqua planicie*, ut somniavit *Nardinus pag.* 153. sed quia ab Haleso *æqui* servantissimo oriundi, ut notavit Claudius Dausquius *ad Silium Italicum libro* VIII. *pag.* 364. est enim ille *Ægisti* detestatus iniquitates: un-
D de *Ovidius*, cujus conjux erat *Falisca*, in libro III. *Amorum elegia* XIII. ita canit:

Argiva est pompæ facies. Agamemnone cæso
Et scelus & patrias fugit Halesus opes;
Jamque pererratis profugus terraque fretoque,
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos.

Faliscos etiam ideo ab *æquitate* commendatos o- 96
stendit *Cluverius pag.* 538. quod *Romanis* jura fecialia tradidissent. *Etrusci* vero appellati sunt, ut distinguerentur à *Faliscis Chalcidensium* Colonis, qui erant in *Campania*, ut supra ostendimus ex *Justino*: nostri enim *Falisci*, de quibus loquimur,
E in *Etruria* comprehendebantur, ut plerique veterum docuerunt; licet Strabo *libro quinto* affirmet ab aliquibus existimatum eos non fuisse *Etruscos*, sed *peculiarem gentem peculiari utentem lingua, urbemque eorum Falerios, quam nonnulli Æquum Faliscum vocant*. Ejusdem sententiæ videtur fuisse antiquissimus Poëta *Gratius Faliscus*, qui in Cynegetico populares suos alios facit à *Latinis* & *Tuscis* ita canens:

bonus Æoliæ de valle Sibyllæ
Fœtus, & aprico Tuscorum stupea campo
Messis, contiguum sorbens de flumine rorem,
Qua cultor Latii per opaca silentia Tibris
F *Labitur, inque sinus magno venit ore marinos;*
At contra nostris imbellia lina Faliscis. &c.

III. Atque hinc *Massæ* opinio refellitur, dum *Hortam* locat in *Faliscis*. nam hos non fuisse *Etruscos* aliqui affirmarunt; at vero *Hortam* in *Etruria* sitam esse nemo unquam in dubium revocavit. Immo quum idem *Massa* scribat terminos *Faliscorum* extensos non fuisse ultra *Vadimonis* lacum, quem in *Etruria* situm testatur Florus *li-* 97
bro primo capite decimo tertio, vel inde patet *Hortam* extra *Faliscos* exstitisse, & gentem & agrum

per se constituisse. nam idem lacus est in territorio *Hortano* duo millia passuum ab urbe distans: quod ex diligenti examine tradidit primum Leander Albertus *in descriptione Etruriæ* mediterraneæ contra *Blondum* & *Volaterranum* (quorum ille cum lacu montis *Rosuli*, alter vero cum *Viterbiensi* inepte confuderat) & deinde Andreas Baccius *de Thermis libro quarto capite decimo quincto*: idque Plinii testimonio *libro octavo epistola vicesima*: qui eum non alibi constituere potuit, quam sub *Hortana* Civitate: nullus enim alius lacus in hoc tractu *Tiberino* apparet. Illum propterea in *Etruria Ciscimminia*, quæ est inter *Tiberim*, regionem maritimam, & *Ciminia* juga, locavit Carolus Sigonius *in libro primo de antiquo jure Italiæ capite nono.* Ultra vero *Cimini* montis jugum temere statuit Georgius Fabricius *in Itineribus suis metro descriptis*, & *Basileæ* per *Johannem Oporinum* anno MDLX. vulgatis, ubi *pag.* 33. ita canit:

Ulterius lacus est, prope quem Romanus Etruscas
Fregit opes, armis belli melioribus usus,
Qui latera exesus præcelsi grandia montis
Stagnat, & instabili cui fluctuat insula motu.

Hinc & Josephus Scaliger *Commentario in Propertium* perperam confudit tetrum & sulphureum 98 hunc lacum cum pellucido *Clitumni* fontis gurgite apud *Mevaniam* in *Umbria*: qui propterea jure vapulat ab adversario suo Caspare Scioppio *epistola decima tertia in Paradoxis literariis*, quæ sub nomine *Paschasii Grosippi* circumferuntur ubi & tabulam exhibet, in qua *Vadimonis* lacus apparet *in Etruria plusquam* XXX. *passuum millia à Mevaniæ campo remotus*, *interjectis altissimis montibus.*

IV. Mira sunt quæ de prodigioso hoc lacu ex visu narrat *Plinius* epistola superius laudata, qui eum & *sacrum* appellat: ex quo *Viterbiensis* impostor in fictitio *Beroso* ansam arripuit fabulandi præfuisse illi quendam Deum *Vadimonem*, *Tuscorum* lingua *Vertumnum*, & *Janum Romanorum*, ut ait, vocitatum: quas nugas exoticas statim ebibit *Massa*, quamvis emunctissimus Lilius Gyraldus in fine *syntagmatis quarti de* DIs *Gentium* eas pridem pro merito despexisset. Nihil magis moror Johannem Goropium Becanum, qui *in suo Vertumno pag.* 44. dum explodit *Anniana commenta de Vadimone* ab *Aramæo* sermone deducta, alia iterum obtrudit à sua *Cimbrica* lingua derivata. Non abnuerim tamen hoc nomen *Vadimonis* lingua illa antiqua *Etruscorum* aliquid aliud à lacu significasse; nam ipsi Reges suos *Lucumones* appellabant, ut tradit *Servius* in librum secundum & octavum 99 *Æneidos*: & Dionysius *libro tertio capite quadragesimo sexto* hoc nomen *Etruscum* esse testatur: quæ quidem vocabula sibi partim assimilari videntur, quemadmodum observavimus *capite primo num.* VII. Eam *Plinii* epistolam quum *Cluverio* & Claudio Dausquio *in libro de terra & aqua capite undecimo* integram referre placuerit, ego quoque hic totam ob oculos lectoris repræsentabo.

C. Plinius Gallo suo S.

AD quæ noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi, longinqua sectemur: seu quod omnium rerum cupido languescit quum facilis occasio est: seu quod differimus tanquam sæpe visuri quod datur videre quoties velis cernere. Quacunque de caussa permulta in urbe nostra, juxtaque urbem non oculis modo, sed ne auribus quidem novimus. Quæ si tulisset Achaja, Ægyptus, Asia, aliave quælibet miraculorum ferax commendatrixque terra, audita, perlecta, lustrataque haberemus. Ipse certe nuper, quod nec audieram ante, nec videram, audii pariter & vidi. Exegerat prosocer meus, ut Amerina prædia sua inspicerem. Hæc perambulanti mihi ostenditur subjacens lacus nomine Vadimonis: simul quædam incredibilia narrantur. Perveni ad ipsum. Lacus est in similitudinem jacentis rotæ circumscriptus, & undique æqualis: nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria, & quasi artificis manu cavata & excisa. Color cæruleo albidior, viriaior, & pressior: sulphuris odor, saporque medicatus: vis, qua fracta solidantur. Spacium modi- 100 *cum, quod tamen sentiat ventos, & fluctibus intumescat. Nulla in hoc navis (sacer enim est) sed innatant insulæ herbidæ, omnes arundine & junco tectæ, quæque alia fœcundior palus, ipsaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, ut modus: cunctis margo derasus; quia frequenter vel littori vel sibi illisæ terunt teruntur que. Par omnibus altitudo, par levitas: quippe in speciem carinæ humili radice descendunt. Hæc ab omni latere perspicitur: eadem aqua pariter suspensa & mersa. Interdum junctæ copulatæque & continenti similes sunt: interdum discordantibus ventis digeruntur: nonnunquam destitutæ tranquillitate singulæ fluitant. Sæpe minores majoribus velut cymbulæ onerariis adhærescunt: sæpe inter se majores, minoresque quasi cursum certamenque desumunt. Rursus omnes in eundem locum appulsæ, qua steterunt promovent terram, & modo hac, modo illac lacum reddunt auferuntque: ac tum demum quum medium tenuere, non contrahunt. Constat pecora herbas sequuta sic in Insulas illas, ut in extremam ripam procedere solere, nec prius intelligere mobile solum, quam littore abrepta, quasi illata, & imposita circumfusum undique lacum pavent. Mox quo tulerit ventus egressa non magis se descendisse sentire, quam senserint adscendisse. Idem lacus in flumen egeritur, quod ubi se paulisper oculis dedit, specu mergitur, alteque conditum meat: ac si quid antequam subduceretur accepit, servat & profert. Hæc tibi scripsi, quia nec minus ignota quam mihi, nec minus grata credebam. Nam te quoque, ut me, nihil æque ac naturæ opera delectant. Vale.*

Non solum vero hic lacus celebris est in veterum scriptis ob mirandam & plane prodigiosam naturam, quæ eidem inest; sed etiam ob memo- 101 randos bellorum eventus, quibus apud illum varie lusit *Romanorum* fortuna. Etenim scribit Polybius *libro altero*, apud lacum *Vadimonis Bojos*, *Etruscis* advocatis, cum *Romanis* acie instructa prælium iniisse; & Livius narrat *libro nono capite undequadragesimo* adversus *Romanos* magno irarum certamine pariter depugnasse eosdem *Etruscos* apud lacum Vadimonis *lege sacrata coacto exercitu*, nempe sacramento adactos nonnisi victores se redituros, ut bello in *Etruscos* quoque à *Romanis* antea factum testatur idem Historicus *libro altero capite quadragesimo quincto*: quod ideo monitum volui, quia nonnemo apud *Leandrum Albertum* satis insulse, fortassis ex eo *Livii* testimonio male intellecto, opinatus est milites recens delectos ibidem Imperatoribus suis fidelitatis juramentum præstare consuevisse, epota ejusdem lacus unda. Ibi & *Dolabellam* reliquias *Gallorum Senonum* delevisse tradidit Florus *libro primo capite decimo tertio*, nempe in æquissimo & spaciosissimo campo, *Vallis Hortana* appellato, qui circa lacum *Vadimonis* subjacet *Bassano* opido, à quo vulgo plerunque dici solet *il lago di Bassano*, non vero *di Bassanello*, ut aliqui perperam scribunt; quibus præivit *Albertus*: licet enim *Bassanellum* jaceat quoque in finibus *Hortanis*, à lacu tamen longius abest meridiem versus: quare *Lucas Holstenius* injuria obelo confixit *Ortelium*, qui *Vadimonis* la- 102 cum appellaverat *opidi Bassani*, pro quo ipse *Bassanelli* obtrusit *in notis pag.* 201. Eandem planiciem *Hortanam* designare videtur Lucanus *in libro primo v.* 473.

Est qui tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Asserat; & qua Nar Tiberino illabitur amni
Barbaricas sævi discurrere Cæsaris alas.

Nar enim, uti jam diximus *capite primo num.* IV. juxta *Hortam Tiberi* se immiscet.

V. Eam de *Gallis* victoriam memorari in originibus *Catonis* tradit Sigonius *in libro primo capite nono de antiquo jure Italiæ*, hæc verba inde in medium adducens: *Turrenus, patre Elbio Volturreno, Regum Etruscorum ultimo, ac lacum Vadimonis cæso, ad dedendam urbem Etruriæ anno secundo Olympiadis* CXXIV. *allici potuit: sed ad recipiendas latinas literas nunquam persuaderi potuit.* Sed hæc

sunt

ſunt ſomnia Anniana, à quibus tantum virum, ac fuit *Sigonius*, deceptum fuiſſe merito dolet vir palatinis muneribus ac doctrina inſignis Johannes Baptiſta Agucchius *in epiſtola Italica de priſca origine & dominatu Civitatis Bononienſis.* Lacum *Vadimonis* indigenæ appellant *il lago di Valdemonio*, quod vetulis ob nominis ſimilitudinem occaſionem dedit fabulandi intus latere dæmonem. Ceterum
103 adhuc ſicut tempore Plinii *in ſimilitudinem rotæ circumſcriptus apparet, & undique æqualis: nullo ſinu, obliquitate nulla, colore cæruleo albidiore, & vividiore, odore ſulphureo, ſaporeque medicato.* Sed tamen ſpacio longe, quam olim breviore, quod *inſulas pecora ingreſſa* portantes ferre in media non poſſit; quarum meminit *Sotion* mox adducendus, Seneca *naturalium quæſtionum libro tertio capite viceſimo quincto*, & Plinius ſenior *libro ſecundo capite nonageſimo quincto.* Neque ego aſſentior Johanni Lomejero, qui *capite decimo ſeptimo de veterum Luſtrationibus* ex eo, quod *Plinius* dicat, *nulla in hoc navis (ſacer enim eſt) ſed innatant inſulæ herbidæ*, videtur opinari, lacum adeo amplum fuiſſe, ut intus navigari poſſet, quod tamen facere nefas eſſet. nunquam enim credo navem aliquam, licet exiguam, in illo natare potuiſſe; ſed *Plinium* ita loquutum puto, ut innueret, pro navibus parvas inſulas in lacu huc, illuc vectari: cujus rei duplex cauſſa adſignatur à Seneca *in libro & capite* jam indicatis, nempe *aquæ gravitas medicatæ & ob hoc ponderoſæ; & ipſius inſulæ materia vectabilis, quæ non eſt corporis ſolidi, quamvis arbores alat. fortaſſe enim leves truncos, frondesque in lacu ſparſas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam ſiqua in illa ſaxa ſunt, invenies exeſa & fiſtuloſa, qualia ſunt quæ duratus humor efficit*
104 *utique circa medicatorum fontium rivos: quæ, ubi purgamenta aquarum coaluerunt, ex ſpuma ſolidantur.* Haſce inſulas natantes ex varia levioris & viſcoſæ materiæ miſcella aggeſtas portiones à vento hinc inde agitatas appellat Athanaſius Kircherus *in Mundo ſubterraneo tomo primo pag.* 279. In *fragmentis* Sotionis *de miraculis fontium, fluviorum, & lacuum* hæc leguntur inter *Ariſtotelis* opuſcula varia Græce edita à *Friderico Sylburgio Francofurti* apud *Wechelios* anno MDLXXXVII. ἔστι δὲ καὶ λακοσοῦσα ἡ Ἄμμωνος καλουμένη λίμνη οὐ μεγάλη ἐν Ἰταλίᾳ, ὁμοίως ἔχουσα νησίους πλείονας πάσῃ πνοῇ μετακινουμένας, ubi *Sylburgius* pag. 317. pro λακοσοῦσα ἡ Ἄμμωνος recte monet procul dubio legendum λάκος Οὐαδίμωνος: quæ ſic latine verti poſſunt: *eſt autem & ſtagnum in Italia, lacus Vadimonis appellatum, non magnum, habens parvas inſulas natantes vento agitatas.* Hodie tantum ſupereſt parvi ambitus crater juncetis & vepribus obductus, immenſæ tamen profunditatis, nativas aquas continens, quæ, nulla foris apparente mutationis cauſſa, repente aliquando conturbantur, excurrentibus per lacus cuniculos flatibus, qui & vicinum *Tiberim* excutiunt. Interdum vero, loculis unde tranſeunt disruptis, per annum vix effluunt: vel contra ita exundant, ut avorum memoria plures in *Tiberim* convolverent molas, quarum acervi adhuc ibi conſpiciuntur. Ceterum lacus nec piſces alit, nec gignit, ſed lu-
105 ridos angues & teſtudines colore ſubvirides, ſpiſſæ ſubſtantiæ ac odore ſulphureo, firmandis fracturis utiles, quo nomine eas proponit doctiſſimus *Baccius*, qui etiam tradit tempore penuriæ eum exundare: idque mirandis modis à principio veris egiſſe anno MDLXIX. quo univerſalis annonæ caritas *Italiam* afflixit. Eandem abditam vim ſterilitatem fœcunditatemque prænunciandi, illam quum fluit, hanc quum fluere ceſſat, illi tribuit Kircherus *in Mundo ſubterraneo tomo primo pag.* 288. ubi ait ſe de eodem fuſius egiſſe in ſua *Etruria*, quæ adhuc lucem non vidit. Cauſſa, quæ lacum extumeſcere cogit alia ſane eſſe non poteſt, quam flatus & ſpiritus ſubterranei, qui exitum molientes, dum non inveniunt, per fundum lacus tranſeuntes, aquas in monſtroſos tumores certis temporibus tanto impetu exaltant, ut vita quadam præditæ videantur. Lacui naturam ſulphuris ineſſe ſatis quidem indicant ſcatebræ ſulphureæ ſub vetuſta *Nepe* & ſub *Horta*, unde calidam emanantem, ſulphureamque ex lacuna per veteris ſtructuræ emiſſarium in balnea olim exceptam *Hortini* commemorant, locumque adhuc ad *balnea* vocitari, ubi veterum ædificiorum veſtigia ſæpe eruuntur. Aqua vero, quæ inde irrigua ad *Tiberim* trahitur, temporis ſpacio ingentem producit albi lapidis molem, *Tiburtinum* appellatam: ex quo lapide, qui *Tibure* etiam atque alibi effoditur, efformatas fuiſſe veteres ſtatuas, & 106
inſcripta monumenta obſervat Gauges de Gozze Piſaurenſis *in diſſertatione Italica de baſi Columnæ Roſtratæ pag.* 8. *Baccius* addit ſe exiſtimare, has aquas præter illum ſulphuris fomitem, liquidi aluminis vel ſucci id genus portionem habere, & propterea uſu balnei fore utiliſſimas: quæ nempe ſiccare valeant ulcera, ſcatentes per cutim humores cohibere, & luxata membra corroborare, non ſecus, ac albulæ aquæ *Tiburis*, de quibus agit *libro quincto capite nono.* Ejusdem generis ac fuit lacus iſte *Vadimonis* puto exſtitiſſe illum, quem Strabo *libro decimo tertio in fine Troadis* locat apud *Aſtira*, atque vocari nomine *Sapra*, *qui erumpit in littus mare, aſperis ſaxis in dorſi ſpeciem porrectis aſperum:* atque ſimilis naturæ ſuſpicor aliquid fuiſſe lacui *Meſſurinæ* apud noſtrates *Forojulienſes* in *Alpibus Carnicis* haud longe à tractu, quem *Zeliam* appellant: hic enim nullum producit piſcem, & proxima habuit balnea ſulphurea, quorum veſtigia non ita dudum adhuc apparebant.

CAPUT VI. 107

SYNOPSIS.

I. *Sancti* Landi *martyris acta examinantur.* II. *Inſcriptiones* Herculi *ſacræ.* III. Hercules *Somnialis.* IV. *Heſperides tres cum* Hercule *in tabula* Ortana.

SEd quam falſo hunc lacum *Vadimonis* olim Gentiles ſacrum putaverunt, tam verius hodie apud Chriſtianos & religioſiſſimos *Hortenſes* ejus recordatio magni habenda eſt, quod apud illum ſanctus *Landus* martyrio coronatus fuiſſe tradatur, ut excerpta ex ejus actis teſtantur apud Ferrarium *in Catalogo die* v. *Maji*, & apud Hagiographos Bollandianos *tomo ſecundo ejusdem menſis pag.* 49. unde apud eundem lacum non longe à *Baſſanello* ejus martyris ædicula oſtenditur, in qua ſacratiſſimum corpus populi frequentia honoratur. Sed quod pertinet ad laudata excerpta, ſeu quod acta genuina perierint, vel adhuc inter blattas & tineas alicubi deliteſcant, per dracones theſauris ſuis incubantes abſcondita, quemadmodum ab invidis veterum manuſcriptorum poſſeſſoribus, rei ſacræ & publicæ damno & injuria ſæpenumero 108
fieri videmus: ſeu potius quod ſupina exſcriptorum inſcitia pro arbitrio quædam ſuperaddere voluerit, in illis aliqua ſunt, quæ ſacræ antiquitatis perito negotium faceſſunt. Enimvero ſanctus *Landus* dicitur frater ſanctorum *Feliciſſimæ*, *Valentini*, & *Hilarii*, & paſſus traditur ſub *Domitiano.* At *Feliciſſimam* cum *Graciliano Faleriæ* morte damnatam diximus ſub *Claudio* II. quem inter & *Domitianum* ſeptuaginta ſaltem anni effluxerunt. Sanctos vero *Hilarium* & *Valentinum* ſub *Diocletiano* & *Maximiano Viterbii* paſſos varia acta teſtantur, quæ dabunt *Bollandiani die* III. *Novembris:* neque uſquam in iis actis tam *Feliciſſimæ*, quam *Valentini* & *Hilarii* ſanctus *Lan*-

dus memoratur, quemadmodum animadverterunt *Ferrarius*, & *Henschenius*. Hæc olim neque eruditissimi *Florentinii* fugerunt obtutum, namque is *in Originibus pietatis Etruscæ pag.* 178. putavit in acta sancti *Landi* pro *Diocletiano* male irrepsisse *Domitianum*. Sed nihilominus adhuc superest difficultas ex silentio in actis martyrum, quorum frater sanctus *Landus* fuisse traditur: quæ inde etiam augetur, quod sancti *Valentinus* & *Hilarius* ex oriente in *Italiam* venisse perhibeantur; sanctus vero *Landus* ex *Germania*. Huic ulceri ut mederetur *Ferrarius* scribendum suspicabatur, ex *Græcia* pro ex *Germania*: quam *correctionem* refu-
109 tavit *Henschenius*, quod nomen *Landus* illi *Germanicum* visum fuerit, & detruncatum ex *Rolando*, aut alio simili per consuetam *Etruscis* propriorum nominum mutilationem. Atque inde arbitratus est, a *Langobardis* aliisve barbaris *Italiæ* occupatoribus sanctum *Landum* pro fide Christiana occisum, *Hortæ*que coli cœptum, & proinde ad sæculum VI. referendum, quo scimus alios plures sub *Langobardis* passos. Hæc ego jam exaraveram, quum ex schedis MSS. *Landi Leoncini* canonici *Hortensis* didici, anno 1628. die 25. Martii jussu *Angeli Gozzadini Hortensis* Episcopi reseratum fuisse tumulum sancti *Landi*, atque intus in quodam lateritio lapide hanc inscriptionem repertam.

LANNVS XPI MARTIR
HIC REQVIESCIT SVB
DIOCLETIANO [E. P. S.] PASSVS

Hinc omnes prædictæ conjecturæ & dubitationes evanescunt; & statuitur, hunc sanctum martyrem non LANDUM, sed LANNUM appellatum, non sub *Domitiano*, sed sub *Diocletiano* passum: cujus gestorum memoria quum forte periisset, aliquis rerum & temporum imperitus conscripsit epitomen, quam vulgavit *Ferrarius* ex Fabrica *Hortana*, quæ est rudis, atque indi-
110 gesta multarum rerum sibi minime cohærentium farrago sæculo XVI. in unum compacta, quam ego tractavi apud Illustrissimum NUPTIUM. Literas inferioris laterculi sic interpretatus est Leoncinus: *Eutitius Presbyter sepelivit*: quam explicationem haud respuo, modo non intelligatur sanctus *Eutitius* ille, qui passus fuit sub *Claudio II.* ut indicavi ex actis ejus *tomo tertio Bollandiani pag.* 460. Quî enim hic potuisset sepelire sanctum *Lannum*, sub *Diocletiano* martyrio coronatum?

II. Explicatis utcunque iis, quæ ad *Hortæ* antiquitatem spectare videbantur, quia hæc insuper vetustis inscriptionibus non modice illustrari poterunt, nunc reliquas promam, quæ ex *Hortanis* ruderibus effossæ ad me pervenerunt, asterisco signatis iis, quas in villam suam aliunde advehi curavit modo laudatus amplissimus ANTISTES.

I.

DEO. SANCTO. VVLCANO
INVICTO. HERCVLI
CONSERVATORI
DOMVS. VLPIORVM
SACRVM. M. VLPIVS
VERECVNDVS. EX. VISO
D.

II.

111 DIVO. VVLCANO

Utraque est *Hortæ* in ecclesia parochiali sancti *Petri*: & prior quidem in ara majori, cui pene similem in antiqua basi in *Aventino* sub æde sanctæ *Priscæ* prope Circum maximum repertam recitat Onuphrius Panvinius *in Commentariis Reipublicæ Romanæ pag.* 213. & ex eo *Gruterus pag.* XLV. *num* 10. quam hic exhibeo.

A

HERCVLI
CONSERVATORI
DOMVS. VLPIORVM
SACRVM
M. VLPIVS. .....
VERECVNDVS

Eandem inscriptionem adducit etiam Jacobus Sponius *in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis sectione.* III. *num.* LXII. *pag.* 100. ubi ex duabus prioribus lineis unicam facit, & quinctam supplet his verbis AVG. N. Hercules titulo CONSERVATORIS occurrit *pag.* XLV. 7. 9. 11. qui in nummis Græcis ΣΩΤΗΡ, idest *servator* appellatur,
B non ut belluarum confector, sed ut tyrannorum eversor apud Spanhemium *dissertatione septima* 112
pag. 418. Sicut enim *Hercules* tyrannos evertere, ita optimos principes & populos *servare*, & a tyrannis defendere credebatur, propterea que pagina eadem XLV. 12. & 13. vocatur DEFENSOR *Augustorum*. Eundem *Herculem* fuisse numen tutelare gentis *Ulpiorum* notat Fabrettus *in Commentariis ad columnam Trajani capite sexto, pagina* 172. ita quidem, ut hic Imperator, qui ex ea originem duxerat, passim in nummis, aliisque veteribus monumentis una cum *Hercule* appareat, immo etiam sub *Herculis* facie exhibeatur. Huc
C facit vetus epigramma, quod a se exscriptum *Bruxellis* in bibliotheca Societatis Jesu, nuperrime ad me misit vir celeberrimus & utraque *Pallade* insignis *Gisbertus Cuperus*.

III.

HERCVLI. MA
GVSANO. ET
HAEVA. VLPI
L. V. . PIO. ET. VL
PIA. AMMA. VA
PRO. NATIS
V. S. L. M

quod sic lego: *& Hæva Ulpj liberta* pro *Ulpio*,
D *& Ulpia Amma* pro *Vapro natis votum solvunt lubentes merito Herculi Magusano*. Herculem co- 113
gnomento *Magusanum* cultum fuisse in *Gallia Belgica* ostendit idem Cuperus *in additionibus suis ad Harpocratem pag.* 218. atque ejus fanum circa *Scaldis* ostia olim stetisse notat Abrahamus Ortelius *in Thesauro geographico*, qui non *Macusanus*, ut aliqui in nummis Postumi senioris, sed *Magusanus* legit in saxo a se diligenter inspecto, sicut etiam Vossius *de Idololatria libro primo capite tricesimo quinto in fine*: quam scripturam idem *Bruxellensis* lapis confirmat. Particula ET elegantiæ ergo ex vi linguæ latinæ in principio & medio
E sententiæ geminatur, ut duplex res, de qua fit sermo, iterata particula tanquam duplici vinculo colligetur: quod in inscriptis lapidibus non est insolens; nam *pag.* XLIX. 4. legitur:

D. S.
HERCVLI. * ET
L. VALERIVS SE
VERVS. ET. CLODI
A. CORNELIANA
PRO. L. VALERIO
CORNELIANO
V. S. L. M.

* Ibi legitur HERCULI ET JUNONI BUS L. VAL. &c.

Herculem Hortæ cultum fuisse, & ibi Collegium
F habuisse, ut erant sodalitia, quæ communis numinis cultum, arcam communem, communia- 114
que sacrificia & epulum statis temporibus habebant secundum Fabrettum *capite sexto inscriptionum pag.* 430. nos docet præterea alter lapis, qui cum aliis inferius adducendis servatur in peramœna villa Nuptiana in colle sanctæ *Mariæ Gratiarum* prope Civitatem *Hortanam*.

IV.

L. MINVCIVS. SYNEG
DEMVS. AEDICVLA
HER-

inis
sua
ius
xto
io-
io-

en-
lo-
us,
xto

us
lla
ni-
tis * Vid. Tab.IV. pag. 46.
oi-
n-
& 118
i-
as
n-
e-
ne
di
u-
o-
nt
i-
n-
u-
r-
l,
i-
a-
s-
r-
a-
o-
n
t-
a
t-

-
o 119
n
-
t.
s
t-
i-
n
,
:
is


120

is
is
m
,-

s-
e
e
is
n
e-
id
di
es

TAB. IV.

ΚΑΛΛΙ ΜΑΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ



HERCVLIS. COLLEGIO
DE. SVO. D. D

Huic simillimam inscriptionem recitat Gruterus *pag.* XLIV. *num.* 9. ex *Mazochio* existentem *Romæ* in Capitolio.

L. MINVCIVS
SYNECDEMVS
AEDICVLAM. HERCVLIS
COLLEGIO
D. D.

Ædiculæ autem erant ædes minusculæ incustoditæ, quas *qui tentaverint, amplius quam fures, minus quam sacrilegi mereantur*, ait Paullus J. C. *in*
115 *libro XLVIII. Digestorum tit.* XLIII. l. 9. Hujusmodi ædiculæ, ut aliæ omnes privatæ, nec sacræ nec sanctæ erant, sed religiosæ: *quod enim privati suæ religionis caussa Deo dedicant, id Pontifices Romanos non existimare sacrum:* testatur Festus *libro decimo septimo* verbo *sacer mons.* Quare *M. Ulpius Verecundus* quum nosceret illius numinis aras *Hortæ* maxime frequentari, in eadem Civitate *Hortana*, quemadmodum fecerat *Romæ*, *Herculi* lapidem dicandum curavit EX VISO, quod nempe in somnis monitus fuisset, ut tale monumentum *Herculi* consecraret: quæ formula EX VISO, & EX VISV sæpe occurrit in veteribus saxis, ut notavit ad inscriptionem *Gradensem* V. C. Philippus a Turre *in Dissertatione de* DIs *Aquilejensibus pag.* 302. quum enim Gentiles tres divinitatis notas *somnia*, *curationes*, & *oracula* numerarent, ut eruitur ex Luciano *in oratione de non temere credendo calumniæ pag.* 882. operum editionis *Burdelotii*; ideo quicquid somniabant, id sibi a Deo immissum opinabantur, ideoque illi, quem sibi apparuisse putabant, aras, sacrificia & donaria offerebant, tanquam religione admoniti. Ad hoc forte respexit sanctus Martyr *Justinus* in Apologia secunda pro Christianis, ubi ait, *Dæmones aliquando per insomnia, nonnunquam vero per magicas præstigias cunctos sibi mancipare.*

116 III. Hæc quum dissererem *Johannes Paulus Nurra* Canonicus *Caralitanus*, vir apprime eruditus, mihique necessitudine conjunctissimus, suggessit *Herculem Somnialem*, de quo fit mentio in lapide, quem edidit Salmasius *in Exercitationibus Plinianis tomo primo pag.* 351. & ex eo Reinesius *in supplemento Gruteriano Classe* X. *num.* IV. apud quos vocatur *Romanus*, qui tamen est erutus juxta *Pisas*, & servatur *Florentiæ* apud *Spigliatos*, ut scribit Fabrettus *capite sexto num.* 4. *pag.* 429. ubi eum emendatiorem producit. Ibi Collegium hominum *Herculis Somnialis* cultorum sibi locum sepulturæ conscribit, quemadmodum ab *Herculis* defensoris cultoribus similiter factum *Interamnæ apud Gruterum* CCCXV. 7. Quod vero postremum ex *Herculis Somnialis* cultoribus, temporis injuria, sic notatum videam . . . . VNDVS, ego legendum opinor *M. Ulpius VerecVNDVS* ita quidem, ut hic *Verecundus* idem sit ac ille, qui reliquas duas inscriptiones *Romæ* & *Hortæ* dicavit: quique vixerit tempore *Hadriani* Imperatoris. nam plerique ex iis, qui recensentur in eodem lapide *Herculis Somnialis*, ut detexit Reinesius *Classe* X. *num.* IV. conscripti etiam leguntur in catalogo Magistrorum regionum Urbis apud *Gruterum pag.* CCL. qui confectus est *Commodo* & *Pompejano* Coss. anno U. C. DCCCLXXXVIII. qui est Christi CXXXVI. ut patet ex Fastis. CVL-
117 TORES. HERCVLIS. SOMNIALIS exhibet etiam lapis *Florentinus* apud Sponium *sectione* III. *n.* LXII. pag. 100. *Hercules* ergo quod malorum expulsor, maxime apud veteres, crederetur, inde etiam somniorum immissoris nomine colebatur. nam omnes ὀνειροπομποὶ *somniorum immissores*, utique ἀλεξίκακοι *malorum pulsores* habiti,

A ut notat eruditissimus *Salmasius*. Hinc *in somnis Hercules docuit*, M. Octavium Herennium *sua ope servatum* a prædonibus, ut fabulatur *Massurius Sabinus* apud Macrobium *libro tertio capite sexto Saturnaliorum. Fabrettus* alteram hanc inscriptionem recitat *capite decimo num.* 130.

HERCVLI. SOMNIALI
EX. ORACVLO

Solebant enim veteres ad captandos rerum eventus somnia quærere excubantes in delubris Idolorum: quam fatuitatem sæpius irridet *Lucianus*, ut animadvertit Barthius *libro quinquagesimo sexto capite tertio Adversariorum.*

B IV. Ad hæc aliud numen in istis regionibus cultum ostendit tabula ex Pario marmore in villa *Nuptiana* adservata, quam hic delineatam exhibeo*. In ea conspicitur *Faunus* vel alius agrestis Deus manu sinistra hinnuli alteriusve animalis bifidi exuvias gestans, vultu ridenti, & baculo incurvo in sinistra. Auris est superius acuta & 118
ferina, cornibus in fronte palam surgentibus: corona etiam in fronte. Tres figuras muliebres pro totidem Nymphis vel deabus campestribus, quas *matres* & *matronas* etiam dixerunt, accepit *Gisbertus Cuperus* in literis ad me olim scriptis. Tres enim Nymphas ejusmodi
C fuisse, præter Fabrettum *Dissert.* II. *de Aquæductibus* §. 189. ipse etiam Cuperus *in Apotheosi Homeri pag.* 267. adnotavit. Utrumne potius sint feminæ bacchantes, quarum una & altera crepitaculum quodpiam manu gerat, aliis disquirendum relinquo. In parte extrema ejusdem tabulæ marmoreæ, si bene video, leguntur hæc verba, inferius nonnihil exesa ΚΑΛΛΙΜΑΧΟΣ ΕΠΟΙΕΙ, *Callimachus fecit.* Nemini non notus est mos priscorum artificum suum nomen operibus ab se fabrefactis inscribendi: de quo erudite egit nitidissimus scriptor Carolus Datus *in Vitis pictorum veterum Italice editis pag.* 112. *Callimachum* statua-
D rium insignem memorant scriptores antiqui *Dionysius*, *Pausanias*, *Vitruvius* & *Plinius*, quorum loca in unum congessit Franciscus Junius *in Catalogo*, qui subest splendidissimo operi *de Pictura veterum*, non ita dudum apud Batavos cum auctariis recuso.

* Vid. Tab. IV. pag. 46.

Hoc egregium anaglyphum, & cum rarioribus antiquitatis monumentis jure & merito 119
comparandum, ex villa *Nuptiana* postmodum transiit in Museum Illustrissimi & Excellentissimi *Alexandri Albani* Clementis XI. Pont. Max. fratris filii, quem honoris caussa nomino. Is enim vetustatis amantissimus in omnis generis ta-
E bulas & simulacra magno studio & numero conquirenda jamdiu sedulo incubuit, quibus non tam ædes suas, Urbemque rerum Dominam, quam præsertim rem literariam locupletaret: quod profecto universa eruditorum natio ab ejus indole & animi magnitudine sperare debet.

CAPUT VII. 120

Synopsis.

I. Herculis *cultus apud* Etruscos. *As* Etruscus *a* Bernardino Baldo *explicatus.* II. Draconis Corcyrensis *locus perpensus. Asses* Etrusci *cum*
F Jano *&* clava. III. *Varia de lingua veteri* Etrusca. IV. *Primæva origo* Etruscorum.

Apud veteres *Etruscos* peculiari honore *Herculem* cultum fuisse, ostendunt pondera sive asses, nummis perquam similes, in postica parte *Herculeam* clavam cum *Etruscis* characteribus exhibentes; in antica vero bifrontem imaginem pileatam, ut cernere est apud Claudium Molinetum *in Museo sanctæ Genovefæ pag.* 44. & apud *Fabrettum*, qui ex gaza Medicea tres ejusmodi asses

asses vulgavit: quos veterum linguarum studiosis delineatos infra nos iterum proponemus. Unum ex his assibus pro nummo ab se habitum explicavit *Bernardinus Baldus Guastallensis* Abbas, vir mirandi ingenii, & in omni literarum genere consultissimus, qui præter scripta, ipso adhuc vivente edita, in quibus eminet Lexicon *Vitruvianum*, innumera etiam post se edenda reliquit, & præ
121 ceteris illustrium Mathematicorum Vitas à *Thalete Milesio* ad *Christophorum Clavium* Italice scriptas: quæ una cum aliis tanti viri lucubrationibus adservantur in domestica Bibliotheca Summi Sanctissimique Pontificis Clementis XI. à quo nobis pro sua erga literarum incrementum benevolentia & amore spes facta est easdem in publicam eruditorum lucem vulgatum iri. Explicationem vero *Etrusci* ponderis sive assis per eundem *Baldum* in epistola ad amicum suum adornatam nobiscum communicavit *Dominicus Passioneus*, ingenio & eruditione spectabilis, atque in literis juvandis effusus: nosque ex Italico in Latinum sermonem conversam integram hic exhibemus.


E*ctypon ad me missi numismatis inspexi, quod sane est Etruscum & vetus: quare non solum, ut tibi obsequar, cui ob tua in me merita plurimum debeo, sed ex præcipuo animi genio de eo nonnulla disserui, à verisimili non abhorrentia. Equidem primo obtutu pene desperaveram me quicquam adsequuturum, quod ad rem facere videretur; sed perlectis characteribus, & eorum sensu ex vi Ebraici idiomatis perpenso, à quo palam est Etruscum originem suam habuisse, hæc inde hausi. Mihi videor intelligere posse, quod nummus percussus fuerit in Etruria ab aliqua civitate Herculi devota, quem in eadem regione cultum fuisse multa nos docent veterum auctoritate firmata, & præcipue Dionysius Halicarnasseus, cujus testimonium considerandum proposuit Giambullarius in dialogo de Origine linguæ Etruscæ. Ut ergo ad nummum deveniam, instrumentum illud,*
122 *quod in aversa parte conspicitur, ego utique puto esse clavam Herculeam, quandoquidem ejus apparet capulum cum nodis, & inserta cernuntur nonnulla, quæ plumbi segmenta esse videntur, vel alterius rei gravis, ad eandem clavam robustiorem & onerosiorem efficiendam idonea. Verba circumscripta hæc sunt* PHELIA PHDII *nempe* admirabilis liberatrix, *quia Hercules clava ipsa populos feris, monstris, & tyrannis liberabat. Et forte numisma cusum fuit ab aliqua urbe, de qua Hercules benemeritus fuisse putabatur. Duplex facies, quæ in antica parte numismatis inspicitur, fratrum Geryonum caput indicare videtur; nam licet à poëtis Geryon tricorporis effingatur, fieri tamen potuit, ut scalptor tertium caput post duo illa, quæ in nummo apparent, abscondi crediderit, fortasse ratus fieri non potuisse, ut una cum ceteris ob oculos illud tertium exponeretur. Ratio interpretationis literarum inde petita est, quod Ebræi ad rem mirabilem exprimendam dicant* פֶּלֶא *PELE, quod sine puncti additione diceretur FELE, &* פִּלְיאָה *FELIAH, seu PELIA* admiratio *ab radice FALA, vel PALA, quod rem arduam & miram agere significat: estque vox usurpata in Psalmis* LXXVII. *&* CXXXIX. *in Job capite* XXXVII. *& in libro Judicum capite* XIII. *Aliud vocabulum PHDII videtur ex verbo* פָּדָה *PHADA derivare, nempe* redemit, liberavit, eruit, absolvit: *quæ vox usurpatur in Exodi capite* XXI. *atque alibi. Quare verbale PEDUTH est PIDION, quo* redemptio *designatur, sive, ut vulgo dicimus,* riscatto. *Hæc mihi occurrerunt, ut tibi, atque illi, qui tua opera usus est, prompto animo obsequerer. In rebus arduis, atque, ut ita dicam, impossibilibus, cujusmodi hæc nostra est, pro maximo haberi debet parum invenire, licet neque certo putare velim me*
123 *hoc invenisse, ne in vitium arrogantiæ, & forte stultitiæ delabar: quam unam ob caussam interpretationi meæ in Tabulam Eugubinam Divinationis titulum feci. Superest, ut pro observantia erga te mea etiam atque etiam te rogem, ut mihi quidlibet imperes; id enim agere tuum est, sicuti meum tua jussa capessere. Dabam Urbini die 2. Junii 1614.*


II. Hæc *Baldus*: & sane in *Umbria*, quæ antiquitus erat in dominatu *Etruscorum*, colebatur HERCULES DEFENSOR POLLENS, ut patet ex lapide *Gruteriano* CCCXV. *num.* 7. *Interamnæ* Nahartium in *Umbria* servato. Sed nihilominus dubitare licet, an imago illa biceps *Geryonem Herculeum* offerat, tertia facie ob imperitiam artificis retro latente; siquidem supervacaneum videbatur in utroque assis conspectu *Herculis* signa exhibere, dum una clava sufficere poterat. Quare icone illa bicipiti *Janum* potius indicari putamus, in id inducti egregio testimonio Draconis Corcyrensis *in libro de Lapidibus* apud Athenæum *libro decimo quincto capite decimo tertio*, ubi hæc habentur: Ἰανὸν δὲ λόγος ἔχει διπρόσωπον γεγονέναι τὸ μὲν ὀπίσω τὸ δὲ ἔμπροσθεν, ἔχοντα πρόσωπον. ἀπὸ τούτου, καὶ τὸν Ἰανὸν ποταμὸν, καὶ τὸ ὄρος Ἰανὸν ὀνομάζεσθαι κατεικάσαντος αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ὄρους. Πρῶτον δὲ στέφανον εὑρεῖν, καὶ σχεδίας, καὶ πλοῖα, καὶ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι διὸ καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ Σικελίαν ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ θατέρου μέρους ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον. 124 Hæc sic vertit *Jacobus Dalechampius* ex recensione Isaaci Casauboni: *Janum fama est bifrontem fuisse, altera facie posteriori, anteriore altera; Janum flumen, Janumque montem ab eo fuisse nominatum quod in eo monte habitaverit; coronas illum reperisse, navigia, rates; nummum æreum ab illo primo signatum: qua de caussa civitates in Græcia multæ, Italia, & Sicilia monetam cudunt impressa bicipiti facie, & ex altera parte vel rate, vel navigio, vel corona.* Jacobus Grandius Mutinensis, qui, me adolescente, magna eruditionis laude *Venetiis* florebat, in doctissima *epistola de veritate diluvii universalis pag.* 24. putavit *Janum* sive *Noam* triplici inventione civitatibus *Græciæ*, *Siciliæ*, & *Italiæ* memoratum fuisse, propterea que easdem civitates ex altera nummi parte impressisse ἢ σχεδίαν, ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον, *vel ratem, vel coronam, vel navigium*; licet quænam hic sit *ratis* à *navigio* distincta se nescire fateatur, dum satis erat dixisse ab *Jano* inventa fuisse πλοῖα *navigia*. Hinc suspicatur *Draconis* vel verbis mendum inesse, vel σχεδίαν significare non *navim*, sed *forte vaginam ensis ligneam, aut simile quidpiam, quod Noa in usum communem invenerit.* cujus figura in hoc asse, quem ipse adducit, post navim exprimi putat. Vide Tab. V. fig. 1. pag. 48.
125 Verum *Draco* haudquaquam illud symbolum triplex simul in unoquoque numismate signatum pronunciavit, sed unum aut alterum ex iisdem tribus separatim, quod apparet ex disjunctiva particula ἢ *vel*. Quare quum navis in eodem asse appareat, hæc una implet sententiam *Draconis*: quicquid indicet figura illa, quæ post navim conspicitur. At neque *Draco* scribit triplex *Jani* inventum in nummis memorari: sed *Janum* ipsum ab *Italis*, *Græcis*, & *Siculis* duplici imagine expressum in nummis, in quorum aversa parte cernitur, *vel* σχεδία, *vel navis*, *vel corona*; non vero omnia simul. Georgius Wolffgangus Wedelius in *Exercitatione octava Decadis* VI. *pag.* 54. ubi de ejusmodi numismate disputat, σχεδίαν interpretatur *pontem*. qui tamen in illo nusquam apparet. Præterea asses seu semisses occurrunt, qui bicipitem *Janum* repræsentant absque navi, pro qua in aversa parte clava conspicitur. Hujusmodi unum *Etruscis* literis insignitum publicavit, ut dixi, 126 Claudius Molinetus in *Museo sanctæ Genovefæ*: quem quia diversum non puto ab illo, quem expli-


TAB. V.














* Vide Tab. v. fig. 2. 3. 4. 5. pag. 48.

plicavit *Baldus*, hic iterum exhibeo * una cum aliis duobus ex Museo Mediceo per *Fabrettum* vulgatis in *capite septimo Inscriptionum num.* 376 qui omnes eandem epigraphen habent in aversa parte, nempe ODICELA, si nostris quidem latinis characteribus *Etruscos* legere velimus, quemadmodum legit *Molinetus*, ubi id nomen monetarii esse infulsse opinatur.

127 Quare si post tantos viros nobis sententiam nostram proferre licet, ego puto in loco *Draconis Corcyrensis* designari hanc eandem clavam, quæ cernitur in his assibus. Siquidem Hesychius in verbo Σχεδία pag. 887. inter varias ejusdem vocis significationes hanc quoque adducit, ἢ ὅπλα τὰ ἐκ χειρὸς πιτρώσκοντα hoc est: *vel arma* (sive instrumenta) *ex manibus verberantia.* quibus verbis nihil aliud sane, quam clava seu cestus designatur: quod miror à viris doctissimis non animadversum.

III. Scriptores autem clarissimi, qui pridem laboraverunt in condendo alphabeto linguæ *Etrusca* satis superque ostenderunt singulos ejus characteres neutiquam respondere latinis, ut videre est ex alphabeto, quod per *Gabrielem Gabrielium* latinis characteribus explanatum exhibuit Baldus in sua *Divinatione* in Tabulam æneam *Eugubinam* lingua *Etrusca* veteri perscriptam. *Janus Gruterus*, qui in magno corpore Inscriptionum eandem Tabulam Eugubinam, aliasque vulgavit pag. CXLIII. opinatur literis eam Græcis inversis, lingua vero Æolica exaratam; unde pagina CXLV. num. 4. alphabetum Etruscum veluti Græco respondens digessit. Sed Cosmus de Arena in *Serie* 128 *veterum Ducum & Marchionum Etruriæ Italice scripta pag* 12. ablatis literis dubiis & confusis, alibi, ut ajebat, examinandis, alphabetum *Etruscum* & ipse conscripsit, quod cum illo, quod *Baldus* edidit, non omnino convenire deprehenditur. Ut de his lector judicium ferat, præstat tria illa alphabeta hic adponere.

I. Alphabetum Etruscum Gabrielis Gabrielii à Baldo editum.

V t S r P PhO N M L K I g f E D C b B A

II. Alphabetum Etruscum apud Gruterum & Paulum Merulam in Cosmographia pag. 613.

Ω Φ Η Τ Σ Ρ Π Ο Ν Μ Λ Κ Ι Ζ Ε Δ Β Α

III. Alphabetum Etruscum à Cosmo de Arena vulgatum.

129

Z Y X V T S R Q P O N M L K I H G F E D C B A

Ex hoc insignium virorum dissidio apparet maxima difficultas in legendo, nedum percipiendo antiquo illo idiomate *Etrusco.* licet enim à dextera in sinistram tendente legendum putaverint eruditi; attamen inter se minime conveniunt in adsignandis veris fontibus, unde eadem ignorabilis lingua manaverit: qui quidem si certo adsignari possent, vocabulorum sensus & vim adsequi etiam forte possemus. Siquidem Sanctes Marmocchinus *in Defensione linguæ Etruscæ*, quæ MS. est apud celeberrimum virum *Antonium Magliabechium*, & Sigismundus Titius *in Historiis Etruriæ*, quæ MSS. item sunt in *Bibliotheca Chisiana*, putant vocabula *Etrusca* mixta & confusa esse cum *Ebraicis*; at vero Petrus Franciscus Giambullarius *in suo Gello*, & Gullielmus Postellus *in Commentario de Etruriæ originibus*, cum *Aramæis* & *Syriacis. Baldus* in *Etruscis* vocabulis *Chaldaicam* & *Ebraicam* significationem latere existimavit; sed tam ipse, quam *Giambullarius* & *Postellus* nimium quantum tribuere videntur gerris plusquam *Siculis Berosi Anniani.* Jacobus Mantinus Ebræus *in epistola*

130 *nuncupatoria ad Paullum* III. Pont. Max. quæ præfigitur *paraphrasi Averrois in Rempublicam Platonis tomo secundo* operum *Aristotelis Venetæ* editionis apud *Junctas* anni MDLII. fol. 174. & Theseus Ambrosius *in Introductione ad Chaldaicam linguam* aliasque *Papiæ* vulgata anno MDXXXIX. ex *Ebraico* sive *Assyrio* idiomate *Etruscum* omnino deducunt; licet idem *Ambrosius* ab *Arcadibus*, *Pelasgis*, & *Trojanis* postea corruptum existimet. Ab his omnibus longe abit sententia viri summæ eruditionis *Samuelis Bocharti*, qui in *parte altera Geographiæ sacræ libro primo capite tricesimo tertio Etruscum* sermonem ceteris dissimillimum fuisse opinatur, saltem *Phœnicio* & *Punico*; idque ex *Tuscarum* vocum sylloge, quas in medium adducit; quippe Dionysius Halicarnasseus *in libro primo capite tricesimo* tradit *Tuscos* gentem fuisse indigenam καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ γένει οὔτε ὁμόγλωσσον, οὔτε ὁμοδίαιτον εὑρίσκεται, *neque cum ulla alia gente aut linguam aut mores communes habere.* Verum *Josephus Scaliger* abstrusioris vetustatis indagator perspicacissimus in *Conjectaneis ad Varronem de Lingua latina pag.* 30. editionis anni MDCXIX. non dubitat priscam *Tuscorum* linguam fuisse *Syriacam* sive *Aramæam*, & *Saturnum* eadem lingua *latentem* significare. Syriaca lingua *Sabinos* & *Tuscos* loquutos iterum affirmat *pag.* 64. Hanc sententiam viris doctis constantem esse ait Paullus Merula *in Cosmographia parte secunda libro quarto capite decimo septimo pag.* 131 605 & 612. editionis anni MDCXXI. ubi *Tuscarum* vocum catalogos texit, quæ in *Syriaco* sermone radices suas habent, explosis nugis *Annianis.* Doctissimis viris concinit Reinesius *de lingua Punica capite secundo num.* XVI. ubi linguam *Etruscam* & *Sabinam* è *Syriaca* prodiisse affirmat. Fuerunt tamen in lingua *Etrusca* vocabula quædam è *Græcia* propter vicinitatem mutuata. Quin tantas etiam habuit vires *Græcorum* vicinitas, ut *Etrusci* progenitorum suorum characteribus *Aramæis* carentes, alios mutuati fuerint ab iisdem *Græcis* conterminis suis, qui in *Tusciam* colonias duxerant, sed mutatis vel potius inversis figuris, ut avitam scribendi consuetudinem aliquo pacto æmulari viderentur, ut animadvertit *Merula. Tacitus* in loco inferius proferendo testatur *Etruscos ab Corinthio Demarato* literarum formas didicisse, *Latinos* vero ab *Arcade Evandro*, licet Plinius *libro septimo capite* LVI. scribat in *Latium* eas allatas fuisse à *Pelasgis.* Sed tempore *Demarati* patris *Tarquinii Prisci Etruscorum* civitates fortunatissimas & disciplinis florentissimas fuisse ex eorum annalibus tradit Dionysius Halicarnasseus *libro tertio capite* XLVI. ita ut vix credi possit *Tuscos* literis tunc caruisse: nisi dicendum sit *Demaratum* non auctorem, sed auxilio *Græcarum* literarum reformatorem earundem fuisse.

132 IV. Idem Dionysius *in libro primo* duplicem de primæva origine *Etruscorum* opinionem adducit: quarum prima eos facit alienigenas ex *Lydia* provincia *Asiæ* minoris, ductos in *Italiam* à *Tyrrheno* fratre *Lydi* Regis *Lydiæ* ante bellum *Trojanum*. Altera vero eos facit indigenas: hancque *Dionysius* amplectitur, ratione & auctoritate, ut ait, roboratam. Ratio est, quia *Etrusci* tempore ejus, nempe *Augusti*, habebant linguam, ritus, mores & leges proprias, sibi unis, nec *Græcis*, *Asiaticis*, aut alteri nationi similes: fieri autem non potest, ut populus ab alio natus vestigium aliquod suæ originis saltem in lingua non servet. Auctoritas est *Xanthi Lydi*, historici in patriis rebus diligentissimi, qui negat vel saltem non meminit, *Tyrrhenum* aut alium virum principem *Lydum* coloniam ullam in *Italiam* duxisse. Sed quoad *Xanthum*, ejus auctoritas fluxa est. etenim historiæ, quæ illius nomine circumferebatur, auctorem facit *Dionysium Scythobrachionem* Artemon Cassandreus *in opere de Scriptoribus genuinis* apud Athenæum *libro duodecimo capite secundo:* quem quidem *Dionysium* paullo ante *Ciceronis* & *Cæsaris* ætatem vixisse putat *Suidas*. Agucchius autem *pag.* 29. putat utranque sententiam amicam facile reddi, si dicatur fieri potuisse, ut *Tyrrheni* in aliquam *Etruriæ* partem venerint, ab alia non
133 expellentes antiquissimos *Etruscos*, regionis illius indigenas. Herodotus idipsum exprimere videtur *libro primo capite nonagesimo quarto* ubi scribit *Lydos ad Umbros profectos*, ibique Lydorum *appellatione mutata*, *Tyrrhenos dictos fuisse*: quippe *Umbri* occuparant vel omnes vel plerasque oras occidentalis *Etruriæ*, unde eos *Pelasgi* deinde expulerunt. Præterea ex *Dionysio* colligitur *Tyrrhenos* in occidentali *Etruriæ* parte stetisse, ubi cum *Pelasgis* habitarunt. *Tyrrhenos* deinde cum *Etruscis* permixtos fuisse testatur Silius Italicus in *libro quarto*, ubi loquens de *Flaminio* Consule, *Etruscos* sub regni *Corithi* appellatione designat.

Ergo agitur raptis præceps exercitus armis
Lydorum in populos, sedemque ab origine prisci
Sacratam Corithi, junctosque à sanguine avorum
Mæonios Italis permixta stirpe colonos.

A Hæc permixtio non solum vicinitati & commercio, sed rei communi tribuenda est: quæ erat *Umbros Pelasgosque* pellendi ex oris, quas in *Etruria* tenebant. Nihilominus non videt *Agucchius* quî fieri potuerit, ut in hac permixtione nullum signum aut in lingua aut in moribus *Etruscorum* deinde apparuerit. Quare assentitur, *Dionysio* appellanti *Etruscos* indigenas, & cum *Lydis* neutiquam permixtos. quippe lingua & mores eorundem corruptibiles & mutabiles erant, ita ut si cum illis *Tyrrheni* permixti unquam fuissent, aliquod signum retinere debuissent, quemadmodum
B ex eodem *Dionysio Falerii* & *Fescennium Pelasgorum* coloniæ post annos mille & trecentos in suis moribus adhuc Græcæ originis vestigia retinebant. 134 Sed maximum signum hujusce permixtionis *Etruscos* retinuisse, deprehendere mihi videor ex eorum consuetudine numerandi sæcula à conditis urbibus. Etenim Censorinus in aureo opusculo *de Die natali capite decimo septimo*, *ex ritualibus*, ut vocat, *Etruscorum libris*, qui tunc adhuc supererant, ait apud eosdem Etruscos *initia sic poni sæculorum quo die urbes, atque civitates constituerentur*. *Etrusci* vero eundem morem à *Lydis* orientalibus, qui *Etruriam* incoluerant mutuati
C videntur: nam in oriente epochas & sæcula à conditis urbibus inchoata fuisse unus instar omnium docere potest Chronologorum nostri ævi facile princeps Henricus Norisius in laboriosissimo opere *de Epochis Syromacedonum*. Hinc ab *Etruscis*, qui disciplinas *Umbris* & *Romanis* tradiderunt, eundem morem annos ab urbe condita numerandi utrosque traxisse palam est: licet *Romani* sero id egerint, ut nos vix tandem à *Caroli Magni* temporibus annum Christi *Dionysianum* in nostros Fastos retulimus. Scaliger *in libro quincto de Emendatione temporum pag.* 385. & *Gruterus* CXIII. 2.
D hoc egregium vetustatis monumentum *Interamnæ* in *Umbria* servatum adducunt, ubi epocha ejusdem urbis designatur, insculpta anno Christi XXXII.

135 SALVTI. PERPETVAE. AVGVSTAE
LIBERTATIQVE. PVBLICAE
POPVLI. ROMANI

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM. CONDITAM
DCCIIII. AD. CN. DOMITIVM CoS
AHENOBARBVM. ET. M. FVRIVM
CAMILLVM. SCRIBONIANVM

PROVIDENTIAE. TI. CAESARIS. AVGVSTI. NATI. AD. AETERNITATEM
ROMANI. NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PERNICIOSISSIMO. P. R
FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR. AVG. ITER
P. S. F. C


136 Nomen *M. Furii Camilli Scriboniani*, non *L. Vitellii*, ut putabat *Scaliger*, ob rebellionem è Fastis erasum, qua de re agit Norisius in *Epistola Consulari pag.* 15. nos minio supplevimus. Epocham *Interamnæ* nobis quoque servavit Sex. Julius Africanus *in Collectaneis Græcis*, quæ sine nomine auctoris exstant post *Eusebium Scaligeri pag.* 314. ibi enim hæc habentur. ΟΛΥΜΠ. ΚΣΤ. Δ. κτ τὴν Ἰταλίαν Ἰντεράμνα ἐκτίσθη. nempe *olympiadis* XXVI. *anno* IV. *in Italia Interamna est condita*. Hoc contigit *Numa* Rege *Romanorum*, anno U. C. LXXX. ante natum Christum DCLXXIII. quod notavit etiam Cluverius *in Italia pag.* 635. Præterea Dionysius *libro tertio capite sexagesimo primo* regia insignia describens, quibus legati *Etruscorum* donatum voluerunt *Tarquinium Priscum*, inter cetera memorat *coronam auream & sellam eburneam, & sceptrum in summitate Aquilam habens, &*
E *tunicam purpuream auro distinctam, purpureumque amiculum varium, qualia solebant & Lydorum & Persarum Reges gestare*. Sane *tunicam* χιτῶνα vestem fuisse *Lydorum* testatur etiam antiquissimus Poëta Lucilius *in fragmentis Satyrarum* à *Francisco Dousa dispositis libro primo pag.* 25. editionis secundæ, ubi hic versus legitur:

Prætextæ ac tunicæ Lydorum opu' sordidum omne.

Quare falsum est, *Etruscis* nihil ex antiquis pro- 137
F genitoribus *Lydis* superfuisse: immo iisdem *Herculis* cultus ideo maxime fuit familiaris, quia ortum suum referebant ad *Lydorum Atyadas*, qui erant ex *Heraclidarum* dynastia, ut observat Spanhemius *pag.* 19. *Cosmus de Arena* vir antiquitatum *Etruriæ* studiosissimus, sacrificiorum pateras, quæ plurimæ adhuc variis imaginibus exsculptæ supersunt, nominibus Deorum atque hominum adstantium expressis, speravit ad hujusmodi thesaurum


TAB. VI.

Fig. 1.



Ex Museo Jo: Vignolii.

Fig. 2.



Ex Museo Francisci Ficoronii.

Fig. 3.




Ex Museo Ficoronii.

Fig. 4.



Ex Museo
Huberti Benevolentii Senensis.



saurum aperiendum pro clave aliquando inservituras. Siquidem ipse in patera, quæ *Herculem* in bivio exhibebat, apud *Laurentium Panciaticum* servata, has literas *Etruscas* Ebraico more exaratas ƎΛϽꓘƎB sic legit HERCLE. Hæc atque alia ectypa ex marmoreis inscriptionibus, sigillis, sepulcris, fictilibus, nummis, gemmis, vasis, & pateris diligenter excepta idem *Cosmus* vulganda olim misit ad *Raphaelem Fabrettum*: qui tamen præter unum & alterum suo Inscriptionum operi insertum, ea omnia ad Academiam *Oxoniensem* per quendam *Anglum* se misisse olim mihi affirmavit. Quare nobis sperare licet, viros idiomatum orientalium peritissimos, linguæ hujus celeberrimæ arcanis interpretandis aliquando operam daturos: quibus eam in rem stipes duos unciales, assem & semissem *Etruscos*, ut ex pondere judicamus, hic examinandos proponimus. *

* Vide pag. 53. Tab. VI. fig. 1.2.3.4.

141 *Spanhemius pag.* 112. *ex museo Pembrochiano assem libralem* edidit huic postremo similem, licet hic noster sit integrior, & careat bovino capite, quod ibidem insertum apparet inter biceps caput virile. Hujusmodi assium literas idem *Spanhemius* putat esse veteres *Græcas*, sive *Cadmeas*, quales *Evander Arcas* ex *Græcia*, sive generatim, ut ait *Plinius*, *Pelasgi* in *Latium* transtulerunt. Nomina vero iisdem literis expressa *ignota & forte Etrusca* esse opinatur. Sed si nomina sunt *Etrusca*, utique & literas *Etruscas* esse oportet, non enim *Etrusci* literis caruerunt, sed propriis usi sunt: quas *Punicas* fuisse juxta ac sunt in Tabula Eugubina perperam suspicatur Reinesius *in dissertatione de lingua Punica capite duodecimo num.* 1. qui deinde *num.* XXIV. earundem literarum figuras *Græcas* inversas ex aliorum sententia statuit: quos tamen non esse audiendos jure monet Spanhemius *pag.* 78. *Etrusci* operis vetustissimam pateram, ubi *Minervæ* è *Jovis* cerebro emergentis fabula continetur, vulgavit Fabrettus *capite septimo num.* 387. atque aliam quoque *num.* 391. in qua *Medeam Etruscæ* per epenthesin MENEDEA literis perverse dispositis dictam, adstante filio *Medo* ibi eodem idiomate MEDME appellato, designari conjicit. *Censorinus*, qui scripsit opusculum suum *de Die natali* anno vulgari CCXXXVIII. quemadmodum ex capite vicesimo primo supputat doctor
142 temporum Dionysius Petavius in *libro nono capite quadragesimo secundo*, laudat in capite undecimo & decimo septimo *Rituales Etruscorum libros & Historias octavo eorum sæculo scriptas.* Ex quo sane mirari æquum est, universa nationis sapientissimæ scripta & sermonem ita periisse, ut vix locus divinationi supersit. Certe linguam *Etruscam* prorsus latinæ dissimilem fuisse prodiderunt antiqui scriptores: qua de re nihil tamen adduxit Philippus Cluverius in *libro secundo Italiæ antiquæ*. Siquidem Livius in *libro nono capite tricesimo sexto* ait, quum ad silvam *Ciminiam* à *Fabio* Consule victi essent *Etrusci* anno U.C. CCCCXLIII. Claudium ejusdem Fabii fratrem, qui *Cære educatus apud hospites, Etruscis inde literis eruditus erat: linguamque Etruscam probe noverat*, eos per silvas insequutum: quibus statim hæc subdit Historicus: *habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Græcis, ita Etruscis erudiri solitos*, præsertim vero Haruspicinæ perdiscendæ caussa, quod Cicero tradit in *libro primo de Divinatione.* Idem *Livius* de eodem *Claudio* & servo illius comite hæc postea subjungit: *fere pastorali habitu, agrestibus telis, falcibus gæsisque binis armati. Sed neque commercium* LINGVAE, *nec vestis armorumve habitus sic eos texit, quam quod abhorrebat à fide,*
143 *quenquam externum Ciminios saltus intraturum.* De voce *gæsum*, quod erat *Gallorum* jaculum, erudite disquirit Humfredus Hodius in *libro secundo de*

A *Bibliorum textibus originalibus capite octavo.* Tacitus, ut jam monui, in *libro undecimo Annalium capite decimo quarto* scribit Etruscos *ab Corinthio Demarato* literarum formas didicisse: qui *Demaratus* in *Italiam* navigavit anno U. C. XCVI. Olympiadis tricesimæ anno tertio, & ante Christum natum DCLVIII. ut ex *libro primo Dionysii* colligit Petavius in *libro decimo tertio de Doctrina temporum.* Idem vero *Demaratus* duos filios à se genitos *Etruscis* nominibus appellavit, nempe *Aruntem*, & *Lucumonem*, qui postea in Regem *Romanorum* assumptus, *Lucius Tarquinius*, quod in *Etruriæ* urbe *Tarquiniis* ortus fuisset, appellari
B maluit, quemadmodum tradit Dionysius *libro tertio capite quadragesimo sexto.* Hinc eadem lingua etiam *Romani* usi sunt, nam Varro in *libro quarto de lingua latina* auctor est, Volumnium *Tragœdias Tuscas* conscripsisse, & Plinius in *libro decimo sexto capite quadragesimo quarto* meminit *Ilicis* Urbe vetustioris in Vaticano existentis, *in qua titulus æreis literis Etruscis, religione arborem jam tum dignam fuisse significabat.* Huc facit locus Agellii *libro undecimo capite septimo* scribentis, quod caussidici cujusdam sermone non intellecto (loquebatur enim verbis obsoletis) *quasi nescio quid Tusce, aut Gallice dixisset, universi riserunt*: item quod
C narrat Plutarchus in *Poplicola*, nempe *C. Mutium* 144
quum *Porsenam* constituisset opprimere incautum, *veste indutum Etrusca & assimili lingua utentem καὶ φωνῇ χρώμενον ὁμοίᾳ in castra penetrasse.* Sane etiam Herodotus *libro primo capite quinquagesimo septimo* ait *Cortonæ* populos in *Etruria* lingua *veteri Pelasgica sive barbara* loquutos, & eam linguæ formam conservasse, quam habebant quum illuc migrarent. *Strabo* quoque, qui sub *Tiberio* floruit, in *libro quinto pag.* 226. editionis regiæ Parisiensis *Falerios Etruriæ* urbem πόλιν ἰδιόγλωσσον appellat, hoc est *sua peculiari lingua utentem.* Ab *Etruscis* ritus, sacrificia, superstitiones, artes, ludos, &
D mores ad *Romanos* transiisse affirmat è scriptoribus nostris Tertullianus in *libro de Spectaculis capite quarto*, & Arnobius in *libro septimo* contra Gentes: immo apud Johannem Pierium Valerianum in *Dialogo de lingua Italica* eadem lingua conscripto *pag.* 30. *Claudius Ptolemæus Senensis* latinorum literas & disciplinas ab *Etruscis* derivatas tradit: veterem quoque illorum pronunciationem omnino *Etruscam* fuisse contendit. Ex his locupletissimis testimoniis lucem quandam mutuati viri linguarum penitiorum studiosi, ejusdem *Etrusci* sermonis significationem aliquam forte expiscari aliquando ætate hac nostra eruditissimi poterunt,
E & præ illis, quorum ingenia ego noverim, *Hadrianus Relandus*, & *Jacobus Rhenferdus* inter *Batavos* 145
celeberrimi: quorum alter nummos *Samaritanos*, alter vero inscriptiones *Palmirenas* laudabili ausu explanare tentavit: licet apud eundem *Pierium Albertus Pius Carporum* Princeps affirmet, ævo illo, nempe *Leonis* X. neminem unum in toto orbe fuisse, qui unicum characterem *Etruscum* legere sciverit: quod nec *Græcis*, nec *Ebraicis*, nec *Chaldaicis*, nec *Ægyptiis* characteribus contigit. Ceterum *Etrusca* monumenta publici juris fecerunt *Gruterus pag.* CXLIII. & CXLV. Felix Ciattus in *Memoriis Perusiæ* ibidem impressis anno MDCXXXVI. Cosmus de Arena in *serie*
F *Marchionum Etruriæ*, Leonardus Augustinus in *Gemmis antiquis num.* CLII. Petrus Sanctes Bartolus in *Sepulcris antiquis*, Fabrettus in *Inscriptionibus pag.* 538. 542. & 696. & Philippus Bonarota in *Observationibus nummariis pag.* 210. Nos quoque puerile signum artificio & notis *Etruscis* ornatum hic exhibebimus, ut potissimum à *Gisberto Cupero* clarissimi nominis viro gratiam aliquam ineamus, qui de hujusmodi antiquitatibus *Etruscis* semel atque iterum nos interpellavit.

Porro hujusmodi monumenta *Etruscis* characteribus insignita, qui omnino diversi sunt à fictitiis illis, quibus constant *Inghiramiæ* antiquitates, non solum in *Etruria* circa *Florentiam*, *Arretium*, *Volaterras*, *Clusium*, *Perusiam*, *Cortonam*, *Viter-*
146 *bium*, *Cornetum*, & *Faliscos*; verum etiam in *Umbria Eugubii* & *Pisauri* repeniuntur. In Gaza Medicea varia quoque servari me docuit ejusdem præclarus custos *Sebastianus Blancus*, quale est ænea statua, forte alicujus ex Lucumonibus, juxta *Perusiam* olim effossa, & à *Ciatto pag.* 53. inepte expressa: chimæra item ænea, & urnæ nonnullæ. Simulacrum puerile, quod nos hic damus*, erutum fuit anno 1587. juxta lacum *Trasimenum* in loco, qui dicitur *Pila:* illudque edidit *Ciattus*, sed specie inversa & rudi, nec sincere efformata. At ex ipso prototypo huc *Romam* allato, cujus altitudo palmum unum excedit, accuratissimum exemplar nobiscum communicavit vir nobilis *Paullus Æmilius Montesperellus Perusinus*. Stephanus Pighius in *Hercule Prodicio pag.* 353. se vidisse memorat in Bibliotheca Ducis *Ferrariensis* signum laurea coronatum, in cujus collo torques, in sinistro superiore brachio armillæ bullis dependentibus plenæ, rotundis alternatim & humani cordis specie factis conspiciebantur; in femore autem sinistro inscriptio Etrusca, quæ *à Paucis legi*, *à nemine fere intelligi poterat.* Pueri quoque hujus nostri collum, brachia & pedes torquibus sive armillis cinguntur, & avem manus dextera stringit. Sinistra vero pomum vel aliquid simile gestat. Femoris inscriptionem seorsum pariter incidendam curavimus.

* Vid. Tab. VII. pag. 55.

147
CAPUT VIII.

SYNOPSIS.

I. *Evocati Augustorum quinam, & unde dicti.* II. Tiberinus *Pater* Hortæ *cultus.* III. *Fluvii, ut Dei, quare adorati.* IV. *Fasti consulares correcti. Nomina compendiariis notis signata.* V. *Officium* ab Epistulis. VI. *Non* Epistola, *sed* Epistula *usque ad sextum sæculum scriptum fuisse probatur contra doctissimos viros.*

SEd tandem è longiori diverticulo, quo ad *Etruscas* antiquitates excurrimus, ad Coloniam *Hortanam redire* æquum est, ut ejus inscriptiones & prisca monumenta recitemus: quod præstabimus indicatis locis ubi servantur illa, quæ non sunt in villa Nuptiana.

I.

VICTIA. C.F
RESTITVTA
VIX. ANN. V
MENS. XI. DIEB
XVII

148 II.

M. IVRI. HAMILLI. M. IVRIVS
PRVCIVS. FARI . . . A. HEL . . .
LISVS. I. ATIONO. B. M

III.

SAC . . .
AVFIDIANA . . .
TESTA. V. S. L. M

IV.

SEX. ATVSIVS
SEX. FIL. FABIA
ROMA. PRISCVS
EVOC. AVG
PRIMVS. OMNI
VM. ARAM. TIBERINO
POSVIT. QVAM. CALI
GATVS. VOVERAT

Hortæ in muro viridarii Albertorum.

A Hanc inscriptionem vulgavit Fabrettus *capite sexto num.* 6. & ante ipsum Cæsar Ripa in *Iconologia parte prima pag.* 186. editionis *Patavinæ* anni MDCXVIII. sed uterque paullo aliter scriptam, & lineis secus ac sunt in marmore dispositis, neque in eam quicquam commentati sunt. Ego minime puto silentio prætereundum, quod apud rei veteris scriptores hactenus nominatam non vide- 149
rim gentem *Atusiam*, ex qua fuit hic noster *Sex. Atusius Priscus*: inter cujus nomen & cognomen Tribus & patria de more designantur: quique fuit ex ordine equestri, uti erant Evocati Augustorum, qui sæpenumero occurrunt in inscriptis
B lapidibus. Ad hos spectabat excubias agere circa cubiculum Imperatoris: ad quod munus primus omnium *Galba* delegit vice militum *equestris ordinis juvenes*, *qui*, *manente aureorum anulorum usu*, *Evocati appellarentur*, ut ait Suetonius in *ejus vita capite decimo.* siquidem isti non erant proprie *Evocati:* quod nomen tantum dabatur emeritis veteranis, gnaris, prudentibusque militiæ, qui expletis stipendiis, in gratiam Consulum & ducum ultro militiam iterum sumebant. Quia vero literis aut nunciis nominatim evocabantur, inde nomen obtinuerunt, ut docet Lipsius *de Militia Romanorum libro primo dialogo octavo.*

C II. Ante omnes ab *Atusio*, Evocato Augusti alicujus, ex voto *Caligati* existimo *Tiberino* patri, tanquam numini, sub Civitate *Hortana* prope *Tiberis* ripas, ubi lapis erutus est, Aram erectam fuisse, quemadmodum postea Diocletianus & Maximianus *Tiberino patri aquarum omnium* monumentum vovent apud *Gruterum* CLXXVIII. 6. nusquam enim de aris *Tiberini* quicquam amplius me legere memini. Ceterum Petrus Berthaldus in 150
libro de Ara capite tricesimo num. XI. notavit positas fuisse Aras fontibus, fluviis & stagnis, in quorum aquis *sacris* religione veterum navigare vel natare homines prohibebantur, ideoque Plinius
D scribit *de lacu Vadimonis: nulla in hoc navis, sacer enim est*, & Tacitus Annalium *libro decimo quarto capite vicesimo secundo* refert, *Neronem* fontem aquæ Martiæ natatione polluisse hoc modo: *iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Martiæ ad urbem deductæ nando incesserat: videbaturque potus sacros & cæremoniam loci corpore toto polluisse. Sequutaque anceps valetudo iram Deûm affirmavit.* Forte hujusmodi fontis, vel potius alicujus Aquæductus fit mentio in cippo ad gradus ecclesiæ cathedralis *Hortanæ* ubi hæc semesa leguntur.


E V.

. . . .
. . . . ORICIS
. . NISQVE. OBSESSVM
. . CORRVGIENS. PRO
. . . PROPVGNAVIT
. . . IS. AQVAM. SANCTAM
. . . DVXIT. DEVOTV
. . . AIESTATIQVE. EI
VS. M. D. . . . VII

Tiberinum quidem patrem à *Romulo* inter Deos re- 151
latum docet *Varro* apud sanctum *Augustinum libro sexto capite decimo de Civitate Dei:* qui & *libro*
F *quarto de LL.* locuples testis est, cultum fuisse Deum *Tiberinum:* in cujus honorem Tiberinalia spectacula XVI. kal. Septembres notantur in veteri kalendario apud Petrum Lambecium *tomo quarto Bibliothecæ Cæsareæ pag.* 284. Hinc Horatius Cocles apud *Livium in libro secundo capite decimo* armatus in *Tiberim* desiliens, *Tiberine Pater*, inquit, *te sancte precor*, *hæc arma & hunc militem propitio flumine accipias:* nam Servius in *librum primum Georgicorum*, & in primum *Æneidos*, necnon Lactantius *libro quarto Divinarum institutio-*
num

TAB. VII.





num capite tertio, Deos omnes *patres* generatim dictos fuisse testantur: quo nomine *Tiberis* appellatur à *Pedone Albinovano*, à *Virgilio* aliisque. Seneca autem *epistola quadragesima prima* ita scribit: *magnorum fluminum capita veneramur, subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & stagna quædam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit.* Hinc ipsas etiam aquas *Albulas* juxta *Anienem* cultas fuisse testatur hæc vetus inscriptio ab Holstenio edita in *notis ad Cluverium pag.* 131. & à Fabretto *capite sexto num.* 8.

152 AQVIS. ALBVLIS
SANCTISSIMIS
VLPIA. ATHENAIS
C. VLPII. AVG
LIB. AB. EPISTV
LIS. VXOR
LIBENS
D. D

Siquidem veteres illi fluvios, ut Deos, constructis templis adorabant, de quo fuse agit Vossius *de Idololatria libro nono capite tricesimo quinto*: fluviis quippe divinitatem inesse putabant, unde Plinius *libro octavo epistola octava* narrat, in *Umbria* templum fuisse, in quo *Clitumnus* fluvius *amictus ornatusque prætexta* colebatur, & circa complura castella *totidem Dei simulacra sparsa* fuisse. Sic *Blandusiæ* fonti in *Sabinis* prope opidum Regillum hædo sacrificatum docet Horatius *libro tertio ode* XIII. Crines etiam fluminibus sacrabant, ut *Achilles Sperchio* apud Homerum *Iliados vicesimo tertio*, & Philostratum *de vita Apollonii libro quarto capite quinto*: item *Ajax* apud eundem *Philostratum* in *Heroicis*; quod scilicet crines humore alantur.

III. Cur autem fluvios adorarent, varias caussas recenset Maximus Tyrius *dissertatione* XXVIII. *Est & suus fluviis honos aut ob utilitatem, quomodo Ægyptii colunt Nilum*: 153 *aut ob pulchritudinem, ut Peneum Thessali: aut ob magnitudinem, ut Istrum Scythæ: aut ex fabula, ut Ætoli Acheloum: aut ex lege, ut Spartiatæ Eurotam: aut ex sacro instituto, ut Ilissum Athenienses.* Hinc fuere &

A sua fluminibus simulacra. Fingebantur longa cæsarie, ut pueri cirrati, & capite arundine redimito, quia ea in fluviis succrescit. Hinc Ovidius *libro quinto Fastorum de Tiberi vers.* 637.

Tybris arundiferum medio caput extulit alveo.

Ædem vero & iconem *Tiberis* lepide satis effingit Sidonius in *Panegyrico Anthemii v.* 320. De fluminum figura ex antiquis numismatibus erudite agit etiam V. C. Philippus Bonarota in *suis Observationibus pag.* 34. ubi *Cydni* fluvii imaginem in nummo *Tarsensium* examinat. Quæ hic sequuntur epitaphia in villa *Nuptiana* servantur.

B * VI.
C. ANTISTIVS
EPAPHRODITVS
VIPSTANAE
ATTHIDI
VXORI
SANCTISSIMAE

* VII.
D. M 154
TI. CLAVDIO
HYACINTHO
TI. CLAVDIVS
C AGRIPPA
PATRI. PIISSIMO
FECIT

* VIII.
D. M
F. ATALANTE *sic*
MATRI
DVLCISSIMAE
F. ZOSIME
D FILIA

IV. Is C. *Antistius*, qui supra in lapide VI. memoratur, in caussa est cur edamus inscriptionem nuper effossam ad Divi Paulli in via *Ostiensi*, quam nobis tradidit *Thomas Maria Minorellus* sacerdos Ordinis Prædicatorum, vir pietate & non inani doctrina spectatissimus.

IX.
155 D. M. P. FANNIVS. AVILIVS. PROCVLVS. FECIT
TITIAE. FIRMAE. ET. P. FANNIO. PROCVLO
PARENTIBVS. BENEMERENTIBVS. ET. P. FANNIO. PRIMIGENIO. LIBERTO
ET. FANNIAE. RANAVSIDI. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
C. ANTISTIO. VETERE. MANLIO. VALENTE. COS

156 Hi Consules processerunt anno *Dionysiano* XCVI. vel secundum *Panvinium* in *Fastis* à *Jacobo* Strada editis, in quibus annum unum epocham vulgarem antevertit, anno vulgari XCVII. U. C. DCCCXLVIII. Olympiadis CCXVIII. anno IV. ubi *C. Fulvius Valens* perperam appellatur, ab Anonymo autem *Vindobonensi* per *Norisium* vulgato, *Valerianus*, qui ex nostro lapide est *Manlius Valens*. Inscriptionem VIII. vulgavit Fabrettus *capite decimo num.* 433. & sub sigla *F.* putavit latere nomen gentis *Flaviæ*, uti in alia, quam dederat *capite quinto num.* XXV. *pag.* 371. ubi legitur:

T. F. PAEDEROTI. AVG. LIB

non enim insolitum nomina ipsa, ut passim de prænominibus advertimus, compendiariis notis signare, quod exemplis ostendit pag. 372.

* X.

DIS. MANIBVS
IVLI. EVTYCHETIS
QVI. VIXIT. ANN. XXX
IVLIA. TYCHE. CONIVG
CARISSIMO. FECIT
ET. SIBI. ET. SVIS. LIBERT.

E LIBERTABVSQVAE *sic*
POSTERISQ. EORV..

* XI.
D. M
I. FLAV. AVG. L. ILIAE
AB. EPISTVLIS. LATINISS *sic*
CLODIA. SVCCESSA. CONIVG
ET 157
FLAVIA. MARCELLA. PATRI
OPTIMO. PIISSIMOQV
FECERVNT

V. Liberti ab *epistulis*, quod munus dabatur F etiam Servis, nusquam non occurrunt inter officia domus Augustæ, de quibus erudite Jacobus Gutherius in opere de eodem argumento *libro tertio capite quarto*. Hi *à manu* atque etiam *amanuenses* aliquando dicti fuerunt, quod scriberent literas domini mente conceptas. *Hadrianus* Imperator, *ab epistulis* & à *libellis primus equites Romanos habuit*, ex Spartiano in *ejus vita capite vicesimo secundo*: quod tamen non videtur obtinuisse, nam liberti ab epistulis Augustorum occurrunt etiam post *Hadrianum*. *Julius Cæsar Scaliger* modum scribendi ab *epistulis* per *u*, non per *o*, primus omnium reprobavit in *libro primo de Caussis linguæ latinæ capite* vice-

vicesimo primo, ubi ait *Tuscos Umbros*que litera *o* ca-
158 ruisse, *quare qui epistulam, & adulescentes malunt dicere, Umbros sese, non Romanos profiteri:* siquidem literam *o aliquot Italiæ civitates, teste Plinio, non habebant, sed loco ejus ponebant* u, & maxime *Umbri & Tusci*, ut ait Priscianus Grammaticorum coryphæus in *libro primo* inter Grammaticæ latinæ Auctores antiquos collectos ab *Elia Putschio col.* 553. In eandem sententiam ivit Aldus Manutius junior in *Orthographia pag.* 296. secundæ editionis, ubi tamen novem lapides adducit, magno Thesauro Gruteriano postea insertos, in quibus secus legitur atque ipse usurpandum esse contendit, semper nempe ab *epistulis* per *u* non per *o*. *Scaligeri* & *Manutii* vestigia pressit Justus Lipsius in *epistolicæ institutionis capite primo*, ubi licet agnoscat, *Angelum Politianum* aliosque *epistulam* u *media* scripsisse, fretos, ut fatetur, *auctoritate librorum, & lapidum*; nihilominus per *o* rectius scribendum putat, magisque *ἀναλόγως*. His se jungit Claudius Dausquius in *Orthographicis pag.* 121. putans & ipse dici debere *epistola* per *o*, quasi id velint *Græcæ voces Latio donatæ* ab eadem origine. Affirmat quidem *epistulam portari in tergo lapidum aliquot:* (rectius dixisset *omnium* ubi ea vox memoratur) necnon à *Politiano* & *Oberto Gifanio* usurpari ex Pandectis *Florentinis:* sed tamen contra eos æquis frontibus stare ait *Scaligerum* &
159 *Lipsium*, quorum opiniones retulimus. Ab horum sententia stat etiam Gerardus Johannes Vossius in *Etymologico linguæ latinæ*, ubi putat ex etymo ἐπιστολὴ scribendum per *o epistola*, non per *u epistula:* qui mos ipsi videtur *nonnisi inclinante sæculo irrepsisse*. Hoc etiam novissime arrisit Christophoro Cellario in *Orthographia pag.* 105. secundæ editionis ubi receptæ opinioni & ipse lætus lubens subscripsit.

VI. At ego, licet tantulus sim, istis literariæ Reipublicæ Seviris diem dicere non vereor, quod conjectationes suas nudius tertius excogitatas alter post alterum integerrimis & elegantissimis veterum sæculorum publicis & privatis tabulis malleo descriptis præferre non dubitaverint. Quippe officium ab *epistulis* sæpenumero occurrit apud *Gruterum*, & nunquam nisi per *u* exhibitum, ut pag. LXI. 4. CCLXXII. 1. CCCCLXII. 5. DLXXVII. 6. DLXXXVI. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & DLXXXVII. 1. 2. 4. 5. Apud Reinesium *classe* IX. *num.* LIII. apud Fabrettum *capite quarto num.* 29. & 256. *capite quinto num.* 1. & *capite sexto num.* 8. Item apud Jacobum Sponium in *Miscellaneis eruditæ antiquitatis sectione sexta pag.* 205. & 206 nec non & apud clarissimum Vignolium in *inscriptionibus* cum *Dissertatione de Columna Antonini Pii* nuper vulgatis *pag.* 285. EPISTVLAM iterum habet Gruterus *pag.* CCXIV. *linea* 13. qui modus scribendi adhuc durabat quarto sæculo exeunte, quippe *pag.*
160 XXVIII. 2. legitur MAGISTER. EPISTVLARVM *Valente* & *Valentiniano* Coss. Ex tot & tam constantibus antiquorum marmorum testimoniis *Josephus Justus Scaliger*, patre *Julio Cæsare* in hac re prudentior, in Indice *Gruteriano* undevicesimo scriptum reliquit: *epistula pro epistola ita semper.* Sæculo demum sexto vetus ille mos continua priorum temporum serie ductus exsulare cœpit, dum *epistola* per *o*, non amplius per *u* usurpari inchoavit, ut patet ex inscriptione Reinesiana *Classe* VI. *num.* XL. ubi Flavius Theodorus MEMORIALIS. EPISTOLARVM *Justino* & *Justiniano* Imperatoribus inscribitur; licet tamen eodem ævo accuratius exarati Pandectæ *Florentini* constanter ac perpetuo *epistulam* habeant, *epistolam nunquam etsi Græca, unde latina ducta est appellatio, ita pronunciandum suadeat*, ut inquit Barnabas Brissonius in *Operibus variis pag.* 388. ubi & *in vetustiorum auctorum manu exaratis libris epistu-*

A *lam* scribi, per alios ante monitum tradit, quamvis id miretur ipse; originem vocis respiciens. Eo deinde impegit etiam *Cellarius*, qui fatetur, in multis inscriptionibus esse *epistula*, illud tamen addens: *nescitur qua ratione.* Verum Orthographia non rationi, sed *consuetudini servit*, ut agnovit Quinctilianus. Quare *inclinante sæculo* non *epistula* pro *epistola*, ut putabat Vossius, sed *epistola* pro *epistula* irrepsit. Hujus proinde inferioris ævi utique est lapis *Florentinus* à *Sponio* addu- 161
ctus loco superius indicato *pag.* 205. in quo legitur AB EPISTOLIS, nisi potius sit error *Sponii* exscriptoris: quod facilius credo propterea
B quod idem auctor servos *ab epistolis* Latinis & Græcis semel atque iterum vocat, non *ab epistulis*, uti debuisset. Æque levissimum est quod idem *Vossius* ceterique de etymo obtrudunt: non enim semper vocabula easdem literas retinent, quas in primæva origine sua habuerunt, quemadmodum ipsemet *Vossius* docuit in *Tractatu de literarum permutatione*, quem Etymologico suo præfixit; & præcipue ubi vocum latinarum syllogen adducit, à Græco fonte ortarum, in quibus *o* mutatur in *u*: sic *fistula*, ut ait Isidorus in *libro tertio capite vicesimo, ita dicta quod vocem emittat*, ubi respicit Græcum *φωνὴ vox*, & *στέλλω, mitto*, ut notat Vos-
C sius in Etymologico: sic *epistula* ἐπιστολὴ, quasi dicas *missoria*, ab ἐπιστέλλω *mitto*; utraque nempe vox non per *o*, sed per *u* prolata ex eodem fonte deducitur. Hinc scite Obertus Gifanius in *epistula* ad lectorem *Lucretii* sui, de *Græcis* verbis loquens, iisque omnibus, quæ *Græca* sunt origine, sed *Romana* prorsus jam facta, non ideo tamen scripturam *Græcam* ea sequi debere putat; verbi caussa *ocius*, *hiems*, *stilus*, *silva*, atque etiam EPISTULA, & *alia plurima. Consuerunt enim latini quædam ab aliis sumpta nomina ita conformare & consignare, ut originem ipsi agnosci nolint, suaque* 162
prorsus esse ut existimentur, student. Inde post a-
D lia addit: *si ob originem mutare semper licebit scripturam, omnis lingua latina turbabitur.* Quod ajunt *Umbros* & *Tuscos u* pinguiore aurem oblimasse, *Romanos o* rotundiore mulsisse, nullius fere momenti est; lapides enim plerique à nobis recitati neque *Tusci* neque *Umbri*, sed *Romani* sunt, & puriori *Romana* lingua scripti. Verum quidem est, *Romanos o* litera frequentius, quam *u* olim usos fuisse, sed hoc nonnisi priscis & obsoletis illis temporibus, quæ aureo Latinæ linguæ sæculo præiverunt, quando *consentiont* pro *consentiunt*, *virom* pro *virum*, *consol* pro *consul*, *Appios* pro *Appius*, *honc* pro *hunc* scribebant, ut docet vetu-
E stissima inscriptio *L. Scipionis Barbati* a *Sirmondo*, & *Aleandro* nostro explicata. Hinc illi majores nostri, *Aboriginum* & *Evandri* nepotes, scribebant etiam *Hecoba*, *notrix*, *dederont*, *probaveront*, teste Fabio in *libro primo capite quarto:* quæ deinde venustius compositum Latinorum os per *u* efferre decrevit. Et sane literas *u* & *o* jam olim invicem permutatas non in Græcis solum, sed in Latinis etiam nominibus, non uno exemplo ostendit *Spanhemius* in majori opere pag. 120. Quare ex his illud conficio, *epistola* per *o* fuisse rudis adhuc & balbutientis Latinæ linguæ, atque ejusdem etiam morientis & in barbariem prolapsæ: adultæ vero & floridæ ejusdem linguæ ætatis ex- 163
F stitisse *epistula* per *u*. Certe Priscianus in *libro primo col.* 554. nostram sententiam confirmat his verbis: *V quoque multis Italiæ populis in usu non erat; sed é contrario* O. *unde Romanorum quoque vetustissimi in multis dictionibus loco ejus,* O *posuisse inveniuntur, ut poblicum pro publicum, quod testatur Papirianus de Orthographia, polchrum pro pulchrum, colpam pro culpam dicentes, & Hercolem pro Herculem.* Hunc locum *Prisciani* emendavimus ex duobus codicibus MSS. eximii nostrique ami-

amiciſſimi Abbatis *Dominici Paſſionei*, quorum unus A fuerat *Poggii Florentini*, a quo illum emit *Dominicus Braſichellenſis*, tradiditque *Johanni Carolo Borromæo*, ex cujus manibus tranſiit deinde in poteſtatem *Iſabellæ Eſtenſis Mantuæ* Marchioniſſæ, ut in eodem codice adnotatur. Idem porro locus *Priſciani* cum alio, quem ſuperius adduxi num. v. collatus, palam facit, *Politianum* ante omnes in epiſtola ad *Bartholomæum Scalam libro quinto pag.* 63. operum editionis *Baſileenſis* anni MDLIII. & deinde *Scaligerum* ſeniorem, *Dauſquium*, & *Voſſium* patrem incaute admodum ex co, quod *Umbri* & *Tuſci* literam *u* pro *o* uſurpaſſent, putare, apud *Romanos* dictum *epiſtola*, a- B pud *Umbros* & *Tuſcos epiſtula*. *Priſcianus* enim in primo loco non loquitur de lingua *Latina*, ſed de lingua *Umbrorum* & *Tuſcorum*, quæ in radice
164 una eademque erat. *Umbrorum* enim lingua ab *Etruſca* tantum dialecto differebat: in ſecundo vero loco intelligit de lingua veteri Latina, quæ *o* literam pro *u*, ævo illo adhuc rudi, uſurpare conſuevit, ut exemplis & auctoritate ipſa oſtendimus. Ex his palam fieri puto, antiquam & conſtantem ſex & viginti lapidum ſcripturam, non quidem *Umbram* aut *Tuſcam*, ſed *Romanam*, item Pandectarum & voluminum manuſcriptorum auctoritatem jure & merito præferri debere C novis recentium hominum placitis, qui nulli veterum exemplo innixi aliter ſcribendum eſſe opinantur: atque hinc inter ceteros præcipue laudandus *Vignolius* noſter, qui ad purioris vetuſtatis amuſſim animum intendens, quum officium ſuum deſignaret, viri Principis Columnenſis *ab epiſtulis* ſe nuncupari voluit. Uſus tamen, ut verum fateamur, nunc ſecus generatim obtinuit.

165

CAPUT IX.

SYNOPSIS.

I. *Feminarum cognomina aſſerta. Gens* Plutia *à* Plautia *diverſa.* II. Franciſci Robortelli *ſententia de ſervis medicis contra* Sponium *confirmata.* III. *A* Cyato *idem ac pincerna.* IV. *Duplicis generis ſepulcra, familiaria, & hereditaria.* V. *Liberti Auguſtales.* VI. *Gens* Tucia *&* Catia *antiquiſſimæ.* Materi *pro* Matri. Horta *in Tribu* Arnienſi *deſcripta antequam Colonia militaris deduceretur.* VII. *Liberti hereditariis ſepulcris per teſtamentum honorati.* D

DUabus inſcriptionibus ſuperius adductis, nempe x. & xii. in quibus cognomenta feminis tribuuntur, tertiam adjungemus. ſingulæ enim robur addunt ceteris à *Petro Servio* recitatis in capite ſeptimo Miſcellaneorum, ut feminis cognomina adſtrueret contra *Carolum Sigonium* & *Franciſcum Robortellum* noſtrum *Utinenſem*, ſecus opinantes. E

* I.

PLVTIAE
FORT·VNATAE
HELIVS. CONIVG
B. M. FECIT

166 Hac autem PLVTIA rejicitur commentum *Reineſii*, qui *Claſſe* xi. *num.* xxxiii. in ſaxo *Romano* marmorarii arbitrio putavit expreſſum PLVTIO F pro PLAVTIO, quum reapſe exſtiterit gens *Plutia* alia à *Plautia*, atque utriusque exempla ſuppeditat Index Gruterianus viceſimus tertius.

* II.

MALLIVS. PAMPHILVS
MEDICVS
PRIMILLAE. L. ET. VXORI. ET
PRIMO. L. DELICIO
CARISSIMIS. SIBI. FECIT
IN. FRONTE. P. XXII. IN. AGR. P. XXV

II. Hæc inſcriptio, quam edidit Fabrettus *capite decimo num.* 420. *pag.* 720. mihi in mentem reducit *Jacobum Sponium*, qui in libro Gallico, inſcripto *Recherches curieuſes d'Antiquitè*, Diſſertatione viceſima ſeptima pag. 419 refutare conatur *Robortelli* ſententiam, affirmantis tantum ſervos artem medicam olim profeſſos: ad quod iterum incumbit in *Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis ſectione quarta pag.* 141. ubi hanc eandem epigraphen recitat, ſaxis *Robortellum* adgrediens, idque ridiculum ejus commentum appellans. At quamvis etiam unus & alter ingenuus in ea arte aliquando ſe exercuerit, ego puto negari non poſſe, quin plerunque ſervi & liberti illi operam de- 167
derint. Hic noſter *Mallius Pamphilus* fuit e grege ſervorum, necdum prænomine & libertate donatus, *Phœbianus* item ſervus medicus nominatus in lapide *Aquilejenſi*, quem vulgavit Turrius in *Diſſertatione de Colonia Forojulienſi* adjecta *Monumentis veteris Antii pag.* 361. Quare opinionem *Robortelli* non cenſeo adeo ridiculam, uti *Sponius* medicus arbitratur. Neque hos duos *Mallium*, & *Phœbianum* medicos *ocularios* quis dixerit, non enim additur ea nota, quam alibi adeſſe animadvertit *Sponius*, & Salomon Cellarius in *Antiquitatibus medicis pag.* 42. Nec obſtat, aliquem ex medicis fuiſſe civem *Romanum* & in dignitate conſtitutum; nam id pecuniis, quas arte medica ſibi comparaverant, conſequebantur, ut ex veteri inſcriptione docet *Hieronymus Mercurialis*, vir acerrimi judicii, & ipſe præſtantiſſimus medicus, in Variis lectionibus *libro tertio capite viceſimo ſecundo*, qui à ſententia, cui enixe adverſatur *Sponius*, adeo non abhorret, quin diſerte fateatur, ex medicis multos ſervos fuiſſe. Nolim tamen hinc pretium artis medicæ profeſſorum elevari, quos mihi ſemper amiciſſimos cupio; quippe ideo antiquitus medicorum munus ignobilius fuiſſe puto cum Barnaba Briſſonio *libro primo Selectarum antiquitatum capite quarto*, quod ipſimet manibus ſuis venas inciderent, medicamenta præberent, iisdemque omnibus, quibus hodie Chirurgi, partibus fungerentur.

* III. 168

D. M
Q. CONBARISSIO. AEMILIANO
Q. CONBARISSIO. ALAGINO
FRATRIBVS

IV.

ASMENVS
NERONIS. CAESARIS
A. CYATO *ſic*

III. Utranque ab Illuſtriſſimo *Nuptio* acceptam edidit *Fabrettus*, etſi paullum immutatas: primam quidem *capite nono num.* 139. alteram vero *capite decimo num.* 370. ubi tamen non animadvertit peregrinum modum loquendi A. CYATO, cujus unicum exemplum dedit Gruterus pag DLXXXII. 4. ubi legitur *Doryphorus* Cæſaris A. CYATHO pro eo, quem pocillatorem & pincernam veteres appellarunt, & elegantiores Latini *ad Cyathum*, ſive *ad Cyathos*, quod convivis vinum in *cyathis* miniſtrarent, unde Horatius *libro primo ode* xxix.

Puer quis ex aula capillis
Ad Cyathum ſtatuetur unctis?

& Propertius lib. 4. eleg. 9.

Lygdamus ad cyathos, vitrique æſtiva ſupellex.

& C. Memmius *ad cyathum & vinum* Nicomedis 169
memoratur apud Suetonium in *Julio Cæſare capite undequinquageſimo.* Cyathus erat minimum poculum, *Græcis* & *Romanis* uſitatiſſimum, quo potus ſuos dimetiebantur, ut notat Guillelmus Stukius *Antiquitatum Convivalium libro tertio pag.* 339. Qui vinum miniſtrabant, *à potione* etiam dictos notat

notat eruditissimus Servorum commentator *Laurentius Pignorius.* Porro quum Titus Popma in *libello de operis Servorum pag.* 64. observet, id olim ministerium apud *Græcos* & *Romanos* honestum fuisse, & nobilissimos juvenes in conviviis & sacris publicis id munus obiisse, facile adsentior hunc nostrum *Asmenum* claro genere ortum, præcipue quod *Neroni* Cæsari potum ministraverit. *Asmenus* quidam poëta memoratur in Appendice Virgiliana, quam congessit *Josephus Scaliger*, ubi aliquot ejusdem *Asmeni* epigrammata in laudem *Maronis* recitantur.

* V.

D. M
MESSORI
MYSTAE
BATHYLIANENSES

Messoris Dei meminit *Fabius Pictor* apud Servium in *librum primum Georgicorum*; sed quinam fue-
170 rint *Mystæ Bathylianenses*, fateor me ignorare, & magnam gratiam à me inibit qui id me docebit. Ex literis autem D. M. nempe DIS *Manibus*, corculo intermedio, quod est signum gementis, suspicor, hoc epitaphium exstructum à *Bathylianensibus*, quicunque ii fuerint, non Deo *Messori*, sed *Mystæ* alicui *Messoris* Dei, licet hic efferatur in dandi casu. sic enim *L. Valerius* Sacerdos *Jovi Tonanti* occurrit apud Gruterum *pag.* CCCVII. *num.* 7. Fortasse etiam *Messor* est nomen viri.

* VI.

In Sarcophago.

D. M
EGRILIAE
FESTAE
AEGRILIVS
HELIVS
HERES

* VII.

D. M

T. AELIVS. AVG. LIB. FAVSTVS ET. AELIA. ARETE. VXOR. FECERVNT VIVIS. SIBI. ET. LIBERIS. SVIS. ITEM LIBERTIS. LIBERTABVS. QVE. SVIS. ET POSTERIS. EORVM. ITA. VT. NE. DE NOMINE. SVO. AVT. FAMILIAE. EXEAT VT. POSSIT. MEMORIAE. SVAE. QVAM DIVTISSIME. SACRIFICARI

171 IV. Quantum fuerit apud veteres proprii nominis æternandi studium, vel hinc colligere licet, dum isti *Ælius Faustus*, & *Ælia Arete* conjuges vetant sepulcrum *exire de nomine suo vel de familia*, ideſt transire in aliam gentem aut in heredes; idque *ut possit memoriæ suæ quam diutissime sacrificari:* quod alibi non est ita obvium. Enimvero duplicis generis erant sepulcra; familiaria, & hereditaria, ut ostendunt Barnabas Brissonius *libro secundo Selectarum antiquitatum capite decimo quarto*, & Jacobus Gutherius *de Jure Manium libro tertio capite* IX. quod male VIII. inscribitur. Hereditaria erant quæ quis sibi, heredibusque suis, vel quæ pater familias jure hereditario acquisiverat: familiaria autem quæ quis sibi constituebat, familiæque suæ, cujus significatio ad libertos quoque referebatur, nam liberti patronorum nomina assumebant, illorumque gentiles dicebantur. Hinc apud Gruterum *pag.* DCCLV. *num.* 1. *Annia Cypris monumentum facit Aimilio conjugi*, SIBI. SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE NOSTRIS. POSTERISQVE.
A EORVM. HOC MONVMENTVM. NE. DE. NOMINE. EXSIAT, quæ formula occurrit etiam pag. DCCLXV. 5. & MCXL. 7. Item apud Fabrettum capite secundo num. 179. TI. CL. ZOSIMVS. ET. PLAVTIA. ZOSIME. VIVI. SIBI. FECERVNT. SVISQVE LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERIS-
QVE EORVM. NE. DE. NOMINE. *sic* E- 172
XIAT NOSTRORVM. &c. quæ prohibitio ea sepulcra afficiebat, quæ familiaria vocabantur. Apud Scævolam Jurisconsultum in *Digestorum libro octogesimo primo tit.* 1. *lege* XC. iisdem pene verbis Lucius Titius testamento ita cavit: *præ-
B diolum meum dari volo libertis, libertabusque meis, & quos hoc testamento manumisi, & Sejæ alumnæ meæ, ita ne de nomine familiæ meæ exeat*: quæ formula frequens est apud veteres Jurisconsultos. *Libro octogesimo secundo Digestorum tit.* 1. *lege* XXXVI. §. filiam suam; *veto*, inquit Titius ex eodem *Scævola*, *ædificium de nomine meo exire*, *sed ad vernas meos*, *quos hoc testamento nominavi*, *pertinere volo.* Sicut vero monumenta vetabantur de familia *exire*: quod jus erat sepulcri; sic etiam si quando illud jus in alios transferebatur, hi *adire* illa permittebantur: *aditus* enim est jus personale eundi ad monumentum & transeundi per domum, vel
C hortum monumento vicinum. Hinc in amplissimo & elegantissimo lapide *Romano* apud Gruterum MLXXXI. 1. hæc leguntur. AD. ID. MONVMENTVM. ITVM. ADITVM. AMBITVM ADQVE. HAVSTVM. CORONARE. VESCI. MORTVVM. MORTVAS. MORTVOSVE OSSA. INFERRE. VT. LICEAT. &c. *Ambitus* monumenti erant pedes in fronte & in agro, longitudinem & latitudinem
designantes, qui passim in hujus generis lapidibus 173
nominantur. *Itus* igitur, *aditus* & *ambitus* cessio ideo conjungitur donationi hujus monumenti, quia monumentum sine illis inutile fuisset, atque hinc etiam dominus fundi *ejus* ubi *erat* sepulcrum,
D vendito eodem fundo, *itum*, *aditum*, *ambitum* ad sepulcrum, funeris faciundi caussa habebat, quomodo in legibus prædiorum vendundorum cautum fuisse testatur Pomponius in *Digestis libro* XLVII. *tit.* XII. *L.* V. *de Sepulcro violato.* Solebant enim veteres *Romani* monumenta eorum, quos in vita caros habuerant, frequenti aditu honorare, quemadmodum crebræ formulæ de *itu*, *aditu*, *ambitu* in saxis sepulcralibus testantur DLX. 5. DCLXII. 5. DCCXCVIII. 6. DCCCCLIII. 7. DCCCCLXIV. 2. Per HAVSTVM denotatur jus personale hauriendæ aquæ è puteo vicino: de quo jure aquæ HAVSTVS est inscriptio Veronensis
E apud Jacobum Cujacium *libro decimo tertio* Observationum *capite tricesimo sexto*, in qua hæc habentur. HVIVS. MONVMENTI. EMPTIONI ACCESSIT. ITER. AC. IVS. AD. PVTEVM HAVSTVS. AQVAE. Nos hujusmodi puteum non semel inspeximus ad viam Appiam in villa Morona ante portam Capenam juxta sepulcra familiarum *Passienæ* & *Passeniæ* tertio ab hinc anno detecta, ubi erant cubicula & in his ollaria seu comlumbaria, illis perquam similia, quæ descripta dedit Fabrettus *capite primo*
pag. 1. 10. 16. & 18. Putei vero non minus quam 174
F *itus*, *aditus* & *ambitus* cessione opus erat propter usum aquæ, in inferiis & sacrificiis mortuorum libari solitæ. Memoratam inscriptionem Gruterianam MLXXXI. 1. per partes explicat Fridericus Brummerus in *capite decimo quarto* politissimi *Commentarii ad legem Cinciam.* Quare puteis istis nihil omnino est cum puticulis, de quibus erudite differuit Cuperus in *notis ad caput* XXXIX. *Lactantii de Mortibus persecutorum parte altera pag.* 222

VIII.

BABERIA. C. ET. Ɔ. L. FAVSTA
FECIT. SIBI. ET
C. BABERIO. Ɔ. L. CERIALI. AVG.
ET. BABERIAE. ƆƆ. L. SYMPHERVSAE
ET. BABERIO. Ɔ. LIB. LVCRIONI

INF. P. XL. IN. AGR. P. XL

V. Diu hæsi in recto sensu hujus marmoris percipiendo in tertia linea ubi C. Baberius vocatur *Cerialis Aug.* Cerealia quidem duplicia fuerunt, nempe sacrificia, & ludi; utraque in honorem *Cereris*. Sacrificia, quincto quoque anno servanda, apud *Romanos* instituta fuisse *P. Scipione*, &
175 *Manio Acilio Glabrione* Coss. anno V. C. DLXII. tradit Livius *libro tricesimo sexto capite tricesimo septimo*. Ludi fiebant in circo III. *idus Apriles*, & XIII. kalendas Majas ex kalendario veteri apud *Lambecium tomo quarto Bibliothecæ Cæsareæ pag.* 280. ubi *legitur: ludi Cerealici* CMXXIIII. id est *Circenses missus* 24. ut explicant viri docti: quos ludos ævo *Julii Cæsaris* primus omnium fecit *C. Memmius* Ædilis, ut patet ex ejus nummis apud Fulvium Ursinum *de Familiis Romanorum pag.* 172. editionis *Patinianæ*: quos dudum antea per *Laurentium Medicem* sibi ostensos fuisse testatur Angelus Politianus in *Miscellaneorum capite octogesimo tertio*. Hos ludos curabant Ædiles plebis, qui vocantur *Ceriales* apud Gruterum pag. CCLXXII. 5. 6. & CCCCXCII. 9. *Ceriales* enim & *Cereales* in libris, nummis, & lapidibus legi observat Dausquius in *Orthographicis*: sed quum isti fuerint è Patriciis, ex Dione libro *quadragesimo secundo*, ubi ait, Cæsare jam rerum potito, Ædiles tum primum duos è Patriciis, quatuor ex plebe creatos: sed duos illos superiores à Cerere fuisse denominatos; ideo *Baberius* noster fuisse non potuit Ædilis Cerialis, licet sciam in coloniis, & municipiis aliter factum; quod nomen præterea solitarium in *Hortano* lapide appa-
176 ret, nempe absque ulla Ædilitatis nota. *Cereales & anabasios* pro nunciis & cursoribus memorat sanctus Hieronymus in *Apologiæ secundæ capite primo adversus Rufinum nostræ Aquilejensis ecclesiæ Presbyterum: Iccirco ne*, inquit, *Cereales & anabasii tui per diversas provincias cucurrerunt, ut laudes meas legerent?* Hos putavit *Erasmus* sic dictos, quod *Ceres Triptolemum* ad spargendum serendumque triticum miserit in universum mundum: cui refragatur *Marianus Victorius*, id nominis tractum affirmans à Cerere, quia *Proserpinam* persequuta est ubique usque ad inferos. Attamen Cœlius Rhodiginus in fine *capitis octavi libri duodevicesimi Antiquarum lectionum* sententiæ *Erasmi* præiverat, addens *anabasios* dictos ab equorum ascensu; ἀνάβασις enim Græce *ascensum* significat. Sic cursores seu veredarii huc illuc à Præfecto Prætorii cursu publico mittebantur non tantum equis & rhedis, sed & dromonibus per flumina & lacus, ut ostendit Gutherius de Officiis domus *Augustæ libro secundo capite decimo quarto*. At *Baberium* ex hujusmodi Cerealibus fuisse neutiquam puto, de quibus in inscriptis lapidibus nusquam fit mentio: immo vocabulo *Cereali* non munus aliquod, sed cognomentum significari existimo, quoniam ceteri omnes, qui in lapide recensentur, cognomen habent, tanquam liberti, qui prænomen & nomen mutuabantur à
177 patrono. Sic apud Fabrettum *capite tertio num.* 27. & *capite quincto num.* 316. & alibi passim multi numero Liberti cognomento ad unum omnes notati conspiciuntur. Porro *Cerialis* fuit cognomen familiæ *Romanæ*, & ex ea *Neratius* Præfectus

A Urbi, de quo plura Franciscus Juretus in *Symmachi epistolam quinquagesimam tertiam libri decimi*. *Pinarius* Cerialis occurrit apud Fabrettum *capite tertio num.* 201. & *Cerialis* civis *Romanus* apud Gruterum *pag.* CCCCLXXXVII. *num.* 6. Alios Ceriales recenset Cardinalis Norisius in *epistola Consulari pag.* 77. Quare *C. Baberium* Cerialem, qui in lapide AVG. præsignatur, AV*Gustalem* fuisse existimo: quorum Augustalium mentionem iisdem omnino literis in multis inscriptionibus expressam jam pridem monuit idem Norisius in *Cenotaphiis Pisanis dissertatione prima capite sexto*. Horum vero Augustalium collegium *Hortæ* ex-
B stitisse jam dixi *capite secundo num.* V. & ex iisdem plurimos libertos fuisse ostendit *Norisius*, *Reinesius* & *Turrius* noster in *dissertatione de Colonia Forojuliensi pag.* 365. quod ideo dictum velim, ne quis AVG. in *Hortana* inscriptione AV*Gurem* interpretetur. etenim augures nonnisi Patricii adlegebantur, ex eodem Norisio *dissertatione secunda capite septimo*. Sic ergo inscriptio nostra legenda est: *Baberia Caji & Cajæ liberta Fausta fecit sibi, & Cajo Baberio Cajæ liberto Ceriali Augustali, &* 178
Baberiæ Cajarum libertæ Sympherusæ, & Baberio Cajæ liberto Lucrioni. In fronte pedes quadraginta, in agro pedes quadraginta.

C * IX.

D. M
AVR. M. FIL. APOL
LONIAE. Q. VIXIT
ANNO. I. M. III
AVR. APOLLINA
RIS. ET. AVR. EVCLI
A. PARENTES. F
DVLCISSIMAE

X.

ΝΙΚΟΜΗΔΗϹ
ΔΙΟΝΥϹΙΑΔΕΙ
D ΙΔΙΑϹΥΝΒΙΩΖΗ
ϹΑϹ ΚΑΛΩϹ ΜΕΤΑ
ΑΥΤΗϹ ΕΤΗ ΔΕΚΑ
sic ΜΝΙΑϹ ΧΑΡΙΝ

Nicomedes Dionysiadi conjugi, suæ, (vel *propriæ*) *postquam vixisset honeste cum ea decem annos, memoriæ ergo* posuit.

Hujus epitaphii conclusioni similis prostat apud Fabrettum *capite decimo num.* 117. Utrobique ΜΝΙΑΣ pro ΜΝΕΙΑΣ, explosa litera Ε, favet re- 179
centium *Græcorum* pronunciationi, qui diphthongorum literas non separant, sed quasi in unicam sono vocis contrahunt, ex majorum, ut ajunt
E consuetudine: quam tamen viri docti nullam esse contendunt, inter quos eminet homo de me maxime meritus *Dominicus Lazzarinus* ex Nobilibus de *Murro*, Græcæ & latinæ elegantiæ peritissimus, cui quum legenda tradidissem erudita ea de re opuscula *Johannis Rudolphi Wetstenii & Henrici Christiani Henninii*, ipse in epistola mihi nuncupata contrariæ partis rationes eloquentia, qua pollet, atque argumentorum pondere propugnavit.

XI.

TI. TVCIO
PATRI
F CATIAE. MATERI
RVFO. TVCIO. FRATRI
OFILLIA. COLA. VXOR
C. TVCCIVS. TI. FILIVS
V. ARN. SCAEVA
FECIT. SIBI. ET. SVIS
PRO. SVA. COPIA

Hortæ in domo Francisci Plani.

VI. Hanc inscriptionem quum olim vidisset *Johannes Zaratinus Castellinius*, cujus immensum

ſtudium in priſci ævi reliquiis undique colligendis
180 & interpretandis mire laudatur à Jano Nicio Erythræo in *Pinacotheca* I. *num.* CCLXXI. in epiſtola MS, ad *Laudum Leoncinum* canonicum *Hortenſem* eam eſſe antiquiſſimam affirmavit, quod gentes *Tucia* & *Catia* nonniſi priſcis illis temporibus memorentur. Ex gente *Tucia* fuit virgo Veſtalis, quæ ex *Tiberi* in templum tulit aquam in cribro, ut à ſe inceſtus calumniam repelleret anno V. C. DCIX. ut narrat Plinius *libro duodetriceſimo capite altero.* Illam autem Τυκίαν *Tuciam*, non *Tucciam*, ut *Plinius* aliique, appellat Dionyſius Halicarnaſſeus *libro altero Antiquitatum Romanarum capite ſexageſimo nono* ubi hoc ipſum refert, quod *Plinius.* Johannes Harduinus in *Emendationibus Plinianis tomo quarto pag.* 652. *num.* 3. aliam fuiſſe putat à *Tutia* virgine item Veſtali, quæ inceſtus damnata eſt, ut legitur in *Epitome Liviana libro viceſimo.* Certe *Tuciam*, non *Tutiam* legi debere *Zaratinus* quoque affirmat in laudata epiſtola, quemadmodum gens *Marcia*, *Sulpicia*, *Mucia*: quamvis tamen apud Gruterum etiam C. *Tuccius* legatur *pag.* LIX. *num.* 8. DCXCVI. 5. MLXXVII. & alibi, necnon TVCCIA *Athenais*, & TVCCIA *Cleopatra*: ſicque TVCCIVS proſtat in quarta linea noſtri epigrammatis: à qua gente *Tuccia*, ſive *Tucia* fortaſſe nomen accepit *Tuccianus* vicus prope *Hortam* non longe à villa *Nuptiana.*
181 MATERI nuſquam ſe legiſſe teſtatur *Zaratinus*, idque *Græcorum* more ſcriptum exiſtimat, apud quos πατὴρ & μήτηρ in tertio caſu abſque ſyncope efferuntur μητέρι, πατέρι. Vel MATERI eſt forſan à μήτειρα, quod eſt *mater prudens*: quo nomine appellatur *Julia Mæſa* in nummo æreo mediæ formæ perquam raro apud amicum noſtrum M. *Antonium Sabatinum.* ibi enim ſic legitur in antica parte IOY. MAICA. CEB. MHTEIRA, in poſtica viſitur *Serapis.* Idem *Zaratinus* in linea quincta OFILLIAE. COLAE putabat legendum: at etiam ſine tali lectione id eſſe poſſet in dandi caſu, Græca ſcilicet inflexione, ac ſi diceretur OFILLIAE. COLAE. VXOR*i*. In linea ſeptima *Vir* ARN*ienſi*, nempe Tribu, quam ex *Arno* fluvio appellatam, à nemine dubitari merito poſſe ſcribit Sigonius *de Antiquo jure civium Romanorum libro primo capite tertio.* At nihilominus Cluverius in *Italia antiqua libro altero pag.* 550. negat, eam ab *Arno* fluvio deductam, eo quod memorata occurrat antequam *Romani in Etruria dominarentur*: quod veriſſimum eſt. *Ager Romanus primum diviſus in parteis treis, à quo Tribus appellatæ, Tatienſium, Ramnium, Lucerum nominatæ, ut ait Ennius. Tatienſes à Tatio, Ramnenſes à Romulo, Luceres, ut ait Junius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tuſca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat*, ver-
182 ba ſunt Varronis *libro quarto de Lingua* latina. Lucumonem à *Tuſcis* Regem dictum alibi adnotavi: quare nihil implicat, Tribum *Arnienſem* ab *Arno* fluvio denominatam antequam *Etruria* in *Romanorum* ditionem perveniſſet. Id firmat quoque *Ciceronis* auctoritas, qui in Agraria, *à Suburana*, inquit, *ad Arnienſem nomina veſtra proponat*: quod nihil aliud eſt, quam à prima Tribu uſque ad remotiſſimam, locorum, unde ſumptæ erant Tribus, intervalla notando, ut animadvertit *Sigonius.* Hæc Tribus *Arnienſis* fuit ordine viceſima quincta ſecundum Panvinium de *Civitate Romana pag.* 233. eademque ex ruſticis, quæ urbanis præſtantiores habebantur, ut olim monui. Patet ergo ex hoc lapide, *Hortanos* in Tribu *Arnienſi* fuiſſe aliquando deſcriptos, priuſquam ſcilicet coloni militares ab *Auguſto* deducerentur: de quo initio operis ſatis ſuperque diſſerui. Ex hoc autem noſtro epigrammate inepta illorum ſententia refellitur, qui *Narnienſem*, non *Arnienſem* Tri-

A bum ſcribendum eſſe contendunt. hujus enim alia exempla ſuppeditat Index Gruterianus *capite duodecimo.* Sane antiquitus ea *Umbriæ* urbs, quæ poſtea à proximo flumine appellata fuit, non *Narnia*, ſed *Nequinum* dicebatur, unde Plinius *libro tertio capite decimo quarto*, *Narnienſes*, inquit, *quod opidum Nequinum antea vocatum eſt.* PRO. SVA. COPIA. hoc eſt pro ſua familia & comitatu: hæc formula nuſquam occurrit apud antiquorum la- 183
pidum collectores. In eo tamen ſenſu puto loquutum *Cn.* Magnum apud Ciceronem ad *Atticum libro octavo* poſt epiſtolam duodecimam his verbis:
B *ad L. Domitium literas miſi primum, ut ipſe cum* COPIA *ad nos veniret.* Et inferius: *video cenſeri Marcello & ceteris noſtri ordinis, qui hic ſunt, ut Brunduſium ducerem hanc* COPIAM, *quam mecum habeo.*

XII.

D. M
C. MVNATIVS. POLYBIANVS
ET. C. MVNATIVS. POLYBIVS
C. MVNATIO. HERMETI
ET. NVMISIAE. TYCHENI
PARENTIBVS
C PIENTISSIMIS. FECERVNT

In fovea Caſtilionis juxta ruinas ſancti Angeli.

XIII.

DIS . . . . . .

. . . CASSIAE. VENER . . .
DORIS. LIB. FEC . . .
BENEMERENTI
IN. AGRO. P. XXX. IN. F . . . . .

In Turri Oriliani in prædio dominorum de Squartis. 184

XIV.

D . . . . . . , ...
COCCEI . . . LOLIAE . . . . . .
FECIT. ET . . . .
COCCEIAE. L. L. AMMIAE
L. COCCEIO. L. L. NICEPHORO . . .

Ad gradus eccleſiæ cathedralis Hortanæ.

XV.

L. FVFICIVS
OPTATVS. FECIT
L. FVFICIO
COMMVNI. PATRONO. ET
FVFICIAE. MVSAE. LIB.
E SIBI. SVISQVE. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. QVOS
TESTAMENTO. HONORAVERIT

VII. De hereditariis hujuſmodi ſepulcris, à quibus liberti, niſi heredes fuiſſent, arcebantur, fit mentio in aliis epitaphiis, quæ recenſentur à Fabretto *capite tertio num.* 220. qui & hoc noſtrum vulgavit *capite decimo num.* 427. non enim omnes liberti jus ſepulcri habebant, ſed ii tantum, qui teſtamento fuerant honorati, ut docet Gutherius *de Jure manium libro tertio capite nono*, idque ex lapide Gruteriano 12. DCCCXVII. in quo *Pom-*
F *ponius Atimetus* ſepulcrum *fecit ſibi & ſuis libertis, libertabusque, quos teſtamento honoravit, poſteriſque* 185
eorum: quod recte interpretatur Gutherius: *quibus teſtamento jus ſepulcri conceſſi, licet heredes ſcripti non eſſent.* nam ſi heredes exiſterent, fruſtra jus illud ſepulcri exprimeretur, quum familiare ſepulcrum, tanquam hereditarium, libertos heredes ſequatur: vel, ut Franciſcus Juretus animadvertit *in Symmachum libro decimo epiſtola quinquageſima quincta*, *honor* ſignificat munus & donum: quod frequens eſt apud veteres, quare olim legatarii appellabantur *honorarii*, ut in Juſtiniani

niani Novella prima, & *honorari* dicebantur, quibus aliquid relinquebatur.

* XVI.

D. M
CN. POMPEIO
ONESIMO
POMPEIA. HEL
PIS. CONLIB
ET. CONIVGI
BENEMERENTI
FECIT

Onesimus idem est ac *Chresimus:* quæ cognomina servis tributa frequentissime occurrunt, ut notavit Valerius Chimentellius *de Honore Bisellii capi-*
186 *te octavo.* χρήσιμος autem & ὀνήσιμος *utilem* & *commodum* significant: hinc liberti patronis rem gratam facturi talia cognomina non abdicabant.

* XVII.

ORFITIANVS
PATER. FECIT
FILIE^{sic}. QVIRIACENI
ANNICLE^{sic}. ET. MESERVM
QVINQVE

Annicle pro *anniculæ*, & *meserum* pro *mensium* scriptum est barbaro loquendi modo. Hujusmodi incomptas & rudes inscriptiones nonnullas adducit Celsus Cittadinus in Tractatu *de vera origine & processu linguæ vulgaris Italicæ*, ut ostendat ejus ortum deberi corruptioni linguæ latinæ. Ex eadem voce *Meserum* pro *mensium*, explosa litera *n*, facta est vox Italica *mese*. *Meses* etiam pro *menses* legitur apud Fabrettum *capite octavo num.* XXVIII. & 107.

* XVIII.

DIS . . .
M. VLPIO. EV . . . . .
POSTIVS. FEC. V . . .
PATER. CVM. ANTO . . .
ET. ANTONIO. SOT . . .
LOCVS. DA. AB. IV . . .
CVM. ITV. AMB . . . .

A

* XIX. 187

. . MA . . . . . .
. . STO. QVI. EST. HIC . . .
. . VS. PHILOSTORGVS . . .
. . VIA. PHILETE. MAT . . .
. . ERICHO. LIBER . . . .
. . VLIO. GALATA . . . .
. . TVATA. TA . . . . .

XX.

D. M
M. POBLICIO. M. F.
B IANVARIO. MAJ
TVRIA. L. F
CRISPINA. CONIV
GI. BENEMERENTI. DE
SVO. FECIT

Ad januam viridarii Sebastis Alberti.

Illustris Cuperus ad calcem *Apotheosis Homeri pag.* 271. erudite agit de mensium nominibus, quæ veteres viris & feminis tribuere consueverunt: quem morem hæc postrema inscriptio confirmat.

C

XXI.

Inscriptiones Christianæ. 188

. . ATOR. VNA. C . . .
. . ABB. GERMANO . . .
. . . . NENTA . . . .
. . IENDO. GRATIA . . .

Ad scalas cellæ vinariæ Episcopatus.

* XXII.

QVIRIACO. IN. PACE
QVI. BIXIT. AN. P. M. X.
D. P. VII. KAL. OCT. IN. PA

D



D.P. nempe *depositus:* quæ formula denotans diem, quo mortuus terræ mandatur, passim occurrit in epitaphiis Christianorum, sicut etiam altera *in pace*. In primo versu supplendum *quiescat* vel *dormiat* ex aliis ejusmodi inscriptionibus apud Fabrettum *capite octavo num.* 34. siquidem Christianis ex certa resurrectionis spe mors non est mors,
E sed requies & temporaria dormitio.

FINIS LIBRI PRIMI.

189

JUSTI FONTANINI DE ANTIQUITATIBUS HORTÆ ETRUSCORUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

SYNOPSIS.

I. Proba Falconia *Poëtria civis* Hortana. Johannes Boccatius *perperam sugillatus à* Thoma *de* Simeonibus. II. *Eadem cum* Anicia Faltonia Proba *male confusa, & domo* Romana *credita.* III. *Variorum errores castigati.* IV. Proba *Poëtria non* Faltonia, *sed* Falconia *appellanda contra* Simeonium.

F



Quum hactenus veterum saxorum reliquias congesserim, unde *Hortanam* Civitatem illustrari, eamque inter nobilissimas *Italiæ* Colonias censum facere luculenter apparuit; injurius profecto essem clarissimæ urbi, & de *Hortanis* Civibus malemererer, si feminarum sapientissimam & celeberrimam *Probam Falconiam*, eorum conterraneam, indictam abire sinerem. Hanc quam- 190
vis aliqui *Romanam* fuisse crediderint, attamen

clarissimos viros ex opido Orthi oriundam asseruisse locuples testis est Johannes Boccatius in *libro de Claris mulieribus capite nonagesimo septimo*, & Jacobus Philippus Bergomas in *opere ejusdem argumenti*, cujus tanquam *solemnis exscriptor* inique *Boccatius* sugillatur à Thoma de Simeonibus in erudita *Dissertatione de duabus Probis* edita *Bononiæ* anno 1692. §. x. *pag.* 55. quum *Boccatius* centum & amplius annos ætate præcesserit *Bergomati*, qui è contrario *Boccatium* ubique recoxit, ut conferenti statim patebit. Eidem sententiæ calculum addidit politissimus Aldus Manutius junior in *epistola ad Julium Roscium*, libello Antonii Massæ de *Origine Faliscorum* præfixa, ubi ait: *probo tuam pietatem, qui patriæ tuæ decus quasi amissum restituas.* tunc etenim *Roscius* editurus erat carmina *Probæ Falconiæ:* quæ item *Hortana* appellatur in codice MS. ejusdem Centonum hic *Romæ* adservato apud Monachos Benedictinos è Congregatione S. Mauri Galliarum. *Ac siquid valet* (utar verbis Roscii in præfatione ad eosdem Centones) *totius alicujus gentis consensus, idem Civium Hortinorum usque ad nostra tempora confirmat inveterata opinio. Hujus rei testes præsentes ac vivos habeo, qui & Forum ejus nomine nuncupatum, &*
191 *ingentia fastigia domus his diebus vetustate collapsa demonstrant.*

II. Hanc *Probam Falconiam* Poëtriam insignem & *Adelphii* cujusdam Proconsulis conjugem doctissimi Scriptores, similitudine nominis decepti, cum *Anicia Faltonia Proba*, sanctorum *Hieronymi* & *Augustini* necessitudine & scriptis clarissima, Consulis filia, Consulis uxore, & trium Consulum matre, incauti commiscuerunt; unde alius error profluxit, qui ævo *Boccatii* invalere jam cœperat, dum aliqui eandem *Probam Falconiam ex conjectura*, ut ipse quidem agnoscit, domo *Romanam* existimaverunt, quod nempe *Anicia* illa *Faltonia Proba* ex *Romuli* nepotibus prodiisset. Hos inter exstitit junior *Aldus Manutius* in epistola mox indicata: *Probam*, inquit, *ut eam esse certo existimem, de qua in tribus antiquis inscriptionibus Romanis fit mentio, facile mihi persuadeo.* Inscriptiones illæ prostant apud Gruterum *pag.* CCCLII. 5. 6. CCCLIII. 1. & non uni *Manutio* lapides obstaculi fuerunt, namque ad eosdem offendit præter *Roscium* magnus Annalium Ecclesiæ conditor sub anno CCCXCV. num. VII. nec propterea vel tantillum minor; & Gerardus Johannes Vossius *de Poëtis Latinis capite quarto pag.* 60. qui tamen in eo à *Baronio* discessit, quod omnia, quæ sunt *Probæ* illius *Faltoniæ*, matronarum laudatissimæ, *Probæ* isti *Falconiæ* donavit, præter spon-
192 sum *Anicium Sextum Petronium Probum*, pro quo illi *Adelphium* suum Proconsulem reliquit. Hos excepit philologus eruditissimus Caspar Barthius in *Commentariis ad Claudianum pag.* 47. *ad versum* CXCII. Panegyrici in consulatum *Probini* & *Olybrii Probæ* filiorum, ubi non solum utranque *Probam* commiscuit, sed etiam lapides ipsos, tanquam membranas amanuensium oscitantia corruptas ausus est emendare, dum *Faltoniæ* nomen in *Falconiam* migrare jussit: quod minime *Vossii* aures tetigerat. hic enim *Probam Falconiam seu Faltoniam* appellavit. Tantis ducibus præeuntibus, mirum non est, si *Matthæus Raderus* eosdem errores erravit in *Aula Sancta Theodosii junioris pag.* 207. *Probam* nostram *Falconiam* sive *Faltoniam*, trium Consulum & *Julianæ* matrem, nec non sanctæ *Demetriadis* aviam constituens.

III. At quidem Scriptores isti ab ejusmodi lapsibus nullo negocio sibi cavere poterant, modo in veterum auctorum testimonia, qui de *Proba* Poëtria meminerunt, digitum accurate intendissent. hi enim eandem Poëtriam nunquam *Aniciam Faltoniam Probam*, sed vel *Probam* tantum, vel nonnisi *Probam Falconiam* semper uno ore appellarunt: inter quos antiquissimus sanctus Isidorus Hispalensis episcopus in *Originibus libro primo capite undequadragesimo*, *Proba*, inquit, *uxor Adelphii Centonem ex Virgilio de fabrica mundi & E-* 193
vangeliis plenissime expressit, materia composita secundum versus, & versibus secundum materiam concinnatis. Hinc verbum de verbo exscripsit Sigebertus *de Scriptoribus ecclesiasticis capite quinquagesimo secundo.* Idem Isidorus *capite quinto de Viris illustribus* hæc habet: *Proba uxor Adelphii Proconsulis, femina inter viros ecclesiasticos idcirco posita sola, quod in laudem Christi versata est, componens Centonem de Christo, Virgilianis coaptatum versiculis: cujus quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium: quod tamen opusculum legitur inter apocryphas scripturas insertum.* Hic opportune monere lubet, paullo aliter legi in editione hujusce operis Isidoriani, studio *Garsiæ Loaisæ* perfecta, quam postea iteravit Cardinalis Josephus de Aguirre in *tomo tertio Conciliorum Hispaniæ pag.* 72. ibi enim ex codice MS. sic legitur: *Proba, quæ cognomento Falconia dicitur, uxor &c.* quod quidem cognomentum *Probæ* tribui agnovit etiam vir laudatissimus Andreas Schottus *in notis ad eundem Isidorum.* Ex *Isidoro* hausit Honorius Augustodunensis *libro tertio capite quinto* ejusdem argumenti: *Proba*, inquit, *uxor Adelphii Proconsulis composuit Centonem de Christo, Virgilianis coaptatum versibus, qui inter apocryphas scripturas computatur.* Quapropter magnopere vereor, ne Julius Cæsar Scaliger *libro primo capite quadragesimo* 194
tertio Poëtices gratis tradiderit, *Probam* ab opere, quod scripsit, *Centonam* appellatam: quod cognomentum ita arrisit *Simeonio* §. x. *pag.* 53. ut vel hinc argumentum fortissimum desumi putaverit ad distinguendam *Probam* Poëtriam ab *Anicia Faltonia Proba:* scilicet neuter animadvertit eundem titulum primo apparuisse in editione *Lugdunensi* cum *Mantuani* & aliorum libris, ubi mulier hæc dicitur *Proba Falconia Centona:* quam postremam appellationem merito carpit *Henricus Stephanus* in suis Centonum & Parodiarum exemplis selectis & illustratis pag. 71. Præterea *Boccatium*, *Bergomatem*, *Trithemium*, aliosque recentis ævi Scriptores, qui nihil aliud ferme, quam *Isidori* sententiam recitarunt. At certe ita præterire non possum celebrium aliquot nostri temporis Criticorum indiligentiam, ne illorum nominis fama alucinationibus fortasse auctoritatem conciliet. Ludovicus Dupinus *in Bibliotheca ecclesiastica* Gallice scripta *tomo tertio parte altera pag.* 504. editionis *Parisiensis*, *Probam Falconiam Anicii Probi* conjugem facit, & circa annum CCCCXXX. floruisse narrat: quod an vero accedat, postea investigabimus. Id quidem non pronunciavit Hadrianus Bailletus in opere item Gallico, cui titulum fecit à *Judiciis Eruditorum*, nam *tomo quarto parte secunda pag.* 474. *Probam Falconiam Hortinam, & Adelphii uxorem* fassus est; verumtamen 195
non semel peccavit ubi eam, forte cum *Vossio*, *Romanam* feminam, *Anicii Probi* filiam, & matrem *Julianæ* credidit: cujus *Proba* illa *Anicia* non mater erat, sed socrus, ut patet ex capite decimo quarto libri sancti Augustini *de Bono viduitatis* ad eandem *Julianam* scripti, postquam, Urbe capta ab *Alarico*, in *Africam* trajecisset cum *Proba* socru, & nepte *Demetriade*. Sed ista eleganti Bailleto utcunque nobis condonantibus, vereor, ut eodem modo excipi debeat Scriptorum ecclesiasticorum Historiæ literariæ auctor *Gullielmus Cave*, qui *pag.* 145. *tomi primi* editionis Genevensis non solum lapsus hactenus explosos iterum effudit, sed errasse *Isidorum* tradidit, *Probam* Poëtriam *Adelphii* Proconsulis (*Proculis* ibi mendose legitur) uxorem faciendo: ad quem scopulum offen-

offenderat antea *Baronius*, etiam ubi humani aliquid
patitur cum laudis præfatione nominandus. hic
enim in *tomo quarto Annalium sub anno* CCCXCV.
num. VII. ex præjudiciis, quod *Proba* unica tan-
tum exstitisset, adductus est, ut hæc scriberet:
*Quum ex antiquis memoriis appareat, Faltoniam
Probam Poëtriam uxorem fuisse Probi: undenam re-
centiori Isidoro accidit, ut eandem Adelphii Procon-
sulis conjugem fuisse dicat? & unde insuper illis, qui
sentiunt cum Isidoro, est, quod dicant, Probo fuisse*
196 *cognomentum Adelphium? Certe in Antiquis monu-
mentis nullatenus reperiri datur, Probum Adelphium
dictum esse, sed tantum Anicium Sextum Petronium
Probum.* At si incomparabilis Scriptor *Probam
Romanam* ab *Hortensi* distinxisset, quod facere
omisit ad graviores disceptationes avocatus, nul-
lus dubito, quin *Isidoro* pepercisset: quod saltem
faciendum fuerat à *Gullielmo Caveo*, qui hanc Scri-
ptorum ecclesiasticorum Spartam sibi uni ornan-
dam suscepit. Nec propterea puto excusandum,
quod omnia, quæ profert de muliere doctissima,
ex *Auberti Miræi* scholio ad *Isidorum de Viris il-
lustribus capite quincto* descripserit, suppresso no-
mine auctoris, ut nempe ejus errores sibi uni ado-
ptaret. Hæc menda, quæ novissime irrepserunt
in Indicem quoque alphabeticum auctorum, *Bi-
bliothecæ Patrum* editionis Lugdunensis *tomo pri-
mo* præfixum, & in *tomum quinctum pag.* 1218.
video imposuisse etiam *Sebastiano Tillemontio*, quo
nemo intentioribus oculis sacram & profanam an-
tiquitatem perpendit. Siquidem in articulo
CCXXXV. Vitæ sancti *Augustini*, quæ tomum de-
cimum tertium ipsius Historiæ ecclesiasticæ con-
stituit, inde putat *Baronii* sententiam firmari, quod
Proba illa, quæ scripsit Centonem, se alia poë-
mata scripsisse testetur de Bellis civilibus, ob per-
fidiam eorum, qui ad Imperium occupandum pa-
cem turbaverant, exortis; quæ, inquit, recte
197 conveniunt temporibus magni *Theodosii*. An ve-
ro ista sufficiant ad conflandam in unum utranque
Probam, infra apparebit. Interim ne alicui fu-
cum faciat *Procopius* male intellectus, illud etiam
notabo, quod Baronius *anno* CCCCX. *num.* XXI. di-
luens fabellam de *Proba*, quæ longæ obsidionis
pertæsa Urbem in potestatem *Alarici Gothorum*
Regis tradiderit, hæc habet: *Scimus enim alios
jactasse urbem Alarico traditam proditione Probæ
Faltoniæ uxoris Adelphii Senatoris, commiseratæ,
Romanos longa obsidione vallatos, fame & peste pe-
rire.* Atqui Procopius, qui *libro primo capite se-
cundo Historiæ Vandalicæ* ab aliis id tradi narrat,
non *Probam Faltoniam Adelphii Senatoris uxorem*,
sed *Probam* tantum appellaverat: quod quidem
observare debuisset *Simeonius*, qui pag. 56. *Pro-
copio* inconsulto, eam puram putam Poëtriam hanc
nostram existimavit. Quare verissima tradidisse
opinor *Isidorum*, scriptorem utique satis vetustum,
ubi *Probam* Poëtriam, *Adelphii* Proconsulis con-
jugem fuisse affirmavit: quem *Adulphum* inepte
appellat Marcus Antonius Sabellicus *Enneade se-
ptima libri noni tomo primo operum col.* 415. quam-
vis difficile sit reperire, quisnam fuerit *Adelphius*
ille Proconsul incerti laris. Siquidem ex Notitia
dignitatum, quam compilavit doctissimus Jacobus
Gothofredus *tomo sexto Codicis Theodosiani pag.*
333. patet, *Achajam, Asiam, Africam, & Pa-
198 læstinam* rexisse Proconsules, quorum ibi catalo-
gos texit. Inter quos profecto nullus occurrit
Adelphius, nisi tamen ex illius ætatis more multi-
nominis fuerit: incogitanter enim *Raderus*,
quem supra memoravi, forte ex *Johanne Tri-
themio*, Adelphium *Proconsulem Romanum* appel-
lat, quum *Romæ* Proconsules nunquam præfue-
rint. Reinesius in *Stemmate Aniciorum Classe pri-
ma num.* XXXIX. & in epistola LXIX. *ad Rupertum
pag.* 633. *Clodium Adelphium* nostrum vocat, &

A *Consulem* facit anno CCCCLI. sed nullo prorsus au-
ctorum præsidio roboratus: in cujus etiam ætate
adsignanda à vero immane discedit.

IV. Totus est *Simeonius*, ut hanc *Probam*, non
Falconiam, sed *Faltoniam* dictam ostendat: quod
cognomen *Reinesius* scribit legi apud *Isidorum*; qui
tamen *Probam* tantum appellat. Gratis etiam as-
seri arbitror à *Reinesio*, eandem *Probam* filiam ex-
stitisse *Probi* cujusdam, *Alypii* filii ex gente *Ani-
ciorum*, qui *Alypius* Consulatum gessit anno Chri-
sti CCCCXLVII. quam inanem sententiam sequutus
est Pagius in *Critica Baroniana anno* CCCXCV. *num.*
B IV. eamque alio errore cumulavit scribens, ab *I-
sidoro* tradi *Probam* Poëtriam (quam ipse aliam
quidem facit ab *Anicia*, quamvis utranque *Falto-
niam* appellet) filiam fuisse *Probi Adelphii*: in quo
certe eruditissimus scriptor memoria lapsus est;
non enim Isidorus *filiam*, sed *uxorem* Probi Adel-
phii Proconsulis vocat. Porro *Simeonius*, ut *Fal-* 199
coniam in *Faltoniorum* gentem cooptet §. II. pag.
10. & §. X. pag. 63. *Caspari Barthio* adversatur
quod *Claudianum* interpretans, *Falconiam* in *Fal-
toniam* scribat fuisse corruptam. Hanc censuram
in marmor *Aniciæ Faltoniæ Probæ* inique à *Bar-
C thio* exerceri, & duas *Probas* ab eodem male con-
fundi nos quoque paullo ante notavimus: verum
quod ait *Simeonius*, à *Barthio* antiquissimum co-
dicem MS. *Oxoniensem* reprobari in eo, in quo
præcipue approbari debebat, & approbari ubi e-
rat reprobandus, id certe à vero summopere ab-
ludit: quod ex ipsis *Barthii* verbis constabit, ubi,
post *Aniciæ Faltoniæ Probæ* inscriptionem addu-
ctam, hæc habet: *Falconiæ nomen inepte deprava-
tum est in Faltoniæ. Falconia enim Romanum. Si-
quidem Falconi expresse scribit Plinius junior. Hæc
est, cujus Centones Virgiliani ad nos pervenerunt
(non Theodosii junioris uxor, ut autumare audent a-
lii) teste exemplari MS. apud inclytam Angliæ Oxo-
D niam, quod disertim Probam Falconiam illi opusculo
præscribit.* Non ergo codicem, ut putabat *Si-
meonius*, sed lapidem, quod gravius est, correxit
Barthius: cur enim in MS. volumen, suæ senten-
tiæ adstipulans, calamum acuisset? Inde etiam
apparet, à *Simeonio* pag. 60. inepte in testem pro
se adduci eundem codicem Oxoniensem, ac si in
eo *Valeria Proba* præscriberetur. hanc enim ap-
pellationem non in MS. sed in libris typis vulga- 200
tis à se repertam damnaverat *Barthius*: *veteres*,
inquit, *primæque editiones librariorum petulantia in
frontispicio VALeriam Probam appellant, credo, ut
tandem optimo Grammaticorum*, (nempe Valerio
E Probo) *filia accederet: in ipso libro Falconiam:* id-
que rursus affirmat in *Adversariis libro decimo quin-
cto capite eodem*. Quapropter corruit Antonii Pa-
gii in *Critica Baroniana anno* CCCCXXXIX. *num.* VII.
& illius, qui eum decepit, *Simeonii* sententia, *Jo-
hanni Ravisio Textori* & *Astolpho*, recentibus at-
que imi subsellii scriptoribus tantum innixa, *Va-
leriam Probam Faltoniam* Poëtriam nostram nuncu-
pantis. Attamen, his neglectis, *Simeonius* adhuc
insurgit, & licet junior Plinius *libro quarto epistola
vicesima septima, lib.* VII. *Epist.* 22. & *libro nono episto-
la decima quincta Falconi* scripserit: licet Capitolinus
in Pertinace capite quincto, & *decimo quincto Falconem*
F Consulem; *Vopiscus in Aureliano capite quadrage-
simo primo* Proconsulem Asiæ *Falconium*, & in Ta-
cito *capite quincto* Metium *Falconem* virum Con-
sularem nominaverint; nihilominus ipse confiden-
ter affirmat *Falconios* æque ac *Falcones* librariorum
insolentia à corruptis *Faltoniorum* Nominibus de-
rivare potuisse, quia in Thesauro Gruteriano *Fal-
conum* & *Falconiorum* nomina non reperiuntur, si-
cuti è contrario *Faltonii* sæpenumero occurrunt. 201
Verum hic auctor in parietem caducum prorsus
inclinat. quot enim familiarum nomina post *Gru-
terum* detecta sunt, quæ nusquam antea innotue-
rant?

rant? Quot vulgavit *Reinesius*, & summus Romanarum rerum investigator *Fabrettus?* Nos ipsi in hac lucubratione ex Hortanis lapidibus *Conbarissium*, *Atusium*, *Asmenum*, nomina nunquam hucusque audita, protulimus: inter quæ etiam *Falconii* utique reponendi sunt. Sed fallere fallique *Simeonium* palam ostenditur ex veteri lapide apud Spanhemium *dissertatione septima de Præstantia & usu numismatum pag.* 628. editionis secundæ Amstelodamensis, quem *M. Ulpius Mucianus* pro salute *M. Aurelii Antonini Pii* cognomento *Caracallæ* & *Juliæ* Augustæ matris Augusti *Junoni* Reginæ erexit FALCONE. ET. CLARO COSS. nempe ordinariis, non vero suffectis, ut perperam existimavit *Spanhemius*. Lapidem illum prius adduxerat Scaliger in *Animadversionibus Eusebianis num.* MMCCXXXII. Basis itidem apud Fabrettum *capite decimo num.* 99. dedicata est FALCONE. ET. CLARO. COSS. Sunt illi *Q. Sosius Falco & C. Julius Fructus Clarus*, uti eorum nomina exprimuntur apud Gruterum *pag.* CCIX. 1. & CCCCLXXV. 4. ὕπατον φάλκωνα *Falconem Consulem* vocat etiam Dio *libro quinquagesimo tertio pag.* 833. uterque vero Consulatum iniit anno
202 U. C. DCCCCXLVI. post Christum natum CXCIII. ut patet ex Anonymo *Vindobonensi* per *Norisium* vulgato. Corruit ergo opinio *Reinesii*, qui in *epistola* XXXV. ad *Rupertum pag.* 258. putat literas *T.* & *C.* alternari, & *Falcones* atque *Falconios* pro *Faltonibus* & *Faltoniis* dici: quod falsum est, quia constanter in quatuor lapidibus & in *Dione* contrarium apparet. Apud eundem *Gruterum* pro FRVCTO utrobique legendum suspicor ERVCIO: quod nomen proprium fuit familiæ *Clarorum*, ut patet ex Norisii *epistola Consulari pag.* 108. ubi anno U. C. DCCCCXXIII. legitur Consul C. ERVCIVS. CLARVS. Item ex Panvinio in *Fastos anno* U. C. DCCCXXXXII. ubi notatur Consul ERVCIVS. CLARVS & anno U. C. DCCCXCIX. SEX. ERVCIVS. CLARVS. Horum alter fuit etiam Præfectus Urbi, & memoratur apud Agellium *libro sexto capite sexto* & *libro decimo tertio capite decimo septimo*. Posterioris fit mentio in lapide effosso extra portam *Capenam* anno MDCLXI. quem hic damus ex schedis Chisianis.

SANCTO. SILVANO
HERMADION
Q. CREPEREI. MARTIALIS
ARCARIVS. SVA. PECVNIA. D. D
DEDICATVS. XI. K. NOVEMBR
SEX. ERVCCIO *sic*. CLARO. II. ET
CN. CL. SEVERO. COSS

203

CAPUT II.

SYNOPSIS.

I. Probæ Faloniæ *Cento Virgilianus à sancto* Hieronymo *memoratus*. Osidius Geta *Medeam Tragœdiam ex Centonibus Virgilianis conscripsit*. II. Anicia Faltonia Proba *literarum laude neutiquam commendata*. *Quando Centonem suum* Proba *conscripserit*. III. *Ejus nuncupatio perperam* Sedulio *attributa*.

DIscussis iis, quæ ad *Probam Falconiam*, ejusque patriam spectare videbantur, nunc reliquum est, ut de ejus scriptis disseram, unde ætas, qua floruit, certo quodam charactere designabitur. Ipsa magnam nominis celebritatem sibi comparavit Centone illo Virgiliano, ubi summi Poëtæ carminibus præcipua & maxima nostræ Fidei mysteria explicavit: cujus Centonis antiquissimam mentionem haberi puto apud sanctum *Hieronymum* epistola centesima tertia ad *Paullinum*, ubi pientissimus senex indignabundus in eos, qui verba & sententias sacræ Scripturæ ad aliena si-

A gnificanda detorquent, hæc loquitur: *quasi non legerimus Homerocentones, & Virgiliocentones; ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere* 204
Christianum, quia scripserit:

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.

& Patrem loquentem ad Filium:

Nate meæ vires, mea magna potentia, solus.

& post verba Salvatoris in cruce:

Talia perstabat memorans, fixusque manebat.

Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, docere quod ignores, immo, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire, quod nescias. Marianus Victo-
B rius, operum sancti *Hieronymi* alioquin accuratus interpres, non animadvertens, jacula magni Doctoris in Falconianos Centones vibrari, tantum adnotavit, *Probam Falconiam* & *Ausonium* ejusmodi opera contexuisse; & *Gelasium* Papam in Synodo *Romana* Centonem de Christo Virgilianis carminibus compaginatum inter apocryphas rejecisse scripturas. Addo ego omnium antiquissimum *Osidium Getam*, qui sub *Claudio* I. Imperatore *Medeam Tragœdiam* ex Virgilii carminibus consarcinavit: cujus specimen ex Bibliotheca *Claudii Salmasii* edidit Petrus Scriverius in *Collectaneis veterum Tragicorum pag.* 187. Eam memorat
C Tertullianus *de Præscriptionibus contra Hæreticos capite undequadragesimo*, & inepte cum *Ovidii* Medea ab aliquibus confusam fuisse jam olim ostendi in *Dissertationibus de Cornelio Gallo Poëta*, non- 205
dum editis. Deinde sæculo decimo quarto *Albertinus Mussatus Patavinus* in eodem studio versatus est, ut recentiores omittam. Sanctum *Hieronymum* de Centone *Probæ Falconiæ* verbis allatis loqui voluisse, inde compertum est, quod ibi ne latum quidem unguem à Falconiano Centone discedat, in quo sic de Patre Filium alloquente legitur:

Tunc genitor natum dictis affatur amicis,
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus.

D & post verba hæc à Salvatore in cruce prolata:

Ille autem impavidus, quo vincula nectitis, inquit,
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Post mihi non simili pœna commissa luetis:
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.

II. Huic sane operi, ut illud etiam obiter moneam, non succensuisset sanctus *Hieronymus*, si *Aniciæ Faltoniæ Probæ* fœtus exstitisset: quam in epistola octava ad neptem ejus *Demetriadem* impensissime laudat his verbis: *Proba illa omnium dignitatum, & cunctæ nobilitatis in Orbe Romano nomen illustrius: cujus sanctitas & in universos ef-
E fusa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit: quam trium liberorum, Probini, Olybrii & Probi non fatigarunt Consulatus.* Viden' omnia præterquam doctrinam & eruditionem in gravissima femina commendari? quibus si excelluisset, sanctus 206
quoque *Augustinus* eam literariis laudibus cumulare non omisisset in crebris epistolis ad eandem scriptis: quarum loca simul congesserunt Monachi sancti Mauri in *Vita Augustini libro septimo capite sexto*, ubi *Aniciam Faltoniam Probam* neutiquam Poëtriam appellaverunt, ut fecerat Johannes Rivius itidem *in Vita Augustini libro primo capite quarto* §. VII. Profecto neque *Claudianus*, qui *Probæ Aniciæ* eximias dotes enumerat in *Panegyrico de Con-
F sulatu Probini* & *Olybrii* ejus filiorum, unquam silentio præteriisset, ab eadem *Proba* subductam fuisse rationem cum Musis, ubi de illa cecinit:

Sic Proba præcipuo natos exornat amictu;
Quæ decorat mundum: cujus Romana potestas
Fœtibus augetur. Credas ex æthere lapsam
Stare Pudicitiam, vel sacro thure vocatam
Junonem Inachiis oculos advertere templis.
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Græca vetustas:

Con-

Conjuge digna Probo: nam tantum cœtibus exstat
Femineis, quantum supereminet ille maritos.

Quisnam locus aptior hoc erat celebrandis poëticis dotibus *Probæ*, si reapse Apollinea lauru fuisset insignis, eademque ac *Proba* nostra *Falconia?* Quare ex superius dictis certo eruitur, *Probam*
207 *Falconiam* coævam fuisse sancti *Hieronymi*, qui diem extremum obiit anno ccccxx. Quia vero Centonem suum *Honorio* Augusto *Theodosii* Magni filio & *Arcadii* fratri obtulit: qui *Honorius* nuncupatus est Augustus iv. Idus Januarias anno cccxciii. secundum melioris notæ Chronologos, quorum sententias diligenter excussit Tillemontius in *tomo quincto Historiæ Imperatorum nota* lii. *pag.* 764. id sane post hunc annum cccxciii. contingere debuit; nam *Proba* in nuncupatione ad *Honorium* ita canit:

Romulidum ductor, clari lux altera Solis,
Eoum qui regna tenes moderamine justo,
Spes orbis, fratrisque decus, dignare, Marone
Mutato in melius, divinum agnoscere sensum,
Scribendum famulæ quem jussisti . . .

Proinde *Honorius*, quando hæc carmina scripta fuerunt, jam in oriente dominabatur, ubi tamen salutatus non fuit Cæsar ante annum, quem notavi. Inde etiam eruitur, Centones istos à *Proba* conscriptos jussu *Arcadii* junioris, cui ut legendi exhibeantur, eadem postulat ab *Honorio*.

Hæc relegas, servesque diu, tradasque minori
Arcadio: hæc legat ille suo generi: hæc tua semper
Accipiat, doceatque suos Augusta propago.

208 III. Quia ob ignorantiam exscriptorum in vulgatis carminum *Sedulii* editionibus, & in *tomo sexto Bibliothecæ Patrum Lugdunensis pag.* 459. eadem præfatio cum hac spuria inscriptione comparet: *Cœlii Sedulii Poëtæ ad Theodosium Augustum operis sui Paschalis carmen dedicatorium*, plerisque credita est purus putus fœtus ejusdem *Sedulii*, atque ea inscriptio etiam *Trithemio* olim imposuit; siquidem inter opera *Seduliana* librum unum ad *Theodosium* Imperatorem enumerat, cujus initium: *Romulidum ductor.* Jacobus Usserius in *Britannicarum Ecclesiarum Antiquitatibus capite decimo sexto pag.* 772. suspicabatur carmen illud dicatum *Theodosio* quidem Magno, & verbis illis, *fratrisque decus*, *Valentinianum* II. indicari, cujus sororem *Gallam* connubii participem habuit orientis Imperator *Theodosius:* sed re postea accuratius expensa, putavit ad poëma vetustius pertinuisse, *quo jam deperdito, propter aliquam argumenti similitudinem* Sedulii scripto præfixum fuerit; quum *ab antiquissimis exemplaribus*, quæ consuluit, illud abesse vidisset, nec carmen illud dedicatorium cum *Sedulio* cohæreret. Denique Consulatus *Turcii Rufi Asterii*, à quo dicitur vulgatum, scrupulum omnem exemit *Usserio*, quum post *Theodosii* imperium contigerit. Cardinalis Norisius in *Cenotaphiis Pisanis dissertatione quarta capite secundo*
209 §. 1. ait *Theodosium* seniorem in eodem carmine quidem appellari; sed, levi correctione adhibita, juniorem etiam *Theodosium* posse ibidem designari, si nempe dicatur:

Hæc relegas, servesque diu, tradasque minori
Arcadiæ: hæc illa suo generi &c.

etenim *Arcadia Theodosii* junioris soror superstes fuit usque ad annum ccccxliv. At si nulli hæc nupsit, ut vir accuratissimus animadvertit, curnam *poëta regios hymenæos & futuram prolem eo carmine augurabatur?* Præterea *Valentinianus* II. qui fuit interemptus Idibus Majis anno vulgari cccxcii. non fuit frater *Theodosii* senioris, ut ipse opinatur, existimans illis verbis, *fratrisque decus*, eundem intelligi: neque Sedulius *mutavit Maronem in melius*, seu carminibus Virgilianis expressit res Christianorum; ideoque rogare non potuit *Theodosium*, ut in eodem *Marone divinum*
A *sensum agnosceret.* Quare omnium rectissime Georgius Fabricius in *notis ad Poëtas Christianos pag.* 25. carmina illa *Sedulio* abjudicavit, licet male crediderit, ejusdem præfationis auctorem dicare voluisse Imperatori & ejus filio opus *Sedulii.* Idem suboluit etiam *Caveo*, qui pag. 239. ubi loquitur de *Sedulio* hæc de iisdem carminibus in literas misit: *in editionibus nonnullis præfixi sunt carmini Paschali versus quidam nuncupatorii ad Theodosium seniorem, qui ex alio vetustioris alicujus Poëtæ assuti videntur. Certe Sedulium auctorem non* 210
habent. Labbeus quoque in *tomo altero de Scriptoribus ecclesiasticis pag.* 333. vidit, carmen illud ab-
B esse *ab antiquissimis exemplaribus MSS. neque in ipsius Sedulii metaphrasi prosaica ullum ejus vestigium, neque in gemina ad Macedonium epistola* apparere. Hoc pridem adnotaverat etiam *Usserius pag.* 773. qui insuper animadvertit, librum illum, cui carmen idem erat præfixum, à mundi creatione & formatione hominis exordium cepisse, ut ostendit illa pollicitatio

hic tibi mundi
Principium, formamque Poli, hominemque creatum
Expediet limo.

Hoc autem in Paschali carmine *Sedulius* minime
C complet: at recte *Proba Falconia* in Centone suo ubi canit:

Principio cœlum, ac terras, camposque virentes,
Lucentemque globum Lunæ, Solisque labores
Ipse pater statuit.

Hinc jure & merito eam præfationem legitimæ dominæ suæ postliminio restitutam ex Vaticanis, pluribusque aliis MSS. Centoni *Falconiæ* præfixit *Julius Roscius* anno MDLXXXVIII. cujus inscriptio hæc est: *Ad Honorium Aug. Theodosii Magni F. & Arcadii Aug. Fr.* Ea tamen præfatio nonnihil poterat emendari editione Seduliana *Georgii*
D *Fabricii.*

CAPUT III. 211

SYNOPSIS.

I. Probæ *Cento à* Gelasio *relatus inter apocrypha. Decretum de libris canonicis & apocryphis perperam* Gelasio *abjudicatum.* II. *De eo variorum sententiæ discussæ.* III. *Quid in Decreto significetur nomine apocryphorum. Ejusdem vocis originatio.* IV. *Decretum in antiquis codicibus* Gelasio *adsignatum, & in Collectionibus expressum. Perperam* Hormisdæ *attributum.* V. *Paschale*
E *carmen* Sedulii *quando editum & in Decretum* Gelasii *relatum.* VI. Asterius *illud emendavit, non primus edidit. Idem Paschale carmen diversum à Paschali opere.*

MARIANUS *Victorius* videtur existimasse, *Probæ* Centonem diversum fuisse ab eo, qui inter scripturas apocryphas in Decreto Gelasiano consignatur his verbis: *Centones de Christo, Virgilianis compaginati, apocryphi:* ubi pro *Centones* male in quibusdam editionibus legitur *Pentametrum*, vel *Centimetrum.* Sed prorsus eundem esse luculentissime comprobat *Isidorus.* Istud Decretum prostat apud Ivonem *parte quarta capite sexa-*
F *gesimo quarto*, Burchardum *libro tertio capite ducentesimo decimo septimo*, Gratianum *parte prima distinctione decima quincta capite tertio.* Item apud 212
Didacum Covarruviam cum eruditis explicationibus in Variarum resolutionum *libro quarto capite decimo quarto*, & demum in Conciliis Labbei *tomo quarto col.* 1264. & ubique à *Gelasio* conditum fertur in Concilio LXX. Episcoporum anno Christi ccccxciv. Certe sub *Gelasii* nomine passim sæculo nono jam laudabatur. nam eidem Pontifici disertissime tribuerunt Hincmarus Remensis in *to-*

mo

mo secundo operum pag. 474. Nicolaus I. in *epistola quadragesima secunda*, quæ est ad Episcopos *Galliæ* in Concilio VII. *Romano* apud Labbeum *tomo octavo col.* 800. Lupus item *Ferrariensis* Abbas in *epistola centesima duodetricesima ad Carolum Calvum*, & in fine *libelli de Tribus quæstionibus:* & post hos *Hariulfus* monachus sancti Richarii in *Chronico Centulensi*, quod perfecit anno MLXXXVIII. apud Dacherium in *Spicilegii tomo quarto pag.* 484. At vero Petrus Franciscus Chiffletius in *notis ad Vigilium Tapsensem pag.* 149. ex codice MS. Jurensi illud Decretum emendatum edidit non sub nomine *Gelasii*, sed *Hormisdæ* : cujus item Pontificis nomen legi in aliis MSS. testatur *Paschasius Quesnellus* in *notis ad Codicem canonum ecclesiæ Romanæ, dissertatione duodecima capite quarto num.* III. atque ita etiam legitur in alio codice ecclesiæ *Urgellensis*, quem in notis ad mox laudatam epistolam
213 *Lupi*, & ad Dialogos Antonii Augustini *de emendatione Gratiani pag.* 444. memorat V. C. *Stephanus Baluzius* : qui insuper vetustissimum Dacherianum codicem collectiones *Dionysii* Exigui laudat, ubi Decretum illud *Damaso* adsignatur, jamdiu videlicet ante *Gelasii* tempora. Ex his *Baluzius* colligit, *Damasum* de hujusmodi libris primo statuisse, deinde *Gelasium Damasi* Decretum renovasse & auxisse: quod credidit etiam magnus Annalium conditor anno LXIX. num. IV. *Baluzius* idem præstitum fuisse putat ab *Hormisda*, qui non multo post *Gelasium* floruit. Sed quum tale quidpiam de nullo ex his Pontificibus vetus ecclesiæ historia nos doceat, Johannes Pearsonius *in Vindiciis epistolarum sancti Ignatii parte prima capite quarto* incertum esse ait à quonam Decretum editum fuerit, & ad tempora *Gelasio* posteriora illud trahens, quod *Dionysius Exiguus* sanctionum ecclesiasticarum collector ejus non meminerit, conditum fuisse opinatur post Concilium V. anno vulgari DLIII. celebratum. Gullielmus Cave in *Historia literaria tomo primo pag.* 265. paullo confidentiùs sentit, dum illud spuriis mercibus *Isidori* Mercatoris adnumerat: in quam sententiam ire videtur etiam Johannes Ernestus Grabius in *notis ad Spicilegium Patrum & Hæreticorum primi sæculi pag.* 319. urit enim Heterodoxos, qui traditionem rejiciunt, & librorum canonicorum numerum pro
214 arbitratu & sectæ suæ commodo minuunt, ibi in Canone recenseri libros *Job*, *Tobiæ*, *Judith*, *Maccabæorum*, epistolam *Paulli* ad Ebræos, & *Jacobi*, *Petri* duas, *Judæ* unam, *Johannis* tres, & Apocalypsim: quasi nimirum etiamsi *Gelasius* eosdem sacratissimos libros nominatim non retulisset in Canonem (quos quidem ab eo non relatos ultro fatemur, ut infra apparebit) longe ante eundem Pontificem Ecclesia Catholica eorum divinam auctoritatem non agnovisset. Hinc jure *Mabillonius* in Catalogo præcipuarum difficultatum occurrentium in lectione Conciliorum, Patrum & Historiæ ecclesiasticæ, per sæculorum ordinem disposito, quem subjecit libro suo de Studiis monasticis, ponit in Sæculo v. quæstionem de Decreto *Gelasii*. Hanc quidem proposuit etiam Natalis Alexander in *Sæculo quincto capite* v. *articulo* XVIII. qui tamen illam neutiquam solvit, ait enim: *Gelasii sit vel Hormisdæ, vel utriusque, parum interest*. Sed nos, quandoquidem huc devenimus, cum doctissimo *Mabillonio* contra sentimus, putantes non parum interesse ubi ostendamus illud Decretum ad alium Pontificem, quam ad *Gelasium* pertinere non posse. maximi enim semper interest veritatem ipsam penitius nosse, & prisca ecclesiæ monumenta suis legitimis & veris auctoribus restituere.

215 II. Sane Criticorum præstantissimus Henricus Norisius *in Cenotaphiis Pisanis dissertatione quarta capite secundo* §. I. *pag.* 445. ex epistola septuagesima *Hormisdæ* ad *Possessorem* Episcopum non obscure colligi posse conjicit vulgatum fuisse Decretum illud de libris probandis improbandisque ante annum DXX in ea enim epistola apud Labbeum *tomo quarto Conciliorum col.* 1532. de libris *Fausti Rejensis* loquens Pontifex scribit : *neque illum recipi, neque quenquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei, aut ecclesiasticæ disciplinæ ambiguitatem posse gignere, aut religiosis præjudicium comparare* ; ad quæ notat Baronius sub anno DXX. *num.* XXI. Decretum de libris apocryphis significari, in quo proscribuntur opuscula *Fausti Rejensis*. Verum paullo post *Hormisdas* etiam clarius insinuat, non à se, sed ab alio antiquiore ex præcessoribus suis illud manasse: *non*, inquit, *improvide veneranda Patrum sapientia fideli potestati quæ essent Catholica dogmata definiit : certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente, præfigens, ne opinioni suæ lector indulgens, non quod ædificationi ecclesiasticæ conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, assereret.* Decretum itaque de libris recipiendis & non recipiendis ab aliquo ex præcessoribus *Hormisdæ* profluxerat. Et quidem illud
sexto jam sæculo vulgatissimum fuisse colligitur 216
ex Isidori *capite quincto de Viris illustribus*, ubi hæc habet de Proba Falconia : *ejus Cento legitur inter apocryphas scripturas insertum.* Hinc quippe significatur, ex illo Decreto, tanquam inter Catholicos jam pridem notissimo, authentico, & passim pro veteri habito, testimonium ab *Isidoro* laudari : non ergo *Lupus Ferrariensis* primus omnium Decreti *Gelasiani* meminisse deprehenditur, ut putavit *Pearsonius pag.* 44. Atque vel hinc, nisi alia suppeterent, exploderetur confidentia *Gullielmi Cavei*, qui nugis armatus *Gelasio* Decretum abjudicat, affirmans nullum ejus meminisse ante annum DCCCXL. non *Isidorum*, neque alios sæculo nono antiquiores, ideoque *fictum, aut suppositicium esse hoc Decretum, ac ejusdem cum epistolis primorum Pontificum Decretalibus farinæ, ex eademque Isidori Mercatoris officina prodiisse.* Sed in Bibliotheca Vaticana ad calcem Missalis Gallicani, quadratis literis exarati, quod vir ad ecclesiasticos ritus explicandos maxime natus aptusque *Josephus Maria Thomasius* edidit inter Codices Sacramentorum *nongentis annis* (ideoque etiam Lupo Ferrariensi) *antiquiores* Gelasianum Decretum prostat cum hac epigraphe : *incipit Decretalem*[sic] *Gelasii Papæ Urbis Romæ.* Hoc vulgabimus in fine operis, quia propter tantam antiquitatem, & sinceritatem suam, qua differt ab edi-
tis, est maxime commendandum. In Chronico 217
etiam Fontanellensi *tomo tertio Spicilegii Dacheriani pag.* 240. inter codices cœnobio Flaviniacensi sub *Ludovico Pio* ab *Ansegiso* Abbate donatos continentur *Decreta Gelasii Papæ de libris recipiendis & non recipiendis.* Quare Johannes Mabillonius in erudita *Disquisitione de Cursu Gallicano pag.* 386. nullus dubitat quin isthæc epistola Decretalis ad *Gelasium* legitimum auctorem pertineat.

III. *Probæ* autem honori & famæ nequicquam detrahit ejus Centonis inter apocrypha rejectio. quæ enim in Decreto *apocrypha* appellantur, ea omnia tanquam à Catholicis passim vitanda minime damnantur : quod tamen putarunt *Pearsonius* & *Caveus.* Enimvero communi sensu veterum Patrum quod inter apocrypha recensetur, canonicis libris & publice in Ecclesia legendis tantum opponitur : unde sanctus Augustinus in fine *capitis vicesimi tertii libri decimi quincti de Civitate Dei* de scriptis quibusdam affirmat, *quod nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.* Hinc gravissimus Cardinalis Historicus *anno* XXXI. *num.* XLI. notat, vul-

vulgatam epistolam divini Servatoris nostri ad *Ab-*
garum cum sua responsione à *Gelasio* recenseri in-
ter *apocrypha*, *quasi non hagiographa*, *non tamen*, *ut*
eas ab Ecclesia omnino proscribat, *sicut nec complures a-*
218 *lios libros*, *quos proxime recensuit*: proxime autem
recensuerat Centonem Virgilianum. Duplex e-
rat scriptura, ut observat Johannes Baptista Co-
telerius in *notis ad epistolam Barnabæ* inter opera
Patrum ævi Apostolici: *canonica*, cujus dictator
Spiritus sanctus, & *apocrypha*, cujus auctor ho-
mo solus. Ita idem Augustinus in *libro altero ca-*
pite octavo de Doctrina Christiana, Hieronymus in
epistola centesima undetricesima, & in *caput secun-*
dum epistolæ ad Titum, atque etiam Isidorus in *O-*
riginibus libro sexto capite secundo. Quare *apocry-*
phus à Gelasio non accipitur pro *pseudepigrapho*:
quo sensu aliquando accepit Hieronymus in *epi-*
stola septima ad Lætam, ubi ait: *apocrypha sciat*
non esse eorum, *quorum titulis prænotantur*: neque
pro eo, quod omnino abscondi debet atque igno-
rari; sed pro non hagiographo, ut inquit *Baro-*
nius. Hinc *Lupus* in fine epistolæ CXXVIII. di-
sertissime ait, *apocryphum* idem esse ac sine aucto-
ritate, & inter apocrypha referre, idem ac *exau-*
ctorare; nam inquit: *docet Gelasius cum LXX. E-*
piscopis, *viris eruditissimis*, *qui scriptores essent vel*
non essent recipiendi, ubi *Fausti scripta his verbis*
EXAUCTORAVIT. *Opuscula Fausti Regensis Galli*
apocrypha. Duplicis enim generis fuisse apocry-
pha animadvertit Chiffletius *ad Vigilium Tapsen-*
sem pagina 147. Orthodoxorum, & Hæretico-
rum: prima canonicis opponebantur, ideoque
publice in Ecclesia legi non poterant; secunda
219 tanquam fidei & bonis moribus repugnantia omni-
no damnata habebantur. Utraque apocrypha de-
signari in Decreto *Gelasii* observavit Petrus de
Marca *de Concordia libro tertio capite secundo sectio-*
ne septima. Quippe ibidem præter libros hære-
ticos inter apocrypha recensentur *Clementis Ale-*
xandrini, *Tertulliani*, *Arnobii*, *Lactantii*, *Euse-*
bii, *Probæ* & aliorum opera, quia *Gelasius* qui
libri legendi quive non legendi essent definiens,
id de lectione publica in Ecclesiis facienda intelligere
videtur, ut ait *Mabillonius de Cursu Gallicano pag.*
385. quam viri doctissimi interpretationem exo-
sculor. ea enim refelluntur quæ tanquam à *Gelasio*
abhorrentia opponit *Pearsonius pag.* 55. ubi *in De-*
creto omnia, *quæ apocrypha appellantur*, *tanquam à*
Catholicis vitanda, *& ab Ecclesia eliminanda* uti-
que damnari pronunciat. Exstat vetustissimus ca-
non in Ferrandi *Breviario num.* CCXXXVIII. & a-
pud Crisconium *num.* CCC. *ut præter scripturas Ca-*
nonicas nihil in Ecclesia legatur. Quum vero ejus-
modi Decreta & opuscula ad usum Ecclesiarum
conscriberentur, ideo *novas semper accessiones pati*
oportuit, *prout ipsa consuetudinis temporisque ratio*
postulare videbatur, ut verbis utar *Thomasii* nostri,
viri in hisce rebus peritissimi, ex ipsius præfatio-
ne ad Codices Sacramentorum decerptis, ubi Gre-
gorianum Sacramentorium juxta ac Gelasianum
220 codicem aliquot additionibus auctum ostendit, ne-
que propterea respuendum tanquam fucatum. Ex
superius dictis exploditur Beatus *Rhenanus*, qui
in epistola præfixa Auctoribus Historiæ ecclesia-
sticæ à se collectis, & Basileæ editis apud Fro-
benium anno MDXXXIX. temere putavit *Gelasium*
interdicere nobis voluisse lectionem Eusebii, *vel*
ab aliquo asino adjectum in ejus Decreto, *Historiam*
Eusebii apocrypham esse: vel *Gelasium* sibi ipsi con-
trarium, ut qui in Decreto improbet librum a-
libi à se probatum: quæ omnia perperam pro-
nunciavit, non intellecta significatione *apocrypho-*
rum. Hanc quidem ad mentem *Gelasii* assequutus
neque est præstantissimus nostræ religionis inter-
pres Melchior Canus, qui in *libro undecimo de Lo-*
cis Theologicis capite sexto impudentiam *Rhenani*

A redarguens opinatur, *apocryphum* à *Gelasio* accipi
pro reprobato, atque *Eusebii* Historiam ideo in-
ter apocrypha rejici, quia in illa Christi Domini
& *Abgari* epistolas amœbæas retulerat: quæ item
à *Gelasio* cum apocryphis numerantur; & quia
multa testimonio *Clementis Alexandrini* firmave-
rat: cujus quoque opuscula inter apocrypha re-
censita sunt à *Gelasio*. *Cani* sententiam excepit
Isaacus Casaubonus *Exercitatione decima tertia*
num. XXXI. ad Baronianos Annales, qui propterea
vapulat à Richardo Montacutio in *Originibus ec-*
clesiasticis parte posteriori tomi primi pag. 62. *num.* 221
96. ubi Gelasii *apocrypha* non tanquam hæretico-
B rum carcinomata, sed ut talia, quæ nequaquam
inter hagiographas & canonicas scripturas admit-
ti debeant, à *Baronio* accepta fuisse declarat. A-
pocryphorum originationem Isaacus Vossius in
capite septimo de Oraculis Sibyllinis trahit ab Ebræis,
apud quos antequam in Græcum sermonem libri
sacri converterentur, omnes erant *apocryphi*, nem-
pe arcani, inaccessi, utpote ad quos solis Levitis
pateret aditus. Hos deinde libros post adventum
Messiæ *Judæi* execrati fuerunt, pudore affecti,
quod annunciassent quem ipsi non cognoverant;
unde tunc novas condere versiones, ut quem jam-
pridem ex animis, eundem quoque è sacris literis
C exterminarent: tuncque factum est, ut arctius
quam antea libri sacri constringerentur, omnes-
que, qui Ebraice non exstarent, à reliquis sepa-
rati, veluti interdicti & à nemine legendi, pro
apocryphis habiti fuerint, à vero significatu de-
torta vocis natura. Quum enim antea libri sacri,
aut omnes, ad quos non pateret cuicunque adi-
tus, *apocryphi* dicerentur; illi in sequiorem sen-
sum acceperunt hoc vocabulum, tanquam si ideo
non essent adeundi quod dubiæ essent fidei. Ex
his satis patet quam alieno sensu apud veteres Chri-
stianos ac nunc vulgo vox *Apocryphorum* accipia-
tur, quum adulterini vel exigui momenti libri i-
sthoc signantur titulo. Ut ergo in pauca rem con-
D traham, Decretum, de quo disputamus, utique 222
spectat ad *Gelasium* I. cui præter monumenta su-
perius adducta illud tribuunt *antiqui codices* apud
Chiffletium in *notis ad Vigilium Tapsensem pa-*
gina 157. Item codex MS. *Gratiano* & *Ivone* an-
tiquior, & alius in *Cantabrigiensi* Bibliotheca ad-
servatus, quem olim *Lanfrancus* Archiepiscopus
Cantuariensis ex *Beccensi* cœnobio in *Angliam* ad-
vexit, quorum utrunque memorat *Pearsonius*.
Hinc tanquam sanctio antiquissima sub nomine *Da-*
masi continebatur in codice collectionis *Crisconia-*
næ apud *Baronium* sub anno LXIX. *num.* IV. æque ac in
Dacheriano codice collectionis *Dionysii Exigui*, & in
E veteri codice MS. *Urgellensi* sinceræ collectionis Isi-
dorianæ ubi Decretum tribuitur *Hormisdæ* apud Ba-
luzium in *notis ad Lupi epistolam centesimam duodetri-*
cesimam. Ex his apparet, Gelasianum Decretum in
Collectionibus antiquis exstare, quamvis errore li-
brariorum nomen alienum præferat: qui tamen faci-
le diluitur quum pleraque opera in Decreto memo-
rata post *Damasum* & ante *Hormisdam* prodierint.

IV. Eximius Annalium ecclesiasticorum illu-
strator Antonius Pagius sub *anno* CCCCXCIV. *num.*
V. putat *Hormisdam*, ut petitioni Possessoris epi-
scopi Africani CPoli exsulantis faceret satis, tam
F ad eum, quam ad Legatos suos Decretum *Gela-*
sii misisse, præcipiendo, ut illud ab omnibus re- 223
ligiose observaretur; tuncque Decretum illud in
varia exemplaria per *Fausti Rejensis* adversarios
exscriptum latius per *Europam*, *Africam*, & O-
rientem volitasse. Quia vero ab *Hormisda* fue-
rat missum, ejusque nomine vulgatum, eidem
postea tanquam auctori tributum fuisse opinatur.
De anno, quo Decretum conditum fuit inter se
Critici dissident. Siquidem *Baronius anno* CCCCXCIV.
num. XIX. datum existimavit in Concilio Roma-

no LXX. Episcoporum, *Asterio atque Præsidio Consulibus:* quod etiam exhibent Conciliorum editores *Philippus Labbeus* & Gabriel Cossartius *tomo* IV. *col.* 1260. ubi laudant *vetustissimum* codicem suum MS. & alium Christophori Justelli *col.* 1261. Præterea idem Labbeus in *Dissertatione de Scriptoribus ecclesiasticis tomo primo pag.* 341. *ex veteri MS. codice* suæ Bibliothecæ se Decretum illud descripsisse testatur. Id ipsum præferre *aliquos MSS. codices* Pearsonius affirmat. *Chiffletius* autem quum dubitasset aliquando, num vere hoc Decretum *Gelasio* adscriberetur, ingenue postea testatus est in notis mox indicatis animum suum titubantem firmatum fuisse ab antiquis codicibus, *in quibus hoc Decretum editum notatur à Gelasio in Synodo Romana LXX. Episcoporum Asterio & Præsidio Coss. qui est annus Christi* 494. *Gelasii Papæ*
224 *tertius, ante Hormisdæ initia vicesimus.* Lupus etiam in epistola sæpenumero memorata, & in fine libri *de Tribus quæstionibus* scribit *Gelasium* condidisse Decretum illud *cum LXX. Episcopis viris eruditissimis, statuens qui scriptores essent, vel non essent recipiendi.* Quare alucinatur *Pearsonius* Synodi illius nullam haberi mentionem jactans, & Pagius *anno eodem* CCCCXCIV. *num.* VI. scribens, notam illam temporariam desiderari in codicibus MSS. ideoque *Baronium* & Conciliorum collectores refellendos, propterea quod ipse in duobus codicibus eam non invenerit. Idem Decretum in codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ longe antiquissimo non præfert sacrarum Scripturarum canonem, ut in vulgatis, sed absolute sic incipit: *Post propheticas & evangelicas atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est.* Eodem pacto incipit etiam in codice *MS. Justelli.* Et sane supervacaneum fuisset in Concilio LXX. Episcoporum à *Gelasio* divinorum librorum ordinem condi, qui olim in Ecclesia catholica firmatus jam fuerat. Etenim *Innocentius* I. in epistola II. ad *Exsuperium Tolosanum* integrum exhibet eundem canonem apud Labbeum *tomo secundo col.* 1256. Item Concilium Carthaginiense III. anno CCCXCVII. celebratum in canone XLVII. *tomo eodem col.* 1177. & Codex canonum ecclesiæ Africanæ *capite* XXIV. ibidem
225 *col.* 1061. necnon & sanctus Augustinus in *libro secundo de Doctrina Christiana capite octavo num.* 13. ubi quidem inter libros canonicos recensentur libri *Job, Tobiæ, Judith, Maccabæorum*, epistola ad *Ebræos* & *Jacobi*, *Petri* duæ, *Judæ* una, *Johannis* tres, & Apocalypsis. Quare nullum dubium quin idem Canon scripturarum post *Gelasium* Decreto ipsius præfixus fuerit, & forte ab *Hormisda*, cujus nomine alicubi circumfertur. *Pearsonius Gelasio* præcipue abjudicavit Decretum, quia in eo legitur: *liber, qui appellatur canones Apostolorum, apocryphus*; & quia post quatuor Concilia generalia enumerata, hæc adduntur: *sed & siqua sunt Concilia à SS. Patribus hactenus instituta post illorum quatuor auctoritatem & custodienda & recipienda decrevimus:* quibus verbis Concilium V. sive CPolitanum II. *Pearsonius* designari contendit, ut post illud tempus Decretum editum evincat. Verum & ista evanescunt, quum verba illa desint in codice Palatino. Canones item Apostolorum deerant in codicibus *Pearsonii, Hincmari* & *Justelli.*

V. In editione Poëtarum Christianorum, quam *Aldus Manutius* senior *Venetiis* adornavit anno MDII. post Carmen Paschale *Sedulii*, quod prostat in parte secunda, dicitur illud publicatum fuisse *à Turcio Rufo Asterio Quinctio V. C. Exconsule ordinario atque Patricio, qui id inter scripta Sedulii invenit.* Hæc adnotatio, quæ non
226 in fine, sed in principio Carminis *Sedulii* occurrit in codicibus MSS. mox à nobis laudandis, cum

A hoc epigrammate ad *Macedonium* adnectitur, quod deest in editione Aldina:

Sume, sacer meritis, veracis dicta poëtæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio,
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius:
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope & cura edita sunt populis,
Quem quamvis summi celebrent per sæcula fastus,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Macedonius ille non Abbas, ut in vulgatis, sed *Presbyter* vocatur in scheda *Barthii*, qui sexto versu suspicatur vocem remotiorem *didita* reponendam, etsi non insolentes tali loco Christiani
B peccent. *Fastus* etiam editum in scheda Barthii: *quod nec illatinum nec ineruditum* esse ait, quum Lucanus in *libro* X. *v.* 187. dixerit:

Nec meus Eudoxi vincetur FASTIBUS *annus.*

Columella etiam in *libro nono capite decimo quarto Eudoxi & Metonis antiquorum* FASTUS *astrologorum* sequi se dixit. Idem Carmen Sedulii in *Decreto Gelasiano* hoc elogio decoratur: *venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod heroicis descripsit versibus insigni laude præferimus.* Hinc Pearsonius in *Vindiciis Ignatianis parte prima capite quarto pag.* 46. putavit se fortissimum argumentum eruere ad
C Decretum *Gelasio* abjudicandum quum Pontifex 227
anno CCCCXCIV. *Asterio* & *Præsidio* Coss. commendare nequiverit opus *Sedulii*, quod idem *Asterius* nondum vulgaverat: quodque *Exconsul* vulgare non potuit ante annum CCCCXCV. quo primum dici potuit *Exconsul.* Eandem difficultatem viderat Usserius in *Britannicarum ecclesiarum Antiquitatibus pag.* 777. quum enim post biennium sive anno CCCCXCVI. è vita excesserit *Gelasius*, intra illud temporis spacium putavit opus *Sedulii* prodiisse *Asterio* accurante, & Concilium Romanum LXX. Episcoporum sub eodem *Gelasio* celebratum, quod nuperrime divulgato operi præclarum dederit testimonium. Sed Sirmon-
D dus in *notis ad epistolam vicesimam tertiam libri primi Ennodii* ex codice MS. *Remensi*, & *Usserius* loco laudato ex *Thorneyensi*, hanc adnotationem præfixam initio Seduliani Carminis adduxerunt: *hoc opus Sedulius inter chartas dispersum reliquit: quod recollectum adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum est à Turcio Rufio Asterio V. C. Consule ordinario atque Patricio.* Hinc *Sedulii* Carmen prodiisse videretur eodem anno, quo *Gelasius* Concilium celebravit, nisi ex veteri MS. Johannes Cuspinianus in *Fastis*, Panvinius item *libro tertio Fastorum*, atque codex Vaticanus 1165. non *Consule*, sed *Exconsule* retinerent, quibus ad-
E dendus alter *vetustissimus codex Sangallensis*, quem 228
laudat *Melchior Goldastus*, nomine suo literis compendiariis designato, in præfatione ad Manuale biblicum sive Enchiridium sacræ Scripturæ, editum *Francofurti* apud *Egenolphum Emmelium* anno MDCX. in 8.° *Exconsule* pariter legi in *codice MS. sancti Albini* testatur Philippus Labbeus in *tomo altero de Scriptoribus ecclesiasticis pag.* 325. & in alio *optimæ notæ*, quem laudat in *Bibliotheca MSS. librorum parte prima pag.* 23. Idem quoque Barthius *Adversariorum libro secundo capite altero* se in *scheda vetustissima* reperisse testatur, necnon &
F in alia item *vetustissima*, quam memorat *libro duodecimo capite undevicesimo.* Quare nullus dubito quin *Asterius* ediderit carmen *Sedulii* post deposita Consulatus insignia secus ac *Sirmondus* existimavit, *Asterium* eundem confundens cum *Fl. Asturio*, qui cum *Protogene* processit Consul anno CCCCXLIX. & diversum faciens à *Turcio Rufio Aproniano Asterio*, qui anno CCCCXCIV. cum *Præsidio* collega in Fastos relatus est. Hos duos inter se diversos homines *Asturium* & *Asterium* commiscuit novissime etiam Dupinus in *Bibliotheca* parte

parte secunda tomi tertii pag. 212. editionis anni 1691. in 4.° ubi quidem non *Turcium Rufium*, sed *Tyrsium Rufum Asterium* appellat. In eundem errorem magna *Sirmondi* auctoritas traxit celeberrimos viros Aubertum Miræum in *scholio ad ca-*
229 *put septimum Isidoriani Catalogi*, Labbeum in *tomo secundo de Scriptoribus pag.* 333. & Alexandrum Wilthemium in *capite primo Appendicis ad Dyptichon Leodiense:* qui & alios errores incautus admisit, quos excussit vir omni laude præstantior Henricus Norisius in *Cenotaphiis Pisanis pag.* 439. Hinc refellitur etiam *Goldastus*, qui in laudata præfatione ad Manuale biblicum ait, *Turcium Rufium Asterium*, qui edidit Carmen *Sedulii*, fuisse in Consulatu collegam Protogenis anno CCCCXLIII. & falsos fuisse *Cuspinianum* & *Fabricium*, qui ad *Asterium* Præsidii collegam id retulerunt. In epigraphe carminis *Asterii*, quæ *Sedulio* subjicitur in editione *Aldina*, præfigitur vero in codicibus *Sirmondi*, *Usserii*, *Vaticano*, & *Cuspinianeo*, Carmen illud Paschale dicitur vulgatum *à Turcio Rufio Asterio Quinto V. C. Exconsule ordinario atque Patricio*, sive ut Barthii schedæ præferebant, *à Turcio Rufio Quinto Exconsule &c.* Unde Barthius in fine *capitis undevicesimi libri duodecimi* suspicatur illud cognomen *Quinto* ortum fuisse ex notis illis ævi prisci V. C. nam τὸ V. pro siphra numerica, ut loquimur, intellexit imprudens librarius, sed vetustissimus tamen: illudque cognomen *Quinto* perperam additum notavit etiam *Norisius* ex ejusdem *Asterii* chirographo in *Virgilii* codice Mediceo.

V. Ex his ergo manifeste apparet, hanc editionem Carminis *Sedulii* ab *Asterio* adornatam
230 fuisse, depositis jam pridem Consulatus insigniis, post annum CCCCXCIV. quo fuit celebratum Concilium *Romanum.* Hoc cognito, *Pearsonius*, *Norisius*, & *Pagius* Synodum illam trahendam putarunt post eundem annum: *Pagius* vero ad annum CCCCXCV. num. II. biennio serius coactam credidit. Sed nihilominus credibile non est, Carmen *Sedulii* vix editum ita innotuisse, ut in amplissimo Ecclesiæ *Romanæ* Concilio, tanquam opus ubique gentium probatissimum, insigni præconio commendari meruerit. Quare pro certo habeo longe ante *Asterii* Consulatum illud opus in lucem prodiisse. siquidem V. C. Mabillonius in *Analectis tomo primo pag.* 363. edidit observationem sub nomine *Hieronymi in Catalogo*, ubi hæc habentur: *Sedulius versificus primo laicus in Italia philosophiam didicit, postea cum aliis metrorum generibus heroicum Macedonio consulante docuit.* (legendum *consulente*, ut legit Usserius in codice Thorneyensi) *In Achaja libros suos scripsit in tempore Valentiniani & Theodosii*, nimirum anno vulgari CCCCXXXIV. ut habet *Bostonus Buriensis* apud eundem *Usserium pag.* 772. Hæc observatio non est *Hieronymi*, sed potius *Gennadii*, ex cujus *integris exemplaribus* se obitum *Sedulii* collegisse testatur *Sirmondus* in notis ad superius laudatam epistolam Ennodii. Idem Poëta apud Mabillonium in *acrosticho Bellesarii Scholastici*, quod prius
231 ediderat Margarinus Bigneus in *Bibliotheca Patrum tomo octavo col.* 537. editionis secundæ *Parisiensis*, & Barthius in *Adversariis pag.* 2484. vocatur *Sedulius Antistes:* quo nomine eum appellaverat etiam Sigebertus in *Catalogi capite sexto*, & Alcuinus *col.* 303. operum, ubi *Episcopum* vocat: cui proinde nihil est cum *Sedulio presbytero Hiberno.* Quare *Asterius* non vulgavit primus Carmen *Sedulii*, sed illud tantum ex schedis auctoris recognitum & emendatum edidit, quemadmodum fecerat adhuc Consul de scriptis *Virgilii Maronis*, quæ ejus chirographo insignita hactenus adservantur in Bibliotheca Medicea: neque tamen ideo jure quis dixerit opera *Virgilii* primum vulgata

A fuisse ab *Asterio.* ea quippe ætate mos erat, ut illustrium virorum lucubrationes per librarios non ederentur, nisi à viris in dignitate constitutis ante recognita & emendata, ut patuit exemplis inter Vindicias antiquorum diplomatum à nobis allatis pag. 36. quibus nunc addimus ex Prolegomenis Jacobi Gothofredi ad *Codicem Theodosianum pag.* CXCIII. *num.* 8. *Anianum Virum Spectabilem* eodem pacto recognovisse Breviarium codicis Theodosiani sub *Alarico Rege Gothorum.* Ita quoque *Securus Melior Felix Asper Comes Consistorii ex mendosissimis exemplaribus emendavit* opera *Martiani Capellæ*, Consule *Paulino* V. C. ut ob-
B servavit Hugo Grotius in *præfatione ad notas in eundem auctorem.* Quapropter auctoritate vete- 232
rum codicum edoctus, puto, Synodicum illud Decretum *Gelasii* prodiisse in Concilio Romano LXX. Episcoporum *Asterio* & *Præsidio* VV. CC. Coss. anno CCCCXCIV. & tunc in idem Decretum relatum fuisse Carmen *Sedulii*, quod postea emendatius edidit idem *Asterius:* ideoque Concilium Romanum non *secundum*, ut *Pagius* opinabatur, sed *primum* sub *Gelasio* appellandum erit, sicut hactenus à Conciliorum collectoribus & ab aliis appellatum est. Quum sæpius memoraverim *Paschale Carmen* Sedulii, scire juverit, eundem au-
C ctorem geminatum opus versu & prosa scripsisse. Primum *Macedonio* inscriptum & in quinque libros divisum, appellavit *Paschale Carmen:* hoc vero ejusdem *Macedonii* rogatu in solutam orationem conversum, *Paschale opus* inscripsit, ut de utroque ipsemet *Sedulius* testatur. Hoc posterius ex vetusto codice *Petri Pithœi* ab se notis illustratum edidit *Franciscus Juretus*, quod etiam prostat *pag.* 934. *tomi octavi Bibliothecæ Patrum* editionis Parisiensis omnium optimæ anni MDCXLIV. typis *Ægidii Morelli. Juretus* vero, qui in Decreto *Gelasiano* putat utrunque uno vocabulo commendari, & utrunque pariter lectum fuisse à *Gelasio*,
D bis atque iterum fallitur. etenim sub nomine *Paschalis operis* Paschale carmen ibi laudatur, quia dicitur *heroicis descriptum versibus*; sive, ut habet vetustissimus codex Palatinus: *quod eruditis descripsit versibus.*

CAPUT IV. 233

SYNOPSIS.

I. Proba *& ejus Virgiliocento à multis laudantur. Non scripsit Homerocentonem.* Lilius Gyraldus *&* Julius Roscius *notati. Scripsit de bellis civilibus.* II. *Virgiliocentonis diversæ editiones, &*
E *codices manu exarati.* III. *Errores codicis Padolironensis.* Casparis Barthii *opinio non probata. Locus sancti* Hieronymi *explicatus. Tres* Probæ *à sanctis Patribus memoratæ.* IV. Ausonii *de Centonibus sententia ab* Henrico Stephano *castigata*, Probæ *Virgiliocento ab eodem & à* Barthio *magni factus & emendatus.*

DUm rerum connexa series nova differendi argumenta suppeditat, & materia alia aliam trahit, ingens jam spacium salebroso diverticulo emensus, in viam redeo, *Probam Falconiam* iterum ad examen revocaturus. Ea ob Centonem
F Virgilianum omni ævo plurimi æstimata est, ideoque *Isidorus* vir sanctissimus & doctissimus ex universo feminarum sexu Scriptoribus ecclesiasticis eam unam adnumeravit *pro eo quod in laudem Christi versata est componens Centonem de Christo, Virgilianis coaptatum versibus*, ejusdem ingenium laudans, etiamsi laborem illum magni alioquin non fecerit. Hanc quasi alteram Christianorum Latinam Sapphum vocat *Sixtus Senensis:* eandem 234
commendat Olaus Borrichius in *dissertatione altera de Poëtis num.* LVI. Ejus Centonum opus *pium*

appellat *M. Antonius Sabellicus*, & veluti Deam quandam suspicit Barthius in *Adversariis libro decimo quinto capite eodem*, ubi aliquot ejus versus emaculat. Miris etiam laudibus extollit Boccatius in *libro de claris mulieribus* ubi alia quoque ab ea confecta fuisse opinatur, quæ scriptorum socordia & temporum injuria perierint, atque ex his Homerocentonem: quod scribit etiam Baptista Fulgosus *libro octavo capite tertio Memorabilium.* Henricus Stephanus in *Centonum* & *Parodiarum exemplis pag. 95.* de *Proba*, quod ad sacrum cum Musis certamen attinet, dici potuisse affirmat: *audetque viris concurrere Virgo.* Magna laude dignam proclamat, *suoque nomine non indignam feminam fuisse* arbitratur: atque adeo si post tot annorum curriculum ejus in hoc genere laboris & argumenti nullus vir æmulus inventus est, *id certe*, inquit, *gloriam ejus apud nos augere multum debet.* In hoc tamen contra *Stephanum* stat Isidorus in *Originum libro primo capite duodequadragesimo*, ubi, postquam de *Proba* loquutus fuit, ista subjungit: *sic quoque & quidam Pomponius ex eo demum poëmate inter cetera stili sui ocia Tityrum*
235 *in Christi honorem composuit, similiter & Æneidos.*
Probæ Virgiliocentonem nominatum dixi à sancto *Hieronymo* verbis recitatis in capite præcedenti ex epistola centesima tertia, ubi & Homerocentonis mentionem facit: qui quidem *Eudociæ* esse non potuit, quæ item Homerocentones condidisse fertur. hanc enim post *Hieronymum* floruisse infra apparebit. Nec scio unde hauserit *Lilius Gyraldus* quod tradit in *dialogo quincto historiæ Poëtarum*, *Probam Eudociæ Theodosii* junioris conjugi suum Centonem Virgilianum misisse. In id scribendi genus *Probam* incubuisse, ut *Honorio* & *Arcadio* expressam indicaret seriem eorum, quæ in novo & veteri Testamento continentur, alteri quidem Latine, alteri Græce, qui *Byzantii* imperabat, suspicatur *Roscius.* Hoc mihi tamen haud continuo probatur, propterea quod Cento Latinus dicatus fuerit *Honorio*, qui in oriente imperavit: atqui huic ex sententia *Roscii* non Virgiliocento, sed Homerocento dicandus fuerat. Addit etiam verosimile fieri, ut ejusdem scriptionis generi indulserit, quo conjugem suum in senectute ad religionem Christianam conversum & pro more aqua lustrali ablutum nostra mysteria edoceret; unde illi versus ad calcem operis:

Hunc, socii, morem sacrorum, hunc ipse teneto,
O dulcis conjux, & si pietate merentur,
Hac casti maneant in relligione nepotes.

236 *Proba* insuper initio Centonis sui fatetur alia sese plurima literarum monumentis consignasse, tuncque demum de profanis ad sacra argumenta se convertisse.

Jam dudum temerasse duces pia fœdera pacis,
Regnandi miseros tenuit quos dira cupido,
Diversasque neces Regum, crudelia bella,
Cognatasque acies, pollutos cæde parentum
Insignes clypeos, nulloque ex hoste trophæa:
Sanguine conspersos tulerat quos Roma triumphos,
Innumeris toties viduatas civibus urbes,
Confiteor, scripsi. Satis est meminisse malorum.
Nunc, Deus omnipotens, sacrum, precor, accipe carmen,
Æternumque tui septemplicis ora resolve
Spiritus, atque mei resera penetralia cordis,
Arcana ut possim natis, PROBA, *cuncta referre.*

Hic *Proba* innuere videtur se olim scripsisse de Romanorum bellis civilibus, & carminibus jam recitatis respexisse *Lucanum*, qui idem argumentum hisce versibus auspicatus fuerat.

Bella per Emathios plusquam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra,
Cognatasque acies: & rupto fœdere regni
A *Certatum totis concussi viribus orbis*
In commune nefas: infestisque obvia signis 237
Signa, pares aquilas & pila minantia pilis.
Quis furor, o cives? quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Quumque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?

II. Virgiliocentonem, qui unicus ex *Probæ* operibus superest, primus omnium typis vulgavit *Johannes Philippus de Lignamine* eques *Siculus* cum opusculis *Philippi* cujusdam Dominicani *Romæ* anno MCCCCLXXXI. in 4°. & *Philippus* item *Si-*
B *culus* ex ordine Prædicatorum, à supradicto forte minime diversus, illum inseruit libro inscripto, *Tractatus solemnis & utilis* in 4°. sine loco & sine anno editionis, ubi Virgiliocento Vaticiniis Sibyllarum adjunctus hunc titulum præfert: *Probæ Centonæ clarissimæ fœminæ excerptum è Maronis carminibus ad testimonium veteris, novique Testamenti:* quæ editio iterata fuit per *Bernardinum Benalium Venetiis* in 4°. sine anno. Deinde excusus fuit *Brixiæ* anno MCCCCXCVI. in 8°. & aliam postea editionem iteravit *Aldus Manutius* senior *Venetiis* anno MDI. in 4°. una cum *Sulpicii Severi* historia: & inter Poëtas Christianos cum titulo *Pro-*
C *bæ Falconiæ Centronis* insertus est in parte secunda ab eodem *Aldo* seniore anno sequenti MDII. in 4°.
Prodiit postea *Daventriæ* typis *Richardi Pafraët* 238
anno MDV. in 4°. deinde *Lugduni* cum Poëmatibus *Baptistæ Mantuani* anno MDXVI. *Francofurti* anno MDXLI. in 8°. & *Parisiis* anno MDLXXVIII. in 12°. cum *Eudociæ* Homerocentonibus, & Nonno apud *Henricum Stephanum*: quem sugillat Poetarum veterum studiosissimus Caspar Barthius in *Cemmentario ad Claudianum pag. 47.* secundæ editionis: *non enim*, inquit, *æque bene ac de aliis, de hoc libello meritus est. Illud vero facinus commisit illaudabile, quod notas Virgilianorum librorum*
D *marginibus depulit; unde sedes argute traductorum in Centones versuum & hemestichiorum, memoria eximuntur.* Habetur etiam impressio Parisiensis hac epigraphe signata: *Probæ Falconiæ vatis clarissimæ à sancto Hieronymo comprobatæ Centones. Parisiis apud Franciscum Stephanum* MDXLIII. *in* 8°. Aliam editionem accuravit *Henricus Meibomius* senior *Helmestadii* anno MDXCVII. in 4°. & aliam Margarinus Bigneus in *tomo quincto Bibliothecæ Patrum* editionis primæ Parisiensis apud Michaelem Sonnium anno MDLXXV. & in *tomo* VIII. editionis secundæ *Parisiis* sub signo navis anno MDLXXXIX. pag. 599. Comparet etiam in *tomo octavo ejusdem Bi-*
E *bliothecæ* editionis Parisiensis apud *Ægidium Morellum* anni MDCXLIV. pag. 708. unde *Thomas de Simeonibus* Centonem eundem transtulit ad calcem suæ
dissertationis de duabus Probis Bononiæ apud heredes 239
Pisarrii impressæ anno MDCXCII. in 4°. Idem quoque legitur in *tomo quincto pag.* 1219. Bibliothecæ Patrum postremæ editionis *Lugdunensis* anni MDCLXXVII. apud *Anissonios*, sed cum vitio, cujus *Henricum Stephanum Barthius* insimulaverat. *Johannes Platearius Probæ* Virgiliocentones edidit *Coloniæ* apud *Johannem Gymnicum* anno MDXCII. in 8°. Sed omnium utique diligentiam & studium vicit *Julius Roscius*, qui locis Virgilianis in
F utroque margine signatis celeberrimæ civis suæ opus ab innumeris mendis restituit, ad plures codices MSS. quorum unus erat *Hortanus*, accurate emendavit & vulgandum tradidit *Damiano Granæ Veronensi*, qui *Romæ* id præstitit anno MDLXXXVIII. in 16°. ex typographia *Sanctii* ad calcem opusculi Antonii Massæ *de Origine & rebus Faliscorum*, quum ceteroquin idem *Roscius Probæ* Centonem non sine commentariis edere decrevisset, ut *Grana* testatur in epistola ad Vincentium Laurum Cardinalem, Centoni præfixa.

In

In *tomo quarto Spicilegii Dacheriani pag.* 485. dicuntur exstitisse *Versus Probæ* in bibliotheca monasterii sancti Richarii anno Christi DCCCLXXXI. & in Catalogo bibliothecæ Vedastinæ Atrebatensis, quem ab hinc trecentos & amplius annos exaratum protulit Antonius Sanderus in *sua Bibliotheca librorum MSS. Belgii parte prima pag.* 61. signatur *liber Probæ per versus.* In Bibliotheca Vati-
240 cana idem Cento legitur in tribus codicibus MSS. membraneis, nempe num. 1586. pag. 84. absque principio, num. 1666. cum hac inscriptione: *incipit præfatio Probæ, Gentilium carmina ad obsequium fidei retorquentis.* Ad calcem vero leguntur hæc verba: *explicit Virgiliocentona Probæ, cujus Homerocentonam non habet Latinitas, sicut Virgiliocentonam ejus non habet Græcia. Studuit enim utranque gentem ad fidem Catholicam invitare priorum documentis auctorum.* In codice vero 1667. nomen *Flatoniæ Vecciæ Probæ* hucusque inauditum comparet, quod ex *Faltonia Anicia Proba* depromptum suspicor audacia amanuensium, qui ab *Anicia* illa *Faltonia Proba* poëtriam distinguere nescierunt. Ad extremos autem versus hæc notula scripta est in margine: *Proba vates hunc dominum nostrum Jesum Christum à Fidelibus cultum, & ut omnes colant & adorent, hortatur, & Alipium* (Adelphium scribi debuerat) *virum id facere monet.*

III. In bibliotheca etiam *Padolironensis* monasterii in fine cujusdam antiqui codicis prostant *Probæ Falconiæ carmina:* in fine autem ibidem sic legitur: *Proba uxor Adelphii, mater Olibrii & Aliepii cum Constantini Imperatoris bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit & hunc librum:* quod adnotavit *Bernardus Montfauconius* vir cla-
241 rissimus in *Diario Italico pag.* 36. Sed hæc postrema utique adjecta sunt ab inepto scriba ex eorum genere, qui jam ævo *Boccatii Probam* poëtriam, nominis alterius *Probæ* similitudine decepti, domo Romanam *ex conjectura* dictitabant. Nugatur vero ejus glossematis auctor. etenim *Anicia Faltonia Proba* mater fuit non *Alypii*, sed *Anicii Probi*, *Anicii Probini*, & *Anicii Hermogeniani Olybrii*, qui alius est à *Q. Clodio Hermogeniano Olybrio*: fuitque uxor *Sexti Anicii Petronii Probi*, non vero *Adelphii*: neque *Constantinus* bellum suscepit adversus *Magnentium*, sed *Constantius*. Quod *Probus*, *Probinus* & *Olybrius* exstiterint filii ejusdem *Aniciæ Faltoniæ Probæ* patet ex duplici inscriptione apud Baronium *tomo quarto anno* CCCXCV. *num.* VII. & apud *Gruterum pag.* CCCLII. *num.* 5. & 6: in quarum prima basim statuæ *Aniciæ Faltoniæ Probæ Anicius Probinus V. C. Consul ordinarius & Anicius Probus V. C. quæstor candidatus filii devincti maternis meritis dedicaverunt.* In altera vero monumentum *Anicius Hermogenianus Olybrius V. C. Consul ordinarius, & Anicia Juliana C. F. ejus devotissimi filii dedicaverunt.* Iidem lectissimi proceres *Anicius Probinus*, *Anicius Probus*, & *Anicius Hermogenianus Olybrius Sexto Petronio Probo* parenti suo bina monumenta dedicaverunt apud *Gruterum pag.* CCCCL. *num.* 2. & 3. & apud Baronium *anno eodem num.* III. ubi præterea
242 & apud *Gruterum* loco citato *num.* 4. *Sextus Petronius Probus* in suo & *Probæ* conjugis epitaphio dicitur eidem suæ conjugi ad superos præivisse.

Sed periisse Probum meritis pro talibus, absit
Credas, Roma, tuum. Vivit & astra tenet.
Virtutis, fidei, pietatis, honoris amicus,
Parcus opum nulli, largus at ipse fuit.
Solamen tanti conjux tamen optima luctus
Hoc Proba sortita est, jungat ut urna pares.
Felix, heu nimium felix, dum vita maneret,
Digno juncta viro, digna simul tumulo!

His tabulis refellitur *Barthii* sententia, qui sub initio Commentarii ad Claudianum ait, *Probam*
A illam *Romanam*, de qua doctor maximus loquitur in epistola ad Demetriadem, *fuisse Probi matrem, aviam Probini & Olybrii: qua de caussa liberorum, non filiorum nomine usus est prudentissimus senex; liberorum enim designatio tam ad nepotes, quam filios pertinet, auctoribus jureconsultis.* Verba Hieronymi hæc sunt: *Proba illa omnium dignitatum & cunctæ nobilitatis in urbe Roma nomen illustrius, cujus sanctitas & in universos effusa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit: quam trium liberorum Probi, Probini, & Olybrii non fatigarunt ordinarii consulatus.* immensa enim pecuniæ vis effundebatur in capessendis Consulatuum ordinariorum
B insigniis: quam *sportulam consularem* appellabant, 243
ut animadvertit Alexander Wilthemius, in *capite quarto Commentarii ad Diptychon Leodiense.* Eosdem tamen sumptus semel, iterum, & tertium *Anicia Faltonia Proba* liberalissime fecit pro tribus filiis, sine proprio incommodo, & pecuniis in usus pauperum erogandis neutiquam inde imminutis: qui quidem sumptus ipsi incumbebant; mortuo jam conjuge *Sexto Petronio Probo*, quemadmodum ex epitaphio memorato didicimus. Eadem *Faltonia Proba*, cujus liberalitatem miris laudibus extollit etiam sanctus Johannes Chrysostomus in *epistola* CLXVIII. ad illam scripta, extre-
C mum diem obiit diu ante annum vulgarem CCCCXXXII. nam *tomo secundo Conciliorum col.* 1629. *Cœlestino* I. in *epistola* XII. *ad Theodosium* juniorem, quæ data est *Idibus Martii Flavio Aetio & Valerio VV. CC. Coss.* nempe anno eodem CCCCXXXII. dicitur *illustris & sanctæ recordationis Proba possessiones in Asia constitutas longa à majoribus vetustate* reliquisse, ut major summa redituum clericis, pauperibus & monasteriis erogaretur: quarum tamen dominio violato, Pontifex rogat Imperatorem, ut securitati bonorum ecclesiæ consulat. A sancto Fulgentio in *epistola secunda ad Gallam de Statu viduarum capite decimo sexto* mire laudatur alte-
D ra *Proba virgo Romana*, *virginitatis & humilitatis exemplar*, *avis atavisque nata consulibus.* Quare 244
non una, aut duæ, sed tres *Probæ* fuerunt.

IV. Nondum finio, quin de nostræ poëtriæ Virgiliocentone quædam expendo. *Ausonius* in epistola, quam suo Centoni ad *Paullum* præfixit, *esse* ait *solæ memoriæ negotium* (pro *solius* ἀρχαϊκῶς) *sparsa colligere & integrare lacerata: quod ridere magis, quam laudare possis.* Ab *Ausonio* dissentit Henricus Stephanus in *Centonum* & *Parodiarum exemplis pag.* 60. quippe qui contendit *summo ingenii acumine opus esse*, *ut eorum*, *quæ memoria collegerit*, *habeatur is qui requiritur*, *delectus.* Idem
E *Stephanus pag.* 8. *Ausonium* reprehendit quod scripserit, *Virgiliani carminis dignitatem Centonibus esse dehonestatam:* quod jure & merito *Ausonius* de suis dicere debuisset, quum *ibi nonnullos versus ad obscœnissimum sensum detorqueat. Sed quos* Proba *Falconia edidit*, *tantum abest*, *ut hoc nomine nobis displicere*, *ut contra placere debeant quod Virgilianos magis augustos & velut sacros ex profanis reddiderit.* Subinde *Stephanus* variis in locis Centonem Falconianum emaculat, dolens, sibi passim in mendis tanquam in salebris hærendum, ita ut plura Centonum exempla excipere non potuerit, nonnulla esse videns, in quibus veteris codicis auxilium desiderabatur; quum alioquin periculum es-
F set, ne ubique eam, quæ apud *Virgilium* est, lectionem reponeret; quædam aliter scriberet, 245
quam ipsamet eorundem Centonum concinnatrix scripserat, sive usa Virgiliano exemplari, diversam à nostris lectionem habente, sive memoria lapsa: aliquot enim loca *Stephano* melius apud *Probam* legi videntur, quam apud ipsum *Virgilium*, licet eidem credibile sit, nonnulla etiam reperiri, in quibus sua *Probam* memoria fefellerit, id est falsa sit, quod nimium memoriæ suæ

fideret. Caspar Barthius *Adversariorum libro* & *capite decimoquinto Henrici Stephani* correctionibus explosis alias substituit, animadvertens, in carminibus *Probæ* corrigendis immane quantum sibi recentiorum editiones permisisse, & quidem, ut ait, ambitiosum aliarum rerum censorem *Stephanum.* Lectionibus subinde, quas ipse confirmat eruditas explicationes subjungit. His inter se collatis, *Julii Roscii* editionem reliquis anteferendam jure quisque arbitrabitur.

246 *CAPUT V.*

SYNOPSIS.

I. *Centones unde dicti.* II. *Homerocentones à veteribus memorati.* III. *Varia Centonum genera. Potissimi fuerunt in re militari.* IV. *Quid Centonarii & Dendrophori in inscriptionibus antiquis.* V. *Patricii Homerocentones* Eudocia *Imperatrix perfecit.* VI. *Idem Patricius à* Pelagio *viro Patricio diversus.* Zonaras & Cedrenus *in concordiam redacti.*

JAM vero consequens est, ut etiam de Homerocentonibus verba faciamus, quoniam eosdem *Probæ Falconiæ* ab aliquibus attributos supra observavimus. Illos Græci Ὁμηροκέντρωνες, & Ὁμηρόκεντρα appellaverunt: κέντρωνα enim Græce, & Latine *centones* a verbo κεντρίζειν, quod *inserere* est, proprie vocabant diversicolores pannos; metaphorice vero poëmatis genus ad similitudinem Centonis ex diversis carminibus alieni operis hinc atque inde decerptis consarcinatum: unde Aldus senior in *præfatione ad Probæ Centonem* jure miratur Nicolaum Perottum in *Commentariis Martialis*, quos *Cornucopiæ* appellavit, *Centones* à *centum*
247 deduci existimasse. Erant Homerocentones digesti ex integris vel dimidiis Homeri carminibus hinc inde selectis, ac novo proprioque ordine ita concinnatis atque consutis, ut ad alterius rei longe etiam diversæ descriptionem accommodarentur; unde alius sensus, & novum poëma exsurgebat, quemadmodum in Virgiliocentonibus ex Maroniana poësi compositis factum ostendimus. Suidas in verbo κέντρων, & Eustathius Iliados ψ pag. 1425. affirmant ab eodem vocabulo κέντρωνες non solum Centones ex multis frustis consutos, sed scripta etiam ex diversis locis consarcinata & unam sententiam absolventia nomen traxisse: quod quidem nomen Latini usurpaverunt abjecta litera ρ, dum pro κέντρων, *Cento* dixerunt. Ab his diversa non sentit Henricus Stephanus in *Centonum & Parodiarum exemplis pag.* 3. & in *Thesauro linguæ Græcæ tomo altero col.* 1293. ubi rejicit *Erasmum Roterodamum*, qui in *Chiliadis secundæ Centuria quarta Adagio* LVIII. ait Græcos addidisse literam, quam abjecerant Latini, quum tamen literam illam Græci minime addiderint, sed Latini detraxerint, sicut à μετρῶ *metior*, & ab ἄρθρον *artus* fecerunt, quomodo notat Gerardus Johannes Vossius in *Etymologico linguæ Latinæ* verbo *Cento.* Porro vetustissima Homerocentonum specimina indicat vir clarissimus Johannes Albertus Fabricius in *Bibliotheca Græca Hamburgi* novissime excusa, *libro secundo capite septimo num.* III.

248 II. Verum ad Homerocentones ut propius deveniam, illi qui exstant, ubi bona pars historiæ Evangelicæ continetur *Homeri* versibus in unum compacta, à plerisque tribuuntur *Eudoxiæ*, seu rectius *Eudociæ Augustæ* uxori *Theodosii* junioris, *quæ hac in re Probam Falconiam imitari voluerit; id est ad eum usum Homericos versus convertere, ad quem illa converterat Virgilianos*, ut ait *Stephanus* in loco superius memorato: licet subinde pag. XI. hanc sententiam non ita amplectatur, quin putet in mentem utriusque feminæ eandem rem cadere

A potuisse. Immo disertim dubitat, an re vera sint *Eudociæ*, quum alioquin sine auctoris nomine interdum editi fuerint. Sane Tertullianus in *capite undequadragesimo de Præscriptionibus* memorat *Homerocentones*, *qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis, in unum sarciuntur corpus:* item Hieronymus *in epistola centesima tertia ad Paullinum*, & Isidorus in *Originibus libro primo capite undequadragesimo* scribit: *Centones apud Grammaticos vocari solent qui de carminibus Homeri vel Virgilii ad propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis in unum
B sarciuntur corpus ad facultatem cujusque materiæ.* Vossius in Etymologico pro *Centenario*, ut vulgo legitur, *Centonario* restituit; & optime quidem, *Centonarii* enim occurrunt in literatis lapidibus, & in præceptis Imperialibus, ut mox apparebit. 249
Centones porro non solum diversicolores panni dicebantur, sed etiam vestes famulares & rusticorum ex diversis veteribus pannis consutæ, ut palam fit ex Catone in *capite undesexagesimo de re Rustica*, & ex Columella *libro primo capite octavo:* cujus generis veste servili cooperta *Messalina Claudii* Cæsaris uxor.

Intravit calidum veteri Centone lupanar,

C ut ait Juvenalis in *satyra sexta vers.* 121. *Centonium* etiam Κεντώνιον vestem fuisse ex variis Centonibus confectam, cujusmodi fuit monachorum ῥάκος vel storea, ex Græcis Patribus observat Carolus Cangius in *Glossario* ad scriptores mediæ & infimæ Græcitatis. Centonibus quoque tegebantur tabulata turrium & puppes, ut igni resisterent: qui quidem Centones ex lana erant coacta, nempe ex variis pilis in spissam materiam redactis. eosdemque non modo ferrum, sed neque ignis lædere poterat; unde Plinius *in libro octavo capite duodequinquagesimo: Lanæ*, inquit, *per se coactæ vestem faciunt; & si addatur acetum, etiam ferro
D resistunt, immo vero etiam ignibus.* Plinio mirifice concinit vetustissimus scriptor *L. Sisenna*, ex cujus tribus & viginti historiarum libris olim deperditis fragmenta aliquot hinc inde collegit veteris eloquentiæ solertissimus instaurator Antonius Riccobonus in *Commentario de historia.* Idem 250
quippe Sisenna in *libro quarto* apud *Nonium Marcellum pag.* 91. editionis Parisiensis MDCXIV. hæc habet: *puppes aceto madefactis* CENTONIBUS *integuntur.* Vegetius in *libro quarto capite decimo quinto* agens de machina quadam militari, *extrinsecus*, inquit, *ne immisso concremetur incendio, crudis & recentibus coriis vel* CENTONIBUS *operitur.* In Di-
E gestis quoque libro tricesimo tertio L. XII. §. XVIII. hæc leguntur: *acetum, quod extinguendi incendii caussa paratur: item Centones.* & apud Macrobium libro septimo Saturnalium capite sexto: *acetum solum ex omnibus humoribus crescentem flammam violenter extinguit dum per frigus suum, calorem vincit elementi.*

III. Quare in ordine armorum & vestimentorum, quæ militibus disponit *Leo* Imperator in constitutione quincta §. IV. nominantur Κέντυκλα φάρδεα, nempe *Centones* sive *Centunculi laxi*, qui sunt *impilia seu è lanis coactiles panni crassiores, qui-
F bus corpora muniebantur eorum, qui loricas seu thoraces ferreos non habebant, ut à telorum jactibus tuti præstarentur*, inquit eruditissimus Reinesius in Variis lectionibus *libro quinto capite sexto pag.* 461. *Philippus Pigafetta* Italicus ejusdem *Leonis Tactici* interpres illud Κέντυκλα φάρδεα vertit hoc pacto: *feltri grandi, che vestano agiatamente il soldato.* cujus etiam interpretationis rationem reddit in eruditis suis adnotationibus pag. 66. licet collatus cum *Reinesio*, alicubi emendari possit. Eosdem *Cen-* 251
tones laxos Leo commendat in constitutione sexta §. VIII. & XIII. in quorum primo jubet *Centonibus* tegi equos, quibus frontalia, lateralia, & pecto-

pectoralia ferrea ſive cornea non ſunt. Memorat
inſuper eoſdem Centones in conſtitutione decima
octava §. LI. & in decima nona §. XIII. *Apollo-
dorus Tacticus* inter Veteres mathematicos editio-
nis regiæ pag. 45. ait machinam militarem tegen-
dam eſſe βύρσαις καὶ κεντούκλοις *pellibus & centunculis.*
& pag. 47. Helepolim, quæ dicitur Corvus, ju-
bet tegi βύρσης καὶ κεντούκλου ἐπικειμένων τοῖς καβιοθύροις
pelle & centunculo qui ſuperponuntur cabiothyris. Bi-
to item Tacticus in libro de conſtructione belli-
carum machinarum ibidem pag. 109. jubet quo-
que machinam κέντρωσιν ἤτοι ἱματισμοῖς ὡς ὅτι μά-
λιστα *tegi centonibus ſeu palliis quamplurimis.* Eoſ-
dem *Centunculos* paſſim occurrere apud ſcriptores
Tacticos notavit Cangius in *Gloſſario* ad ſcripto-
res mediæ & infimæ Græcitatis ubi κέντουκλον &
κένδουκλον promiſcue uſurpari animadvertit. Hinc
Cæſar in *libro tertio de Bello civili capite quadra-
geſimo quarto : magnuſque inceſſerat timor ſagitta-
rum, atque omnes fere milites aut ex coactis, aut ex*
Centonibus *aut ex coriis tunicas, aut tegumenta
fecerant, quibus tela vitarent.* Idem Cæſar in *li-
252 bro ſecundo capite nono de Bello Gallico*, ubi loqui-
tur de expugnatione *Maſſiliæ* ſcribens Legionarios
turrim ex latere ſub muro feciſſe, hæc habet:
*ubi turris perducta eſt ad contabulationem, eam in
parietes inſtruxerunt ita, ut capita tignorum extrema
parietum ſtructura tegerentur, nequid emineret ubi
ignis hoſtium inhæreſceret. Hanc inſuper contigna-
tionem, quantum tectum plutei ac vinearum paſſum
eſt, laterculo adſtruxerunt: ſupraque eum locum duo
tigna transverſa injecerunt, non longe ab extremis
parietibus, quibus ſuſpenderent eam contignationem,
quæ turri tegumento eſſet futura; ſupraque ea tigna
directo transverſas trabes injecerunt, eaſque axibus
religaverunt. Has trabes paullo longiores atque e-
minentiores, quam extremi parietes erant, effecerunt
ut eſſet ubi tegumenta præpendere poſſent ad defen-
dendos ictus ac repellendos, dum inter eam contigna-
tionem parietes exſtruerentur : eamque contabulatio-
nem ſummam lateribus lutoque conſtraverunt, ne
quid ignis hoſtium nocere poſſet,* Centones*que in-
ſuper injecerunt, ne aut tela tormentis miſſa tabula-
tionem perfringerent aut ſaxa ex catapultis lateri-
cium diſcuterent.* Longiuſculum *Cæſaris* teſtimo-
nium ideo totum recitavi, quia inde veteres la-
pidum inſcriptiones & *Codicis Theodoſiani* conſul-
ta facile eſt explanare, ubi hactenus viri literatiſ-
ſimi tanquam ad aquas hæſerunt. ex verbis enim
253 Cæſareis apparet cur Centonarii una conjungan-
tur cum Fabris, Tignariis, Dolabrariis, Scala-
riis, & Dendrophoris apud Gruterum pag. XXXVI.
II. XLV. 8. CCLXI. 4. CCCXXII. 4. CCCLVIII. 6.
CCCCII. 2. CCCCIX. 8. CCCCXXVII. I. atque alibi
paſſim ut ſuggerit Scaliger in *capite nono Indicis
Gruteriani*; nimirum utpote qui ſinguli licet inter
ſe diverſi, attamen omnes in caſtrenſibus & na-
valibus ædificiis ſartis tectiſque ſervandis occupa-
bantur: unde pag. CCCCXL. 6. & CCCCLXXXI. 9. *Cen-
tonarii* junguntur Naviculariis. Itaque *Centona-
rii* ii erant, qui arcibus, navibus & militibus *Cen-
tones* ipſos offerendos curabant, quorum collegia
Præfectos habebant. hi enim alicui rei agendæ
adhibebantur: quumque omnes opifices artificeſ-
que, *fabrorum* nomine continerentur, ideo qui
illis præerat, Fabrorum præfectus dicebatur. Hinc
fabrorum multiplex collegium, ſocietas & cœ-
tus. Imperator Conſtantinus Magnus in *libro de-
cimo quarto Codicis Theodoſiani Tit.* VIII. qui eſt
de Centonariis & Dendrophoris in lege I. jubet, ut
*in quibuſcunque opidis Dendrophori fuerint, Centona-
riorum atque Fabrorum corporibus adnectantur, quo-
niam hæc corpora frequentia hominum multiplicari
expediet* : in quibus verbis explicandis mirum in
modum ſe torquet nec ſibi conſtat *Codicis Theo-
doſiani* illuſtrator inſignis *Jacobus Gothofredus*; un-

A de eruditiſſimus vocum exoticarum interpres Ca-
rolus Cangius in *Gloſſario* ad ſcriptores mediæ & 254
infimæ latinitatis ita ſcribit : *quod vero de Cento-
nariis affert Jacobus Gothofredus vix putem à quo-
quam probatum iri.* neque ipſe interim quicquam
adducit, quod rem acu tangat; ait enim ſe ne-
ſcire quid Centonarii commune haberent cum fa-
bris, tignariis & ferrariis, *niſi ut eſſent, qui in ca-
ſtris tabernacula conficerent una cum tignariis & fer-
rariis fabris, quorum etiam opera in iis exſtruendis
neceſſaria erat.*

IV. Sane Dendrophori Græce, *arboriferi* lati-
B ne trabes remque lignariam ad ædificia conſtruen-
da curabant. propereaque licet cœtum ex ſe con-
ſtituerent, attamen unum corpus ſive collegium
faciebant cum memoratis Fabris, Tignariis, Do-
labrariis, Scalariis & Centonariis. Horum arti-
ficum corpora *Herculem* præcipue coluerunt. nam
apud Gruterum *pag.* XLV. 8. HERCVLI CO-
MITI. CVSTODI. M. CÆSIVS. AV*Guſti.
Libertus.* SOSTRATVS. PRAEF*ectus* FA-
BRORVM. COLLEG*ii.* DENDROPHO-
RORVM. CENT*onariorum.* TIGNARIO-
RVM aram dicavit : & apud Fabrettum *capite
nono num.* 21. HERCVLI. CELERI. COR-
PORA.DENDROPHORORVM.SIGNVM.
C ET EPVLVM. DED*icaverunt.* *Aquilejæ* vero
noſtræ APOLLINI. BELENO. AV*Guſto.* IN.
HONOREM. PHILTATI. PRÆF*ecti.* ET.
PATRONI. COLLEGIORVM. FABR*orum.* 255
ET CENT*onariorum.* DIOCLES. LIB*ertus.*
DONVM DEDIT apud Gruterum *pag.* XXXVI.
num. 11. Ego vero ſuſpicor omnium horum ar-
tificum corpora in unum coacta, non ſacra ſed
politica fuiſſe, niſi id ſecus declararetur, quem-
admodum fuiſſe declarantur illi gentilicii Dendro-
phori, qui in *Africa* ſuperſtitioni adhuc vacabant
anno vulgari CCCCXV. unde *Honorius* & *Theodoſius*
Auguſti eos eliminari præcipiunt in *libro decimo
D ſexto Codicis Theodoſiani tit.* X. *lege* XX. de Paganis
& ſacrificiis. Hos Dendrophoros *in honorem ali-
cujus Dei, veluti Bacchi aut Silvani arbores ſtirpi-
tus exciſas per urbem humeris* tuliſſe ſcribit ibidem
Gothofredus, ideoque cum his perperam commi-
ſceri Dendrophoros, de quibus in Tit. *de Cento-
nariis & Dendrophoris.* Scaliger filius epiſt. CCV.
libri tertii putat dictos à *Silvano* Dendrophoro in-
texto in vexillis illorum corporatorum. & Salma-
ſius ad Spartianum in *Caracalla capite nono* Den-
drophoros nullo modo artis, ſed religionis nomen
fuiſſe opinatur : unde Sponius in *Miſcellaneis ſe-
ctione* II. *articulo* XI. *pag.* 57. hæc ſcribit : *hanc
ergo controverſiam inter eruditos viros de Dendro-
E phoris dirimere non audeo.* Voſſius quoque in *libro
primo capite viceſimo de Theologia gentili* in eadem
ſententia verſatur. Cangius vero in *Gloſſario*,
ait : *neque promptius eſt definire qui proprie dicantur*; 256
& Fabrettus *capite nono num.* 21. inter utramque
opinionem anceps moratur. At Johannes Bapti-
ſta Fontejus in *Commentario de priſca Cæſiorum
gente libro ſecundo capite ſeptimo* putat Dendropho-
rorum corpus ſive ſodalitatem ſigna ad exercitus
& expeditiones, publicave alia opera procuraſſe
& comparaſſe, eoſque eſſe, qui apud Godeſchal-
cum Stewechium ad *Vegetii librum tertium caput
viceſimum primum concædes* appellantur. Julius ve-
F ro *Jacobonius* in *Appendice ad Fontejum pag.* 272.
explicationem adducit *Vincentii Carrarii Raven-
natis*, qui *Dendrophoros* ſcribit fuiſſe quidem *con-
cædes*, non vectores arborum cæſarum, ſed col-
legium hominum, qui præcipuam haberent cu-
ram ut arbores, ligna aliave hujus generis ad ca-
ſtra ſtruenda & naves per populum ejuſdem col-
legii veherentur : fuiſſe inſtar publicanorum de-
cumas colligentium quum *Dendrophori* per Qua-
tuorvirum ad id muneris delectum quinque dun-
taxat

taxat exigerent, unde illorum quinquennalitatis A
collegium honestissimum; non quod cum lustro
quinquennali aliquid commune haberent; sed
quod Quatuorviri Dendrophororum exigerent
quinque illa, quæ postea populo, hoc est opera-
riis & lignorum vectoribus ejusdem collegii divi-
debantur, ut patet ex lapide CLXXV. 8. Hinc ii
Dendrophori aderant fere ubique, nam & in quo-
dam lapide habetur mentio de *Dendrophoris mili-
tiæ Bergomatis*, & in alio *Tolentinati* de eorum
257 Quatuorviro quinquennalitatis. *Vegetius* ergo pri-
mum rei effectum non vocis etymon sequutus *con-
cædes* Dendrophoros vocavit, quos magis proprie
vectores arborum dixisset, qui tamen commiscen-
di non sunt cum tignariis. Hos porro sive ipsi- B
met humeris ferrent sive ferendas curarent arbo-
res, ipsas rudes è silvis cæsas procurasse existimat
Jacobonius pag. 273. Quoniam vero iisdem quo-
que cædendarum arborum negocium erat, hinc
forte Vegetio *concædes* appellare placuit. Hinc
patet Dendrophoris ipsis curam duntaxat fuisse
cædendi asportandique rudem è silvis materiem.
quod firmatur *inscriptione* LXIV. *num.* 7. qua Den-
drophoro *Silvano* silvarum atque arborum Deo
aram dicant, ipsum Silvanum *Dendrophorum* ap-
pellantes. Tignariorum vero officium erat tigna
conficere, idest arbores ipsas rudes in trabium ti-
gnorumque & tabularum formam in primis redi-
gere, & contabulationes ipsas construere. nam C
tigni nomine comprehenditur omne genus mate-
riei, ex qua ædificia constant. Dendrophori er-
go rem civilem, non vero sacram respexerunt
quotiescumque hoc non exprimitur. etenim in la-
pide Gruteriano *pag.* LXIV. *num.* 7. expresse qui-
dem nominantur *Dendrophori*, sed tamen M. D.
M. hoc est *Magnæ Deum Matris*, in cujus an-
trum, nempe Cybelis, pinum quotannis ferebant.
De hoc in Kalendario veteri apud Lambecium in
258 *Bibliotheca Cæsarea tomo quarto pag.* 279. XI. Ka-
lendas Aprilis, *arbor intrat*, videlicet pinus in
antrum Magnæ Matris Deum, cui erat dicata.
qua de re Julius Firmicus *de errore profanarum re-* D
ligionum capite vicesimo octavo, in sacris Phrygiis,
inquit, *quæ Matris Deum dicunt, per annos singu-
los arbor pinea cæditur, & in media arbore simula-
crum juvenis subligatur*, nempe *Atthidis*. Apud
nos *Italos* horum Dendrophororum ludicra imago
adhuc superest, dum Kalendis Majis arbor in si-
gnum lætitiæ erigitur, quam vulgo dicunt *il Ma-
jo, e il Maggio.* arbor enim Alpina hoc nomine
appellatur; eamque certatim ascendere conantur
pueri, placentas, farcimina, pullos aliaque inde
tanquam bravium avulsuri. Hujusmodi ludum à
latinis *Majuma* dictum scribunt viri illi Acade-
mici, qui Vocabularium Italicum compilaverunt.
Id sane minus recte, ut patebit legenti Andreæ E
Rivini *dissertationem de Majumis.* Eandem arbo-
rem amantes ante fores amicarum in pagis sta-
tuunt, sertis, vittis pendentibus aliisque rebus
ornatam: quod notavit etiam Octavius Ferrarius
in *Originibus linguæ Italicæ* verbo *Mazo.* Hinc
proverbium Italicum *appiccare il Majo ad ogni
uscio*, nempe omnium mulierum amore inflam-
mari. At jam tandem ad Centones poëticos re-
deundum est, quorum jam pene obliti fuera-
mus.

V. Ausonius in *præfatione ad Centonem suum nu-
ptialem*, ubi ejusmodi poëmatis farcinandi præce- F
259 pta describit, utique falsus est, dum credidit ex
solis Virgilianis versibus Centones fieri consue-
visse; si tamen de latinis tantum loquutus non
fuit. Homerocentones supra laudati in *Bibliothe-
ca Patrum Morelliana tomo decimo quarto pag.* 95.
inscribuntur *Eudociæ Augustæ sive Pelagii Patricii.*
Et sane *Athenais* filia *Leontii* Sophistæ *Athenien-
sis*, quæ post sacrum baptisma *Theodosio* juniori
nupta, *Eudociæ* nomen accepit, doctrinarum glo-
ria insignitur apud Græcos scriptores; quare il-
lam *Ægidius Menagius* locum habere voluit in sua
Historia mulierum philosopharum. Ejusdem pater
non *Leontius*, sed *Heraclitus* appellatur in *Chroni-
co Paschali pag.* 311. splendidissimæ editionis *Ca-
roli Cangii.* At forte binominis fuerit, nam *So-
crates, Nicephorus, Callistus*, & *Zonaras* in locis
infra laudandis uno ore *Leontium* appellant: qui-
bus concinunt Theophanes in *Chronographia pag.*
72. Constantinus Manasses in *Breviario historico
pag.* 53. Georgius Cedrenus in *Compendio historia-
rum tomo primo pag.* 343. & popularis noster Paul-
lus Diaconus in *Historia Miscella libro decimo quar-
to pag.* 408. editionis *Henrici Canisii.* Item Si-
meon Logotheta in *Chronico* MS. aliique apud
Cangium in *notis ad Chronicon Paschale pag.* 573.
Sed & ipsa Λεοντιὰς hoc est *Leontii filia* dicitur in
distticho adscripto in fine Metaphraseos Octateu-
chi apud *Photium* mox indicandum. Eadem à 260
poëtica facultate laudatur apud Socratem in *Hi-
storia ecclesiastica libro septimo capite vicesimo primo*,
apud Evagrium *libro primo capite vicesimo*, & Ni-
cephorum Callistum *libro decimo quarto capite vi-
cesimo tertio.* Immo *Photius* criticorum princeps
in *Bibliotheca codice* CLXXXIII. ait, à se lectam
ejus *Metaphrasin Octateuchi heroico carmine condi-
tam libris octo.* & codice CLXXXIV. *eodem carminis
genere atque idiomate* recenset *Metaphrasin prophe-
ticorum librorum beati Zachariæ, & inclyti Danie-
lis; itemque libros tres in laudem beati Cypriani
Martyris* simili versuum forma conscriptos: de
quorum singulis pro more suo censor incompa-
rabilis gravissime judicat, nulla interim injecta
mentione Homerocentonis, qui jamdudum, illis
deperditis superest: ex quo Ludovicus Dupinus
in sua nova *Bibliotheca ecclesiastica parte secunda to-
mi tertii pag.* 211. editionis in 4°. anni 1691. faci-
le sibi persuadet, Homerocentones, qui hodie
circumferuntur, non ad *Eudociam* Augustam, sed
ad *Pelagium* quendam spectare. neque alia de
caussa eidem *Eudociæ* adsignatos fuisse, nisi quia
Homerocentones laudaverat epigrammate, quod il-
lis præmittebatur in codice Bibliothecæ Palati-
næ, quem mox memorabimus. Sed Johannes
Tzetzes in *Variis historiis chiliade decima capite*
CCCVI. non solum *Eudociæ Reginæ, Leontii filiæ* 261
tribuit *Metaphrasin Zachariæ & Danielis*, sed
etiam Ὁμηρόκεντρα *Homerocentones.* Johannes Zo-
naras in *Annalium libro decimo tertio, capite vicesi-
mo tertio Eudociæ* eruditionem commendat quod
ipsa absolverit & digesserit Homerocentones, quos
Patricius quidam imperfectos & indigestos reli-
querat, ut iisdem præfixa inscriptio versibus he-
roicis declarabat. Georgius Cedrenus in *Compen-
dio historiarum tomo primo pag.* 354. scribit quen-
dam *Pelagium* virum Patricium, qui historiam
metro digessit ab *Augusto* Cæsare orsam, Home-
rocentones etiam composuisse, aliaque plurima
laude digna, eundemque à *Zenone* Imperatore
anno XVII. sublatum, nempe anno vulgari CCCCXC.
Sed *Eudocia* diem obiit anno CCCCLX. die vicesi-
ma Octobris, ut ex Cyrillo monacho in *Vita san-
cti Euthymii* abbatis colligit Pagius in *Critica Ba-
roniana* ibidem *num.* VII. eidemque præstantissi-
mæ Augustæ Patricius Homerocentonum con-
cinnator præmortuus jam fuerat, ut testatur *Zo-
naras.* Quare à *Pelagio* viro dignitate Patricio,
qui ipsemet marte suo Homerocentones compo-
suit, alius est vir nomine Patricius, à quo cœ-
ptum opus ait *Zonaras*, quod deinde *Eudocia* per-
fecit. Aubertus Miræus in *Auctario Bibliothecæ
ecclesiasticæ capite* CCCVII. novum modum exco-
gitavit omnes has difficultates eludendi, ubi lau-
datos Centones tribuit *Eudociæ* Augustæ non 262
Theodosii junioris conjugi, sed *Constantini* XII. co-
gno-

gnomento *Ducæ*, qui ad plures migravit anno
MLXVII. Sed isthæc *Eudocia*, non *Leontii* So-
phistæ, sed *Constantini Dalasseni* exstitit filia, ut
observat Cangius in *Familiis Byzantinis num.* XXVI.
pag. 161. Alteri *Eudoxiæ Zoes* Augustæ sorori,
quæ filiæ fuerunt *Constantini* Imperatoris, *Basilii*
Bulgaroctoni fratris, perperam tribuuntur in codi-
ce *Colbertino* apud Cangium in *notis* ad *Zonaram*
pag. 47. Hæc autem vixit exeunte sæculo deci-
mo ex eodem Cangio in *Familiis Byzantinis pag.*
144. *Eudocia* nostra carminum admiratrix plurimi
fecit poëtam eximium *Cyrum Panopolitam*, quem
Theodosius junior præfectum Prætorio, Urbis
prætorem, consularem & Patricium creavit, ut
tradit *Suidas*. Ejusdem *Cyri* poëtæ meminit E-
vagrius in *libro primo capite undevicesimo historiæ*
ecclesiasticæ, necnon ex *Prisco* historico auctor
Chronici *Paschalis* sub Olympiade CCCVII. pag.
318. unde Thomas Reinesius *libro tertio Varia-*
rum lectionum capite decimo quarto pag. 561. jure
sugillat *Barthium*, qui in *Adversariis libro duode-*
quinquagesimo capite decimo sexto putavit neminem
Cyri poëtæ meminisse præter *Evagrium*, ex quo
uno ejusdem *Cyri* memoriam se renovasse opina-
tus est. Aliquot ejus epigrammata exstant in *An-*
thologia libro tertio pag. 334. *libro quarto pag.* 493.
505. & 506. editionis *Wechelianæ* anni MDC.
263 VI. Apud Fridericum Sylburgium in *Catalogo*
codicum MSS. *Bibliothecæ Palatinæ Heidelbergen-*
sis cod. CCCXXVI. *pag.* 100. *Patricius presbyter* Ho-
merocentonum fit auctor, adnotaturque præpo-
ni epigramma *Eudociæ* Augustæ in eosdem Ho-
merocentones. Eidem præterea adscribuntur
pag. 121. cod. CCCLXXXIII. *Patricii Homerocen-*
tra seu Christias ex Iliade & Odyssea. At forte
Patricius ille πρέσβυτης, *senior* (minime vero *pres-*
byter) alius non est à Patricio illo seniore, cujus
Centones *Eudocia* Imperatrix digessisse traditur,
adeoque illi qui hodie exstant Homerocentones,
eidem Patricio tribuendi, tanquam primario con-
cinnatori, *Eudociæ* vero, utpote illi, quæ eos-
dem Homerocentones nondum completos absol-
vit atque perfecit. Quare *Pelagii* viri Patricii à
Zenone interfecti Homerocentones, qui juxta at-
que ejusdem historiæ jam dudum interciderunt,
confundendi non sunt cum Homerocentonibus à
Patricio illo seniore sub *Theodosio* juniore inchoa-
tis & ab *Eudocia* ejusdem *Theodosii* uxore perfe-
ctis: quos tamen confundere visus est eruditus
philologus & veterum auctorum excussor diligen-
tissimus Johannes Albertus Fabricius in *Bibliothe-*
ca Græca libro secundo capite septimo num. IV. ubi
propterea vulgatos Homerocentones *Pelagio* po-
tius, quam *Eudociæ* tribuendos esse putavit, ra-
tus scilicet Patricium *Zonaræ* & *Pelagium* Patri-
264 cium Cedreni unum eundemque hominem fuisse.
Tertullianus ergo & *Hieronymus* de aliis Home-
rocentonibus loquuti fuerunt. Eos, quos me-
moravimus, à se latinitate donatos omnium pri-
mus sub nomine *Probæ* vulgavit *Petrus Candidus*
monachus *Camaldulensis* sub auspiciis abbatis sui
Petri Delphini Venetiis apud *Aldum* seniorem anno
MXIV.. in 4°. qui item Græcolatini recusi fuerunt
Francofurti apud *Petrum Brubachium* anno MDXLI.
in 8°. una cum *Probæ* Centonibus, & *Nonni* pa-
raphrasi Evangelii Johannei. Hanc editionem i-
teravit *Henricus Stephanus* anno MDLXXVIII. in
12°. Demum *Parisiis* anno MDCIX. *Claudius Cha-*
peletus illos inseruit Græcis Poëtis Christianis: in
neutra tamen ex his editionibus Homerocento-
num auctor exprimitur. At sub nomine *Eudociæ*
Augustæ sive Pelagii Patricii prostant Græcolatini
in *tomo octavo pag.* 95. *Bibliothecæ patrum* Mar-
garini Bignei editionis *Parisiensis* sub signo navis
anni MDCXXIV. & in *tomo decimo quarto pag.* 95.
editionis item *Parisiensis* apud *Ægidium Morellum*

A anni MDCXLIV. ut interim latinas editiones nume-
rare præteream.

CAPUT VI.

SYNOPSIS. 265

I. Hortæ *Episcopus sanctus* Cassianus Alexandri-
nus *sub* Joviano *Imperatore.* II. *Inde transiit*
ad ecclesiam Æduensem. *Errores variorum ca-*
stigati, & sancti Cassiani *chronologia restituta.*
III. *Ejus Acta nunquam typis ante vulgata.*

DE *Horta* Gentilium sacris initiata supra in li-
bro primo disseruimus: quare nunc ad fe-
liciora tempora veniendum est, quando antiquæ
B superstitionis caligine dissipata, Hortanis civi-
bus lucis evangelicæ splendor affulsit. Utque re-
motiora principia aliis examinanda relinquamus
quod sint densissimis tenebris involuta, & nos pri-
mæ illius christianitatis certa argumenta deficiant,
continuo appropinquabimus ad medium quarti
sæculi, quo ecclesiæ *Hortanæ* præfuit sanctus
Cassianus, domo *Alexandrinus*, qui ex *Ægypto* in
Italiam profectus *Hortæ* Episcopus renunciatus est
sub *Joviano* Imperatore, ut ex ejus actis tradunt
Vincentius Bellovacensis in *Speculo historiali libro*
vicesimo capite duodecimo, Petrus de Natalibus in
Catalogo Sanctorum libro septimo capite vicesimo se-
C *ptimo*, sanctus Antoninus in *Chronicis parte altera*
tit. XII. *capite decimo septimo* §. IV. & Raphael
Volaterranus in *Commentariis Urbanis libro decimo* 266
tertio pag. 162. editionis Frobenianæ; necnon ex
monumentis Ecclesiæ Hortanæ Ferdinandus U-
ghellus in *tomo primo Italiæ sacræ col.* 798. Id de-
buit accidisse anno vulgari CCCLXIII. nam occiso
Juliano Imperatore in bello *Persico* VI. Kalendas
Julias, pro eo statim levatus est Jovianus V. Kalen-
das Julias, inquit Idacius *in Fastis*. Is deinde XIV.
Kalendas Martias anni proxime sequentis morta-
litatem explevit, ut statuit insignis Chronologus
Antonius Pagius *ad annum* CCCLXIV. *num.* II:
D II. Sed propterea quod laudati auctores tradunt
Cassianum ex urbe *Hortensi* in *Burgundiam* pere-
grinatum, ibique *Augustoduni*, quæ urbs *Ædua*
etiam vocatur, in locum sancti *Simplicii* episcopi
suffectum, non putat *Ughellus* eum *Hortæ* sedisse an-
no CCCLXIII. quia *Simplicius* decessit, ut ipse opina-
tur, anno CCCXLIX. illique subrogatus *Cassianus* eam
Ecclesiam rexit viginti annos: quapropter existi-
mat ad *Hortanam* sedem *Cassianum* evectum fuisse
ante annum CCCLXIII. idque evenire potuisse an-
no CCCXL. At neque verum est *Simplicium* diem
extremum obiisse anno CCCXLIX. neque *Cassianum*
sub alio Imperatore, quam *Joviano Hortensem* E-
E piscopum ordinatum fuisse, quod ejus acta à no-
bis inferius proferenda testantur: ubi quum *Cas-* 267
sianus dicatur triennio mansisse *Augustoduni* cum
sancto *Simplicio*, hic obiisse non potuit ante an-
num CCCLXVI. neque credibile est, *Cassianum* in
Æduos profectum eodem anno, quo *Hortæ* epi-
scopalibus infulis fuit insignitus. Non enim mo-
rabor *Antonium Godeau*, qui in *Historia ecclesiasti-*
ca Gallice scripta tomo primo num. LXXIX. *pag.* 929.
loquens de sancto *Simplicio* ponit illum sub anno
CCCXCIX. in quo certe memoria lapsus est doctis-
simus Scriptor, præcipue quum ibidem fateatur,
illum floruisse sub *Constantio*. Gravius autem er-
F rasse puto *Godefridum Hermannum*, qui in notis
ad *Vitam sancti Athanasii libro quincto capite octavo*
num. IV. scribit *Simplicium* vixisse quincto sæculo.
Putant quidem Ludovicus & Scævola fratres Sam-
marthani in *Gallia Christiana tomo primo pag.* 28.
necnon recens auctor Officii ecclesiæ Augustodu-
nensis, *Cassianum* successisse non *Simplicio*, sed
Reticio, post quem, intermedio *Egemonio*, venit
deinde *Simplicius*. Verum id scribunt contra ve-
teres tabulas & fidem antiqui Breviarii Ecclesiæ
Æduensis, sequuti nempe narrationem *Gregorii*

Turonensis, qui in libro *de Gloria Confessorum capite septuagesimo quincto* ponit primo *Reticium*, qui floruit anno cccxiv. post hunc *Cassianum*, deinde *Egemonium*, & demum *Simplicium*. At vero Petrus de sancto Juliano in *Originibus Burgundicis*
168 *Gallice scriptis pag.* 208. recitans catalogum episcoporum *Æduensium* ex *Antonio Demochare*, post sanctum *Simplicium* ponit *Cassianum*, deinde *Desiderium*, *Igonomum*, *Pigmenium*, & *Simplicium* II. Potuit ergo *Cassianus* transire ad *Æduensem* Ecclesiam post annum ccclxiii. cui, mortuo *Simplicio*, quum præfuisset annos viginti, ut constat ex tabulis ejusdem Ecclesiæ, migraverit è vita anno cccxc. ut disertissimis verbis affirmat Auctor anonymus infra edendus, qui ejus miracula descripsit anno dcccxl. ait enim. *Ex eo tempore, quo gloriosam animam cœlis restituit* (*quod creditur Theodosii senioris fuisse temporibus*) *usque ad tempus Ludovici Imperatoris Augusti annos* ccccl. effluxisse: unde errat Augustinus Lubinus, qui in *notis ad Martyrologium tabula* iii. *pag.* 40. ait *Cassianum* vita excessisse anno circiter ccclxx. quippe si id verum foret, neque *Cassianus* triennio mansisset *Æduæ*, neque triginta annis sedisset; namque eodem annno ccclxx. Episcopus inauguratus fuit. Illud puto inde etiam firmari, quod in tabulis *Æduensibus*, à *Simplicio* (quem certo floruisse constat anno cccxlvi. quo interfuit Concilio *Agrippinensi*) ad annum cccclxi. quo in eodem episcopatu vixit *Euphronius*, duo tantum episcopi interjecti, *Evantius* & *Leontius*, & nulli æræ affixi notantur, quorum tamen anni ex nostro calculo firmari quodammodo poterunt. Huic
169 nostræ emendationi videtur prælusisse vir scriptis editis clarissimus *Theodoricus Ruinartus* Monachus Benedictinus ex inclyta *Congregatione* sancti *Mauri*, quæ modo in *Galliis* pietate & literis maximo Reipublicæ Christianæ emolumento floret. Is enim in notis ad Gregorium Turonensem, cujus opera ad codices MSS. emendata & aucta necnon egregiis observationibus illustrata nuper vulgavit, perspecta narratione *Gregorii* & Actorum *Cassiani*, ait col. 956. *emendandum videri sanctum Gregorium, qui Cassianum Egemonio & Simplicio præposuit.* quanvis etiam is non repugnet, *Cassiani* vitam reformari posse ex *Gregorio*: cui tamen rei in hac parte ego utique refragarer, nam ejusdem Vitæ narratio, quæ profecto ex vetustis monumentis eruta fuerit, valde confunderetur; nec illa, quæ de *Joviano* ibi traduntur cum sancto *Cassiano* cohærere possent. Neque mirum videri debet, *Gregorium Turonensem* antiquissimum & fidelissimum alioqui *Francorum* Historicum deceptum fuisse, præponendo *Cassianum Simplicio*, siquidem res *Æduenses* illum haud valde calluisse inde patet, quod capite septuagesimo quarto libri superius laudati in re certissima dubitans ostendat haud sibi perspectum aut saltem certum esse, an *Simplicius* fuerit Episcopus *Augustodunensis*. sic enim loquitur: *Simplicius ipsius, ut ajunt, urbis Episcopus.*

170 III. Vitam sancti *Cassiani* nunquam antehac editam ego infra evulgabo. Quum enim legissem in notis ad caput septuagesimum sextum *Gregorii Turonensis* de Gloria Confessorum, eam ab eximio *Ruinarto* laudari ex vetustis MSS. codicibus, soluta & stricta oratione descriptam, rogavi *Bernardum de Montfaucon* ejusdem ordinis Monachum insignem, tunc in Urbe eruditæ peregrinationis caussa morantem, ut ejus Vitæ mihi copiam fieri curaret. Dictum factum. Is enim, qui, ut doctrina præcellit, ita etiam officiis & humanitate omnes devincit, quod ego in me sæpenumero expertus sum, haud multo post tempore mihi utranque Vitam exhibuit, & quod minime videtur prætereundum, manu ipsiusmet *Ruinarti* exaratam. Hanc vero eo libentius accepi, quod
A memoratam videram à *Vincentio Bellovacensi*, mihi alibi in testem adducto, & a Johanne Molano in *notis ad Martyrologium Usuardi die* v. *Augusti*: & quod sciebam, visam nequaquam fuisse doctissimo Cardinali *Baronio*, qui in notis ad Martyrologium *Romanum* ait, eam sibi esse incognitam, quemadmodum & Monachi Benedictini de se id ipsum fatentur ad oram *Vincentii Bellovacensis* in eleganti editione illius operum, quæ eorundem cura facta est *Duaci* anno mdcxxiv. Quum insuper Acta sancti *Cassiani* citata vidissem ab Heriberto Rosweydo in *Fastis Sanctorum pag.* 23. statim nostrorum exemplar *Antverpiam* misi ad ami-
B cissimum *Conradum Janningum* Societatis Jesu 171
Theologum, qui vasto Bollandi de *Gestis Sanctorum* operi continuando eruditam manum pridem admovit. isque respondit, se eadem prorsus Acta in scriniis habere ex codicibus monasterii *Accincti*, *Vallis Lucentis*, sancti *Maximini Trevirensis* & *Cisterciensis* alicujus descripta: seque alia reperisse interpolata & amplificata multis verbis; sed nihil magis rei continentia, quam priora; atque insuper minus authentica. Præterea addidit, se habere miracula sancti *Cassiani* sæculo nono patrata ex codice vetusto *Claudii Jolii* Canonici *Parisiensis*, ubi etiam Vita sancti *Cassiani* legebatur
C ejusdem ferme tenoris ac illa, quam mecum communicaverat *Ruinartus*. Hanc Miraculorum historiam per *Janningum* ad me transmissam una cum iisdem Actis infra dabo, præcipue quod laudatam viderim à Molano in *notis ad Usuardum*, & à Davide Blondello in *tomo altero Genealogiæ Franciæ* assertæ *pag.* 28. ex *Passionario* Ecclesiæ sancti *Quintini*; quod illud ipsum puto, ex quo Bollandistæ hanc Historiam exscripserant. siquidem *Papebrochium* exemplari suo hanc notam adposuisse, mihi significavit Janningus: *Hic codex perantiquus, decimo vel nono sæculo scriptus, fuit ipsius monasterii sancti Quintini.* Hujus item Historiæ exem-
D plar ad me misit *Montfauconius*, sed mutilum. caret enim Prologo & undecim capitibus, à quarto ad decimum quintum. Nullus vero episcopatus *Hortensis*, sive *Ortensis*, ut à sancto *Bonaventura*, aliisque dici videbimus, in orbe Christiano, præter nostrum, occurrit: quod monitum velim, ne quispiam hunc *Cassianum* alio pertinere arbitretur. Infra autem strictiora ejus Acta etiam proferemus ex nostro veteri codice MS. ne quicquam desideretur Historiæ, de qua agimus, opportunum.

CAPUT VII. 172

SYNOPSIS.

E *Series Episcoporum* Hortensium *purgata, aucta, multis variisque observationibus illustrata.*

JAM vero quandoquidem series Episcoporum *Hortensium* in *tomo primo Italiæ sacræ* Ferdinandi Ughelli plerunque confusa & hiulca innumeris mendis scatet, antequam Acta sancti CASSIA- I.
NI in lucem profero, qui illorum primus occurrit post JOHANNEM MONTANUM, qui circa annum II.
cccxxx. sedisse traditur, eorundem chronologiam, quo fieri potest, integriorem delineabo, rebus insuper *Hortanis*, quæ sub unoquoque acciderunt,
F diligenter pro modulo idemtidem adnotatis. Erat *Hortanus* Antistes unus ex episcopis *Suffraganeis* Romani Pontificis, nulli alii Primati aut Archiepiscopo subjectis, qui frequenter ad Synodos vocarentur. Hoc discimus ex Notitia veteri, quam vulgavit *Cæsar Baronius* A. D. 1057. §. xiii.

Cassiano ex caussa nobis ignota in *Gallias* profecto, ejus locum implevit LEO, qui eam dignita- III.
tem tres & viginti annos sustinuit ex veteri lapide apud *Ughellum col.* 794. quam errore typographi numerus 778. falso signavit. Lapis ille repertus apud

apud sanctum *Johannem Baptistam in Fonte*, in ecclesia sancti *Petri* adservatur hoc epitaphio inscriptus:

273 HIC. REQVIES
CIT. IN. PACE. LE
O. EPC. QVI. SED
IT. ANNOS. XXIII
MENSE. ... DIE. ...

IV. Post *Leonem* occurrit Martinianus, quem perperam Ughellus *Martianum* appellat. Is interfuit in Concilio IV. *Romano* sub *Symmacho* anno vulgari quingentesimo altero in Conciliis Labbei *tomo quarto col.* 1338. ubi alia lectio ad marginem rejecta non *Ortensis*, sed *Ortonensis* præfert. Sed quum *Stephanus Baluzius*, qui in nova collectione Conciliorum col. 1464. varias subscriptionum ejusdem Concilii lectiones ex antiquis codicibus *Colbertinis* diligentissime adnotavit, nihil de eodem *Martiniano* monitum reliquerit, certe non omissurus, si forte vir harum rerum scientissimus eandem varietatem alicubi reperisset, omnino putamus ipsum fuisse non *Ortonensem*, sed *Ortensem* Episcopum. *Ortonensem* episcopatum in *Aprutio* citeriori in ora *Frentanorum* inter *Aternum* & *Sarum* amnes pridem extinctum instauravit *Beatus Pius* V. summus Pontifex anno MDLXXV. apud Ughellum *tomo sexto col.* 966. *Viator Hortonensis* Episcopus anno DCXLIX. interfuit Concilio
274 I. Lateranensi sub *Martino* I. apud Labbeum *tomo sexto col.* 78. *Vigilio* deinde ad Romanam Cathedram evecto, *Belisarius* Patricius quum ex spoliis *Vandalorum* beato *Petro* Apostolo donaria obtulisset, ædificavit etiam apud *Hortas monasterium sancti Juvenalis, ubi possessiones & dona multa largitus est*, inquit *Anastasius* in *Vigilio*, qui unus auctor ejusdem monasterii memoriam nobis servavit. *Juvenalis* sæculo quarto post Christum natum fuerat Episcopus *Narniæ* ad octavum ab Urbe *Ortana* lapidem, cujus gesta recitant Hagiologi Bollandiani die tertia Maji. *Ughellus* post *Martinianum* ponit *Hubaldum* quendam *Prosenium*, aitque interfuisse Concilio Lateranensi, anno DXCIII. celebrato & pro *Gregorio* Magno legati officio functum fuisse apud *Hortanos* suos, ut *Ravennati* Exarcho potiusquam *Langobardis* parerent. Verum neque Concilium ullum Lateranense coactum legimus anno DXCIII. neque in Actis ecclesiasticis quicquam occurrit de hoc *Hubaldo Prosenio*, ideoque de illo nihil certi affirmare possumus. Illud tantum suppetit ex Paullo Diacono in *libro quarto capite octavo de Gestis Longobardorum*, hoc tempore Romanum Patricium & Exarchum tertium *Ravennatem*, in locum *Smaragdi* à *Mauricio* Imperatore suffectum, occupasse *Hortanam* urbem, *Sutrium*, *Tudertum*, *Ameriam*, *Perusiam*, aliasque à triginta Ducibus *Langobardis* pridem ablatas
275 in interregno *Clephi* eorum Regis anno DLXXIX. ut statuit Carolus Sigonius in *libro primo de Regno Italiæ*. Scribit vero idem *Paullus Agilulphum* Regem statim ac nuncium illud accepit, *Ticino Perusiam* cum exercitu properasse, & *Mauricionem* Ducem *Langobardorum* obsessum & captum vita privasse. Idem *Sigonius* hæc facta consignat sub anno DXCIII. at vero biennio serius Annalium parens: putatque *Sigonius*, *Agilulphum* ideo pœnas sumpsisse de *Mauricione* quod *Perusiam Ravennati* Exarcho tradidisset. Daniel Papebrochius in *tomo secundo Maji pag.* 154. *num.* 4. quum vidisset hoc tempore *Hortam* in dominatu *Langobardorum*, putavit usque illuc protensos fuisse terminos Ducatus sive Comitatus *Perusini* per *Langobardos* instituti, licet eadem *Horta* trans *Tiberim* staret, non quidem *solis* 24. *m. p. Roma distans*, ut ipse opinatur, sed *quadraginta*, ut ait *Anastasius* infra

A adducendus. Verum falsum esse *Papebrochium* quæ modo à nobis dicta sunt manifesto ostendunt.

Sequitur apud *Ughellum* Blandus, quem suspicatur eundem fuisse ac *Hubaldum*. V. Eum longo tempore captivum *Ravennæ* detinuit *Romanus* Exarchus, ideoque quum *Hortensis Ecclesia sine rectore, & populus quasi sine pastore grex deflueret, & ibidem infantes pro peccatis absque baptismate morerentur*, ad eundem Exarchum pro *Blandi* restitutione scripsit *Gregorius* Magnus epistolam XXXII. libri primi. Novissime vero Monachi sancti *Mau-* 276
ri in notis ad epistolam XLI. alias XXXIX. libri
B quarti ejusdem Pontificis, quæ est scripta *ad Clerum & Plebem Hortonæ* super obitu ejusdem urbis Antistitis, cujus nomen ibi non exprimitur, hunc fuisse putant *Blandum*, quia in laudata epistola XXXII. nunc XXXIII. libri primi in tribus Vaticanis codicibus legitur, ut quidem ajunt, *Hortonensis* pro *Hortensis*. Sed utique legendum est *Hortanensis*, itaut illa epistola XLI. libri quarti respiciat *Hortonenses*, seu rectius *Ortonenses* in *Samnio*, altera vero *Hortanenses* in *Tuscia* suburbicaria. *Hortam* enim urbem *Hortanum* Plinius appellat, unde *Hortanenses*. Et sane Exarchus *Ravennas* suam potestatem non exercuisset in Episco-
C pum *Ortonensem*, qui non in ditione Exarchi *Ravennatis*, sed *Langobardorum* exstabat, quorum regnum à tempore sancti *Gregorii* Papæ adeo late in *Italia* patuit, *ut universa, exceptis Roma atque Ravenna cum locis ad eam spectantibus, ab Alpinis montibus Rhegium usque Calabriæ, illis pareret*, inquit *Baronius* anno DXCI. num. XLI. Tempore sancti *Gregorii* Magni *Samnites*, ubi stetit *Hortona* sive *Ortona*, *Langobardis* paruisse testatur etiam auctor vitæ sancti *Cethei* mox adducendus. Hæc similitudo nominum inter *Hortanenses* & *Hortonenses* immanes errores in rem geographicam invexit, quibus viri etiam doctissimi decepti sunt.
D nam *Papebrochius* die decima tertia Junii Bollan- 277
diani, quum in capite secundo vitæ sancti *Cethei*, alias *Peregrini*, Episcopi *Amiternensis* in *Aprutio* sive in *Samnio*, nominatum vidisset *Verilianum Comitem Hortonensis civitatis*, putavit designari *Hortam* sive *Hortanam* civitatem ad *Tiberim*, ideoque correxit MS. Bodecense, in quo non *Hortanensis*, sed *Hortonensis civitatis* legebatur, ut fatetur ibidem in notis pag. 692. Sed quum idem *Verilianus* rogaretur, ut *media nocte adveniens Amiternensium urbem invaderet, eamque penitus dissiparet*, vel hinc patet, sermonem haberi de *Hortona* sive *Ortona* Aprutii, ubi fuit *Amiternum*,
E non vero de *Horta Tusciæ*, que inde longissime distat.

Blandum excepit *Adamus* anno DCCLXI. apud Episcoporum *Italiæ* nomenclatorem, qui eum septimum *Hortensem* Episcopum signat. Sed inter utrunque statuendi sunt Julianus, & *Mauricius*, VI.
quorum primus interfuit Concilio I. Lateranensi anno DCXLIX. *tomo sexto Conciliorum col.* 78. ubi male *Hostanus* pro *Hortanus* appellatur: quod etiam animadvertit Lucas Holstenius *in notis ad Carolum* à *sancto Paullo pag.* 6. Et sane in actione seu Secretario V. ejusdem Concilii col. 362. vocatur *Julianus Episcopus sanctæ Hortanensis Eccle-*
F *siæ*.

In Concilio Romano sub *Zacharia*, cujus Acta edidit *Baronius* anno DCCXLIII. num. XL. interfuit Mauricius *Hortanus* Episcopus, quem item VII.
prætermisit *Ughellus*. *Horta* hoc tempore erat 278
Ducatui Romano adnexa, à quo una cum *Ameria*, *Polimartio* & *Blera* illam abstulit *Luitprandus* Rex *Langobardorum*, quod *Gregorius* III. Pontifex & *Stephanus* Patricius & Dux *Romanus* ei captivum reddere noluissent *Trasimundum Spoleti* Ducem, qui in urbem confugerat, ut ait *Anastasius* in

in *Zacharia*. *Trasimundus* vero cum fœderato *Ro-*
manorum exercitu Ducatum suum recuperavit, sed
Gregorio, *Stephano*, *Romanis*que fœdifragus id de
Horta & reliquis urbibus præstare noluit. Hu-
jusce rei monumentum insigne nobis servavit Car-
dinalis *Deusdedit* in sua Collectione Canonum *Vi-*
ctori III. dicata, quæ exstat MS. in Bibliotheca
Vaticana Cod. 3833. In ea enim legitur episto-
la, qua *Gregorius* III. anno vulgari DCCXL. rogat
Episcopos *Tusciæ Langobardorum*, cujus caput e-
rat *Perusia*, ut nunciis Pontificiis juncti à Rege
Luitprando & *Hilprando* filio ejus restitutionem
quatuor civitatum, quæ anno præterito ablatæ
fuerant beato *Petro*, deprecentur. Eam episto-
lam integram recitabimus in calce operis. Inte-
rim mortuo *Gregorio*, per *Zachariæ* ejus successo-
ris legatos exoratus *Luitprandus* quatuor civitates
se redditurum spopondit, exercitusque *Romanus*
se illi contra Ducem *Trasimundum* conjunxit. Sed
restitutione dilata, *Zacharias* cum sacerdotibus &
clero de Rege, qui *Interamnæ* morabatur, ad-
279 eundo cogitavit. quumque *Hortam* pervenisset,
Liutprandus ad eum misit *Grimoaldum*, à quo ho-
norifice *Narniam* perductus est, ubi optimates
& exercitum *Liutprandi* sibi obviam venientes ha-
buit, & post mutua officia prædictas quatuor ci-
vitates, ante biennium ablatas, Rex *eidem sancto*
cum eorum habitatoribus redonavit viro: quas & per
donationem firmavit in Oratorio Salvatoris, teste A-
nastasio.

VIII. ADAMUS interfuit Concilio *Romano*, quo *Pau-*
lus I. summus Pontifex anno DCCLXI. constitutio-
nem fecit de Ecclesia & monasterio ab se erecto
in paternis ædibus sub titulo sanctorum *Stephani*
Papæ & martyris, necnon *Silvestri* Pontificis &
confessoris: in cujus quidem Concilii actis à *Ba-*
ronio vulgatis subscribit *Adam humilis Episcopus*
sanctæ Ecclesiæ Hortanæ anno eodem num. XV. At
vero claræ memoriæ *Philippus a Turre Adriensis*
episcopus me docuit ab se lectam in pervetusto co-
dice MS. Synodum, de qua agunt *Baronius* & *Pa-*
gius A. D. 769. §. 1. congregatam *Romæ* sub *Ste-*
phano III. *in caussa Constantini intrusi*, multis *Gal-*
liarum & *Italiæ* episcopis subscribentibus, atque
in his *Adone Episcopo Ortensi*. Proximum *Adami*
& *Adonis* tempus & nomen suadent unum eun-
demque hominem denotari, fortasse *Adonem* pro
Adamo dicendum. Jam ad alia transeamus. *Lan-*
gobardis à *Carolo* Magno devictis, ejus filius *Lu-*
dovicus Pius A. D. 817. *Hortanam* urbem cum
Ducatu *Romano* concessit Apostolicæ sedi, ut pa-
tet ex ejus Donatione apud Carolum Cointium *in*
Annalibus ecclesiasticis Francorum anno eodem num.
X. seu potius confirmavit privilegia à suis præces-
soribus Sedi Apostolicæ concessa. quippe Duca-
280 tus *Romanus* absque ulla concessione *Pipini* & *Ca-*
roli Magni uno populorum consensu, ut testis est
idemmet *Ludovicus*, summis Pontificibus paruit,
qui illum per Ducem regere consueverunt.

IX. Hoc tempore vivebat STEPHANUS *Hortanus* sive
Ortensis Episcopus apud *Baronium* anno DCCCXXVI.
num. II. qui Concilio *Romano* sub *Eugenio* II. sub-
scripsit, & in *tomo octavo Conciliorum col.* 103. u-
bi *Labbeus* ejusdem Concilii acta iterum vulgavit,
quæ emendatiora dederat Lucas Holstenius in *Col-*
lectionis Romanæ parte altera pag. 7. Ponitur dein-
de ab *Ughello* in nono loco *Magestius* sub *Leone* IV.
in Concilio Romano anno DCCCXLVII. ubi tamen
multipliciter errat, non enim *Magestius*, sed *Me-*
gistus, non *Ortensis*, sed *Ostiensis* fuit, interfuit-
que Concilio Romano anno DCCCLIII. apud Lab-
beum *tomo octavo col.* 123. Hoc tempore idem
Leo IV. *Hortanæ* & *Amerinæ valde antiquarum*
civitatum muros & portas, quæ *præ nimia vetu-*
state temporum usque ad solum ceciderant, & fundi-
tus destitutæ manebant, muris novis portisque, prio-
A *ribus minime dissimilibus* instaurari curavit, ut ait
Anastasius pag. 283. hoc pacto civium securitati
consulens. Interim *Benedicto* III. in locum *Leo-*
nis IV. suffecto anno DCCCLV. quum *Nicolaus Ana-*
gninus antistes, & *Mercurius* magister militum le-
gati *Lothario* & *Ludovico* Augustis nuncium de e-
lectione Pontificis ferrent, ab *Arsenio Eugubino*
Episcopo circumventi, una statuerunt in Pontifi-
cem creare *Anastasium* Bibliothecarium presbyte-
rum Cardinalem tituli sancti Marcelli: qui sub
Leone IV. in Synodo depositus & anathemate vin- 281
ctus fuerat: à quo alius omnino fuit celeberrimi
nominis scriptor *Anastasius* item Bibliothecarius,
B ut postea dicam. *Romam* ergo ex legatione re-
gressi, dum interim post aliquot dies Missi Impe-
riales *Adalbertus* & *Bernardus* Comites *Hortam*,
quæ quadragesimo milliario à Roma distat, *propera-*
verunt, inquit *Anastasius*, qui universam rem
narrat in *Benedicto* III. in eandem urbem *Horta-*
nam & ipsi profecti, quasi obviam euntes Impe-
rialibus Missis, una cum *Arsenio Eugubino* aliisque
ibidem contra *Benedictum* conspirantes, in Ponti-
ficem elegerunt excommunicatum *Anastasium*.

Sequitur deinde ARSENIUS vir & bona & mala X.
fama notissimus, qui à *Nicolao* I. legatus & apo-
crisiarius in *Gallias* missus ob pacem & concor-
C diam inter *Carolum Calvum*, *Ludovicum* II. Im-
peratorem & fratrem ejus *Lotharium*, *Caroli* ne-
potes, stabiliendam, & *Rothadum Suessionensem*
Episcopum sedi suæ restituendum, ut patet ex
Nicolai *epistola* XXV. *ad Carolum*, & XXVI. *ad E-*
piscopos Galliæ apud Labbeum *tomo octavo col.* 399.
& 401. *Lothario* restituit *Theutpergam* Reginam,
quam repudiaverat, & *Waldradam* ejus concubi-
nam ad reddendam rationem in *Italiam* duci præ-
cepit, ut ait *Anastasius* in *Nicolao* I. Excommu-
nicavit quoque *Ingeltrudem Bosonis* Comitis uxo-
rem fugitivam, ut constat ex ejusdem Arsenii *e-*
pistola ad universos Episcopos apud Labbeum *col.*
439. Huic nepos erat idem *Anastasius* Bibliothe-
D carius sancti *Marcelli* presbyter Cardinalis, qui 282
hoc testatur in epistola de *morte Nicolai* I. *col.* 567.
ubi *Arsenium* vocat *avunculum suum*. Eadem epi-
stola, quæ in editis inscribitur *Adoni Viennensi*,
est encyclica, ut animadvertit V. C. Johannes
Mabillonius in *Analectis tomo primo pag.* 96. An-
nalista *Bertinianus* anno DCCCLXVIII. apud Du-
chesnium *tomo tertio pag.* 230. vocat filium *Arsenii*
Eleutherium illum, qui filiam *Hadriani* II. jam al-
teri desponsatam dolo rapuit sibique conjunxit &
postea consilio memorati *Anastasii*, quem ejusdem
Eleutherii fratrem vocat Annalista, una cum *Ste-*
phania olim Pontificis uxore interfecit, eodem
E postea *Eleutherio* à Missis Imperialibus occiso. Ve-
rum *Arsenius* non pater, sed avunculus fuit *Ana-*
stasii, qui id testatur in laudata epistola de morte
Nicolai I. in qua *Adonem* rogat, ut *Arsenium* a-
vunculum suum tunc legatum in *Galliis*, qui mul-
tas à *Nicolao* molestias pertulerat, ob idque à stu-
dio ecclesiasticæ correctionis seu disciplinæ paul-
lulum refrixerat, ad pristinum pro Pontifice &
ecclesia zelum inflectat. Verum ex *Adonis* mo-
nitis non profecit, nam, ut habet *Bertinianus* An-
nalista, *Arsenius ad Ludovicum Imperatorem per-*
gens in Beneventum, infirmitate corripitur, & the-
saurum suum in manibus Ingelbergæ Imperatricis com-
F *mittens &, ut dicebatur, cum dæmonibus confabu-*
lans, sine communione abiit in locum suum. Nec
fere melior fuit *Anastasii* fortuna ab *Hadriano* II. 283
excommunicati quod auctor creditus esset cædis,
quam *Eleutherius Stephaniæ* ejusque filiæ intule-
rat. Eundem *Arsenium Nicolaus* Pontifex paul-
lo ante *Beneventum* miserat ad *Ludovicum* II. Im-
peratorem petentem, ut arma & alia, quæ Rex
Bulgarorum sancto *Petro* miserat, sibi traderentur,
ut legitur in iisdem Annalibus pag. 227. ubi pag.
223.

223. apparet Arsenium *multam thesauri summam habuisse*, quæ ei pridem ablata fuerat. *Anastasium* Bibliothecarium & Cardinalem sancti *Marcelli* aliquis male confudit cum *Anastasio* item Bibliothecario scriptis variis celeberrimo. Hic enim fuit natione *Græcus* idemque abbas sanctæ *Mariæ* trans *Tiberim*, & post exauctoratum priorem illum *Anastasium*, Bibliothecarius sanctæ *Romanæ* ecclesiæ factus ab *Hadriano* II. ut nuperrime observavit Mabillonius in *libro* XXXIV. *Annalium num.* LXXXI. Quo honore exceptus fuerit *Arsenius* in *Galliis*, testatus est *Adventius Metensis* Episcopus in epistola ad *Nicolaum* in magnis Annalibus anno DCCCLXV. num. LXV. ubi Arsenium, *tanquam Angelum Dei* exceptum fuisse scribit, quod alteri Legato *Rodoaldo* non ante contigerat. De hac legatione meminit auctor *Annalium Fuldensium* anno DCCCLXV. apud Duchesnium *tomo secundo pag.* 560. Regino autem in *Chronico anno* DCCCLXVI. *pag.* 413. editionis *Argentoratensis* anni MDCIX. ait, illum in Galliis *tanta auctoritate &*
284 *potestate usum fuisse ac si idem summus Præsul advenisset.* Idem *Arsenius Ortanus Episcopus* interfuit Concilio Romano sub *Nicolao* I. cujus Acta propediem vulgabit vir clarissimus meique amantissimus Benedictus Bacchinus in *Appendice ad Agnellum suum Ravennatem*, ubi Concilium illud dicitur habitum *anno* IV. *Nicolai*, & XI. *Ludovici Imperatoris*. Sed utique mendum cubat in nota numerica, nam annus IV. *Nicolai* erat VI. non vero XI. *Ludovici* Imperatoris. Quare levi correctione legendum est *anno* IX. *Nicolai*, & *Ludovici* XI. qui erat Christi DCCCLXXI. Ad eundem *Arsenium* spectat quod tradit Johannes Diaconus in *Vita sancti Gregorii Magni libro quarto capite quinquagesimo*, ubi ait consuetudinem veterum suo tempore obtinuisse ab usque *Gregorii* ævo deductam, ut Judæi *quantuncunque pulcherrima mercimonia detulissent, nunquam Pontificalibus alloquiis fruerentur, nunquam obtutibus Apostolicis potirentur, sed extra velum longissimæ porticus, non quidem in scamnis, sed in marmoreo pavimento sedentes, suscepta pretia numerabant: ne videlicet viderentur aliquid de manu Pontificis accepisse.* Quamobrem, ut Johannes subjungit, Nicolaus I. *Arsenium quondam Hortanæ civitatis Episcopum, Judaicas tunc primum pellicias introducere molientem adeo aversatus est, ut ei palatinam processionem vellet adimere, nisi super-*
285 *stitiosæ gentis vestes abjurando, cum sacerdotalibus infulis consuetudinaliter procedere studuisset.* Hanc *palatinam processionem* puto fuisse Pontificis comitatum, quando è suo palatio ad Ecclesiam procedebat sacra celebraturus.

XI. Apud *Ughellum* sequitur ZACHARIAS ex Martyrologio *Stroziano* MS.

XII. *Stephanus Ortensis* interfuit Concilio *Romano* A. D. 904. apud Mabillonium in *Museo Italico tom.* I. *par.* 2. *pag.* 88.


XIII. PETRUS *Ortensis* episcopus *Johannis* X. Pont. Max. legatus Concilium *Altheimense* in *Rhætia* II. indixit anno DCCCCXVI. *Conradi* I. *Germaniæ* Regis anno V. Indict. IV. XII. Kal. Octobres: quod in Annalibus *Johannis Aventini* expiscatus fuit *Pagius* anno eodem §. III. ubi ejusdem Concilii canones recenset ex *Burchardo* & *Ivone*. Errat vero doctissimus scriptor putans eum fuisse episcopum *Ortonæ* ad oram Adriatici maris, quum ab ipso laudatus *Nicolaus Serarius* in Moguntiacis pag. 675. ex actis MSS. *Ortensem* episcopum vocet, quumque *Ortonæ* episcopatus tunc esset extinctus. Carolus Sigonius in *lib.* VI. *de Regno Italiæ anno* DCCCCXXV. narrat, *Albertum* Marchionem in offensionem Pontificis lapsum urbe excessisse, eumque *Ortæ Tusciæ* opido munitum, *Hungaros* ad *Romanam* ditionem invadendam exciviisse: qui in *Tusciam* irrumpentes, omnia quæ auferre

A poterant, secum in *Hungariam* exportarunt: quare mox *Albertus Ortæ* est à *Romanis* oppressus. Eadem narrat *Platina* in *Johanne* X. quem ipse 286
perperam XI. vocat. Hic vero, quem Luitprandus in *lib.* II. *capite* XIII. & postea Sigonius *Albertum Marchionem* appellant, idem est, ac *Albericus* senior Comes Tusculanus: quem, *Albericum in Etruriæ partibus Marchionem* vocat Flavius Blondus in *Decadis secundæ libro altero pag.* 179. edit. Frobenianæ, ubi scribit, *Johannem* X. Pont. Max. ejusdem *Alberici* subsidiis ad *Lirin* seu *Garilianum* fluvium *Saracenos* delevisse: quod tradit etiam *Leo* Ostiensis in *Chronici Casinensis lib* I.
B *capite* XXII. Sed quum à proceribus *Romanis* inter se dissidentibus *Albericus* urbe pulsus fuisset, ut auctor est *Blondus*, ipse invidis ingratisque vicem redditurus, ad urbis oppressionem *Hungaros* invitavit, *Tusciam* salvam pactus: quam tamen ipsi, spreto fœdere, *Romani* agri fines nequaquam tangentes, misere vastaverunt. *Romanus* autem populus *Alberti Spoletani* Ducis auxilio *Hortam* obsidens, de capto *Alberico* pœnas sumpsit, teste eodem *Blondo*, qui ex antiquioribus Chronicis illud didicerat. Poëta anonymus, qui carmine panegyrico per *Hadrianum Valesium* vulgato *Berengarium* I. laudavit, hunc *Albericum* memorare vi-
C detur in *libro secundo* ubi ait

nec segnis abibat
Albricus, Tiberine, tuas nunc sanguine lymphas
Qui fraude infecit.

etenim *Albericus* senior ob fraudem patratam in advocandis *Hungaris* ad excidium *Romanorum*, sanguine suo *Tiberim* cruentavit *Hortæ* interemptus, 287
nunc, sive tunc temporis quum poëta scribebat, nimirum post *Berengarium*: quod non fuit assequutus doctissimus *Valesius*. Idem *Albericus* à *Francisco Maria Florentinio* in *Memoriis Comitissæ Mathildis libro tertio pag.* 34. perperam confunditur cum *Adalberto* Marchione *Tusciæ*, cognomento
D Divite, ideo forte, quia & ipse Albericus, *Albertus Marchio* dictus, quod nomen cum *Comite* erat promiscuum, in *Tuscia* nempe *Hortæ* habitavit. *Baronius* vero *Adalberti* filium facit anno DCCCCXV. num. II. Sed *Adalbertus* diem obiit sub *Johanne* X. Pont. Max. & *Berengario* I. Rege *Italiæ*, teste *Luitprando* in *libro secundo capite decimo quinto*: quod anno DCCCCXVII. contigisse affirmat Sigonius in *libro sexto de Regno Italiæ*. *Albericus* vero cæsus fuit post *Berengarium* I. quod etiam animadvertit Cosmus de Arena in *Serie veterum Ducum & Marchionum Tusciæ pag.* 131. ubi notat *Adalberti* uxorem fuisse *Bertam*, ex qua progenuit *Lambertum Tusciæ* item Marchionem, *Er-*
E *mengardam Adalberto* Marchioni *Eporediensi* in matrimonium traditam, & *Widonem Tusciæ* quoque Marchionem, cui postea famosa mulier *Marozia*, vidua ejusdem *Alberici* I. *Tusculani* Comitis, nupsit. Hanc *Maroziam* & ejus sororem *Theodoram* genuerat senior *Theodora*, nobilis quidem, sed impudicissima femina, quæ *Romanæ civitatis prin-* 288
cipatum tenebat, ut tradit *Abbericus* monachus trium Fontium in *Chronico anno* DCCCCXI. *pag.* 250. ubi ex eadem *Marozia* & *Sergio* Pseudopapa natum ait *Johannem* XI. quod affirmat etiam Luitprandus in *libro secundo capite decimo tertio*. *Albericus* I. & *Marozia* progenuerunt *Sergium Nepesinum*
F Episcopum, *Constantinum* virum illustrem, & *Albericum* II. *qui Romanæ urbis principatum usurpavit*, teste eodem *Luitprando*. quemque *Florentinius pag.* 37. filium *Widonis* ex *Marozia* concubina perperam facit, quem nimis incaute auscultavit *Pagius* anno DCCCCXXXVI. num. VI. Idem *Albericus* II. qui filium suum adhuc puerum *Benedictum* IX. magno ecclesiæ scandalo in Pontificatum intrusit (quod monstrum luget *Baronius* anno MXXXIII. num. III.) in diplomate ubi fratres suos *Sergium*,

Constantinum, & *Bertam* sororem uterinam nominat apud Ughellum *tomo primo col.* 1099. se appellat *Principem atque omnium Romanorum Senatorem.* In hujus rei testimonium ex museo nostro hic dabimus nummum argenteum tunc eidem percussum rudi artificio, prout illa tempora exigebant. In antica parte exstat effigies *Agapiti* II. Pontificis, qui anno DCCCCXLVI. *Marini* II. locum implevit: quique *Alberico Hugonem* Regem *Italiæ*, cui vidua *Marozia* nupserat, conciliavit, ut testatur Frodoardus in *Chronico*. In altera parte est monogramma *Alberici*.
289



xiv. Hoc tempore ANONYMUS *Hortæ* Episcopus cum aliis *Ottoni* Imperatori & filio ejus promissionem quandam fecit de eligendo summo Pontifice, quam jure improbat *Baronius* anno DCCCCLXIII. num. XII. Anno vero MV. vivebat *Ughello* ignotus

xv. LAMBERTUS, ut patet ex Notitia publica coram ipso & *Guinizone Comite Hortano* ibidem conscripta in caussa *Hugonis* Abbatis *Farfensis*, quam integram dabimus in fine. *Comitatus* autem *Hortani* etiam alibi fit mentio, nempe in diplomate Imperatoris *Conradi* II. anni MXXVII. *Guidoni* Abbati cœnobii *Farfensis* & in alio *Henrici* III. anni ML. Berardo item Abbati *Farfensi*: quæ ex Regesto celeberrimi cœnobii nobiscum communicavit vir clarissimus & humanissimus *Johannes Baptista de Miro* Abbas ex Congregatione *Casinensi*. Petrus Maria Campus in *Historia Placentina tomo primo pag.* 513. recitat chartam anni MLIII. *Otberti* & *Opizonis* Marchionum: quos ipse appellat *Marchiones Hortæ in Tuscia.* Sed hoc posterius in charta ipsa non legitur, illique videntur fuisse ex partibus *Placentinis.* De his etiam dixi
290 in Apologia pro imperio Sedis Apostolicæ in civitatem Comaclensem *to.* I. *pag.* 155.

xvi. Anno MXVII. JOHANNES *Hortanus* episcopus subscripsit duplici diplomati *Benedicti* VIII. pro ecclesia sancti Salvatoris *Bisuldunensis*, & alteri pro institutione ejusdem episcopatus, apud Petrum de Marca in appendice ad *Marcam Hispanicam num.* CLXXVI. & CLXXVIII. Idem *Johannes Hortanus* episcopus anno MXXVII. subscripsit quoque diplomati non adhuc edito, quo *Johannes* XX. alias XVIII. *Ursoni* Patriarchæ *Gradensi* omnia privilegia antecessorum confirmavit adversus *Poponem* Patriarcham nostrum *Aquilejensem.*

xvii. Anno MXXXVII. LANDUINUS *Hortensis* episcopus *Perusiæ* interfuit & subscripsit Constitutioni, quam *Andreas* ejusdem urbis episcopus sanxerat in Synodo *Romana* coram *Benedicto* IX. anno antecedenti: quamque ex archivo *Perusino* Monasterii sancti *Petri* extractam edidit Ughellus in *appendice ad tomum nonum col.* 920.

xviii. Anno MXLIX. vivebat GREGORIUS ab *Ughello* prætermissus. Is in Concilio, eo anno *Romæ* celebrato contra *Simoniacos*, subscripsit diplomati *Leonis* IX. monasterio sanctæ *Gratæ* parœciæ *Bergomatis* concesso, in *tomo quarto Italiæ sacræ col.* 638. in eadem Synodo, cujus fit mentio ab *Hermanno Contracto*, *Sutrinus* episcopus simoniæ convictus misere interiit, ut testatur *Wibertus Leo-*
291 *nis* Archidiaconus in ejus *vita tomo secundo Aprilis Bollandiani pag.* 659. Eum episcopum *Kilinum*

A appellat Ughellus *tomo* I. *col.** 190. Sed ei jure adversatur Petrus Franciscus Chiffletius in *Probationibus Historiæ Trenorciensis pag.* 360. ubi ostendit *Kilinum* die tertia Octobris anni 1050. interfuisse consecrationi altaris sancti *Stephani Bisontini.* Vivebat hoc tempore, nempe A. D. 1048. *Berardus Hortanus*, Abbas cœnobii *Farfensis*, ut patet ex catalogo, quem vulgavit V. C. Johannes Mabillonius in *Musei Italici tomo* I. *parte* II. *pag.* 68. Idem *Berardus* memoratur in tabulis donationis, monasterio *Farfensi* per *Gyrardum* Comitem factis anno 1068. in civitate *Hortana*, quas ex Regesto *Farfensi* dabimus in Appendice. Ei-
B dem *Berardo Leo* IX. monasterii *Farfensis* jura & bona confirmavit anno 1055. inter quæ *terram de Hortelle*, *in civitate Hortana ecclesiam sancti Theodori in integrum*, ut apparet ex diplomate per *Cornelium Margarinum* vulgato in *tomo* I. *Bullarii Casinensis* §. 97. Idem *Leo* IX. anno MXLIX. *Berardo* cœnobii sui bona etiam confirmaverat ibidem num. XCIII. *Henricus* III. Imperator confirmavit bona Abbatiæ *Farfensis* eidem *Berardo* anno 1050. diplomate, quod dabimus in fine.

Post *Gregorium* venit RODULPHUS, ab *Honorio* XIX. II. Diaconus Cardinalis creatus A. D. 1124. ut legitur in *Ciaconio Oldoiniano to.* I. *col.* 966. Sub-
C scripsit diplomati *Innocentii* II. monasterio *Brixiensi* sanctorum *Faustini* & *Jovitæ* A. D. 1123. 292 *Brixiæ* concesso, quod exstat apud *Margarinum to.* II. *pag.* 145. annoque insequenti 1136. *Pisis* subscripsit bullæ *Innocentii* II. apud *Edmundum Martene* in *Thesauro anecdotorum to.* I. *pag.* 388. item alteri pro monasterio *Arretino* sanctarum *Floræ* & *Lucillæ* dato *Pisis* anno MCXXXV. ibidem apud *Margarinum pag.* 149. Idem pontifex biennio post *Michaeli* Abbati monasterii *Saxivivi* parœciæ *Fulginatis* inter cetera confirmavit in episcopatu *Hortano* ecclesiam sancti *Jacobi*: quod produnt ejusdem Pontificis literæ apud Ludovi-
D cum Jacobillum in *Chronico monasterii Saxivivi p.* 303. Anno MCLVIII. *Petrus* filius *Roberti de Castro Muggiani* in agro *Hortano* una cum *Bellanda* matre & *Sophia* uxore donavit *Attoni* Abbati *Saxivivi* ecclesiam sancti *Jacobi de Ponte Hortæ* ceterasque ecclesias eidem subjectas, domos, prædia aliaque, ut olim fecerat ejus avus *Guidottus.*

Hanc donationem eodem anno confirmavit XX. PAULLUS I. *Hortanus* episcopus, quemadmodum ex tabulario monasterii *Saxivivi* prodit *Jacobillus pag.* 51. *Paullum* interfuisse Concilio Lateranensi III. A. D. 1179. tradit *Ughellus.* Hujus Concilii subscriptiones postea edidit Dacherius *to.* XII.
E *Spicilegii pag.* 638. ubi comparet *Paullus Hortanus*: qui *Hortensis* vocatur in lapide proxime recitando. Idem *Paullus* consecravit ecclesiam sancti *Nicolai* de *Funariis* ad radicem Capitolii in vico Speculorum, ut prodit marmorea tabula apud 293 Floravantem Martinellum in *Roma Sacra pag.* 262. quæ sic incipit.

ANNO. DOMINICAE. INCARNATIONIS MCLXXX. ANNO. XXII. PONT. D. ALEX III. PAPAE. INDICTIONE. XIII. PA. DEI GRATIA HORTENSIS. EPISCOPVS CONSECRAVIT. ALTARE. SANCTI NICOLAI. DE. FVNARIIS. IN FESTO
F IPSIVS. &c.

A. D. 1196. qui erat VI. *Cœlestini* III. indictione XIV. die XXVI. Maji una cum multis aliis episcopis interfuit consecrationi ecclesiæ sancti *Laurentii* in *Lucina*, ut constat ex inscriptione ad partem dexteram primi ejusdem ecclesiæ aditus. Eam vide apud *Baronium* A. D. 1196. §. X. Fallitur autem *Ughellus*, qui illam consecrationem factam scribit A. D. 1199.

PAULLUS *Paullo* successit circa annum 1200. XXI. ab *Innocentio* III. electus, quum esset ejus familiaris

liaris & Capellanus, ut prodit ejusdem Pontificis vita MS. in Bibliotheca Vaticana. Hic Pontifex A. D. 1212. literas scripsit ad Rectorem, sive, ut tunc vocabant, ad Potestatem *Ortanensem*, de Castris *Bassanelli*, *Palatioli*, *Bassani*, & *Aliani*: quæ nobiles de *Orta* in feudum ab Apostolica Sede retinebat. Literæ exstant cum ceteris *Innocentii* III. à *Baluzio* vulgatis *tomo altero pag.* 603.

294 Anonymus, quem ab *Honorio* III. electum anno MCCXXII. ex regesto Vaticano tradit *Ughellus*,
XXII. est Guido, qui apud Jacobillum in *Chronico Saxivivi pag.* 51. custodi ecclesiæ sancti *Jacobi* terminos parœciæ adsignavit: quos idem *Honorius* anno MCCXVI. confirmaverat ibidem p. 308. Hic idem Guido A. D. 1222. memoratur in inscriptione apud Antonium de effectis in *Commentariis Italicis de sancto Nonnoso*, *Soracte*, aliisque locis *cap.* VIII. *pag.* 120. Ea insculpta est urnæ marmoreæ aquæ benedictæ in templo opidi sancti *Eliæ*. Hæc urna fonti alicui pro cratere vel labro videtur inserviisse. nam exterius tubuli æneï adhuc infixi conspiciuntur. Inscriptio autem hæc est:

ANNO. DNI. MCCXXII. HOC. OPVS D. VIDO. PRAESVL. HORTANVS TEMPORE. DOMNI. VILELMI ABBATIS. FIERI. FECIT

Sed isthæc loca ad parœciam *Nepesinam*, non *Hortanam* pertinere testantur epistolæ *Alexandri* IV. & *Nicolai* IV. *annorum* 1256. & 1291. Quare vel crater ex quopiam loco parœciæ *Hortanæ* illuc migravit, vel *Guido* episcopus *Guillelmo* Abbati gratificaturus exstruendum curavit.

XXIII. Trasimundus anno MCCXXXIX. dissidium habuit cum *monasterio Saxivivi* propter annuum cen-
295 sum sibi debitum à custode monasterii sancti *Jacobi de Orta*, spectantis ad *Saxumvivum*.. Sed *Stephanus* Cardinalis sanctæ *Mariæ* trans *Tiberim* litem diremit sententia lata pro monasterio, quibusdam conditionibus episcopo *Ortano* servatis. Eam sententiam confirmavit *Innocentius* IV. die XXVII. Februarii anno MCCXLIII. apud *Jacobillum pag.* 80. literis ad Abbatem *Saxivivi*, quas ex Archivo Vaticano proferemus in Appendice.

XXIV. Johannes anno MCCLXVIII. interfuit consecrationi ecclesiæ sanctæ *Mariæ* de *Tuscanella*, ut ibidem prodit inscriptio.

XXV. Petrus de *Poleto* ex ordine Minorum, Capellanus *Octaviani Ubaldini* Diaconi Cardinalis sanctæ *Mariæ* in Via lata, electus à Clero *Hortano*, confirmatus fuit ab *Alexandro* IV. anno I. sui Pontificatus X. Kal. Majas anno MCCLIV. non vero biennio citius, ut tradit *Ughellus*: quumque *Hortanum* Capitulum per *Raynerium* nuncium eam electionem Pontifici significasset, hic electum consecrari jussit per episcopum *Prænestinum*. Ea super re idem *Alexander* IV. literas dedit clero, civitati & diœcesi *Hortanæ* II. Id. Apriles & X. Kal. Majas, quarum primas vulgavit *Ughellus*, secundas vero, quæ alicubi ab iisdem differunt, dabimus in Appendice. Lucas Waddingus in *Annalibus Minorum tomo altero anno* MCCLIX. *num.* XVI. tradit eundem episcopum in urbem *Hortanam* hoc
296 ipso anno transtulisse alumnos ordinis sui, illis concessa ecclesia sancti *Angeli* ex voluntate & consensu *Alexandri* IV. prius enim morabantur ad primum ab *Horta* lapidem juxta ecclesiam sancti *Laurentii*, ubi jacet corpus beati *Theobaldi*, unde bellorum vicissitudine ejecti, ad urbem propius accesserunt, potiti ecclesia sancti *Theodori* in vico sancti *Jacobi*, ex *Bonaventura* Theulo in *Apparatu Minorico Provinciæ Romanæ libro altero pag.* 68. Eadem translatio ad ecclesiam sancti *Angeli* contigit anno MCCLVIII. ut patet ex diplomate *Petri Hortani* episcopi, dato apud *Ortas* XIII. *Kal. Septembris*, *Alexandri* IV. *anno* V. ex eodem *Theu-*

A *lo*. Vide Waddingum in *fine to.* IV. *pag.* 29. Quod *Hortani* amplexi fuerint alumnos sancti *Francisci*, haud mirum est: nam sanctus Bonaventura in ejus *Vita cap.* XII. hæc habet: *apud civitatem Ortensem puer unus ita conglomeratus, ut caput pedibus portaret applicitum & haberet ossa nonnulla confracta, signo Crucis, ad parentum lacrymabiles preces, ab eodem suscepto, subito extensus extitit & illico liberatus.* In hoc cœnobio paullo post obiit beatus *Theobaldus Assisias* die XXIX. Januarii: qua die hæc de illo habet *Arturus* à Monasterio in Martyrologio Franciscano: *apud Hortensem urbem in Etruria beati Theobaldi de Assisio confessoris, Seraphici*
B *Patris sancti Francisci discipuli, virtutum laude ac singulari sanctitate illustris.* Ejus gesta prosequuntur Marcus Ulyssiponensis in *Chronico Minorum parte altera libro primo capite quadragesimo septimo*, 297
& Lucas Waddingus *anno* MCCX. *num.* XL. *Petrus Hortanus* episcopus diem obiit anno MCCLXXXIV. quo tempore *Martinus* IV. literas dedit *Potestati*, *Consilio & Communi Ortano* pro rebus annonam spectantibus, à nobis proferendas in Appendice.

Conradum Archidiaconum *Viterbiensem*, de- XXVI.
functo *Petro* ab *Hortano* Capitulo electum confirmavit *Martinus* IV. anno MCCLXXXIV. nempe quarto sui pontificatus, decimo quarto Kal. Janua-
C rias, ex epistola LXVI. regesti Vaticani, quum nec Prior sancti *Andreæ* in parœcia *Urbevetana*, suæ postulationi, adsentiri voluisset, neque etiam *Henricus* Canonicus *Tudertinus*.

Bartolus, quem Ughellus *Bartholomæum* ap- XXVII.
pellat, electus fuit à *Bonifacio* VIII. anno MCCXCVI. quippe in literis ad calcem vulgandis, V. *Kal. Febr. anno secundo*, ait, se *nuper Ortanæ ecclesiæ tunc vacanti* eum in episcopum præfecisse. Iisdem literis castrum *Kie Ortanæ diœcesis ad Romanam ecclesiam pertinens sub annuo censu unius floreni auri ei de gratia concessit speciali quandiu eum ecclesiæ Ortanæ præesse contigerit.*

Bartoli successorem *Bonifacius* VIII. designavit XXVIII.
D Laurentium de *Vellitris* ordinis Minorum, ex Waddingo *anno* MCCXCVIII. *num.* IV. qui etiam in Regesto n. XXXVII. recitat ejusdem Pontificis epistolam hac super re datam *Reate* V. *nonas Octobris anno* IV. qui postea IV. Kal. Decembres ei castrum *Kie* sub censu annuo concessit, ut patet ex literis infra vulgandis. Bonaventura Theulus in *Theatro historico Vellitrensi libro secundo pag.* 193. ait mensæ episcopali ab illo additas ecclesias sanctæ Mariæ castri *Kie*, sancti *Nicolai*, & sancti *Juvenalis*, diemque extremum obiisse anno MCCCXIV. Idem templum sancti *Juvenalis* à *Belisario* ædificatum, se puero collapsum fuisse testatur Julius Roscius 298
E in *Elogiis militaribus p.* 206. In ecclesia cathedrali legitur hoc monumentum ob implicatissimas notas ab *Ughello* mendose recitatum.

ANIS, MILLIS. CCCIS. TRI. TEIO. TER
INDITIONE. PMA. AVGVSTI. DIE. XX. PRIMA
TPRE. IOHIS. XX. PAPE. SECVNDI
HOC. OPVS. HEDIFICATV. NOE. XPI. DILECTO
EST. SB. REVERENDO. PATRE. LAVRENTIO. OL
FRATRE. EPO. CLICORVM. NOMINA. HEC. SVNT. EORVM
F PBI. EGIDII. PBI. NICOLAI. PBI. PETRI. RANVCI
ANDREE PBI. IOHIS. NICOLAI. PBI. SCI. PBI. AB
RAHAMI. VANNICELLI. MENICI. VSNARVGII
ET. EGO. PETRVS. DNI. NICOLE. PRIOR
ECLE. ORTANE. SCVLPSI. HVNC. LAPIDEM

Jacobus de Horta provinciæ *Romanæ* alumnus & doctor *Parisiensis*, electus fuit Prior generalis ordinis sancti Augustini anno MCCCVIII. ex Aloysio Taurello in *Sæculis Augustinianus to.* V. *pag.* 279.

Nico-

XXIX. NICOLAUM *de Zabareschis Ortanum*, à Capitulo adlectum anno MCCCXXXIV. die septima Aprilis, confirmavit *Benedictus* XII. anno insequenti nono Kal. Majas, ex Regesto Vaticano epist. CCCIII. Hoc episcopo sedente fuit potestas urbis *Hortanæ Bartholomæus* de *Deodaschis Reatinus*: cujus electionis instrumentum dabimus in Appendice. *Nicolaus Raynutii* de *Horta* anno MCCCLVII. erat Potestas *Fulginii*, ut testatur Jacobillus in *Dissertatione Italica de Fulginio pag.* 69. *Potestas* hoc tempore in *Italia* vocabatur summus civitatum liberarum magistratus, qui ab ipsis electus, summo jure civibus in rebus bellicis ac politicis imperabat.

299 XXX. JOHANNES *episcopus Kissamensis* in regno *Cretensi* huc translatus est anno MCCCLXII. die XVI. Augusti.

XXXI. PETRUS *Ortanus* obiit anno MCCCLXVI.

XXXII. JOHANNES *Fulginas* è familia sancti *Dominici* electus fuit anno MCCCLXVI. obiitque anno MCCCXCIII. *Johanni Nardo Ortano* familiari suo multa bona *Belli Cajetani* donavit *Urbanus* VI. anno MCCCLXXIX. idemque anno MCCCLXXXIV. oppigneravit ad biennium civitatem *Ortanam Malatestæ* de *Malatestis* pro decem mille florenis, ut ex literis in tabulario Vaticano servatis. Ejusdem *Johannis* episcopatu cœnobium *Ortanum* Minorum, sæviente bello inter Pontifici subditos & ecclesiæ rebelles, conversum est in arcem, ut tradit *Waddingus* anno 1472. §. 39. vivebat hoc tempore *Petrus* de *Horta* Commendatarius generalis ordinis sancti Spiritus *Romæ*, cui *Ægidius* item de *Horta* in eodem munere præcesserat, ut notat Caspar Alverus in opere inscripto *Roma in ogni stato*, *to.* I. *pag.* 262. Hic episcopus aliquando contendit cum sodalitio *Recomendatorum* Beatæ *Mariæ* civitatis *Hortanæ* coram *Galliardo* de *Boscoviridi* cantore ecclesiæ *Caturcensis*, decretorum doctore, *Urbani* V. Pontificis capellano, curiæque Cameræ Apostolicæ & Camerarii generalis Auditore. Acta litis scripta *Viterbii*, *ubi de præsenti Romana residet Curia* A. D. 1369. die 8. Maji, vidimus in membranis *Hortæ* in tabulario civitatis.

XXXIII. Accuratissimus *Waddingus* anno 1396. §. II. scribit, hoc anno, secundo idus Novembres à *Bonifacio* IX. *Johanni* successorem datum fuisse PAULLUM *de Albertis Florentinum* ex instituto sancti *Francisci*, qui *Ortanam* ecclesiam rexit usque ad annum 1420. quo transiit ad episcopatum *Adjacensem* in *Corsica* sub archiepiscopatu *Pisano*. Hinc postea translatus fuit ad ecclesiam Anconitanam, & deinde ad *Asculanam*, ex eodem *Waddingo* in additamentis *tomi* V. quæ prostant ad calcem *tomi* VII. *pag.* 489. Idem *Bonifacius* non unas literas dedit *Verrochio* sive *Berrochio* domicello *Ortano*, castrorum *Ocriculi* & *Baucæ* Vicario pontificio. Ejusdem *Verrochii* filius *Vicarellus*, domicellus castri sancti *Felicis* parœciæ *Tarracinensis* appellatur in aliis literis ejusdem *Bonifacii* IX. infra adducendis: qui idem Summus Pontifex civitati *Ortanæ Johannellum* & *Andream* de *Thomacellis* gentiles suos, tanquam *Romanæ* ecclesiæ Vicarios, præposuit, ut ex ejus epistola patet.

300

XXXIV. SANCTES successit anno eodem die XVII. Junii unde postea ad civitatem *Castellanam* transiit.

XXXV. VALENTINUS *Interamnensis* eam dignitatem obtinuit eodem anno die XIV. Aprilis: cumque episcopatui *Ortano* & *Castellanensi* esset curta supellex, ut dignitati utriusque consuleret *Eugenius* IV. defuncto *Sancte*, utranque conjunxit ecclesiam III. Nonas Octobres an. MCCCCXXXVII. In hujus rei diplomate, quod recitabimus ex *Ughello*, cavetur, ut episcopus in urbe & parœcia *Ortana* commorans, *Ortanæ civitatis & Castellanæ*; in civitate vero *Castellana*, *civitatis Castellanæ & Ortanæ* episcopus appelletur. Quare episcopatus *Ortanus* ex quatuor episcopatibus nunc conflatus est, nempe ex *Falarensi*, *Gallesino*, *Ortano* & *Castellanensi*. Roscius in *Elogiis militaribus pag.* 164. putat ab *Eugenio Castellanensem* ecclesiam *Hortanæ* adjunctam in singularis beneficii accepti memoriam, quod *Hortani* contra *Nicolai Piccinini* & *Brachii Fortebrachii* exercitus in fide permansissent erga Apostolicam Sedem: unde tunc primum claves pontificias in proprium insigne, auctore Pontifice, illis datas conjicit, addito lemmate MUNUS. FIDELITATIS. S. R. E. Idem *Valentinus* interfuit Concilio *Florentino* anno MCCCCXXXIX. ubi se *Ortanum* duntaxat appellavit apud Labbeum *to.* 13. *col.* 519. 877. 890. Anno vero MCCCCXLII. *Asculum* in *Piceno* translatus, quadriennio post obiit apud *Ughellum col.* 530. *Petrus Johannis* de *Urso Ortanus*, olim episcopus *Cornetanus*, dein *Nepesinus*, anno MCCCCXXXVIII. translatus fuit *Massam*, ex Ughello *to.* I. *col.* 1063. & *to.* III. *col.* 80. 301

LUCAS *Bononiensis* obiit anno MCCCCXIII. XXXVI.

ANTONIUS *Stella Castellanensis* biennio vixit. XXXVII.

NICOLAUS *Palmerius Siculus*, eremita sancti *Augustini*, huc translatus per *Calistum* III. die secunda Julii anno MCCCCLV. ex episcopatus *Catacensi* in *Calabriis Romæ* decessit anno MCCCCLXVII. sepultus ante sacellum sanctæ *Monicæ* cum hoc epitaphio. XXXVIII.

D. S.

NICOLAO. PALMERIO. SICULO. EEISCOPO. HORTANO
DIVI. AUGUSTINI. RELIG. ADDICTO. ORATORI
PHILOSOPHO. THEOLOGO. QUE. ILLUSTRI
SACROSANCTAE. FIDEI. CATHOLICAE. DEFENSORI.
HAERETICORUM. QUE. EXPUGNATORI
ACERRIMO. QUI. ANN. XX. ET. VIII. SUMMA. CUM. LAUDE
IN. AGRO. DOMINICO. LABORAVIT
MULTA. QUE. SUAE. DOCTRINAE
MONUMENTA. RELIQUIT. ANDREAS. PRATE.
. . . LIBERALITER. . . . . FECIT. VIXIT. ANNIS. LXV
MENS. XI. DIES. XXIX.

Ughellus impolite exhibet ejus numisma æreum. Hoc, egregie servatum, apud me est. In antica parte circa imaginem *Nicolai* in primo circulo hæc leguntur

NUDUS. EGRESUS. SIC REDIBO. (sic) In secundo circulo interiori. NICOLAUS. PALMERIUS. SICULUS. EPS. ORTANIUS. In postica est figura nuda stans cum clepsydra in manu dextera, lancea in sinistra. In tergo pendet chlamys. In circulo hæc leguntur. ANDREAS. GUACIALOTUS. CONTUBERNALIS. B. F. In medio. VIX. AN. LXV. OBIIT. A. D. MCCCCLXVII. Ex his & ex subscriptionibus *Valentini* in Concilio *Florentino* patet, utriusque ecclesiæ episcopos post conjunctionem per *Eugenium* factam, extra parœcias suas, non à civitate *Castellana*, sed ab *Ortana* duntaxat se appellavisse: quod amplius etiam probatur inscriptione *Henrici Bruni* infra adducenda & literis *Angeli* episcopi XL. *Buda* ad summum Pontificem scriptis. Ejusdem *Palmerii* varia scripta nondum edita exstant in Bibliotheca *Vaticana* num. 5815. nempe orationes VIII. quarum prima est *in funere Nicolai V.* Secunda *in funere Dominici Cardinalis Firmani.* Tertia *de sacerdotio*, *habita coram Pontifice.* Quarta *de immaculata oblatione.* Quinta *de sacrificiis veteris & novi testamenti.* Sexta *de pacis dignitate.* Septima *in funere Prosperi Cardinalis Columnæ.* Item *Quæstio quonam sensu intelligendum*, 302

gendum sit, Christum de spiritu ex Maria virgine conceptum fuisse, & quod homo factus sit. Item *brevis quæstio de conceptu Christi.* Item *Quæstio an sanguini Christi in cruce effuso, reassumendo in resurrectione, adjuncta fuerit divinitas imperfecta.* Item *sermo de incarnatione verbi Dei* & alius *de Paralytico.* Alia quædam servat V. C. *Antonius Franciscus Marmius* ordinis sancti *Stephani* eques, idemque amicus noster cum paucis numerandus. Waddingus in *tomo sexto Annalium anno* MCCCCLXIII. §. CXXIII. ex Francisco Gonzaga in *Origine Seraphicæ Religionis Franciscanæ pag.* 185. ait hoc anno
303 *Ortanos* domicilium posuisse non longe à *Tiberi* paucis fratribus, sancto *Bernardino Senensi* apud eos sacras conciones habente: quod testatur hæc inscriptio ibidem lapidi incisa & male à *Gonzaga* expressa.

TEMPORE
DIVI. IHV XPI
A. D. MCCCC.
LXIII. P. D. PII
PP. II. ANO. VI
M. MAII. DIE
XII
DOMICVS. SCS
BENADINO. H
AC. SC. DOMVM
SVA. IMPESA. IST
ITVI. MADAVIT

Waddingus testatur ex hac urbe prodiisse Beatos patres *Benignum*, *Panormi* in cœnobio sancti *Francisci*, & *Johannem Romæ* in templo sanctæ *Mariæ* in Aracœli sepultos: Beatum quoque *Ungarellum Ortanis* aquæ penuria laborantibus in festo Apparitionis sancti *Michaelis* copioso imbre succurrisse. Sub hoc Episcopo *Nicolaus* V. Pontifex constitutiones Civitatis *Hortanæ* ab *Stephano* de *Nardinis* ibidem editas confirmavit A. D. 1451. die XXII. Januarii. Has dabimus in fine. Ad dirimendas lites & controversias *Hortam* inter & *Bassanum Nicolaus Perottus* Archiepiscopus *Sipontinus*, vir eruditis notus, *Hortam* profectus, sententiam vulgavit in episcopali palatio A. D. 1466. die ultima *Octobris*: quam pariter vidimus in membranis.

304 XXXIX. Antonius ex episcopatu *Castrensi* ad *Ortanum* translatus est anno MCCCCLXVII. decessitque anno MCCCCLXXIII. inquit *Ughellus*, genus mortis non exprimens. Attamen ex epistola XXXIV. *Jacobi Amannati* vulgo *Piccolominei* Cardinalis *Papiensis*, quæ scripta est *Senis* die XX. Octobris anno MCCCCLXXIII. apparet, eum fuisse mari submersum; quippe idem *Jacobus* narrans Decano *Toleti* reditum Cardinalis Vicecancellarii ex legatione *Hispanica*, ait, in mari *Ligustico* gravissima tempestate fractam navim, in qua *præter ceteram turbam quinque & septuaginta ex familia periere. In his episcopi tres, Pharensis, Assisiensis, & Hortanus. Jureconsulti amplius duodecim: equestris ordinis sex. Jactura autem rerum triginta millium aureorum est æstimata.*

XL. Pyrrhus *Ajossa Trojanus* à *Sixto* IV. adlectus anno MCCCCLXXIII. ab *Innocentio* VIII. translatus fuit ad ecclesiam *Suessanam* anno MCCCCLXXXVI. *Stephanus* Infessura scriba Populi Romani testatur in Diariis suis MSS. die IV. Maji anno MCCCCLXXVIII. se tunc fuisse Potestatem *Hortæ*.

XLI. Successit Angelus *Pechinolius Castellanensis* canonicus, qui ad superos migravit anno MCCCCXCII. Fuit legatus Apostolicus ad *Matthiam* Regem *Hungariæ*, unde anno MCCCCLXXXIX. die XXV. Ju-

A nii amplis literis, in Appendice exhibendis, *Innocentio* VIII. suæ legationis rationem reddidit. *Christaura Verrochinia Ortana*, castri *Sermugnani* Domina & uxor *Thomæ* Comitis *Marsciani* anno MCCCCXC. memoratur ab Ughello in *Historia Marsciana pag.* 69.

Henricus *Brunus* ab epistulis *Alexandri* IV. sancti *Eutytii* corpus intulit in templum eidem sacrum sub monte *Ciminio*, uti hæc marmorea tabula prodit. XLII.

RELIQVIAS. S. EVTHITII. MARTYRIS 305
INTER. RVDERA. IN. SCYPHO. LAPIDEO
B REPERTAS. IVBENTE. ALEXANDRO
SEXTO. HENRICVS. EPISCOPVS
HORTAE. IN. HAC. MARMOREA
ARCHA. LOCANDAS. CVRAVIT
IDVS. MAII. MCCCCXCVI

Idem *Henricus* translatus fuit ad archiepiscopatum *Tarentinum* anno MCCCCXCVIII. die XIV. Septembris.

Georgius *Maccafanus* de *Pereto Marsus* anno vix completo transiit ad *Sarnensem* ecclesiam. XLIII.

Anno MCCCCXCIX. successit Ludovicus, qui
C obiit anno MDIII. XLIV.

Julius II. huic episcopatui præfecit Johannem *Burchardum Argentoratensem*, qui sacello *Alexandri* VI. fuerat cæremoniarum magister.. Scripsit Diaria simplici, sed libero stilo, quæ MSS. circunferuntur, eorumque deterior pars sub titulo *Historiæ arcanæ* nuper vulgata est in *Germania*. Exstat & ejus Ordo missæ pro informatione Sacerdotum, *Romæ* typis *Antonii Bladi* 1559. in 8°. *Johannes* mortalitatem exuit anno MDVI. sepultusque est *Romæ* in templo nationis *Teutonicorum* XLV.

Franciscus *Franciscinius Ortanus* à sacris confessionibus *Julii* II. successit die XVIII. Maji, an-
D no vero MDXXV. episcopatu se exsolvit. De eodem agit Theulus in *Apparatu Minorico libro* II. *capite quarto*. XLVI.

Paullus *Cæsius* Cardinalis utranque ecclesiam administravit ab anno MDXXV. ad mortem, quæ contigit anno MDXXXVII. 306 XLVII.

Lucas *Sabellus* administrationem iniit per procuratorem. XLVIII.

Anno MDXXXVIII. die XII. Augusti creatus est Pomponius *Cæsius*, & post annum translatus ad episcopatum *Nepesinum* & *Sutrinum*, annoque MDXLII. à *Paulo* III. inter Cardinales cooptatus, quo eodem anno decessit. XLIX.

E Scipio *Bongallus* civis *Romanus* anno MDXXXIX. adlectus, interfuit Concilio *Tridentino*: edidit *Jamblichum* de *mysteriis Ægyptiorum*, & *de Vita Pythagoræ*, latine expressum à *Nicolao Scutellio* eremita Augustiniano, *Romæ* per *Antonium Bladum* 1556. in 4°. Obiit circa annum MDLXIV. In ecclesia primaria sanctæ Mariæ exstat hæc inscriptio ejus nomini dicata. L.

D. O. M
SCIPIONI. BONGALLO
RO. EPO. HORTANO. ET
CIVITAT. CASTELL
F VIRO RELIGIOSISS
MORIBVS. ET. SCIENTIIS
FERE. OMNIBVS. ORNATIS
AVRELIVS. COPERCHIVS
BENEFICIATVS. S. PETRI
DE. VRBE. AFFINITATE
ET. AMORE. CONIVNCTISS
MAERENS P. VIX. ANI. LXIII.
OBIIT. DIE. III. AVG. MDLXIV.

307 Nicolaus *Peruscus* electus à *Pio* IV. die VII.
LI. Februarii anno MDLXVI. decessit die VIII. ejusdem mensis anno MDLXXXII.

LII. Andreas *Longus Parmensis* à *Gregorio* XIII. electus die II. Aprilis anno MDLXXXII. Obiit XV. Kal. Septembres anno MDCVII. Hujus episcopatu floruit *Bonaventura Furlanus Ortensis* ex ordine Minorum *Sixto* V. charus, qui eum ad *Alatrensem* episcopatum promovit anno MDLXXXVI. ex Ughello *tomo primo col.* 354. In ecclesia cathedrali legitur de *Andrea* hujusmodi elogium.

ANDREÆ. LONGO. NOBILI. PARMENSI. EPISCOPO. CIVITATIS HORTANÆ. ET. CASTELLANÆ MVLTIS. REGIMINIBVS. DEFVNCTO. CIVITAS. HORTANA. PASTORI. OPTIME. MERITO. MÆSTISSIMA. ÆRE. PVBLICO. POSVIT OBIIT. AN. MDCVII. XV. KAL SEPTEMBRIS. ÆTATIS. SVÆ LXVIII. EPISCOPATVS. VERO XXV

LIII Johannes Vincentivs *Cansachius Amerinus* vix electus à *Paullo* V. transfertur ad ecclesiam sancti *Marci* in *Calabria*. Floruerunt hoc tempore literarum gloria clarissimi *Hortani* cives *Julius Roscius*, & *Antonius Decius*: quorum eximias lau-
308 des quum accurate recenseat *Johannes Victorius Roscius*, vulgo *Janus Nicius Erythræus*, huc lubet ejus verba transferre. Et quidem de *Roscio* hæc habet in Pinacotheca altera num. III. *Horti urbs nulli earum, quæ in Faliscis numerantur, antiquitate ac nobilitate inferior, Phœbi Musarumque deliciæ, fere semper præclara hominum ingenia ad omnia elegantissimarum artium studia & ad poësin in primis apta, produxit; quæ tanquam flores eximii, odore & amœnitate non uni tantum civitati, sed omnibus, apud quos Græcæ Romanæque literæ vigent, essent voluptati, admirationi, ac laudi. Mitto eos, quos Philosophiæ ac Jurisprudentiæ laus nobilitavit, ex iis, qui, cum aliarum etiam laudandarum facultatum gloria florerent, poësin etiam sunt amplexi. Ita Horti Julio Roscio, nobili apud suos genere nato, delectantur, ut non alio magis cive & alumno glorientur, neque magis se jactent. Hic admirabili quodam naturæ ipsius habitu ac prope divino præditus, cum eximiam hanc illustremque naturam ad omnium rerum magnarum atque artium scientiam contulisset, quid mirum, si orator, si poëta omni laude cumulatus, extiterit? Etenim nisi oratorum ac poëtarum, ex rerum cognitione efflorescat ac redundet oratio, tanquam cassa nuce inanior, negligatur ac repudietur ne-*
309 *cesse est. Itaque tanta vis ingenii ab omnibus, qui tunc temporis magnum in literatis viris nomen habebant, primum cognita, (non enim insignis flammæ cujuspiam splendor latere diutius potest, quin suo se lumine prodat,) tum adamata, deinde expetita, postremo exculta omni officiorum genere est; sed in primis ab Aldo Manutio arctissimo sibi amicitiæ vinculo constricta. ac ita illum placuisse Manutio, tantum in ejus laudibus pondus mea sententia habet, propemodum ut ceteris anteponendum esse videatur. nisi enim summa ac prope singularis in ejus ingenio atque doctrina vis boni fuisset, nunquam ita à tali viro coli diligique potuisset, ut vix quidquam in amore fuerit ardentius. cujus viri eruditio à majoribus ipsi suis quadam quasi hereditate relicta, ita deinde perpetuo labore studioque suis est opibus aucta, ut parenti etiam*

A *ipsi Paulo, quo tum in his literis humanissimis nil habebat orbis terræ præstantius, esset admirabilis. Quanta autem inter Aldum & Julium necessitas amicitiæque usus intercesserit, declarant epistolæ, quæ extant impressæ, & eruditorum manibus teruntur, tum Manutii ad ipsum, tum ipsius ad Manutium, scriptæ. Sed quid tam eorum, qui se literis abdiderunt, ostendit industriam, quam quæ potuerunt ad communem afferre fructum, atque in conspectum lucemque proferre? Sunt in medio complures ejus oratio-* 310
nes ab ipso editæ, in quibus & orationis copia & sententiarum gravitas, & elegans verborum comprehensio atque artifex etiam stylus apparet. Summa o-
B *mnium cum voluptate leguntur epigrammata, elegiæ, odæ, & sacrorum carminum liber: quæ omnia, admirabilem ejusdem ad poësin indolem ac divinum illum spiritum, quo poëtæ dicuntur afflari, mire testantur. exstant elogia militaria, tanta cum fide, industria, ac sermonis majestate conscripta, ut ejus ingenii magnitudinem, candorem animi, ac magnificum orationis genus, ante oculos ponant. Attigit etiam Remp. ac pluribus & maximis muneribus functus, in gravi atque difficili provinciæ cujusdam administratione, vitam reliquit.* Inter alia edidit Icones operum misericordiæ Romæ 1585. in folio. Emblemata sacra æri incisa ab Antonio Tempesta Romæ 1589.
C in 8°. Ejus Elogia militaria vulgavit Philippus Decius Romæ apud Jo. Angelum Ruffinellum 1596. in 4°. Varia ejusdem MSS. adservantur in Bibliothecis Barberina & Chisiana. D. Antonio Decio exstat hoc elogium apud Erythræum in Pinacotheca I. *Locuples & amœnum Antonii Decii Hortini ingenium, omnemque ab eo perceptam, dignam libero homine, disciplinam cum cetera ejus scripta, lyrico stylo confecta, declarant, tum maxime Arcipanda, nobilis ejusdem tragædia demonstrat, quam, splendore verborum, multitudine sententiarum, ma-* 311
jestate argumenti, non video, cui earum debeat cedere, quæ Etrusca lingua scriptæ leguntur. Hæc simul ac typis impressa communem lucem aspexit, in-
D *credibili omnium plausu, summoque Fabii Ursini, in cujus primum nomine apparuerat, excepta, visa est etiam admirabilis Torquato Tasso, non epici tantum carminis principi, sed scriptori tragœdiarum eximio, qui cum illi magnus amicitiæ usus necessitudoque intercedebat: nam cum eo sæpe, qui ob id quod parum animo valeret, sermones hominum conventusque vitabat, in via incedentem, colloquentem & in foro Agonali Romæ ambulantem, multaque ibi spacia facientem aspeximus; ut si Antonii laudibus cetera alia argumenta deessent, hæc tam egregia cum illo familiaritas, summum in eo ingenium, excellentem doctrinam,*
E *atque admirabilem poëticæ facultatis artem fuisse convinceret: cui enim ille placere non oporteat, qui tantopere Torquato Tasso probatus extiterit? Sed hunc quoque celerius mortalis conditionis tanquam æstus absorbuit, quam bonæ literæ, amicorumque, quibus ille erat jucundissimus, studia deposcerent. Quod si longior illi vitæ hujus usura contigisset, multos, quos conceperat, partus edidisset. Verum pauci erepti ejus vitæ anni, ea quam adeptus est nominis immortalitate, compensantur.*

Hippolytus *Fabianus Ravennas* ex Priore ge- 312
nerali, ut vocant, ordinis sancti *Augustini*, ad LIV.
hanc dignitatem evectus est à *Paullo* V. die XVII.
F Decembris anno MDCVII. Ex hac vita migravit in civitate *Castellana* die XXIV. Augusti MDCCVI. quo tempore vixit *Julius Pheus Hortanus* Advocatus Consistorialis, in quo munere successorem habuit *Laurentium* filium, postea adlectum in episcopum *Geruntinensem* in *Calabria*, ex Carolo Carthario in *Syllabo Advocator. Consistorial. pag.* 223. & 245.

Angelus *Gozadinus* Archiepiscopus *Nixiensis*, LV.
& *Pariensis*, ecclesiæ *Bononiensis* suffraganeus pro Cardinali *Ludovisio*, anno MDCXXI. à *Gregorio* XV.

XV. electus fuit. Exstat *Hortæ* hæc ejus inscriptio.

D. O. M.
ANGELVS. GOZADINVS I. V. D. OLIM ARCHIEPISCOPVS. NIXIEN. ET. PARIEN. NVNC. VERO. ECCLESIARVM HORTANAE.ET.CIVITATIS.CASTELL EPVS. ADHVC. VIVENS. SERIO. DE MORTE. COGITANS. SIBI. SVCCESSORIBVS. Q. SVIS. MONVMENTVM PARAVIT. A. IVB. MDCL. AETATIS SVAE. LXXVII. EPATVS. VERO. XXX

Floruit hoc tempore *Marius Villanius* J.C. præstantissimus, ad quem *Hortæ* suæ morantem supra laudatus *Erythræus* has literas dedit, quæ habentur in *libro* VI. *partis primæ num.* XXXVII.

313 *Nisi memoria me fugit, quod sæpe solet accidere, cum Roma discedebas, pollicitus es, feriis tantum vindemiarum, hoc est, diebus quindecim, nec eo amplius, à nobis abfuturum (quo tempore prolatis rebus, multi animi relaxandi gratia, vel villarum amœnitates, vel propinqua Urbi oppida persequi solent) verum cum res rediissent, continuo te ad nos recepturum, quo amicorum causis præsto esses opera, auctoritate, consilio. Sed totos jam menses quinque desideraris; ac vereor, ne dies illi quindecim, menses viginti fiant. Sed nolim, te Ulyssi similem esse, qui Ithacam suam tanti fecit, ut eam, quamvis asperrimis saxis, tanquam nidum affixam, immortalitati anteponendam esse statuerit. Non video quid istic sit, quod delectare te possit ac retinere, quin curriculo ad nos venias. Nulla est tibi Penelope, quam à procorum injuriis atque insolentia vindices; nullus Telemachus, cujus adolescentiam patria auctoritate ac consilio regas. Sed quamvis te recte cum Ulysse, sed alio in genere, conferam, non sum tamen ita insipiens, ut Ithacæ oppidum cum isthac urbe, quam incolis, esse comparandam existimem. Quæ urbs antiquissima quidem ac nobilissima plures semper viros genuit, domi militiæque claros, & in primis doctrina, ingenio, & eruditione præstantes: sed nihil ad urbem Romam. A qua tamen abesse hoc tem-*
314 *pore non est magnopere dolendum: multa enim ejus, qui abest, ab oculis removentur, quæ acerbissimum animo dolorem inurant: quæ mala bellorum calamitas affert. Et nunc severissimæ exactiones fiunt capitum, atque ostiorum: neque id aliqua Principum nostrorum iniquitate vel avaritia; quibus nihil est æquius, nihil liberalius; sed ita res est, ita faciundum fuit. Sed quamvis omnes intelligant, quæ exiguntur ad communem utilitatem salutemque conferri, tamen ægre ferunt, queruntur, dolent, in summa rei nummariæ difficultate eam à se pecuniam arripi. Sed Petri Sedis dignitas, urbis salus & incolumitas: cujus tuendæ gratia, publico consilio, ea pecunia cogitur, omnibus nostris commodis anteponenda est. Ego quia pacis ociique in primis sum cupi-*

A *dus, libenter me istuc vel alio conferrem, ubi neque milites armatos conspicerem, neque tympanorum strepitus & tubarum sonitus audirem: sed rei familiaris ratio prohibet; ætas acta deterret; cui cœli mutationem maxime incommodam esse, audio. Sed cur, inquies, me in eam urbem vocas in qua manere, neque tibi suave neque jucundum putas? At longe alia ratio est utriusque nostrum. Tu Jurisconsultus in primis; ego non plus attigi illius doctrinæ, quam quantum prima illa puerili institutione potui. Tu rerum maximarum usu edoctus ac prudens; ego in omnibus iis rebus, quæ ad communis vitæ consuetudinem pertinent, fere hospes & rudis. Tu Reipub.* 315
B *regendæ scientia præditus; ego funditus ejus artis expers. Quamobrem ibi potissimum te oportet esse, ubi summæ rei prodesse plurimum possis; operæ autem meæ nihil relictum est loci, ubi neque publice neque privatim cuipiam esse usui possit. Quam ob rem cogita de reditu: & amicis, qui jam diu tuæ sunt suavitatis expertes, ejusque participes fieri avidissime cupiunt, ne sis in mora; sed quam primum illorum votis occurre. Ego, quoniam coram non licet, his literis, quas tibi F. Desiderius reddet, salvere te plurimum jubeo. Vale. Romæ VI. Kal. Febr.* CIↃIↃCXLIV. Hoc eodem tempore *Romæ* excelluit alter *Hortanus* civis *Matthæus Caccia*, qui
C magnam pecuniæ vim arte medica comparatam, fato cedens anno MDCXLIV. in usus pios liberalissime impendit, splendide instaurata ædicula beatæ *Mariæ* virginis, ubi sepeliri voluit, post Xenodochium sancti *Jacobi* ad portam *Flaminiam*, cui octoginta millium nummum hereditatem obtingere jussit. Ejusdem gentilis *Plinius Caccia*, equestri ordine illustris, Rythmos Italicos ediderat *Firmi* typis *Sertorii de Montibus* anno MDCIII. in 12°.

THADDAEUS *Altinus Camers*, eremita Augustinianus, episcopus *Porphyriensis*, *Urbano* VIII. LVI.
Innocentio X. & *Alexandro* VII. à sacello Pontifi-
D cio, diem obiit VI. Kal. Septembres anno MDCLXXXV. *Hortæ* in Ecclesia sancti *Augustini* sepultus.

JOSEPHUS *Sillanus de Leoncillis Spoletinus*, Car- 316 LVII.
dinali *Ludovisio* majori pœnitentiario ac sacri Collegii Decano caussarum Auditor, electus fuit anno MDCLXXXV.

SIMON *Aleottus* Argentensis ex Vicario gene- LVIII.
rali *Fabricii Paulutii* Cardinalis & episcopi *Maceratensis*, nuncupatus fuit anno MDCXCVII.

Aleotti locum implevit anno MDCCIV. ASCA- LIX.
NIUS *Blasii Romanus*, *Francisco de Judice* Cardinali caussarum Auditor, deinde episcopus *Salami-*
E *næ*, & *Casparis* de *Carpineo* Cardinalis, episcopi *Sabinensis* suffraganeus, quo in munere successit *Ulyssi Roscio Ortano*, hodieque populum suum, pietatis & virtutis eximia laude ornatus, gubernat.

F I N I S.



APPENDIX ACTORUM VETERUM DE QUIBUS FACTA EST MENTIO IN LIBRO SECUNDO.

I.

Ad Lib. II. Cap. 3. pag. 80.

Decretum genuinum *Gelasii* I. collatum cum editione vulgata.

Genuinum Decretum cum nævis.

Ex antiquissimo codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ n. 493. fol. 101.

Anno 494 Incipit Decretalem *(sic)* Sci Gelasii Papæ urbis Romæ.

Vulgatum Decretum.

Ex codice Jurensi emendatius editum sub nomine Hormisdæ *à* Petro Francisco Chifletio. *Additiones & interpolationes minio notantur.*

A

Incipit Decretale in urbe Roma ab Hormisda Papa editum.

De scripturis divinis quid universaliter catholica recipiat Ecclesia, vel post hac quid vitare debeat.

B

I.

ORdo de veteri Testamento, quem sancta & catholica Romana suscipit & honorat Ecclesia, iste est.

318 Geneseos liber I.
Exodi liber I.
Levitici liber I.
Numeri liber I.
Deuteronomii liber I.
Jesu Nave liber I.
Judicum liber I.
Ruth liber I.
Regum libri IV.
C
Paralipomenon libri II.
Psalmorum CL. liber I.
Salomonis libri III.
Proverbia, Ecclesiastes, & Cantica Canticorum.
Item Sapientiæ liber I.
Ecclesiastici liber I.

Item ordo Prophetarum.

Esaiæ liber I.
Hieremiæ liber I. cum Cinoth ac Lamentationibus suis.
Ezechielis liber I.
Danielis liber I.
Oseæ liber I.
Amos liber I.
D
Michææ liber I.
Johel liber I.
Abdiæ liber I.
Jonæ liber I.
Naum liber I.
Abacuc liber I.
Sophoniæ liber I.
Aggæi liber I.
Zachariæ lib. I.
Malachiæ liber I.

Item ordo Historiarum.

Job liber I.
Tobiæ liber I.
Esdræ libri II.
Esther liber I.
Judith liber I.
319 Machabæorum libri II.

E

Item ordo Scripturarum novi & æterni Testamenti.

Euangeliorum libri IV.
Secundum Matthæum liber I.
Secundum Marcum liber I.
Secundum Lucam liber I.
Secundum Johannem liber I.
Item actuum Apostolorum liber I.
Epistolæ Pauli Apostoli numero XIV.
Ad Romanos Epistola I.
Ad Corinthios Epistolæ II.
Ad Ephesios Epistola I.
Ad Thessalonicenses Epistolæ II.
Ad Galatas Epistola I.
Ad Philippenses Epistola I.
Ad Colossenses Epistola I.
Ad Timotheum Epistolæ II.
Ad Titum Epistola I.
Ad Philemonem Epistola I.
Ad Hebræos Epistola I.
Item Apocalypsis Johannis liber I.
Item canonicæ Epistolæ numero septem.
Petri Apostoli Epistolæ II.
Jacobi Apostoli Epistola I.
Johannis Apostoli Epistolæ III.
Judæ Zelotis Apostoli Epistola una.

[Genuinum]

I.

POst propheticas & euangelicas, atque apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universæ per orbem Catholicæ defusæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen *Romana* Ecclesia nullis Sinodicis constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Salvatoris nostri primatum optinuit. *Tu es Petrus*, inquiens, *& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & porte inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni cœlorum, & quæcunque ligaveris super terram erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveris super terram erunt soluta & in cœlo.*

Cui data est etiam societas Beatissimi *Pauli* Apostoli, vas electionis, qui non diverso sicut heresi garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosam mortem cum *Petro* in urbe *Roma* sub Cæsare *Nerone* agonizans coronatus est, & pariter supradictam sanctam *Romanam* ecclesiam *Christo* Domino consecrarunt, aleisque omnibus in universo mundo sua præsentia atque venerando triumpho ptulerunt.

Est ergo prima *Petri* Apostoli Sedis *Romana* ecclesia non habens maculam, nec rugam, nec aliquid ejusmodi.

Secunda autem Sedis apud *Alexandriam* Beati *Petri* nomen. à *Marco* ejus discipulo Evangelista consegrata est. Ipseque à *Petro* Apostolo in *Ægipto* directus, verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit martirium.

Ter-

[Vulgatum]

II.

POst has omnes propheticas & euangelicas, atque apostolicas, quas superius deprompsimus Scripturas, 320
quibus Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universæ per orbem diffusæ catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen *Romana* ecclesia nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini & Salvatoris nostri, primatum obtinuit; *Tu es Petrus*, inquientis, *& super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferni non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quæcumque ligaveris super terram erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveris super terram erunt soluta & in cœlo.*

Addita est etiam societas beatissimi *Pauli* Apostoli, vasis electionis; qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum *Petro* in urbe *Roma* sub Cæsare *Nerone* agonizans coronatus est. Et pariter supradictam sanctam *Romanam* Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus urbibus in universo mundo, sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt.

Est ergo prima *Petri* Apostoli Sedes *Romana* ecclesia; non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi.

Secunda autem Sedes apud 321
Alexandriam Beati *Petri* nomine à *Marco* ejus discipulo atque Evangelista consecrata est. Ipseque in *Ægypto*, directus à *Petro* Apostolo, verbum veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit martyrium.

Ter-

Decreti Gelasiani Editio genuina.

Tertia vero Sedis apud *Antiochiam* item beatissimi *Petri* Apostoli habetur honorabilis eo quod illic prius quam *Romam* venisset, habitavit & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortus est.

II.

ET quamvis aliud fundamentum nullus possit ponere præter id, quod positum est, quod est *Christus Jesus*; tamen ædificationem sanctam idem *Romanam* ecclesiam post illas veteris vel novi Testamenti, quas regulariter suscipimus, etiam suscipi non prohibet scripturas. Idem sanctam Sinodum *Nicenam* CCC. rum X. & VIII. Patrum, mediante Maximo *Constantino* Augusto.

322

Sanctam Senodum *Efisinam*, in qua *Nestorius* damnatus est, consensu *Cœlestini* Papæ, mediante *Cirillo Alexandrinæ* Sedis Antestite, & *Arcadio* ab *Italia* distinato.

Sanctum Sinodum *Calcedonensem*, mediante *Marciano* Augusto & *Anatholio Constantinopolitano* Epo, in qua Nestoriana, Antochiana, & Eutichiciana hereses simul cum *Dioscoro*, ejusque complicibus damnatæ sunt.

III.

INcipiunt opuscula recipienda.

Item opuscula beati *Cicili Cipriani* martiris, & *Cartogenensis* epi.

Opuscula beati *Gregorii Nazazensis* epi.

Item Opuscula beati *Basili Capadociæ* epi.

Item opuscula beati *Athanasi Alexandriæ* epi.

Item op. beati *Johannis Constantinopolitanæ* epi.

323 Item opuscula beati *Theophili Alexandrinæ* epi.

Item opuscula bĩ *Helari Pictavinsis* epi.

Item op. bĩ *Ambrosi Mediolaninses* epi.

Item op. B. *Augustini Ipponereginsis* epi.

Item op. bĩ *Hieronimi* prb.

Item op. *Prosperi* viri religiosissimi.

Item epistola bĩ *Leonis* Pap. ad *Flavianum Constantinopolitanum* episcobum distinãt. cujus textum quispiam suis, quæ ad unum jota dispotaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathemas sit.

Item op. tractatus omnium Patrum Ortodoxorum, qui in nullo à scæ ecclesiæ *Romane*

Decreti Gelasiani Editio vulgata.

Tertia verò Sedes apud *Antiochiam* item beatissimi Apostoli *Petri* habetur honorabilis eo quod illic priusquam *Romam* venisset habitavit: & illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est.

III.

ET quamvis aliud fundamentum nullus potuit ponere præter id, quod positum est, quod est *Christus Jesus*; tamen ad ædificationem nostram eadem *Romana* ecclesia, post illas veteris vel novi Testamenti, quas regulariter superius enumeravimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas. Id est sanctam Synodum *Nicænam* secundum trecentos decem & octo Patres, mediante maximo *Constantino* Augusto; in qua Arrius hæreticus condemnatus est.

Sanctam Synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto; in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit.

Sanctam Synodum *Ephesinam*, in qua *Nestorius* damnatus est, consensu beatissimi *Cælestini* Papæ, mediante *Cyrillo Alexandrinæ* Sedis Antistite, & *Arcadio* episcopo ab *Italia* destinato.

Sanctam Synodum *Calchedonensem*, mediante *Marciano* Augusto, & *Anatolio Constantinopolitano* episcopo, in qua Nestoriana, & Eutychiana hæresis, simul cum *Dioscoro* ejusque complicibus damnatæ sunt. Sed & si qua sunt Concilia à sanctis Patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem & custodienda & recipienda decrevimus.

IV.

JAmnunc subjiciendum de opusculis sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia catholica recipiuntur.

Opuscula beati *Cæcilii* Cypriani, Martyris, *Carthaginensis* episcopi in omnibus recipienda.

Item opuscula beati *Gregorii Nazianzeni* episcopi.

Item opuscula beati *Basilii Cappadociæ* episcopi.

Item opuscula beati *Athanasii Alexandrini* episcopi.

Item opuscula beati *Johannis Constantinopolitani* episcopi.

Item opuscula beati *Theophili Alexandrini* episcopi.

Item opuscula beati Cyrilli Alexandrini episcopi.

Item opuscula beati *Hilarii Pictaviensis* episcopi.

Item opuscula Beati *Ambrosii Mediolanensis* episcopi.

Item opuscula Beati *Augustini Hipponeregiensis* episcopi.

Item opuscula Beati *Hieronymi* presbyteri.

Item opuscula Beati *Prosperi* viri religiosissimi.

Item epistolam Beati Papæ *Leonis* ad *Flavianum Constantinopolitanum* episcopum destinatam: de cujus textu quispiam si usque ad unum jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.

Item opuscula atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo à

Decreti Gelasiani Editio Genuina.

A consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt, sed ipsius communicatione per gratiam Dei usque in ultimum vitæ suæ fuere participes, legende decernimus.

Item decretales epistolas, quas beatissimi Pap. diversis temporibus ab urbe *Roma* pro diversorum Patrum consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.

B Item gesta sanctorum Martirum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis inradiant. Quis ista Catholicorum dubitet majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia, & adjutorio? Singulari cautella in sca *Romana* ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscribere nomina penitus ignoratur; & ab Infidelibus & idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur. Sicut cujusdam *Cirici* & *Julitæ*, sicut
C *Giorgi*, aliorumque hujusmodi passiones, q. ab hereticis perhibentur conpositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsanandi orretur occasio, in sca *Romana* ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta ecclesia omnes Martires, & eorum gloriosos agones, qui Dõ magis, quàm hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.

D Item vitas Patrum, *Pauli, Antoni, Hilarionis*, & omnibus heremitarum, quas tamen vir beatissimus discripsit *Hieronimus*, cum omni honore suscipimus.

Item actus beati *Silvestri* Apostolicæ Sedes Præsolis, licet ejus, qui conscripsit nomine ignoretur: à multis tamen in urbe *Roma* Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo usu multæ hæc imitantur ecclesiæ.

Item scriptura de Inventione Crucis dominicæ, & aliam scripturam de inven-
E tione capitis *Johannis* Baptistæ novelle quidem relationis & nonnulli Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus advenerint, beati *Pauli* Apostoli precedet sententia, *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

Item *Rufinus* vir religiosus plurimos ecclesiasticæ operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed qu.m beatissimus *Hieronimus* eum in aliquibus de arbitrio libertate notavit, illas sentim. q. prædictum beatum *Hieronimum* sentire
F cognoscimus, non solum de *Rofino*, sed etiam de universis, quos vir S. sepius memoratus, zelo Dei, & fidei religione reprehendit.

Item *Origenis* nonnulla op. quæ vir beatissimus *Hieronimus* non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus rennuendam.

Chronica *Eusebi Cæsariensis*, atque ejusdem Historiæ eccle-

Decreti Gelasiani Editia vulgata.

sanctæ *Romanæ* ecclesiæ consortio deviarunt, nec ab ejus fide vel prædicatione sejuncti sunt; sed ipsius communicationi per gratiam Dei usque in ultimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus.

Item decretales epistolas, quas beatissimi Papæ, diversis temporibus ab urbe *Roma* pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas. 324

Item Gesta sanctorum Martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis inradiant. Quis ista Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpessos? nec suis viribus, sed Dei gratia & adjutorio universa tolerasse? Sed ideò secundùm antiquam consuetudinem, singulari cautela in sancta *Romana* ecclesia non leguntur, quia & eorum qui conscripsere, nomina penitus ignorantur; & ab infidelibus, & idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, esse putantur. Sicut *Quirici* cujusdam & *Julitæ*; sicut *Georgii*, aliorumque ejusmodi Passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel levis subsannandi orietur occasio, in sancta *Romana* ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Romana ecclesia, omnes Martyres, & eorum gloriosos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, omni devotione veneramur.

Item Vitas Patrum, *Pauli, Antonii, Hilarionis*, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus *Hieronymus* descripsit, cum omni honore suscipimus.

Item Actus beatissimi *Silvestri* Apostolicæ Sedis Præ- 325
sulis, licet ejus qui conscripsit nomen ignoretur: à multis tamen in urbe *Roma* Catholicis legi cognovimus: & pro antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ.

Item scriptura de inventione dominicæ Crucis, & alia scriptura de inventione capitis beati *Johannis* Baptistæ, novellæ quidem relationes sunt, & nonnulli eas Catholici legunt. Sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati Apostoli *Pauli* præcedat sententia; *Omnia probate, & quod bonum est retinete.*

Item *Rufinus* vir religiosissimus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros: nonnullas etiam Scripturas interpretatus est. Sed quoniam venerabilis *Hieronymus* eum in aliquibus de arbitrii libertate notavit; illa sentimus, quæ prædictum beatum *Hieronymum* sentire cognoscimus: & non solum de *Rufino*, sed etiam de universis quos vir sæpius memoratus, zelo Dei, & fidei religione reprehendit.

Item *Origenis* nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus *Hieronymus* non repudiat, legenda suscipimus: reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus renuenda.

Item Chronica *Eusebii Cæsariensis*, atque ejusdem Historiæ

Decreti Gelasiani Editio genuina.

326 clesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & post in laudibus atque excusatione *Origenis* scismatici unum conscripserit librum: propter rerum tamen singularum notitiam,q. ad instructionem pertenent, usquequaque non dicimus renuendos.

Item *Orosium* virum eruditissimum, quem conlaudamus, qui valde nobis necessariam adversus paganorum calumnias ordinavit Historiam, miraque brevitate contexuit.

Item venerabilis *Sedulii* Paschale opus, quod eruditis descripsit versibus insigni laude preferimus.

Item *Juvenci* nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramus. Cetera, que ab hereticis scismaticis conscripta, vel predicata sunt, nullatenus recipiet Catholica, & Apostholica *Romana* ecclesia: è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda.

IV.

NOtitiam librorum apocriforum, qui non recipiuntur.

Arimenensium Sinodum, à *Constantio* Cæsare *Constantini* Augusti filium congregatam, mediante *Tauro* Præfecto,
327 ex tunc & nunc & in æternum confitemur esse damnata.

Itenerarium nomine *Petri* Apostoli, quod appellatur Sci *Clementis*, apogrifum.

Actus nomen *Andreæ* Apl. apg.

Actus nomen. *Thomæ* Apl. libros x. apg.

Actus nōm *Petri* Apl. alios, apg.

Actus nōm *Philippi* Apl. apg.

Evangelium nōm *Matthiæ*, apg.

Evangelium nōm *Petri* Ap. apg.

Evangelium nōm *Jacobi* minoris, apg.

Evangelium nōm *Barnabæ*, apg.

Evan. nōm. *Thomæ*, quibus Manichei utuntur, apg.

Evangelium nōm *Bartholomei* Ap. apg.

Evangelium, quem falsavit *Lucianus*, apg.

Evangelium, quem falsavit *Eusicius*, & *Lucius*, apg.

Lib. de infantia Salvatoris, apg.

Lib. de nativitate Salvatoris, & de *Maria* vel obsetrice, apg.

328 Liber, qui appellatur Pastoris, apg.

Lib. omnes, quos fecit *Leucius* discipulus Diaboli, apg.

Lib. qui appellatur Fundamentum, apg.

Lib. qui appellatur *Thesaurum*, apg.

Lib. de filiabus *Adæ* lectum geneseos, apg.

Lib. qui appellatur hactu *Thecle*, vel *Thollius*, & *Pauli* Ap. apg.

Decreti Gelasiani Editio vulgata.

storiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit, & post in laudibus atque excusatione *Origenis* schismatici unum conscripserit librum: propter rerum tamen singularum notitiam quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos.

Item *Orosium* virum eruditissimum conlaudamus, qui valde necessariam nobis adversus paganorum calumnias ordinavit Historiam, miraque brevitate contexuit.

Item venerabilis viri *Sedulii* Opus paschale, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.

Juvenci quoque nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur. Cætera quæ ab hæreticis, sive schismaticis conscripta vel prædicta sunt, nullatenus recipit catholica & Apostolica *Romana* ecclesia: è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credidimus esse subdenda.

V.

IN primis *Ariminensem* Synodum, à *Costantio* Cæsare *Constantini* filio congregatam, mediante *Tauro* Præfecto, ex tunc & nunc, in æternum confitemur esse damnatam.

Itinerarium quoque in nomine *Petri* Apostoli, quod appellatur sancti *Clementis* libri numero novem, apocryphum esse scimus.

Actus nomine *Andreæ* Apostoli, apocryphum.

Actus nomine *Thomæ* Apostoli, libri X. apocryphi.

Actus nomine *Petri* Apostoli, apocryphi.

Actus nomine *Philippi* Apostoli, apocryphi.

Evangelia nomine *Mathiæ* Apostoli, apocrypha.

Evangelia nomine *Barnabæ*, apocrypha.

Evangelia nomine *Jacobi* minoris, apocrypha.

Evangelia nomine *Petri* Apostoli, apocrypha.

Evangelia nomine *Thomæ* Apostoli, quibus Manichæi utuntur, apocrypha.

Evangelia nomine *Bartholomæi* Apostoli, apocrypha.

Evangelia nomine Andreæ Apostoli apocrypha.

Evangelia quæ falsavit *Lucianus*, apocrypha.

Evangelia quæ falsavit *Isicius*, apocrypha.

Liber de infantia Salvatoris, apocryphus.

Liber de nativitate Salvatoris, & de *Maria*, vel obstetrice, apocryphus.

Liber, qui appellatur Pastoris, apocryphus.

Libri, omnes quos fecit *Lucius* discipulus diaboli, apocryphi.

Liber, qui appellatur Fundamentum, apocryphus.

Liber, qui appellatur *Thesaurus*, apocryphus.

Liber de filiabus *Adæ*, hoc est, Leptogenesis, apocryphus.

Liber, qui appellatur Actus *Teclæ* & *Pauli*, apocryphus.

A *Decreti Gelasiani Editio genuina.*

Liber qui appellatur Nopotis, apg.

Lib. Proverbiorum ab Hereticis conscriptus, & sancti *Xisti* nomen prænotatus, apg.

Revelatio, qui appellatur *Pauli*, apg.

Revelatio, qui appellatur *Thomæ*, apg.

Revellatio, qui appellatur *Stephani*, apg.

Lib. qui appellatur Transitus, id est Adsumptio scæ *Mariæ*, apg.

B Lib. qui appellatur Penetentia *Adæ*, apg.

Lib. *Eugenii* à nōm gigante, qui cum dracone post diluvium ab hereticis pugnasse perhibetur, apg.

Liber, qui appellatur Testamentum *Job*, apg Non historia beati set alius ab hereticis conscribtus.

Lib. qui appellatur Pœnitentiæ *Origenis*, apg.

Lib. qui appellatur Pœnitentia sci *Cipriani*, apg.

Lib. qui appellatur Pœnitentiæ *Jamnæ* & *Mambre*, apg.

C Lib. qui appellatur Sors Apostolorum, apg.

Lib. qui appellatur *Lusa* Apostolorum, apg.

Lib. filosogus, qui ab Hereticis conscriptus est, & beati *Ambrosii* nōm præsignatus, apg.

Historia *Eusebi Pamphili*, apg.

Opuscola *Tertulliani*, apg.

Op. *Lactanti*, agp.

D Op. *Affricani*, apg.

Op. *Postumiani* & *Galli*, apg.

Op. *Montani*, *Priscillæ* & *Maximillæ*, apg.

Op. omnia *Fausti* Manichei, apg.

Op. *Commodiani*, apg.

Op. alterius *Clementis Alexandrinæ*, apg.

Opusc. *Tarsi Cipriani*, apg.

Op. *Arnobi*, apg.

Op. *Tigoni*, apg.

E Opuscula *Cassiani* Pbri Gallearum, apg.

Opus. *Victorini Petabionensis*, apg.

Op. *Fausti Regensis* Gallearum, apg.

Op. *Frumentini Cœci*, ap.

Centonem de Xpo Virgilianis conpaginatum versibus, apg.

Epistola Ihū ad *Abgiarum*, apg.

Epla *Abgari* ad Ihm, apg.

Passio *Cirici* & *Jolitæ*, apg.

F Pass. *Giorgi*, apg.

Scriptura, quæ appellatur contradictio *Solomonis*, apg.

Filacteria omnia, que non Angelorum, ut illi confingunt, sed Dæmonum magis arte conscripta sunt, apg.

Hæc & his similia, quæ *Simon Magus*, *Nigolaus*, *Cirinthus*, *Marcion*, *Baselides*, *Ebion*, *Paulus* etiam & *Samosetanus*,

Decreti Gelasiani Editio vulgata.

Liber qui appellatur Nepotes, apocryphus.

Liber Proverbiorum, qui est ab hæreticis conscriptus, & sub nomine sancti *Sixti* præsignatus, apocryphus.

Revelatio, quæ appellatur *Pauli* Apostoli, apocrypha.

Revelatio, quæ appellatur *Thomæ* Apostoli, apocrypha.

Revelatio, quæ appellatur sancti *Stephani*, apocrypha.

Liber, qui appellatur Transitus, id est, Adsumptio sanctæ *Mariæ*, apocryphus.

Liber, qui appellatur Pœnitentia *Adæ*, apocryphus.

Liber de *Eugenia* nomine gigante, quæ cum dracone post diluvium ab hæreticis pugnasse fingitur, apocryphus.

Liber, qui appellatur Pœnitentia *Origenis*, apocryphus. 329

Liber, qui appellatur Pœnitentia *Jamne* & *Mambre*, apocryphus.

Liber, qui appellatur Sortes Sanctorum, apocryphus.

Liber, qui appellatur, Lusa Apostolorum, apocryphus.

Liber, qui appellatur, Canones Apostolorum, apocryphus.

Liber, phisiologus, ab hæreticis conscriptus, & beati *Ambrosii* nomine præsignatus, apocryphus.

Historia *Eusebii Pamphili*, apocrypha.

Opuscula *Tertulliani*, apocrypha.

Opuscula *Lactantii*, apocrypha.

Opuscula *Africani*, apocrypha.

Opuscula *Postuminiani*, apocrypha.

Opuscula *Montani*, *Priscillæ* & *Maximillæ*, apocrypha.

Opuscula *Fausti* Manichæi, apocrypha.

Opuscula *Commodiani*, apocrypha.

Opuscula alterius *Clementis Alexandrini*, apocrypha.

Opuscula *Tascii Cypriani*, apocrypha.

Opuscula *Arnobii*, apocrypha.

Opuscula *Ticonii*, apocrypha.

Opuscula *Cassiani* Presbyteri Galliensis, apocrypha. 330

Opuscula *Victorini Pictabiensis*, apocrypha.

Opuscula *Fausti Regiensis* Galliarum, apocrypha.

Opuscula *Frumenti Cœci*, apocrypha.

Centones de Christo, Virgilianis compaginati, apocryphi.

Epistola *Jesu* ad *Agarum*, apocrypha.

Epistola *Agari* ad *Jesum*, apocrypha.

Passio *Quirici*, & *Julitæ*, apocrypha.

Passio *Georgii*, apocrypha.

Scriptura, quæ appellatur *Salomonis* interdictio, apocrypha.

Philacteria omnia, quæ non Angelorum, ut illi confingunt, sed Dæmonum magis conscripta sunt nominibus. apocrypha.

Hæc & his similia, quæ *Simon* magus, *Nicolaus*, *Cerinthus*, *Marcion*, *Basilides*, *Ebion*, *Paulus* etiam *Samosatenus*,

Decreti Gelasiani Editio genuina.	*Decreti Gelasiani Editio vulgata.*
mosetanus, *Futinus*, & *Bonosus* & qui simili errore defecerunt, *Montanus* quoque cum suis obsceniſſimis sequacibus *Apolonaris*, *Valentinianus*, ſive *Manicheus*, *Faustus*, *Affricanus*, *Sabellius*, *Arrius*, *Machedonius*, *Eunomius*, *Novatus*, *Sabastius*, *Celestus*, *Donatus*, *Eustacius* *Jovianus*, *Pelegius*, *Julianus* *Elane*, *Celestius*, *Maximianus*, 331 *Priscellianus* ab *Hispania*, *Nestorius* *Constantinopolitanus*, *Maximus*, *Unicus*, *Lampecius*, *Dioscorus*, *Eutichius*, *Petrus*, & alius *Petrus*: è quibus unus *Alexandriam*, alius *Antiochiam* maculavit: *Acchacius*	*tenus*, *Photinus* & *Bonosus*, qui simili errore defecerunt; *Montanus* quoque cum suis obscœniſſimis sequacibus, *Apollinaris*, *Valentinus*, ſive *Manichæus*, *Faustus*, *Africanus*, *Sabellius*, *Arrius*, *Macedonius*, *Eunomius*, *Conomius*, *Novatius*, *Sabbatius*, *Callistus*, *Donatus*, *Eustacius*, *Jovinianus*, *Pelagius*, *Julianus* *Eclanensis*, *Cælestinus*, *Maximianus*, *Priscillianus* ab *Spania*. *Nestorius* *Constantinopolitanus*, *Maximus* *Cinicus*, *Lampetius*, *Dioscorus*, *Eutyches*, *Petrus*, & alius *Petrus*: è quibus unus *Alexandriam*, alius, *Antiochiam* macula-
Constantinopolitanus cum consortibus suis: nec non & omnes hereses, hereseorum discipuli, ſive Scismatici, qui docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retenentur, non solum repudiata, verum ab omni *Romana*, vel Catholica & Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathemate, insolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.	vit: *Acacius Constantinopolitanus* cum consortibus suis: necnon & omnes hæresiarches, & eorum discipulos, qui schismatica docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinuimus; non solum repudiata, verum etiam ab omni *Romana*, catholica, & Apostolica ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis, & indiſſolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.
Expliciunt Decretalis.	*Explicit Decretale editum ab Hormisda Papa Urbis Romanæ.*

N O T A.

UBi *hoc Decretum* Gelasianum, *à nobis cum suis vitiis descriptum, pervenerit ad manus Disceptatorum ejus farinæ, qui nostris hisce diebus eximiæ laudi sibi vertunt, si documenta antiquitate sua commendata ineptiis adnumerent, non dubito quin illud continuo aspernaturi sint, tanquam minimi pretii. Cur vero? Maximis sane de caussis, si ipsos audiverimus: ob ineptam nec sibi constantem orthographiam, ob latinitatem barbaram & lutulentam, ob artis grammaticæ leges minime servatas. His enim lautis præsidiis ipsi vetustatis periti homines se rerum antiquarum judices in hac luce literarum constituere palam volunt. Quid judices? Annon potius eversores & grassatores, & tanti supercilii quidem, ut sine piaculo illis contradicere, nempe eorum cavillationes & sophismata detegere, nemini liceat? Sed valeant illi cum suis lepidis argutationibus, suique admiratores* 332 *procul à nobis quærant & studiose congregent: sed vicissim sinant nos frui his rudibus & incomptis reliquiis venerandæ literaturæ, quam posterioris ævi barbaries nobis feliciter servavit, unde ejus temporis genium & simplicitatem cognoscimus. Interim ex hoc apographo Decreti, nongentis & amplius ab hinc annis scripto, ut diximus pag.* 80. *patet tunc Gelasio attributum illud fuisse, & carere additionibus & interpolationibus, à nobis è regione minio signatis: quæ viris doctis occasionem præbuerunt varie de eodem sentiendi, ut dictum est pag.* 83. *Consulto autem dedimus illud cum nævis & mendis suis, quia & hæc antiquitatis studioso non inutilia esse poterunt. inde enim discet jam tunc vulgarem linguam, artis grammaticæ regulis solutam, obtinuisse, qua indocti homines utebantur: quaque scribebantur non solum quævis obvia, sed ipsa quoque diplomata, instrumenta & pleraque acta publica in curiis principum laicorum, & non raro etiam ecclesiasticorum: ex quo apparet stulte disceptare & de his judicare eos, qui ad exsufflanda antiqua ejusmodi instrumenta ob stili diversitatem, ea conferunt cum bullis & epistolis summorum Pontificum, eo vitio non laborantibus: quasi hæc scribi debuissent lingua illa vulgari, non Latina: quæ Romanæ ecclesiæ semper ita fuit propria, ut pro conditione temporum, in ea omnium disertissimi scriptores floruerint: quare etiam antonomastice* Latinæ linguæ *nomenclationem obtinuit, ut diximus in Vindiciis Diplomatum pag:* 84.

In iisdem Vindiciis Lib. I. *cap.* IX. *ostendimus linguæ latinæ corruptionem fluxisse ex barbaro modo pronunciandi latinas voces. Hoc amplius firmatur hoc Decreto Gelasiano, ad normam barbaræ pronunciationis scripto, mutatis, demptis vel additis literis. Etenim quia soni literæ E. & I. O. & V. P. & B. C. & G. erant sibi proximi, legitur* defusæ *pro* diffusæ: Sedis *pro* Sedes: aleis *pro* aliis: Gallearum *pro* Galliarum: Priscellianus *pro* Priscillianus: Arimenensium *pro* Ariminensium: Baselides *pro* Basilides: Penetentia *pro* Pœnitentia: Cicili *pro* Cecilii: Senodum *pro* Synodum: Efisinam *pro* Ephesinam: Helari *pro* Hilarii: Giorgi *pro* Georgii. *Sic* episcobum *pro* episcopum: conscribtum *pro* conscriptum: præsolis *pro* præsulis: dispotaverit *pro* disputaverit: Julita & Jolita: Rufinus & Rosinus: apogrifum *pro* apocryphum: *& alia quæ prudens lector per se videre poterit. singulis enim prolixius immorari nobis non vacat. Demum ubique apparet, simplicem exscriptorem hujus Decreti nullam linguam calluisse præter vulgarem, ex latina male pronunciata & prave constructa, jam tunc ortam: quæ scilicet nullo grammaticæ artis præcepto,* 333 *nullo sanæ orthographiæ aut genuinæ pronunciationis ordine regebatur: unde postea linguam omnino aliam per se constituens, secundum diversam regionum & populorum indolem, in varias dialectos divisa fuit. Jam superest, ut nonnulla de ipso Decreto animadvertam, præter illa, quæ superius dixi in capite* III. *Jacobus Petitus in notis ad Pœnitentiale Theodori Cantuariensis tomo primo pag.* 104. *observat ab eodem Theodoro Decretum nostrum adsignari Gelasio, atque etiam in aliis codicibus MSS. ibidem laudatis. Errat tamen ubi putat in Decreto aliqua redundare, præcipue ea, quæ leguntur in nostro pag.* 122. Item gesta sanctorum martyrum, (*nempe veneramur*) qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis inradiant. *Mox deinde rationem reddit Gelasius cur gesta martyrum veneretur:* quis *enim, inquit,* Catholicorum dubitet, ista *& etiam* majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, *sed* Dei gratia & adjutorio? Singulari *tamen* cautela in sancta Romana ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina ignorantur &c. *Petitus pag:* 106. *paullo aliter ex aliis MSS. hæc recitat, aitque in illis meram apparere contradictionem, quia Gelasius primo censet legenda esse gesta martyrum, deinde concludit,* secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana ecclesia non legi. *Hæc repugnare ait* genuino sensui, quem plane perfecteque paucissimis verbis exhibeat optima collectio codicis Herovalliani, *cujus verba hæc sunt:* Gesta sanctorum martyrum, qui mirabilibus cruciatibus & triumphis irradiant, & à Catholicis viris conscripta sunt, omnimodis veneramur. Ea vero, quæ ab Hæreticis & idiotis composita vel adulterata sunt, nullatenus recipiantur: quæ in ipsis eorum dictis ab ecclesiasticis viris sine mora deprehendi possunt. *Sed in his nihil est, quod conveniat cum verbis Gelasii, qui ait venerari quidem se sanctorum martyrum gesta, qui multiplicibus cruciatibus & mirabilibus confessionum triumphis irradiant. quippe nemo dubitat, quin non solum ista, sed longe majora in agonibus suis passi sint, non suis viribus, sed Dei gratia & adjutorio. nihilominus eorundem martyrum acta singulari cautela in Romana ecclesia publice non legi, quia sunt anonyma & quia ab infidelibus malitiose, & ab idiotis hominibus supervacanee interpolata esse noscuntur. Nulla sane hic apparet contradictio. Mirare & suspice prudentissimi Pontificis judicium de actis martyrum. Idem Petitus ait, in Decreto, editionis nostræ pag.* 122. *post verba illa:* & omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, *male omitti ista verba prorsus necessaria:* vel alii orthodoxi patres, quia, *inquit,* paucorum eremitarum vitas descripsit Hieronymus. *Verum Gelasius non de-* 334 *finit paucas ne, an multas eremitarum vitas Hieronymus scripserit, sed tantum statuit eas omnes, quas ipse scripsit, esse suscipiendas. Subdit Petitus, ubicunque in editis dicitur* ecclesia Catholica & Apostolica Romana, *hoc vocabulum,* Romana, *abesse à sua Canonum Collectione. Sed* Romana *adest in nostro antiquissimo apographo. Liber vero, qui in editis vocatur apocryphus sub titulo* Canonum Apostolorum, *in utraque Collectione Herovallii apud Petitum inter scripta apocrypha non recensetur, nec in codice Justelli: neque sane in nostro Vaticano. Secus autem contingit de Opusculis Tertulliani. Alia, quæ in nostro apographo occurrunt, ab editis diversa, necesse non est singulatim hic iterum adnotare, quia statim deprehendi possunt. In eo non comparet Concilium CPolitanum I. contra Macedonianos coactum, quia fuit Orientalis duntaxat ecclesiæ: nec fuit Oecumenicum, nisi tantum ex post facto, ut notat Pagius anno* CCCLXXXI. *num.* V. *Deest quoque Evangelium apocryphum B. Andreæ Apostoli, quia postea fortasse confictum fuit. Pag.* 124. *Victorinus optime dicitur* Petabionensis, *non* Pictabiensis *aut* Pictaviensis, *ut in vulgatis.* Petabio *sive* Petavio, *fuit urbs episcopalis in Pannonia prima, quæ hodie Stiria vocatur. Quare noster codex firmat ea, quæ Johannes Launojus peculiari scripto disseruit contra Pictavienses, Victorinum sibi adjudicantes. Ceterum non dubitamus quin pro hoc monumento, cujus pretium jam pridem olfecerunt viri clarissimi Thomasius & Mabillonius, omnes eruditi sint gratiam habituri Probæ Falconiæ, cujus Cento nobis occasionem dederit edendi ejusdem Decreti.*

335

II.

ACTA SANCTI CASSIANI

HORTENSIS, DEINDE ÆDUENSIS EPISCOPI.

Ex codice MS. 807. *bibliothecæ ſancti* Germani *à* Pratis *prope* Pariſios *ab annis circiter* 500. *exarato.*

Ad pag. 100.

Incipit Vita ſancti *Caſſiani* Epiſcopi & confeſſoris, cujus tranſitus colitur nonas Auguſti.

IGitur (1) beatiſſimus *Caſſianus* nobilibus ac locupletibus parentibus *Alexandriæ* urbis oriundus fuit. Etenim à prima ætate Deo ſe devoto animo jugiter commendavit. Sanctus vero (2) *Zonis* epiſcopus eum enutriens, divinis eruditionibus & Evangeliorum dogmate doctrina Apoſtolica in ſe manente inſtruxit. Tempore illo in tota *Alexandria* Gentilitas Paganorum dominabatur. Fuit autem antea Imperator *Julianus* nomine, perſecutor Chriſtianorum, multoſque ſanctos pro nomine Chriſti interfecit: venerabilis vero *Caſſianus* perſecutionem non metuens, aſſidue orationi & vigiliis vacans, Deum ex toto corde & ex tota virtute diligens erat. Et dum multorum ſanctorum Martyrum auxilia fervente animo imploraret, ſancti (3) *Hilarini* ſe ſociavit conſortio. cui ſanctus *Caſſianus* habitaculum ſuum ampliare fecit ad peregrinorum ſuſceptionem, quam ipſe pluribus impendebat. Huic teſtimonium aſſerunt multi ex (4) ſervis ejus, quos liberos fecerat, divulgata fama ejus, non ſolum in urbe *Alexandria*, ſed & in *Ægypti* provincia. Tamen ipſe juxta præceptum Domini ſollicitudinem inſtituit curam impendere indigentibus, lavare pedes pauperum, ponere menſam, aquam manibus effundere, languentibus curam gerere, cibum miniſtrare, & cetera exhibere religioſa virtutis officia. & ſic adimplebat dogmata caritatis. Primum quidem venerabilis *Caſſianus* ORTENSI urbe conſtruxit eccleſiam, & multo ditavit officio clericorum. ibique ſanctus *Levita* (5) *Laurentius* ei per viſum apparuit, exhortans eum, ut in ejus
336 nomine dedicaretur, quæ nunc *Laurentiana* nuncupatur. Tunc *Jovianus* ſuccedit in locum (6) *Juliani*, Imperator Chriſtianorum, timens Dominum Jeſum Chriſtum. quo imperante apertæ ſunt eccleſiæ Chriſtianorum, quas præceſſor ejus *Julianus* infeliciſſimus clauſerat. *Jovianus* quoqué Imperator in Chriſtiana Religione gaudere cœpit. Tunc ipſe (7) cum populo una voce clamabat: ſanctum *Caſſianum* electum à Deo conſtituamus epiſcopum ſuper nos omnes Chriſtianos, qui diligunt Deum. Sanctus vero *Caſſianus* trepida mente nolebat acquieſcere, nec adimplere votum principis, dum de ſe humiliora reſponderet. ſed omnis populus irruit ſuper eum, dicens: *Caſſianus* civis noſter, dignus, juſtus, caſtus, & ſobrius, clamantes laudes, & benedicentes Dominum, tam ſenes, quam omnis ſexus ætatis una voce populi tumultus incanduit, ut ibi elevaretur epiſcopus. Ab alio quoque ejuſdem nominis beato *Caſſiano* de (8) *Aſia* regione, ordinatus eſt, & benedictus in ORTENSI civitate ſanctus *Caſſianus* epiſcopus. Ad hæc vir beatus jactantiam devitans, aurum, & argentum, aut reliqua ſtipendia pauperibus largiens, theſaurizans ſibi theſaurum in Cœlo, ſemper hoc tenuit in memoria, quod percipiet in gloria ſempiterna. Semper congregationem ſanctam docuit fraternitatem, munivit caritate, docuit diſciplinam, conſtituit continentiam. Sic itaque ſanctus *Caſſianus* inſtruebat gregem ſibi ſubjectum induere arma juſtitiæ ad reſiſtendum Diabolo cum vitiis & impedimentis hujus ſæculi. Erat enim cum manſuetudine, exemplum dans eis in perſeverantia & fide recta, & caritate non ficta, in vigiliis, in orationibus, in jejuniis & caſtitate perpetua perſeverans. Ipſe tamen hoc tenuit ſenſu, quod cognovit in fide: clarus vultu, clarior mente, angelicam diſpoſitionem in corde ſuo ſemper retinuit, elóquio dulcis, ſanctitate prælatus. Beatus is neminem contriſtabat, nunquam dolus fuit in eo, ſed ſemper lætitiam cum fratribus habuit. Dum hæc & cuncta opera ejus irreprehenſibiliter perſeverarent, ſanctus *Zonis* epiſcopus, qui ſanctum *Caſſiánum* edocuit, atque nutrivit, imminente perſecutione, martyrium (9) adeptus eſt. cujus corpuſculum beatus *Caſſianus* pio amore cum ſumma diligentia in Baſilica ſanctorum Martyrum collocavit, quorum hæc ſunt nomina: *Secundianus*, *Felix*, *Terentianus*, *Victor*, *Redutus*, item *Victor*, *Coluſus*, *Diiddeus*, *Fortunius*, *Spenetius*, *Afrodoſius*, *Julius*, *Emeritus*, *Honorius*, *Salvanus*, *Saturnus*, *Dorigianus* presbyteri; *Roricianus* diaconus. Juxta ſepul-
337 cra prædictorum beatus Pontifex cum ſummo honore pridie Kal. Maji ſepelivit eum, atque ſacroſancta martyria in honore ſancti *Zenonis* epiſcopi, recordatus ejus tolerantiam atque victoriæ triumphum, per ſingulos dies conſecrans ejus memoriam. Poſt hæc ſanctus *Caſſianus* videns beati magiſtri conſtantiam atque virtutes, ſuccenſus ſancti Spiritus fervore & fide martyrum, in peregrinationem proficiſci cupiebat. qui effundens preces ante Dominum Deum, revelatum eſt ei in *Galliis* pergere, & prædicare
A verbum Domini. (10) At ille cognita voluntate Dei pandere cœpit coepiſcopis & omni clero, dicens ad eos: volo juxta præceptum Domini relinquere terram & cognationem, vel patriam meam deſerere, & in *Galliis* proficiſci. cui omnes dixerunt: te terra tua non paſcit? & locus, in quo habitas, tibi non placet? nec amicos habes vel vicinos, qui conſolentur te, ut deſeras regionem, in qua natus & nutritus es? Sanctus vero *Caſſianus* reſpondit eis: Dominus & Salvator noſter per ſanctum Evangelium monet dicens: omnis, qui reliquerit domos aut agros aut parentes propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. & illud: qui non reliquerit quæ póſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et hæc dicente eo, quieverunt ab eo. Et valedicens illis omnibus ex voluntate fratrum ſuorum, cum paucis, quos elegit, profectus eſt. Et ſecum duos presbyteros habere cœpit, id eſt *Domitianum* & *Dydimum*, & duos diaconos *Orion* &
B alium nomine *Neonas*, & tres lectores his nominibus, *Baſamona*, *Erta*, & *Honorio*, & ſubdiaconos quatuor, *Ingenianum*, *Juſtum*, *Simplicem*, & *Manſuetum*. Hos ſecum omnes ſanctus *Caſſianus* aſſumens cum gaudio magno iter arripuit, & fortaſſe alicui incredibile eſſe videatur quanta & qualis lamentatio, ac fletus in clero aut in plebe HORTENSIS urbis, diſcedente hoc patrono noſtro, fuit. Nam flentes & lugentes dicebant: cui nos, Pater piiſſime, commendas, quorum Pater pervigil eras aſſiduus? Quare deſeris gregem tuum, quem jugibus orationibus confortaſti? Et qui nos monebas cœleſtem doctrinam, modo relinquis regionem tuam, & dominationem, quam nunc uſque habuiſti & vadis in tetram longinquam, quam nunquam vidimus nec comperimus? Audiens autem hæc homo Dei, recordans ſancti *Pauli* Apoſtoli, ut pergeret ad perfectio-
C ra, quid facitis, inquit, plorantes & conturbantes cor meum? Et benedicens omnibus ait: Dominus erit vobiſcum, & vobis comes exſiſtet. Et compunctus oſculatus 338
eſt omnem clerum, flebatque ubertim præ gaudio. Oratione autem facta ſanctus *Caſſianus* dixit comitibus ſuis: Dominus Deus omnipotens adjutor & protector noſter eſt, & nomen ſanctum ejus erit nobiſcum. Et addidit: vias tuas, Domine, notas fac nobis, & ſemitas noſtras dirige in viam pacis. Et iterum dixit: cuſtodi nos, Domine, ſub umbra alarum tuarum, protege nos ſcuto veritatis, & dirige nos in viam rectam propter nomen ſanctum tuum, quod laudabile glorioſum in omnem terram, & in exitus terrarum. Et reſpondentes presbyteri una cum junioribus dixerunt: amen. Sanctus vero *Caſſianus* epiſcopus elevans manus ad cœlum, inquit: Domine Jeſu Chriſte, ſalvos fac ſervos tuos ſperantes in te. Exiit autem pergens iti-
D nere cœpto beatus Pontifex pridie Kal. Aprilis, faciens iter ſex menſibus, hoc eſt uſque ad Kalendas Octobris. Et prædicans verbum Domini, & multa idola gentium deſtruens & baptizans plurem populum, atque ad viam ſalutis ædificans in nomine Trinitatis, & multa ſanctorum Martyrum per civitates viſitans loca, & ſecum reliquias eorum ad ſalvandas animas exhibens, percunctatus homo Dei * *Affrice* portum, gubernante Chriſto, proſpera na*vigatione *Maſſilienſi* urbe affuit glorificans Deum. Quis dubitet divinum affuiſſe auxilium? Beatiſſimus hic famulus Dei inter hæreticos & paganos & ſævissimas perſecutiones, Angelo comitante, *Eduæ* affuit civitate: quo tempore beatus *Simplicius* urbis *Eduæ* epiſcopus pontificalis adhuc tertius ſucceſſor Cathedræ ſanctam eccleſiam gubernabat. Et quia inveterata idolorum cultura in hac urbe à quibuſdam colebatur, prædicatione ipſius multi Deorum ſuorum ſimulacra deferentes, ad pœnitentiam & baptiſmi
E gratiam pervenerunt, & orationibus ſuis, divina manante gratia, circa infirmorum reparationem, vir Dei *Simplicius* Pontifex beneficia conferebat. Cum autem ſanctus *Caſſianus* epiſcopus ad oratorium ſancti *Symphoriani* martyris perveniſſet, ubi ejus ſancti corporis reliquiæ venerantur, orationi ſine intermiſſione novus habitator aſſiſtebat. Nuntiatum eſt autem ſancto *Simplicio* epiſcopo, quod homo Dei, nomine *Caſſianus*, ab oriente de trans mare adveniſſet: quo audito venerabilis Pontifex cum magna veneratione cum hymnis & canticis eum ſuſcepit. Sanctum autem *Caſſianum* epiſcopum beatus *Simplicius* in oſculo ſancto complexus eſt, & immolaverunt utrique omnipotenti Deo ſacrificium laudis. Gaudens enim beatus *Simpli*- 339
cius de adventu hujus juſti, qui talem meruit ſocium ad incredulitatem malorum hominum erudiendam; & diligens

gens eum omni fraternitatis amore, semper secum haberet eum desiderabat. Inter hæc autem sanctus *Cassianus* ait ad eum: Frater sanctissime, in *Britanniam* volo proficisci. Beatus *Simplicius* volens in solatium eum detinere, respondit: Frater, tempus expecta, & Dominus ducet te in viam, quam desideras. Fuit autem sanctus *Cassianus* apud eum triennio. Post hæc obiit beatus *Simplicius* VIII. Kal. Julii, & sepelivit eum sanctus *Cassianus* cum laudibus in cimiterio, qui est in conspectu ipsius civitatis: qui per singulos dies offerens oblationem sacrificium Deo immolabat pro eo in memorialem æternam. Post unum autem annum omnis clerus omnisque populus tam divites, quam pauperes una voce consona constituerunt sanctum *Cassianum* sanctæ ecclesiæ Apostolicæ dignitatis. Cui tantam gratiam Dominus Jesus Christus conferre dignatus est, ut assidue miracula per eum ostenderet, cœcis lumen redonaret, surdis auditum, debilibus sospitatem, ægrotis incolumitatem tribueret, & omnem hominem diligebat, sicut se ipsum. Consummavit autem regens ecclesiam beatus *Cassianus* episcopus annos viginti, & migravit ad Dominum Jesum Christum, resurrecturus cum sanctis in gloria æterna. Post cujus abscessum venerabiles suprascripti

A socii & comites ejus narrantes actus beati magistri, & conscribentes historiam vitæ ejus, migrantesque a sæculo, eodemque cimiterio, quo & Pontifex, tumulantur. Operæ pretium est ad laudem beatissimorum congrue adjiciendum. (") Dum sanctus Germanus Autissiodorensis episcopus Romam pergeret, in tumulo beati *Cassiani* Pontificis Augustodunensis ecclesiæ ita divina virtus apparuit, ut in Pario lapide contrarius color crucem exprimeret, & salutare signum varietas distincta monstraret. quo cum sanctissimus Germanus advenisset, fusis ex more Christo precibus, quid, inquit, gloriose frater agis? Respondisse è tumulo *Cassianus* relatione veridica perhibetur: dulci in pace quiete potior, & adventum Redemptoris expecto. Cui Germanus mutua sermonis vice dixisse narratur: quiesce per longum, in Christo Frater, tempus. Ut autem divinæ tubæ cantum, & exoptati clangoris sonum ac sacræ resurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis & pro hac plebe attentius intercede apud Dominum

B nostrum Jesum Christum, cui est cum Patre & Spiritu 340
sancto honor & gloria, salus, virtus & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

NOTAE.

1. *Hic deest principium seu proœmium, quum forte hæc vita concinnata fuisset, ut recitaretur in divinis officiis, sicuti pleraque Acta Sanctorum ævi inferioris, quæ inveniuntur descripta in Passionariis & Lectionariis ecclesiarum. Istud autem principium sive præfationem, quam Bollandistæ Parisiis exscripserant ex MS. Claudii Jolii, à Clarissimo Janningo missam hic exhibeo:* Egregium, summæque utilitatis est sanc-
341 ctorum vitas describere, eorumque merita præconiis attollere summis. Ergo B. Cassiani Pontificis vita luculentiori præcipue elucidanda stilo; qui in tantum Deo placere studuit, ut æternitatis præmio & felicitatis dono digna retributione remuneraretur in cœlo. Igitur, &c.

2. *Ita vocatur etiam in vita metro descripta: quem tamen Bellovacensis, S. Antoninus, Petrus de Natalibus, Breviarium Æduense, Abbas Maurolycus & Acta ipsa inferius* Zenonem *appellant. Zenonis autem martyris Alexandriæ meminerunt Martyrologium Romanum & Lucense, Usuardus, Ado, Notkerus, & Beda die 15. Julii.*

3. *Hilarinum martyrem passum sub Juliano memorant eorundem Martyrologiorum auctores: sed aliqui ad Ostia Tiberina, alii Arretii in Tuscia martyrium fecisse tradunt, uti docet Florentinius in notis pag. 665. qui etiam observat in MSS. codicibus illum non dici monachum: quo titulo à quibusdam ornatur. An vero hic Hilarinus esse possit is, de quo loquuntur Acta S. Cassiani, ego affirmare non ausim, quanvis in Italiam venire potuerit, ut idem quoque Cassianus venit.*

4. *Quia heic dicitur S. Cassianus servis suis pietatis caussa libertatem largitus, vereor ne id sit noni sæculi consarcinatio, quo ejusmodi servorum manumissiones crebrius fieri consueverunt: de quibus ego aliquando Italice disserui. Quum autem in historia miraculorum sancti Cassiani infra vulganda habeatur, Hugonem Abbatem filium Caroli Magni anno* DCCCXL. *à Moduino episcopo Æduensi impetrasse corpus ejusdem sancti, quod transtulit in monasterium sancti Quinctini; fortasse eo tempore ex veteribus Æduorum tabulis utraque hæc vita conscripta fuit ad usum ecclesiasticum. Certe utriusque stilus non videtur ævum antiquius indicare.*

5. *Adhuc Hortensis ecclesia cathedralis sancto Laurentio martyri dicata est, & in antiquo palatio episcopali exstitit sacellum eidem Levitæ erectum: quem pro patrono Hortenses hodieque venerantur. Videtur autem Actorum scriptor Hortensem hanc urbem immani prodigio in Ægypto collocare: quod inferius luculenter scribit, atque idem tradit etiam auctor sequentis poëmatis: in quo sane uterque falsus est; nam nulla unquam Horta in Ægypto stetit, si omnium scriptorum silentium aliquid valet: qua de re me insuper certiorem fecit V. C. Bernardus de Montfaucon olim à me consultus, quod scirem in geographia Ægypti eum egregie versatum occasione præstantissimæ editionis operum omnium sancti Athanasii, quam ipse adornavit. Hinc Andreas Saussayus in Martyrologii Gallicani tom. 1. pag. 494. quum nullam Hortam in Ægypto reperire potuisset, scripsit, Cassianum fuisse episcopum* Orthosiados, *ex uno errore alium inducens. siquidem non una, sed binæ fuere* Orthosiades *sive* Orthosiæ, *ut animadvertit Henricus Norisius in Addendis ad Epochas Syromacedonum cap. 3. §. 5. pag. 474. Prima Orthosia fuit urbs Phœnicum maritima, alia in Caria. At neutra harum urbium fuit in Ægypto: neque Saussayus expressit an Cassianus fuerit episcopus Orthosiæ in Phœnicia, an alterius in Caria, etsi in utroque aberrasset à vero. Inde tom. 2. pag. 1249. in excerptis è Martyrologio sancti Sabini ante annos 500. exarato recitat hæc verba. Eodem* die *(v. Augusti.)* depositio sancti Cassiani episcopi & confessoris, qui ardore martyrii & disciplinis instructus cœlestibus, in civitate Ægyptiorum vocabulo Ortensi episcopus est ordinatus: in qua cum ecclesiam construeret, beatus martyr Laurentius ei apparuit, & ut eodem suo nomine dedicaretur admonuit. Deinde divina revelatione Gallias penetrans, Augustodunensem urbem adgressus, a Sancto Simplicio ejusdem urbis *episcopo* honorifice susceptus est: ministratoque sancto Simplicio

C sacerdotio & defuncto, in ejus locum sanctus Cassianus subrogatus est episcopus, ubi & multis coruscavit virtutibus, & requievit in pace. Ad cujus sepulcrum B. Germanus Autissiodorensis episcopus veniens & ex more christiano preces fundens fertur alloquutus. Quid (inquit) frater Cassiane agis? Respondit B. Cassianus: dulci quiete in pace potior, &

D adventus Redemptoris expecto. Cujus corpus postea multitudine miraculorum *coruscans*, in municipium, quod Augusta Vermanduorum nuncupatur, est translatum, & infra basilicam beati Quintini martyris sepultum. *Hæc omnia non aliunde sumpta sunt, quam ex his nostris Actis, uti diximus, conscriptis post corporis translationem: ex quibus Hortæ Ægyptianæ error profluxit: quam quia deprehendere nec Florentinius potuit, pag. 725. legit, non* Ortensis, *sed* Ostiensis *civitatis in Ægypto,*

E *quæ item ibi nusquam exstitit.*

6. *Julianus è vivis sublatus fuit anno* CCCLXIII. *die 26. Junii anno ætatis suæ 31. quum imperasset annum unum & menses octo inchoatos, ut statuit Pagius. Ei mox successit Jovianus, qui* piissimus Imperator *dicitur in libello Synodico Concilii Alexandrini à S. Athanasio celebrati. Obiit vero Dadastanæ inter Bithyniam & Galatiam die 16. Februarii anni* CCCLXIV. *cui die 25. ejusdem mensis successor datus est*

F *Valentinianus.*

7. *Is, qui hæc Acta conscripsit ratus Hortam non in Tuscia suburbicaria, sed in Ægypto sitam fuisse, putat Jovianum in iis partibus constitutum, Cassianum in episcopum eligendum commendasse. In veteri Breviario Æduensi, ex quo infra dabimus vitam S. Cassiani, hæc habentur:* Præsente itaque Imperatore populus urbis Hortensis, qui Pastore indigebat, Cassianum Pontificem acclamavit. *Sed utique, imperante, non præsente Joviano id factum est, ut Bellovacensis, S. Antoninus, & episcopus Equilinus, in hac re audiendi, testantur.*

8. *Plures quidem Cassiani memorantur in tabulis ecclesiasticis, 26. Martii, 13. Augusti, 1. & 3. Decembris. At omnes ante Jovianum Imperatorem floruerunt. de hoc vero Cassiano Asiæ regionis nequicquam occurrit: neque ejus ulla fit mentio in lectionibus Breviarii Æduensis, neque apud Bellovacensem, ceterosque scriptores.*

9. *Quum S. Zonis sive Zeno passus tradatur* in persecutione, *nempe Juliani, & ejus corpus à Cassiano sepultum, id utique factum antequam in Italiam navigaret, & antequam ad episcopatum Hortensem eveheretur: quod tamen confundit scriptor Actorum.*

10. *Cassianus heic dicitur ex sua ecclesia Hortensi in Gallias migrasse* prædicare verbum Dei. *Certe translatus non fuit ex ecclesia Hortensi ad Æduen-* 342
sem: quod tunc raro exemplo factum in occidente docet clarissimi nominis Cardinalis Josephus de Aguirre in dissertatione XI. *tomi primi Conciliorum Hispaniæ: neque alia caussa suppetit cur ecclesiam suam deseruerit. An episcopis in calamitate licuerit fuga sibi consulere, docte de more disquirunt Monachi sancti Mauri in vita sancti Augustini libro* VIII. *capite* VIII. *num. 7.*

11. *Hæc, quæ sequuntur, sumpta sunt ex Constantio in vita S. Germani Autissiodorensis episcopi lib. 1. cap.* VI. *apud Surium die 31. Julii. Nostri Cassiani meminit Martyrologium Romanum die 5. Augusti. ejus vero sepulcri S. Gregorius Turonensis de Gloria confessorum capite* LXXIV.

J. Fontaninus.

343 # III.

ACTA SANCTI CASSIANI
METRO DESCRIPTA.

Ex codice MS. 408. bibliothecæ S. Germani Parisiensis ab 800. annis scripto, in quo deesse videtur principium ac finis.

I. Acta sancti Cassiani. A

AT tuba terribilem sonitum cum protulit istum,
Agmine discipulum Christi pangente triumphum,
Splendor justitiæ per eos effulsit in orbe.
Tunc capere viri divino flamine pleni
Surdis auditum, cæcis imponere visum,
Attactum mancis, gressum concedere claudis,
Dæmonas expelli, functis halitum reparari.
Hæc ubi viderunt, vitæ spem corde tulerunt,
Atque sequi Christum semet vovere per ævum,
Quotquot erant scripti cœlestis cortice libri.
En operante Deo, qui jure triumphat ab alto,
Auster & occasus, Boreas radians & Eous
Credentes, tanti gaudent affamine verbi.
Jam Thrax, & Parthus, pellem mutavit & Indus, B
Perses cum Medis vitam, mollisque Sabæus,
Teucerus, Argolicus, Tyrrhenus, sive Sabinus,
Gallus & Hispanus, Britto, Pictusque, Gelonus,
Romanus celeber, nec non bellaxque Sicamber
Perfidia exuti, permulsi lacte fidei,
Idola siverunt, baptismo seque piari.
Sicque prophetalis completa est dictio vatis,
Quæ canit in cunctis procedere finibus orbis
Verbum discipulum, retulit quod lingua salutis.

344 II. De conversione Ægypti & origine beatissimi Cassiani confessoris.

HOc cum Memphiticis lumen radiasset in oris
* Forte natum. ** Nactum Syrophanis ponunt, illudque capescunt,*
Magnis cœlitibus tribuit quod munere Christus; C
Hic tenebras pelli, lucem tueris oriri,
Idola frustrari, vexilla crucis venerari,
Quadrigas teneris sublabi fluctibus altis,
Israel in solido gratari carmine mixto:
Unde tibi meritas efferrem, Rex Deus, odas?
Quod factum fuerat, tua gratia nunc subabundet,
En sanctos generat, quæ olim simulacra patrabat,
Monomachos gignens, & eos cœlestibus indens,
Quos inter Cassianum nuperrime sanctum
Produxit puerum multo de sanguine cretum,
Quem genitor locuples, & rerum emblemate dives
Chrismate perfusum scholis dedit erudiendum.
Hunc pius Antistes Zonis, post Martyr enormis,
Instruxit verbo, redimivit stigmate pulchro.
Scripturas peragrat, quæ sunt arcana retractat, D
Nec abduntur ei quæcumque obscura teguntur,
Donec catholicum lumen penetraret ad unguem
Flore juventutis redolens primævæ adolescens
Libavit totum Domino se se in holocaustum,
Ei servire volens, cui se subjecerat ardens.
Crescebat meritis vitæ, crescendo momentis,
Quod lex præcepit, quod patris gratia sanxit,
Viribus egregium totis imitando magistrum,
Implebat studio, legis duo jussa patrando.

III. De virtutibus spiritualibus in eo.

INterea juvenis capsim formatur ab annis,
Quodque prius cœpit, gestis cumulabat opimis:
Nempe viro factus digno consors Ilarino,
345 *Excubiis nictat, divinis laudibus instat,* E
Templa beatorum lustrans, & eos prece pulsans
Optabat meritis ipsorum seque juvari.
Quos animo ardenti sitiebat valde imitari,
Hinc Xenodochium reparat, distendit & ornat,
Quo fessis epulas, miseris solamina dedat,
Visitet infirmos, dapibus sustentet egrotos,
Non sua perquirens, sed Christi dogmata complens.
Prodere si scripto, si fas est dicere verbo
Quæ bona vir cælebs divino nectare sollers
Monstrabat studiis, jugibus firmans documentis,
Talibus instaret curis dum tyro fidelis
Extemplo Nili volat ingens fama per urbes,
Territat & plebes ejus de gestibus omnes,
Unde elacres una dicebant voce sonora,
Est Cassianus nobis adeo recolendus, F
Nobilitate nitet, virtutum agalmate floret,
Moribus illustris, merito sublimior astris,
Effigie rutilus, nulli pietate secundus,
Archas mellifluus, fama super æthera notus,
Nos inter nemo degit præstantior ipso.
Talis Niloticam replebat dictio terram,
Extollens Cassianum fama meritorum.

IV. De Juliano nequissimo Imperatore.

JAm Cariath-Seph & Josue destruxerat alter
Et muros Jericho prostravit funditus arvo,
*Competa * per mundi jubilantibus omnia Sanctis:* *Compita.
Heu dolor! Orbicolæ lugentes, obsecro, flete,
Cum sacer atque ferox nimium Julianus & atrox
Suggestum Imperii temeravit corde procaci:
Hic tanto scelere ante alios immanior omnes,
Quantus ad astrigerum tendit suspectus Olympum,
Unde erga Sanctos bellum commoverat excors,
Induperans perimi, & nullum super arva papisci.
Quod mandat teter, gaudet parere minister
Efficitur strages, jugulantur cuspide testes,
Jerusalem cives regem cœli venerantes
Traduntur flammis, merguntur fluctibus altis,
Torquent eculeos, nexus patiuntur ahenos, 346
Occumbunt justi, mulctantur ubique beati,
Sic Cæsar statuit, dirus sic lictor obaudit,
Quos fugat Imperium, recolunt speleæ ferarum,
Bellua conservat, hominum quos mucro retruncat.
Audi terra, rogo, cœlum, superaspice, quæso,
*Ferte virum sterilem * nocuos sine reperi mente.* * noctuo cinere perimente.
Baccharis Cæsar, baccharis perfide frustra,
Pridem discipulus, nunc vilis Apostata factus,
Arbos tu sterilis, lignis æquatus adustis,
In Erebo frueris, nec quemquam voce lacescis,
Vicisti Galilæe Deus, jam Cæsaris actus,
Tu potis & clemens, tu Rex in fasce refulgens
Multasti rabidum cœlesti fulmine fossum.
Quo circa celebres tibimet dicemus honores,
*Qui miserans justos, baratro dimergis * acerdos.* * acerbos.

V. De Zone Magistro ipsius, & martyre.

ISte furor Zonem vitæ direxit ad arcem
Fretum martyrio post vinctum nobile serto
Mausæolum Cassianus civilico alumnus
Edidit in templo carum tumulando magistrum
Exortum Maji cum stiva inflammat Aprilis,
Cujus mirificum jugiter memorando triumphum
Debita victori sacravit voto perenni
Teste præconans, & eum cum laude frequentans.

VI. De Joviano Imperatore Christianissimo.

BLasfemus tenebras postquam properavit avernas
Compos orbigenum motus pietate suorum
Fulgura sedavit, hostes ditione subegit.
Nam Romana phalanx orbem mucrone refrenans,
*At * Regni sceptrum procerem bonitate refertum* * Ad
Ab Jove delegit Jovianum nomine dictum,
Juppiter ut populo exstaret de agnomine recto.
Hic armis strenuus, Domini cultorque monarchus, 347
*Christicolas vivit * Paganos credere fecit;* * vel unic.
Ecclesiam statuit, flocci figmenta redegit,
Orbem judicio, gentes correxerat æquo.
Is quoque Taphneos cum transmigrasset ad agros,
Ortensis populus sacro Pastore carebat.
Quod herus agnoscens, jussit perquirere statim
Quid super hoc Domini vellet sententia magni.

VII. De electione Cassiani.

UNanimes igitur Domini suffragia poscunt,
Illis Pontificem daret ut sibi jure placentem.
Tum legione precum motus sator ipse polorum,
Sanciri Cassianum de more patronum,
Ornatum donis, fultum cœlestibus haustis
Innuit, adspirans introrsus hoc super omnes,
Id siquidem Augustus Cæsar fieri haud refragatur:
Insuper hortatur, mandat, favet, atque precatur.
Abnuit hoc humilis, nec se vult subdere curis,
Tædia non vitans, sed vires desore testans.
Vulgus ad hæc valido strepituque tumultuat alto;
Nos scimus, quod sis à Cunctipotente ditatus,
*Prosapia vernas * gestorum, & simplicitate refulges:*
Nolis, sive velis, Præsul dominabere nobis.
Noster civis ades; ideo nos optime pasces,
Sic clamat cœtus, sic annuit ipse senatus;
Vox cœlo fertur: Cassiani moderatur
Mens quo subigeret quod Cæsar, plebsque rogabant.

VIII.

VIII. De ordinatione ipsius. A

Tunc ergo Sanctus tantorum voce coactus
* Idest qui venerat. Excepit regimen supplex, & nobile nomen,
Alter enim Cassianus cum Cæsare * ventus
Ex Asia, æquivocum sacravit honore patronum.
His autem gestis inerat dux inclytus Orbis
348/ . . uroncique patres orbem mucrone colentes.
Adfuit & clerus, nec non Taphnea juventus.
Gaudebant omnes odas Domino referentes,
Qui sibi Pontificem tribuit praeesse cluentem,
Præsulis in solium postquam conscenderat altum,
Ornatus stola, luculentus veste sacrata,
* perlotus Actibus in cunctis talis virtute refulsit,
Qualis limphasea * perlautus Lucifer unda
Cum surgens croceo subtexit sidera peplo.
Prædicat hinc populis summi magnalia Regis,
Monstrans exemplis, suadebat quæque loquela B
Gloria quæ justis maneat, quæ pœna profanis,
* fallens Qui decor in superis exstet, qui stridor in imis,
Rebus in humanis quam sit fiducia * calvens
Expediit dictis, affirmans rebus apertis.
Totum se Domini mactabat pronus ad aram,
Exstans ara suavis, & hostia, sive sacerdos.
Quis Rhetor liquido quibit depromere scripto;
Qualis in adversis fuit & per prospera mitis,
Parcus quamque sibi exstitit, & quam largus egenis?
Vitabat pompam, mundi sternebat honorem,
Divitias calcans, & eas ut stercora damnans,
Spargebat gazas, indens cœlestibus illas,
Quo potiretur eis resolutus carcere carnis.
Clarus erat vultu, sed tanto clarior actu,
Eloquio dulcis, habitu, gressuque suavis,
Ore quidem nitidus, semperque in mente serenus, C
Exsuperas plane turgentis lata poëtæ
* quantum Impetus actorum meum vincit valde tuorum
In * quamquam valeo, laudes tibi ferre nequibo
Heus athleta Dei vigeas in culmine Divi,
Gaudia cum Sanctis habeas per pascua pacis.

IX. De ecclesia in honore S. Laurentii dedicata.

Denique delubrum struxit mirabile dictu
Mœnibus Ortensis, rebus sublime secundis,
Quodque necessariis egit; pia dona ministrans.
Ipsius culmen cum pervenisset ad unguem,
Et nox atra polum bigis subvecta teneret,
Pastor & in fulcro fessos componeret artus,
Serpere dans feram leviter per membra quietem
Visa fuit cœlo facies dilabier alto
Laurentii testis, vocesque effundere talis: D
Imperio Patris huc venio, Dionæ sacerdos,
Qui te Jerusalem scripsit magnum fore civem,
Hoc siquidem templum sollers, quod præclue dudum
Marmore finxisti, * pulchroque tulisti
Nomine Laurenti sacretur honore perenni.
Hæc ait, & sudum martyr remeavit Olympum.
At pastor strenuus tanto de famine certus,
Nil titubans jussis obtemperat ilicet istis,
Dedicat Ecclesiam Laurenti nomine factam,
Et decus, & nomen præscripti semper habendam,
Talibus auspiciis vivebat custos herilis.
Mortuus huic mundo, prænitens vivere Christo;
Corpore nam terris, animo degebat in astris.

X. De meditatione peregrinationis ejus.

Præterea Sanctus tantorum nectare vultus E
Donorum conans prædicti exempla magistri
Actibus æquiparare suis, conspexit abesse
Martyrium, per quod mactus conscenderet aulam,
Ardebat spectans cum quo luctamen iniret,
Post alapas ictus, post carceris atria nexus,
Post ferrum flammas, post lethum gurgitis undas
Ferre volens, animo & præstanti corde cupiscens,
Has sitiens epulas, nequid speraret, habebat,
Hoc torrens æstu, nunc huc, nunc fluctuat illuc,
In partisque rapit varias, per quem omnia versat,
Si laxando gregem vestiget Præsidis ensem,
Sæpius id replicat, solito notissima pulsat;
Judicium quærit, veniat quod cœlitus illi,
Explorat pronus, quid vellet ab æthere Christus,
Incumbens lacrymis, corpus suspendit ab escis;
Pernox insudat, cordis timiamata mactat, F
Has inter curas occurrit summa potestas,
Mandans Ægypti gentes, & rura pacisci,
350 Atque Sicambrigenum vasto præ æquore regnum
Expetere, ut populis ferret pia dogmata Gallis.
Implens præceptum, promsit quod doxa piorum
Ergo certa sciens, & veri nuntia credens,
Obtulit extemplo: Regi libamina magno,
Qui non omittit propria quos morte redemit.

XI. De convocatione populorum, & conquirente populo.

Convocat hinc socios in eadem sorte dicatos
* Queis * Quis primo votum, post pandit herile rogatum,
Quos ubi contra stare videt molimine firmo,
Prodidit arcanum, quod Christus ab axe polorum
Innuit. Inde favent omnes insistere cœpto.
Ardet abire dehinc, propriamque relinquere terram,
Cumque * laon patulas istud percelleret aures, λαῶν
Diriguit subita gelidus formidine sanguis,
Atque incredibilis rerum fama occupat omnes.
At Pater ignorat quo prima exordia sumat;
Sic alternanti potior sententia visa est,
Accersire gregem tanta formidine flentem,
Ac lenire illos edictis mollibus omnes.
Undique conveniunt inopes, magni & mediocres,
* Quis sacer exorsus solio sic infit ab alto: * Queis
Cunctipotens genitor hominum, rerumque repertor,
Vos fidei testes, & spei robore fortes.
Consortesque sui quo circa nominis almi
Jam fore concessit, verbi nec lacte caretis,
Viribus ut totis illum jugiter recolatis,
Cuncta refutantes, ipsum super omnia amantes;
Prospera vitando, & nunquam perversa tremendo,
Vobis edicam repetens, iterumque monebo.
Eja estote viri fortes, nullumque paventes:
Non pastor deerit vobis, non cura salutis.
Pascet qui fecit, firmabit, consolidabit
Justicium cohibete, rogo, captosque dolores
Temnite, nec ullus votis obsistat adeptis.
Quod facere exopto, Rex Christus ab æthere celso
Favit, & ad metam monuit perducere certam,
Hæc, & plura loquens Patrum, monimentaque censens, 351
Tentabat lenire animos, & reddere lætos;
Hæc ubi dicta dedit, populi clamore profari
Cœpere ingenti, frendentes corde dolenti;
Sin alios fines, aliamque capessere gentem
Est animus, poscisque solo decedere nostro;
Quis caulas reget? hancque quis, heu! bene pascet?
Ipsis sedato respondet pectore Pastor,
Spem vultu simulans, pressansque in corde dolorem:
Volvite corde metum, cari secludite curas,
Christus erit Pastor vobis, & cura salutis:
Rectorem tribuet, qui vos ad pabula ducet.
Fidite in ipsius suffragia firmiter, eja.
Semper honos, vestrumque decus, nomenque manebit,
Nec vos ulla dies unquam mori eximet ævo.
Immanis convexa polus dum sidera pascet:
Sic Pastor strenuus. Tandem Memphea juventus
Respondet verbo, non sic in pectoris antro:
Incipe, jam volumus, jussit quod ab æthere Jesus.

XII. De ordinatione urbis, & electione sociorum.

Ordinat hinc urbem, plebi statuendo levamen,
Componit, ditat, tuitur, benedicit & ornat,
Eligit & socios his nominibus vocitatos,
Presbyteros, Domitianum, Didimum quoque, binos
Viribus insignes, omni bonitate cluentes.
Levitas equidem numero sibi junxerat æquos,
Ambos florentes ætatibus, Arcades ambos,
Et cantare pares, & item proferre * volentes, * valentes
Orionem primum, Neonan dictumque secundum;
Lectorum vero cuneus supereminet, uno
Indicens numero quod habebant cordis in alvo,
Sichas, Amon, & Honorius, Eronesque vocati,
Nam Nathaneum sibimet connexerat unum,
Cui spei fervor, fidei, caritatis & ardor,
Ingenianus erat nomen, dilectio duplex,
Simplicitas illi prudens, prudentia simplex.
Sobrius & castus, cuncta bonitate decorus.

XIII. De peregrinatione sancti Cassiani. 352

His etenim septem sociis, cursusque ministris
Inclytus Antistes, Dominique exsul luculentus,
Cœpit iter gaudens, & amore Dei proficiscens,
Linquens Ægyptum, petiturus * Rus Eduorum, * Hinc patet auctorem hujus vitæ Gallum esse. Sicut enim Galli lingua sua vernacula urbem Villam dicunt, sic ipse latine reddidit Rus
Mox urbis legio digressu mota supremo
Prosequitur lugens, actus patris reminiscens,
Plorabant una dicentes voce sonora:
Cognatas urbes quondam, populosque fideles
Fulcibas donis, & alebas vir pietatis.
Proh dolor! Ecce relinquis eos, pretiose Sacerdos,
Quo tua sancta fides nobis jam credita callet?
Externos properas, nobis præesse refutas,
Cui nos commendas Ægypti * misea lampas? * mystica
Cui famulos tradis? Cui urbis septa relinquis?
Cur abicis Clerum, fugiens cur deseris istum?
Oramus, plebi miserans succurre gementi,
Centuplicant gemitus, reboat Saronia tellus;
Increpitant montes, dissultant undique colles,
Et stridor fratrum cœlo, fletusque querentum.
Tum pater evictus lacrymis ita fatur obortis:
Pellite jam fletus, removete à pectore questus,
Semper amor vestri, & nomen, laudesque * manebant. * manebunt
Nec unquam vestri prorsus meminisse pigebit,
Dum cœlum stellas, pecudes dum terra tenebit,
Vivite felices filii, peto, vivite Christo;
Macta salus, bonitas, pax & concordia perpes,
Vobiscum maneant, vitæ * atque palatia ducant, * adque
His autem dictis demulcet corda dolentum.

XIV. Benedictio sancti Cassiani super populum. A

Inde manus cœlis tendens, & labra patescens,
Illos * altithro commendat, taliter orans: * altithrono
Tu Deus ætherei perpes regnator Olympi,
Qui cœlum, terras, pontum ditione gubernas,
353 Qui regis Israel cum nato & flamine sancto,
Qui reges & regna domas, sternisque superbos,
Sublimas humiles, deponis ab arce potentes,
Spes hominum cernens, & vota precantia complens,
Hos, exposco, tuos supplex clementer alumnos
Conspice, clarifica, condi, compone, corona,
Mores illustra, vitam rumore fecunda,
Actus custodi, sensus, Rex inclyte, nutri,
Donec te videant, ac vitæ præmia prendant,
Te præstante, Deus, qui semper trinus & unus,
In triplici virtute tui benedictus haberis.
Fantur amen cuncti, tundentes pectora pugnis, B
Tunc Pastor pacis porrexerat oscula cunctis.

XV. De profectione ipsius.

His ita dimissis, statim vestigia torsit,
Sol Martis supremus eo rorabat Aprilis
Exortum, madidos quatiens ex ære nimbos,
Cum vates Domini gaudens cœpit proficisci,
Stipatus sociis supero sermone relatis.
Ergo iter electum celebrantes calle secundo,
Idola cassabat, sculptilia comminuebat,
Narrabat plebi mysteria regis Olympi,
Qualiter omnipotens unum sine tempore Verbum,
Quæ de se genuit, per quod sunt omnia, fecit,
Spiritus adnectat, procedat qualiter almus
Personis ex ambabus deitate coëquus. C
Has tres personas unam dissertat usiam
Nomine distinctam, sed majestate jugatam,
Hoc etiam Verbum carnis ceu sumserit ortum
Edocet in populis, reserans arcana Tonantis,
Pegma crucis subiisse, hinc Infernum spoliasse,
Hoc ait in vicis, hoc urbibus, hocque plateis
Israelita cluens, Saronis opaca pacificens,
Haud metuit sicam, quam nitebatur acutam,
Nancisci, si conferret miseratio Christi.

354 XVI. De adventu ejus ad Massiliam urbem.

Talibus à gestis exceptus miles herilis;
Post octogents centum tribus atque diebus
Actis externis, ferme VI. mensibus hoc est,
Massiliam, ducente Deo, citus appulit urbem,
Erutus insidiis, Paganorumque sagittis, D
Nam statio curvis illic bene fida carinis
Æquora verrentes recipit, ripæque remittit,
Unde Africæ portus digno sermone cietur.
Inde Dei famulus per tot discrimina vectus,
Classem digrediens, urbisque ad mœnia tendens,
Intonuit turmis alti magnalia patris,
Quæ didicit cunis sollers vehementer ab ipsis.

XVII. Ubi divinitus jubetur ire ulterius.

Sed quoniam portum dimenso tramite mundum
Finit, ulterius mandatur abire beatus.
Nec nutat jussis, quæ dirigit auctor ab astris.
Corripuit callem Gallorum rura meantem.
Callendo radiis flagrabat abunde coruscis,
Ceu jubar ignivomum croceo fulgore venustum,
Cum sedet in bigis extinguens sidera flammis. E

XVIII. De adventu ipsius ad Eduæ urbem.

Ut vero sacris tetigit magalia plantis
Ardua Francigenum, quæ dicitur urbs Eduorum;
Expetiit glebam multa legione refertam.
Testis ubi ingressus delubrum Symphoriani,
Poplitibus flexis Domini præsidia poscit.
Illo Simplicius sub tempore pontificatus
Servabat sceptrum redimitus lampade morum.
Altius eloquerer, verum sententia longa
Sermonis: sed summa sequar fastigia tantum.
355 Quidam Riticius rerum probitate peritus,
Conjuge decessa, civium cogente caterva
Admisit regimen dominatus ac moderamen,
Vixit, uti decuit, demumque in pace quievit: F
Qui latus feretro conjunx ubi functa jacebat.
Eloquar, an sileam visum mirabile dictu!
Os patuit, flatum sumsit, hæc verba profudit:
Excipe sancta soror, quem non petulantia fœdum
Effecit, sed virginitas æterna beavit.
Sic olim, meminisse decet, moriens petiisti.
His dictis una glomerantur virginis ossa,
Dantque locum fratri id mirabiliter rogitanti.
Sic ambos unum pariter texit poliandrum.
Hunc Egemonius post accessit speculatus
Ad columen: post tertius hunc Simplicius urbis
Exstitit Antistes, epularum emblemate dives,
Cui pietatis opus, nec non castissima conjunx,
Unde simul recubant, jugiter divina frequentant:
Hic litat, illa orat; hic prædicat, illa ministrat.
Quo circa vulgo fertur frendente protervo.
Adstrinxit primas byrro castissima virgo,
Quasque sacerdoti socio dedit ordine ferri,
Sinceros prunæ urentes ambos * patuere * patescere.
Castus amor flammas nunquam trepidare probatur.
En rogus in stipulis admittit jus deitatis.
Vim perdit natura suam, conservat inusta.
Sic fornax pueros dudum non torruit almos.
Hic dictam cautis urbem moderabat habenis
Nomine Simplicius de simplicitate probatus.
Vir cœlebs meritis adeo memorandus iniquis,
Unde suis urbem precibus quantisper eandem
Sedabat, Cibele matris carpenta Deorum
In terra elidens meritis, iterumque resolvens,
Omnibus ad Christum conversis, hisque relictis
Idola cassavit, populum baptismate * lavit * secunda manu lavit
Hæc quoque Gregorius Turonorum dux luculentus.

XIX. Ubi S. Simplicius beato Cassiano occurrit. 356

Talia dum fierent, vastam volitando per urbem
Nuncia fama ruit, hujusque allabitur aures,
Niliacis venisse patrem de partibus almum,
Qui speculatorias apte moderabat habenas,
Atque Minervali vernabat famine comtus.
Hoc supra gratulans Dominum benedicit adorans;
Qui misit comitem tanto rumore micantem,
Obviat hinc jocio gavisus ab hospite sacro.
Oscula libarunt mutuo, post tecta adierunt.
Hinc hilares ambo regi solemnia Christo
Proni thurificant, longisque precatibus instant.
Tripudiant ambo sublimes pignere duplo
Simplicius comitem passim venerando recentem,
Exsiliens adstat, servit, famulando ministrat.
At Cassianus mitis Domini peregrinus
Christo tripudiat supplex, impensa receptat.
Jocundum plane fratres unum habitare.
Id citharista canens David Rex præcipit ingens,
Orabant ambo, persusi nectare bono:
Sancibant pariter, Christum poscendo verentur.

XX. De eo quod S. Cassianus Britanniam voluit ire.

Has inter deitatis opes pia victima Christi
Antistes Cassianus felix peregrinus,
Optatum sitiens adeo certamen inire,
Prodit Pontifici se Britanniam proficisci
Velle tenebatur, quæ tunc errore profano.
Quod postquam vates sic est affatus amico,
Obstupuit dictis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, steteruntque comæ & vox faucibus hæsit.
Dehinc vires revocans, auram mentisque receptans.
Ah frater dulcis, quis hæc tibi ferre suasit?
Cur senio fessum moliris linquere solum? 357
Me ne fugis? per ego has lacrymas vitamque clientis,
Per superos, & siqua fides tellure sub ista est.
Neu, testor, vetulum linquas occumbere solum.
Si bene quid merui de te, fuit, aut tibi quidquam
Dulce meum, miseresce senis labentis, & istam
Obsecro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem,
Sensibus hoc imis, res est non parva, reponas.
Hujus tu vates urbis vocitaberis olim,
Atque sacerdotio post me fungeris in isto.
Sic quoque Simplicius. contra sic vir generosus
Infit. Te nunquam, frater dilecte, negabo,
Promeritum nectis meminisse pigebit in ævum,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.
Id tamen * haut animo duxi, nec ad hoc quoque veni, * haud
Quo solium hoc subeam. proprium qui sponte reliqui.
Ad hæc Simplicius tristis, speculator opimus,
Humectat nitidas largo de flumine malas.
Tum lacrymis motus heros sic infit adorsus.
Ne, quæso, fleris, frater magnæ pietatis.
Actutum patior, quem vis perferre laborem.
Taliter evicit, patris quem dextera sanxit.
Rursum Pastorem post Simplicii requietem
Vinciris precibus, vinciris maxime Præsul,
Te caritas tenis * conexat strictius artis. * connexat

XXI. De obitu B. Simplicii episcopi, & confessoris.

Dum ternos una degunt mortalibus annos;
Puniceis invectus equis meitur Apollo.
Postea Simplicius moriens speculator honorus,
Ultima mundanæ clausit spiramina vitæ
Solibus Julii bis IV. ante Kalendas.
Cujus stelligeris perlatum pneuma choreis,
Donatum serto, nec non celebri emulento.
Exsultat, vivit, splendet, laudat, hilarescit;
Cumque forent artus frustrati munere flatus,
Hospes mausoleo corpus condivit honesto,
Thura precum Domino sacrans pro compare tanto.

XXII. De electione sancti Cassiani & abnegatione ejus. 358

Confestim viduus decessu principis hujus
Grex Augustudunensum, cæpere beatum

Quæ

Quaerere Pontificem, scandat quo sedis honorem.
Denegat omnimodis, nec se vult tradere curis,
*Haud tesum horrens, sed * virens absore promens,*
Adventus causam cunctis edicit apertam,
Qualiter omisit quod dudum haud ultro recepit.
Compellunt illi, defenditur ipse viritim,
Hi precibus pugnant, ille excusatibus obstat.
Quaeritur hinc alius, qui sit bonitate coaequus.
Scrutatur Clerus, nec quis nanciscitur aptus,
Qui regimen capiat, vel oves ad pascua ducat.
Verterat interea solitis discursibus annus
Mensibus explicitis sua per vestigia volvens.
Rursus ad egregium unanimes repedant peregrinum;
** Adhaerentque preces precibus, quo pontificatus*
Suggestum exciperet, qui tanta mole cluebat.
Justicio allicitur, lacrymis adeoque gravatur.
Sic quoque Simplicium memorant dixisse beatum.
Sic vivens voluit, moriens illudque suasit.
*Evinctus * lacris coelebs, precibusque benignus*
Vocibus arrisit, speculandi frena recepit.
Hoc Deus instituit, populus hoc ipse coëgit.
Arbitrium Christi, non est ambitio facti;
Non votum sancti, verum violentia vulgi;
Post Petrus Ausonios, rexit prius Antiochenos,
Hic nutu Domini petiit caput orbis iniqui,
Non gazas dapium, sed quaerens lucrum animarum:
Iste Deo plenus lictoris quaesiit ictus,
Non opulenta sequens, sed Christi verba perimplens.
Et prorsus libram praetendere condecet istam,
Omnia qui semper justo moderamine pensat.

* vires. * Adjunguntque. * Evictus lacrymis.

359 XXIII. De eo quod Cassianus episcopatum recepit.

IN suggesta ergo Pastor suffectus enormis
Sicut eques notas comiter moderabat habenas.
Rhetores archidici depromant syrmate dulci,
Quae virtus illi fuerit, quae copia fandi.
Sic natos Domino stabilibat flamine sancto
Cedere volentes, ejusque profunda stupentes
Mulcebat dictis reserans mysteria miris.
Alter erat Paulus typicans oracula rebus
Imbeciles verbo vegetabat robore prisco.
Cur morulas faciam. reptans per singula pennam?
Debile quicquid erat, solo sermone levabat,
Purgans vexatas omni de peste catervas.
*Plenus nempe Dei renitebat sosphorus * orbi,*
Pastor erat vigilans Domini commercia lucrans.

* Forte phosphorus.

XXIV. De obitu ejus.

TAntus adultus Christi memorabilis exsul
Erexit cathedram, Jesu opitulante, subactam;
Bis annis pariter lectis ex ordine denis
Tum divos adiens & terras morte paciscens,
Exsilio sacram decurso tramite metam
Sextiles Nonas perhibent dum calculatores,
Imposuit rutila donatus in arce corona
Concio, quem instans lacrymosa voce frequentans
Occuluit tumulo speciosum corpus honesto.
At callis comites magno ductore carentes
Grammatibusque cati vitam scripsisse magistri
Optime conspicui tenentes gesta patroni.

XXV. De Cruce in ejus tumulo coelitus * facto. * facta

*NUm saliam scriptis, quod finxit * doxa Tonantis* δόξα
Fistula raucificis eructuet, haec peto metris
Prodere glorificum nimis est reticere pavendum. 360
Felix coelitibus postquam fuerat comitatus,
Saxo candenti mandatis artubus ejus,
Insculpsit labarum roseo fulgore decussum,
Per quod Christicolis reserantur limina cunctis
*Coelestis regni post hujus tempora * cosmi.* κόσμου
Quid duo nectuntur, res hic arcana probatur:
Candor enim lapidis splendorem corporis albi
Praeclue stema crucis roseo fulgore rubentis.

NOTA.

HOc poëma, cujus barbarus auctor Graece doctus & Virgilii studiosus videri affectat, edidimus una cum suis mendis, cum quibus diligenter exscriptum ad nos perlatum fuit. Quoniam vero ejus fundum fuisse putamus Acta, quae protulimus, aut saltem Actis ipsis & poëmati unum eundemque fundum fuisse; non est necesse, ut quicquam aliud hic adnotemus praeter ea, quae supra adnotavimus, nisi quod nunciavit nobis Janningus; nempe in codice decimi saeculi, qui fuit monasterii sancti Quintini, idem poëma dividi in duas partes, & priorem, dempto prologo, quadringentis circiter versibus constantem, apographo à sociis suis Bollandianis descripto, hoc habere principium in

Astrigeros postquam Christus transcenderat orbes,
Ad solium patris devicta morte revertens,
Coetus Apostolicus toto se sparserat orbe.

Secundam vero partem totidem & amplius versibus conflatam sic incipere significavit.

Ecclesiam cum nanque suam rex Christus ab astris
Cerneret afflictam.

361

IV.

ACTA TRANSLATIONIS ET MIRACULORUM SANCTI CASSIANI

Auctore Anonymo Sanquintinensi.

Ex veteri codice MS. Claudii Jolii Canonici Parisiensis.

I. PROLOGUS.

DIvinorum miraculorum insignia & gloriosarum virtutum propagamenta, quae nostri Salvatoris benigna miseratio ad manifestanda Confessoris sui merita pretiosa, manifesta voluit, digne literis committuntur, quatenus eorum memoria posteris reservetur, ad laudem praesertim & gloriam Christi, qui sicut in aeternitatis suae regno sanctum Pontificem suum inaestimabilibus suis voluit remunerari....., ita temporalibus virtutum miraculis disposuit glorificari, ut ex talibus indiciis manifestetur, qualis in regno Christi & Dei habeatur. Illa ergo scribimus, quae postquam Dei dispositione factum est, ut de *Aeduorum* finibus ad nostros transiret, clara luce manifestata noscuntur, (1) partim nostris conspecta visibus, partim eorum relatione comperta, qui saepius adesse potuerunt. Nam ex eo tempore, quo gloriosam animam coelis restituit (quod creditur *Theodosii* senioris fuisse temporibus) usque ad tempus *Ludovici* Imperatoris Augusti, (2) ab eodem scilicet anno, quo temporis sui horam clausit, per annos CCCCL. id circo nihil scribimus, quia manifeste non comperimus, quamvis multa de ejus virtutum meritis audissemus; secundum quod venerabilis *Gregorius Turonensis* episcopus in *libro* (3) *Miracurum* * scripsit in haec verba: *in* 362 *coemeterio*, inquiens, *Augustodunensis urbis vidi B. Cassiani sacerdotis magni sepulcrum à multis infirmis erasum, quod pene transforatum eo tempore putabatur: abluuntur enim ex hoc pulvere aegroti, & protinus virtutis magnitudinem sentiunt.*

* procul dubio miraculorum.

II.

Anno igitur Dominicae Incarnationis DCCCXL. praesidente *Augustodunensium* Cathedrae (4) *Moduino* venerabili episcopo, *Hugo* Abbas monasterii S. *Quintini* mittens ad eum Legatos suos corpus beatissimi *Cassiani*, quod per semetipsum prius postulaverat, expostulavit: cujus petitioni supra nominatus episcopus propter multum amicitiae respectum, reverentiaeque modum, concessit effectum, contuens observantiam excellentissimorum Imperatorum, quorum ipsius Abbatis *Carolus* Augustus genitor erat: alter vero frater beatissimus Imperator *Ludovicus*. Collectum denique reverenter sancti *Cassiani* corpus per sacerdotes suos, quos pro hoc supradictus Abbas direxerat, cum epistola sua misit: in quo itinere quia necesse erat secretius propter tumultum populi *Augustodinensium* civitatis, fieri, nihil signorum apparuit, praeterquam quod unus ex coitinerantibus, cujus vulnus in mammilla intumuerat cum gravi ob hoc molestia, ut remaneret, urgeretur, *Cassiani* beatissimi merita invocavit, sanitatemque pristinam promeruit, fide in eo operante, tantoque Pontifice pro eo meritis interveniente.

III.

Postquam ergo intra *Laudunensium* Comitatum venit supradictus Abbas cum sacerdotibus, ecclesiasticoque ordine, cum magno gaudio reverenter occurrit, susceptumque corpus pretiosis aromatibus die altera condivit, & rore balsami perfudit, involutumque sindone munda & pretiosa purpura, in loculo posuit, ac elevatum sequenti die ad monasterium S. *Quintini* ferri curavit. At cum ipsius

psius diei hora tertia venisset, quia nulli tam sacrum onus vetabatur portare, duo, ut postea comperimus, homicidæ accesserant, qui, cum ferre loculum vellent, statim miro modo contractum est, & velut longius ire nolens, nisi comprimente turba teneretur, sanctum onus casui * probatur: quod cognoscentes qui circumquaque fuerant, eosdem reos effugere compulerunt, scientes abs-
363 que dubio, eorum factum accessu, quod fiebat. Noluit enim sancta sinceritas manibus sanguinem distillantibus ferri, ne quoquo modo videretur maculari, & ut vivida ejus manifestarentur merita: multis celata ex hoc fierent manifesta, ac non solum hoc tunc illo miraculo, verum etiam post paululum illi cæco illuminato. Beneficium enim accepit qui fideliter accessit: suorum autem criminum patefactionem, qui prius dignam non subierant pœnitudinem.

*forte propinquabat

I V.

Deinde mulier sollicitudine anxia & spe firma festinando occurrit, & in media via se provolvens, Abbatem, qui longius feretrum sequebatur, magna supplicatione petiit, ut feretrum stare juberet, asserens se filium contractum & debilem habere, quatenus occurrere potuisset: cujus Abbas fidem contuens, annuit precibus mulieris, jussitque subsistere loculum: cumque diutius, qui reptabundus venerat, moram in veniendo faceret, hi, qui sanctum corpus portaverant, jussi sunt proficisci. Tunc iterum mulier, ut supra, de subsistendo petiit: cum hoc eodem modo usque tertio ageret: hi, quos pro filii festinantia direxerat, venientes renuntiaverunt, filium ejus loco, in quo fuerat, virtute Dei mirifica & signo mirabili omnibus membris sanum effectum. Reversa igitur est cum convicinis mulier, & licet tanto dono delectarentur, ut cum sancto Dei proficiscerentur, novo tamen spectaculo trahebantur, ut ad eum, qui sanatus fuerat, redirent.

V.

Postquam vero hæc per multitudinis conventum resonuerant, cœpit fieri auctior debilium concursus; inter quos quædam femina, nomine & loco nota, accurrit, utrisque luminibus orbata, ac utrisque brachiis contracta, reniumque vigore penitus destituta: quæ dum traheretur magna violentia nunc ante, nunc retro feretrum sancti; visum est Abbati longius sequenti caussa eleemosynæ taliter eam vexari. Jussit ergo ei aliquid de necessariis erogari, & ne ulterius debilitatem suam fatigaret, moneri. Sed quæ ea occasione non venerat, in sequendo, constantiam non liquerat. Nec multum, sub umbra arboris deponitur feretrum pro recreatione portantium: illic mu-
364 lier accessit, & mox sana fit: aperti namque sunt oculi, olim cæcitate damnati: extenduntur brachia, in debilem curvitatem contracta, solidanturque renes, dissipatione soluti. Fit ergo mulier liberrime cursitans, quæ prius non minus luminum, quam liberorum gressuum fuerat ignara, satagitque alios ad feretrum trahere, quæ paullo ante, nisi traheretur, non poterat pervenire. Eodem etiam loco cæcus quidam venit, & lumen, quod diu desideraverat, meritis sancti Confessoris suscipere meruit: ut aperte daretur intelligi, apud Dominum spiritualibus bonis posse prodesse, qui taliter meritis suis damnatis corporibus potuit subvenire.

V I.

Progredientibus vero inde cum pauculis morularum spatiis, tribus miraculis Confessor sanctissimus enituit, qui ob salutem multorum ad nostros fines venire elegit. Nam inter sequentem vulgum tribus feminis, nominibus & locis notissimis, aperta lux enituit, quas sæva cæcitas dudum damnavit. Decuit enim tam astrici luminis fulgore veniente tenebras & cordium & oculorum recedere, ut vigorem suum tanta dignitas ostenderetur servare, talibusque corporeis bonis conspectis, de spiritualibus non dubitaretur, quæ conspicere humanitas vetabat.

V I I.

Inter hæc autem virtutum insignia & donorum Christi miracula, factum est, transeunte populo cum sancto Domini Confessore, ut circumquaque tot signorum pauco sub tempore divulgarentur famæ: unde accidit, ut mulier quædam domi exitialiter languens, dum nequaquam occurrere potuit, quæ per se surgere nequivit, secus ostiolum suum à suis posita, eminus feretrum conspiciens, dum merita Confessoris invocavit, diutini languoris sui perfectam medicinam accepit. nam illico sanata tantarum virium vigorem accepit, ut non solum ipsa occurrere sancto Pontifici *Cassiano* potuisset, verum etiam filium suum jam majusculum propriis ulnis secum afferret. Occurrit ergo cum puero laudans & benedicens Dominum super omnibus his, quæ facta fuerant de illa. nihil enim de omni languore illi remanserat præter cum multo pallore macies
365 pro longæ ægritudinis signo & subitæ sanitatis dono, ubi enim propter fidei sinceritatem virtus divina adesse voluit, languor effugit, nec diutius resistere potuit, quando vera medicina accessit. O vere laudabilem medicinam ubi & fide creditur, & solo visu universi languoris remedium adipiscitur!

V I I I.

Crebrescentibus siquidem turbarum occursibus crebrescunt & miracula: nam inter sequentes turbas non multo moræ spatio interposito, duabus cæcis feminis, locis & nominibus notis, lumina negata redduntur, ut fugientibus

A tenebris divino lumine lux illustrata præsens adesse doceretur. hoc enim veritas de discipulis suis olim protestata est, quod essent sal terræ; quod essent lux mundi: sal eis, quibus interna tetigerunt; lux eis, qui digna eos reverentia conspexerunt.

I X.

Cum autem jam portis atrii basilicæ S. *Quintini* propinquaret, languidus quidam puerulus, carrucæ impositus trahebatur: non enim quicquam virium illi remanserat, ut aliter adduci posset, cadaveri jam simillimus: qui cum feretrum antecederet, prohibita est carruca basilicæ januas intrare. quod mater pueri cognoscens, filium scapulæ imposuit, non hominis, sed pellis modo pendentem; & secus loculum arculæ pavimento omnibus membris adhærens, aliquandiu jacuit, videlicet quousque tanti adventus missarum præconiis extitit celebratus. Ex qua ho-
B ra cœpit convalescere puer, cibum petere. etenim tantum se virium accepisse, ut domum posset reverti, non jam in carruca trahendus, sed equo cum patre sedens. Ita misericordissima pietate Dei factum est, ut qui pene cadaver venerat, *Cassiani* beatissimi meritis adjutus puer * lætabundus rediret.

*forte lætus

X.

Postquam vero in ecclesia B. *Quintini* susceptus est cum honore reverentissimo & mox in ejus adventu missæ solemnitas ageretur, notæ mulieris brachium, quod dudum contractione marcuerat nervorum, extenditur; & cum mulier in divinas laudes erumpere vellet, nec penitus 366
muta valeret, linguæ mox solvitur vinculum, ac desiderabile dudum oris redditur officium. Miraculo igitur gaudium, gaudio laus jungitur: quia, quæ damnata venerat, soluta regreditur.

X I.

Superveniente autem beatissimi Pontificis *Cassiani* sole-
C mnitatis die, multis circumquaque accurrentibus turbis, accurrit & mulier cum ceteris quidem solemnem diem celebrare; sed non cum ceteris officiorum solemnitates videre: audire enim cum ceteris poterat, videre non poterat, quam sæva cæcitas olim damnaverat. Venit ergo par devotione, impar possibilitate, voluntate simili, miseria dissimili: videbatur tamen illi sat esse, si ei contingeret interesse. Quo judicio divinitatis misericorditer recensito, Confessoris sui meritis efficitur æqualis ceteris quæ ex propria miseria venerat dissimilis. Solvuntur enim palpebræ ad instar evigilantium oculorum, & pro noctis caligine obscura lux redditur diei serena. Adepta igitur est mulier non quod diffiderat Deum posse, sed quod non speraverat, se promereri valere; regrediturque jucunditate ceteris lætior quæ tot comproperantibus venerat miserior.

X I I.

D Eadem etiam solemnitatis die, quæ pro honore tanti Confessoris divina claruerat virtus, adnotanda creditur, ut, sicut ostensum est, quanta beneficia devotis præstentur, adscribatur quantum etiam pro contumacia mereatur. Mulier enim quædam, quæ pro solemnitate tantæ diei accurrere cum convicinis debuit, segniter torpens domi remansit, & cum diem feriatum servare deberet, panibus coquendis clibanum succendit. Quam ob rem cum à cohabitantibus argueretur, parvipendere se diem ostendit, meritisque S. Confessoris arroganti prosecutione renitens, illico quod meruerat experta est: nam flamma, quam in clibano accenderat, velut tanti reatus ultrix exiens, eam subito invasit, concremarique acriter cœpit: quam illa effugere se posse autumans, cursum arripit, fugamque capescit. Sed ultrix flamma, quæ semel adhæserat, effugi non poterat. Consumptis ergo indumentis, crema-
E tur & caro; & ne vita deficeret, divino miseratur respe- 367
ctu. Ustulata denique cognovit quod meruit: sed ut castigata non deficeret, ignis extinguitur, quem sibi ipsa succendit, manibus adeo jam concrematis, ut de dexteræ quidem desperaretur sanitate. Patet igitur hoc in facto & superioribus adscriptis, quid devotio & præsumptio apud Sanctorum merita promeruerint, cum alteri præmium, alteri irrogetur supplicium. Non multo autem postea cœcus quidam, loco & familia cognitus, auditis sancti Confessoris Dei miraculis, venit luminis beneficia petiturus, credens sibi Sancti meritis posse fieri, quod multis hujuscemodi miseria damnatis, audierat præstari. Cujus fidei devotionem divina miseratio contuens, trium dierum spatio constantiam probare voluit. Per id enim triduum apud sancti Confessoris loculum precibus persistens, cœcitatis suæ nulla ex parte solamen est adeptus. At ubi sua obesse sibi peccata credidit, semet dijudicans, admi-
F niculum luminis post-biduum suæ reversionis promeruit. Quo in facto divinæ virtutis effectus & patientiam hominis probavit & Confessoris sui merita, non eo tantum loco, ubi jacuerat, esse ostendit; sed ubique vigere claræ virtutis opere manifestavit: quod & in sequentibus capitulis aperte monstrabimus, miracula ejus adnotando, quæ cœpimus

X I I I.

Quadam namque vice cum quadraginta quinque millibus à loco, ubi sanctus Domini Confessor erat, supranominatus Abbas abesset, quibusdam propriis necessitatibus occupatus, illic quidam adolescentulus cujusdam ex eis, qui cum eo venerant, gravi oculorum est captus dolore. Cui cum sæpius cum sociorum allusione diceretur, ut ad san-

sanctum *Cassianum* festinaret, tanquam ad singularem medicum oculorum, licet indoctior, prudenter, cavillantibus respondit, non esse, ajens, opus longius progredi, cum illic talibus meritis posset adjuvari. Quod qua dicere fide, sequens prodidit effectus: nam sancti Confessoris merita implorans, meridianæ se quieti contradidit, ubi tunc per visum illi sanctus Pontifex apparens, ei quem devotum cognovit, oculorum subitam sanitatem concessit, manifestans, Dei virtutem velle, eum, quod fide credebatur, meritis posse. Quo facto serenati sunt oculi & approbata est assertio pueri: cavillatio etiam sociorum
368 sedata & deificæ virtutis per tanti viri merita comprobata præsentia: ut corporali miraculo manifeste pateat quid mentibus devotis ubicunque imploratus impendat.

XIV.

Multa quidem præcipue prædicantur de *Cassiani* beatissimi meritis, sed inter cetera hoc digne effertur, quod noviter Dominum per eum fecisse manifeste cognoscitur. Nuper enim, cum infelix congressio principum nostrorum & pugna indecentissima pararetur, nec aliud, quantum ex utraque parte statuebatur, nisi bellum instaret; cuidam ex nostris per visum apparuit B. Pontifex *Cassianus*, concite properans ad partem, ubi durior resistendi bellicus parabatur effectus, & cum aliquam diu moram fecisse videretur, postmodum visus est annuntiasse, à Domino impetratam habere populo pacem, &, ne præsens pugna fieret, propitiationem. Quo dicto, multitudo, quæ videbatur adesse circumquaque diffusa, crebris consonisque vocibus cœpit prædicare, B. *Cassiani* meritis pacem impetratam fuisse: quod quia constat, opere majestatis divinæ sine ullius spe actum, magnis Sanctorum meritis indubitanter adeptum: inter quæ *Cassiani* præcipue credunt, qui tali commercio interfuisse, manifestante Deo, ostenditur. Hæc namque ostensa credimus, ut quantum apud Deum valeret, pateat singulis, qui tantum prodesse potuit multis.

XV.

A His ita præfatis, taliter peroratis, finiendo librum descriptionis vitæ & miraculorum *B. Cassiani*, definienda videtur tumulatio corporis ipsius Confessoris Christi, qualiter acta est in Basilica B. Martyris Christi *Quintini*. Etenim cum quinquennio à susceptione ejusdem Antistitis corporis intra ipsam basilicam ageretur, & propter incommoditatem temporum & rerum diversarum, ac tempestatum accidentia, diversis in locis reconderetur, modo in aperto, modo in occulto, frequentius tamen incongruo (5) *Karolus* Rex, utpote nutu divino inspiratus, præfatam adiens basilicam, de ejusdem Christi Confessoris corpore cœpit tractare officiose, in eo haud diutius immorans: anno siquidem octingentesimo quadragesimo quinto Christi incarnationis, & sui equidem regni quinto, indictione octava, die Non. Martii ad præscriptum Pontificis Christi *Cassiani* reverenter accedens tumulum cum 369
duobus episcopis, *Wenilone* scilicet *Senonense* Archiepiscopo, & *Immone* præsule ecclesiæ *Noviomagensis* (6) aliisque
B compluribus Dei amatoribus, cum cereis & choris psallentium clericorum, cum thymiamatibus & odoris aromatibus, ardentissimo amore summaque devotione ipsum, in quo jacebat, Sancti efferens corpus, perfusum balsameis odoribus, & thymiamatibus odoriferis infertum: palliis quoque & vestibus sericis decentissime involutum, intra cryptam basilicæ præfati martyris Christi *Quintini*, ad dexteram lateris ipsius testis Christi; optime ac pulcherrime tumulavit, tradens ad amborum sanctorum luminaria & ornamenta condenda, maximeque ad tumbam B. *Cassiani* fabricandam fiscum unum nomine Tuniacum, cum omnibus appendiciis & adjacentiis suis in perpetuum habendum, cujus authenticum ad caput tumuli cum desuper posuisset sanctissimi *Cassiani*, hæc verba ait: si quis autem hoc donum his duobus præpollentibus Sanctis nunc à me traditum & confirmatum partibus eorum, auferre
C tentaverit, habeat sibi judicem Deum & hos præfulgidos nostros perpetuos Quæsitores.

NOTAE.

1. *Claudius Hemeræus in regesto veterum chartarum ad calcem suæ Augustæ Viromanduorum vindicatæ & illustratæ pag.* 27. *edidit tantum caput* II. III. & XV. *hujus historiæ translationis S. Cassiani, cujus auctor hinc videtur coævus aut saltem suppar.*

2. *Is est Ludovicus Pius, qui hoc eodem anno, quo facta est translatio, obiit die* 20. *Junii.*

3. *Nempe capite* LXXIV. *de Gloria Confessorum.*

4. *De Moduino sive Modoino vel Motuino Æduensi episcopo agunt Fratres Sammarthani in Gallia Christiana tom.* 2. *pag.* 36. & *Carolus Cointius in tom.* 8. *Annalium Francorum, qui ex Actis nostris illustrari possunt.*

5. *Karolus Calvus.*

6. *Sive Noviomensis, apud Sammarthanos tom* 3. *pag.* 813.

V.

370 # SERMO (1)

De tumulatione sanctorum Christi martyrum *Quintini*, *Victorici* & Confessoris *Cassiani*.

Exscripsit & rubricis distinxit Raimbertus.

Ex codice MS. ecclesiæ S. Quintini.

SEmper in Christo amantissima patrum & fratrum viscera, societas Deo gratissima, præsentis diei solemnitas celeberrima nobis admodum extat & veneranda. Est namque consecrata Sanctorum tumulatione honorifica, *Quintini* videlicet Martyris gloriosi ac piissimi protectoris nostri, nec non *Victorici* ejusdem comparis inclyti, atque *Cassiani* Pontificis egregii: quorum quia gratulamur præsentia & adjuvamur clementia, pro eorum amplectibili memoria, hujus festivitatis nitimur attollere præconia. Verumtamen ad omnipotentem Deum & Dominum reflectenda est laus ipsorum, ac omnis relatio gratiarum, qui illos tantis adornavit meritis, ut in præsenti sæculo innumerabilibus rutilent miraculis, & in cœlesti dignitate prævia glorientur felicitatis æternæ. Ita quidem superum majestas suorum fidelium ordinavit coronas, quatenus ipsi sicut Deo & regi perpes maneat laus & jubilatio, & sanctis adsit gloria & exaltatio. Quod sibi Deus Christus & homo tunc exhibuit liquido, cum mortis ac resurrectionis celebrato mirabili divinitus Sacramento, sacrosanctam majestati suæ conjunxit Ecclesiam repræsentans Deo patri in cœlis ovem perditam, quam diabolica seductio tenebat in terris suæ perditioni addictam. Unde lætatur cœlestis Paradisi curia, quia refulget patriarcharum fide, decoratur prophetarum laudabili societate. Ibi plane residet gloriosus Apostolorum chorus, sui regis fruens obtutibus, judicaturus omne hominum genus, ac in æternum cum Deo ineffabiliter regnaturus. ibi innumerabilis martyrum caterva sui certaminis recipit emolumenta, possidens immarcescibilem gloriam & jocundissimæ sua-
371 vitatis palmam. Illic felix confessorum sanctimonia & innumerabilis sacerdotum turba suo Redemptori salutaria veraciter immolat holocautomata & fœcundissimæ quietis perfruitur gloria. Ibi virginum felix exercitus sequitur agnum, exultat in ævum, videns regem regum, ac Deum Deorum in specula suorum fidelium. Quod si adhuc in ærumnis ejus sæculi partim videtur sancta Mater ecclesia peregrinari, nunquam tamen supernis penitus de-

D stituitur auxiliis: quia, ut legimus in psalmorum canticis, Redimet Dominus animas servorum suorum, & non derelinquet omnes, qui sperant in eo. Et in evangelio ipse salvator suis promisit discipulis, imo credentibus in se universis: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quapropter credentes tanto promissori nos peccatores & indigni, qui adhuc illidimur fluctibus mundanæ tempestatis, tibi, incommutabilis veritas, laudes referimus & gratias, qui infestantium tela hostium, probationes præstas tuorum esse fidelium. Quin insuper Domino tales eis rependit pro labore mercedes, ut invicti permaneant, & gloriam sine fine percipiant. Unde dolet gemens ille antiquus serpens, quia videt Christi præliatores invictos perennes possidere triumphos: at-
E que compendio immortalitatis ditatos supernæ beatitudinis heredes esse æternæ. Quorum candidissimo exercitui admixti sunt isti seniores nostri hic corpore quiescentes, illic cum Christo feliciter regnantes, gloriosus videlicet martyr *Quintinus* athleta superni regis invictissimus, prædicator hujus patriæ constantissimus noster, quia consolator clementissimus. Secundus vero est *Victoricus* in læva ejus decenter tumulatus. Tertius dextera præfati martyris venerabiliter collocatus, honorabili nomine dicitur *Cassianus*. Quorum quia in parte dissimilis est ratio, hujus sermunculi enarratio separatim distinguenda est necessario. Etenim quæ diverso modo aguntur, diversa narratione merito discernuntur. Horum igitur memoranda passio, & nimium amplectenda denotatio, quanquam pene omnibus
F sit cognita, præsenti tamen opusculo non est omittenda: quin potius pro quorumlibet memoria plenius exhilaranda, paucis replicanda est historia. Nam decem persecutiones à *Nerone* usque ad *Maximianum*, Christi perpessa est ecclesia. Illo igitur tempore persecutionis decimæ, cum *Diocletianus* & *Maximianus*, crudeles belluæ, Imperatoriam dignitatem viderentur regere, dæmoniaco spiritu repleti ac omni ferocitate debacchati famulos Christi toto orbe 372
graviter jusserunt persequi & ad mortem usque torqueri:

qua de re missis exactoribus suæ crudelitati atrociter parentibus, plebs Christianorum tanta impietate trucidatur, totque martyres hac persecutione perimuntur, ut infra unius mensis spatium occisi legantur decem & septem millia martyrum. Quorum corpora martyrii munere in terris sunt glorificata, animas vero Christus accepit in astris, ubi jocundissimis Paradisi perfruuntur gaudiis. Ipsi etiam Cæsares nefandissimi in partibus *Galliarum* quendam lictorem *Rictiovarum* suæ crudelitatis constituerant ministrum. Hoc etenim tempore *Roma* duodecim fideles venere, typico indicantes numero, quod in sanctam Trinitatem crederent, & *Galliarum* populis evangelium Christi prædicare deliberarunt: quorum vocabula singulorum narrat historia, quæ gloriosæ indolis viros *Quintinum*, *Lucianum*, *Crispinum*, *Crispinianum*, *Fuscianum*, *Victoricum*, *Rufinum*, *Valerium*, *Marcellum*, *Eugenium*, *Piatonem*, *Regulum*, pariter advenisse declarat. Fertur etiam à plerisque S. *Dionysius Areopagita* cum eisdem advenisse: sed temporum series refellit, nec ratio veritatis credi sinit. Hic denique Confessor Domini pretiosus *Domitiani* temporibus martyrii palmam est adeptus: isti vero temporibus *Diocletiani* & *Maximiani Gallias* sunt ingressi, & Christi magnalia prædicare exorsi. Quorum tempora juxta chronicarum fidem supputata ducentis decem annis distare probantur. Præfati itaque duodecim viri, utriusque legis voluminibus instructi & armis fidei roborati cum intra *Gallias* pervenissent, loca & civitates sibi delegerunt, in quibus Evangelium Christi prædicarent, ut credentes in Christum, mortem evaderent & vitam cœlestem percipere possent. Sanctus denique *Quintinus Ambianis* civitatem obtinuit. Beatus vero *Lucianus Belvacum* adiit. *Fuscianus* quippe & *Victoricus* martyres gemino caritatis flore vernantes *Tartonnam* penetrarunt, ac verbum vitæ inibi annunciaverunt. Magnis plane prædicationibus sancti testes Domini effloruerunt & multis miraculorum coruscationibus enituerunt; dum cœcis lumen negatum reddiderunt, surdis auditum attribuerunt, cunctisque debilibus sanitatem restituerunt. Talibus igitur rebus, tanque præpollentissimis actibus jugiter instantes, plurimos à cultura Idolorum subtraxerunt, & baptismo candidatos, velut agnos sanctæ Matri præsentandos, Deo patri fideliter sociaverunt. Quod audiens
373 *Rictiovarus* præses scelestissimus, quo non alius crudelior ullus *Ambianis* urbem advenit; ibique sanctum *Quintinum* turbis, Christi magnalia prædicantem, invehit. Quem corripiens variis tormentorum suppliciis afflixit: sed Christi miles patientissimus, inter omnia suppliciorum genera fide mansit invictissimus. Jubente tandem impio præside, & ut fidenter audeam dicere, Dei omnipotentis misericordia disponente, ab eadem *Ambianensium* civitate à ministris eductus, ubi primum blanditiis pluribus ab ipso lictore frustra persuasus, deinde minis asperrimis est pulsatus. Tandem ferreis duodecim taringis crudeliter perfossus, ad ultimum mucronis acumine percussus, vertice est plexus: cujus anima ad Cœlos evecta, & ineffabiliter coronata est. Corpus quoque sanctum per annos quinquaginta quinque in fluctibus *Somenæ* supplumbatum, Deo custodiente, mansit incorruptum. Post tamen à quadam nobili matrona, nomine *Eusebia*, inventum, sepulturæ decenter traditur, ibique per trecentos & viginti quinque circiter annos mirabiliter occulitur. Deinde ab *Eligio* magno cum studio quæsitum, insigniter invenitur ac evidenter populo declaratur, atque ab ipso præsule alibi tumulatus. Hinc anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo vigesimo quinto ab *Hugone* monastico Abbate, & à *Drogone*, *Metensium* videlicet Pontifice, ab illo loco iterum elevatur, aromatumque liquoribus gratanter perfunditur. Dedicata quidem episcopali benedictione basilica, à *Fulrado* memorabili Abbate honorabiliter constructa, Christi martyris *Quintini* membra in honorabili crypta tertio tumulantur. ibique multis diebus per miraculorum insignia cœlitus glorificantur. Prælibatus etiam Domini Confessor *Cassianus*, Pontifex *Ægypti*, extitit venerandus, multis virtutum generibus clarus, omnique bonitate refertus. Qui adeptus summa evangelii præcepta, Christi annuente gratia, relictis opibus & patria, post plura terrarum, marisque discrimina, ut felix Domini peregrinus, cum paucis comitibus urbem *Augustodunensium* est aggressus: in qua honorabiliter à *Simplicio*, tunc temporis episcopo, est susceptus, & unius anni spatio cum ipso variis prædicationibus digne occupatus, ac divinis laudibus die noctuque mancipatus. *Simplicio* autem in cœlesti regno feliciter coronato, uno quidem anno transacto, supplicantis populi vocibus admodum coactus & evictus beatus iterum *Cassianus* ad pontificale solium Dei ordinatione subrogatus est: non quippe ambitionis caussa, quasi id quæsiisset prædigni sacerdotis anima: sed quod prædestinatio sem-
374 per inconvulsa taliter de eo fieri ante tempora ordinasset sæcularia. Quem prorsus & in gestis illius aperte legimus, & sine dubio credimus, ita dilexit Christus Dominus, ut per eum signa fierent non minus, quam per Apostolos. Reddebat enim, auctore Deo, suis venerabilibus meritis, cæcis lumen, surdis auditum, debilibus optabilem sanitatem. Talibus itaque ditatus meritis, fungens sacerdotali officio viginti annos, allectus est in æternitatis palatio, locupletandus jocundissimæ immortalitatis bravio. Glorificatur deinde & mirabili dono virtutum & signato cœlitus ejus mausoleo Dominicæ Crucis adorabili signo. Cujus sacrosanctum corpus pro miraculorum lau-
A dibus & famosissimæ opinionis virtutificationibus, à quodam monastico Abbate, scilicet præscripto *Hugone*, suppliciter exposcitur, ac prudenter impetratur. Allatum est ergo corpus tanti Confessoris in basilicam beati martyris *Quintini* publicatam præfulgidis virtutum prodigiis anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo secundo, regni quidem *Ludovici* Imperatoris Augusti vigesimo octavo. Hæc libuit breviter paucissima dicere, fratres, nubibus ut sparsis ad caussam festivitatis succincti istius, dicturi quid veniamus. Cum igitur superni Regis justitia pro nostrorum peccaminum negligentia nos castigari vellet, feroci paganorum sævitia, inclyti testis *Quintini* monumenta & pretiosi confessoris *Cassiani* membra à propriis sunt tumulis elevata, & ad *Lauduni Clavati* mœnia, prout timor cogebat, noctu delata. Proh scelus. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem & lugeam, non tantum ruinas, civitatis
B excidium, sed totius terræ flagellum!

Heu cogor scriptis depromere rem veritatis christianorum, invalescente noxa paganorum, nequiter frendente audacia, multa sanctorum corpora à sepulcris ejiciuntur, ecclesiæ innumerabiles inconduntur, utriusque sexus homines passim jugulantur, omnis justitia graviter conculcatur, lex & veritas nimium advigilantur, bestiarum incursu multi lacerantur, famis inopia plurimi moriuntur. re etenim vera, ut sanctus loquitur Psalmista, venerunt gentes in hereditatem Dei, polluerunt templa sanctorum; posuerunt omne regnum in desolationis opprobrium. Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es, quia commovisti terram & conturbasti eam. Sed cujus miserationes opera superexcellunt omnia, nolens mortem peccatorum, ali-
quantisper tantæ severitatis temperavit flagellum. Hic au- 375
tem, ut lucidior sit sermonis sensus & intelligatur manifestius, de annali chronica inserenda sunt pauca. Et quo-
C niam bis eorundem sanctorum corpora cum mœrore ad *Laudunum* sunt devecta, & bis ad nos cum honore relata, libet apertius prodere & fugæ caussam, & reversionis eventum. Anno siquidem octingentesimo primo à Dominica Incarnatione Kal. Januarii, *Normannorum* metu cogente, á bustis prius emota suis, ad præfatum montem primum delata sunt. Nam priori anno, in *Carlopoli* Compendio Karolides *Ludovicus* nimia infirmitate gravatus, in Parasceve die spiritum exhalavit vitæ. Quapropter ejus filii, alter *Ludovicus*, alter *Karlomannus* dicti, reges sunt constituti. Eodem quoque anno multa paganorum multitudo à transmarinis veniens partibus, *Gandum* monasterium occupaverat, & cuncta in circuitu crudeliter vastaverat. Ipso etiam anno rex Transrhenanus *Ludovicus Franciam* venit, partemque regni *Lotharici* a suis nepotibus extorsit, & bellum contra *Normanos* in Fisco Fumon exercuit, magnam quippe cædem eis intulit: Deo faven-
D te, victor extitit, perditoque filio tristis ad propria remeavit. Tandem vero nostri *Ludovicus*, & *Karlomannus Ambianis* adierunt, ibique principum consilio regnum certis limitibus inter se diviserunt. Hinc *Burgundiam* una petierunt, ac *Bosonem* à regia dignitate depresserunt, & uno ibi pene anno manserunt. Interim pagani *Curtrajum* invadentes, & *Franciam* sine rege & principibus vacuam reperientes, usque *Peronam Scotorum* venerunt, eamque igni succenderunt. Quod audiens juvenis rex *Ludovicus*, animi dolore permotus, fratrem in *Burgundia* reliquit, & in *Franciam* remeavit. At pagani successibus sibi prosperis acriores effecti, nullum sibi resistere posse confisi, cum exercitu impio & horribili de *Curtrajo* sunt egressi, & per quadraginta seu amplius millia diffusi, usque ad internecionem universa sunt depopulati. Quod cum præfatus rex pro certo comperisset, vallatus *Francorum* multitudine,
E suffultus Dei solamine, super eos venit insperate. Tantam denique eorum multitudinem dicitur peremisse in villa Saulcurta, quantam in *Francia* alias nunquam credimus cecidisse. Qua de caussa & illi, qui evaserunt, & aliqui, qui *Curtrajo* remanserunt, terrore nimio perculsi fugerunt, & *Batuam* petentes cuncta circa *Mosam* loca atrociter vastaverunt. Anno autem sequenti corpora sanctorum *Quintini* & *Cassiani* Kal. Februarii, à *Lauduno* descendentia,
cum ingenti populorum caterva, & laudum hymnorumque 376
melodia, in die Purificationis S. *Mariæ* in propriam relata sunt basilicam. Ipso siquidem tempore cum præfatus rex *Andegavis* disponeret ire, pactumque cum *Alstenio* facere, in infirmitatem decidit, indeque ad sanctum *Dionysium* rediit, ibique, proh dolor! spiritum vitæ exhalavit. Post cujus obitum *Franci* regem constituerunt *Karlomannum*, quod ut pagani audierunt, *Scaldim* navibus introierunt. Quapropter prædictorum corpora sanctorum secundo ad
F montem *Laudunum* delata sunt. Postea *Normanni* ad hunc locum pervenientes, plures gladio interfecerunt, multos etiam captivos duxerunt, sicque est ecclesia B. Martyris *Quintini* crudeliter incensa, quæ habebat à perfectione sui annos quinquaginta novem. Ita pene omni loco devorato, pagani huc & illuc progredientes, ad alia sunt profecti. Exinde variis casibus afflictis undique omnibus, Christo favente, anno quinto Dominus Comes, & Abbas Teutricus prudenti consilio usi, muros istius loci cœperunt ædificare duodecimo Kal. Maji: quos acutissimo freti ingenio, prout necessitas cogebat, fecerunt accrescere cito, unde pretiosa sanctorum corpora, *Quintini* videlicet & *Cassiani*, innumera stipata caterva, tertio Kal. Novembris ad propria sunt iterum relata & intra muros suc-

censæ

censæ domus locata. Nunc vero ad beati *Victorici* martyris jura veniamus, ut juxta rationes temporum procedat sententia verborum. Præfatus igitur martyr Christi *Victoricus*, comes Senioris nostri dilectissimus, *Taroanensi* populo una cum beatissimo prædicavit *Fusciano*, qui præconiis plures Christo sanxere vacantes, optatum infirmis robur cedendo catervis. Cumque à *Mureginensium* partibus rediissent, atque Dei cuperent *Quintino* munia fari, vinclis præfecti nectuntur *Rictiovari*. Denique multis addicti pœnis, oculorum luce privati: verticibus sectis palmam meruere triumphi. Quorum corpora cum B. *Gentiani* carpento sepulta per multorum curricula temporum *Ambianensis* servavit patria, (2) donec, disponente Deo, à quodam memorabilis vitæ, pridem ejusdem loci canonico, tunc autem *Ambianensis* ecclesiæ episcopo, nomine *Itgero*, sollicite quæsita & sagaciter sunt inventa. Is ergo episcopus pro amore divino ac suæ benignæ devotionis studio membra prædicti martyris *Victorici* huc cum magno honore devexit, & juxta gloriosi testis Christi *Quintini* pignora collocavit, anno quippe à Dominica Incarnatione octin-
377 gentesimo nonagesimo tertio, III. Kal. Novemb. & transacto decem annorum spatio, postquam est à paganis succensa B. *Quintini* ecclesia, regni quidem *Odonis* regis quinto, & à murorum constructione anno septimo. Cum vero Dei clementia nostri voluisset misereri, ac sui solaminis suffragia largiri, incendiorum sedavit discrimina, paganorum depressit sævitiam, pacem & concordiam tribuit; fructum etiam terræ abundanter contulit: quocirca à fidelibus ejus loci tractatum est salubriter quatenus eorundem corpora sanctorum suis in Mausoleis reponerentur decenter. Adveniens nanque venerabilis Antistes *Noviomensis* ecclesiæ, *Raubertus* nomine, prudenti fretus simplicitate; ac simplici decoratus mansuetudine, cum ceteris fratribus inibi Deo famulantibus; sæpedictorum corpora trium sanctorum suis in cryptis hodierna die tumulaverunt. Cum hæc autem agerentur & litaniæ à choro canerentur, & Dei suffragia obnixe poscerentur, in præcipui tumulo *Quintini* martyris globus lucis cœlitus affuit mirabilis, instar videlicet radii solaris, eundem lumine fulgido perlustrans loculum tertio. Quin plane nec lucidus aer erat die, nec sol in æthere luxit aperte, quia tegebatur nubium velamine, ut signo venit, sic signo nempe recessit. His ita explosis præscriptus Antistes & devotus & hilaris pro ipsorum commemoratione sanctorum, missæ decenter solemnia celebravit, & cunctorum Creatori supplex obtulit holocausta: inter quæ omnium consultu statuit ac pontificali auctoritate firmavit, ut dies ista pro sanctæ Trinitatis laude, & ipsorum venerabili amore sanctorum quotannis festiva habeatur & solemnis ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

N O T A E.

1. *Hunc sermonem ex Actis passionis B. Quintini edidit Hemeraus in regesto pag.* 18.

2. *In Passionario ecclesiæ sancti Quintini sic legitur:* donec *Otgerus* beatæ memoriæ Pontifex *Ambianensium* feliciter clareret in infulis, qui ab ecclesia *Viromundensi* assumptus, & pro sui merito *Ambianensi* desponsatus, cujus primo lacte dulciter fuerat lactatus, ut talem decuit filium, semper permansit memorosus, sollicite &c.

378

VI.

OFFICIUM SANCTI CASSIANI EPISCOPI ET CONFESSORIS

VII. Idus Augusti.

Ex veteri Breviario ecclesiæ sancti Quintini.

AD VESPERAS ET LAUDES

Antiphonæ.

Summo parenti Cassianus inclytus primos dicavit flosculos pueritiæ.

Zenon honestis expolivit artibus, quem fecit atrox Julianus martyrem.

Æterna movit hunc magistri gloria, fudisse causa sanguinem ut vellet pati.

Tales arenas dum focis quærit procul, ad præsulatus evocatur infulas.

Labra explicare cœlicam scientiam, stillare myrrham præsulis sacra manus.

Ad Magnificat, Antiphona. *Reliquias venerata tuas Augusta juvetur, auspice te, placitaque Deo sic pace quiescat.*

Oratio.

Deus, qui beatum Cassianum Pontificem sanctorum tuorum meritis coæquasti, concede propitius, ut qui depositionis festa recolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum &c.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona. *Sede ordinata, Cassianus, spiritu afflante Cœlis, Gallicas oras petit.*

Hunc Eduënsis advenam domo excipit, amplæque præstes messi in partem vocat.

Æstum diei torridæ & pondus ferens, sudavit illis impiger messor plagis.

379 ℟. i. *Cassianus prosapia apud Alexandriam nobilis, ab infantia quærit gratiam * sanctorum mores, studia discens & scientiam.* ℣. *Sed dum summa prudentia Mundi fugit gloriam,* Ortensem *à plebe pia rapitur ad ecclesiam * sanctorum mores &c.*

℟. ii. *Sic Pastore carentibus creatus custos populis * gregem doctrina, moribus informat & miraculis.* ℣. *Divinis vacans laudibus, pauperum sua pabulis donans bona, fidelibus succurrens & incredulis. * gregem &c.*

℟. iii. *Zenonis colens sæpius magistri memoriam, optat sibi ferventius martyrii gloriam, quam quærit celerius * profectus in Galliam.* ℣. *Suam ergo Pastor dum formavit ecclesiam, Christo, quod credit gratius, corpus affert in hostiam. Profectus &c. Gloria Patri &c. Profectus &c.*

IN II. NOCTURNO.

Antiphona. *Illati Olympo simplici throno sedens auget labores, jam suas glebas colent.*

Antiphona. ii. *Si culmus aret, stravit, aut adversitas, irrorat undis, sustinetque languidum.*

Agrumque lappis sarriens tenacibus, ador recondit optimi horreo patris.

Lectio iv.

Beatus Cassianus Alexandria *in* Ægypto, *nobili prosapiæ oriundus, adhuc puer se totum Christo consecravit: qui à sancto* Zenone *episcopo cœlestibus instructus disciplinis, licet persecutionem* Julianus *Augustus vehementem commovisset, didicit nihilominus Deum toto corde diligere, sanctorum martyrum loca, memoriasque venerari, & parato etiam ad martyrium animo, omnibus christianæ pietatis officiis constanter insistere. Hæc inter trucidatus est pro Christi nomine* Cassiani *magister* Zenon. *Cum autem Dei providentia militum acclamatione* Jovianus *electus successor* Juliani, *vir christianissimus, liberum religionis exercitium tandem ecclesiæ reddidisset, populus urbis* Ortensis, *episcopo carens, præsente etiam Imperatore,* Cassianum *sibi episcopum præesse postulavit. Quod cum sanctus vir humiliter abnueret, accedente tandem Imperatoris assensu, strepituque populari urgente, ab alio* Cassiano *episcopo Pontifex consecratur civitatis* Ortensis.

℟. *Lustrans terras Ethnicorum, ubique Christum prædicat *
Dum ad urbem* Æduorum, *Deo ducente applicat.* ℣. *Peregri-* 380
*nus hic piorum cor adventu lætificat, præsul consors beatorum
præsulem sic magnificat. Dum ad urbem &c.*

Lectio v.

Assumptus est ad episcopale munus, ea in civitate construxit ecclesiam, quam clericorum officiis distinctam, rebusque necessariis ditatam sub B. Laurentii *nomine dedicavit. Coluitque eo in munere pietatis opera studiosius & prædicationibus assiduis populum ad fidem, & religionis observantiam instituit. Cum vero beatus Pontifex magistri sui* Zenonis *exemplum imitari impulsu divino desiderans, martyrii causam locis illis nullam sibi futuram cognosceret, alibi quærendam existimavit. Itaque cum præsertim esset illi divinitus revelatum, ut in* Gallias *proficisceretur, ordinata cum coëpiscopis suis civitate, assumptis etiam secum aliquot discipulis, collacrymanti ad discessum ejus clero & populo impertitus benedictionem, & viam ingressus, Christumque quacunque incederet annuntians, tandem præeunte Domino,* Augustodunum *pervenit.*

℟. *Gaudet sibi* Simplicius *datum cœlitus hospitem, quem assumit alacrius * sacri laboris comitem.* ℣. *Gaudet præsul* Ortensius, *se nactum Christi militem, gaudet se factum citius * sacri laboris &c.*

Lectio vi.

Quod ubi rescivit Simplicius, *sanctissimus illius urbis tunc Pontifex, eum lætus & amplexibus christianis, & humanissimo hospitio excepit: quo usus aliquandiu* Cassianus, *cum Simplicio in confutandis Gentilium erroribus, christianique nominis propagatione, cum amplissimo fructu collaboravit. Cum autem eodem martyrii desiderio in* Brittanniam, *Gentili errore*

adhuc excæcatam, vellet proficisci, neque tamen id permitteret Simplicius *episcopus, apud eundem triennium egit: quo expleto, ubi sanctus* Æduorum *Pontifex octavo Kalendas Julias diem clausisset, successor eidem* Cassianus *ab omni populo, uno ore & consensu constituitur. Itaque ad episcopale solium* Augustodunensium *electus, istud annis viginti sanctissime gubernavit, cum peregrinationis suæ tempus emensus, in Cœlum feliciter migravit. Cujus corpus miraculorum multitudine celebratum, post*
381 *plures annos* Augustoduno *translatum Augustam* Viromanduorum, *in beati* Quintini *martyris basilica sepultum requiescit.*

℟. *Præsul hospes honoratus præsulis hospitio * præsulem episcopatus juvat in officio.* ℣. *Tribus annis hic moratus, cœlesti consilio, ibi vacans, vir beatus, verbi ministerio * præsulem episcopatus &c. Gloria Patri &c. Præsulem &c.*

IN III. NOCTURNO.

Antiphona. *Vitæ stupendis sanctitas miraculis orbi probata christiano inclaruit.*

His Hugo *motus Abbas magnificus, suam ditavit ædem* Cassiani *lipsanis.*

A

Sacræque cryptæ fornice obtexit; dein clausere thensa ditiore posteri.

B

℟. vii. *Dum designat* Britannorum *inferre sese finibus, quos sciebat Idolorum vanis addictos ritibus,* Simplicius *in cœlorum * collocatur sedibus.* ℣. *Coadjutor populorum postulatus vocibus Pontifex, in* Æduorum *collocatur sedibus.*

℟. viii. *Sic ad honorem præsulis rursum evectus promicat, duabus sacer infulis labores tunc multiplicat * pluribusque miraculis novum gregem ædificat.* ℣. *Christianorum singulis verbo & factis indicat, mentes errorum maculis sanctitate purificat * pluribusque &c.*

AD VESPERAS.

Antiphona *de Laudibus.*

Ad Magnificat, Antiphona. Ædua *quem peregrè excepit,* Viromandua *nunc urbs, suscipienda sibi continet ossa patris, hospitis illa sui sæpe est experta juvamen, hæc ita patroni sentiat auxilium.*

Oratio. *Deus, qui beatum &c.* ut supra.

382

VII.

MISSA

SANCTI CASSIANI

Ex veteri Missali ecclesiæ Heduensis.

Die v. Augusti. Missa, *Statuit*, &c.

PROSA.

Psalle symphonizando Christo regi sidereo, qui sanctis rutilas tribuit per sæcla coronas.

Inter quos Cassianum *Confessorem præcipuum ditavit super astra poli splendore perenni.*

Hic tenebrosi culmina regni lumine Christi tempsit herilis.

Nam redimitus stigmate sacro, virtutibus almis floruit iisdem.

Hortensem *populum, præsule cassum, poscentem variis vocibus ipsum, summum quod regeret pontificatum, rexit celsi throni jura secundum.*

Postquam Sedi pontificali inhæreret, astitit illi per visum martyr Laurentius *orbe colendus, hortans illum, ut sibi templum*

C

consecraret: quem præparata jam cœli certo cognoverat arte locandum.

Confestim paruit monitis per cuncta serenis.

Extorris fieri demum cœpit meditari, hic populari voce gemente lætus Ægypti *rura reliquit.*

Ad Eduorum *post iter arctum, postque laborem, venit ad urbem: in qua* Simplicio *præsule functo, bisdenis viguit inclytus annis, cuius albicolor petra sepulcri ostendit libari chrom.a rubentis.*

Idemque sanctus cæspite tectus cum Germano *viro beato est verbis usus mirabilis vir memoratus.*

Per quem nobis Christi benignum semper cunctis subsidium fer. Qui solus regnas per sæcula cuncta gubernas. Amen.

383

VIII.

VITA

SANCTI CASSIANI

Ex Breviario Augustodunensi anni MDL.

Sanctus ac beatissimus *Cassianus* episcopus, vir genere *Ægyptius* fuit, ac apud *Alexandriæ* urbem laudabili familia ortus. quod & locupletio rerum exuberans, & generis dignitas fecit. Hic denique pueriles annos apud parentes gerens & bonæ indolis esse incipiens ætatulam suam Christo consecravit, seque voluntatibus divinis, licet ætate adhuc tenera, totum subjecit. Divina igitur provisione factum est, ut tam devotum puerulum nonnisi ecclesiastica sacerdotalisque erudiret disciplina. Sanctus enim eum *Zenon* episcopus & martyr ad se suscipiens, venerabiliter enutrivit cœlestibusque disciplinis instruxit. Temporibus ergo *Juliani* impiissimi Imperatoris persecutionibus acerrimis agitabatur ecclesia in tantum, ut multo sanctorum martyrum sanguine fuso, etiam ecclesiæ *Ægypti* claudi obstruique fuerint jussæ. Interea *Zenon* episcopus præceptor beatissimi *Cassiani* ob fidem D. N. Jesu Christi martyrio est coronatus. Mortuo dehinc *Juliano* impiissimo Augusto, divinaque tanto blasphemo interempto virtute, *Jovianus* vir christianissimus electione Dei, *Romanorum*que militum acclamatione in Imperium extitit subrogatus. Hujus ergo temporibus ecclesiæ olim clausæ, apertæ sunt. Præsente itaque Imperatore, populus urbis Hortensis, qui Pastore indigebat, *Cassianum* Pontificem acclamavit. Quo ordinato & consecrato, sicut ei gratia sacerdotalis accesserat, accesserunt pariter & virtutum augmenta. Tandem B. *Zenonis* episcopi & martyris, cujus alumnus & discipulus fuerat, recordatus est & ejus vestigia sequi desiderans, dolebat sibi deesse martyrium. Dum itaque huic meditationi frequenter insisteret & in longin-

D

quas partes amore martyrii peregrinari disponeret, revelatum est ei, auctore Deo, oportere eum in *Gallias* pergere, ibique prædicationibus Domini insistere. Beatissimus vero Christi Confessor *Cassianus* ordinatione divina jussus inde transire, *Eduorum* urbem adivit, ubi cum ad
oratorium sancti *Symphoriani* divertisset, audiens de eo san- 384
ctus *Simplicius*, tunc illius urbis episcopus, venerabiliter eum accepit, & in *Britanniam* proficisci disponentem, assiduis precibus retinere curavit. Post triennium autem ab hac luce decedente B. *Simplicio*, à populo *Eduorum Cassianus*, licet humiliter contradicens, in episcopum subrogatur. Ibique multis virtutum generibus præclarus, annis viginti *Eduensem* rexit ecclesiam, & tunc de præsenti vita ad cœlum gloriose migravit. Postquam igitur ad cœlestis præmia regni beatus *Cassianus* vocatus fuisset, contigit *Germanum Autissiodorensem* episcopum, dum *Romam* pergeret, per *Augustodunensem* civitatem iter habuisse. Qui, cum ad sepulcrum beati *Cassiani* oraret, beatum *Cassianum* alloquutus est, dicens. Quid gloriose frater *Cassiane* agis? Respondit beatus *Cassianus* vivens in Christo, loquens de tumulo: dulci pace & quiete potior & adventum Redemptoris expecto. Qui *Germanus* mutua sermonis vice dixisse perhibetur: quiesce ergo in pace, frater, &, ut divinæ tubæ cantus exoptati clangoris somnum ad sacra Resurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis & pro hac plebe attentius intercede apud communem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat.

E

IX.
VITA
SANCTI CASSIANI
Ex Breviario Augustodunensi anni MDCC. *die* v. *Augusti.*

CAſſianus, patria *Ægyptius*, poſt obitum ſancti *Rethicii Eduenſis* epiſcopi in ejus locum ſubrogatus eſt. Hujus ſepulcrum in cœmeterio *Auguſtodunenſi* à multis infirmis eraſum & pene transforatum vidiſſe ſe teſtatur ſanctus *Gregorius Turonenſis*, & ægrotos, qui hoc abluebantur pulvere, virtutis magnitudinem protinus experiri. Ad idem ſepulcrum ſanctus *Germanus Autiſſiodorenſis* dum A in *Italiam* pergeret, ſupplex acceſſiſſe refertur, & poſt fuſas Chriſto preces, cum ſancto *Caſſiano*, tanquam, ſi vivus adhuc fuiſſet, colloquutus. Ejus in martyrologio Romano ac apud *Bedam*, *Uſuardum* & *Adonem* honorifica fit mentio, ejuſque nomini eccleſia parochialis in vico *Saviniaco* prope *Beluam* dicata eſt.

385

X.
EPISTOLA
GREGORII III.
AD. EPISCOPOS. TUSCIÆ. LANGOBARDORUM
Ex codice Vaticano 3833.

Gregorius omnibus epiſcopis in Tuſcia Langobardorum.

Pag. 278. An. 741. *MEminit fraterna ſanctitas veſtra, tempore ordinationis ſuæ per chirographum & Sacramenti vinculum beato* Petro *Principi Apoſtolorum ſpopondiſſe, ut in emergentibus ſanctæ ejus eccleſiæ totis viribus elaboretis. Igitur quia præſentes viros* Anaſtaſium *dilectum filium noſtrum presbyterum, &* Adeodatum *Regionarium ſubdiaconum noſtros fideles ad obſecrandum & Deo favente obtinendum, pro quatuor caſtris, quæ anno præterito beato* Petro *ablata ſunt, ut reſtituantur à filiis noſtris* Luitprando *&* Hilprando *ſupplicare deſtinavimus; ecce, dilectiſſimi fratres, tempus acceptabile, ut juxta chirographum* B *veſtrum, boni operis fructum beato* Petro *feratis: cujus auctoritate vos hortamur in Domino, ut ad eoſdem cum prædictis filiis noſtris properetis, ut à Deo inſpirati protectoribus eorum beatis Principibus Apoſtolorum* Petro *&* Paulo *eadem caſtra reſtituantur. Nam ſi, quod non credimus, diſtuleritis iter arripere propter Deum, ego quanquam imbecillis ſim præ infirmitate corporis, iter arripiam laborioſum, & videbo ne veſtra negligentia vobis ad obligationem ex nodo pacti pertineat. Data Idus Octobris Indictione* IX.


386

XI.
DIPLOMA
CONRADI II. IMPERATORIS
Ex Regeſto MS. Cœnobii Farſenſis num. 707.

Pag. 289. An. 1027. *IN nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis.* Chuonradus *divina favente clementia* Romanorum *Imperator Auguſtus. Cum petitionibus ſervorum Dei juſtis ac rationabilibus divini cultus amore faverimus, ut his opportuna beneficia largiamur, præmium nobis æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Quocirca omnium ſanctæ Dei eccleſiæ, noſtrorumque fidelium, præſentium videlicet ac futurorum comperiat ſollertia, qualiter* Guido *venerabilis Abbas monaſterii ſanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis* Mariæ *in Comitatu* Sabinenſi, *conſtituti in loco, qui dicitur* Acutianus, *noſtram adiens præſentiam oſtendit nobis noſtrorum anteceſſorum Regum vel Imperatorum præcepta eidem monaſterio facta, atque ſupplicavit poſtulans, quatenus pro Dei amore, ſanctæque Genitricis Dei* Mariæ *eadem præcepta noſtra Imperiali ac præceptali authoritate confirmaremus. Nos vero ejus juſtis poſtulationibus aſſentientes confirmamus omnia dicto monaſterio, quidquid in ſuperioribus continetur præceptis, prout juſte & legaliter poſſumus: videlicet quidquid habere videtur in eodem territorio* Sabinenſi. *Item eccleſiam ſancti* Benedicti *cum omnibus pertinentiis ſuis & curtem ſancti* Gethulii *cum tota ſua integritate & cum ipſo caſtello de* Tributo *in integrum. Eccleſiam ſancti* Angeli *in* Tancia *cum gualdo, & omnibus ſuis pertinentiis: caſtellum de* Bucciniano *in integrum cum ipſa maſſa, quam piæ memoriæ* Benedictus *Papa in ipſo monaſterio contulit: & in prædicto comitatu terram de* Ortelle, *quam* Joannes *cum ſuis conſortibus in jam dicto monaſterio per cartulam deligavit. In Comitatu* Ortano *in capite ipſius civitatis eccleſiam ſancti* Theodori *cum omnibus ſuis pertinentiis. In comitatu* Viterbienſi *infra civitatem eccleſiam ſanctæ* Mariæ *cum omnibus ſuis pertinentiis. Cellam ſanctæ* Mariæ *juxta fluvium* Minionem *cum gualdo ſuo & omnibus ad eam pertinentibus. In comitatu* Spoletano *eccleſias ſancti* Marci *& ſancti* Salvatoris, *& ſancti* Viti *cum omnibus earum pertinentiis. Eccleſiam ſanctæ* Mariæ *in Mediano cum omnibus pertinentiis & integritatibus ſuis. Eccleſiam ſancti* Pauli *in ipſo comitatu. In comitatu* Aſſiſio *eccleſiam ſancti* Bartholomæi *& ſancti* Joannis. *In comitatu* Auximano *curtem de monte* Poliſco *cum omnibus ad eam pertinentibus. In comitatu* Senogallienſi *curtem de* Luxano. *In comitatu* Kamerino *curtem de* Sallambona *& de* Trevenano, *& ſancti* Abundii *& ſancti* Viti. *Et in caſtello* Petroſo *curtem ſanctæ* Antiæ. *Et de caſtello* Caballo *albo duas partes ſicuti* Octavianus *per cartulam in ipſo monaſterio dedit. In comitatu* Firmano *monaſterium ſanctæ* Mariæ *& ſanctæ* Victoriæ, *quod ſitum eſt in* Matenaro *monte. Et ſancti* Benedicti *atque ſanctæ* Mariæ *juxta fluvium*

387


C Clentis *cum rebus & caſtello, quod* Adam *filius* Harderadi *inibi contulit, & cum aliis rebus, quæ ab aliis fidelibus moderno tempore ibi conceſſæ ſunt. Et cum miniſterio de* Sparzano *& de* Valli *in integrum, nec non & curtem ſanctæ* Mariæ *in* Cupreſſeto *cum omnibus ad prædicta loca generaliter & in integro in jam dicto comitatu pertinentibus. In comitatu* Aſculano *curtem de* Soleſtano *& alias. In comitatu* Aprutienſi *curtem de* Sardinaria *& alias. In comitatu* Pinnenſi *curtem ſanctæ* Luciæ *& de monte* Pedico *cum rebus & pertinentiis ſuis. In comitatu* Teatino *monaſterium ſancti* Stephani, *quod ponitur in* Lucana *cum pertinentiis omnibus & adjacentiis ſuis. Et cum ipſo concambio, quod factum eſt cum* Attone *comite de ipſa* Phara *filiorum* Guarnerii *cum ſuis pertinentiis, &* Podio Hortonella *cum ſuis adjacentiis. Et eccleſiam ſancti* Clementis *cum rebus ſuis in comitatu* Pinnenſi, *ſicuti in cartula, quam prædictus comes fecit, continetur, pro portione jam dicti monaſterii de caſtello* Atiſſa, *unde ipſa commutatio facta eſt cum cunctis appendiciis ſuis.* D *In comitatu* Balbenſi *eccleſiam ſanctæ* Mariæ *in* Grajano *& ſanctæ* Mariæ *in* Sarzano *cum ſuis pertinentiis. In comitatu* Marſicano *curtem ſancti* Leucii *& curtem de* Tranſaquas *cum ſuis adjacentiis. Infra urbem* Romam *eccleſiam ſanctæ* Mariæ *& ſancti* Benedicti *cum cryptis & muris, & cum introitu & exitu illarum, & campo de* Agonis. *In civitate* Tyburtina *extra muros ipſius monaſterium ſancti* Adriani *cum omnibus ſuis pertinentiis. In finibus* Campaniæ *monaſterium ſancti* Laurentii *in* Macri. *In collina eccleſiam ſancti* Sebaſtiani. *In comitatu* 388
Reatino *monaſterium ſancti* Angeli *& eccleſiam ſancti* Jacobi *& ſancti* Georgii *cum diverſis aliis: & in* Puzalia *terram, quæ noviter acquiſita eſt. In* Amiterno *eccleſiam ſanctæ* Mariæ *in* Loriano *cum ſuis adjacentiis. In comitatu* Furconio *eccleſiam ſanctæ* Mariæ *de* Furfone *cum omnibus earum pertinentiis. Curtem de* Torrita *& de* Narnate *cum omnibus earum adjacentiis atque pertinentiis. Et in ſuper dicto comitatu* Balvenſi *eccleſiam ſancti* Peregrini, *in qua comes* Oderiſius *monaſterium conſtruxit.* E *Omniaque in integrum, quæ ad prædictum monaſterium pertinere videntur juxta & legaliter, aut ab aliis hominibus Dominum timentibus acquiſierit, aut ab his, qui modo de rebus eccleſiæ injuſte tenent. Et quæ in civitate* Romana, *aut in aliqua parte noſtri regni* Italici *habere videtur aut acquiſierit, per hoc noſtrum præceptum eidem ſancto loco confirmamus una cum terris, vineis, monaſteriis ei ſubjectis, eccleſiis, caſtellis, curtibus, domibus, villis, capellis, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, molendinis, mercatis, cultis, & incultis, colonis, aldiis, aldiabus, manentibus, omnibuſque reſidentibus, ſuper terram*



ram ipsius monasterii, servis, ancillis, omnique familia utriusque sexus, cunctisque animalibus, atque pro Dei amore, nostræque animæ salute, eidem monasterio ministrantibus. Per hoc nostrum præceptum perdonamus, ut nullus eorum, aut suorum hominum deinceps freda aut tributum donet, vel mansiones faciat invite, aut fidejussor sine suo velle existat: aut in aliquo donet portonaticum, aut ripaticum, vel herbaticum, aut glandaticum, vel portonaticum tam de monachis, quam de clericis, quamque de hominibus super terras eorum residentibus tam ingenuis, quam libellariis, quam & servis, ac eos sub nostra tuitione recepimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus dux, marchio, episcopus, comes, vicecomes, vel aliquis noster missus discurrens, Sculdassius, Gastaldius, nullaque nostri Imperii magna, parvaque persona prædicti monasterii Abbatem vel monachos, aut eorum aliquem fidelem inquietare, molestare, aut de his, quæ supra scripta sunt, sine legali judicio disvestire præsumat: aut aliquam minorationem facere repetat. Et quidquid de prædicti monasterii possessionibus fiscus noster sperare potuerit, totum nos pro æternæ remunerationis præmio prædicto monasterio
389 concedimus, ut in alimoniam pauperum & stipendio monachorum ibidem Domino famulantium nostris futurisque temporibus semper proficiat in augmentis. Insuper concedimus, ut nullus homo audeat respondere mallaturam advocato ejus. Et si aliquo

A tempore aliqua intentio contra ipsum monasterium exorta fuerit, non per viliores, sed per nobiliores & veraciores homines definiatur ex utraque parte. Siquis igitur hujus nostri confirmationis præcepti quandoque violator extiterit, procul dubio sciat, se compositurum auri purissimi libras mille, medietatem Cameræ nostræ & medietatem pro monasterio, ipsumque regentibus. Et ut hæc nostra Imperialis authoritas firmior habeatur ac diligentius observetur, manu propria signavimus & præsentem paginam sigilli nostri impressione inferius jussimus insigniri.

B



Signum Domini Chuonradi serenissimi Imperatoris Augusti.

Hugo Cancellarius vice Domini Haribonis Archicancellarii recognovit. Data v. Kal. Martii anno Dominicæ Incarnationis mill. XXVII. anno vero Domini Chuonradi regnantis III. Imperii primo. Actum Romæ feliciter.

390

XII.

DIPLOMA HENRICI. III. IMPERATORIS

Ex Regesto Farfensi num. 909.

Pag. 289. An. 1040. IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Cum petitionibus servorum Dei justis ac rationabilibus divini cultus amore faverimus, ut his opportuna beneficia largiamur, præmium æternæ remunerationis nobis rependi non diffidimus. Quocirca omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium videlicet ac futurorum comperiat solertia, qualiter Berardus venerabilis Abbas monasterii sanctæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ in comitatu Sabinensi, constructi in loco, qui dicitur Acutianus, nostram adiens præsentiam ostendit nobis nostrorum antecessorum Regum vel Imperatorum præcepta eidem monasterio facta, atque supplicavit postulans, quatenus pro Dei amore sanctæque Genitricis Dei Mariæ eadem præcepta nostra Imperiali ac præceptali authoritate confirmaremus. Nos vero ejus justis postulationibus assentientes confirmamus jam dicto monasterio quidquid in superioribus continetur præceptis, prout juste & legaliter possumus, videlicet quidquid habere videtur in eorum territorio Sabinensi, idest ecclesiam sancti Benedicti cum omnibus pertinentiis suis, & curte sancti Getulii in tota sua integritate, & cum ipso castello de Tributo in integrum, & Alveum Farfæ totum in integrum. Ecclesiam sancti Angeli in Tancia cum gualdo & omnibus suis pertinentiis. Castellum de Bucciniano & Roccam in integrum cum ipsa massa, quam piæ memoriæ Benedictus Papa in ipso monasterio contulit. Castrum Pharæ cum totis suis subjacentiis & pertinentiis: terram vero de Ortelle sicuti Joannes presbyter cum suis consortibus in prædicto monasterio per cartulam dedit. In civitate ORTANA ecclesiam sancti Theodori cum omnibus suis pertinentiis. Infra
391 castrum Viterbiense ecclesiam sanctæ Mariæ cum omnibus suis pertinentiis. In territorio Tuscano cellam sanctæ Mariæ, juxta fluvium Minionem cum gualdo, & cum ipso monte Gosberti seu & ripa Alvella, & marino portu. In comitatu Narniensi monasterium sancti Angeli in Massa cum tota sua integritate. Cellam sancti Antimi, & sanctæ Mariæ, & sancti Joannis cum eorum pertinentiis. In comitatu Perusino cellam sanctæ Mariæ in Diruta cum omni sua pertinentia. In eodem comitatu cellam sancti Apollinaris cum ecclesiis, castellis, villis, & omnia in omnibus, sicuti Hugo filius quondam Alberici in præfato monasterio pro redemptione animæ suæ dedit. In comitatu Assisio ecclesiam sancti Bartholomæi, & sancti Joannis in Sarzano cum earum pertinentiis. In comitatu Spoletano ecclesiam sancti Marci & sancti Salvatoris & sancti Pauli, & sancti Martini cum earum pertinentiis. Cellam sanctæ Mariæ in Mediano & ecclesiam sancti Antonini & sancti Fortunati cum earum integritatibus, & terram & vineam & omnia sicut Adam filius Rodulphi pro redemptione animæ suæ in prænotato monasterio per cartulam dedit, In comitatu Ausimano curtem de monte Polisco cum omnibus ad eam pertinentibus. In comitatu Senogalliensi curtem de Luzano. In comitatu Camerino curtem de Sallambona, & de Trevenano, & sancti Abundii & sancti Viti. Et in castello Petroso curtem sanctæ Antiæ, & de castello albo Caballo duas partes, sicuti Octavianus per cartam ipso monasterio dedit. In comitatu Firmano monasterium sanctæ Mariæ & sanctæ Victoriæ, quod positum est in Matenano monte cum castello, cellis, & villis, & curtem de Plotenano cum castello. Curtem de Cannutelo cum castello & ripula. Curtem de Ceresano sanctæ Mariæ in Casule cum castello de Ara antiqua, & castello de Tarriano, & portionem de Mosta, Castellum de Agnanello cum suis pertinentiis & Molina. Sanctam Mariam in Strata. Sanctam Mariam in Pantana. Sanctam Mariam in Clenti cum castello, ecclesiis, molendinis, & aquam deducere ubi necesse est, cum portione de Lumerano, & portione de Sala. Curtem sancti Martini cum medietate de colle Bonelli, & medietate de monte, & quartam partem ex alia, & portionem de Buta, & portionem de Rote, & portionem de Insula de Verano cum ecclesiis & ædificiis suis, cæterisque pertinentiis. In Troliano, terram & vineas cum littore maris & cum portu. Curtem de filiis Rolandi cum castello & ecclesiis. Curtem de Salusano. 392
Monasterium sancti Salvatoris in Cantalupo, & monasterium sancti Benedicti de Ripa cum omnibus eorum pertinentiis & subjacentiis. In comitatu Asculano juxta fluvium Asum monasterium sancti Salvatoris cum castello Faræ, Cymbrianum, Gallianum, & cum omnibus suis subjacentiis & pertinentiis. Castrum Ophida, Isclam, Beneventulum, sanctum Valentinum, montem Augusianum, Insulam Elisei, medietatem de Porcke, quintam partem de Ripa. Cosenanum, Asignanam, montem Cosi, Spinetulum, Ajulanum, Dullianum, Octavum. Post montem Colmari Podium, montem Prideni, montem Cretaceum, Sculculam, medietatem de foce de Tronto, Sexumpesilem. In comitatu Aprutiensi curtem de Sardinaria, & alias. In comitatu Pinnensi curtem sanctæ Luciæ, & de monte Pedito cum rebus & pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Clementis cum cunctis appendiciis suis. In comitatu Teatino monasterium sancti Stephani, quod ponitur in Lucana cum pertinentiis omnibus & adjacentiis suis, & Pharam filiorum Guarnerii, & podium Ortonelle, & sanctum Clementem, sicuti Atto Comes per concambium pro portione de Atissa per cartulam in prædicto monasterio dedit. In comitatu Balbensi ecclesiam sanctæ Mariæ in Crajano, & sanctæ Mariæ in Sarzano, & sanctæ Mariæ in Furfone cum omnibus earum pertinentiis, & adjacentiis suis. In comitatu Marsicano curtem sancti Leucii & curtem de Transaquas cum suis adjacentiis. Infra urbem Romam ecclesiam sanctæ Mariæ, sancti Salvatoris cum cryptis & muris, & cum introitu & exitu illarum, & campo de Agonis. In civitate Tiburtina monasterium sancti Adriani cum omnibus suis adjacentiis. In finibus Campaniæ monasterium sancti Laurentii in Macri. In collina ecclesiam sancti Sebastiani & sancti Andreæ cum earum pertinentiis. In comitatu Reatino monasterium sancti Angeli, ecclesiam sancti Jacobi & sancti Georgii cum diversis aliis, & in Puzalia terram, quæ noviter acquisita est. In Amiterno ecclesiam sanctæ Mariæ in Loriano cum suis adjacentiis, curtem de Torrita, & de Narnate cum omnibus earum adjacentiis atque pertinentiis. Et in supradicto comitatu Balbensi ecclesiam sancti Peregrini, in qua comes Oderisius monasterium construxit: omniaque in integrum, quæ ad prædictum monasterium pertinere videntur juste & legaliter, aut ab aliis hominibus Dominum timentibus acquisierit, aut ab his, qui modo de rebus ecclesiæ injuste tenent, & quæ in civitate Ro- 393
mana, aut in aliqua parte nostri regni Italici habere videtur aut acquisiverit, per hoc nostrum præceptum eidem sancto loco confirmamus una cum terris, vineis, monasteriis ei subjectis, ecclesiis, castellis, curtibus, domibus, villis, capellis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, mercatis, cultis vel incultis, colonis, aldiis, aldiabus, manentibus, omnibusque residentibus super terram ipsius monasterii, servis, ancillis, omnique familia utriusque sexus, cunctisque animalibus. Atque pro Dei amore, nostræque animæ salute eidem monasterio ministrantibus per hoc nostrum præceptum perdonamus, ut nullus eorum aut suorum hominum deinceps freda aut tributum donet, aut mansiones faciat invitus, aut fidejussor sine suo velle existat, aut in aliquo donet portonaticum aut ripaticum, aut glandiaticum, vel herbaticum, vel portonaticum tam de monachis, quam de clericis, quamque de hominibus super terras eorum residentibus tam ingenuis, quam libellariis, quam & servis, ac eos sub nostra

stra tuitione recipimus. Confirmamus etiam eidem monasterio privilegia Pontificum cum omnibus rebus sibi collatis. De teloneis vero mercatorum & portuum decimas ad portam monasterii dare jubemus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, vel aliquis noster missus discurrens, Sculdasius, Gastaldius, *nullaque nostri Imperii magna parvaque persona prædicti monasterii Abbatem vel monachos, aut eorum aliquem fidelem inquietare, molestare, aut de his, quæ supra scripta sunt sine legali judicio disvestire præsumat, aut aliquam minorationem facere temptet. Et quidquid de prædicti monasterii possessionibus fiscus noster sperare potuerit, totum nos pro æternæ remunerationis præmio prædicto monasterio concedimus, ut in alimoniam pauperum & stipendia monachorum ibidem Domino famulantium nostris futurisque temporibus semper proficiat in augmentis. Insuper concedimus, ut nullus homo audeat respondere mallaturam advocato ejus: & si aliquo tempore aliqua intentio contra id ipsum monasterium exorta fuerit, non per viliores, sed per nobiliores & veraciores homines definiatur ex utraque parte. Et quando quidem Abbas de hoc monasterio de hac luce migraverit, inter se ipsi monachi, quem digniorem invenerint, secundum regulam sancti* Benedicti, *sicut eorum ordo edocet, & rectum est, vel eis in unum consentientibus, quem unanimiter elegerint, licentiam ha-*
394 *beant eligendi Abbatem. Si quis igitur hujus nostræ confirmationis præcepti quandoque violator extiterit, procul dubio sciat se compositurum auri purissimi libras mille, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem pro monasterio, ipsumque regentibus. Et ut hæc nostra Imperialis authoritas firmior habeatur & diligentius observetur, manu propria roborantes præsentem paginam sigilli nostri impressione jussimus insigniri.*

Signum Domini Heinrici *III. Regis invictissimi secundi Romanorum Imperatoris Augusti.*

Obizo *Cancellarius vice* Herimanni *Archicancellarii recognovi.*

Datum XVI. *Kal. Octobris anno Dominicæ Incarnationis* ML. *indictione* III. *Anno autem Domini* Heinrici *III. ordinationis ejus* XVIII. *regnantis anno quidem* XII. *imperantis* IV.

Actum Goslariæ *in Dei nomine feliciter. Amen.*



395

XIII.

NOTITIA PUBLICA BERARDI ABBATIS FARFENSIS

Ex Regesto Farfensi num. 516.

Pag. 289. An. 1005. IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Temporibus Domini venerabilis viri *Johannis* summi Pontificis & universalis XVIII. Papæ in sacratissima Sede B. *Petri* Apostoli anno II. mensis Junii, indictione III. Dum resideret Dominus *Guinizo* inclitus comes in loco, qui dicitur collis HORTANUS ad legem & justitiam faciendam, tunc venit dominus *Hugo* venerabilis Abbas de monasterio sanctæ Dei Genitricis *Mariæ*, quod dicitur in *Pharpha*, & reclamavit & dixit: Domine Comes, & judices, & boni homines facite mihi legem & justitiam de *Farolfo*, qui dicitur de *Castellione*, de terris & vineis, quæ fuere de *Goccio*, qui dedit propter animam suam in prædicto monasterio de fundo Plataniano, & de fundo sub ripula, vel si aliis vocabulis videntur nuncupari, qui sunt in territorio HORTANO, quomodo suprascriptus *Goccio* ad manus suas detinuit, & de terris in fundo Lumbricata, ex quibus me injuste quærit, & partem ex ipsis rebus per audaciam invadit. Et in eorum præsentiam venit suprascriptus *Farolfus* de prædicto loco, & cum eis residebant *Leo* & *Petrus* dativi, & *Silvester* dativus de civitate *Narniensi*, & *Ribertus* & *Roccio* judices *Langobardi*, & *Bernardus* Tribunus & *Petrus* Tribunus de comitatu *Camerino* & de civitate HORTANA, *Leo* Tribunus, & *Liuzo* filius *Sigizonis* seu & *Odo* nobilis vir cum *Leone* filio suo, & *Stephanus* archidiaconus: & *Petrus* de Sepiccano, & *Romanus* de *Pretia*, & *Maximus* de *Bosone*, & *Albertus* de *Silvestro* de civitate *Narniensi*, & alii plures homines stantes, & residentes totum placitum plenum, quos enarrare longum est. Statim venit *Farolfus* in prædictum placitum, & dixit *Heribertus*, qui erat advocatus prædicti domini Abbatis: ego quæro te *Farolfo* de jamdictis rebus, quæ fuerunt de *Goccio*, quas ipse dedit propter animam suam in præfato
396 monasterio, & injuste quæsisti, & invasisti sine judiciali sententia. Deinde fuit magna contentio de ambabus partibus. Postea inter eos venit pactum & bona convenientia & amica pactuatio. Deinde prædictus *Farolfus* per jussionem suprascripti comitis & jamdictorum judicum apprehendit unam ligneam virgam & refutavit ipsas terras & vineas & ecclesiam, quæ vocatur sanctus *Pantaleymon*. Circumquaque positis notum esse volumus de fundo *Plataniano*, & *Lumbriacata*, & *Subripula*, & *Isclita*, & *Fosse* cum vocabulis, & appendicibus suis, qui sunt inter hos fines: ab uno latere terra sancti *Vitalis*, ab alio latere terra, quæ nominatur totalis, & heredes *Petri* Tribuni, & pergit recte in fluvium *Tyberis*, à capite ripa & via publica, à pede fluvius *Tyberis* cum littoribus & piscariis suprascriptis, & portus ad naves decurrendum. Infra istos vero fines omnes in integrum vineas & terras, & suprascriptam ecclesiam, sicut fuere de suprascripto *Goccio* & *Anna* conjuge sua ita refutavimus & concedimus tibi domne *Hugo* venerabilis Abbas, & posteris ac successoribus tuis, & in ss. monasterio in perpetuum. Si enim, quod absit, quoquo tempore venero ego ss. *Farolfus* aut aliquis de heredibus meis aut quælibet à nobis submissa persona contra te ss. domne Abbas, aut contra posteros & successores tuos, aut contra hoc breve refutationis agere aut causare vel litigare, aut dirumpere voluerimus per cujuslibet modi ingenium nostri, per vestram jussionem; aut per emphitheusim capere potero, tunc daturum me promitto componere una cum heredibus meis tibi tuisque posteris & successoribus ante omnis litis initium pœnæ nomine auri purissimi lib. X. Hoc fuit factum & definitum & inter divulgatum ante præsentiam ss. comitis & *Lamberti* episcopi & suprascriptorum judicum & bonorum hominum scriptum per manus *Leonis* Tribuni & dativi, judicis & tabellionis civitatis HORTANAE in mense & indictione suprascripta III. ✠ *Fanulfus* Tribunus in hoc breve refutationis manu mea subscripsi & testes subscribere rogavi ✠ *Leo* nobilis vir & domini gratia dativus judex manu mea ✠ *Berardus* tribunus de *Compensini* testis ✠ *Petrus* tribunus & dat. testis ✠ *Petrus* filius *Sigizonis* testis ✠ *Liozo* trib. t. ✠ ego Leo trib. & domini gratia judex & Tabellio civitatis HORTANAE scriptor hujus brev. & complevi & dedi & absolvi.

NOTA.

DE *Notitiis publicis & privatis nonnulla observavimus in Vindiciis Diplomatum pag.* 40.

397

XIV.

NOTITIA PRIVATA GYRARDI COMITIS

Ex Regesto Farfensi num. 995.

Pag. 291. An. 1068. IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri *Jesu Christi.* Temporibus Domini *Alexandri* summi Pontificis & universalis secundi Papæ in sacratissima Sede beati *Petri* Apostoli septimo mensis Julii, indictione VI. Quæcunque in hac vita possidere videntur quamvis dulcia, tamen cito ab amatoribus relinquuntur, proinde restat, ut me-

liora appetant, quæ sibi quisque æternaliter mansura lucrari debeant. Quapropter *Gyrardus* inclitus comes filius bonæ memoriæ *Girardi* incliti comitis habitator in territorio Maritimano, sicut bonum mihi videtur exercere eorum negotium, qui de terrenis comparant cœlestia & de rebus transitoriis præmia mercantur æterna, sic à præsenti die dono, cedo, trado, offero, & nullo me penitus cogente, neque mihi contradicente vel suadente aut vim faciente, sed propria, spontanea, meaque bona voluntate largior in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Virginis *Mariæ*, quæ ædificata est in comitatu *Sabinensi* juxta montem in loco, qui vocatur *Acutianus*, & qui nominatur Pharpha, & tibi, domine *Berardus* venerabilis Abbas prædicti monasterii, pro Dei omnipotentis amore, omniumque sanctorum & pro anima mea, vel suprascripti genitoris mei, & pro innumeris peccatis meis, & ut dignus sim audire illam beatam & gloriosam vocem, quam Dominus dicit in Evangelio: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Ideo remunero & dono in suprascripta ecclesia unam ecclesiam sanctæ *Severæ* totam in integrum cum sua pertinentia, cum libris, paratis, & oraculis suprascriptis. Et castellum totum in integrum, quod est juxta ipsam ecclesiam in capite civitatis sanctæ *Severæ* cum introitu & exitu suo, cum muris, ædificiis suprascriptis, & cum omnibus ad eum pertinentibus, & cum xv. casalinis in ipsa suprascripta civitate. Et dono in ss. ecclesia medietatem de portu
398 sanctæ *Severæ*, & quintam partem integram de vineis & terris pertinentiæ & tenimenti suprascriptæ civitatis sanctæ *Severæ*, & cum silvis, hortis, & omnibus ad suprascriptam civitatem pertinentibus cedo, trado, largior. Unde hanc cessionis, donationisque cartulam vobis contradi-

A di, ut suprascriptam ecclesiam sanctæ *Severæ* & ss. castellum, & ss. quindecim casalinas & medietatem suprascripti portus, & suprascriptam quintam partem, sicut superius legitur, cum omnibus ad ea pertinentibus a præsenti die habeatis, teneatis & possideatis, & fruamini, in utilitatem, & usum, atque salarium vestrum persistant in perpetuum. Et nunquam à me, nec ullis meis heredibus, neque ulla persona à me submissa aliquam aliquando habebitis requisitionem, aut calumniam, etiam si vobis vestrisque successoribus necesse fuerit contra omnes homines stare, una cum heredibus meis & defendere promitto. In quo & jurata voce dico per Deum omnipotentem, sanctæque Sedis Apostolicæ & Domini nostri *Alexandri* Papæ salutem hæc omnia, quæ hujus donationis chartulæ series textus eloquitur, inviolabiter conservare, atque adimplere promitto. Si enim, quod absit, quoquo tempore con-
B tra hæc, quæ notata vel ascripta leguntur, agere præsumpsero, & cuncta non observavero, tunc daturum me promitto una cum heredibus meis vobis vestrisque successoribus ante omne litis initium pœnæ nomine auri boni & optimi libras quinque. Et post pœnam absolutam maneat hæc cartula donationis in sua nihilominus firmitate. Quam scribendam rogavi *Berningerium*, Tribunum Domini gratia judicem ✠ S. suprascripti *Girardi* incliti comitis, qui hanc cartulam donationis fieri rogavit ✠ Signum *Roccii* fil. *Litolfi* testis. ✠ Signum *Sarraceni* de *Johanne* presbyteri *Johannis* testis. ✠ Signum *Petri* de *Johanne* presbyteri *Johannis* testis. ✠ Signum *Falconis* filii *Adelmontis* t. ✠ Signum *Tebaldi* de *Johanne* presbyteri *Johannis* testis. ✠ Ego *Bernigerius* Trib. & Domini gratia judex & Tabellio civi-
C tatis HORTANAE & scriptor hujus chartulæ complevi & absolvi.

NOTA.

Juramentum per salutem Papæ alibi non offendi. Me legere memini, veteres urare consuevisse per salutem Imperatoris.

399

XV.
INNOCENTIUS. III.
POTESTATI. ORTANENSI

Ex Archivo Vaticano.

Pag. 293. An. 1212. Cum bonæ memorie M. socer nobilium virorum *Cazaguerre* de ORTA B. de Canalio I. *Raynaldi* & P. *Jaczonis*, castra *Basanalli*, *Palatioli*, *Bassani*, & *Aliani* ab ecclesia *Romana* in feudum tenuerit & ex illis perceperit multa bona, ipsi prædicta castra post ejus obitum pro suæ voluntatis arbitrio detinentes, ad nostram præsentiam, ut nobis responderent de ipsis, accedere noluerint cum exinde fecerimus requiri eosdem. Quia vero id nolumus in patientia sustinere, ne jus ecclesiæ *Romanæ* negligere videremur, eisdem nobilibus nostris dedimus litteris in mandatis, ut usque ad Cathedram B. *Petri* proximo præteritam, quem eis terminum peremptorium assigna-

D vimus, responsuri nobis de castris ipsis nostro se conspectu præsentarent, dilecto filio *Cynthio* de Insula nostris dantes litteris in mandatis, ut si prædicti nobiles eodem termino ad nostram præsentiam non venirent, eadem castra nostro nomine recipere non differret. Universis insuper hominibus eorundem castrorum injunximus, ut eidem ex tunc de castris ipsis ad nomen & opus nostrum respondere curarent. Quo circa discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus eidem *Cynthio* ad mandatum Apostolicum exequendum tuum præstes auxilium & favorem. Datum Lateran. XIII. Kal. Aprilis Pontificatus nostri anno quintodecimo.

NOTA.

Edita est à Baluzio inter epistolas Innocentii III. tom 2. pag. 603. Hanc vero cum sequentibus exscripserunt Thomas & Donatus de Juliis ex Regestis Vaticanis.

400

XVI.
INNOCENTIUS. PP. III.

Ex Archivo Vaticano.

Consulibus & populo ORTANIS &c. Cum præter solitum, immo plus solito multis & magnis simus negotiis occupati, quæ per nos ipsos facere non valemus, per alios cogimur adimplere. Sane inter alias occupationes & sollicitudines nostras curam & provisionem Apostolici patrimonii non modicas reputamus, tam ad spiritualem jurisdictionem nostram spectantes, quam etiam temporalem: unde nobis posset non immerito imputari, si super ordinatione ipsius essemus tepidi vel remissi, qui cunctorum fidelium sollicitudinem gerimus pastoralem. Novimus enim (quod tristes & dolentes referimus) quam in eo multi quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentes & abutentes per insolentiam Sedis Apostolicæ patientia, pacem perturbant, corrumpunt justitiam, stratam violant, & terram offendunt: unde nobis & vobis non modicum derogatur. Cum igitur super his, quæ præmittimus emendandis cum fratribus nostris tractatum habuerimus diligentem, de ipsorum consilio dilectum filium nostrum G. sancti *Georgii* ad Velum aureum diaconum Cardinalem, virum nobilem & prudentem, quem inter alios fratres nostros speciali diligimus caritate, operi tam utili & necessario deputantes, ut melius & facilius injunctum sibi officium valeat exercere, dilectum filium P.

E Præfectum urbis, virum nobilem & potentem, sibi duximus adjungendum: quibus dedimus in mandatis, ut stratam custodiant, pacem procurent, justitiam faciant, & terram defendant: alia quoque nihilominus operentur, quæ ad honorem Dei, profectum ecclesiæ, utilitatem vestram & aliorum nostrorum fidelium noverint pertinere. Ut autem dominium Apostolicæ Sedis, quæ de se vere dicere potest, jugum meum suave est & onus meum leve, diebus nostris dulcedinem non deponat & nulli fiat penitus odiosum, eis viva voce præcepimus, ut vos diligant & honorent, nullum sine causa lædentes, vel contra justitiam aggravantes, sed à vobis potius iniquitatem & violentiam satagant propulsare. Un- 401
de quotiens necessitas postulaverit ad eos vice nostra pro justitia consequenda vel aliis expediendis negotiis poteritis habere recursum. Et ut melius quæ ad pacem & u-
F tilitatem vestram à nobis & fratribus nostris sunt salubriter ordinata perduci valeant ad effectum, universitatem vestram monemus attentius, & hortamur in Domino per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus ipsis vice nostra, immo nobis in ipsis intendentes humiliter ac devote, quod super præmissis articulis & aliis emergentibus negotiis utiliter duxerint statuendum, salvo,

salvo in omnibus Apostolicæ Sedis mandato, teneatis firmiter & servetis, de universis justitiis & rationibus A ecclesiæ *Romanæ* sibi plenarie respondentes. Dat. . . . . Octobris anno II.

NOTA.

Innocentius III. singulari amore prosequutus est Hortanos. nam in ejus Gestis, quæ MSS. exstant in Archivo Vaticano fol. 82. pag. 2. vers. 4. legitur dono dedisse Ecclesiæ ORTANAE unam planetam de examito rubeo cum aurifrigio decenter ornatam: tunicam de limite celesti & unam dalmaticam & unum aurifrigium: *quæ verba desunt in editione Baluzii pag. 88. num.* CXLIV.

402

XVII.

EPISTOLA

GREGORII IX.

EPISCOPO HORTANO,

Ut Priori & fratri Rad. Ord. Præd. S. Mariæ ad Gradus Viterbii præstet auxilium, consilium & favorem super reconciliatione hæreticorum.

Ex Archivo Vaticano.

Pag. 294. An. 1235.

QUia dignum est illis misericordiæ januam aperiri, qui ab hæretica cæcitate per spiritum consilii discedentes, ad lucem, quæ Christus est, humiliter revertuntur, dilectis filiis Priori, & F. *Radulpho* Ordinis Prædicatorum sanctæ *Mariæ* ad *Gradus Viterbii* auctoritate Apostolica indulgemus, ut universis, qui de civitate vel diœcesi HORTANA ad sanctæ prædicationis ministerium, quod implere crederis & probaris, corde compuncti, synagoga peccantium, secta hæreticorum, & infidelitatis errore penitus abjuratis, & cautionibus idoneis B exhibitis, sponte ad Christianæ fidei redeant unitatem, nec sint publice infamati. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad extirpandam de civitate & diœcesi supradictam pravitatem hæreticam, prudenter assurgens, Priori & fratri, judicibus super his, efficax impertiri studeas consilium, auxilium, & favorem, ita quod sponsam Christi aperte diligere te ostendas, & nos sollicitudinem tuam possimus extra, merito commendare. Datum *Perusii* secundo idus Augusti anno nono.

NOTA.

*Hanc epistolam, quæ data est Guidoni Hortano episcopo, citat Odoricus Raynaldus anno 1235. num. 15. Hæ*C*retici isti erant Patareni, qui universam Italiam inundaverant.*

403

XVIII.

PROCESSUS JUDICIALIS

Inter Hortanum Episcopum & Abbatem Saxivivi.

Ex eodem Archivo.

INNOCENTIUS. PP. IV.

Abbati & Conventui monasterii Saxivivi.

Pag. 294. An. 1243.

JUstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum & vota, quæ à rationis tramite non D discordant, effectu prosequente complere. Cum igitur olim inter vos ex parte una & venerabilem fratrem nostrum Episcopum ORTANUM ex altera super sancti *Jacobi* de Ponte ORTANO, sanctæ *Mariæ* de *Porralia* & sancti *Fortunati* de *Fayçulis*, ecclesiis, quodam molendino & rebus aliis orta materia quæstionis, fel. rec. *Gregorius* Papa prædecessor noster vobis & eidem Episcopo dilectum filium nostrum *Stephanum* tituli sanctæ *Mariæ Transtiberim* Presbyterum Cardinalem super his concesserit auditorem; tandem libellis hinc inde porrectis & lite super præmissis coram eo legitime contestata, utraque parte providentiæ ac beneplacito ipsius prædecessoris nostri se voluntarie submittente, idem Cardinalis cognitis causæ meritis de speciali ejusdem prædecessoris mandato ex quadam pro- E videntia hujusmodi negotium definivit prout in instrumento confecto exinde perspeximus plenius contineri. Nos igitur vestris devotis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinale super hoc factum est ratum & gratum habentes id auctoritate Apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem ipsius instrumenti præsentibus de verbo ad verbum inseri faciendo, qui talis est. In nomine Domini amen. Omnibus præsentes literas inspecturis *Stephanus* miseratione divina tituli sanctæ *Mariæ Transtiberim* Presbyter Cardinalis salutem in Domino. Suborta olim inter venerabilem fratrem Patrem *Transmundum* Episcopum ORTANUM ex parte una, & Abbatem & Conventum monasterii *Saxivivi* ex altera super
404 quibusdam ecclesiis & rebus aliis materia quæstionis, nos F eis Dominus Papa auditorem concessit. Episcopo igitur pro se & dicto capitulo & yconomo seu procuratore prædicti monasterii comparentibus coram nobis, idem Episcopus conventionis, & procurator prædicti monasterii reconventionis libellos hujusmodi porrexerunt. Coram vobis domine *Stephane* tituli sanctæ *Mariæ Transtiberim* Presbytero Cardinali, partibus à domino Papa auditore concesso, propono ego *Transmundus* episcopus ORTANUS nomine episcopatus & capituli antedicti contra procuratorem Abbatis & CONVENTUS *Saxivivi* quod cum *Paulus* olim episcopus ORTI concesserit sancti *Jacobi* de *Ponte* ORTANO sanctæ *Mariæ* de *Porralia* & sancti *Fortunati* de *Fayculis* ecclesias, cum possessionibus suis, tenimentis & pertinentiis in diœcesi sua sitas, monasterio ecclesiæ sanctæ Crucis de *Saxovivo*, scilicet *Mauro* Abbati ejusdem monasterii, suisque successoribus, ad annuam pensionem sive censum præstandum episcopis, qui pro tempore fuerint ecclesiæ ORTANAE, scilicet quatuor mesales frumenti & sex de spelta tempore æstatis, & duas salmas musti mundi in vindemiis & duo paria gambonum *Porci* in Natale Domini pro ipsa ecclesia sancti *Jacobi*. Item quatuor mesales frumenti & sex de spelta ad communem mesalem civitatis ORTI, qui per tempora erit pro ecclesia sanctæ *Mariæ* & ecclesia sancti *Fortunati*. In festo sancti *Fortunati* duodecim Lucenses bonos. In Pascha vero Resurrectionis duos Agnos vivos, reservata ipsi episcopo & successoribus suis quarta mortuorum de omnibus, quæ ex testamentis proveniunt ad præfatas ecclesias. Item quod clerici, qui pro tempore fuerint in ipsis ecclesiis teneant & observent excommunicationes & interdicta ipsius episcopi, & ad conventum seu capitulum ipsius episcopi venire teneantur quotiens per nuntios ipsius episcopi vocati fuerint. Et licet dictus Abbas & sui successores, qui pro tempore fuerint seu rectores in ipsis ecclesiis constituti quinquaginta annis & ultra dicto episcopo & suis successoribus præfatum censum seu pensionem solverint seu præstiterint, tandem Abbas & rectores prædicti in solutione seu præstatione prædictorum per triennium cessaverint & ultra: quamvis dictæ ecclesiæ eorum incuria vel negligentia deteriores sint factæ, contempnentes & non observantes sententias interdicti & excommunicationis, per dictum episcopum promulgatas, & non præstantes sibi quartam mortuorum & non venientes ad ipsius capitulum ut tenentur. 405 Quare peto dictas ecclesias cum possessionibus suis mihi episcopo restitui & dimitti vel censum subtractum à tribus annis vel ejus extimationem quam facio quadraginta librarum Lucensium, & peto nihilominus ipsos mihi condempnari quod in futurum præstent dictum censum integre, ut tenentur, & clerici seu rectores, qui sunt in ecclesia sancti *Jacobi* vel erunt per tempora in ea-

dem mihi & ſucceſſoribus meis reſpondere de ſpiritualibus teneantur, & quod reædificent & reſarciant ſancti *Fortunati* de *Fayculis* & ſanctæ *Mariæ* de *Porralia* eccleſias, ſuo tempore dirutas, & ſtatuant in eiſdem clericos, qui Deo ſerviant & mihi & ſucceſſoribus meis ne teneantur de ſpiritualibus reſpondere. Et quia venerint contra pactum ſeu conventiones inter ipſos factas, peto nihilominus viginti libras *Lucenſes* nomine pœnæ ſicut in inſtrumento publico continetur. Item peto ſententiam inique latam per magiſtrum *Dondeum*, olim cauſarum Cameræ Domini Papæ auditorem contra me pro monaſterio, & quicquid ſecutum eſt ex ea vel ejus occaſione revocari & irritari vel irritum nuntiari, à qua extitit pro parte mea ante & poſt legitime appellatum. Item peto quod faciatis ceſſare eos ab impetitione ſeu moleſtatione, quam faciunt ſuper parochia, quam dicunt ſe habere in burgo civitatis ORTANAE ex iniqua conceſſione G. epiſcopi prædeceſſoris mei facta eis abſque conſenſu capituli ORTANI in præjudicium futurorum epiſcoporum & majoris eccleſiæ ORTANAE & aliarum eccleſiarum civitatis ORTANAE. Donnus C. Prior ſanctorum Quatuor & procurator ſeu yconomus monaſterii *Saxivivi* litem conteſtando negat narrata vera eſſe, ut narrantur, & dicit petita fieri non debere. Libellus autem monaſterii talis eſt. Petit à vobis, venerande pater domine *Stephane*, tituli ſanctæ *Mariæ Transtiberim* Presbytero Cardinali Donnus C. Prior ſanctorum Quatuor & procurator ſeu yconimus Abbatis & conventus monaſterii *Saxivivi* nomine ipſius monaſterii, quatenus cum prædictum monaſterium ſancti *Jacobi* de *Burgo* ORTANO, ſancti *Fortunati* de *Fayculis* & ſanctæ *Mariæ* de *Porralia* eccleſias cum pertinentiis, parochiis, molendino, quod eſt ſub ponte ORTANO & aliis poſſeſſionibus & juribus eorumdem pacifice & quiete poſſideant, & liberas & exemptas ad dictum monaſterium tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus pertineant pleno jure, & ſuper his omni gaudeant privilegio libertatis, inhibeatis *Tranſmundo* epiſcopo & capitulo ORTANO, ut dictum mo-
406 naſterium ſuper prædictis eccleſiis & poſſeſſionibus & juribus earumdem occaſione alicujus juris temporalis vel ſpiritualis de cetero non moleſtent, prædictis epiſcopo, & capitulo ſuper præmiſſis omnibus perpetuum ſilentium imponentes, & pronuntietis eccleſias ſupradictas cum poſſeſſionibus & juribus earumdem liberas & exemptas tam in ſpiritualibus quam in temporalibus pleno jure, & ad jus & proprietatem dicti monaſterii pertinere. Petit etiam ut cogatis dictum epiſcopum abſolutionem & obſervationem eorum, in quibus per ſententiam magiſtri *Dondei* cappellani domini Papæ, ſicut in ejus ſententia continetur, dicto monaſterio vel ejus procuratori extitit condemnatus. Item petit, ut compellatis dictum epiſcopum ad reſtitutionem viginti ſaumarum de muſto & decem meſalium de ſpelta vel exſtimationis ipſorum, quæ dicto monaſterio de providentibus prædictarum eccleſiarum coram magiſtro *Bartholomæo* notario domini Papæ ab ipſo domino auditore dato, ſe abſtuliſſe confeſſus eſt. *Tranſmundus* epiſcopus ORTANUS litem conteſtando pro ſe & capitulo ſuo negat narrata vera eſſe, ut narrantur, & dicit petita fieri non debere. Facta fuit litis conteſtatio ſuper præmiſſis libellis, ut ſuperius dictum eſt, ſub anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono, indictione duodecima tempore domini *Gregorii* Papæ noni, idus Junii. Lite itaque coram nobis ſic legitime conteſtata, tandem prædictus epiſcopus nomine ſuo & epiſcopatus ORTANI de ſpeciali conſenſu & mandato capituli ſui ORTANI quod talis eſt: In nomine Domini. Anno ejuſdem Nativitatis milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono temporibus domini *Gregorii* Papæ noni, menſe Junii die ſexta indictione duodecima. In præſentia mei judicis & teſtium ſubſcriptorum totum capitulum eccleſiæ ſanctæ *Mariæ* & ſinguli canonici ejuſdem eccleſiæ, ſcilicet *Ugolinus* Ruſticus, *Petrus* & *Johannes* presbyteri, *Fulco Raynucii*, *Paganellus* de *Bocca*, *Hordeus Jordanus*, *Angelus de Cencio Boccocio*, *Jacobus Benincaſe*, & *Jacobus Cazaguerre*, *Petrus Stephani*, *Oddo Tebaldi*, *Oddo Capoblancus*, *Cencius Petri Zarſi*, *Jennagius Martini*, *Gimundus* & *Converſanus*, conſenſerunt & dederunt plenam poteſtatem domino *Tranſmundo* epiſcopo ſuo abſenti committendi beneplacito & providentiæ domini Papæ omnem cauſam & controverſiam, quam idem epiſcopus habet nomine epiſcopatus ORTANI contra Abbatem & conventum monaſterii *Saxivivi*, vel ipſe Abbas & con-
407 ventus contra epiſcopum ſeu epiſcopatum ORTANUM ſuper quibuſcumque rebus tam ſpiritualibus, quam temporalibus, promittentes per ſe, ſuoſque ſucceſſores ſemper ratum & firmum habere quicquid ipſe epiſcopus in committendo & dominus Papa in præcipiendo vel arbitrando ſeu definiendo inter ipſum epiſcopum & dictos Abbatem & Conventum duxerint faciendum. Actum eſt hoc ORTÆ in dicta eccleſia ſanctæ *Mariæ* coram his teſtibus, *Johanne Donati*, *Cencio Gilioli Donati*, *Martino Mercatante*, & *Berardo Symeonis* civibus ORTANIS. Ego magiſter *Johannes Almerici* ORTANUS civis, Dei gratia ſanctæ *Romanæ* eccleſiæ notarius & imperialis aulæ judex ordinarius his omnibus interfui, & hæc omnia ſcripſi & publicavi, à dictis

A canonicis rogatus. Et yconomus ſeu procurator monaſterii antedicti habens ad hoc ab Abbate & conventu ſpeciale mandatum quod tale eſt. In nomine Domini amen, anno ejuſdem milleſimo ducenteſimo trigeſimo nono indictione duodecima & octavo idus Junii tempore dominorum *Gregorii* Papæ noni, & *Frederici Romanorum* Imperatoris. *Donnus Angelus* Abbas monaſterii *Saxivivi* præſentibus & conſentientibus fratribus ſuis, ſcilicet donno *Bonaventura* priore clauſtri, donno *Ventura*, donno *Johanne*, donno *Creſcio*, donno *Johanne* quondam Abbate ſancti *Criſpoliti*, donno *Toſto*, donno *Jacobo*, donno *Angelo*, fratre *Gilio*, fratre *Frederico*, fratre *Benvenuto*, fratre *Rainero*, fratre *Jacobo*, fratre *Angelo*, & fratre *Andrea* & toto conventu ejuſdem monaſterii, conſtituit, fecit & ordinavit donnum *Compangium* Priorem ſanctorum Quatuor de urbe yconomum, ſindicum & procuratorem & actorem ipſius monaſterii coram domino Papa ad dandum ſeu
B committendum providentiæ ſeu beneplacito ipſius domini Papæ omnem cauſam & controverſiam, quam habent Abbas & conventus contra epiſcopum ſeu epiſcopatum ORTANUM, vel idem epiſcopus nomine epiſcopatus contra ipſos Abbatem & conventum ejuſdem ſuper quibuſdam rebus tam ſpiritualibus, quam temporalibus & ad compromittendum beneplacito & mandato ipſius domini Papæ & ad pœnam in ipſo compromiſſo & providentia, ſi neceſſe fuerit, ponendam & ad omnia & ſingula exercenda & gerenda & facienda, quæ ipſi compromiſſo ſeu beneplacito providentiæ vel mandato fuerint neceſſaria & quicquid inde fecerint perpetuo ratum habebunt, & contra non venient aliqua occaſione vel exceptione. Actum in capitulo ipſius monaſterii coram *Andrea Aſſalonis*, *Jacobo Dominici*, *Vitello Johannis*, *Accurribon. Pizaran.* & aliis 408
teſtibus. Ego *Benevenutus Carpelle*, Apoſtolica auctoritate
C notarius his interfui & mandato ipſorum Abbatis & fratrum hoc ſcripſi & ſubſcripſi. Omnes quæſtiones, quas habebant ad invicem proviſioni ſedis Apoſtolicæ ſubmiſerunt, ut ipſe vel cui mandaverit inter eos ſuper his provideret & diſponeret, ut placeret. Nos autem de ipſius domini Papæ ſpeciali mandato ſic duximus providendum, ut prædictum monaſterium libere de cetero habeat & poſſideat prædictas eccleſias ſancti *Jacobi* & ſancti *Fortunati* cum parochiis & omnibus pertinentiis ſuis tam in ſpiritualibus quam temporalibus pleno jure, ita quod prædictus epiſcopus vel capitulum nihil juris in eiſdem quocumque modo valeant vendicare. Nec liceat epiſcopo antedicto excommunicare ſeu ſuſpendere vel interdicere præmiſſas eccleſias vel perſonas in eiſdem eccleſiis commorantes, ita tamen, ut & illi, qui in prædictis morantur eccleſiis excommunicatos & interdictos ab epiſcopo nullatenus recipiant ad divina. Eccleſiam autem ſanctæ *Mariæ*
D de *Porralia* cum decem pedibus terræ circum circa poſitæ habeat amodo epiſcopus pleno jure, medietatem vero molendini, & piſcariæ, quod habet eccleſia ſancti *Jacobi* ſub ponte ORTANO tam pro cenſu, quem hactenus à parte altera recipiebat epiſcopus, quam etiam pro poſſeſſionibus, ſi quæ remanent monaſterio de prædicta eccleſiæ ſanctæ *Mariæ*, pars monaſterii det liberam & abſolutam epiſcopo pro ipſo epiſcopatu in perpetuum retinendam, ita tamen ut epiſcopus & monaſterium uſque ad decem annos communiter teneant, & interim neutri parti liceat alienare ſine alterius partis aſſenſu. Tranſactis vero decem annis ſi quis eorum alienare voluerit partem ſuam, primo denuntiet alteri: quod ſi comparare voluerit, emat decem ſoldos minus, quam ab alio ſine malitia poſſit haberi, alioquin libere vendat cui velit. Expenſas autem, quæ circa molendinum, & piſcariam ſunt faciendæ, communiter faciant quandiu communiter poſſidebunt. Præ-
E terea idem epiſcopus reſtituat monaſterio omnia inſtrumenta & litteras Papales, quas habet occaſione cenſus, quem olim ſibi deberi dicebat in eccleſiis antedictis, quin immo omnia ſunt caſſa & vacua, & nullius de cetero ſint momenti. Abbas vero & conventus caveant epiſcopo, quod illam medietatem molendini & piſcariæ & eccleſiam ſanctæ *Mariæ* cum decem pedibus terræ, quæ Abbas & conventus dare tenentur epiſcopo, nemini dederunt vel 409
conceſſerunt, nec aliquo modo alienaverunt: & his pars utraque ſit contenta. Super omnibus aliis quæſtionibus, quæ inter eos vertebantur, utramque partem ab impetitione alterius duximus abſolvendam. Dictam vero proviſionem ſcribi mandavimus per *Jacobum Rainucii* publicum notarium, & noſtro ſigillo fecimus communiri. Ego *Jacobus Rainucii* Imperiali auctoritate notarius dictæ proviſioni factæ in camera memorati domini Cardinalis
F coram his teſtibus, ſcilicet domino *Petro* de ſancta *Genoveſa*, domino *Gotifrido* canonico *Alatrino*, magiſtro *Markiſio*, magiſtro *Johanne* de *Alatro*, & *Petro* Archipresbytero ſancti *Stephani Tyburtini*, ejuſdem domini Cardinalis capellano, ſub eodem anno, indictione decima quarta Kal. Julii præſens interfui, & de mandato prædicti domini *Stephani* Cardinalis, & dictarum partium voluntate ſcripſi & publicavi. Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis &c. Si quis &c. Datum Laterani tertio Kal. Martii pontificatus noſtri anno primo.

NOTA.

EXſtat in eodem Archivo Vaticano ejuſdem Innocentii IV. diſpenſatio in quarto conſanguinitatis gradu inter Simonem Guidonis Magalotti Militis ORTANI *& Andream ejus uxorem.* Dat. Laterani nonis Aprilis an. XI. *nempe* 1254. *Miles tunc is dicebatur, qui militari cingulo accinctus erat, ſeu vir equeſtris ordinis.*

XIX.

ELECTIO EPISCOPI ORTANI

Ex Archivo Vaticano.

MARTINUS PP. IV.

Venerabili fratri Conrado Episcopo ORTANO.

Pag. 296. An. 1284. DUdum ecclesia ORTANA per obitum bonæ memoriæ Petri ORTANI episcopi, Pastoris solatio destituta, Capitulum ejusdem ecclesiæ pro futuri substitutione Pastoris, voca-
410 tis omnibus, qui voluerunt, potuerunt & debuerunt commode interesse, prout moris est, convenientes in unum post habitum super hoc diligentem tractatum, primo dilectum filium E. Priorem sancti Andreæ Urbevetanum, & demum, eo recusante electioni hujusmodi consentire, Henricum canonicum Tudertinum in suum episcopum elegerunt. quo quidem postmodum Henrico hujusmodi electioni de se factæ nolente humiliter suum præstare consensum, dicti Capitulum cupientes ecclesiæ prædictæ viduitati de persona, quæ tanto congrueret oneri & honori, celeriter & salubriter providere: ac propter hoc, modo simili convenientes in unum, in te tunc Archipresbyterum ecclesiæ Viterbiensis, quasi per inspirationem divinam direxerunt unanimiter vota sua, sicque consequenter de te providendi ORTANÆ ecclesiæ supradictæ, dilecto filio Jacobo Priori ipsius ecclesiæ potestatem concorditer concesserunt. Idem vero J. Prior hujusmodi potestate recepta, sancti Spiritus gratia invocata, te nomine dictorum Capituli in ORTANUM episcopum postulando elegit & eligendo etiam postulavit. Cumque postea dicti Capitulum fecissent nobis electionem seu

A postulationem hujusmodi præsentari, nobis humiliter supplicantes, ut electionem confirmare seu postulationem admittere hujusmodi dignaremur, nos ipsas examinari fecimus diligenter, & denique quia electionem eandem invenimus de persona ydonea canonice celebratam, ipsam de Fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam, tibique demum per venerabilem fratrem nostrum. O. Episcopum Tusculanum fecimus munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque concepta, quod eadem ecclesia sub tuo regimine spiritualiter & temporaliter, auctore Domino, votiva suscipiet incrementa. Fraternitatem itaque tuam monemus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus circa officii tui debitum sic utiliter vigiles & laudabiliter attentus existas, sicque studeas salutis verbo & salutaris operationis exemplo eidem ecclesiæ præesse pariter & prodesse, quod ipsa tuæ virtutis studio devotione populi fulgeat & donis lætetur spiritualibus & commodis temporalibus augeatur; tum quoniam gregem tibi creditum, gratia divinæ adjutus suffragio, aptum B reddens alimoniis sempiternis cœlestium bonorum, proinde fieri particeps merearis, nosque sollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Perusii XIV. Kal. Januarii. Anno quarto.

411

XX.

Eodem modo. *Dilectis filiis Capitulo ecclesiæ* ORTANAE. *Dudum ecclesia* ORTANA *per obitum bonæ memoriæ* P. ORTANI *Episcopi, Pastoris solatio destituta, vos* &c. ut supra usque: *incrementa. Quo circa universitatem vestram monemus & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem episcopum admittentes ylariter, & honorifice pertractantes, sibi tanquam patri & Pastori animarum vestrarum impendatis obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ac ejus salutaribus monitis & mandatis efficaciter intendatis; alioquin sententiam, quam ipse propter hoc rite tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, inviolabiliter observari. Dat. Perusii* XIV. *Kal. Januarii an.* IV.

XXI.

MARTINUS PP. IV.

Dilectis filiis, Potestati, Consilio & Communi ORTANO salutem &c.

Ex eodem Archivo.

An. 1284. *REferente nobis dilecto filio B. Camerario nostro, accepimus, quod cum ipse olim pro emenda annona in Terra vestra, & locis circumpositis pro camera nostra, dilectum filium* Grifolinum de Aretio *destinasset, vos dubitantes, ne in ipsa Terra magna annonæ quantitas emeretur, & fieret magis cara, primo cum eodem Camerario per vestrum certum nuncium; & postmodum cum dilecto filio* Riczardo de Ferentino *capellano nostro, quem super victualibus deferendis ad nostram curiam, ad vestram & alias Terras fidelium ecclesiæ miseramus, extitit ordinatum, ut ad opus cameræ supradictæ usque ad antiquitatem trecentorum medialium speltæ, ipsius Camerarii nuncius in Terra vestra posset libere emere & habere. Sicque dictus* Grifolinus *per* Jacobellum *magistri* Joannis, *concivem vestrum, in ipsa Terra de dicta quantitate fecit emi ducenta medialia speltæ de pecunia cameræ supradictæ, ac in certa domo, ipsius nomine,*
412 *conservare. Verum quia nuper audivimus, quod facta inquisitione de blado, quod in eadem Terra vestra habetur, ad revendendum pro certo pretio dictam speltam jam emptam pro nostra*

C *camera, intenditis continue compellere memoratum; nec permittatis quod usque ad dictam quantitatem concessam de spelta ad opus ipsius cameræ plus ematur, & nos ex hoc non modicum ammirantes, nec clausis oculis præterire aliquatenus intendentes, vobis sub pœna ducentarum marcarum argenti, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus circa dictam quantitatem jam emptam & aliam emendam usque ad dictum numerum trecentorum medialium, ad opus cameræ supradictæ, nullam molestiam inferentes, quominus nuncius, quem propter hoc Camerarius ipse mittet, emptam & emendam secundum præmissam ordinationem, libere extrahere valeat, & ad nostram curiam deportare, statuto seu ordinatione nostra contrariis non obstantibus, quæ, quo ad hoc, nullius esse decernimus firmitatis, sic liberaliter vos mandato Apostolico coaptetis, quod pœnam vitantes prædictam, devotionem vestram possimus proinde merito commendare. Datum apud Urbem veterem idus Maji pontificatus nostri anno quarto.*

XXII.

BONIFACIUS PP. VIII.

Venerabili fratri Bartolo episcopo ORTANO.

Ex eodem Archivo.

Pag. 296. An. 1295. *ATtendentes gratia & accepta servitia, quæ nobis & Apostolicæ sedi hactenus impendisti & impendere non desistis: considerantes etiam laudanda multiplicis merita probitatis, quibus nosceris insignitus, dignum duximus, ut personam tuam prærogativa favoris & gratiæ prosequamur. Cum itaque nuper* ORTANÆ *ecclesiæ tunc vacanti te præfecerimus in episcopum & pastorem, nos diligenti consideratione pensantes, quod prædicta ecclesia tenues obtinere dignoscitur facultates, & propterea volentes illa te prosequi gratia, quæ tibi fore conspicitur oportuna, castrum Kie* ORTANAE *diœcesis ad Romanam ecclesiam pertinens cum omnibus juribus & pertinentiis suis sub censu annuo*

D *unius floreni auri, tibi, quamdiu eidem ecclesiæ* OATANAE *te* 413
præesse contigerit, de gratia concedimus speciali: & ut de prædictis & proprietate ipsius ecclesiæ in futurum memoria certior habeatur, volumus quod annis singulis infra Quindenam Nativitatis Dominicæ prædictum censum cum hujus literarum ostensione cameræ nostræ persolvas. Quod si facere forte contempseris, omne jus, quod tibi ex hujus nostra concessione debetur, ex tunc ad prædictam ecclesiam devolvatur. Nulli ergo &c *nostræ concessionis* &c. *Datum Romæ apud sanctum Petrum* V. *Kal. Februarii anno secundo.*

XXIII.

BONIFACIUS. PP. VIII.

Venerabili Fratri episcopo Ortano.

Ex eodem Archivo.

An. 1295. E*Xposuisti nobis, quod quondam* Nicolaus Petri Bonhomi *civis* Ortanus, *olim dum adhuc præsentis perageret vitæ cursum, de bonis suis in sua ultima voluntate disposuit, in qua inter alia quondam* Juciam Tegam *&* Franciscutiam *filias suas tunc viventes in bonis ipsis, præter quædam legata & relicta expressa, sibi heredes æquali portione instituit, & voluit quod si aliqua prædictarum filiarum suarum moreretur sine filiis vel filiabus, succederent in dictis bonis superstites earundem. Quod si eas omnes sine filiis vel filiabus mori contingeret, bona prædicta pro anima sua & remedio peccatorum suorum idem N. erogari & expendi voluit & mandavit, nullo super his expresso executore dimisso, cassans & irritans omne aliud testamentum seu dispositionem ultimæ voluntatis, quod, vel quam ipse antea condidisset. Verum cum, sicut asseritur, prædictæ* Jucia Tega *&* Franciscutia *filiæ* Nicolai *prædicti absque filiis vel filiabus decesserint, & hujus bonorum erogandorum seu expendendorum pro anima præfati* Nicolai *& remedio peccatorum ipsius, qui nullum, ut prædicitur, in dicta sua ultima voluntate executorem reliquit, ad te hujus executio spectet de jure, nostrum* 414 *super bonorum ipsorum erogatione pro te facienda pro anima dicti defuncti beneplacitum implorasti, supplicans, ut episcopalem mensam tuam* Ortanam *super hoc gratiose respicere dignaremur. Nos autem tenuitatem fructuum, redituum & proventuum ad* A *ipsam mensam spectantium attendentes, & considerantes, quod ex eis non potes secundum decentiam pontificalis officii commode sustentari, præmissis veris existentibus, retinendi pro te ac tuis successoribus* Ortanis *episcopis, & ipsa mensa, in perpetuum omnia bona prædicta ad tuam erogationem & distributionem spectantia cum omnibus juribus & pertinentiis suis præfatæ mensæ usibus applicandi sine juris præjudicio alieni, præfatis legatis & relictis exceptis, auctoritate tibi præsentium tribuimus facultatem bona ipsa tibi & eisdem successoribus ac ipsi mensæ perpetuo eadem auctoritate nihilominus similiter concedentes. Volumus tamen quod tu ac dicti successores annis singulis in anniversario die obitus præfati N. missam & præcedenti die vigilias defunctorum pro anima ejusdem defuncti in dicta* Ortana *ecclesia teneamini facere, celebrari, & canonicis ejusdem ecclesiæ, qui hujus missæ & vigiliis intererint, florenum auri unum annis singulis erogari. Ceterum si bona prædicta vel ipsorum aliquod ratione criminis hæreseos* Romanæ *ecclesiæ confiscata fuissent vel* B *confiscanda forent, ut amplior gratia tibi, successoribus & mensæ prædictis fiat, volumus, ut hujus confiscatione facta vel facienda nequaquam obstantibus, præmissa habeant roboris firmitatem. Nulli ergo* &c. *nostræ concessionis* &c. *Datum Anagniæ* IIII. *idus Julii anno secundo.*

XXIV.

BONIFACIUS. PP. VIII.

Laurentio episcopo Ortano.

Ex eodem Archivo.

Pag. 297. An. 1298. C*Um te nuper ob tuorum exigentiam meritorum* Ortanae *ecclesiæ tunc vacanti præfecerimus in episcopum & pastorem, nos diligenti consideratione pensantes quod prædicta ecclesia tenues obtinere dignoscitur facultates, & propterea* 415 *volentes illa te prosequi grata, quæ tibi fore conspicitur oportuna,* Castrum Kie Ortanae *diœcesis ad* Romanam *ecclesiam pertinens, cum omnibus bonis, juribus & pertinentiis suis sub censu annuo unius floreni tibi usque ad Apostolicæ sedis aliud beneplacitum de gratia concedimus speciali, non obstantibus aliquibus literis Apostolicis sub quavis forma vel expressione confectis, impetratis vel etiam impetrandis, quibuscunque personis seu personæ concessis vel etiam concedendis super institutione dicti castri vel* C *commissariæ, Castellaniæ, seu custodiæ, aut quavis concessione castri ejusdem vel alicujus partis ipsius vel super bonis ad illud quoquomodo spectantibus, quæ de præsentibus & toto earum tenore de verbo ad verbum plenam & expressam non fecerint mentionem. Ut autem de prædictis & proprietate ipsius ecclesiæ in futurum memoria certior habeatur, volumus quod annis singulis infra quindenam Nativitatis Dominicæ prædictum censum cum hujus literarum ostensione cameræ nostræ persolvas. Quod si facere forte contempseris, omne jus, quod tibi ex hujus concessione debetur ex tunc ad prædictam ecclesiam devolvatur. Nulli ergo* &c. *nostræ concessionis* &c. *Si quis autem* &c. *Datum Reate* IIII. *Kal. Decembris anno quarto.*

XXV.

ELECTIO

POTESTATIS. URBIS. HORTANAE

Ex autographo Archivi Reatini A. X. Fasc. D. num. 2.

Pag. 298. An. 1359. IN nomine Domini amen. Anno Domini millesimo CCCLVIIII. tempore domni *Innocentii* Papæ VI. indictione XII. die XVIIII. mensis Octobris, consilio generali speciali Consulum, Antianorum, & populi civitatis Ortanæ ad sonum campanæ voceque præconis in palatio ecclesiæ sanctæ *Mariæ* more solito congregato, in quo consilio Nobilis & sapiens vir dominus *Antulanus* judex & locumtenens (1) Nobilis & Potentis viri *Scimonis* domini *Thomæ* de *Spoleto* honorabilis potestatis civitatis Or- 416 tanae, cum per se & voluntate dominorum *Confaloneriorum*, & majorum *Antianorum* populi dicti Communis, & dictorum consiliariorum, & dicti *Confalonerii* & majores, & consiliarii supradicti cum auctoritate & decreto dicti domini judicis, & omnes prædicti simul unanimiter & concorditer, nemine ipsorum discorde, fecerunt, constituerunt, & ordinaverunt, eorum & dicti Communis nomine, verum & legitimum scindicum, & procuratorem, actorem, factorem, & nuncium specialem, vel si quo alio nomine melius de præsenti dici, & censeri poterit, *Tucium Palgle* (2) præsentem, & suscipientem ad præsentandum electionem potestariæ dicti Communis cum observatione omnium & singulorum status & reformationis factæ & fiendæ in dicto Communi cum omnibus & singulis spectantibus & pertinentibus ad officium dictæ potestariæ pro sex mensibus proxime futuris, incipiendis die prima mensis Januarii, & finiendis, ut sequitur, Nobili & Potenti viro domino *Angelo* domini *Bartholomæi* de *Deodaschis* militi de *Reate* cum salario mille librarum (3) cartensium, & quinque librarum denariorum (4) *Papiensium* pro carta & atramento, & lumine: de quo solario ipse dominus Potestas debet & tenetur solvere cum officio cameræ Communis Ortae pro ipso Communi recipienti pro gabella marchas . . . . . denariorum cartensium pro qualibet libra. Qui Potestas debeat esse longe à dicta civita- D te Ortana per XVIII. milliaria ad minus. qui debet ducere & habere secum toto tempore durante ejus officio in conducta prædicta, unum bonum & sufficientem judicem juris peritum, tres bonos & sufficientes notarios: quorum unum ad maleficia eligat, alterum ad civilia, & alterum ad custodiam civitatis: duos (5) domicellos, octo bonos & sufficientes (6) berruarios, bonos & actos ad arma portanda, & duos equos: unus sit extimatus XXV. florenos, alter verò XVI. florenos exstimandus per M. Petrum . . . . & Colo Maneschalcum: qui quidem officiales debeant esse non ecclesiastici, non exules, & non exbanditi de terris eorum, & longe à civitate prædicta per XVIII. milliaria ad minus. Et debet ipse Potestas servire personaliter, & non per vicarium: qui Potestas & sui officiales non possint se absentare à dicta civitate durante eorum of- E ficio: & si Potestas se absentaverit, solvat die qualibet, qua fuerit absens, duos florenos auri, judex I. florenum, notarius medium florenum, quilibet familiaris vel domicellus decem solidos *Papienses*. Et non possit eis & alicui ipsorum per officiales dictæ civitatis dari licentia: & pro 417 qualibet equa XX. solidos *Papienses*: & quod ipse Potestas non possit secum ducere aliquem officialem, qui hujusmodi officium à quinque annis . . . . Et debet facere custodire carceres sine aliquo salario, & debet ipse Potestas dare in fine sui officii cameræ Communis Ortae tres florenos auri committendos per. . . . . . dicti Communis, & dimittat & dimittere debeat unum (7) pavesem de pavesibus ipsius ad sui . . . . . ad voluntatem cameræ Communis: & si non dimiserit dictum pavesem, pro extimatione ipsius unum florenum detrahatur. Tenetur F etiam dare cameræ dicti Communis pro una balistra unum florenum auri. Et tenetur die lunæ ante carnis privium ponere in equinum dictæ civitatis, veluti consuetum est, unum anulum de argento valoris medii floreni, ad quod currere

currere possint cives ORTANI. Et die carnis privii tenetur ponere in (8) Iovia, quæ est ante ecclesiam sanctæ *Mariæ*, homines, ut hactenus extitit consuetum. Et debet venire dictus Potestas cum dictis suis officialibus, famulis & equis, duabus diebus ante finem officii, ad omnem ipsius Potestatis risicum & fortunam in veniendo, stando, & redeundo: & si in dicto termino venire cessaverint, dictus Potestas die qualibet, qua steterit in mora veniendi, solvere teneatur cameræ dicti Communis XXV. libras *Papienses*. Et stante tempore dicti sui officii debeat dictus Potestas una cum dictis suis officialibus famulis stare ad scindicatum in dicta civitate in domo alicujus hospitatoris tribus diebus ad reddendam rationem de administratione eorum officii eligendis per *Confalonerium*, & majores civitatis prædictæ . . . . . ipsius domini Potestatis eidem singulis duobus mensibus, prout tangit pro ratione ipsius . . . . . . Et ad promittendum eidem domino *Angelo* salarium supradictum, & ad obligandum eidem domino *Angelo* omnia & singula bona dicti Communis pro solutione dicti salarii, & ad recipiendum promissum à dicto domino *Angelo* de acceptione dicti officii, & observa-

A tione omnium prædictorum, & generaliter ad omnia alia & singula facienda, gerenda, & exercenda, quæ in prædictis, & circa prædicta fuerint necessaria, utilia, & opportuna, & quæ merita eorum postulant, & exigunt, promittentes quidquid per dictum scindicum suum, procuratorem, factum, gestum, & operatum fuerit in prædictis, & circa prædicta, firma & rata habere & tenere, & in nullo contra facere, vel venire sub obligatione & ypothecha omnium bonorum dicti Communis, & promisso cum relevamine ab omni onere, satisdatione. Actum fuit hoc in dicto palatio sanctæ *Mariæ* de ORTA præsentibus M. *Jacobo Joannis*, *Lello Nardi Blaxi*, & *Bacarino Bucarelli*, & pluribus aliis testibus in dicto consilio existentibus vocatis, & rogatis. 418

Et ego *Biscius Oddorisciani* de Abbatia *Florentelli* Imperiali auctoritate notarius & judex ORTANUS, & nunc notarius reformationis, & damnorum datorum dictæ civitatis,
B per decretum ipsius civitatis ad prædicta specialiter deputatus, prædictis omnibus, & singulis interfui, rogatus scribere, scripsi, & publicavi, & signo meo signavi consueto.

NOTAE.

Hoc *instrumentum*, *cujus meminit Gabriel Naudæus in instauratione Tabularii ecclesiæ Reatinæ pag.* 67. *est formula eligendi supremi urbium liberarum Magistratus*, *quem inferior ætas in Italia* Potestatem *appellavit*, *ut passim docent historiæ & Cangius in Glossario. Is aliunde*, *quam ex ipsis civitatibus*, *electus*, *summo jure civibus in rebus bellicis perinde ac politicis imperabat.*

1. *Hoc titulo ea tempestate magnates decorabantur. Titulus* sapientis *dabatur unis jurisconsultis.*

2. *Nimirum* Paglic. *tunc enim vis pronunciationis Italicæ ferebat*, *ut quotiescunque litera liquida* l *vel* n *literam* g *sequeretur*, *eadem liquida ante candem* g *iteraretur*, *ut* Palglia *pro* Paglia: filgliuolo *pro* figliuolo: ingengno *pro* ingegno: insengnare *pro* insegnare: *cujusmodi exempla plurima occurrunt in ejus ætatis codicibus & præcipue in nostro* Thesauro *Brunetti Latini ex lingua Francica Provinciali in Italicam verso & exscripto Cortonæ anno* 1388.

3. *Genus monetæ ex Cangio in Glossario.*

4. *Denarios aliquot Papienses edidit amicus noster Antonius Gattius in Historia Gymnasii Ticinensis. Videntur fuisse communes in Italia*, *nam memorantur etiam in instrumento*, *quo Petrus Abbas S. Gregorii locat Cencio Frangipanio Turrim in capite Circi anno* 1145. *apud Panvinum in libro* 111. *operis MS. de gente Frangipania.*

5. *Idest nobiliores famuli.*

6. *Satellites*, *vulgo* Sbirri.

7. *Idest scutum seu clypeum.*

8. Lovia *&* Lobia *est porticus ampla.*

419

XXVI.

BONIFACIUS PP. IX.

Ex Archivo Vaticano.

An. 1396. Bonifacius &c. *Venerabili fratri episcopo* ORTANENSI *salutem &c. Sedis Apostolicæ generosa benignitas redeuntibus ad eam cum humilitate filiis post excessus*, *& suos errores sponte fatendo veniam exinde humiliter postulantibus*, *se propitiam exhibet & benignam. Cum itaque*, *sicut exhibita nobis nuper pro parte populi & Communis ac singularum personarum tam clericorum quam laicorum civitatis nostræ* ORTANAE *ejusque comitatus & districtus*, *petitio continebat*, *ipsi dudum propter novitates*, *quæ in illis partibus contra* Romanam *ecclesiam & ejus officiales exortæ fuerunt & à subjectione*, *devotione & obedientia nostra &* Romanæ *ecclesiæ Matris & Dominæ eorum se damnabiliter subtraxerint*, *ac dampna diversa & injurias tam ecclesiæ & officialibus prædictis*, *quam etiam ipsius ecclesiæ subditis & fidelibus irrogaverint*, *& cum persecutoribus*, *hostibus & inimicis prædictæ ecclesiæ*, *etiam contra eandem ecclesiam ligas & confœderationes inivrint & fecerint*, *ac subditos prædictæ ecclesiæ invaserint & dampnificaverint*, *homicidia perpetraverint*, *& alia quamplurima excessus crimina & delicta commiserint*, *alias contra tenorem processuum per fel. rec.* Johannem *XXII.* Benedictum *XII.* Clementem *VI. &* Innocentium *VI.* Romanos *Pontifices prædecessores nostros editorum*, *temere faciendo*, *nec non ab eisdem persecutoribus*, *inimicis & hostibus auxilia*, *consilia & favores receperint*, *libertatem ecclesiasticam violaverint & fregerint*, *ac in quasdam personas singulares ecclesiasticas manus injecerint temere violentas*; *ob hæc & propter multa alia gravia per eos hujusmodi rebellionis occasione commissa*, *diversas excommunicationis & interdicti sententias & alias pœnas tam per processus Apostolicos contra rebelles hujusmodi dudum factos*, *quam etiam alias à jure & ab homine latas & inflictas damnabiliter incurrendo. Tamen quia nuper populus & Communitas ac sin-*
420 *gulæ personæ prædicti*, *ad cor reversi*, *hujusmodi eorum enormes excessus humiliter recognoscentes*, *nobis humiliter supplicari fecerunt*, *ut cum parati sint contrito corde & humiliato spiritu nostris ac prædictæ ecclesiæ obedire mandatis*, *eos ad nostram & dictæ ecclesiæ gratiam recipere & cum ipsis alias mite & benigne agere*, *ipsosque seculares clericos & personas ecclesiasticas ab hujusmodi pœnis & sententiis excommunicationis*, *suspensionis & interdicti*, *& aliis quibuslibet*, *quas occasione præmissorum excessuum quandocumque & qualitercumque*, *etiam vigore quorumcumque processuum & sententiarum per quoscumque factorum sive latorum*, *incurrerint*, *absolvere & liberare & cum præfatis clericis & personis ecclesiasticis super irregularitatis macula*, *si quam incurrerunt*, *dispensare & alias super præmissis*, *animarum ipsorum saluti providere de solita Apostolicæ sedis clementia misericorditer dignaremur. Nos igitur*, *licet immeriti illius vicesgerentes in terris*, *qui cunctos quærit salvos facere & neminem vult perire*, *cuique est parcere semper & misereri*; *hujusmodi supplicationibus inclinati*, *ac de tuæ fraternitatis industria specialem in Domino fiduciam obtinentes*, *eidem fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus*, *quatenus interdictum*, *cui ipsa civitas dicitur esse supposita*, *relaxes & per te vel alium seu alios*, *ydoneum vel ydoneos*, *quem vel quos ad*

C *hoc duxeris eligendum seu eligendos*, *præfatos populum & Commune ac personas utriusque sexus*, *quæ occasione subtractionis*, *rebellionis*, *invasionis*, *turbationis*, *occupationis*, *adhæsionis & receptionis hujusmodi vel aliorum excessuum prædictorum*, *sententias seu pœnas hujusmodi incurrerunt*, *ab hujusmodi pœnis & sententiis*, *si hoc humiliter petierint*, *injunctis eis & cuilibet eorum sub virtute juramenti*, *per ipsos & quemlibet eorum præstandi*, *quod similia de cetero non committant*, *nec ea committentibus dabunt auxilium*, *consilium vel favorem*; *& quod nostris &* Romanæ *ecclesiæ prædictæ mandatis parebunt*, *ac pro modo culpæ pœnitentia salutari & aliis*, *quæ de jure fuerint injungenda*, *auctoritate Apostolica*, *hac vice dumtaxat*, *absolvas in forma ecclesiæ consueta*: *nec non omnia hujusmodi crimina & excessus ac delicta per eos seu aliquem eorum perpetrata seu commissa quomodocumque & qualitercumque in quantum concernunt*
D *seu concernere possunt publicum interesse seu cameram Apostolicam*, *auctoritate prædicta remittas*, *ipsosque & quemlibet eorum ab omnibus bannis*, *pœnis seu condemnationibus quæ seu quas propterea incurrerunt*, *ac à sententiis*, *quæ contra ipsos & quemlibet eorum tam ab homine*, *quam à jure promulgatæ existunt*, *in quantum hujusmodi publicum interesse & dictam cameram concernunt seu concernere possunt*, *absolvas & cum illis & hujusmodi ecclesiasticis personis*, *quæ sic ligatæ vel etiam in præsentia excommunicatorum*; *non tamen in contemptum clavium*, *divina officia celebrando vel immiscendo se illis irregularitatis maculam contraxerunt*, *eadem auctoritate dispenses*: *nec non eosdem & quemlibet prædictorum ad omnia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura*, *ac canonicatus*, *& præbendas*, *dignitates*, *personatus & officia*, *ecclesias*, *hospitalia & alia beneficia quæcumque*, *etiamsi dignitates ipsæ abbatiales*, *priorales aut conventuales fuerint*: *nec non ad quoscumque honores*, *dignitates alias &*
E *officia*, *quibus tam à jure*, *quam ab homine propter prædicta essent privati*, *dummodo in ipsis tempore datarum præsentium non sit alias alicui specialiter jus quæsitum*, *ac ad privilegia*, *bona & jura & ad omnes actus legitimos prædicta auctoritate restituas & reintegres*: *ac in statum pristinum reducas & reponas*, *in quo erant ante tempus*, *quo hujusmodi banna*, *sententias sive pœnas incurrerunt*; *districtius inhibentes dilectis filiis quibuscumque officialibus nostris & dictæ ecclesiæ*, *qui sunt & erunt pro tempore*, *ne contra eosdem populum & Communitatem ac personas vel aliquem eorum occasione hujusmodi criminum vel excessuum seu delictorum*, *in quantum hujusmodi interesse publicum & dictam cameram concernunt vel concernere possunt*, *procedere vel occasione præmissorum ipsos aut aliquem eorum molestare vel banna seu pœnas aut condemnationes hujusmodi exigere aut petere quoquomodo præsumant*; *decernentes ex nunc irritos & inanes quoscumque processus & sententias*, *quos seu quas*
F *contra inhibitionem nostram hujusmodi haberi contigerit seu etiam promulgari*: *& nihilominus mandantes omnibus & singulis officialibus nostris & dictæ ecclesiæ*, *qui libros seu codices*, *in quibus hujusmodi banna seu condemnationes forsitan sunt descripta*, *seu annotata obtinent*, *quatinus illa de libris seu codicibus ipsorum de-*

*deleant & cassent ac deleri & cassari faciant cum effectu: ac ti-
bi & hujusmodi personis, quibus vices tuas commiseris, ut præ-
fertur, districtius inhibentes ne ratione beneficii absolutionis hu-
jusmodi à quibuscumque personis prædictis singularibus, quæ oc-*
422 *casione præmissorum venerint absolvendæ, aliquid exigere vel etiam
gratis & sponte oblatum recipere quomodolibet præsumatis. Con-
trarium vero facientes eo ipso sint excommunicationis sententia
irretiti & à dignitatibus, officiis & administrationibus quibus-
cumque suspensi: & nihilominus ad hujusmodi indebite percepto-*
A *rum restitutionem integram teneantur. Volumus autem, quod
si populus & commune ac personæ prædictæ, quæ vigore præsen-
tium absolventur, vel aliqua ex eis ullo unquam tempore, quod
absit, ab obedientia & subjectione nostra vel dictæ* Romanæ *ec-
clesiæ se subtraxerint, vel nobis & eidem ecclesiæ rebelles fuerint
hujusmodi subtrahentes & rebelles in prædictas pœnas & senten-
tias reincidant ipso facto, & præsentes litteræ, quo ad eos, nul-
lius existant roboris vel momenti. Datum* Romæ *apud sanctum*
Petrum XIV. *Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo.*

XXVII.
BONIFACIUS PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. **B***Onifacius &c.* Ad futuram rei memoriam. Sinceræ
devotionis affectus, quem dilecti filii, Commune
nostræ civitatis ORTANAE, nec non universitates o-
pidorum, castrorum, terrarum, villarum & locorum co-
mitatus & districtus civitatis ejusdem, ad nos & *Romanam*
gerunt ecclesiam, merito nos inducit, ut illa Communi
& universitatibus prædictis ac particularibus personis eo-
rumdem, civitatis, comitatus, & districtus, favorabiliter
concedamus, quæ suis commoditatibus fore conspicimus
oportuna. Hinc est quod nos volentes Commune, uni-
versitates & particulares personas hujusmodi favoribus
prosequi gratiosis, ipsorum in hac parte supplicationibus
inclinati, Communi, universitatibus & personis præfatis
auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut
in primis causis civilibus & criminalibus, quantum videli-
cet ad seculare forum pertinet, extra loca incolatus pro-
prii seu domicilii vel civilelii per litteras Apostolicas de
cetero impetrandas non facientes plenam & expressam ac
423 de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem,
aut vigore constitutionum provinciæ nostræ patrimonii
beati *Petri* in Tuscia, infra quam civitas & comitatus &
B districtus hujusmodi consistunt, ac aliorum statutorum seu
consuetudinum quarumcumque, nequeant nisi in quin-
que exceptis casibus in constitutionibus dictæ provinciæ
expressis, ad judicium evocari, sic tamen coram propriis
vel delegatis judicibus infra civitatem seu alia opida, ca-
stra, Terras, villas vel loca hujusmodi teneantur legitime
stare juri. Decernimus insuper, sententias & processus,
quas & quos contra præsentis indulti formam promulgari
forsan contigerit vel haberi, nisi forsan judices hujusmodi
in exhibendo petentibus justitiæ complementum, negli-
gentes fuerint vel remissi, irritos & inanes. Volumus
etiam quod si ullo unquam tempore, quod absit, Com-
mune aut universitates seu particulares personæ hujusmo-
di aut aliqua ipsarum se à fidelitate & obedientia nostra
& dictæ ecclesiæ subtraxerint vel subtraxerit, præsens in-
dultum, quoad subtrahentes vel subtrahentem hujusmo-
di, nullius existat roboris vel momenti. Nulli ergo *&c.*
C nostræ concessionis, constitutionis & voluntatis infringe-
re *&c.* Si quis *&c.* Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum*
XIV. Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo.

NOTA.

H*Oc privilegium occurrit cum quibusdam aliis ur-
bi* HORTANAE *concessis, & i-
bidem editis per Petrum Mat-
thæum Thesorium de Foro Sem-
pronii anno* 1551. *in folio.*

XXVIII.
BONIFACIUS PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. **B**Onifacius &c. *Dilectis filiis Communitati & hominibus
civitatis nostræ* ORTANAE *salutem* &c. *Sinceræ devotio-
nis affectus, quem ad nos &* Romanam *geritis ecclesiam
merito nos inducit, ut ea, quæ pacis & quietis vestræ commoda*
424 *respicere noscuntur, vobis liberaliter concedamus. Cum itaque,
sicut accepimus, nonnulli de civitate nostra* ORTANA *exititii seu
alias banniti existant, qui si ad eandem civitatem reciperentur
& admitterentur, multa ex inde ipsius civitatis tranquillitati
possent damna & scandala irrogare: nobisque pro parte vestra
fuerit humiliter supplicatum, ut vobis super his providere, de
benignitate Apostolica dignaremur. Nos hujusmodi supplicationi-
bus inclinati, auctoritate Apostolica vobis tenore præsentium in-
dulgemus, ut usque ad decennium, à data præsentium compu-
tandum, & etiam post hujusmodi decennium elapsum, nisi id*
D *de vestra processerit voluntate, nullus legatus aut subdelegatus
Apostolicæ Sedis, aut nostri seu dictæ Sedis rectores, seu officia-
les, qui sunt & erunt pro tempore, ad hujusmodi exititiorum
& bannitorum in prædictam civitatem receptionem & admissio-
nem quacumque etiam auctoritate, nisi ex speciali mandato e-
jusdem Sedis plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de
indulto hujusmodi mentionem faciente, compellere vos valeant
quoquo modo. Nos enim quicquid contra indulta hujusmodi no-
stri tenoris extiterit propria temeritate præsumptum, irritum de-
cernimus & inane. Nulli ergo* &c. *nostræ concessionis, & con-
stitutionis infringere* &c. *Si quis autem* &c. *Datum* Romæ
apud sanctum Petrum XIV. *Kal. Junii pontificatus nostri anno
septimo.*

XXIX.
BONIFACIUS PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. **B***Onifacius &c.* Dilecto filio magistro *Paulo* de *Juve-
natio*, cameræ Apostolicæ clerico, & civitatis no-
stræ ORTANAE, ejusque comitatus, territorii & di-
strictus pro nobis & *Romana* ecclesia reformatori salutem
&c.. Ad statum civitatis nostræ ORTANAE, ejusque co-
mitatus, territorii & districtus pacifice & salubriter diri-
gendum, solicitis studiis intendentes, ad ea, per quæ sta-
tus ipsorum salubriter dirigatur, libenter intendimus, &
ad reformationem illorum, quæ deformata conspicimus,
425 adhibemus solicitudinis nostræ partes. Cum itaque, sicut
accepimus, civitas prædicta, ejusque comitatus, territo-
rium & districtus magna reformatione indigere noscantur,
nos ad reformationem hujusmodi, prout ex debito pasto-
ralis officii tenemur, paternis & solicitis studiis intenden-
tes, ac sperantes, quod tu, qui etiam cubicularius noster
existis, de cujus fidelitate, prudentia & diligentia in mul-
tis & arduis comprobatis sumpsimus in Domino fiduciam
specialem, ea quæ tibi commiserimus curabis fideliter, so-
licite & prudenter adimplere; harum consideratione indu-
cti te refotmatorem civitatis, comitatus, territorii & di-
strictus prædictorum usque ad nostrum beneplacitum, au-
ctoritate Apostolica, tenore præsentium constituimus; &
E etiam deputamus tibi civitatem, comitatum, territorium &
districtum prædicta, in omnibus his, quæ reformatione &
correctione noveris indigere auctoritate nostra reforman-
di & corrigendi; ac in eis quæcumque tibi pro honore & sta-
tu nostro & sanctæ *Romanæ* ecclesiæ ac civitatis, comita-
tus, territorii & districtus prædictorum, ejusque civium,
incolarum & habitatorum videris expedire, statuendi &
ordinandi: necnon possessionem & tenutam *Rocchæ* ipsius
civitatis, ac terrarum, castrorum & aliorum locorum i-
psorum comitatus, territorii & districtus prædictorum à di-
lecto filio *Berochio* cive ORTANO & quibuscumque aliis *Roc-
chæ*, terrarum, castrorum & locorum ipsorum Castellanis,
custodibus & aliis in eis deputatis nostro & dictæ ecclesiæ
nostræ recipiendi; ipsosque *Berochium*, Castellanos & cu-
stodes ac deputatos hujusmodi de receptis & assignatis per
eos tibi, & omnibus, quæ ab eis ratione eorum quovis
F modo petere possemus, quietandi penitus & liberandi; &
in *Rocca*, Terris, castris & locis ipsis & eorum quolibet
castellanos, capitaneos & alios officiales necessarios & o-
portunos, si, & prout tibi videbitur faciendum, quoties
opus fuerit, & tibi videbitur, ponendi, deponendi, eis-
que salaria congrua, de quibus tibi videbitur, conceden-
di,

di, & super salariis hujusmodi debitis & debendis componendi & concordandi, ac de omnibus & singulis fructibus, redditibus, proventionibus, introitibus & emolumentis civitatis, comitatus, territorii & districtus prædictorum, ad cameram Apostolicam pertinentibus, pro præmissis & aliis; de quibus tibi videbitur, arbitrio tuo disponendi & ordinandi, ac omnia alia & singula ad hujusmodi reformationis officium quomodolibet pertinentia, & quæ pro
426 honore & statu hujusmodi tibi videbuntur oportuna, faciendi, mandandi, disponendi, ordinandi & exequendi; alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mobilium civitatis, comitatus, territorii & districtus prædictorum, tibi penitus interdicta: contradictoresque per spirituales & temporales districtiones, prout tibi visum fuerit expedire, appellatione postposita, compescendi, plenam & liberam auctoritate Apostolica tenore præsen-
A tium concedimus potestatem: mandantes dilectis filiis civibus, incolis & habitatoribus ac Potestatibus, castellanis & aliis officialibus civitatis, comitatus, territorii & districtus *Rocchæ* terrarum, castrorum, locorum prædictorum & cuilibet eorum, ut hujusmodi beneplacito durante, in omnibus, quæ ad hujusmodi reformationis officium quomodolibet pertinent, tibi pareant, obediant efficaciter, & intendant; alioquin sententiam sive pœnam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam & gratam habebimus, & faciemus auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Tu igitur officium prædictum sic studiose, fideliter & prudenter exequi studeas, quod exinde sperata commoda proveniant, tuque apud nos & Apostolicam Sedem amplius valeas non immerito commendari. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* v. idus Julii anno septimo.

XXX.

BONIFACIUS PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. Bonifacius &c. *Dilecto filio magistro* Paulo *de* Juvennatio *cameræ Apostolicæ clerico, Cubiculario nostro salutem* &c. *De fidelitate & prudentia tuis, familiari experientia nobis notis, plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod ea quæ tibi commiserimus curabis fideliter adimplere, horum consideratione inducti tibi dilectam in Christo filiam nobilem mulie-*
B *rem . . . . . dilecti filii nobilis viri* Berochii Domicelli Ortani *natam, in Chrismate nostro nomine tenendi & alia circa hæc necessaria faciendi, plenam & liberam concedimus potestatem. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum v. *Kal. Augusti pontificatus nostri anno septimo.*

427

XXXI.

BONIFACIUS PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. Bonifacius &c. *Dilecto filio nobili viro* Berochio *Domicello* Ortano *salutem* &c. *Cum nos dilectum filium nobilem virum* Johannem Philimarinum *dictum* Chiottum, Domicellum Neapolitanum, *Castellanum* Rocchæ *civitatis nostræ* Ortanae *duxerimus deputandum, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur, volumus & tibi mandamus, quatenus ipsam* Roccham, *quam tenes & ejus tenutam eidem* Johanni *ad quancumque ejusdem requisitionem,*
C *visis præsentibus, tradas & assignes. Nos enim eidem* Johannte *de ipsa* Roccha *& omnibus, quæ ipsius occasione à te petere quovis modo possemus, facta per te sibi præfata ipsius* Rocchæ *assignatione, nostro &* Romanæ *ecclesiæ nomine quitandi penitus, & liberandi plenam & liberam concedimus tenore præsentium potestatem. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum v. *Kal. Augusti anno septimo.*

XXXII.

BONIFACIUS PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. Bonifacius &c. *Dilecto filio nobili viro* Verrochio Georgii, *domicello* Ortano, *castri nostri Utriculi* Narniensis *diœcesis pro nobis &* Romana *ecclesia in temporalibus Vicario salutem* &c. *Ad statum castri nostri Utriculi* Narniensis *diœcesis ejusque territorii & districtus pacifice & salubriter dirigendum, sollicitis studiis intendentes, operarias manus libenter apposuimus, ut in eis cultus justitiæ vigeat & pacifica tranquilli-*
428 *tas refloreat, plantentur boni mores, & reprobi extirpentur. viri quoque virtuosi propriæ actionis præmium sentiant; mali vero corrigantur & si obstinati fuerint, luant pro demeritis dignas pœnas. Hinc est quod nos de tuis, fidelitate, prudentia, ac diligentia in multis arduis comprobatis, sumentes in Domino fiduciam spectabilem, & sperantes quod illa, quæ tibi commiserimus, exequeris fideliter, solicite & prudenter; te dicti castri, ejusque territorii & districtus pro nobis &* Romana *ecclesia in temporalibus Vicarium cum honoribus, oneribus. officialibus, sociis & famulis consuetis usque ad nostrum beneplacitum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium facimus, restituimus; & etiam deputamus tibi omnia & singula, quæ pro nostro & ipsius ecclesiæ honore & pro cultu justitiæ, pace, tranquillitate & prospero statu castri, territorii & districtus prædictorum, expedientia cognoveris, & quæ ad hujusmodi vicariatus officium pertinent, de consuetudine vel de jure mandandi, ordinandi, dispo-*
D *nendi, faciendi & exequendi; alienatione tamen bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium dictorum castri, territorii & districtus, tibi penitus interdicta; contradictoresque auctoritate nostra per temporalem districtionem, prout expediens fuerit, & tibi videbitur faciendum, appellatione postposita, compescendo; potestatem plenam & liberam contra inobedientes, ac mandantes dilectis filiis Terrigenis & incolis ac habitatoribus castri, territorii & districtus prædictorum, ut hujusmodi beneplacito durante, tibi in his, quæ ad officium ipsum pertinent, pareant effectualiter & intendant. Alioquin sententiam sive pœnam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam & gratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, quod antequam officium ipsum incipias exercere, de eodem officio fideliter exercendo ac debitæ fidelitatis in manibus venerabilis fratris nostri* Conradi *archiepiscopi* Nicosiensis, *Camerarii nostri, præstes in forma solita juramentum. Tu igitur officium prædictum prompta devotio-*
E *ne suscipiens, sic illud studiose, fideliter exequaris, quod exinde spectata commoda proveniant, tuque apud nos & Apostolicam Sedem de fidelitate, prudentia & diligentia amplius valeas non immerito commendari. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *decimoquincto Kal. Junii anno septimo.*

429

XXXIII.

BONIFACIUS PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. *Bonifacius &c.* Dilecto filio *Verrochio Georgii*, Civi Ortano, in castro nostro *Bauce* Ortanae diœcesis, ejusdemque castri territorio & districtu pro nobis & *Romana* ecclesia in temporalibus Vicario salutem *&c.* Inter ceteras, varias, multiplicesque curas, quibus assidue premimur, illa præcipue pulsat & excitat mentem nostram, ut ad regimen & gubernationem castrorum, Terrarum & locorum *Romanæ* ecclesiæ immediate subjectorum, viros deputemus idoneos, fide præclaros, providentia circumspectos, rectitudine justos, experientia doctos, & solici-
F tudine vigiles, qui statum & honorem dictæ ecclesiæ diligant, pacem ament, concordiam nutriant, subditos non gravent, & sine personarum acceptatione justitiam administrent: & sic prudenter & juste populos gubernent & regant, quod iidem populi & subjecti nostri, laudabiles se recepisse rectores & gubernatores merito glorientur. Sane attendentes sinceræ devotionis affectum, quem tu ad nos & eandem ecclesiam *Romanam* geris; necnon circumspectionis industriam & sinceritatem personæ tuæ, & alias multiplices virtutes, quibus Dominus earum largitor ean-

dem personam tuam multipliciter insignivit; ac volentes aliquibus ex dictis subditis de utili & provido gubernatore providere; indubieque sperantes, quod ea, quæ tuo sagaci studio duxerimus committenda, promptis affectibus & exacta diligentia prudenter ac fideliter exequeris, te, quoad vixeris, & post tui obitum heredes tuos usque ad tertiam generationem inclusive, vicarios nostros & *Romanæ* ecclesiæ in temporalibus in castro nostro *Bauce* Ortanae diœcesis ejusdemque castri territorio & districtu, ad nos & eandem ecclesiam nullo medio pertinentibus, dummodo tu & iidem heredes persistatis & continuetis in obedientia & fidelitate nostra & dictæ ecclesiæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium facimus, constituimus; & etiam deputamus tibi & heredibus prælibatis regimen
430 & gubernationem castri prædicti, hujusmodi vicariatu durante, cum illius mero & mixto imperio, ac omnimoda jurisdictione temporali, quam inibi prædicta ecclesia seu officiales per eandem ecclesiam hactenus deputati de jure aut privilegio vel consuetudine exercere consueverunt ad honorem vestrum & ejusdem Ecclesiæ, statumque pacificum & tranquillum castri, territorii & districtus prædictorum ac incolarum & habitatorum eorumdem per te & heredes prædictos, vel alium seu alios juste & fideliter exercendis; necnon custodiam *Roccharum*, si qua sit in illo, plenarie committentes, tibique & præfatis heredibus in prædicto casu, durante vicariatu hujusmodi, per vos vel alium seu alios inibi quoscumque Potestates, judices, & officiales idoneos, qui possint ac debeant in eisdem castro, territorio, & districtu quæstiones quaslibet tam civiles, quam criminales & alias cujuscumque speciei vel generis motas vel movendas, exceptis criminibus hæresis & læsæ Majestatis & falsitatis litterarum Apostolicarum, audire & de illis prævia ratione cognoscere, easque sine debito terminare & executioni debitæ demandare; constituendi, creandi, faciendi, removendi & destituendi, ac alios ad illa quotiens tibi & dictis heredibus placuerit deputandi: necnon colligendi, habendi, exigendi, & percipiendi, & durante hujusmodi vicariatu tuis & dictorum heredum tuorum usibus applicandi omnes & singulos fructus, redditus, & proventus, ac omnia & singula emolumenta & introitus quocumque nomine censeantur in castro, territorio & districtu prædictis: de quibus nullam tu nec heredes prædicti teneamini reddere rationem ad nos & dictam ecclesiam pertinentia: ita tamen quod ex hoc universitas & singulares personæ castri, territorii & districtus prædictorum, absque ipsorum expressa voluntate, ultra consuetum modum non graventur, & de ipsis omnibus & singulis debitis pedagiis, emolumentis & introitibus, durante hujusmodi vicariatu, prout tibi & heredibus hujusmodi videbitur, disponendi; alienatione bonorum & jurium ipsius castri tibi & prædictis heredibus penitus interdicta: ac per te & dictos heredes vel alium seu alios, quibus tu vel iidem heredes id commiseritis, hujusmodi vicariatu durante, merum & mixtum imperium ac omnimodam jurisdictionem prædictam, præterquam in casibus superius expressis & exceptis, exercendi: necnon contradictores quoslibet & rebelles, quotiens expedierit, temporali districtione, qua convenit, compe-
431 scendi, ac omnia alia & singula quæ honori nostro & ejusdem ecclesiæ & pro statu pacifico & tranquillo castri, territorii & districtus prædictorum incolarum & habitatorum eorumdem expedire cognoveritis, faciendi, statuendi, ordinandi, corrigendi, puniendi, definiendi & exequendi, auctoritate prædicta facultatem plenariam concedentes, ac volentes quod ad mandatum dictæ ecclesiæ & officialium ad hoc potestatem habentium, tu & heredes prædicti faciatis exercitus & calvacatas, & ad præliamentum provinciæ nostræ patrimonii B. *Petri* in *Tuscia*, in quo prædictum castrum consistit, accedatis quotiens vobis fuerit injunctum; ac ordinationes & mandata dicti præliamenti observetis, & quod nunquam confœderationes seu ligas aliquas faciatis contra nos aut *Romanam* ecclesiam & rectorem dictæ provinciæ cum aliquibus universitatibus, comitatibus & singularibus personis; & si forsan aliquas fecistis vel faceretis, illas nullatenus observetis. quas nos decernimus nullas fore, ac te & heredes prædictos ad illarum observationem, etiamsi juramentum intervenisset, non teneri. Sic tamen, quod de hujusmodi consuetis & debitis fructibus, redditibus & proventibus, ac introitibus & aliis quibuscumque emolumentis, tu & heredes prædicti teneamini castrum, territorium & districtum hujusmodi vestris sumptibus & expensis diligenter & fideliter reparare & manutenere, conservare, defendere, ac etiam custodire, ac omnia alia ipsorum onera supportare, absque eo quod dicta ecclesia tibi vel heredibus prædictis pro hujusmodi vicariatu, rectoria, gubernatione, reparatione, refectione, conservatione, defensione, custodia & oneribus supportandis subvenire in aliquo teneatur seu pro expensis, quæ in præmissis seu præmissorum aliquo seu alteris quomodolibet, vel eorum occasione factæ sint, vel quas fieri continget in futurum, aliquid ab eadem ecclesia exigi seu peti possit, seu etiam vicariatu finito, restitutio castri, territorii & districtus hujusmodi retardari valeat seu quomodolibet impediri. Et nihilominus pro omnibus & singulis introitibus & proventibus castri prædicti nomine canonis seu census nobis & *Romanæ* ecclesiæ, seu cameræ Apostolicæ in urbe *Romana*, aut ubi nos vel successores nostri canonice intrantes residebimus, aut *Romana* curia fue-

A rit, unum par *Fasianorum* annis singulis, hujusmodi vicariatu durante, in festo sanctorum *Petri* & *Pauli*, quod est de mense Junii, tuis & dictorum heredum periculis, fortuna, sumptibus & expensis dare, assignare, ac solvere realiter tu tenearis, & ipsi heredes etiam teneantur. Vo- 432
lumus etiam & retinemus ac specialiter & expresse reservamus, quod dicto vicariatu durante rectores provinciæ nostræ prædictæ, qui erunt pro tempore, ac eorum locatenentes & curia generalis ipsorum rectorum in causis appellationum quarumlibet tam civilium, quam criminalium & aliis ad dictam curiam generalem de jure, vel consuetudine, seu alias legitime deferendis cum plena examinatione & cognitione decidendis ab eis, eo jure plene ac libere & pacifice in castro, territorio & districtu supradictis & contra ipsorum incolas & habitatores cognoscant & utantur sicut in castris, terris & locis aliis dictæ provinciæ, quæ immediate pro dicta reguntur ecclesia: in
B ipsorumque habitatores & incolas de jure, stilo, ordinationibus seu antiqua consuetudine quomodolibet usi fuerint hactenus, & cognoscere & uti consueverunt seu cognoscent & utentur imposterum: salvis tamen & reservatis in hoc quibuslibet privilegiis & indultis, castro, territorio & districtu prædictis in hac parte competentibus, si qua forent, quibus propterea non intendimus derogare. Volumus insuper, & hujusmodi vicariatus constitutioni adjicimus per præsentes, quod incolæ & habitatores prædicti ad parlamenta generalia accedere ac exercitus & cavalcatas more solito, sicut alii de dicta provincia facere consueverunt, facere teneantur; quodque tu & heredes prædicti per nos & officiales nostros, quos ad hoc duxeritis deputandos, castrum, territorium & districtum prædictos ac incolas & habitatores eorumdem, hujusmodi vicariatu durante, juste & legitime regatis & gubernatis; sua
C jura, consuetudines & statuta castri, territorii & districtus ipsorum ac incolas & habitatores prædictos nullatenus opprimatis, sive gravetis. Immo in bona justitia manuteneatis & foveatis ad bonum statum, pacificum & tranquillum ejusdem, & quod omnia statuta, si qua essent in eisdem castro, territorio & districtu contra *Romanam* ecclesiam & officium inquisitionis hæreticæ pravitatis, libertatem ecclesiasticam, ecclesias sive ecclesiasticas personas, seu earum aliquas cassetis de libris & capitularibus eorumdem: nec ea servetis, nec servari permittatis, nec receptetis manifestos vel occultos hostes, inimicos, rebelles vel bannitos ejusdem ecclesiæ, seu etiam criminosos de terris ecclesiæ ad castrum, territorium & districtum confugientes, nec directe vel indirecte faciatis per alios publice vel occulte receptari, nec eis vel eorum alicui auxilium, consilium vel favorem dari aut præstari ullo mo- 433
do permittatis. Quin potius quoscumque ex eis in tuam & dictorum heredum pervenientes potestatem, quotiens
D super hoc à legato Apostolicæ Sedis vel rectore provinciæ prædictæ, aut aliis dictæ Ecclesiæ officialibus, ad quos ratione officiorum suorum id pertineret, requisiti extiteritis, bona capi faciatis, & ad hujusmodi requirentes sub fida custodia destinari. Mandamus quoque districtius dilectis filiis castri prædicti, universitati, ac singularibus personis, incolis & habitatoribus prælibatis, quatenus te dictosque heredes, ut præmittitur, tanquam vicarios nostros & rectores eorum, benigne recipiant, honorificeque pertractent: & tibi & ipsis heredibus, tanquam ipsorum rectoribus & aliis officialibus tuis & ipsorum heredum, quos ad castri ejusdem regimen duxeritis deputandos, in omnibus, quæ ad vicariatus & rectoriæ hujusmodi spectant officium nostræ & dictæ Ecclesiæ ac successorum nostrorum nomine, hujusmodi vicariatu durante, juxta præsentis constitutionis nostræ tenorem, plene in-
E tendere studeant, & efficaciter obedire. Tu igitur castrum præfatum, hujusmodi vicariatu durante, sic in tranquillitate & pacis dulcedine ac justitiæ fideliter, solicite, ac prudenter gubernare & regere studeas & procures, quod personæ & habitatores prædicti utili gubernatori & rectori provido gaudeant se commissos; tuque apud Deum & homines exinde possis merito commendari, & nostram & Ecclesiæ prædictæ benedictionem & gratiam uberius consequi merearis. Forma autem juramenti, quod tu ratione hujusmodi vicariatus nobis præstitisti, & quod per quemlibet heredum prædictorum, in casu prædicto, *Romano* Pontifici, qui erit pro tempore, vel ei, quem ad id deputaverit, volumus præstari, talis est. Ego *Verochius Georgii* civis Ortanus, in castro *Bauce* Ortanae diœcesis, ejusdemque castri territorio & districtu pro sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro, domino *Bonifacio* divina providentia IX. & sancta *Romana* Ecclesia in tem-
F poralibus vicarius deputatus, promitto & juro, quod ab hac hora inantea fidelis ero B. *Petro* Apostolorum Principi & eidem domino nostro, domino *Bonifacio* Papæ IX. & successoribus suis *Romanis* Pontificibus canonice intrantibus. Non ero in consilio, auxilio, opere, seu facto, quod dictus dominus noster seu successores sui vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi significaverint vel committent per se, vel nuncios sive litteras, sine eorum licentia, ad ipso- 434
rum damnum scienter nemini pandam vel manifestabo; & nunquam ero verbo vel facto, consilio vel consensu, directe vel indirecte, per me vel alium, seu alios, publice vel occulte, seu quovis modo contra *Romanam* Ecclesiam vel Dominum nostrum summum Pontificem, qui nunc est

est vel pro tempore erit. Sed semper ero adjutor ad conservandum, retinendum, defendendum, ac recuperandum civitates, terras, castra, loca, villas, rocchas, & bastitas, ac fortalitia ac omnia jura S. R. Ecclesiæ. Etiam male alienata, vel per quoscumque homines occupata, vel tyrannice detenta, adjuvabo pro posse recuperare & recuperata secundum posse defendere: & in suo pleno dominio, juribus, utilitatibus & honoribus conservare dictam *Romanam* Ecclesiam & dictum Dominum nostrum summum Pontificem, qui nunc est, vel pro tempore erit, ac vicarios, legatos & officiales ipsius, etiam contra asserentes damnatæ memoriæ *Robertum*, olim basilicæ XII. Apostolorum vulgariter dictum *Gebennensem*, olim Antipapam, fuisse verum Papam, & *Joannem* olim tituli S. *Marcelli* dictum *Ambianensem*, presbyteros cardinales, per fel. rec. *Urbanum* Papam VI. justo Dei judicio, auctoritate Apostolica, tanquam hæreticos & schismaticos puniendos, eorum culpis & notoriis demeritis exigentibus, similiter condemnatos, & contra eorum sequaces ac dantes eis, vel eorum alicui auxilium, consilium vel favorem, cujuscumque fuerint præeminentiæ, ordinationis, dignitatis, religionis, conditionis, aut status, etiamsi pontificali, regali, seu reginali vel quavis alia præfulgeant dignitate; & etiam si fuerint dictæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinales; & contra alios quoscumque per Ecclesiam denotatos vel imposterum denotandos, quamdiu extra gratiam & communionem dictæ ecclesiæ permanebunt. Nec eis vel alicui eorum dabo quovis modo per me vel alium seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem. Nec ab aliis, quantum in me erit, & impedire potero, id præstari seu dari permittam. Sed eos pro posse impediam, donec reducantur ad gremium S. R. Ecclesiæ, ac obedientiam præfati domini *Bonifacii* IX. Juxta tenorem processuum Apostolicorum, & prout justum fuerit præfatos damnatos, excommunicatos, & filios perditionis pro posse persequar & invadam, ac persequi & invadi faciam, etiam contra omnes homines juxta meum posse & bona fide: & quod nunquam ero verbo, vel facto, consilio, vel consensu, ut aliquis Impe-
435 rator, Rex, Dux, vel Marchio, seu quivis alius nobilis, universitas, communitas seu collegium alicujus civitatis, terræ vel loci Ecclesiæ *Romanæ* prædictæ, eligantur, nominentur, seu etiam assumantur in Dominum vel rectorem castri, territorii & districtus prædictorum, aut alicujus eorum, sine expressa licentia dicti domini Papæ, qui

A nunc est, vel pro tempore erit, seu legatorum ejus. Et constitutiones papales, & maxime *Joannis* XXII. *Clementis* VI. & *Innocentii* VI. summorum pontificum, loquentium de hac materia, pro posse & totis viribus observabo. Et si contingeret, quod aliquis nominaretur vel eligeretur, aut assumeretur in Dominum, officialem, vel rectorem in castro, territorio, vel districtu prædictis, sine expressa licentia dicti domini nostri, aut legatorum seu vicariorum ejus, non præstabo eis consilium, vel favorem publice vel occulte. Sed pro viribus, in quantum potero, repugnabo. Et quod reverenter ac honorifice, juxta posse meum, in dictis castro, territorio & districtu dictum dominum nostrum Bonifacium PP. IX. qui nunc est & successores suos *Romanos* pontifices canonice intrantes, ac legatos, nuncios, vicarios, & officiales eorumdem, qui pro tempore essent, quotiens ad partes illas accesserint, reverenter & humiliter recipiam, ac pro posse
B honorifice pertractabo. In fidelitate & obedientia ipsius *Romanæ* Ecclesiæ & dicti domini nostri Papæ, & successorum suorum *Romanorum* Pontificum canonice intrantium, ac legatorum, vicariorum, & officialium suorum perpetuo & inviolabiliter permanebo. Et quod nunquam contra *Romanam* Ecclesiam & dominum meum *Bonifacium* PP. IX. seu successores suos *Romanos* Pontifices canonice intrantes, aut contra officiales ipsorum rebellabo, aut rebellantibus adhibebo quoquomodo auxilium; nec consilium, vel favorem publice vel occulte ipsis rebellantibus dabo. Sed præceptis, monitionibus, & jussionibus dictæ *Romanæ* Ecclesiæ summorumque Pontificum parebo, & reverenter obediam cum effectu. Cavalcatas, offensiones, invasiones, aut dissensiones non faciam, nec fieri procurabo contra aliquos *Romanæ* Ecclesiæ fideles, subditos, devotos, & obedientes; nisi in quantum dictus dominus noster Papa permiserit, & de sua processerit vo-
C luntate. Nullam conjurationem, conspirationem, seu ligam faciam contra dictum dominum nostrum *Bonifacium* PP. IX. ejusque successores prædictos, vel *Romanam* Ecclesiam, aut officiales ipsorum. Nec aliquibus, nec alicui eorum damna faciam vel fieri procurabo directe, vel 436
indirecte, publice vel occulte: & quod omnia & singula supradicta inviolabiliter observabo. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* XIV. Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo.

XXXIV.

BONIFACIUS. PP. IX.

Ex Archivo Vaticano.

Pag. 299. An. 1396.

BOnifacius &c. *Dilecto filio* Verrochio Georgii *civi* ORTANO, *nostro nunc in castro nostro* Bauce ORTANAE *diœcesis, ejusdemque castri territorio & districtu pro nobis &* Romana *Ecclesia in temporalibus Vicario, salutem* &c. *Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos &* Romanam *Ecclesiam geris, merito nos inducit, ut te Apostolici favoris gratia prosequamur. Nuper siquidem te, quoad viveres, & post obitum tui, heredes tuos usque in tertiam generationem inclusive, vicarios nostros & S. R. Ecclesiæ in temporalibus in castro nostro* Bauce ORTANAE *diœcesis, ejusdemque castri terrritorio & districtu ad nos & eandem Ecclesiam, nullo medio pertinentibus, te, & heredibus tuis hujusmodi, in fidelitate, obedientia & devotione nostra & dictæ Ecclesiæ persistentibus, per nostras litteras auctoritate Apostolica fecimus, constituimus. Et etiam deputavimus tibi & heredibus tuis præfatis regimen & gubernationem castri, ac territorii & districtus prædictorum, vicariatu hujusmodi perdurante, in eisdem temporalibus plenarie committendo, prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos igitur volentes tibi ac heredibus tuis hujusmodi, ut prædictum castrum, ac jura ipsius melius & salubrius manutenere & defendere valeatis, de alicujus subventionis auxilio providere provisione annua decem ducatorum auri tibi & filiis tuis masculis ex tuo corpore legitime venientibus, hujusmodi castri territorii & districtus Vicarius, de introitibus & redditibus generalis gabellæ civitatis* ORTANAE

D *per dilectum filium camerarium ipsius civitatis pro tempore existentem, nostro & dictæ Ecclesiæ nostræ mense quolibet de cetero,* 437
durante vicariatu hujusmodi, persolvendum auctoritate Apostolica tenore præsentium deputamus, & etiam assignamus. Tibi nihilominus de specialis dono gratiæ concedentes, ut cum introitus & redditus dictæ gabellæ usque ad vigesimam octavam diem mensis Januarii proxime futuri ex certis causis obligati ac venditi existant, infra hujusmodi tempus de pecuniis ad dictum camerarium ex condempnationibus, quas in dicta civitate fieri contingeret, provenientibus, hujusmodi provisionem decem ducatorum interim mense quolibet libere percipias, ac etiam assequaris: eidemque camerario districtius harum serie injungentes, quatenus tibi & heredibus & filiis tuis hujusmodi provisionem mense quolibet, hujusmodi vicariatu durante, integraliter tradat, effectualiterque consignet. Nos enim tibi ac heredibus & filiis tuis hujusmodi præfatum camerarium nostro & Apostolicæ cameræ nomine de receptis plenarie quitandi ac etiam liberandi plenam &
E *liberam tenore præsentium . . . . . concedimus facultatem. Volumus autem quod . . . de solutione, quietatione hujusmodi continue duo consimilia confici faciat publica instrumenta: quorum uno penes se pro sui cautela retento, reliquum ad dictam cameram transmittere non omittat. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum . . . *Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo.*

XXXV.

BONIFACIUS. PP. IX.

Ex eodem Archivo.

Pag. 299. An. 1396.

BOnifacius &c. *Dilecto filio* Verrochio *civi* ORTANO, *castri nostri* Bauce ORTANAE *diœcesis, ejusdemque territorii & districtus pro nobis &* Romana *Ecclesia in temporalibus Vicario salutem* &c. *Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos &* Romanam *Ecclesiam geris, promeretur, ut ea tibi favorabiliter concedamus, quæ tuis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Nuper siquidem te ac filios & heredes tuos us-*
438 *que in tertiam generationem inclusive, in castro nostro* Bauce, ORTANAE *diœcesis, ipsiusque territorio & districtu, Vicarium in temporalibus pro nobis &* Romana *Ecclesia duximus statuendum, prout in Apostolicis literis superinde confectis plenius continetur. Nos igitur volentes, te, ut a tuis, ac filios & heredes prædictos, ut ab eorum æmulis, tutiores existatis, Apostolici fa-*

F *voris munimine confovere, tibi ac filiis & heredibus prædictis, ut hujusmodi vicariatu durante, quæcumque arma offensibilia & defensibilia in quibuscumque civitatibus, terris, castris & locis nobis & dictæ ecclesiæ immediate subjectis publice & occulte, alicujus licentia super hac minime requisita, libere & licite gerere valeatis, auctoritate prædicta tenore præsentium de speciali gratia indulgemus quibuscumque nostris & dictæ ecclesiæ officialibus, ne erga te, ac filios & heredes tuos hujusmodi præsentis indulti nostri tenore, aliquid attemptare præsumant, districtius inhibentes. Nulli ergo* &c. *Nostræ concessionis & inhibitionis infringere* &c. *Si quis* &c. *Datum Romæ apud sanctum Petrum Kal. Junii anno septimo.*

O 2 XXXVI.

XXXVI.

BONIFACIUS. PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. BOnifacius &c. *Dilectis filiis Universitati & hominibus castri* Vassani, *nobis &* Romanæ *ecclesiæ immediate subjectis*, Ortanae *diœcesis*, *salutem* &c. *Sinceræ devotionis affectus*, *quam ad nos &* Romanam *geritis Ecclesiam*, *promeretur*, *ut vos spiritualibus favoribus prosequamur. Cum itaque*, *sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat*, *in districtu civitatis nostræ* Ortanae, *& in partibus vobis circumstantibus sint nonnulla molendina & possessiones ac bona alia immobilia*, *ad vos vel aliquas singulares personas ex vobis justo titulo pertinentia*, *de quibus hactenus à certis temporibus citra*, *compulsi fuistis Communi dictæ civitatis*, *& nonnullis aliis*, *datia seu gabellas annuis temporibus solvere : ac prædicti Commune à vobis aliquando datia seu gabellas hujus-*
439 *modi exigere & extorquere consueverunt*; *nos attendentes constantem fidelitatem*, *& fidelem constantiam*, *quam erga nos &* Romanam *ecclesiam prædictam vos habere per exhibitionem operum hactenus demonstrastis*, *& adhuc etiam demonstratis : & propterea volentes vos favoribus prosequi gratiosis*; *vestris in hac* A *parte supplicationibus inclinati*, *volumus & Apostolica auctoritate vobis concedimus*, *quod deinceps ad Apostolicæ Sedis beneplacitum prædictis molendinis & possessionibus & aliis bonis vestris quibuslibet in districtu prædicto*, *ac quibuscumque aliis partibus vicinis consistentibus*, *absque solutione alicujus datii vel gabellæ*, *aut herbatici seu alterius exactionis cujuslibet*, *uti*, *& gaudere libere valeatis*; *districtius inhibentes prædictis Communi & quibuslibet aliis universitatibus*, *ac singularibus personis*, *ne vos*, *vel aliquem vestrum super præmissis impedire seu molestare quomodolibet præsumant : ac decernentes ex nunc irritum & inane*, *si secus super his à quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari. Volumus autem*, *quod si ullo unquam tempore vos*, *quod absit*, *ab obedientia & subjectione nostra seu* Romanæ *Ecclesiæ subtraxeritis*, *hujusmodi gratia*, *ac præsentes literæ nullius sint roboris vel momenti. Nulli ergo* &c. *Nostræ concessionis*, *inhibitionis*, *constitutionis & voluntatis infringere* &c. *Si quis* &c. *Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *sexto Kal. Decembris anno octavo.*

XXXVII.

BONIFACIUS. PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. BOnifacius *episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sinceræ devotionis affectus*, *quem dilecti filii Commune nostræ civitatis* Hortanae, *necnon universitates oppidorum*, *castrorum*, *terrarum*, *villarum*, *& locorum comitatus*, *& districtus civitatis ejusdem*, *ad nos & ad* Romanam *Ecclesiam gerunt*, *merito nos inducit*, *ut illa Communi*, *& universitatibus prædictis*, *ac particularibus personis eorumdem*, *civitatis*, *comitatus*, *& districtus favorabiliter concedamus*, *quæ suis commoditatibus fore conspicimus oportuna. Hinc est*, *quod nos volentes Commune*, *universitates*, *& particulares personas hujusmodi*, *favoribus prosequi gratiosis*, *ipsorum in hac parte supplicationibus inclinati*, *Communi*, *universitatibus & personis præfatis*, *auctoritate Apostolica*, *tenore præsentium indulgemus*, *ut in primis causis civilibus*, *& criminalibus*, *quantum videlicet ad seculare forum pertinet*, *extra loca incolatus proprii*, *seu domicilii*, *vel ejusdem per literas Apostolicas de cetero impetrandas*, *non facientes plenam & expressam*, *ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem : ac vigore constitutionum provinciæ nostræ patrimonii beati* Petri *in* Tuscia, *infra quam civitas & comitatus*, *& districtus hujusmodi consistunt*, *ac aliorum statutorum*, *seu consuetudinum quorumcum-* B *que*, *nequeant*, *nisi in quinque exceptis casibus in constitutionibus dictæ provinciæ expressis*, *ad judicium evocari. Sic tamen*, *quod coram propriis vel delegatis judicibus infra civitatem*, *seu alia oppida*, *castra*, *terras*, *villas*, *vel loca hujusmodi teneantur legitime stare juri. Decernimus insuper*, *sententias & processus*, *quas & quos contra præsentis indulti formam promulgari forsan contigerit vel haberi*, *si forsan judices hujusmodi in exhibendo petentibus justitiæ complementum*, *negligentes fuerint vel remissi*, *irritos & inanes. Volumus etiam*, *quod si ullo unquam tempore*, *quod absit*, *Commune*, *aut universitates*, *seu particulares personæ hujusmodi*, *aut aliqua ipsarum*, *se à fidelitate & obedientia nostra*, *& dictæ Ecclesiæ subtraxerint*, *vel subtraxerit*, *præsens indultum*, *quoad subtrahentes*, *vel subtrahentem hujusmodi*, *nullius existat roboris vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis*, *constitutionis*, *& voluntatis infringere*, *vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit*, *in indignationem omnipotentis Dei*, *& beatorum* Petri, *&* Pauli *Apostolorum ejus*, *se noverit incursurum. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum xiv. *Kal. Junii pontificatus nostri anno septimo.*

440 C

441

XXXVIII.

BONIFACIUS. PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1396. BOnifacius *&c.* Dilectis filiis nobilibus viris *Johannello*, & *Andreæ Thomacellis* militibus *Neapolitanis*, in civitate nostra Ortana, ejusque comitatu, territorio, & districtu pro nobis & *Romana* Ecclesia in temporalibus Vicariis, salutem *&c.* Dum in nostræ considerationis intuitu grata & accepta fidelitatis obsequia, quæ vos nobis & *Romanæ* Ecclesiæ retroactis temporibus liberaliter impendistis, & sollicitis studiis impendere non desistitis, debita gratitudine recensemus, & grandia merita vestræ famosæ probitatis attendimus; ad ea nimirum concedenda, quæ vestrum honorem & commodum sapiant, statusque vestri & vestrorum concernant, promptis affectibus excitamur. His siquidem considerationibus & aliis, nostrum ad hoc inducentibus animum, moti, & ut eo ferventius & devotius ad nostra & *Romanæ* Ecclesiæ obsequia & fidelitatem servandam animemini per augmentum, quo per nos & Sedem Apostolicam vos senseritis ampliori dono gratiæ præveniri; vos quoad vixeritis in humanis simul, vobisque cedentibus vel decedentibus, heredes & successores vestros masculos, legitimos, & naturales usque ad quartam generationem, etiam quoad vixerint, vicarios & rectores civitatis nostræ Ortanae, ejusque comitatus, territorii, & districtus ad nos & *Romanam* Ecclesiam pertinentium, auctoritate Apostolica tenore præsentium, facimus, constituimus & etiam deputamus in temporalibus generales. Ita quod uno vestrum sine heredibus & successoribus hujusmodi decedente, alter supervivens in solidum, si vero heredibus & successoribus superstitibus, heredes & successores unus vel plures loco ipsius decedentis cum altero ex vobis superstite, ut præfertur, simul: vobis vero ambobus decedentibus prædicti heredes, & successores vestri superstites Vicarii & rectores civitatis, comitatus, territorii & districtus prædictorum, loco vestrum similiter quoad vixerint, existatis & existant, dummodo in debita fidelitate & obedientia dictæ Ecclesiæ continuaveritis & perseveraveritis; ac heredes & successores hujusmodi continuaverint & perseveraverint, atque nostra, 442 vicariatum, curam, regimen, gubernationem & administrationem civitatis, comitatus, territorii, & districtus prædictorum, ac castrorum, roccharum juriumque & pertinentiarum ac civium & incolarum & habitatorum eorumdem, D vobis ac eisdem heredibus & successoribus vestris, ac vestrum ac eorum cuilibet, seu alium vel alios cum illis, mero & mixto imperio ac omnimoda jurisdictione temporali, quæ inibi per dictam Ecclesiam seu alios pro ea exercitata fuerunt diversis, & præsentialiter exercentur, ad honorem nostrum & ipsius *Romanæ* Ecclesiæ, ipsiusque statum pacificum, prosperum & tranquillum civitatis, comitatus, territorii, & districtus castrorum, roccharum, juriumque & pertinentiarum prædictorum; necnon civium, incolarum & habitatorum eorumdem juste & fideliter exercendis, plenarie committentes; vobisque ac eisdem heredibus & successoribus, durante vicariatu hujusmodi, per vos & eos vel alium seu alios E quoscunque potestates, judices, & officiales idoneos, qui possint & debeant quæstiones quaslibet tam civiles, quam criminales & alias cujuscunque speciei vel generis motas & movendas adferre civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum & cujuslibet eorum ratione contractus delicti vel rei, de qua agetur, aut alias quovis modo de jure, vel approbata & perscripta consuetudine pertinentes, audire & de ipsis prævia ratione cognoscere; hæresis ac læsæ majestatis schismatis, & falsitatis literarum Apostolicarum criminibus exceptis; easque fine debito terminare & executioni debitæ demandare; constituendi, creandi, & faciendi, removendi, & destituendi & alios, quos placuerit deputandi; necnon colligendi, habendi ac vestris

stris & ipsorum heredum & successorum usibus applicandi omnia & singula consueta & debita telonia, pedagia, jura & emolumenta, fructus, redditus & proventus & introitus, quocunque nomine censeantur, ad nos & *Romanam* Ecclesiam prædictam in civitate, comitatu, castris, rocchis, territoriis & pertinentiis prædictis; & quodlibet eorum pertinentia, & de ipsis omnibus & singulis, durante vicariatu hujusmodi, prout vobis & eisdem heredibus & successoribus videbitur, & volueritis, disponendi; itaquod de administratis & administrandis per vos & eosdem heredes & successores vestros & eorum officiales prædictos,
443 nobis & præfatæ Ecclesiæ vel alicui alii nostro & ejus nomine, nullam teneamini nec teneantur reddere rationem; alienatione tamen bonorum ac jurium ipsius in civitate, comitatu, castris, rocchis, territoriis, & pertinentiis prædictis vobis & eis penitus interdicta: ac per vos & eosdem heredes & successores vel alium seu alios, quibus id committendum duxeritis, merum & mixtum Imperium, ac omnimodam jurisdictionem prædictam, præterquam in casibus superius exceptis, exercendi, contradictores quoque quoslibet & rebelles quotiens expedierit temporali districtione, qua convenit compescendi, ac omnia & singula, quæ honori nostro, & ejusdem Ecclesiæ, ac statui pacifico, prospero & tranquillo civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, jurium, pertinentiarum, civium, incolarum, & habitatorum, prædictorum expedire cognoveritis, faciendi, statuendi, ordinandi, mandandi, corrigendi, puniendi, definiendi, sententiandi, & exequendi, concedentes auctoritate prædicta plenariam facultatem. Ita tamen, quod de hujusmodi consuetis debitis, teloniis, pedagiis, juribus, fructibus, redditibus, proventibus, introitibus & emolumentis aliis quibuscunque, vos & prædicti heredes & successores vestri teneamini dictam civitatem, ejusque comitatum, terras, castra, arces, villas, & fortalitia, ac castra & rocchas prædictas vestris sumptibus, & expensis fideliter, & diligenter custodire, reparare, manutenere, conservare, & defendere, ac cetera ipsorum alia onera consueta supportare absque eo quod dicta Ecclesia vobis vel ipsis pro hujusmodi vicariatu, rectoria, gubernatione, reparatione, refectione, conservatione, defensione, custodiis & oneribus supportandis, subvenire in aliquo teneatur. Et nihilominus vos, & ipsi heredes & successores vestri singulis annis, quibus ipsum vicariatum, rectoriam, gubernationem & administrationem exercebitis, vel aliquis vestrum seu eorum exercebit, de hujusmodi emolumentis & proventibus pro censu & nomine census, civitatis comitatus, territorii & districtus prædictorum castrorum, roccharum, juriumque, & pertinentiarum suorum prædictorum nobis, seu successoribus nostris, canonice intrantibus & prædictæ Ecclesiæ *Romanæ*, seu cameræ Apostolicæ unum Accipitrem singulis annis in festo Nativitatis Dominicæ in *Romana* Curia ubicunque fuerit, vestris & eorumdem heredum, & successorum sumptibus periculo & fortuna, dare, assignare, & solvere; necnon militare subsidium & alia servitia
444 in concessionibus dudum per fel. rec. *Innocentium* Papam sextum & alios *Romanos* Pontifices prædecessores nostros, seu de ipsius vel ipsorum mandato per Sedis Apostolicæ legatos factis . . . . attendere & adimplere fideliter teneamini; ac heredes, & successores prædicti teneantur. Causas tamen omnium & singularum appellationum, & nullitatum quarumlibet tam criminalium, quam civilium, & alia quælibet superioritatis jura nobis & nostris successoribus & legatis, ac rectori in provincia nostra patrimonii beati *Petri* in Tuscia, in qua ipsa civitas consistit, præsidentibus, qui sunt & erunt pro tempore, expresse & specialiter retinemus; ac etiam reservamus: salvis tamen & reservatis in hoc casu quibuscunque privilegiis & indultis dictorum civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, & pertinentiarum eis quovis modo in hac parte competentibus, si qua forent, quibus non intendimus propterea derogare. Volumus autem & hujusmodi vicariatus costitutioni adjicimus per præsentes, quod cives, communitates, universitates, incolæ & habitatores prædicti ad parliamenta generalia accedere, ac affictum eidem cameræ, sicut olim consueverint, solvere teneantur: quodque vos & prædicti heredes & successores, ac vestri & eorum officiales, quos ad hoc duxeritis deputandos, civitatem, comitatum, castra, rocchas, territoria, & pertinentias, necnon cives, communitates, universitates, incolas & habitatores prædictos, hujusmodi durante vicariatu, regatis, gubernetis secundum jura, constitutiones & statuta civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, & pertinentiarum prædictorum, & alia per dictam ecclesiam, vel alium ad hoc, ab ea potestatem habentem, tam edita & approbata, quam in posterum edenda & approbanda: & quod omnia statuta, si qua essent in eisdem civitate, comitatu, castris, rocchis, territoriis, & pertinentiis contra *Romanam* Ecclesiam, & libertatem ecclesiasticam, ecclesias, ecclesiasticasque personas, seu eorum bona, cassetis & faciatis totaliter aboleri; & quod eis non utamini, nec eas servetis; nec receptetis rebelles, & exbanditos, aut inimicos ejusdem Ecclesiæ; nec directe, vel indirecte faciatis per alios receptari, nec eis, vel eorum alicui auxilium, consilium vel favorem dari, seu præstari ullo modo permittatis. Quin potius quoscunque ex eis in vestram perveniente potestatem, quotiens super hoc à legato Sedis A-

A postolicæ vel rectore dictæ provinciæ, aut aliis dictæ ecclesiæ officialibus, ad quos ratione suorum officiorum id 445
pertinet, requisiti fueritis, bona fide capi faciatis & ad hujusmodi requirentes sub fida custodia destinari. Volentes & etiam ordinantes, quod vos ac iidem heredes & successores omnes, gentes etiam armigeras tam equestres, quam pedestres per legatum, seu rectorem, aut officiales præfatos vel alium à dicta ecclesia, seu ipsius legato, vel rectore aut officialibus ad hoc deputandis, quotiescunque transmissas, in civitate, comitatu, castris, Rocchis, territoriis, & pertinentiis prædictis recipere & receptare ac recipi, & receptari ac benigne tractari eisque de victualibus & aliis necessariis provideri pro competenti pretio sive foro juxta posse vestrum, facere teneamini: quodque cives, communitates, universitates, incolæ, & habitatores civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, & pertinentiarum prædictorum, & cujuslibet eo-
B rumdem in manibus vestris & dictorum heredum & successorum, seu alicujus vel aliquorum ad id per vos vel eos deputandi, vel deputandorum, juramentum debitæ fidelitatis servandæ nobis & successoribus nostris *Romanis* Pontificibus canonice intrantibus, ac vobis & prædictis heredibus & successoribus, tanquam vicariis nostris & dictæ Ecclesiæ, infra congruum ad hoc per vos & eosdem heredes & successores moderandum terminum, præstare corporaliter teneantur. Volumus insuper & huic vicariatui adjicimus, quod singulis sex mensibus deinceps, ipso vicariatu durante futuris, quoscunque officiales, stipendiarios, provisionatos, salariatos, consanguineos, & alios quoslibet, quos vos & eosdem heredes & successores prædictos successivis temporibus ad regimen, gubernationem, seu custodiam civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, & pertinentiarum prædictorum & cujuslibet eorum deputare, aut alias vo-
C biscum habere vel tenere contigerit, in manibus dicti legati, vel vicarii generalis dictæ Ecclesiæ in partibus illis, si ipsi vel eorum alter in eisdem partibus fuerint: alioquin rectoris provinciæ ibidem præsidentis, sive alicujus alterius, ab aliquo ipsorum legati vel vicarii deputati, faciatis, & faciant, antequam eos recipiatis, juramentum præstari: quod ipsi nullo modo, ingenio, via vel forma consentient, aut permittent posse suo, quod civitas, comitatus, castra, rocchæ, & territoria hujusmodi, vel aliquid eorum, durante vicariatu prædicto, à vestro & dictorum heredum, & successorum vestrorum regimine, gubernatione & administratione, ac
à fidelitate & obedientia dictæ *Romanæ* Ecclesiæ quomodo- 446
libet subtrahantur, cujusvis alterius personæ singularis vel universitatis potestati, ditioni vel dominio ad hoc nostro & dictorum successorum vestrorum non interveniente consensu, quomodolibet supponantur. Quin potius, ne id
D fiat obsistent, & totis viribus se opponent, at toto posse fideliter repugnabunt, & facient, quod civitas, comitatus, castra, rocchæ, territoria, jura & pertinentiæ hujusmodi; necnon communitates, universitates, incolæ & habitatores sæpedicti in vera fidelitate, obedientia, & devotione præfatæ *Romanæ* Ecclesiæ, suorumque officialium permaneant illibati: quodque civitas, comitatus, castra, rocchæ, territoria prædicta cum eorum juribus & pertinentiis, hujusmodi vicariatu finito, ad potestatem, dominium, ad manus dumtaxat nostras & successorum nostrorum, libere revertantur; ipsamque civitatem, comitatum, castra, rocchas, territoria, eorumque jura & pertinentias procurabunt toto posse, & sine fraude tradere & assignare nobis & successoribus nostris, seu legato de latere vel vicario generali, tunc in illis partibus existenti, aut rectori dictæ provinciæ, in qua ipsa civitas, comitatus, castra, rocchæ, territoria, jura & pertinentia hujusmodi consistere dinoscuntur; aut alii vel aliis ad id per nos
E vel successores nostros vel legatum de latere, seu generalem; vicarium, vel rectorem & Apostolica Sede vacante, nullo existente legato, vel generali, vicario, seu rectore, per collegium sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalium deputando, tu dictique heredes & successores, ut idem sequatur & fiat procurabitis & procurabunt opportunis provisionibus & remediis bona fide. Præterea volumus, & huic vicariatui adjicimus per expressum, quod vos, antequam hujusmodi vicariatus officium incipiatis exercere, & deinde singulis decenniis per vos vel procuratorem vestrum, per vos ad hoc legitime constitutum, in manibus camerarii nostri de civitate, comitatu, castris, rocchis, territoriis, juribus & pertinentiis supradictis fideliter regendis & gubernandis, ac fidelitatis & alias in forma subscripta præstetis solitum & debitum juramentum: quodque, vobis vita functis, prædicti heredes & successores
F vestri infra sex menses à die vestri obitus immediate computandos, personaliter, & deinceps singulis decenniis per se vel procuratorem suum, coram nobis vel successoribus nostris *Romanis* Pontificibus, seu illo vel illis, cui vel quibus id duxerimus, vel successores nostri duxerint, commit-
tendum, prædicta, civitatem, comitatum, castra, roc- 447
chas, territoria, cum eorum juribus & pertinentiis, necnon vicariatum, regimen, gubernationem, & administrationem hujusmodi à nobis seu dictis successoribus nostris & à *Romana* Ecclesia recognoscere & fidelitatis, ac alias in forma subscripta præstare teneantur solitum & debitum juramentum, quodque, si forsan voluntates, reservationes, retentiones, & alia superius expressa, ac juramentum per vos & eosdem heredes & successores vestros, ut præfertur, præstandum & contenta in eo non

servaveritis, seu non adimpleveritis, aut contra ipsam vel ipsorum aliquod temere per vos vel alium, seu alios feceritis, & culpam vestram super hoc moniti, infra tres menses à tempore monitionis hujusmodi computandos, congrua satisfactione non correxeritis, & censum prædictum non solveritis in termino supradicto; ex tunc excommunicationis sententiam illos, qui in hoc defecerint, incurrere volumus ipso facto, à qua nisi per nos, aut successores nostros, non possint, nisi in mortis articulo, absolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus ab omni exercitio vicariatus, regiminis, gubernationis, & administrationis prædictorum vos & eos, qui culpabiles fueritis, suspendimus ipso jure, & illud eis penitus, inhibemus, & si infra alios tres menses immediate sequentes, prædicta non curaveritis cum effectu debite reparare, ex tunc ab ipsis vicariatu, regimine, gubernatione, & administratione, ac omni jure vobis & dictis heredibus & successoribus vestris, exinde quomodolibet competenti, vos & ipsos privatos esse volumus, & tenore præsentium declaramus. Postremo omnes ambiguitates, seu dubia, quæ prætextu vel occasione concessionis, constitutionis, voluntatis, reservationis, receptionis, & conditionis superius dictarum, aut aliquorum aliorum præsentibus expressorum, quovismodo & quotiescunque imposterum orirentur, ac ipsorum omnium interpretationem & declarationem ad nos & præteritos successores nostros, & ad nullum alium volumus pertinere juxta nostram & dictorum successorum nostrorum voluntatem & arbitrium, faciendas. Mandantes quoque districtius, civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, & territoriorum ac pertinentiarum prædictorum communitatibus, universitatibus, civibus, incolis, & habitatoribus prælibatis, quatenus vos & vobis deficientibus, præfatos heredes & successores vestros, ut præfertur, tanquam vicarios & rectores suos,
448 dicto vicariatu durante, benigne recipientes & honorifice pertractantes, vobis, & eisdem, tanquam nostris vicariis & suis rectoribus, & aliis nostris & eorum officialibus, quos ad civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, territoriorum, & pertinentiarum prædictorum regimen duxeritis deputandos, in omnibus, quæ ad vicariatus & rectoriæ hujusmodi spectant officium, vobis & eisdem heredibus & successoribus juxta præsentis nostræ constitutionis tenorem, parere & intendere studeant, & efficaciter obedire. Vos igitur ex traditis vobis dono cœlesti virtutibus sic in regimine hujusmodi vos habeatis, ac præfatos heredes & successores vestros circa hujusmodi regimen & gubernationem, prosperum & tranquillum, prout vobis possibile fuerit, erudire, instruere, & docere studeatis & procuretis, quod communitates, universitates, cives, incolæ, & habitatores prædicti, utilibus gubernatoribus & rectoribus providis gaudeant se commissos; vosque & ipsi heredes & successores apud Deum & homines valeatis exinde merito commendari, ac nostram & Ecclesiæ prædictæ benedictionem & gratiam uberius promereri. Forma autem juramenti, quod vos & dictos heredes & successores, ratione vicariatus hujusmodi, præstare volumus, ut præfertur, ut per eam plenius informemini, præsentibus inseri fecimus, quæ est talis. Nos *Johannellus* & *Andreas Thomacelli* germani, in civitate ORTANA, ejusque comitatu, territorio, & districtu, ad *Romanam* ecclesiam pertinentibus, eorumque rocchis, & territoriis pro sanctissimo in Christo Patre & Domino nostro domino *Bonifacio* divina providentia Papa nono & Ecclesia *Romana*, in temporalibus vicarii generales juramus, quod durante hujusmodi, ad quem gerendum per eum existimus constituti, per nos vel alium seu alios, quem & quos ad regimen, gubernationem, & administrationem vicariatus hujusmodi deputaverimus, prædicti Domini nostri & ejus successorum & ipsius Ecclesiæ nominibus, & ad ipsorum reverentiam & honorem fideliter exercebimus, & ab hac hora in antea fideles, obedientes & devoti erimus beato *Petro* Apostolorum Principi, & dicto Domino nostro Papæ, & successoribus suis canonice intrantibus, legatisque Apostolicæ Sedis & sæpedictis ecclesiæ vicariis, ad partes *Italiæ* destinatis, & imposterum destinandis. Et rectori prædictæ provinciæ, qui pro dicta Ecclesia erit pro tempore non erimus in consilio, aut consensu vel facto, quod ipsi, seu eorum aliquis vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Consilium vero, quod nobis per
449 se vel nuncios aut literas manifestabunt, ad eorum damnum scientes nemini pandemus: & si sciverimus tractari aliquid, quod in eorum damnum vergat aut præjudicium, illud pro posse nostro impediemus: & si hoc impedire non possemus, illud eidem Domino nostro vel successoribus suis, aut illi vel illis, per quem vel quos crediderimus id citius ad ejus vel eorum notitiam devenire, quantocius significare curabimus. Principatum *Romanum* & regalia sancti *Petri*, ac jura, jurisdictiones, honorem & majestatem præfati Domini nostri & successorum suorum ac *Romanæ* Ecclesiæ, tam in prædictis, civitate, comitatu, castris, rocchis & territoriis, quam alibi ubicunque, adjutores eis erimus ad retinendum, defendendum, & recuperandum civitates, terras, castra, villas, rocchas, & bastitas vel fortalitia & omnia jura sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ. Etiam male alienata, vel per quoscunque occupata vel tyrannice detenta adjuvabimus pro posse recuperare & recuperata pro posse defendere: & in suo pleno dominio, juribus, utilitatibus, & honoribus conservare dictam *Romanam* Ecclesiam & dictum Dominum nostrum summum Pontificem, qui nunc est vel pro tempore erit, aut vicarios, legatos, & officiales ipsius, etiam contra damnatæ memoriæ *Robertum* olim basilicæ duodecim Apostolorum Antipapam, qui se *Clementem* septimum ausu sacrilego nominare præsumebat, & *Joannem* tituli sancti *Marcelli*, vulgariter dictum *Ambianensem*, presbyteros Cardinales per fel. rec. dominum *Urbanum* papam sextum, justo Dei judicio, auctoritate Apostolica, tanquam hæreticos & schismaticos puniendos, eorum culpis & notoriis demeritis exigentibus, sententialiter condemnatos; & contra iniquitatis filium *Petrum* de *Luna*, olim tituli sanctæ *Mariæ* in *Cosmedin* presbyterum Cardinalem, nunc Antipapam, qui se *Benedictum* decimum tertium temerarie nominat, & contra eorum sequaces ac dantes eis vel eorum alicui auxilium, consilium, vel favorem, cujuscunque fuerint præeminentiæ, ordinis, dignitatis, religionis, conditionis, aut status, etiamsi pontificali vel reginali, seu quavis alia præfulgeant dignitate, etiamsi fuerint sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinales. Etiam contra alios quoscunque per Ecclesiam denotatos vel imposterum denotandos, quamdiu extra gratiam & communionem dictæ Ecclesiæ permanebunt. Nec eis vel alicui eorum quoquomodo per nos vel alium seu alios directe vel indirecte publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem dabimus, nec ab aliis, 450
quantum in nobis erit, & impedire poterimus, præstari seu dari permittemus; sed eos pro posse, donec reducantur ad gremium sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ & obedientiam præfati domini *Bonifacii* Papæ noni, juxta tenorem processuum Apostolicorum, prout justum fuerit, pro posse persequemur & invademus: ac persequi & invadi faciemus, etiam contra omnes homines mundi juxta nostrum posse & bona fide. Et contra dictum Dominum nostrum, successores, legatos, vicarios, & Ecclesiam, memoratos vel eorum officiales non erimus; sed cum eis erimus & toto posse nostro adhærebimus, ac eorum statum & honorem bona fide inviolabiliter conservare curabimus: & terras *Romanæ* & aliarum in ipsis terris consistentium ecclesiarum, seu ipsis mediate vel immediate subjectas, aut ad ipsam *Romanam* Ecclesiam jure directi dominii vel quasi, aut alias quomodolibet pertinentes, non occupabimus, nec ipsas, vel aliquam ipsarum, seu alicujus earum incolas & habitatores invademus vel damnificabimus; & id attemptantibus vel intentantibus non præstabimus auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte: & libertatem ecclesiasticam, ecclesias & personas ecclesiasticas, earunque res & bona quæcunque tam in civitate, comitatu, castris, terris, rocchis, & territoriis antedictis, quam aliis terris, castris & locis, quos & quæ per nos regi & gubernari contigerit in futurum, favorabiliter conservabimus ac tractari faciemus; easque in sua libertate restituemus & dimittemus ac restitui & dimitti faciemus, ipsasque ecclesias & personas ecclesiasticas suis bonis & juribus gaudere libere permittemus: nec eos impediemus nec impediri permittemus, quominus gaudeant & gaudere possint privilegiis, libertatibus, beneficiis, bonis & juribus suis, nec tallias, gabellas, vel alias exactiones directe vel indirecte, quovis quæsito colore eis imponemus vel exigemus ab eisdem. Quodque terrigenas & incolas prædictorum, civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, & locorum vel aliquos eorum indebitis oneribus, realibus, vel personalibus non gravabimus, & nunquam erimus verbo vel facto vel opere in consilio, quod aliquis Imperator, rex, princeps, dux, marchio, baro, seu quævis alia nobilis vel potens persona, universitas vel communitas cujuscunque terræ, eligatur, nominetur vel etiam assumatur in aliqua civitate, terra, vel castro, aut alio loco *Romanæ* vel alterius ecclesiæ cujuscunque in dominum, rectorem, gubernatorem, potesta- 451
tem, capitaneum, defensorem, aut quovis alio quæsito colore vel nomine ad regimen sive officium quodcumque, seu præeminentiam aliquam sine dictæ sedis licentia speciali. Et constitutiones papales loquentes de hac materia, & maxime piæ memoriæ dominorum *Joannis* XXII. *Clementis* VI. *Innocentii* VI. *Urbani* V. *Gregorii* XI. & dicti domini *Urbani* papæ VI. *Romanorum* Pontificum pro posse & totaliter observabimus, & taliter electis, nominatis, seu assumptis ad regimen, vel gubernationem, aut alio quovis quæsito colore, cujuscunque dignitatis, seu præeminentiæ, conditionis aut status extiterint, absque dictæ sedis licentia nunquam præstabimus auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte; sed ne fiat id, pro viribus, in quantum poterimus, repugnabimus, & omni via, modo, & forma, quibus melius poterimus, obviabimus: amicos ecclesiæ pro amicis, & inimicos ejus pro inimicis, in civitate, comitatu, castris, rocchis, & territoriis prædictis, & aliis, quos per nos regi & gubernari contigerit in futurum, habebimus. Gentes dictæ *Romanæ* ecclesiæ etiam ad guerram faciendam, etiam contra quoscunque, receptabimus & faciemus receptari, nullamque conjurationem, conspirationem, seu ligam contra Dominum nostrum, successores, legatos, officiales, & Ecclesiam, supradictos, nec ad eorum damnum cum aliquibus universitatibus, comitatibus, collegiis, seu singularibus personis directe vel indirecte faciemus. Quodque hæreticos, & schismaticos quoscunque à præfata Ecclesia, vel inquisitoribus hæreticæ pravitatis seu locorum ordinariis, aut aliis legitime denotatis, vel imposterum denotandis, quum primum

primum de ipsis certificati fuerimus, de civitate, comitatu, castris, rocchis, & territoriis supradictis totis viribus exterminare curabimus. Constitutiones quaslibet tam canonicas, quam civiles contra hujusmodi hæreticos & fautores eorum editas & edendas, effectualiter observabimus, ac singulis sex mensibus deinceps, hujusmodi vicariatu durante, futuris, officiales, stipendiarios, provisionatos, salariatos, consanguineos & alios quoslibet, quos nos successivis temporibus ad regimen, gubernationem, seu custodiam civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, & territoriorum prædictorum, & cujuslibet eorum deputare, aut alias nobis cum habere contigerit. In ejus manibus, seu cujuslibet alterius ad id per eum aut successores vel le-
452 gatos prædictos, aut vicarios deputandi, præstari faciemus juramentum, quod iis nullo modo, ingenio, seu forma consentient, aut permittent posse suo, quod civitas, comitatus, castra, rocchæ, & territoria prædicta, vel aliqui eorum, durante vicariatu prædicto, a nostro regimine, gubernatione, & administratione quomodolibet subtrahantur & cujusvis collegii, universitatis, seu singularis personæ, potestati, ditioni vel dominio præfati Domini nostri, aut successorum suorum ad hoc non interveniente consensu, quomodolibet subjaceant. Quin potius, ut id non fiat obsistent & totis viribus repugnabunt; ac toto posse suo fideliter procurabunt, quod civitas, comitatus, castra, rocchæ, & territoria, terrigenæ & incolæ prædicti in vera fidelitate, obedientia & devotione Do-

A mini nostri, & Ecclesiæ, suorumque officialium libere permaneant. Vicariatu, regimine, & gubernatione hujusmodi quomodolibet finitis, ad potestatem, dominium, & manus dumtaxat ejusdem Domini nostri, vel successorum, legatorum, vel vicariorum prædictorum, seu alterius, ad id per Dominum nostrum, successores, legatos, seu vicarios præfatos, aut eorum aliquem deputand., libere revertantur, Et quod ipsam ecclesiam, seu deputandum hujusmodi pro ea, in plena & pacifica possessione civitatis, comitatus, castrorum, roccharum, & territoriorum prædictorum, & cujuslibet eorum juxta posse suum omni exclusa machinatione reducent fideliter & reponent. Nosque sic fieri & effectualiter adimpleri statuemus, & ordinabimus atque mandabimus. Et circa hæc modos & vias omnes, quos statuerimus ad id opportunos & utiles, fideliter adhibebimus: & nihilominus omnes & singulas voluntates, conditiones, retentiones, & moderationes, per dictum Dominum nostrum hujusmodi vicariatus concessioni oppositas, & superius declaratas, quas & contenta in
B eis ex nunc approbamus, ratificamus, rata & grata habemus, realiter & effectualiter observabimus & adimplebimus; & contra ea, vel eorum aliquod per nos, vel alium, directe vel indirecte, publice vel occulte non faciemus, nec veniemus ullo modo. Sic nos Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* Kal. Decembris anno octavo.

453

XXXIX.

BONIFACIUS. PP. IX.

Ex eodem Archivo.

An. 1401.

BOnifacius &c. Dilecto filio nobili viro Vicarello dilecti filii nobilis viri *Verochii* militis ORTANI, nato domicello in castro nostro S. *Felicis Terracinensis* diœcesis ejusque territorio & districtu, pro nobis & *Romana* Ecclesia in temporalibus Vicario, salutem &c. De fidelitate, prudentia, & discretione tuis, quibus, divina tibi gratia opitulante, dotatus existis, gerentes in Domino fiduciam pleniorem, ac sperantes, quod quæ tibi commiserimus, promptis affectibus & exacta diligentia exequeris; hac consideratione moti pariter & inducti te castri nostri sancti *Felicis Terracinensis* diœcesis, ejusque territorii & districtus pro nobis & *Romana* Ecclesia in temporalibus vicarium ac castellanum cum honoribus ac oneribus consuetis usque ad nostrum beneplacitum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, facimus, constituimus & etiam deputamus, tibi omnia & singula, quæ ad hujusmodi vicariatus & castellanatus officia pertinent de consuetudine vel de jure, faciendi, exercendi, ordinandi, disponendi, mandandi, exequendi, & complendi, alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mo-

C bilium dicti castri, ejusque territorii & districtus tibi penitus interdicta, facultatem plenam & liberam harum serie concedentes; ac mandantes universis & singulis personis, & incolis, ac habitatoribus castri & territorii ac districtus prædictorum, ut hujusmodi beneplacito durante, tibi in his, quæ ad hujusmodi officia pertinent, pareant effectualiter, & intendant, contradictores quoslibet & rebelles per temporalem districtionem appellatione postposita, compescendo. Volumus autem, quod tu, quoniam in manibus nostris fidelitatis solitum præstitisti debitum juramentum, à subditis & vassallis dicti castri ejusque territorii & districtus simile, nostro & *Romanæ* Ecclesiæ nomine, auctoritate nostra recipias juramentum. Tu igitur hujusmodi vicariatus & castellanatus officia sic diligenter, fideliter & prudenter studeas exercere, quod inde sperati 454
fructus succedant, & apud nos & Sedem Apostolicam de
D fidelitate, prudentia, ac diligentia possis merito commendari. Datum *Romæ* apud sanctum *Petrum* decimoseptimo Kal. Martii pontificatus nostri anno duodecimo.

XL.

DIPLOMA PAULLI HORTANI EPISCOPI.

Ex veteri Protocollo MS.

Pag. 299.
An. 1391.

N*Os frater* Johannes, *Dei & Apostolicæ Sedis gratia* ORTANUS *episcopus. Universis præsentes literas inspecturis salutem in filio Dei. Notum facimus per præsentes, qualiter supplicatione & instantia dilectæ nobis in Christo sororis* Angelæ Ægidii . . . . *de* ORTO *de tertia regula beati* Francisci, *ceterarumque sororum ipsius, in hospitio & fraternitate sanctæ Crucis de* ORTO, *sito & posito* ORTI *in contrata sancti* Juvenalis *juxta domum* Bartholomæi *M.* Petri, *domum* Antonii Vannutii, *vias & alia latera, ibidem existentes & commorantes, pauperem vitam tenentes, Deoque servientes, hospitalitatem servantes ipsarum facultatibus, sectantes confrateria ipsa, volentes earum corpora macerare . . . . quibus diebus ad serviendum Deo se congregassent, dignaremur eisdem licentiam impertiri, quatenus ibidem unum altare ad celebrandam missam totiens cotiens eisdem opus erit, per quemcunque sacerdotem nobis subjectum vel alium, gratiam & communionem sanctæ Sedis Apostolicæ & ecclesiæ* Romanæ *habentem. Nos itaque devotioni ipsius ceterarumque sororum suarum inclinati, de quarum vita, honestate & moribus per fide dignos plenissime informati sumus, Spiritus sancti gratia primitus invocata, nostra ordinatione, auctoritate, omni via, modo, jure, & forma, quibus melius possumus, damus, concedimus in his scriptis plenam li-*
455 *centiam & liberam potestatem unum altare in dicta domo in loco*

E *congruo erigendi & erigi faciendi, in ipsoque missas celebrari faciendi ad omnem ipsarum consolationem & profectum animarum ipsarum. Insuper auctoritate omnipotentis Dei, beatæ* Mariæ *virginis, beatorum Apostolorum* Petri *&* Pauli *& omnium sanctorum & sanctarum Dei & nostra miseria confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, & manus porrigentibus adjutrices, qui dictam cappellam seu altare, causa devotionis visitaverint singulis festis sanctæ Crucis, videlicet Inventionis & Exaltationis, festivitatis sanctæ* Mariæ, *sanctæ Trinitatis, sancti* Francisci *& ejus sanctorum Stigmatum, necnon ejusdem translatione; sancti* Geronimi, *sancti* Lodovici, *sancti* Antonii, *sancti* Benedicti, *sanctæ* Claræ, *sanctæ* Catherinæ *& sanctæ* Helisabeth; *quadraginta dierum de indultis eis pœnitentiam in Domino misericorditer relaxamus, propriis temporibus duraturam. Volumus tamen, quod in festo Inventionis sanctæ Crucis de mense Maji pro censu solvere teneantur episcopatui* ORTANO *duas uncias ceræ, & in festo Exaltationis sanctæ Crucis de mense*
F *Septembri unum par pollastrorum annis singulis. Datum & actum fuit hoc* ORTI *in sala episcopatus dictæ civitatis sub anno Domini* MCCCLXXXXI. *tempore sanctissimi in Christo Patris & Domini domini* Bonifacii *divina clementia Papæ noni, indictione* XVIII. *mense Maji die* XIV. *sub nostro pontificali sigillo.*

XLI.

DIPLOMA JACOBI INSULANI CARDINALIS SANCTI EUSTACHII ET LEGATI APOSTOLICI.

Jacobus miseratione divina sancti Eustachii sanctæ Roma-
næ Ecclesiæ diaconus Cardinalis, in alma Urbe ejusque co-
mitatu, territorio & districtu, ac in provinciis Marchiæ
Anconitanæ, Ducatus Spoletani, Campaniæ, Maritimæ,
456 patrimonii beati Petri in Tuscia, ac non nullis aliis provinciis,
civitatibus, terris, & locis Italiæ, dictæ Ecclesiæ immediate
subjectis, Apostolicæ Sedis legatus, ac pro eadem Ecclesia & do-
mino nostro Papa in spiritualibus & temporalibus Vicarius gene-
ralis. Dilectis filiis, nobilibus & prudentibus viris Prioribus,
Communitati, consilio & hominibus civitatis Hortanae, pro-
vinciæ patrimonii præfatæ Ecclesiæ immediate subjectæ, salutem
& nostræ gratiæ largitatem. Semper benignitatem agentes cum
illis, qui ad nostram & Romanæ Ecclesiæ devotionem & gra-
tiam humiliter se convertunt, grate recepimus & admisimus sup-
plicationes vestri parte in formam capitulorum exhibitas, quo-
rum serie, à nobis infrascripta vobis fieri & concedi cum devota
instantia supplicastis. Nos itaque supplicibus petitionibus vestris,
quantum possumus, favorabiliter annuentes, vos dictamque ci-
B vitatem, Communitatem & ejus singulares personas, & inco-
las, ac ejus districtuales, & subditos ad devotionem fidelita-
tem, subjectionem, obedientiam & gratiam sanctissimi Domini
nostri Papæ, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & nostram, auctoritate
nobis ex nostra legatione concessa, gratiose recipimus, & ad com-
munionem & aggregationem aliorum fidelium devotorum & sub-
ditorum sanctæ Matris Ecclesiæ prælibatæ, & specialem & pater-
nam protectionem & recommendationem nostram assumimus, ac
plene & misericorditer acceptamus. Volentes harum serie, &
speciali gratia concedentes reverendo in Christo Patri Domino
fratri Paulo episcopo Hortano, ut libere, licite manere pos-
sit . . . . in majori Hortana Ecclesia ejusque episcopa-
tu, suaque diœcesi cum suis vicariis, & canonicis dictæ majoris
Ecclesiæ, & aliis clericis & beneficiatis Hortanis: quodque in-
tegraliter habeat & habere debeat, ac exercere possit & valeat
omnia & singula jura & jurisdictiones prædictarum civitatis &
diœcesis ad eum episcopum quomodolibet pertinentes & pertinentia
C ratione suæ episcopalis dignitatis: quem etiam episcopum plenarie
benigneque restituimus, reintegramus, & reponimus ad quacun-
que privilegia & indulta sibi & episcopatui suo prædicto sub qua-
vis forma aut expressione verborum, à quocunque Romano
Pontifice concessa, non obstante quacunque rebellione, aut inobe-
dientia perpetrata per vos, Communitatem & homines dictæ ci-
457 vitatis Hortanae, etiam antequam damnatæ memoriæ La-
dislaus de Durachio civitatem ipsam sibi tyrannice subjecisset:
& etiam postquam dicta civitas tam coacte (ut asseritis) se sub-
jecit dominio Ladislai prælibati, usque in præsentem diem, etiamsi
hujusmodi rebellio superet fautoriam, adhæsionem seu obedientiam
qualemcunque, quas vos Communitas & homines ejusdem civi-
tatis servavissetis, seu servavissent & habuissent ad Ladislaum
prælibatum. Præterea contentamur & volumus manutenere &
conservare in dicta civitate Hortana, & quod manuteneatur,
& conservetur in ea officium Potestatis dictæ civitatis Horta-
nae cum officialibus, salario, equis & aliis, observatis hacte-
D nus, & prout in dicta civitate extitit consuetum. Similiter,
quod consuetum officium quatuor Priorum, unius cancellarii, &
unius camerarii civitatis vestræ, dictique Priores, cancellarius,
& camerarius, necnon tubatores & Castaldi, more solito, in
dicta civitate Hortana de cetero sint, & esse debeant cum sa-
lariis solvi solitis eis & cuilibet eorum de introitibus cameræ di-
ctæ civitatis: quorum Priorum salarium decernimus esse florenos
duos omni mense pro quolibet eorum. Quam civitatem aut ali-
quod ejus fortalitium in dominium, gubernationem, commen-
dam sive in vicariatum alicui personæ nunquam dabimus, con-
cedemus, sive assignabimus, quoquomodo; quinimmo civitatem
ipsam & omnia ejus fortalitia, jura, fructus, redditus, & pro-
ventus ad præfatam cameram pertinentes, manutenebimus &
conservabimus. Et decernimus, quod manuteneantur, & con-
serventur pro sancta Romana Ecclesia & Domino nostro Papa,
prælibatis, promittentes harum serie nos efficaciter operari & in-
tercedere apud Dominum nostrum prælibatum, quod per sancti-
E tatem suam alicui personæ non dabuntur, & concedentur, ut
supra, civitas & fortalitia prælibata in dominium, commendam,
sive vicariatum; sed quod manutenenda, & conservanda rema-
neant pro prælibatis Domino nostro & Ecclesia absque aliqua su-
perioritate alterius cujuscunque. Præterea concedimus vobis &
volumus, quod aliquæ primæ civiles causæ non possint nec debeant
extra curiam dictæ civitatis Hortanae ad aliquam aliam cu-
ram trahi; sed in dictis civilibus causis in præfata Hortana
curia & non alibi procedatur, & de eis cognoscatur per Potesta-
tem dictæ civitatis, qui pro tempore fuerit: cui plenam & o-
mnimodam jurisdictionem tradimus & plenum arbitrium, dictas
primas civiles causas in sua & dictæ civitatis Hortanae curia
458 decidendi. & secundum formam juris & statutorum dictæ civi-
tatis Hortanae, sine debito, terminandi, non obstantibus qui-
buscunque in contrarium quomodolibet facientibus. In crimina-
libus autem causis volumus, & decernimus, quod jurisdictio re-

A ctoris provinciæ juxta consuetudinem observetur. Concedimus vo-
bis & etiam indulgemus, ut omnes & singuli processus, acta &
actitata facta in curia dictæ civitatis Hortanae, ac sententiæ
latæ in causis civilibus à die primæ novitatis usque in præsentem
per primum & secundum decretum valeant, plenamque obtineant
roboris firmitatem, non obstante quacunque fautoria, seu adhæ-
sione per vos & vestram Communitatem præfatam factis, hosti-
bus domini nostri Papæ & Romanæ Ecclesiæ, in rebellionem
Domini nostri & Ecclesiæ præfatorum, dummodo prædicti processus
actitata, acta & sententiæ alias de jure sint validæ sive valida;
reservatis tamen exceptionibus illis personis, quæ vellent contra-
cta opponere, aut contradicere, videlicet de solutione, præscri-
ptione, falsitate & pacto, non obstante etiam eorum contuma-
cia & exceptione fraudis commissæ in extimatione bonorum con-
cessorum actori, dummodo actoris petitio contineat veritatem. Et
ad omnia & singula jura, omnesque jurisdictiones pertinentes, &
debite pertinentia ad eandem civitatem Hortanam, seu ad
B speciales personas ipsius, quæ quovis modo occulte vel palam oc-
cuparentur, vel injuste detinerentur ab aliqua Communitate, aut
alia speciali persona quacunque occasione, seu occasione prætensa,
vos & præfatam Communitatem Hortanam & speciales perso-
nas ejusdem, ad quas hujusmodi jurisdictiones & jura pertinere
noscantur, restituimus, reponimus & penitus reintegramus, ac
reintegratas & restitutas, plenarieque positas esse volumus & de-
cernimus cum effectu. Item ad obviandum oneribus & expensis,
ac tollendum errores & scandala, quæ plerumque in processibus
litigiosis eveniunt, vobis ex gratia speciali concedimus, decerni-
mus, & etiam providemus, quod civiles lites & causæ, quæ ver-
tuntur sive vertentur imposterum inter cives & habitatores dictæ
civitatis Hortanae, excedentes summam decem librarum mo-
netæ currentis, ibidem compromittantur & de eis fieri debeat
compromissum ad petitionem partis hoc petentis. Et Potestas di-
ctæ civitatis, qui pro tempore fuerit, teneatur & debeat partem,
quæ se compromittere non vellet, ad faciendum compromissum de
C jure, & de facto etiam appellatione postposita, qui Potestas di-
ctas causas de jure cognoscere possit, & sine debito terminare de 459
jure. Arbitri vero, in quibus ipsæ lites & causæ compromissæ
fuerint, teneantur & debeant ipsas lites, & causas per eorum
arbitrum terminare & expedire infra spatium duorum mensium,
mediante consilio sapientis, ad pœnam librarum decem, solven-
darum à quolibet arbitro, & de facto auferendarum sine proces-
su, & applicandarum cameræ dictæ civitatis Hortanae. Ut
quoque gratiam dictæ Ecclesiæ & provisionem nostram sibi sentiat
vestra devotio magis piam, omnia & singula maleficia, culpas
& excessus, ac delicta, in quantum & quæ dumtaxat juris pu-
blici interesse concernant, & non aliter, commissos, perpetratos,
ac perpetrata & commissa hactenus in Hortana civitate præ-
fata, ejusque territorio & districtu, aut alibi per Communita-
tem dictæ civitatis & quoscunque cives, aut alios habitatores &
incolas dictæ civitatis, sive de ipsis cognitum & sententiatum
fuerit sive non, vobis Communitati & specialibus personis, qui-
buscunque, incolis, & habitatoribus dictæ civitatis Hortanae,
D prædictis, in perpetuum plene libereque remittimus; eosdemque
excessus, maleficia, culpas, & delicta quæcunque parcimus, &
misericorditer indulgemus; harum serie decernentes, quod pro
eis & eorum occasione, nullatenus vos & Communitas ipsa, aut
alii prædicti vel eorum aliqui, qui ipsa vel eorum aliquod perpe-
traverint, vel commiserint & commisissent, non possitis nec pos-
sint ullo tempore molestari vel aliqualiter impediri. Ita tamen
quod præsens remissionis & indulti gratia nullatenus se extendere
debeat ad rebelles & exititios dictæ civitatis: quinimmo processus
omnes formati & publicati, ac sententiæ latæ contra ipsos rebel-
les & exititios, in pleni roboris firmitate permaneant. Provide-
mus insuper & disponimus pro bono utilique regimine civitatis
præfatæ, quod aliquis futurus Potestas dictæ civitatis, aut ipsius
Potestatis judex, miles, socius, vel notarius non possint ullo
modo vocari, eligi, sive assumi ad hujusmodi officia, nisi loca
eorum originis distent à dicta civitate Hortana per quindecim
milliaria, nec possit aliquis eorum: finitis sex mensibus, imme-
E diate in eisdem officiis, aut eorum aliquo refirmari. Itaquod eo-
rum aliquis non possit nec debeat eligi vel assumi ad aliquod offi-
cium dictæ civitatis, nisi vacaverit per duos annos, notorie præ-
cedentes. Insuper propter multas expensas & onera, quæ vos &
dictam Communitatem diversimode supportasse conspicimus, vo-
bis paterno affectu propitiari volentes, vobis & Communitati præ- 460
fatis gratiose concedimus, assignamus & conferimus usque ad
triennium dumtaxat proxime secuturum, introitus, proventus
gabellarum bladi, & musti dictæ civitatis, de quibus persolvere
& integre respondere teneamini castellano rocchæ dictæ civitatis
de suo salario & stipendio consueto, si ad hoc non sufficerent in-
troitus aliarum gabellarum dictæ civitatis. Providemus etiam
& jubemus, quod aliquis exititius dictæ civitatis non possit nec
debeat in præfata civitate restitui vel remitti, nec de eorum ban-
dis extrahi, & quod eorum bona confiscata remaneant Aposto-
licæ cameræ usque ad reditum Domini nostri Papæ, qui postmo-
dum,

dum, ut principalis Dominus, in ipsis providere poterit, prout sua sanctitati videbitur. Ceterum ut obvietur cavillosis obstaculis, & strepitibus litigiorum indebitis, decernimus & similiter providemus & ordinamus, quod in dicta civitate decetero nemini liceat appellare à gravamine vel actu alicujus interlocutoria proferenda, salvo quod à definitiva sententia; & quod judex Potestatis dicta civitatis, aut ipse Potestas nullo modo admittere debeat talem appellationem ad pœnam vigintiquinque florenorum exigendorum ab ipso Potestate vel judice; & appellans etiam puniatur in decem libris pro qualibet vice: qua appellatio auctoritate præsentium non teneat, sed nullius existat roboris vel momenti, salvo si interlocutoria ipsa non foret talis, qua haberet vim definitiva sententia, vel quod non posset post definitivam sententiam reparari. Postremo committimus Potestati nostro dicta civitatis præsenti vel futuro, ut omnibus civibus dicta civitatis habentibus inimicitiam cum exitiis civitatis ejusdem, plenam liberamque licentiam concedat portandi pro tuitione suarum personarum per civitatem prædictam arma offensibilia & defensibilia libere & impune. Qua omnia & singula vobis & dicta Communitati vestra, auctoritate Apostolica, qua, vigore nostra legationis de latere plene fungimur, concedimus, indulgemus, con-

A *ferimus, remittimus, disponimus, & providemus, prout superius continetur; & ipsa & eorum quodlibet observari, manuteneri & fieri, vobis & dicta Communitati, deliberamus, decernimus & mandamus per omnes & singulos officiales* Romanæ *Ecclesia in dicta civitate vel alibi consistentes, ad quos spectat, præsentes pariter & futuros. Si autem quovis tempore imposterum vos ab obedientia, fidelitate, subjectione & devotione sanctissimi Domini nostri Papa,* Romanæ *Ecclesia, sive nostra, quamdiu nostra legatio perduraverit, vos quomodolibet subtraxeritis,* 461 *volumus quod tunc relabamini & reincidatis in primas sententias, pœnas & vincula; & quod omnes supradicta gratia nulla sint, sed prorsus careant & carere noscantur viribus & effectu. In quorum omnium testimonium præsentes literas fieri fecimus & nostri consueti magni Cardinalatus sigilli jussimus appensione muniri. Datum Roma apud ecclesiam sancti* Laurentii *in Damaso, sub anno Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo quintodecimo, indictione octava mensis Aprilis die decimanona.* B *Pontificatus sanctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini* Johannis *divina providentia Papa* XXIII. *anno quinto.*

XLII.

ALIUD DIPLOMA

EJUSDEM CARDINALIS.

Jacobus miseratione divina sancti *Eustachii* diaconus Cardinalis, in alma Urbe ejusque comitatu, territorio, & districtu, necnon in patrimonii beati *Petri* in *Tuscia*, ac in *Campania*, & Maritimæ, necnon in Marchiæ *Anconitana*, & ducatus *Spoletani* provinciis, & certis aliis Provinciis *Italia*, ac earumdem & aliarum provinciarum civitatibus, terris, castris, & locis, Apostolicæ Sedis legatus, & in spiritualibus & temporalibus Vicarius generalis. Dilectis nobis in Christo, populo, & Communitati, ac civibus & specialibus personis civitatis HORTANAE, necnon aliis habitatoribus & incolis civitatis ejusdem, ejusque civitatis, territorii & districtus, salutem & gratiam nostram. Mentem nostram sine intermissione sollicitam ad ea, ex quibus sacrosanctæ *Romana* Ecclesiæ & sanctissimo in Christo Patri & Domino nostro, Domino *Johanni* divina providentia Papæ XXIII. sperati fructus pacifici status in præfata civitate HORTANA, ejusque territorio, & districtu, & in partibus circumvicinis, ac in nonnullis provinciis & partibus *Italia*, nostræ legationi commissis, possint
462 verisimiliter provenire, sollicitis studiis dirigentes, illos, qui quandoque ex certis causis, licet non rationabilibus, ab ejus Matris Ecclesiæ obedientia & mandatorum semitis oberrarunt, si cum humilitate ad gremium clementiæ Ecclesiæ & Domini nostri Papæ prædictorum ac nostræ, revertantur, misericordiam nostram suppliciter implorando, à nostra consueta gratia minime repellamus. Sane cum, sicut fuit pro parte vestra nobis expositum, vos cives & speciales personæ, ac incolæ & habitatores dictæ civitatis HORTANAE, adhæseritis ac faveritis, occasione tamen servitutis, damnatæ memoriæ domino *Ladislao* de *Durachio* & ejus complicibus ac sequacibus, vos cives & speciales personæ ac incolæ & habitatores prædicti, non valentes, ut asseritis, violentæ potentiæ præfati Domini *Ladislai* resistere; & esset vobis necessarium pro manutenendo & conservando statum vestrum ac bona vestra & pro defensione personarum vestrarum, & ne à propriis laribus pelleremini, mandatis dicti Domini *Ladislai* ac officialium & sequacium ejus, quamvis nephariis, obedire, de ipsius Domini *Ladislai* mandato & officialis ejus, contra nonnullas civitates, terras, castra, & loca in devotione & subjectione, ac obedientia *Romana* Ecclesiæ & Domini nostri Papæ prædictorum, & nonnullorum fidelium & devotorum ejusdem existentium, intulistis, & inferri fecistis guerras, plurimasque alias damnosas & noxias novitates, & contra civitates, & terras, castra, loca prædicta diversa crimina, maleficia, delicta, & excessus, seducti nephariis persuasionibus dicti Domini *Ladislai* & ejus officialium, ut acceptiores & gratiores essetis ipsi Domino *Ladislao*, cujus violentiam, potentiam (ut asseritis) fugere non poteratis, perpetrastis & per vestros cives ac speciales personas, incolas & habitatores ejusdem civitatis, perpetrari fecistis. Cum autem de præmissis & aliis per vos de mandatis, concessionibus & operationibus vestris commissis & perpetratis, ad corda reversi, doleatis (ut asseritis) ab intimis, cupiatisque, sub obedientia, & devotione ac debita subjectione Ecclesiæ & Domini nostri Papæ fideliter vivere & mori pro parte vestra, nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobiscum pie & misericorditer agendo, vobis civibus & specialibus personis, incolis ac habitatoribus ac communitati antedictis providere de ple-
463 næ remissionis opportuno remedio dignaremur. Nos more pii patris libentius misericordiam, quam judicium amplectentes, Salvatoris nostri sancta sequendo vestigia, qui tanquam misericordiarum pater redeuntes ad ipsam à sua misericordia non excludit; ac sperantes, quod vos tanto devotius Deo & Sedis Apostolicæ de cetero studebitis revereri, quanto sedem ipsam erga vos benigniorem conspexeritis extitisse; vestrisque in hac parte supplicationibus inclinati, vobis civibus & specialibus personis, incolis ac habitatoribus & Communitati, quorum nomina & cognomina haberi volumus præsentibus pro sufficienter expressis, omnes & singulas culpas, pœnas, crimina, excessus, maleficia, & delicta, quæcunque, & quotcunque, ac qualiacunque, & quovis nomine nuncupari contingat, etiam si homicidia, incendia, sacrilegia, derobariæ, deprædationes, rapinæ, latrocinia, ac cavalcatæ & incursiones forent, & etiamsi prædicta, aut aliquod prædictorum contra almam Urbem & *Romanum* populum commiseritis; & etiamsi ligas aut confœderationes, aut conspirationes, aut pacem, seu treguam cum hostibus & rebellibus *Romana* Ecclesiæ & Domini nostri Papæ prædictorum, contra statum eorundem, quas, quos, & quæ tempore dictæ adhærentiæ & fautoriæ, à tempore primæ novitatis, usque in præsentem diem perpetrastis & perpetrari fecistis, in quantum publicum interesse, cameram dictæ civitatis, aut cameram provinciæ patrimonii beati *Petri* in *Tuscia* concernant: & etiam in quantum tangit destructiones possessionum, ac pœnas conventionales & fructus huc usque perceptos; etiamsi crimen læsæ Majestatis, aut sacrilegii, aut hæresis, at rebellionis saperent, auctoritate plenæ legationis nostræ, & Apostolica, nobis in hac parte concessa, omnino tollimus, remittimus ac parcimus; & vos & vestrum quemlibet ab omnibus exbannimentis, condemnationibus, pœnis, censuris, ac processibus, sententiis, diffidationibus in vos & vestrum quemlibet à jure vel ab homine sub quavis forma vel expressione verborum inflictis ac promulgatis; sive de ipsis cognitum aut sententiarum fuerit, sive non; & ab excommunicationum, suspensionum & interdicti, & fautoriarum, adhæsionum prædictarum sententiis, in quas propter præmissa innodati dinoscimini, in quantum prædicta publica interesse concernant, (ut præfertur) auctoritate prædicta penitus absolvimus & totaliter liberamus; & in vobis civibus, ac specialibus personis, incolis, & habitatoribus, ac communitate civitatis antedictæ omnem rebellionis, inhabilitatis, 464
fautoriæ, ac adhæsionis, & infamiæ maculam sive notam, per vos præmissorum occasione contractam, auctoritate prædicta abstergimus & etiam totaliter abolemus. Vosque & vestrum quemlibet habilitamus & ad omnes & singulos honores, dignitates, famam, privilegia, immunitates, exemptiones, bona propria, ac jura, & ad legitimos actus, & ad quascunque concessiones seu gratias vobis ab Apostolica Sede factas, ac statum pristinum, in quibus eratis ante patrationem prædictorum criminum, delictorum, maleficiorum, & excessuum vestrorum, restituimus, reponimus, & reintegramus. Itaque ratione præmissorum vel alterius eorumdem, vos cives & speciales personæ, incolæ & habitatores ac ipsa Communitas, prædicti, in aliqua curia ecclesiastica, seu seculari non possitis inquiri, condemnari, inquietari, vexari, molestari, seu in personis aut bonis vestris quomodolibet impediri, aut ullas pati noxias novitates, & contra vos cives, & speciales personas, incolas, & habitatores ac Communitatem ejusdem civitatis, prædictorum causa, non possitis à quibuslibet procedi & sententiari, seu pœnas & condemnationes peti aut exigi. Mandamus insuper harum serie rectori provinciæ dicti patrimonii, qui nunc est & erit pro tempore in futurum & ejus vicesgerenti, necnon Potestati & omnibus aliis officialibus dictæ civitatis præsentibus & futuris, quod hujusmodi exbannimenta, sententias, condemnationes, ac processus, & diffidationes, si in libris dictæ cameræ dictæ provinciæ, vel dictæ civitatis, vel alibi annotatæ, aut scriptæ forent, cassent, deleant, cancellent, & annullent: quas, quos, & quæ nos pro cassatis, cancellatis, deletis, & annullatis haberi volumus, easque & eos, ac ea decernimus esse nullius roboris vel momenti; non obstantibus quibuscunque con-

trariis; etiamsi hujusmodi contraria talia forent; quod de eis vel eorum aliquo esset habenda præsentibus de verbo ad verbum mentio specialis: quæ quidem contraria decernimus huic remissioni in aliquo obstare non posse quomodolibet vel nocere. Volumus autem, quod si vos præfati cives ac speciales personæ, incolæ & habitatores ac Communitas ullo tempore ab obedientia & subjectione, ac devotione Ecclesiæ & Domini nostri Papæ prædictorum ac nostra, quamdiu nostræ legationis fungemur officio, vos (quod absit) subtraxeritis, aut quovismodo rebelles eritis, in pristinas pœnas, multas, condemnationes, sententias, processus, diffidationes, excommunicationum & interdicti sententias & exbannimenta, ipso fa-

A cto penitus relabamini: quodque hujus remissionis gratia 465
& præsentes litteræ nostræ nullius existant roboris vel momenti. In quorum omnium plenam fidem has nostras patentes & authenticas literas per *Petrum Petri* clericum *Coloniensem* nobis & curiæ nostræ fidelem scribi, easque manu magistri *Francisci* de *Fiano* literarum Apostolicarum scriptoris & abbreviatoris subscribi fecimus & nostri majoris Cardinalatus sigilli munimine roborari. Datum *Romæ* apud ecclesiam sancti *Laurentii* in *Damaso* sub anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo decimoquinto indictione octava mensis Aprilis die XXIII. Pontificatus præfati sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini *Johannis* Papæ XXIII. anno quinto.

NOTA.

Utrunque hoc Diploma editum fuit HORTAE *anno* 1551. *Porro Ladislaus rex Hungariæ eadem urbe potiebatur anno* 1414. *ut patet ex e-*
B *jus Diplomate tunc eidem urbi concesso & ibidem cum ceteris edito: quod non recudimus ob ejus spissas lacunas.*

XLIII.

HORTANAE & Castellanensis Ecclesiarum conjunctio.

Ex Ughello.

EUGENIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI. AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Pag. 300. *Sacrosancta* Romana *Ecclesia, quæ super universas orbis Ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa statum Ecclesiarum omnium, præsertim cathedralium, earunque profectu, ut pia mater de filiarum necessitate sollicita, vigilanter excogitat & providenter intendit, ut quandoque etiam per ministerium unionis accommodæ, prout locorum & temporum qualitas exigit & illarum utilitas persuadet, Ecclesiarum*
466 *ipsarum statui studeat efficaciter providere. Attendentes itaque, quod* HORTANAE *& Civitatis* Castellanæ *Ecclesiæ, quæ dudum fuerant propriis facultatibus opulentæ, adeo propter diversas calamitates & succedentium temporum sinistros eventus, quibus partes illæ, proh dolor, afflictæ fuere, in earum redditibus & facultatibus tenues factæ & exiles existant, quod propter inopiam & tenuitatem hujusmodi redditum & proventuum Præsules in illis substentari non possunt & propterea pontificalis in eisdem vilescit authoritas, episcopali dignitati reverentia debita minime exhibetur, Præsulesque ipsi in suorum conservatione jurium etiam regalium, ac defensione eorumdem redditum plurimum impotentes, cum revera ad hujusmodi jura tuenda non solum circumspectionis industria, & sollicitudo pontificalis curæ profectum adducant, quinimmo potius sufficientia facultatum. Hac moti consideratione, cupientesque ipsarum pauperum Ecclesiarum indigentiæ subvenire, ac statum utriusque per unionis ministerium salubriter formare, dum ipsæ Ecclesiæ sub unius & ejusdem Præsulis moderamine, reductæ feliciter, ex ipsarum unita potentia utriusque Præsul in eis valeat commodius residere, sua jura defendere, & commissos sibi populos felicius gubernare. Itaque pro evidenti ipsarum Ecclesiarum utilitate considerantes, unionem hujusmodi nedum fore proficuam, sed admodum necessariam, laudabilemque & etiam opportunam, præmissis suadentibus & aliis rationabilibus ad id animum nostrum moventibus, maturaque deliberatione præhabita; motu proprio, non ad alicujus super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, Civitatis* Castellanæ *&* HORTANAE, HORTANAE *& Civitatis* Castellanæ *Ecclesias antedictas de Apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium unimus & connectimus & incorporamus, ita quod altero ex Præsulibus earumdem Ecclesiarum, qui nunc sunt, cedente vel decedente, aut aliam ex eisdem Ecclesiis alias quomodolibet dimittente, seu altero alia quovis modo vacante, ex tunc ambæ ipsæ Ecclesiæ per unicum Præsulem, qui* HORTANAE *& Civitatis* Castellanæ, *ac Civi-*

C *tatis* Castellanæ *&* HORTANAE *episcopus nuncupetur, salubriter gubernentur; liceatque præsenti seu successori ex eisdem Præsulibus per se vel per alium, alterius Ecclesiæ sic vacantis, ac Civitatis & diœcesis in spiritualibus, & quantum ad ipsius Ecclesiæ jus pertineat, in temporalibus, corporalem possessionem apprehendere, & perpetuo retinere, fructusque necnon redditus &* 467
proventus, emolumenta, obventiones, & jura quæcunque, ad mensam episcopalem ipsius alterius Ecclesiæ pertinentia, percipere & habere, ac in suos & ipsarum sic unitarum Ecclesiarum usus & utilitates convertere, cujuscunque licentia super hoc minime requisita. Volentes & Apostolica authoritate decernentes, quod hujusmodi unicus episcopus, qui eisdem Ecclesiis pro tempore præsidebit, uno anno in altera & alio anno in reliqua ipsarum Ecclesiarum, alternatis vicibus, chrisma conficere teneatur, ordinationum quoque tempora & celebrationum vicem eisdem Ecclesiis, ac earum civitatibus & diœcesibus distribuat, portionem æquam unicuique tribuendo: quodque in qualibet earumdem diœcesi pro ejusdem subsidio annis singulis celebret Synodum, prout
D *est fieri consuetum: & in qualibet earumdem civitatum, & diœcesi curiam teneat continue ad justitiam ministrandam ac jurisdictionem episcopalem inibi exercendam cum Vicariis & officialibus consuetis. Ac etiam cum idem Præsul in* HORTANA, *civitatis* HORTANAE *&* Castellanæ: *cum vero in Civitate* Castellana, *earumque civitatibus & diœcesibus præsens extiterit, Civitatis* Castellanæ *&* HORTANAE *episcopus appelletur; & sic deinceps Ecclesiæ ipsæ sub uno Pastore & Antistite constituantur, præmissis intitulationibus perpetuis temporibus gubernentur: quodque cedente vel decedente, ac translato ipso unico episcopo, seu alias Ecclesiis ipsis vacantibus, canonici & ambo capitula Ecclesiarum prædictarum, vocatis ad hoc, qui fuerint evocandi, congregati debeant pro electione futuri Pontificis celebranda in loco ubi episcopus decessit, si tunc ipsas per obitum vacare contingat; si*
E *vero alias quam per obitum Ecclesias memoratas vacare contingeret, faciant electionem hujusmodi temporibus vacationum ipsarum alternis vicibus in civitatibus vel diœcesibus antedictis, ita quod propter unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi, prædictæ Ecclesiæ in spiritualibus lædi seu aliqua in temporalibus non possint detrimenta subire. Nulli ergo* &c. *nostræ unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & constitutionis infringere* &c. *Si quis* &c. *Datum* Bononiæ *anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, tertio nonas Octobris anno septimo.*

468 ## XLIV.

LITERÆ FRANCISCI CONDULMERII CARDINALIS SANCTI CLEMENTIS.

Ex Archivo Vaticano.

FRanciscus &c. *Nobilibus viris,* Confaloncrio, *prioribus & Communitati civitatis* ORTANAE *salutem* &c. *Sincera & constans fidelitas, quam ad Dominum nostrum Papam sanctamque* Romanam *Ecclesiam gerere comprobamini, necnon grata obsequia, quæ eis quotidie impenditis & impendere non desistitis, nos inducunt, ut vobis reddamur ad gratiam liberales. De mandato itaque sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini* Eugenii *divina providentia Papæ IV. super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis præsentium tenore con-*

F *cedimus, ut annis singulis pro subsidio solvatis seu solvere debeatis tantum quantum consuevistis solvere retroactis temporibus, videlicet antequam dicta civitas* ORTANA *veniret ad gubernationem olim magnifici viri* Antonii *de* Rigofrigido *de* Columna. *Et ne ad majorem solutionem cogi valeatis, mandamus de mandato prædicto, Thesaurario provinciæ patrimonii beati* Petri *in* Tuscia, *tam præsenti, quam futuro aliisque officialibus, ad quos hujusmodi subsidiorum exactio spectat & pertinet, quatenus à vobis nullatenus exigere præsumant pro dicto subsidio, nisi*

nisi tantum, quantum exigi solebat antequam dicta civitas veniret ad manus supradicti Antonii *de* Columna. *In quorum* &c. *Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *sub anno à Nativitate Domini* MCCCCXXXIII. *Indictione undecima die* XX. *mensis Martii pontificatus vero Domini nostri Papa præfati anno tertio.*

469

XLV.

ALIÆ EJUSDEM.

Ex eodem Archivo.

FRancifcus *miseratione divina* &c. *Nobilibus viris, Prioribus, Communi & consilio civitatis* Balneoregii, *salutem in Domino. Cum pro tranquillitate & statu sanctissimi D. N. PP. ac* Romanæ *Ecclesiæ & extirpatione inimicorum eorumdem, & præsertim hujus tyranni* Nicolai de Stella, *qui superbia elatus, tam enormiter ingratitudinis labem sequens contra eamdem Ecclesiam & præfatum D. N. Papam subditosque eorumdem, quamplura enormia & atrocia delicta, ac hostilitates & guerras dampnaque gravia commisit, intulit atque fecit, ac inferre, committere & facere cotidie conatur, prout notorium existit; opus sit, ut Ecclesia ipsa suis & suorum subditorum brachiis, amplitudine & potentia se præbeant ultores & defensores, ac suorum talium inimicorum & facinorosorum prostratores, & ne præmissorum executio in vilipendium deducatur, præfatus S. D. N. unum ex* Romanæ *Ecclesiæ Cardinalibus in legatum decreverit destinandum. Idcirco de ipsius D. N. Papæ mandato, facto nobis super hoc vivæ vocis oraculo, ac auctoritate nostri camerariatus officii, vos præsentium tenore requirimus & nihilominus sub pœna duorum millium florenorum auri de camera, cameræ Apostolicæ applicandorum, si contrafeceritis, vobis præcipimus atque mandamus, quatenus centum pedites bene armatos & omnibus necessariis fulcitos, de vestris terrigenis aut aliis ydoneis eorum locorum, mittatis ad civitatem* ORTANAM *infra & per totum mensem præsentem Augusti, parituros & facturos quicquid per dictum Dominum legatum eis fuerit impositum, injunctum atque mandatum, & hoc faciatis absque nostri vel alterius expectatione mandati. In quorum* &c. *Datum* &c. *Sub anno* &c. *Indictione* XI. *Die vero decimaseptima mensis Augusti pontificatus* &c. *Anno tertio.*

470

XLVI.

DIPLOMA

NICOLAI V. PONT. MAX.

Ex editione Hortana.

NIcolaus *episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Communitati & civibus civitatis nostræ* HORTANAE, *salutem & Apostolicam benedictionem. Cognita devotionis & fidelitatis vestræ sinceritate, quam ad nos &* Romanam *geritis Ecclesiam, non indigne meretur, ut petitionibus vestris, illis præsertim, per quas ab oneribus & incommodis relevamini, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, retroactis temporibus propter inordinatos favores quorumdam, qui civitatem ipsam tyrannice occupabant, nonnulli aliarum civitatum, terrarum, & locorum circumstantium, qui domos, prædia & alia immobilia bona, tam in eadem civitate, quam ejus territorio & districtu possidebant, quique ad realia & personalia onera, ratione domorum prædictarum & bonorum hujusmodi, de jure & secundum aliarum civitatum consuetudinem obligantur, allibrati & in catasta Communis civitatis ejusdem descripti non fuerint, vos in onerum eorumdem supportatione & solutione non modicum gravati fuistis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis opportune super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes vos & alios subditos ac fideles nostros, quantum cum Deo possumus, ab incommodis & oneribus relevare, hujusmodi supplicationibus æquissimis annuentes, volumus & Apostolica vobis auctoritate concedimus, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus omnes & singuli advenæ & forenses, qui in civitate & territorio prædictis bona stabilia quovis titulo possident vel colore, aut imposterum possidebunt, cujuscunque status vel conditionis existant, ecclesiis ecclesiasticisque personis dumtaxat exceptis, allibrati, eorumque bona hujusmodi immobilia secundum antiquam consuetudinem dictæ civitatis in ipso catasto* 471 *descripti & annotati, ac omnia & singula onera ratione bonorum eorumdem in ipsos quomodolibet contingentia, subire teneantur & debeant, omni prorsus temporis cursu, aut exemptione & liberatione eisdem advenis & forensibus, quavis auctoritate concessa, ac alia quacunque exceptione, cessante. Ita quod inantea ad præstationem & solutionem onerum, ratione bonorum hujusmodi, per potestatem dictæ civitatis ad instantiam illius camerarii pro tempore existentis, ad id cogi, compelli eorunque bona hujusmodi attestari possint & valeant, ac si civium & incolarum ejusdem civitatis, qui in aliis locis, in quibus possident immobilia bona, onera subeunt antedicta, domus, prædia & bona hujusmodi censerentur, non obstantibus quibuscunque. Nos enim ex nunc omnes & singulas exceptiones & liberationes hujusmodi, necnon appellationes, provocationes, protestationes & reclamationes, quas propterea per advenas & forenses prædictos interponi seu fieri contigerit, prorsus irritas esse decernimus & inanes, eosque ad onera antedicta nihilominus obligari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, voluntatis & constitutionis infringere vel & ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum* Petri & Pauli *Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, decimo Kal. Februarii pontificatus nostri anno octavo.*

472

XLVII.

CONFIRMATIO STATUTORUM

COMMUNITATIS HORTANÆ.

Ex eodem Archivo.

Dilectis filiis Prioribus & Communi civitatis HORTARUM.

INNOCENTIUS. PP. VIII.

DIlecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. *Pro ea fide & devotione, quam sæpe erga nos &* Romanam *Ecclesiam ostendistis, non immerito movemur ad prosequendum vos, quibus possumus, gratiis & favoribus, quo vos ardentiores in vestra bona dispositione reddamus. Itaque omnia & singula statuta, reformationes, ordinamenta, immunitates, gratias, privilegia & indulta per* Romanos *Pontifices prædecessores nostros, Apostolicos legatos, aut ab eis facultatem habentes, concessa, quæ justa & rationabilia sunt, & in præjudicium libertatis ecclesiasticæ non tendunt, approbamus & Apostolica auctoritate confirmamus, prout hactenus laudabiliter observata fuerunt. Insuper, quia nihil magis quietem civitatum & populorum conservat, quam justitiæ observatio & delinquentium debita coërcitio & animadversio, ideo statuimus, quod in posterum de pœnis maleficiorum, damnorum datorum & extraordinariorum nullatenus aliqua fieri gratia per vestram Communitatem, vel alios quosvis superiores, præterquam à nobis, possit aut valeat. Propterea vestris commodis paterno affectu per amplius consulere volentes, de subsidio per vos annuatim cameræ nostræ Apostolicæ debito centum quinquaginta ducatos, dividendos in duobus annis, hoc est septuaginta quinque ducatos singulo anno, usque ad biennium, vobis condonamus & elargimur, convertendos in reparationem stratarum & pontis, ac in conducenda aqua ad fontem dictæ civitatis; mandantes thesaurario, ad quem spectat, ut revisa ratione vestra pecunias hujusmodi, si illas in præfatum usum converti repererit, in vestris computis successive admittat,* 473 *prout & nos in suis admittimus per præsentes. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *sub annulo piscatoris die* v. *Novembris* MCCCCLXXXIV. *Pontificatus nostri anno primo.*

XLVIII.

LITERÆ
ANGELO PECHINOLIO
HORTANO EPISCOPO.

Ex eodem Archivo.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Pag. 504. *Venerabili Fratri episcopo* Ortano. *Venerabilis Frater salutem. Ne forte Ecclesiæ tuæ Civitatis* Castellanæ *ex absentia tua, cum te ad regna* Hungariæ *pro nonnullis nostris & Sedis Apostolicæ negociis in præsentiarum mittamus, præjudicium generetur, volumus, ut inter eundum, oppida sancti* Oresti *&* Ponzani, *quæ de diœcesi* Castellana *esse asseris, pro tuo jure episcopali visites & alia facias, quæ ad præfatum visitationis officium de jure spectant & pertinent. Declaramus tamen mentis nostræ non esse, quod præjudicium aliquod fieri debeat iis, qui forte in præmissis interesse aliquod habere prætenderent, sed jura tam tua, quam quorumvis aliorum remaneant propterea illæsa. Mandamus nihilominus dilectis filiis Abbati, Priori, Cellerario, ac Monachis monasterii sancti* Pauli *extra muros Urbis, ad quos ipsa oppida in temporalibus subesse noscuntur, ac dictorum oppidorum Vicariis & officialibus, in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus te in dictis oppidis cum honore & reverentia recipiant & admittant. Quod si per eos aut eorum aliquem*

A *impedimentum, vel molestia aliqua fieri contigerit, præsentium tenore tibi concedimus, ut eisdem Abbati, Priori, Cellerario, officialibus atque aliis, ad quos spectat, auctoritate nostra sub excommunicationis latæ sententiæ ac suspensionis à divinis, pœnis mandes, quibus etiam nos præsentium tenore sub iisdem pœnis mandamus, quatenus te ad visitationis hujusmodi officium exercendum admittant teque cum honore & reverentia recipiant,* 474 *dantes & concedentes tibi facultatem, omnes & singulos, qui in præmissis rebelles vel alias verbo vel facto contradictores foreni, excommunicandi & suspendendi, ac excommunicatos & suspensos declarandi & publicandi cum præmissarum pœnarum & censurarum aggravatione & reaggravatione, & alia faciendi, quæ in præmissis opportuna & necessaria tibi videbuntur, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum* Romæ &c. *Die 26. Augusti* MCCCCLXXXVIII. *Anno* IV.

XLIX.

ANGELI PECHINOLII
ORTANI EPISCOPI
DE SUA LEGATIONE HUNGARICA
LITERÆ
AD INNOCENTIUM VIII.
PONT. MAX.

Ex eodem Archivo.

Pag. 504. Beatissime Pater & clementissime Domine. Post pedum oscula benedictorum. Superioribus diebus *Benedictum* Cursorem meum ad Sanctitatem Vestram destinavi, cui, ut accuratius demandatam sibi provinciam absolveret, partem salarii ex pecuniis Sanctitatis Vestræ, quæ apud me sunt, ut illa discedenti mihi mandaverat, exsolvi. Nihil nunc superest, nisi hoc referam, quod pudet. Cum *Budam* applicuisset Orator *Venetorum*, vellet que Dominus Rex de more, solemni pompa illum audire, voluit me quoque auditorio adesse, in quo tamen Orator præter communem congratulationem nihil retulit. Po-
475 stero autem die ad colloquium, remotis arbitris, admitti se petiit, ac secreto auditus nil nisi, ut Dominus Rex inibi retulit, pacem & concordiam inter Majestatem Suam, & Dominum Cæsarem magnis precibus, magnis denique suasionibus adnixus postulavit & deprecatus est. Cui Dominus Rex in sequentem diem, ut Oratori responderet, spopondit: ac cum responderet eo quia causa pacis & concordiæ, quæ petebat, etiam ad Sanctitatem Vestram & Sedem Apostolicam concernebant, me quoque, qui Sanctitatis Vestræ vices nunc hic gero, adesse voluit: quod tamen non Sua Majestas, sed *Jaurienfis*, & *Agriensis* Majestatis Suæ nomine in hæc verba & sententia retulerunt.

Magnifice Domine Orator. Serenissimo Domino nostro Regi gratissimum fuit, quod amplissimus ille Senatus *Venetorum* pacem & concordiam inter Cæsaream & Regiam Majestatem cupiat & optet, quam Regia Majestas jure licet & merito recusare deberet, quandoquidem Cæsarea Majestas anno superiore Sanctissimum Dominum nostrum contempsit, & pro judice ac arbitro inter suam & Regiam Majestatem in præsenti causa habere recusavit; conventum namque & compromissum fuerat inter Regiam Majestatem & illustrissimum Dominum *Albertum* Ducem *Saxoniæ* Locumtenentem & generalem capitaneum Suæ Cæsareæ Majestatis nomine ejusdem, ut materiæ & causæ belli hujusmodi, simul etiam universæ discordiæ inter Suas Majestates ponerentur ad judicium & arbitrium Suæ Sanctitatis. Itaque si Sanctitas Sua cognosceret & declararet Regiam Majestatem non justam contra Cæsarem causam belli habere, non justa arma etiam in eam sumpsisse, omnia per Suam Regiam Majestatem à Cæsare occupata restituere teneretur. Si vero contrarium declararet, posset Sua Regia Majestas interea libere cœptum bellum prosequi, donec ei juxta inscriptiones satisfieret, prout

B in capitulis treguarum plenius continetur. Sed ut præfertur, Cæsarea Majestas conditionem acceptare & Sanctitatem Suam pro judice habere recusavit. Quia tamen Sanctitas Sua, prout reverendissimus Dominus Legatus hic præsens sæpius hactenus nomine Suæ Sanctitatis retulit, pro communi christianitatis bono ipsam pacem & concordiam semper desideravit & desiderat, & nunc etiam Senatus ille *Venetorum* per Vestram Magnificentiam, adhortatur & suadet; pacem ipsam libenter amplectitur & in eandem descendere, æquis tamen legibus, parata est. Sed ut vos, Domine Orator, rem omnem, qua lege, 476 quibus etiam ex causis ad tantum bellum ventum sit, volumus vobis ab initio aperire vel potius perstringere; nam qui pacem inter dissidentes tractant, prius causas dissensionis cognoscant est necesse. Cum annis superioribus damnatus ille *Georgius* Rex *Bohemiæ* contra Cæsaream Ma-
C jestatem ob non servatam fidem, ut ille *Georgius* dicebat, arma suscepisset & primogenitum suum Ducem *Victorinum* cum numeroso exercitu in *Austriam* destinasset: is etiam totam patriam ab altera *Danubii* parte & *Danubium* etiam ipsum brevi temporis spatio occupavit, & tam per decursum *Danubii*, quam in ipsa tota provincia gravissimis exactionibus subditos Cæsaris diu affligeret, ipsam etiam civitatem *Viennensem*, in qua erat Cæsar, obsidione cinxit. Videns autem Cæsar & se & patriam illam in periculo, à Regia Majestate multis promissionibus auxilia sibi ferri postulavit: ad cujus exhortationem variasque promissiones Majestas sua Regia nihilo segnius immorata, in illos *Bohemos* & alios eorum auxiliatores castra movit, & præmissa celeriter parte copiarum, ipsam civitatem *Viennensem*, in quam hostes ipsi jam impetum fecerant, primum ab ipso impetu, quem Sturmam vocant, & tandem à tota obsidione liberavit, & illos versus *Bohemiæ* fines retroce-
D dere coëgit: quos Regia Majestas semper insecuta est. Sed qualis præstiti beneficii merces fuerit, nunc audies Domine Orator. Ubi Regia Majestas retrocedentes insequitur *Bohemos*, & hostium castris sua castra opponit; veriti hostes Domini Regis arma, cœperunt cum Cæsarea Majestate de pace & concordia tractare. Et quia Majestati Suæ tractatus ille placuerat, statim verso, ut ajunt, mantello, contra omnem charitatem & proximi sui amorem, irrequisita Regia Majestate & omnino etiam ignorante, pacem cum illis conclusit, & mox illas paucas copias suas auxiliares, quas castris Domini nostri Regis adjunxerat, non sine dolo & fraude revocavit; putans quod postquam illæ subtra-

subtraherentur, amplius Dominus Rex resistere nequiret, sed confusus ac inglorius & quasi nullam ei opem tulisset, redire cogeretur. Sicque Regia Majestas tam magnam, grandemque belli molem suam ac hostium non sine gravi labore, expensa & periculo vitæ & status, sola in campo sustinere coacta extitit. Cumque divina potius clementia, quam suis adjuta viribus contra tot hostium impetus resi-
477 steret, exercitumque illum præter spem Cæsaris extra usque dominia Cæsaris fugasset, & totam *Austriam* ab illorum hæreticorum rabie liberasset, ac re optime gesta, gravi tamen affecta à Cæsare injuria, in patriam reversa fuisset, Dominus Cæsar contra ipsam Regiam Majestatem, nulla suscepti beneficii memoria habita, in Dominum Regem, tanquam in hostem, statim in regnum suum *Hungariæ* sævire cœpit, & numero frequenti militiæ plurimas villas diripere, incendere, & incinerare non erubuit. Cœpit præterea in perniciem Domini regis plurimas hinc inde conjurationes cum diversis principibus, inter ceteros vero cum Domino Rege *Poloniæ*, facere, prout de facto fecit, huncque ex amico & bono vicino fecit inimicissimum ac hostem atrocissimum. Instituit etiam Cæsarea Majestas, quod primogenitus Regis ipsius *Poloniæ* contra Deum & ejus justitiam ac contra dispositionem Sedis Apostolicæ, contra denique jura Regiæ Majestatis, quæ jam Majestas quidem sua in regno *Bohemiæ* acquisita habebat, in regem *Bohemiæ*, non quidem per Catholicos, sed per hæreticos eligeretur. Nec hæc incommoda Domino nostro Regi intulisse, Cæsareæ Majestati satis esse, visum est, sed ut expleret animum, quem odio, & ingratitudine plenum erga Dominum Regem conceperat, non prius ab injuria abstinuit, quam alterum ejusdem *Poloniæ* Regis filium nepharia & scelerata arma induerit, illumque cum numeroso exercitu in *Hungariam* ac expellendum & exturbandum inde Dominum nostrum Regem, & usurpandum ejus regnum & Imperium immiserit. Sed justus Dominus justitiæ Domini Regis nostri clementer favit: nam non sine magna gloria Domini nostri Regis, Regisque *Poloniæ* immortali dedecore & ignominia, maximo etiam accepto incommodo, ipsius Regis *Poloniæ* exercitus fusi fugatique fuerunt, nec tamen abest quominus Majestas regia maxima fuerit affecta injuria, regnum etiam suum, maximum ex tanto bello cœpit detrimentum. His Cæsarea Majestas & plurimis etiam aliis similibus injuriis non satiata, sed ut molestior fieret, malum malis addidit. Parabant duæ Reginæ pro Regio apparatu solemnes nuptias, illas etiam Dominus Cæsar turbare non erubuit. Misit enim in viscera usque *Hungariæ* & quasi usque Budam quosdam copiarum suarum, vel prædones potius, qui latrociniis & excursionibus magis, quam præliis, agrum omnem & omnem proximam terram popularentur, usque
478 adeo, ut Regia Majestas è mediis pene (ut ajunt) hymenæis, & geniali thoro surgere & arma capere, ac injuriam propulsare compulsa est. Coacto itaque subito exercitu, hostes illos non solum repulit, sed etiam eos fugientes insequendo, in viscera usque *Austriæ* penetravit, ubi plurima oppida, civitates, arces, & alia loca munita brevi tempore expugnavit. Expugnasset autem universam eam patriam, nisi preces amicorum Majestatem Suam, & præsertim sanctæ Sedis Apostolicæ adhortationes & reverentia vicissent. Sanctissimus Dominus noster bo: me: *Sixtus* Pontifex medio episcopi *Forolivienfis* Legati sui, tunc apud Cæsaream Majestatem agentis, & item olim reverendissimi Domini *Agriensis* similiter Legati, apud Regiam Majestatem constituti, partes suas interposuit: cujus animum postquam Regia Majestas intellexit, tanquam filius obedientissimus, immemor injuriarum & cædis suorum, ad pacis & concordiæ tractatus descendit, & certis sub conditionibus & capitulis & obligationibus Cæsareæ Majestatis, quas magnificentia Vestra ex literis Suæ Majestatis, quæ statim coram perlegentur, intelliget, omnia loca illa capta & expugnata simpliciter restituit & resignavit, sicque tunc bellum illud finem habuit. Confecta itaque pace & percussis fœderibus, restitutisque oppidis, castellis, civitatibus, ac locis omnibus, quæ Regia Majestas bello à Cæsare receperat, Dominus Rex in patriam rediit, hostile nihil deinceps à Domino Cæsare sibi parari putans, ac perpetua quiete frui. Sed qualiter Majestas Sua Cæsarea promissa servaverit, nunc accipite. Confecto primo isto bello, dum regia Majestas (ut prædixi) in *Hungariam* rediens, aliis rebus suis vacat & se accurate . . , . . .

. . . . , ...

Vienna enim & Nova civitate, potioribus *Austriæ* oppidis, sicuti ex lege fœderis illi licebat, eum spoliavit: nec quisquam putet, quod ex *Moravia* & *Slesia*, aut *Lusacia*, quæ *Bohemorum* provinciæ sunt, & in quibus Dominus noster Rex à Cæsarea Majestate Regalia & investituram suscepisse se profitetur, auxilia ad bellum hoc conficiendum habuerit; solum & dumtaxat ex *Hungaria* copias auxiliares, quæ Cæsarem, & jus Cæsareum non recognoscunt. Unde nihil omnino habet Cæsarea Majestas, quod adversus Dominum Regem nostrum queri possit, quia suis, id-est *Hungaris* dumtaxat armis, illum superavit, & penati-
479 bus ac avitis sepulcris exuit. Voluit itaque Majestas Sua fidem Cæsari de regno *Bohemiæ* & ejus provinciis præstitam, pro suo veteri instituto & more catholici ac magnanimi principis, inconcusse conservare.

Inter alia autem, Beatissime Pater, hoc quoque *Jauriensis* Dux asseruit. Profecto Majestas Domini nostri Re-
A gis contra Cæsaream Majestatem pro non solutis illis quinquaginta millibus ducatis nunquam bellum movisset, nec via armorum pecuniam hanc à Cæsare extorquere tentasset, nisi Cæsarea Majestas regna sua post confectam pacem invasisset, & Dominum nostrum Regem alio intentum impedivisset, variisque injuriarum ac molestiarum generibus provocasset. Sed postquam Majestas Sua ab injuriis, damnisque, & persecutione Domini nostri Regis cessare noluit, coactus fuit tandem Dominus noster deposita nuper arma reassumere, & vim repellere, atque dominia sua tueri, ac defendere. Et licet hæc, quæ Dominus meus Rex recipit bello, maxima sint, vicemque alterius regni habeant, attamen Sua Majestas quæ bella gerit, ut pacem habeat, ad exhortationem & reverentiam in primis sanctissimi Domini nostri, & Sedis Apostolicæ, prout hic reverendissimus Dominus Legatus nomine Suæ Sanctitatis sæpius ac frequenter institit, necnon ad suasio-
B nem illius amplissimi Senatus *Venetorum*, quos amicorum numero jamdudum annumeravit, hæc omnia, quæ bello recepit, dimittere, & restituere, salva tamen semper capitulorum & conventorum inter Dominum Regem & Cæsaream Majestatem inscriptione & continentia, est paratus, idest modo Cæsarea Majestas juxta promissa & obligationes suas, satisfaciat Domino nostro Regi; in primis de summa capitali & expensis in præsenti bello factis; tandem vero de damno & interesse; paratus est arma deponere & ablata omnia restituere, ac cum Sua Cæsarea Majestate in bonam pacem, concordiam & amicitiam descendere; ac illam instar Patris colere, observare & venerari. Et profecto, Domine Orator, Dominus meus Rex non tam dolet molestias & damna passum esse à Cæsarea Majestate, quam illum angit, quod magnam rei bene gerendæ occasionem adversus *Turcarum* Imperium abstu-
C lerit. Nec dubitasset Regia Majestas, sicut Christianorum Imperatorem justis armis superavit, sic *Turcarum* Imperium, non minus pio, quam religioso bello evertisse. Sed Deus parcat Cæsareæ Majestati, qui suo sive alieno usus consilio, se ipsum in primis perdidit, & Regiæ Majestati, cujus gloriæ visus est invidere, magnum de hostibus 480
Christianis triumphum nobis ademit, ac prope in manibus paratam victoriam exturbavit. His autem dictis, mox *Jauriensis* perlegit capitula, & inscriptiones, atque etiam privilegia Cæsaris, in quibus Majestas Sua Dominum Regem *Hungariæ*, Dominum *Bohemiæ* Regem appellat, ac de *Romani* Imperii Electoratu, & de dicto Electoratu investituram concessit. Ad quæ Dominus Orator *Venetorum* respondit. Ego habeo in mandatis ab illustrissimo Dominio meo, ut quod Dominus Rex responderit, debeam illico, & sine mora aliqua ad illud rescribere. Itaque peto, quod detur copia istarum inscriptionum & capitulorum: nec aliquid ultra ad rem hanc locutus est. Ego, Pater Beatis-
D sime, etsi sæpius Domino Regi de hac re nihil, quam nunc habeo in mandatis á Sanctitate Vestra, sim professus; attamen quantum pro spectaculo licuit, ingentissimas gratias habui nomine Sanctitatis Vestræ Dominio *Venetorum*, quod pro veteri & laudabili illo suo instituto in partem curæ & sollicitudinis ad Sanctitatem Vestram accessisset: quod pacem & concordiam tam solemni Legationis pompa inter Christianos principes, eos præsertim, à quibus cæterus Christianus Orbis pendet, nulla laborum habita ratione, quæreret. Hortabar insuper illos reverendissimos Consiliarios, uti Domini Regis animum ad pacem capescendam, quam semper Sua Majestas in medio tot victoriarum cursu, quibus adeo decoratus incedit, pro animi sui magnitudine amplecti visa est, prosequatur & capiat, hoc præsertim tempore, quo Sanctitas Vestra tot laboribus, tot denique impendiis ad bellum in *Turcas* capescen-
E dum, si aliorum non desint auxilia, se accingit: quod profecto non minus Christo, pro cujus gloria & laude hoc bellum paratur, verum etiam Sanctitati Vestræ in primis, quæ illius vices gerit in terris, & universo Orbi Christiano rem gratam facere polliceatur & spondeat. Dixerat sua Majestas his ferme diebus, quibus Orator iste *Venetorum* advenerat, quod Legatus iste Imperatoris Turci ab Imperatore suo habeat in mandatis, quod si nihil cum Domino Rege de pace, nihil de induciis efficere potuisset, hoc saltem exposceret, quod Rex *Hungariæ* acquiesceret, quod copiæ suæ per suum regnum transitum sine subditorum suorum injuria & damno habere possent: quibus copiis *Venetorum* terras posset invadere ob id, quod pollicitam fidem & concepta capitula non servassent. Quod- 481
que nihil foret Domino Regi ob transitum copiarum suspectum, pollicetur *Turcus*, quod Regius homo cum copiis iter agat, & omnia, quæ ad commeatum copiarum
F spectant, sua pecunia & suo sumptu velle exsolvere expondet: quod si non servaret, liceat impune Domino Regi copias omnes invadere & spoliare. Institi apud Majestatem suam, dicere dignaretur quid ad extremum respondisset: dixi, inquit, dicatis Domino Imperatori vestro, quod prius conveniamus de damnis utrique illatis, & postea quæ potero facere pro honore Majestatis suæ (si non sit contra honorem meum) libenter efficiam. Expecto, Domine Legate, quid Dominus sanctissimus respondeat: proterea non volui tibi pro certo respondere. Laudavi Majestatem suam nihil quod alienum à modestia sua foret, respondisse.

Postremo Dominum *Colocensem* juxta Domini Regis pollicitam fidem ad mitiorem & proximiorem locum in Vi-

cegrado deduxi. Processi illi obviam, & effusus mox in lacrymas & gemitus, Sanctitatis Vestræ clementiam implorabat, Consignarunt illum mihi custodes illi nomine Regiæ Majestatis custodiendum juxta Sanctitatis Vestræ dispositionem & mandatum: quem nolui recipere, cum neque *Vienna* aut *Strigonium* foret locus ille, ut a Sanctitate Vestra dixi me sigillatim habere in mandatis. Nec tantum volui, ut pro meo arbitrio locus daretur idoneus & cetera, quæ usui esse possent pro modo fortunæ & temporis. Est tamen corpore sanus & incolumis, & præter ventrem grandiorem, ab illo, ut dicunt, qui hominem norunt, non est immutatus. Habuit subinde maximas Sanctitati Vestræ gratias, prodesse servulo suo tandem memor fieri voluisset. Petiit insuper capellanum unum, & puerum unum dari sibi in custodia comites. Hoc cum à Rege petiissem, perbenigne concessit: eos tamen, quos ipse eligeret, veritus, ut sua Majestas dicebat, hominis in efficiente linguam, quam male, ut dicit, compescit. Plenus animo, ac fiducia plenus loquitur archiepiscopus, nec flectit animum, sed turgidum & durum nescio quid super fortunæ & temporis modum loquitur, servitia & labores annuens suos. Demum illum me adhortante & in spem erigente, tandem dixit, quod in judicium cum Domino suo descendere non vellet. Voluisset mecum multa clam loqui, sed putavi consultius fieri, ut nil, nisi palam cum illo agerem. Ille *Thomas Dragi*, ut ex bono loco accepi,
482 priusquam ad Sanctitatem Vestram venerit, *Camerinum* concessit cum illo Cynthio *Anconitano*: nescio quid id sit, quod tot nuncii Domini de *Camerino* huc venerint, & rursus Dominus Rex *Romam* missurus nuncios suos, etiam per *Camerinum* iter egerit. Alia non sunt, quæ scriptura digna putaverim. Optime ac feliciſsime valeat Sanctitas Vestra, cujus sacratissimis precibus humillime me commendo. Ex *Buda* prima Junii 1489.

Sed ecce dum has literas claudo venit nuncius, qui Sanctitatis Vestræ brevia defert. Legi illa, ut par est, reverenter, atque alia ipse ego ad manus Suæ Majestatis detuli, quæ etiam, me præsente, legi jussit & mox cum ea, quæ continebant, audivisset, Prælatos, qui ibi aderant, jussit abire. Et vere, inquit, Domine Legate, ego intelligo in quem finem Dominus sanctissimus hæc scribit. Sed ista non dico eo animo, quod velim Legato Domini sanctissimi respondere. Sua Sanctitas vult decimas habere: vere non habebitis: ego scio quid loquor, Dicit Sua Sanctitas, quod magnam habet cum Soldano intelligentiam: quam Sua Sanctitas habeat & per istam Crucem (quam utroque indice admoto fecerat) si portabitis illum *Turcum* per mare, ego portabo fratrem suum *Turcorum* Imperatorem per terram in *Italiam*: vos videbitis, inquit. Cui respondi: nescio, Serenissime Rex, quorsum Sua Sanctitas scribat hæc, nisi ut communi consilio Potentatuum Christianorum bellum in *Turcos* decernatur. Sed si decimas vellet habere, non videtur Majestati Vestræ necessarium fore? Tanta enim res, tanta belli moles sine pecuniis, quæ bellorum nervi sunt, inchoari, vel absolvi non potest: nec puto quod Majestas Vestra bella, quæ gessit, sine pecunia absolvere vel inchoare potuerit. Sed pro Deo dignetur quod non faceret, non dicere. Fuit hactenus Majestas Vestra murus & antemurale Christiani nominis, cur tam propere vult de Domino nostro & ejus consiliis male sentire, qui nil, nisi communi Potentatuum Christianorum consilio bellum indicere parat: & quantum mihi pro ingenii tenuitate licet colligere, bellum hoc, quod Sua Sanctitas indicere parat, aut classe vel terrestri exercitu fiet. De alterutro modo Legati Christianorum Potentatuum, quos ad se vocat Dominus noster, apud Suam Sanctitatem discutient: & si classe agendum erit, etiam communi consilio decernetur quis classis futurus sit
483 Præfectus. Si terrestri exercitu, etiam mature decernetur per cujus provinciam & terras. Et quid scit Majestas Vestra? Forte omnium erit consilium, quod Majestas Vestra tam ratione militiæ suæ, quam regnorum situ invadendi *Turcum*, commodissime bellum hoc conficiat. Sed ego puto, Serenissime Rex, quod terrestris exercitus sine classe, aut classis sine terrestri exercitu huic negocio non sit satis, sed utrumque requiratur. Nam si terra agendum erit, classis est necessaria ad hostium incursiones propulsandas: quas mari forte facerent adversus Christianos, ut illorum vires diverterent, & è converso. Et cum in hoc sermone utrinque multa dicerentur, respondit Sua Majestas: vere sunt magna ista, quæ, sicut Dominus sanctissimus commemorat, fecit Sedes Apostolica. Sed ego volo scribere ad Suam Sanctitatem, & videbit quod non sunt inferiora illa, quæ ego & majores mei fecimus. Quantum ad deliberandum de isto bello, ego hoc negocium committam Oratoribus meis, qui sunt in Curia apud Suam Sanctitatem. De pace & concordia inter me & alios, cum quibus ego haberem differentias, in quibus Sua Sanctitas pollicetur concordiam facere, ego habeo Sanctitati Suæ gratias: & credatis, Domine Legate, quod ego nunquam alicui damnum intuli vel injuriam, nisi cum fui provocatus, quia putavi quod tunc liceret mihi, ut injurias propulsarem & me defenderem, & tunc male evenit illis, qui mihi injuriam fecerunt. Et postquam Sua Sanctitas scribit de differentiis componendis, sciatis, Domine Legate, quod nunc sum advisatus, quod Rex *Poloniæ* & Rex *Bohemiæ* nunc fecerunt unam confœderationem inter se contra statum & personam meam, & ego ne sim solus, volo etiam confœderationem facere cum quibus possum, ne isti noceant mihi: & certe non multum miraretur, quia est pater, & filius. Sed quod expresse nominaverunt contra personam & statum meum, hoc facit, ut ego cogitem de amicorum confœderatione, qui mihi auxilium ferant, (nec mora, instructiones exhibuit) qui in illicito stupore fuerant, de quibus, quod copias daret, est pollicitus. Cui respondi: Serenissime Rex, non possum nisi dolere, quod aliqua emergant, quæ Vestram Majestatem habeant turbare, hoc præsertim tempore, quo Dominus noster bellum hoc in hostes Christiani nominis justissimis armis parat indicere. Puto non ab re esse Suæ Majestati significare, & si quid interea videatur Majestati Vestræ, quod opera mea ad pacem fieri possit, illam polliceor, & spondeo Majestati Vestræ. Nec à modesto vi- 484
detur distare, quod Majestas Vestra auxiliares amicos sibi quærat associare, quibus illorum Regum vim & injuriam, si inferre illam vellent, propulsare possit, modo auxilia talia sint, & ab illis proficiscantur, quorum religionem, si non societatem, non aspernetur, aut vitare deberet Majestas Vestra. Hæc, Pater Beatissime, de *Turco* loquebar. Subdidit protinus Sua Majestas, & maligno risu lætus: Domine Legate, Rex *Poloniæ* etiam non curat vel aspernatur religionem auxiliorum suorum: immisit in regnum meum Tartarorum & hæreticorum copias ad prædam & populationem faciendam. Cur ego non *Turcorum* petam auxilia? Illorum societatem petere me oportet, qui utiles ad propulsandam vim, quam parant isti pater & filius, esse possunt.

Beatissime Pater, intueor hunc Dominum Regem anxium, & qui animo omnino concepisse videtur, quod Sanctitas Vestra bellum hoc classe sit indictura, eamque ad commodum & gloriam *Venetorum* factura sit. quodque amplius est, si *Zizimus Turcus* in classe ponatur; *Venetos*, quos futuros præfectos classis putat, non in bellum contra *Turcum* proficiscentur, sed privata aliqua commoda & privatas eorum passiones ulcisci intendent. Quo fit, ut plurimum verear, ne scandalum aliquod Rex ipse facere cogitet. dixerat enim mihi, quod Oratorum *Turci* dudum à se mittere volebant: nec adhuc dimisit, & adhuc hic moram ducit. Nec de societate cum *Turco* ineunda clam cogitat, sed palam & in genus se facturum inter loquendum comminatus est. Quare Sanctitati Vestræ humiliter supplico, pro sua divina prudentia, ut consuevit, optime consulat & disponat. Agitur, ut audio, de sufficiendo hunc naturalem Domini Regis filium, ut patri in regnum succedat: ea tamen ex levi nescio qua fama mihi auditur: habet tamen illum in magno honore & statu, quem salutari & revereri pro primogenito cupit. Venit, ut audio, nunc Orator quidam *Mediolani*, parvo tamen apparatu, ut sponsalia illa concludat, vel hunc recipi à Baronibus in regni successorem videat. Ad Regem *Poloniæ* Dominum *Zagrabiensem* Oratorem suum propediem mittendum Dominus Rex designavit: forte inter se concordabunt: quod Deus faciat pro sua clementia. De Domino *Colocensi*, expecto à Sanctitate Vestra audire, quid illa me facere velit. De *Anconitano* rursus cum Domino 485
Rege sermonem intexui. Perstat in proposito, quod Domino *Thomæ Dragi* rem delegaverit, ut omnia faciat, quæ Sanctitas Vestra fieri mandat, modo Sanctitas Vestra per unum breve *Anconitanis* errata, quoad hanc causam, contemplatione Suæ Majestatis indulgeat & remittat: & nunc idem pollicetur scribere & Sanctitati Vestræ & *Thomæ* Oratori. Recessit tandem Orator iste *Turci*, & ut mihi auditur, etiam Dominus Rex Oratorem suum propediem mittet ad *Turcum*. Puto, Pater Beatissime, quod Majestas Sua inter spem & metum naviget & pedem unum in duobus calceis habere velit, ad effectum ut videat quid Sanctitas Vestra de isto *Turco*, quem in palatio observat, statuat & decernat: ut si forte dandum illum in classem *Venetorum* statuerit, illico cum *Turco* fœdera jaciat. Nec Valeo Majestati Suæ suadere, quod non solius Dominii *Venetorum* exquirendum sit consilium, sed Majestatis Suæ præcipue, ac ceterorum Christiani nominis Potentatuum habenda sunt vota. Sit quæso boni animi Majestas Vestra, quia videbit, quod Dominus noster nihil à modesto alienum, nil denique, quod Sanctitatem Suam & Sedem Apostolicam non deceat, decernet. Ego dico vobis, Domine Legate, inquit, Dominus sanctissimus de isto *Turco* non potest facere nisi quantum Rex *Franciæ* mandat; & cum isto pacto recepit eum & totum istud negocium est in manu de *Balua*, & ipse totum gubernat, licet Rex *Franciæ* esset bene contentus, quod veniret ad manus meas. Dixi: Serenissime Rex, non sunt mihi nota ista particularia, ut illa dicit. Ego puto, quod Dominus noster liberum habeat de illo *Turco* arbitrium. sed Sua Sanctitas cupit Christianorum vota audire, quo melius & consultius de bello indicendo deliberet. & meminisse dignetur Majestas Vestra, quod Dominus noster plurimum adhortatur illam, ne tantam fidem præstet delatoribus, qui cupiunt semper scandala incitare. Non credatis, inquit, Domine Legate: ista quæ loquor non veniunt de illo, quem vos putatis: aliunde ego habeo & ex bono loco. Ostendit Sua Majestas dudum binas literas Soldani in Arabico & Turco sermone scriptas: & modeste à me pulsatus quid literæ dicerent, velut obaudiens alio sermonem divertit. Venerunt ad me ex *Bohemia* certi Fratres Minores de observantia, qui centum fratrum Oratores se dicunt, & à me petierunt ista sibi concedi, super quibus volui

volui Sanctitatem Vestram consulere, cum dudum nove-
486 rim Sedi Apostolicæ specialiter reservata. Subinde *Agrien-
sis, *Zagabriensis*, & *Cenadiensis* petierunt à me consilium
quid de uxoribus, quarum mariti, aut de maritis, quo-
rum uxores hostium *Turcorum* servi forent, quorum aliqui,
& aliquæ de facto novas insuper ducunt uxores aut mari-
tos, & in concubinatu vivunt; an illis ecclesiastica Sacra-
menta danda forent, si nolint à concubinatu discedere.
Allegant, ut isti Domini Episcopi referunt, grave esse,
quod ab ecclesiasticis Sacramentis fiant alieni, attento quod
nulla eorum vel earum culpa apud hostes maritus, vel uxor
detineatur, & cum maritis uxores, aut uxoribus maritos re-
dimere facultas non sit, & carnem continere non valeant.
Si Sacramenta denegentur, minantur se ad Turcos migra-
turos, & ut novit Sanctitas Vestra, facilis *Hungaris* &
Sclavis ad *Turcos* est transitio. Ad sanctitatem Vestram
hos tam graves casus remittendos censui, quia si non sit
culpa, tamen est causa. Venerunt duo nuncii Domini
Maximiliani, levi tamen apparatu, ut vix quinque aut
sex secum habeant. Pararunt mandatum Domini *Maxi-
miliani*, in quo profitetur se à Cæsarea Majestate Patre suo
habere plenam potestatem inducias prorogandi. Voluit
Dominus Rex pro Sanctitatis Vestræ reverentia, tractatui
sæpius discusso adessem, & quia mandatum, quod primo
exhibuerant, satis leve fuerat, res difficultatem habere vi-
debatur, usque adeo ut Dominus Rex remittendos & ex-
cludendos nuncios, si aliud non haberent mandatum, cen-
suit. Sed ubi apud eos arctius institutum est, plenius man-
datum exhibuerunt ac spoponderunt, Dominum suum ha-
biturum ratum quidquid super mandatum Dominus Rex
concludi in treguis voluisset: sicque ad sex menses indu-
ciæ sunt prorogatæ: ac hodie, qua Sacramenti Corporis
Christi celebritatem colimus, inter litaniarum solemnia
Dominus *Jauriensis* inducias publicavit, adjiciens, Do-
minum Regem in primis ob Sanctitatis Vestræ reveren-
tiam, & adhortationem, & *Maximiliani* complacentiam
fecisse: quodque amplius est, Dominus *Jauriensis* serenis-
simi Domini Regis jussu omnium animos in spem magnam
erexit, ut si pacem fieri contingat, vires regni & arma
omnia in bellum, quod *Turcus* indicit, ex nunc convertet.
Et profecto, Beatissime Pater, Dominus Rex longe mitius
se habuit & mitiores, ut dicunt, *Oldas*, idest pecuniarum
tributa, imposuit oppidis *Austriæ*, quæ restant bello oc-
487 cupanda, quam alias cum Catholica Majestate egerit; quod
totum & Sanctitati Vestræ, & *Maximiliano* tribuisse profi-
tetur. Est quoque in induciarum capitulis illud, ut Do-
minus Rex diem dicat & locum, quo *Maximilianus* ad su-
periorem ascendat *Germaniam* ad colloquium cum Domi-
no Rege de pace acturus: putant, qui recte sentiunt, pa-
cem concludi debere. amat enim Dominus Rex Domi-
num *Maximilianum*, seque facile posse cum illo compo-
nere negocia hæc, profitetur: quod de patre longe est:
detestatur illius desidiam, inutilitatem, & ingratitudinem,
ac repuerascentis senis mobile & varium ingenium. Ha-
bui ego in publica concione nomine Sanctitatis Vestræ
Suæ Majestati ingentissimas gratias, quod ad inducias pri-
mo, mox ad pacem, quæ ex mutuo colloquio sperabatur,
animum inclinasset. Laudavi insuper Suam Majestatem,
quod non minus reverenter, quam devote & monita &
adhortationes Sanctitatis Vestræ, ut Catholicum decet
Principem, audiret, Debet profecto Sanctitas Vestra Ma-
jestati Suæ plurimum, quæ etsi ad rem hanc à me, qui
nullum ad rem hanc petendum mandatum habebam, pul-
sata non fuit, attamen publice Majestas Sua professa est,
se ob Sanctitatis Vestræ reverentiam facere, ac omnem ex-
ercitum, quem ex *Slesia* & *Lusatia* ad bellum hoc nuper-
rime eduxerat, aliò convertit. Composuit enim *Varadi-
nus*, qui nuperrime rediit, rem omnem, quæ dudum fue-
rat cum Marchione illo *Brandeburgensi*, & Ducibus illis
de *Saxonia* & *Bohemis* omnibus, qui à Majestate Sua defe-
cerunt, non sine Domini Regis commodo, gloria, & ho-
nore, ut *Varadinus* dicit. Quare supplico Sanctitati Ve-
stræ humiliter, ut ipsa quoque animum ad ea, quæ Do-
mino Regi ad gloriam sunt & honorem, ut facere con-
suevit, & aliis suis ad me literis professa est, inclinet, ac
suis literis Majestatem Suam pro tam religioso & pio deside-
rio in Sanctitatem Vestram commendet & laudet. Hic
jam nihil hostile suspicamur, & præter arma, quæ Maje-
stas Sua in *Carinthios*, & siqui treguas violarunt, movit;
nihil auditur, nec pro illis Oratores isti verba faciunt, si-
ve quod justa arma Rex moverit in eos, qui fide fracta in
causa sunt, quod bello & armis lacessantur, sive quod non
habeant in mandatis. Occupavit jam Dominus Rex, nul-
lo resistente, certa oppida cum arcibus, & victoriam pro-
sequitur, nec quisquam fert opem, nisi quantum ope ca-
stelli, aut murorum obsidionem pati possunt. Subinde
488 cum literas claudere instituissem, volui Dominum Regem
alloqui, ut si quid foret ulterius, literis mandare possem:
& de industria repetito sermone de isto *Turco*, quem San-
ctitas Vestra servat, quod magnam scilicet foret huic bel-
lo, quod Sanctitas Vestra parat, allaturus utilitatem. Do-
mine Legate, inquit, de isto *Turco* non est opus ulterius
cogitare. Orator Soldani, qui est *Romæ*, supplicavit Do-
mino sanctissimo pro parte istius *Turci*, quem Sua Sancti-
tas servat, quod Sua Sanctitas sit contenta recipere a Sol-
dano ducenta millia ducatorum, & quod eum det ad ma-
nus Soldani, & Sua Sanctitas fuit contenta. Sic misit u-
num hominem ad *Rhodum* sub prætextu, quod pro aliqui-

A bus fratribus religiosissimis *Rhodiensium* vadat ad *Rhodum*;
sed inde mutatis vestibus ibit ad Soldanum pro
compositione istius pecuniæ, & aliarum rerum. Ego, in-
quit, bene credo, quod faciet magnum bellum contra
fratrem suum magnum *Turcum*: sed Dominus sanctissimus
deberet cogitare, quod Soldanus & ille *Turcus* ambo sunt
infideles; etsi isti fiant magni, erunt maximi inimici fidei no-
stræ, etsi vincet iste *Turcus*, qui nunc est captus, creda-
tis, Domine Legate, quod nos habebimus duriorem ini-
micum, quam istum magnum *Turcum*. Item Dominus
sanctissimus nunc unum alium hominem suum mittit mu-
tatis vestibus ad magnum *Turcum*, nescio tamen (inquit)
pro qua causa. Quantum autem deceat unum Papam ista
facere, Sua Sanctitas, quæ prudentissima est, potest me-
lius considerare, & quid sint dicturi alii Christiani princi-
pes, quando ista audierint. Dixi, serenissime Rex, hæc
sunt mihi omnia incognita: nec possem credere, quod
B Sua Sanctitas, quæ per suas literas omnium Potentatuum
exquirit Oratores, ut communi consilio rem decernat,
quod tam propere voluisset rem concludere: & non vide-
tur mihi verisimile, quod pro ducentis millibus hoc fa-
ctum sit. nam meminisse potest Majestas Vestra, quod a-
lias ego ad Dominum nostrum scripsi, quod Soldanus of-
ferebat sexcenta millia. Quare nunc pro ducentis milli-
bus? Tamen quando hoc foret, quod dicit Majestas Ve-
stra, forte ista ducenta millia volet Sua Sanctitas pro isto
bello, quod parat contra *Turcos*. Domine Legate, inquit,
si non scit hoc Paternitas Vestra, scio ego, & forte quod
plus sunt: sed de ducentis millibus ego sum bene certus.
Et non credatis (inquit) quod Sua Sanctitas velit pro isto
bello: sed vult pro bello, quod intendit facere contra Re-
C gem *Neapolitanum*, & jam Sua Sanctitas est deliberata in 489
mense Augusti proximo eum excommunicare, & certa
alia facere contra eum. Ego, inquit, pro honore meo
non possum eum relinquere, & credatis, Domine Lega-
te, quod ista res habet majorem caudam, quam credatis
& faciet tantum ignem, quod Sua Sanctitas non poterit
extinguere cum voluerit. Serenissime Rex, hæc (inquam)
omnino sunt incognita, & nunc primum audio: immo
quando discessi, videbam Sanctitatem Suam satis ad pa-
cem inclinatam & mihi commiserat, quod cum Majesta-
te Vestra verba facerem, ut illa partes suas interponeret,
& Regem *Neapolitanum* adhortaretur, quod capitula & con-
venta servaret, cum nullum adhuc servare voluisset. Et
credat Majestas Vestra, quod mirum est illius Domini Re-
gis ingenium, qui nunquam fidem servat. Tamen ego
nescio quid ad hoc respondeam, cum nihil hactenus au-
D dierim. Domine Legate, inquit, omnes nos amici sui
hoc dicimus, quod Rex *Neapolitanus* nunquam servat fi-
dem. Tamen Dominus sanctissimus ipsemet est in culpa.
A principio quando vos, Domine Legate, venisti, ego
incepi super hac re laborare: & scio, quod illud, quod
promisisset per manus meas, vellet nollet, ipse servasset:
immo Dominus Rex non libenter audiebat, quod ego me
interponerem, quia forte non intendebat servare quod
promittebat. Sed Sua Sanctitas istam rem commisit *Lau-
rentio* de *Medicis*: postea Domino *Ludovico*: postea *Venetis*:
quando ego audivi hoc, nolui me impedire. Dominus sanctis-
simus isto anno effecit, quod Dominus *Ludovicus* erat jam
confœderatus cum Sua Sanctitate, & deseruerat Regem *Nea-
politanum*. Sed ego tantum feci, quod concordavi eos. Sed hoc
forte Sua Sanctitas ignorat. Præterea ego audivi (inquit) quod
isti *Veneti* fecerunt querelam contra me ad Suam Sanctita-
tem, quod illum Dominum de *Camerino* ego conduxi ad
E stipendia mea, & quod in capitulis ego promisi sibi, quod
pecuniam, quam isti *Veneti* debent illi Domino de *Came-
rino*, per vim solvere faciam. Ego, inquit, possem per
Deum jurare, quod non modo hoc non est expressum in
capitulis, sed hoc nunquam scivi, nec unquam de hoc
fuit mihi factum verbum. Est verum, inquit, quod post-
quam ego vidi, quod Dominus noster vadit ad istas suas
passiones, & non vult pacem habere cum Rege *Neapolita-
no*, non possum cum honore meo relinquere eum. Ego
consideravi, inquit, quod melius est, quod ego habeam
gentes de *Italia*, & cum minore impensa, quam mittere 490
hinc: & propterea conduxi eum Dominum de *Camerino*,
qui vadat in auxilium ipsius Regis quando sit opus. Sed
ego considero, inquit, quod intra paucos dies habebo no-
vum, quod Marchio *Mantuanus* erit ad stipendia mea.
Dixi: Serenissime Rex, de rebus *Italicis* ego possum libe-
rius loqui, quia *Italus* sum. Ille Dominus de *Camerino*
est subditus *Romanæ* Ecclesiæ, & non puto, quod audeat
arma sumere, ubi senserit Dominum nostrum habere in-
F teresse. Et quid putat Majestas Vestra, quod ille sit?
præter montes nihil habet. bene puto, quod in illis mon-
tibus aliquid posset, quia habet, ut dicitur, pedites sa-
gittarios bonos: sed extra eorum loca & montes, præter
istos, qui dicuntur Ciarratani, qui portant falsas indulgen-
tias, nihil habet, nec aliquid valet. Sed credat Majestas
Vestra, quod adhuc de illo dictura est, Curva fra olas.
Risit & ulterius ad rem non est locuta. Audio quod ad
octavum Septembris Sua Majestas diem dixerat, quo ad
colloquium cum Domino *Maximiliano* de pace tractanda con-
venient: & nescio quo levi murmure mihi refertur, quod isti
nuncii Domini *Maximiliani* Domino Regi spem dederint de
filia *Maximiliani*, quæ in *Gallia* est, quam matrimonio cedet
huic naturali filio Regis. Alii referunt de filia Regis *Neapolita-
ni*: & hoc Dominæ Reginæ inventum est, ut turbet nuptias i-

stius Sororis Ducis *Mediolani*. Præterea, ut audio, brevi Dominus Rex Gubernatoris Regni *Hungariæ* titulum huic filio suo dabit, ac jurari in Regem, ut post ejus obitum A in regno succedat, efficiet. Optime ac feliciſſime valeat Sanctitas Vestra, cujus sacratiſſimis precibus humillime me commendo. Ex *Buda* XXV. Junii MCCCCLXXXIX.

NOTA.

De Zizimo, cujus in hisce literis fit mentio, vide Theodosium Zygomalam apud Martinum Crusium in Turco-græcia pag. 30.

491

L.

Ex editione Hortana.

Dilectis filiis Communitati & Hominibus civitatis nostræ ORTANAE.

LEO PP. X.

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Inducimur fidei & devotionis sinceritate, quam ad nos & hanc sanctam Apostolicam Sedem geritis, ut ea quæ vestris commodis pertinere noscantur, vobis paterno affectu concedamus. Quocirca cum sicut nobis exponi fecistis fel. rec. Julius *Papa II. prædecessor noster ex sinistra potius (ut creditur) informatione, quam alia justa causa motus, omnibus & singulis fructibus, redditibus & proventibus ad istam Communitatem alias pertinentibus, qui in solutione salariorum officialium istius nostræ civitatis exponi solebant, vos & Communitatem ipsam privarit, illosque cameræ Apostolicæ applicarit; nos vestris in hac parte supplicationibus inclinati, omnem venditionem de illis usque in præsentem diem quomodolibet factam harum serie revocantes, vos & Communitatem ipsam ad omnimodam perceptionem & exactionem dictorum fructuum & proventuum in pristinum & eum statum, in quo ante dictam privationem seu amotionem quomodolibet eratis, donec tamen civitas ista nostra in pace &* B *unione manserit, ita quod quandocunque ob causam hujusmodi concessionis discordia vel divisio inter vos orietur, ex nunc, prout ex tunc, præsens gratia cassa & irrita sit, tenore præsentium de specialis dono gratiæ restituimus, reponimus, & reintegramus: ea insuper conditione adjecta, quod si nos expeditionem contra* Turcos *facere contigerit, tunc liceat nobis dictos introitus ad manus nostras reducere, & in ipsam expeditionem, donec illa duraverit, convertere; mandantes omnibus ad quos spectat, ne vos super dictis introitibus, exceptis casibus prædictis, quomodolibet molestent aut molestari faciant vel permittant, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon venditionibus de illis factis, etiam per Breve nostrum* 492 *confirmatis, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum* Petrum *sub annulo Piscatoris, die* XXIII. *Maji* MDXIII. *Pontificatus nostri anno primo.*

A. Colotius.

LI.

Ex editione Hortana.

Dilectis filiis Communitati civitatis nostræ ORTHARUM.

LEO PP. X.

Dilecti filii salutem & Apostolicam Benedictionem. Nuper exponi nobis fecistis, quod alias dilecti filii præsidentes cameræ nostræ Apostolicæ supplicationibus dilectorum filiorum oratorum istius nostræ civitatis ORTHANAE *inclinati, nolentes de cetero substantiam istius vestræ Communitatis superfluis comessationibus, dilecti filii Gubernatoris seu Locumtenentis provinciæ nostræ patrimonii pro tempore existentis in visitatione dictæ civitatis debitum dispergi & consumi, ex deliberatione matura in dicta camera præhabita, ne aliquid ultra quindecim ducatos: quos alias ex antiqua consuetudine pro hujusmodi visitatione pro expensis seu viatico suo solvere consuevistis, ad solvendum pro dictis expensis seu viatico astringi de cetero possetis; esset tamen in dicti Gubernatoris seu Locumtenentis facultate aut dictos quindecim ducatos in pecunia numerata loco impensarum, seu cibum & potum & alia pro expensis necessario ad sui electionem recipere pro visitatione facienda cum inhibitione Gubernatori & aliis officialibus provinciæ prædictæ tunc & pro tempore existentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ & quingentorum ducatorum præfatæ cameræ applicandorum pœnis, ne dicta de causa vos ultra quindecim ducatos prædictos, sicut antea solvere consueveratis, compellerent, statuerunt & ordinaverunt non obstan-* C *te, quod à quibusdam annis citra, secus observatum fuisset. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, ut statuto & ordinationi præsidentium cameræ hujusmodi pro firmiori subsistentia robur* 493 *Apostolicæ firmitatis adjicere, aliasque in præmissis de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos hujusmodi vestris in hac parte supplicationibus inclinati, harum serie statutum & ordinationem prædictam, ac omnia & singula per dictos præsidentes cameræ circa præmissa, facta & gesta, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur pro expressis habentes, confirmamus & approbamus, supplentes omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui forsan in eis intervenerint. Mandantes nihilominus moderno & pro tempore existenti Gubernatori seu Locumtenenti ac omnibus & singulis aliis dictæ provinciæ officialibus sub eisdem pœnis, ne contra statutum & ordinationem prædicta, aliqua via directe vel indirecte venire præsumant: quinimmo omnia & singula juxta statutum & ordinationem prædictæ cameræ observent & ab aliis inviolabiliter observari faciant, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *sub annulo Piscatoris die prima Novembris* MDXX. *Pontificatus nostri anno octavo.*

LII.

Ex editione Hortana.

Dilectis filiis Prioribus Populi, & Communitati civitatis nostræ HORTANAE.

LEO PP. X.

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Nobis nuper exponi fecistis, quod cum introitus ordinarii istius civitatis nostræ HORTANAE *ad onera & expensas ordinarias & extraordinarias, quas de necessitate subire cogimini, non sufficiant; quasdam dativas, ut ex forma Statutorum & consuetudinum vestrorum à Sede Apostolica confirmatorum & hactenus inviolabiliter observatorum potestis, vobis metipsis & civibus comitativis vestris imponere pro onerum & expensarum hu-*
494 *jusmodi supplemento consuevistis. Quia tamen illarum exactio ut plurimum aut negligitur aut exactor majorem pro mercede & salario suo sibi partem vendicat, evenit sæpenumero quod dativæ dativis, onera oneribus, ac impensæ impensis sine aliqua ipsius Communitatis ab imminentibus necessitatibus relevatione, congeminantur. Et dum se Communitas ex uno laqueo quærit explicare, se multiplicibus astringit, in grave universitatis particulariumque personarum damnum & præjudicium. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, ut super hujusmodi dativis per Communitatem impositis salarium Potestatis vestri cum onere, quod ipse dativas ipsas pro suo salario sine aliqua exactionis mercede* D *exigere teneatur, deputare atque alias desuper vobis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui omnes, præsertim nobis & S.* Romanæ *Ecclesiæ immediate subjectos populos in visceribus gerimus charitatis, vos favore prosequi gratioso volentes, vestrisque humilibus nobis porrectis supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium salarium Potestates istius civitatis* HORTANAE, *nunc & pro tempore existentis super dativis semel vel iteratis vicibus per Communitatem istam legitime imponendis & ordinandis, quæ pro hujusmodi salario sufficiant, nisi ex dictis (ut vocant) exigibilibus, in totum vel in partem, vel etiam ex eisdem ordinariis introitibus salarium hujusmodi solvere volueritis, deputamus, decernentes, quod Potestas vester præfatus salarium suum ex hujusmodi dativis, & quatenus vobis visum fuerit, ex dictis per se vel suos officiales exigere debeat & teneatur. Nec propter hujusmodi exactionem alienas mercedes exigat, aut exigere seu petere possit, nisi ab illis, si qui forsan essent, qui hujusmodi ex nostro decreto lientiores (quod non credimus) facti aut solvere omnino recusarent, aut ter amicabiliter requisiti negligentes & remittentes ad sol-*

solvendum forent; à quibus & summam per eos vel propter dativas seu dicta hujusmodi debita & ne ex indulgentia licentiam peccandi sumant, id quod alias juxta Statuta, reformationes, aut consuetudines vestras præfatas pro exactione similis summæ exactori deberetur, ipse quoque Potestas in hujusmodi recusatione & negligentia exigere possit, volumus, statuimus, & ordinamus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis, reformationibus, electionibus, capitulisque, &

A *promissionibus de aliter solvendo salario per vos Potestatibus ha- ctenus electis, etiam per nos confirmatis & deputatis, forsan fa-* 495 *ctis. Quas promissiones & capitula, quo ad salarii aliter, quam (ut præfertur) solutionem facientem, irritamus & annullamus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum* Romæ *apud sanctum* Petrum *sub annulo Piscatoris die* XXXIII. *Martii* MDXXI. *Pontificatus nostri anno nono.*

LIII.

CLEMENTIS VII.

BREVE VICARIO EPISCOPI HORTANI

Ex Archivo Vaticano.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris episcopi HORTANI in spiritualibus generali.

Dilecte fili salutem *&c.* Exponi nobis fecerunt per suos Oratores dilecti filii Communitas & homines nostræ civitatis HORTANAE, quod ipsi ex præsentium temporum calamitate una cum ceteris afflicti in conservanda etiam ad devotionem nostram & sanctæ Sedis Apostolicæ dicta civitate, tam multas expensas facere, & onera subire coacti fuerunt, ut nihil fere eis sit reliquum ad futura onera, tutelamque dictæ civitatis necessario subeunda, nisi Ecclesiæ & hospitalia dictæ civitatis, quæ pariter cum rebus sæcularibus defenduntur, pariter etiam dicta participent. Quodque etiam ipsi Communitas & homines penuriarum aquæ ex modica fontis in dicta civitate existentis capacitate ita patiuntur, ut tempore obsidionis magnum eis periculum immineat se defectu aquæ dedendi. Verum sicut eadem expositio subjungebat, si Ecclesiæ & hospitalia prædicta aliqua in parte suorum proventuum ipsam Communitatem coadjuvarent, & quædam Ecclesia fonti dictæ civitatis contigua demoliretur, ejusque area ad ampliandum dictum fontem, capacioremque ad suscipiendam aquam reddendum, eisque Communitati & hominibus concederetur, ex his profecto alleviationi ipsius Communitatis & securitati ac commoditati dictæ civitatis plurimum consuleretur. Quare pro parte dictorum Communitatis
495 & hominum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis in præmissis paterne annuere ac providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dictas Communitatem & homines ob fidem eorum inconcussam, quam nobis hoc calamitoso tempore præstiterunt, paterna ac debita benevolentia prosequimur, meritis eorum inducti precibusque inclinati, tibi per præsentes committimus & mandamus, ut Ecclesias & beneficia ecclesiastica tam sæcularia, quam regularia in eadem civitate sita, obtinentes, hospitaliumque dictæ civitatis Rectores nostro nomine

B hortenis, mandesque & præcipias eisdem, etiam sub censuris & pœnis ecclesiasticis, ut durante hac necessitate, & ad beneplacitum nostrum dumtaxat, de fructibus Ecclesiarum, beneficiorum & hospitalium hujusmodi pro communi sua & aliorum defensione & conservatione juxta tuas facultates & moderatam impositionem tuam, tam in expensis factis, quam fiendis pro dicto munimine, contribuant. Et nihilominus si ex demolitione dictæ Ecclesiæ, fonti civitatis propinquæ, fontem capaciorem reddi ac securitati & commoditati dictæ civitatis per hoc consuli repereris, atque ad id venerabilis fratris episcopi HORTANI, vel tui consensus accesserit eidem Communitati dictam Ecclesiam demoliendi & ex ejus area dictum fontem ampliandi capacioremque faciendi, licentiam & facultatem auctoritate nostra concedas, non obstantibus sacrorum Conciliorum & aliis Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, dictarumque Ecclesiarum & Hospitalium statutis *&c.* Roboratis privilegiis quoque & literis Apostolicis eis concessis confirmatis & innovatis, quibus ad effectum præsentium derogamus, contrariis quibuscumque aut si aliquibus *&c.* mentionem. Volumus autem quod in eventum demolitionis dictæ Ecclesiæ eadem Communitas suis expensis unum Altare sub eadem invocatione in Ecclesia cathedrali HORTANA construi, & ad illud missas in Ecclesia demolita celebrari solitas celebrari facere teneatur; & ad hoc faciendum dictam Communitatem, antequam Ecclesia demoliatur, obliges, quodque eidem altari bona dictæ Ecclesiæ demolitæ si qua sunt, applicata censeantur: quodque pecunias ex ecclesiasticorum contributione redigendas in dictum, & non aliud opus vel usum converti, interimque penes idoneam fide & facultatibus personam deponi cures; donec, ut præfertur, convertatur. Datum *Orvieti &c.* ultima Decembris MDXXVIII. an. V. Blos.

C


FINIS.



INDEX CHRONICUS

EPISCOPORUM HORTENSIUM.

F I N I S.



ANDREÆ MUGNOTII,

Conchensis, Hispani,

EREMI CAMALDULENSIS DESCRIPTIO,


DUOBUS LIBRIS ABSOLUTA.

Editio de novo in lucem edita, summa cum diligentia emendata atque Indice aucta.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.



EREMUS
CAMALDULENSIS.

Corona
Abietum
D. PP
D. inclusi
Vallum Ligneum
Templum
D. S. F.
D. S. R.
S. Ant.
Nemus
Abietum
Ligneæ Cruces
Coenobium

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS. BENEVOLO LECTORI SAL.

JUXTA Descriptionem *Sacræ Eremi*, & Eremitarum *Camaldulensium*, proponit & ostendit etiam Autor, *Andreas Mugnotius* vir non satis laudandus, ipsam intentionem & scopum proprium istius vitæ solitariæ, quatenus scilicet quisque per sinceram peccatorum agnitionem ad assequendam infucatam cordis contritionem, hacque methodo ad rectissimam conversionis haud dubiæ rationem habendam quis perveniat; aut ad minimum compos fieri queat. Dignus ergo hic Autor, ut ipsius, a seipso in hac Descriptione propositum vivum exemplar ob oculos ad Conversionis imitationem habeatur. Quapropter intermittere nolui pulcherrimam hanc Descriptionem typis etiam mundioribus cum Indicis auctario denuo recudi curare, ut nitor suus in externis quoque aliquantulum melius ad imitationem, etsi non omnimodam, aliqualem tamen alliciendam, imitationis cupido splendescere possit. Cæterum benevole Lector vale & opere hoc fruere exoptatè.

BEATISSIMO PIO V.
PONTIFICI OPTIMO MAXIMOQUE
ANDREAS MUGNOTIUS
Hispanus. F.

ETSI plurima sunt (Pater sanctissime) & maxima quidem ornamenta, quibus tua hæc Italia, *in toto terrarum orbe celebratur, nescio tamen, an majus aliquid & illustrius habeat, quam* Camaldulensem Eremum; *quæ supra montem altissimum, in* Hetruriæ *finibus posita, & quingentis quinquaginta & eo amplius annis, à viro sanctissimo* Romualdo *excogitata, ac instituta, novos cœlo cives hactenus, indiesque magis procreat. Cujus loci religio, tum alios Principes ac Heroes permultos, tum te imprimis ad se illexit. Quanti enim fieri ab omnibus is locus debeat, ostendisti satis, cum eum tua præsentia illustrasti. Hujus itaque* Sacræ Eremi *descriptionem, quam ego anno superiore, stylo (si non eleganti) certe fideli, brevi hoc Opusculo utcunque expressi; cui dicarem potius quam tibi Pontifex summe? cujus auspiciis, illam sanctorum Patrum religionem non conservari solum, sed novis etiam incrementis augeri, quotidie audimus. Accipe itaque Pater clementissime ac religiosissime nostræ hujus humilitatis munusculum ea animi voluntate, qua res omnes pias semper es prosecutus. Ego vero, satis amplum fructum illius me consecutum existimabo, si laborem hunc meum probari à te, gratumque tibi esse, intelligam. Vale Princeps optime, servetque te Deus tamdiu incolumem, quamdiu boni omnes exoptant.*

A. Mugnotius.

ANDREÆ MUGNOTII
Conchensis, Hispani,
EREMI CAMALDULENSIS DESCRIPTIO.

LIBER PRIMUS.

Post gentium multarum, urbiumque nobilissimarum collustrationem, quarum mores, ritusque varios cognoscere volui, veni tandem ab ultimis usque *Hispaniæ* finibus, in civitatem *Florentiam*, ut inde *Romam*, quo properabam, me conferrem. Verum, cum multa, perpetua sane laude digna, de *Eremo Camaldulensi*, qui locus est antiqua patrum religiosissimorum habitatione maxime celebris, inter loquendum, à nonnullis mihi notis accepissem, pio quodam desiderio sacrum hunc videndi locum impulsus, eo adire, operæ precium me facturum existimavi. Cumque die quadam in auroræ ortu, per vias invias, salebrosas, & curvas, incultas terras, sataque infructuosa, duras rupes, & montes asperos, iter arriperem, integram fere diem in itinere obeundo consumpsi, nec *Apennini* juga superare potui. Altera autem die summo mane, ad sacram perveni *Eremum*, in qua merito, inter religiosissimos viros, diutius mihi consistendum putavi, ut ejus etiam gentis veterem disciplinam, legesque sacras cognoscerem, unde vitæ sanctæ degendæ rationis splendor ortum habuit. Ante illius tamen accessum, dum montem illum innumeris hinc inde summæ proceritatis virentibus abietibus ornatum conspicio, statim in mentem venit, illa antiqua sanctorum patrum vita, quam in desertis montibus, & speluncis, in sancta illa solitudine *Ægyptia* degebant illi, quo magis in ejus amorem, maximo quodam pietatis fervore accendebar. Sed jam ad ipsius *Eremi* descriptionem, divinis auspiciis descendamus. Est mons in vertice *Apennini*, qui in *Hetruriæ* finibus prominens, ipsam à *Flaminia* disterminat, & utrumque respicit mare, *Tyrrhenum* scilicet, & *Adriaticum*, ab Urbe *Florentia* triginta passuum millibus distans, qui prægrandis est & valde saxosus, & præ ejus asperitate ascensu difficilis, ac per gyros itineris, duorum (ni fallor) milliarium spacio superatur. Ejus autem major pars, copioso abietum nemore plena est, quarum summa altitudine cœlum occulitur. Ultra ejus medium, ad singularum viarum terminos, singulæ etiam ligneæ Cruces erectæ sunt, quæ à sacra *Eremo* quinquaginta passibus, plus, minusve, distant. In hujus montis cacumine, planicies quædam est amœnissima, in qua, sacra illa, gentiumque pene omnium fama celebris, *Eremus Camaldulensis* sita est. Quæ, figuram habet quatuor laterum, quorum duo opposita ex lapidibus structa, sunt recta, & inter se inæqua- A lia, (superius enim quod septentrionem spectat, brevius est, inferius autem quod meridiem respicit, longius) reliqua vero duo ex tabulis composita, sunt quodammodo partes circulorum, ut perspicue delineata figura superius indicat. Ante ejus ingressum, sese offert quoddam exiguum, ac religiosum sacellum, opere lateritio constructum, divo *Antonio* Anachoretarum lumini dicatum, in quo, quotidie res sacra fit. Sacello adhæret janua *Eremi*, eodem opere fabrefacta. In medio fere *Eremi*, religiosissimum templum, in quo Christum dominum precantur omnes, erectum est, intra quod, ejus verum, ac sacrosan- B ctum corpus, sub specie panis, inenarrabili mysterio reconditum servatur. Non amplum est, aut splendidum admodum templum, sed sub obscurum, ac exiguum, ex lateribus, lignisque abiegnis conditum, divinis laudibus persolvendis accommodum, & supellectili ornatum satis ampla: quæ omnia, sanctitatem potius redolent, & spiritalis vitæ profectum, quam splendorem magnificum. Figuræ est oblongæ, orientem capite spectans, sine ullo columnarum, aut fornicum apparatu. Portæ ipsius supereminet Horologium, C planum, & decorum, ubi solis cursus per horarum spacia, lineamentis distinctus gratissime prospectatur. In primo templi ingressu duæ sunt cellulæ, januæ proximæ, in quibus, per noctem venientes *Eremitæ*, faces, cothurnos, & indumenta, quibus præ nimio frigore involvuntur, deponunt: nam quisque a suo domicilio, brumæ tempore sub dio, & sæpius calcatis nivibus eo usque progreditur. Totum vero templum medio sectum est pariete, qui choros duos distinguit: superiorem ingrediuntur primi ordinis *Eremitæ*, suis singuli subselliis in orbem positis assidentes, rem sacram celebrantes, horas- D que divinas decantantes, ubi major est ara, venusto & pio aspectu conspicua. In inferiori vero, secundi ordinis *Eremitæ* consident, preces suas taciti persolventes: atque in objecto pariete duo sunt altaria, quæ porta distinguuntur media, illaque angusta, ubi sacerdotes rem divinam peragentes audiuntur. Non est admodum sublime tectum, nec longitudini dissonum, ubi sex lampades accensæ juge lumen præbent. Domuncularum deinde, seu disjunctarum cellarum, numero vigintiquatuor, variati ordines, sub dio constructarum, rebusque omnibus E humanæ vitæ necessariis decenter munitarum, existunt. Est domicilium quodque non amplum, aut sublime, sed correptum, & humile, lateritio opere fabricatum, sed adeo unius cujusque rei ne-

negotio suis portionibus accommodatum, ut non minus quam ampla etiam Palatia solent. Cuilibet enim magnifico, ac splendido palatio, tria præcipua, inter alia, notatuque digna, inesse solent, Oratorium scilicet, Viridarium, & Fons. Quæ omnia unaquæque domuncula, hoc ordine habet. Est itaque in ejus medio situm cubiculum, tabulis abiegnis undique cinctum. In cubiculo autem ad latus alterum, lectus sternitur *Eremitarum* paupertati congruens. Tum musæum situm est, tabulis etiam munitum, in quo, sacri generis cujusque, licet pauci numero, positi sunt libri, quorum lectione spiritus, post pias effusas preces, solamine affici, ac cœlestia utilius rimari possit. A lævo musæi latere, per fenestram, parum luminis, & id quidem transversum admittitur, ne, nimia ejus reflexio, legentis aciem oculi offendat. Ante musæi januam, mensa versatilis dum non est usui, parieti adhæret, ne impedimentum præbeat: dum vero opus est cibo, qui per fenestram parvulam mensæ contiguam præbetur, demittitur. Ad alterum autem latus, ex adverso lecti, focus camino subjacet, cujus recto spiraculo fumus in altum evolet, ubi per brumam continuus regnat ignis. namque præ loci sublimitate, vehemens viget frigus. Caminum penus sequitur, in quo vasa quotidiano usui necessaria reponuntur. Penui denique oratorium adjunctum est, ad privatas preces accommodum, & altari, aliisque ornamentis ad id necessariis instructum. Inter utrumque latus, medium locum habet fenestra, januæ cubiculi ex adverso respondens, quæ hortum expositum spectat. Ante cubiculum autem unumquodque ambulacrum ita est constructum, ut animus studio, & contemplatione laxatus, deambulatione refici, & corpus æstivis cœnis recreari commode possit, ex cujus tecto pensiles uvæ pendent, & alia ibidem fructuum genera servantur, quæ jejuniorum sunt cibaria. Quod ambulacrum multa habet præterea commoda. nam & penu habet, ubi ligna reponuntur, ita ad latus constitutum, ut deambulationi nullum præbeat impedimentum, in quo ipso latere, proximus fons in alveolos assidue defluit, in quibus, suos *Eremitæ* singuli pannos purgare solent. Nec desunt singulis domunculis singuli etiam deliciarum hortuli amœnissimi, muris circunquaque conclusi, animos mira voluptate afficientes, ubi omnium herbarum pulchritudo suaviter redolentium virescit, quorum intervallo, domunculæ ipsæ inter se disjunguntur, quæ à templo triginta passibus plus, minusve distant. Lucidissimi aquarum fontes septem jugiter manantes, & irrigui profluunt. Et statis anni temporibus, candidissimis montis illius juga nivibus replentur. Tandem vallum quoddam ligneum, locum ipsum undique cingit. Circumvicina quoque multitudo, & condensatio, summæ proceritatis virentium abietum, miro quodam ordine undequaque insitarum, imminet, aquarum cujuslibet profundissima planta ad verticem usque sublimis trunci erectio, cum ramorum ab eo pullulantium extensione, ac relaxatione, frondiumque perpetuo virore, nescio quid numinis denotantium, ac repræsentantium, & tanquam coronam quandam, summo artificio consitam, statuentium, oritur. Sed duo inter alia, admiratione, memoriaque dignissima, inesse hisce vidi abietibus, quæ, aliis arboribus, natura omnino denegata sunt. Quorum alterum, quod in ipso ortu primo virgultum in cœlum erigitur unum, crucis effigiem miro artificio referens, ex quo uno, qui deinde adnascuntur ramusculi, eandem servant singuli crucis figuram, totamque arborem sigillatim complent. Alterum

A vero, quod à nodis seu medullis ipsarum validissimis, ac solidissimis, si nodos ipsos ferro aliquo acuto effodias vel perfores, confestim oleum, miro quodam liquore, plurimisque rebus aptum, & utile, destillare videbis. Volucrum præterea inibi insidentium cantilenæ, dulci melodiæ concentu, auribus applaudentes resonant. Necnon, salubris, subtilis, ac refocillantis aëris temperies, ramos ipsos huc & illuc, placido, amœnoque strepitu agitantis, sentitur. Quæ omnia, si recte perpendantur, maximum præ se ferunt sanctitatis numen. Nam quid (quæso) aliud, templum ipsum dominicum, cum ejus sacratissi-
B mi corporis perpetua, internaque præsentia, præfigurat, quam corpus nostrum, quod, templum Spiritus sancti est? quod ita dispositum, ac ab omni prorsus macula mundatum esse debet, ut Dominus in ipso habitet, ac per gratiam maneat. Sed neque sub silentio præterire licet duo præcipua, inter alia, pignora sacra, quæ, in singulis repositoriis, ab utroque aræ magnæ latere ipsius Templi, ornate structis, maxima cum veneratione custodiuntur: quorum alterum, particula quædam est pretiosissimi ligni, in quo, Servator noster, pro totius humani generis redemptione pependit. Alterum vero, brachium in-
C tegrum dextrum beatissimi viri *Romualdi*, *Ravennæ* orti, e *Dacum* stirpe progeniti, quam plurimis miraculis clarissimi, & perfectæ Eremiticæ vitæ in prænominato monte, totiusque ordinis *Camaldulensis*, in universum institutoris. Qui, licet divinarum literarum ignarus esset, dum tamen semel (ut solebat) in extasim raperetur, eam à Patre luminum gratiam obtinere meruit, qua totum Psalterium memorato brachio (quamvis non polito sermone) perscriptum, iis tamen sententiis dilucidavit, ac exposuit, ut nil supra: quod pariter inter alia sacra, non minori reverentia merito servatur. Hic itaque beatus vir E-
D remiticæ vitæ, quam nonaginta septem annis sanctissime degit, apprime cultor, cum die quadam, divino spiritu ductus, ad ipsius montis juga pervenisset, ibique planiciem quandam amœnissimam, campum amabilem olim nuncupatam, cerneret, laudare tunc cœpit mortales illos, qui, spretis inanibus, & caducis rebus, ut melius Deo vacare possint, similia eligunt solitudinis sanctæ loca, a tumultuosis negotiis omnino segregata. Qui longo asperoque itinere defatigatus, sopore gravi perfusus, corruscantes scalas, ab ipsius montis vertice ad cœlum usque erectas, & monachos complures fulgentissimos per illas conscendentes
E (instar Patriarchæ Jacob) videre meruit. Quare expergefactus, tantaque visione territus, ad Dominum effundere preces non cessavit. Accidit autem, ut obvius ei fieret nobilis quidam, ac probus vir *Aretinus*, nomine *Maldulus*, qui (sicut Domino placuit) eandem rem mirabilem viderat: cumque de iis inter se aliquantulum agerent, ipseque *Maldulus* ea omnia divino nutu evenisse crederet, confestim sanctissimo viro *Romualdo*, & locum ipsum, & domum per duo fere milliaria distantem, quam ipse tunc habitabat, quæ, apud fontem (quem appellant bonum) con-
F structa erat, ac in ea hodie religiosum ejusdem ordinis Cœnobium in Dei laudem erectum est, gratis & libere dedit. Ab illo nempe *Maldulo*, Ordo sacer *Camaldulensis* exordium sumpsit. Post hæc, vir sanctus, sacrum ac religiosum templum, Episcopo *Aretino* assensum præbente, Servatori nostro dicavit, & quinque domunculas, quarum angustiorem inhabitabat, Anno Virginei partus millesimo duodecimo, construxit, ac Sacram *Eremum Camaldulensium*, toto terrarum orbe celebrandam, merito appellavit. Illa autem admi-

rabili scalarum, ac monachorum fulgentium per illas conscendentium, visione, sanctus ipse gloriosus, qui divi *Benedicti* habitum, in cujus ordinem, & Collegium adolescens juravit, per multos annos gestaverat, commotus, colorem indumenti nigrum in candidum vertit, eodemque tenore, continuo servandum per ejus alumnos, quos copiose per universum orbem propagavit, instituit. Qui tandem senio confectus, annum agens vigesimum supra centesimum, ab hac luce ad æternam felicissime migravit. Ejus vero corpus, in eo cœnobio maxima cum veneratione reconditum servatur, quod ipse adhuc vivens in *Piceni* insigni oppido *Fabriano* construxerat. Cujus festum, quotannis tertiodecimo Kalendas Julias, & in ipsa *Eremo*, & aliis in locis, solenniter, ac pie à Christi fidelibus celebratur. Ejus autem vitæ sanctitatem, ac miracula, quibus apud multos corruscavit, *Petrus Damianus* Cardinalis, vir, non minus religionis integritate, quam divinarum, humanarumque literarum eruditione præditus, copiosissime quidem, ac elegantissime descripsit. Floruit etiam eodem tempore, vir, non minori sanctitate præditus, *Joannes Gualbertus* nomine, qui, beatissimo *Romualdo* & coætaneus, & astrictissima amicitia conjunctus fuit. Hic, qui sæpius ipsam sacratissimam *Eremum* sua præsentia illustraverat, cum celebre nomen, ac eximiam illius sanctitatem, per universos disseminari audisset, pia quadam impulsus æmulatione, Vallem umbrosam, per sexdecim milliaria ab *Eremo* distantem, locum, aëris amœnitate, multo vero magis numerosa sanctorum hominum multitudine insignem, construxit. Qui etiam inter Divos relatus, non apud *Florentiæ* gentem solum, ubi ortus fuit, verum etiam apud Christianos omnes, insigni quadam religione colitur. Nec longe post illum habuit idem *Romualdus* virtutis suæ æmulum paulo inferiorem, *Petrum Ursiolum Quirinum*, Reipublicæ *Venetæ* Ducem clarissimum: qui, amplissimo dignitatis gradu contempto, *Romualdi* disciplinæ pauper, atque humilis sese tradidit, nunquam ab ejus latere discedens, sive in *Galliam*, gentesque alias proficisceretur, sive in *Eremo Camaldulensi* vitam ageret, donec vita functus, magnum humanæ vitæ contemnendæ exemplum omnibus reliquit. Quem etiam locum illustriorem, orbique universo clariorem fecit vir Deo charissimus, ac singulari sanctitate admirabilis *Franciscus Assisinus*: qui, cum prima suæ religionis fundamenta jecisset, *Roma*que egressus, in *Lavernium* montem divino spiritu duceretur, ubi sacris stigmatibus decorandus erat, in *Camaldulensem* prius montem, per duodecim milliaria à *Laverna* distantem, venit, eumque locum sua præsentia, ac singularium ejus virtutum splendore sacravit. Cujus rei memoriam servat etiam hodie domuncula, eodem in loco sub ejus nomine constructa, adjuncta proxime illi, quam sanctus *Romualdus* vivens inhabitaverat. Quam divi *Francisci* domunculam, religionis ergo habitare nemo solitus est alius ab eo usque tempore, quam qui toti illi ordini præficitur. Sed quid aliud domunculantur illa varietas innuit, quam virtutum varietates, quibus *Eremitæ* ipsi præ cæteris omnibus circundari debent, ut templum Domini decorati virtutibus ingrediantur? Quid insuper aliud denotant hortuli ipsi, nisi quod veri Anachoretæ discant, semper in bonis operibus florere, ac suavissimum vitæ bonæ odorem jugiter de se præbere? Quid herbarum odor, pulchritudove aliud demonstrat, nisi quod perfectioris vitæ cupidi, angelicam flagranti spiritu redolentes consuetudinem, mirabilem, ac jucundissimum viriditatis

A bonarum actionum vigorem, omnibus exemplar, adhibere studeant? Quid deinde septem illi cristallini fontes aliud designant, quam lachrymarum fontes, pro delictis præteritis, ex *Eremitarum* oculis distillare debere? Nunquid hæc, peculiaris non est Dei maximi gratia, quod tempus ad ea lugendum nobis concedere dignatur? Quid postea nivis, qua solet mons iste irrorari cœlesti, aliud astruere videtur candor, quam crebram mentis, & corporis ab *Eremitis* castitatem servandam? ut tandem candido, puroque corde, dilecto suo sponso in cœlesti monte fruantur. Quid denique vallum illud ligneum, locum ipsum circumdans, & claudens, aliud insinuat, nisi quod
B *Eremitarum* corpora, præcincta omnino servari debent, perpetuis castitatis, paupertatis, & obedientiæ muris? quæ, potissima ipsorum quis esse fundamenta non videt? Debemus etiam habere clausos omnes sensus, omniaque membra nostra custodia pervigili, ne vanis, ac inanibus evagationibus huc & illuc diffundantur. Linguam præcipue, quod membrum, & perniciosum, & utile valde esse solet, prorsus habenis firmis refrænare, in his maxime quæ secum animæ læsionem adducunt: in his vero, quæ ad Domino debitas decantandas laudes, atque ad assiduum
C studium spectant, eas relaxare, maximum quidem, & incredibile animabus parat lucrum. Quid aliud præterea, sublimitas, densitasque illa abietum, quam assiduam mentis ad Deum, bonorum operum copia circum ornatam elevationem ostentant? Quid ima ipsarum planta? Quid trunci erectio? Quid rami expansi, cum continuata frondium viriditate, aliud designare videntur, nisi quod veri sacri hujus loci incolæ, profundissimæ humilitati, cæterarum virtutum plantationi innitentes, à qua truncus, id est, ardens caritas oriens, in cœlum usque se erigat, ac penetret, à cujus quidem caritatis trunco nascentes
D rami, puta opera non arida, virentibus frondibus (hoc est) aliis virtutibus florescentibus, spe viva, è viriditate ipsa designata, cœlumque ipsum respicientibus associata, ad proximos usque æqua lance distendantur, ut plantata in domo Domini, in atriis domus Dei floreant? Quid rursus aliud, crucis ipsius designationis mysterio commonemur, nisi ut perfecti anachoreticæ vitæ æmulatores, crucem Domini fixe intuentes, illam visceribus totis appetant, & anhelent? Et sicut Dominus ipse noster, eam pro universi orbis salute, patienter, ac sponte supportavit, ita etiam unusquisque mortalium, suam peculiarem, sui-
E met abnegatione, pro animæ suæ salute, libenter tollat, ut tanti Crucifixi semitis maximo amore inhærentes, ipsum in patria gloriosum, ac immortalem respicere, eoque in æternum frui digni habeantur. Sed, quid aliud ea olei distillatio præ se fert, nisi quod habitantes locum sanctum Domini, ipsum in ligno suspensum attente, fixeque contemplantes, veluti solidissimum, fortissimumque æterni Patris nodum, intimis, ac indefessis precibus efflagitent, ut tandem exoratus, ex latere suo pretiosissimo, oleum lætitiæ gratiæ suæ saluberrimum cunctis effundens, corda nostra, unica illius gutta perfundat, ac liniat,
F ut post hanc vitam, tanto perfusi oleo, gaudentes, & lætabundi ingredi mereamur æternam? Ex ipsis autem abiegnis nodis, globulos diametro perforatos torno, *Eremitæ* ipsi (otii vitandi gratia) conficiunt, qui, funiculo transfixi, connexique, Coronas (quas appellant) pulcherrimas, in Domini nostri Jesu Christi, matrisque suæ sanctissimæ honorem, constituunt, per eas nempe, Dominicæ orationes, & Angelicæ salutationes enumerantur, quæ, maximo apud magnates,

cœ-

cæteroſque omnes in precio habentur, ac devoto, pioque deſiderio oblatæ accipiuntur, eo etiam magis, quod Corona Dominica, ab uno ex ſenioribus ſanctiſſimæ vitæ Eremitis, *Michaele* nomine, quondam excogitata, ad commemorationem annorum vitæ Domini, triginta tres orationes Dominicas, & pro commemoratione quinque vulnerum ejus, quinque ſalutationes Angelicas ex mente perſolvendas, continet. Quam pie, religioſeque perſolventibus, *Leo Decimus*, Pontifex Maximus, magna ex precioſiſſimo Eccleſiæ theſauro Indulgentiarum munera conceſſit, ut ex impreſſis earum Diplomatibus, ac ſcriptis late apparet. At quid Corona illa abietum aliud indicat, niſi quod ipſius celebris ſitus habitatores, ea vigilantia, omnes ſuos, & exteriores, & interiores ſenſus collectos conſervare ſtudeant, ut abſque ullo angulo, mentis ſcilicet diſtractione, ipſam, ad orationis, meditationis, atque contemplationis exercitium ſolers præparent? Et ut etiam intra hanc abietum Coronam, ad aſſiduam cum antiquo ſerpente pugnam, per tentationum virilem tolerantiam accingantur. Sic enim probati, in extremo judicio, diademate æternæ gloriæ, & honoris, univerſo beatorum cœtu applaudente, ab immortali, omniumque decorabimur Rege ſupremo. Quid rurſus volucrum ibidem inſidentium cantilenæ ſuaves aliud præſagiunt, niſi quod *Eremiticæ* vitæ æmulatores, ita ſenſus ſuos, ita potentias moderentur, ut unaquæque ipſarum alteri (ut par eſt) ſuo ordine ſubjecta, mirabilem inde ac jucundiſſimam melodiæ conſonantiam, apud Deum ipſum reddat? Quid poſtremo, placidus ille modeſtuſque aëris, præ ipſarum abietum altitudine, ac nemoroſa earum denſitate ſibilus innueri poteſt, niſi quod inclyti loci hujus incolæ, nullo jactantiæ, inaniſve gloriæ elati vento, ſed leni potius, ac humili mentis ſpiritu moti, ea ducti prudentia, munera ſua omnia ſpiritualia peragant, quatenus cœleſtis ſpiritus aviditate excitentur. Igitur, beati qui habitant in monte ſancto iſto, quoniam in ſæcula ſæculorum laudabunt Dominum. O mons pinguis. O mons coagulatus, mons, in quo beneplacitum eſt Deo, ſe ſuoſque habitare. etenim Dominus cum ſuis in eo habitabit in finem. Quid aliud mons iſte ſervitutis Dei, quam mentis ad eum elevatio? *Iſte eſt præparatus mons ille, in vertice montium, & ſuper colles elevatus, ad quem confluunt quam plurimæ gentes, & veniunt populi multi dicentes: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei noſtri, & docebit nos vias ſuas, adambulabimus in ſemitis ejus, quia in eo ſalus eſt, & ibi verbum Domini docetur. Sed quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.* Quænam (quæſo) alia eſt iſta generatio quærentium Dominum, niſi generatio ſacrorum *Eremitarum*, qui in monte ſancto iſto aſſidue Domino inſerviunt? Ibi enim quamplurimi ſervi ejus, ſimplices, devoti, & humiles, tanquam turba angelica, ſanctorum conſortium, collegium apoſtolicum, juſtorum aggregatio, familia cœleſtis, beatorum cœtus, ac demum populus in hæreditatem Domini electus, degentes aſſiſtunt. Quorum ſanctæ vitæ exemplum, laudatiſſima vivendi ratio, puriſſima eloquia, & juſtiſſimæ preces, quodlibet cor licet marmoreum, diluent, atque ad debitum ſine dubio ſervitutis munus Domino impendendum, excitabunt, & ad beatius vivendum, mundique ſordes relinquendas, invitabunt. Ipſi ſane zelo religionis Chriſtianæ accenſi, omnia

A ſua facta, dictaque ad metam unam, Deum puta ipſum ſummum, ſuique diffuſivum bonum, dirigunt. Iſti ſunt veri Chriſticolæ, ſine dolo, columbina ſimplicitate, cum ſerpentina prudentia imbuti, profundiſſimæ humilitatis viri ſeque tanquam omnium abjectiſſimos reputantes, nam qui major inter eos eſt, minimum ſe exiſtimat omnium. Nulla inter eos inæqualitatis, diſcordiæve ratio regnat. Erga alios humani valde, atque urbani, inſignes charitatis amatores, in dictis veraces, corde mundi, ſpiritu puri, conſcientia recti, morum vitaque diſciplina inclyti, in inceſſu, greſſuve graves, in loquela cauti, inter eos ſubmiſ-
B ſæ, ac raræ voces, in aſpiciendo, oculorum evolutione ſevera remiſſi, in victu parciſſimi, in dormitione temperati, ac in veſtitu candidi, puritatem mentis, & corporis denotante: in cæteris denique humanis geſtibus, & actibus modeſtiſſimi, & circumſpectiſſimi, medium (quod ſane tenuere beati) in omnibus complectentes. In loco excelſo conſtituti, ut qui aliis prædominantur, in virtutibus excedant etiam, & ab eis quiſque religioſus, ſtatus vivendi normam perdiſcat. Perfecti *Eremi* operarii verique Anachoretæ, nam ſi unus cadit, ab aliis mutua inter ſe charitate ſublevatur, eique in ſpiritualibus pariter & cor-
C poreis refectionibus ſubvenitur. Sunt item velut Urbs alma ſuper montem collocata, quæ occultari minime poteſt. Quorum ſancta, ac præclara geſta, univerſo notiſſima ſunt orbi, in quibus, tanquam in chriſtallino ſpeculo, chriſtianæ omnes actiones relucent, habentes ſemper in manibus lampades aſſiduo lucentes, ſacram videlicet ſcripturam, cujus pia, ac frequens lectio, animas interno fulgore ſplendentes, in tranquilla pace, animi quiete, concordia, atque unanimitate ita conſervat, ut omnium ſit cor unum, & anima una, idemque omnium velle ac nolle. Felices certe, immo feliciſſimi omnium nuncupari
D jure optimo poſſunt ii, qui ad *ſacram Eremum*, tanquam ad tutiſſimum, ac ſecuriſſimum portum confugientes, ſtabilitatem in ea fundant, & ad ipſam, tanquam ad fortiſſimum, ac inacceſſum caſtrum, validiſſimis, ac inexpugnabilibus hincinde aggeribus, & propugnaculis vallatum, atque munitum pervenerunt: ne cum humanæ naturæ ipſius hoſtis, ad illos ſuis callidiſſimis laqueis irretiendos, repſerit, improvidos penitus, ac imparatos reperiat. Iſti ſunt veri milites Domini, qui vigilant quotidie, nocturnas illas Evangelicas vigilias ad unguem ſervantes. Hi ſunt de electorum numero, tales nempe diligit Deus, at-
E que etiam ut apud mundi principes magno habeantur in precio, facit, quandoquidem ad ejus æmulationem conſcendunt in montem, ibique reſident, ubi beatitudines illas, quas ipſe olim ſcandens in montem, ac ſedens cunctum docuit populum, gradatim diſcernentes, eaſque complectentes, cæleſtem ambiunt aulam, in eamque intrare moliuntur. Hi denique ſunt, veluti fortiſſimæ illæ amici Dei Jacob, ad ſuos debellandos hoſtes, ordine diſtributæ, omnique ex parte præparatæ turmæ. Sunt enim ſacri iſti *Eremitæ*, triplici ordinis genere diſtincti: Alii nempe ſecundi ordinis (quos appellant converſos)
F miniſteriis domeſticis invigilantes: Alii vero ſacris initiati, ut ſemper choro divinis laudibus celebrandis aſſiſtentes: Reliqui autem, perpetuo ſeu ad tempus, ſuis in domunculis, ubi eaſdem laudes decantantes, & vitam ducentes acerrimam (quod tertium vivendi genus, Sanctus etiam ipſe adinvenit) concluſi manent. Illi ſollicitæ *Marthæ* munus gerunt: Hi vero duo, contemplantis *Magdalenæ* exercitationi continuo vacant. Sed omnes tamen ſimul, Empyreum cœlum, ſedem thro-

thronumque Dei, ubi Hierarchiæ tres, perpetuis mirabilia operæ ejus laudibus extollentes, insistunt sacro suo vivendi ordine præfigurant. Et ut omnia dicam: Abhorrent maxime a *diva Eremo* divisiones omnes, seditiones, conciliabula, loquacitas, irrisiones, susurrationes, vaniloquia, & mendacium, adulationes, blandimenta carnis, inverecundia, impudicitia, simulationes, ac subornationes: murmurationes, detractiones, odia, ac humanæ omnes abjectæque affectiones, ventris ingluvies, crapula, otiositas, & somnolentia, inanis gloriæ ambitus, elationes, petulantia, æmulationes, ac hypocrisis simulata species, profanæ conversationes, munuscula, curiositas, corporeæ mollities, & alia id genus, quæ longum esset recensere. Quæ omnia, aliena admodum, valdeque absurda *Eremi* incolis sunt, *Eremo*que ipsi repugnantia, indigna, & magnopere dissona, nequaquam enim talia patitur, neque permittit. quin potius hujusmodi contagioso morbo infectos, à se (quemadmodum mare cadaver) protinus expellit. O sacra *Camaldulensis Eremorum Eremus!* Quingentis quinquaginta & eo amplius annis, a tua erectione primæva ad hæc usque tempora, mirabili immutatione, frugiferæ vitæ incredibili augmento, ac divino suffragio laudabiliter perdurans. Optimam certe (instar *Magdalenæ* beatæ) partem tibi elegisti. O cæterarum *Eremorum* princeps, siquidem in te perfectæ solitariæ vitæ conversatio, a tanto Sancto, quasi fertilissima vinea instituta est. Corona celsior. Fœcunda mater, tales parturiens, & congerens filios hæredes regni Dei. Pia nutrix, talem alens sobolem. Ovile sanctum, tali esca pascens oves. Amplissimus nidus: tales volucres continens, empyriacam musicam miro concentu resonantes. Tellus pinguis, eximias producens fruges. Viridarium odoriferum. Pomarium amœnissimum. Salutis mediatrix. Bonorum collectrix. Renovatrix morum, hominumque tanquam ignis auri excellens purgatrix. Inimica malorum. Æmulatrix bonorum. Reformatrix vitiorum. Lethalium ulcerum singularis curatrix. Orationis, meditationis, atque contemplationis fulgentissima officina. Virtutum, bonarumque disciplinarum laureata schola. Religionum caput. A te aliæ edocentur, & ad te tanquam primatem, ordinum omnium Religiosi libere confluere possunt. Paradisus terrestris, cœlestem sapiens. Hortus conclusus, supernum redolens. Janua cœlica. Magistra optima, cœlesti eruditione discipulos instruens. Perfecta arbor, perfectos procreans fructus. Promissionis terra. Domus Dei. Justorum hospitium, sacratus locus, charitate plenus. Arca pietatis. Ad te accedentes consolatione replentur. Euntes ac redeuntes alacre in te receptaculum inveniunt. Gratis victum eis, illumque ardenti quidem pietate subministras. Ægrotos quosque hospitaris, eisque mederis. O sacrarium sanctum, æterna laude dignum, famulos Domini purificans. Fortunati, qui in te commorantur, tot bonorum ubertate fœcundi. Inter servos Dei in te nunc vitam degentes multi seniores sunt, & capitis canicie, & niveis venerandi barbis, oblongis, complicatis, & impexis, rugosis frontibus, ac prominentibus superciliis, ea tamen sanctitate, pietate, vitæque integritate præditi, ut velis nolis quisquis novus es *Eremi* cultor, eorum vitæ approbatæ exempla, ac venerandus aspectus, te commovebunt, ad ipsorum gressus in via Domini imitandos. Præcipue tamen, viri Dei *Samuel*, & *Sylvanus*, aliis dignitatis honore notiores, atque eminentiores, in ipsa *Eremitica* solitudine, a multis hinc annis magna cum laude versati, qui plane, quasi duo magna ipsius *divæ Eremi* luminaria sunt, a quibus, cæteri *Eremitæ*, tanquam stellæ fixæ, vitæ sanctæ splendorem merito suscipere possent. Sed ipse *Sylvanus* vir, non minus divinarum literarum eruditione, quam vitæ sanctitate præclarus, sermocinationes, ac documenta super lectione Evangelica, utilia valde, & salubria, ad vitæ ipsius *Ereminticæ* perfectionem indagandam, privata, ac interpolatis diebus publica, summo spiritus fervore, & charitatis ardore, tyronibus sacris, cæterisque omnibus ingeniose admodum, & pie edisserit, atque dilucidat. Sub cujus disciplina, illustrem admodum sacrum hunc locum, vitæ sanctæ splendore facit *Ambrosius Moncata*, præclaræ indolis juvenis, clarissimi Comitis *Aitonæ*, citerioris *Hispaniæ* frater germanus. Qui, ex vetustissima, illustrissimaque, & *Moncatæ*, & *Cardonæ* Ducum familia originem trahens, spretis mundi hujus divitiis, ejusque illecebris, ut divinis obsequiis melius vacare posset, summo omnium exemplo, in ejus ætatis flore, sanctæ hunc solitudinis locum, in ejus habitationem, ac requiem, elegit. Sed quid dicam de *Joanne Baptista Novariensi*, patre nimirum, religione, ac pietate insigni? Qui, cum olim in hoc procelloso seculo, diu artem militarem maxima certe cum laude apud primates quamplurimos exercuisset, ut verus Christi miles fieret, ad ipsam *sacratissimam Eremum* celeriter confugit, inibique vitam solitariam admirabili quadam perseverantia per multos annos degit. Cujus eximiis meritis, sanctitate, ac singulari prudentia, Religiosi omnes Collegii *Camaldulensis* commoti, in ejusdem ordinis Generalem, & Principem communi omnium accedente consensu, ac magno etiam applausu suffectus est. Cujus quidem ordinis, vitæque degendæ rationis norma, novis quotidie, ac perutilibus institutis ampliat, excolit, atque perlustrat. Supra horum autem gravissimorum virorum, aliorumque laudabilem solitudinem (quæ non modica est) summis etiam laudibus efferendam esse censeo, vastam illam, assiduamque *Cornelii* viri religiosissimi solitudinem, quam, in una, ex ipsius *Eremi* cellulis conclusus, sub perpetuo silentio, ac vitæ perspicuo fulgore, viginti annis & ultra transigit. Quem, cum videre, & alloqui, mihi permissum esset, ea fui animi voluptate perfusus, tum ex venerabili illius ac senili aspectu, tum etiam ex piis monitis, vitæque christianæ religiosis institutis, de quibus me, pro sua humanitate, certiorem fecit, ut vix plura graviora, a *Serapione* illo viro sanctissimo, & antiquissimo, audire possem. Ipsi autem, cœterique omnes, non immemores cœlestis beatitudinis, omni studio, ac sollicitudine, die, nocteque, offerendis Deo summo hymnis, & laudibus, cum ceremoniis sanctissimis, fervido concursu, imbribus cadentibus, nivium descensu, ventorum sævitia, ac vehementi frigore undequaque postpositis, septies in commemoratum templum, quolibet anni tempore conveniunt. Ibi solennia sacra devotissime celebrantur. Ibi variæ orationes, internus peccatorum dolor, cum gemitibus, lachrymosis oculis, suspiriis, atque singultibus, ab intimis exeuntibus præcordiis, frequentantur. Modus autem singularis, *Eremo*que dignus, quo in præfatis Hymnis, ac Psalmis decantandis coutuntur in choro, quem non moveret ad plane fatendum, locum istum sanctum esse? Senties nempe (utroque sibi alternatim respondente choro) resonantem quendam inter psallendum, ac pene divinum concentum: voces scilicet quasdam, sonoras, planas, mediocres, æquales, atque devotas, unicam ceu proferentes vocem, planctum potius quam cantum sapientes: Tale utique

Eremi incolæ munus lugendi, non autem canendi esse debet. Ad hæc, dimidium quisque quotidie, totum vero certis diebus *Eremita* apertus, sed conclusus, integrum semper Psalterium legit. Quis præterea negaret, quo tempore religiosis ipsis, sub tetra, obscuraque nocte, ad templum matutinis laudibus persolvendis, quas semper stantes, cum aliis canonicis horis, nec sedibus unquam innitentes decantant, ire contingit, videns eorum quemlibet, a singulis seorsum sibi deputatis cellulis, recta cum accensis in manibus facibus, sub dio incedere, sanctorum illorum *Eremitarum* antiquorum, in desertis montibus jampridem degentium, non agere personas? Toto insuper satagunt animo, Regulas, & Instituta sacra, per servos Domini *Benedictum*, & *Romualdum*, divino ejus spirante flamine sancita, ac per ejus in terris Vicarios, confirmationis munimine roborata, omni solertia adhibita implere: quorum observantia plena, mercedem æternam absque ullo dubio animabus nanciscitur. Sed ex omnibus præcipua, dignaque observatione, sancta solitudo est, & linguæ inviolabile silentium. Multiloquio namque, mendacium deesse non solet, & ex sermone mutuo, etiam ultra debitum agendi, quisque licentiam facile parit. Pronus est sensus ad malum, qui, verborum stimulis adeo concitatur, ut qui silentii virtuti resistit, sermone concidat, & ad iniquitatem declinet. Quoniam vero communes de rebus divinis sermocinationes, vitæ spiritalis institutum non parum promovere possunt, fieri nonnunquam silentii remissio aliqua solet, ut hyemali tempore, duobus, æstivo autem, etiam tribus hebdomadæ diebus, mutua invicem *Eremitis* de rebus sacris habere colloquia liceat. Jejunii prætera cujuscunque generis formam servant, sed & illud præsertim, quod pane tantum, & aqua constat (quæ infantum esca esse solet) apud illos solenne habetur, terque in hebdomada, adventus, quadragesimæque tempore, super nudo solo, pedibus etiam nudatis sedentes illud celebrant. Per reliquum anni tempus, octavo quoque die, qui per hebdomadas sigillatim passioni Dominicæ ascribitur, id ipsum singuli in singulis cellis, absque transgressione, sereno vultu observant. Quid plura? E mensibus anni duodecim numero, novem integros, recto facto calculo, his variatis vicibus jejunant. Accommodum valde carnis mortificationi adjumentum, est jejunium, ut inde vocalis, ac mentalis orationis sancta exercitatio (quod præcipuum est, ac primum religiosæ vitæ præsidium) alacriori, libentiorique fiat animo. Ex illa abstinentiæ forma, discant *Eremi sacræ* cultores, se ad infantilem innocentiam, per mundam, sanamque conscientiam reversuros. Quo tempore vero non jejunant, eam in victu parsimoniam servant, ut videntes in maximam admirationem prorumpant. Ab esu carnium continue, nisi infirmitatis tempus (idque extra *Eremum*, & ligneas etiam cruces) aliud postulare videatur, perpetuo abstinent: ne, ciborum pondere, corpus circa spiritualia, grave, minusque aptum reddatur. Intra ligneas illas cruces, ab antiqua *Eremi* institutione, perpetuus omnibus carnium esus, & mulieribus ingressus inviolabiliter interdicitur. Transgressores autem anathemati subjacent, cujus absolutio non ab alio, quam a summo Pontifice impenditur. Nec ab re (puto) erit, hic obiter enarrare, quæ mihi *Sylvanus Eremita* senior, vir quidem gravissimus, inter loquendum, sæpius dixit. *Mariam* scilicet (si recte memini) *Medices* illustrissimam, *Leonis Decimi* Pontificis maximi propinquam consanguineam, olim eximio, sacrum hunc videndi locum desiderio captam. Idque amplius ferre non valens, ut voti esset compos, ac rem securius efficeret, propriis exuta vestibus, viri indumenta assumpsit. Quadam vero die, a quibusdam sibi intimis associata, in eum locum intravit, illumque undique circuivit, & animum visu tantopere optato explevit. Postea vero pœnitentia ducta, videns se anathematis vinculo innodatam, *Romam* adire decrevit. Quæ ad summi Pontificis pedes provoluta, rem omnem (non absque lachrymis) ei narravit. Quam Pontifex, prævia correctione absolvit, ea tamen lege, ut in eadem *sacra Eremo* splendidam domunculam suis sumptibus construi faceret: quam ipsa, magnificis quidem lapidibus ornatam, una cum religioso oratorio, divo *Joanni Baptistæ Florentiæ* patrono dicato, erigi curavit: quæ merito inter alias domunculas primatum tenet. Retulit mihi etiam idem *Sylvanus*, Clarissimam *Eleonoram a Toleto*, *Cosmi Medices Florentiæ*, ac *Senarum* Ducis maximi uxorem, non minori desiderio almum hunc videndi locum accensam, amplissima diplomata a *Pio Quarto* Pontifice maximo, ingrediendi quævis etiam secretiora loca obtinuisse. Cumque die quadam, huic suo desiderio satisfacere vellet, montis ipsius juga ascendere cœpit. Cui, jam jam ligneis crucibus proximæ, *Sylvanus* ipse (qui rem præsciverat) data opera obvius occurrit, ut ejus animum ab ingressu revocaret. Cujus monitis, ac suasionibus, *Eleonora*, sententiam, non absque maxima omnium laude, & lætitia, mutavit, nolens, cum posset, tam laudabile, & antiquum institutum transgredi, quinimo, ipsius *divæ Eremi* ædem sacram, preciosis quidem vestibus, ut Christo Domino piacula solvantur, ornavit. Ovis, piscibus, caseo, & fructibus *Eremitæ* ipsi parcissime vescuntur, aluntur concoctis herbis, & leguminibus, panis est illis non admodum exquisitus: vinum debile, sed salubre. Auget etiam hunc austerioris vitæ rigorem, quod in cibo capiendo, mensam communem non habent, sed seorsum singuli, extra aliorum consuetudinem, in suis cellulis cibum sumunt, quamvis hæc privatæ mensæ lex non est adeo apud illos perpetua, quin solennioribus anni diebus, qui sunt omnino duodecim, fovendæ charitatis gratia, in communem refectionis locum conveniant. Ex his omnibus, facile quisque comprehendere potest, corporeos *Eremitæ* sensus in nulla re oblectamentum sumere. Nam, si ab oculis, tanquam in sublimiori capitis parte sitis, incipias, nil utique quod eos delectet invenies. Quia, si ipsos extollant, nudum aspiciunt cœlum: si deprimant, siccam terram: si circumspiciant, nil præter summe erectas arbores cernunt. At vero, spirituales eorum sensus, hoc vivendi genere congaudent: ex quorum elevatione in cœlum, creatorem, ac beatitudinem ad quam creati sunt: ex submissione vero, terram à qua orti sunt, ad quamque revertentur, contemplantur. Sed ex arborum circumspectione, eundem ipsum creatorem considerant, cujus invisibilia per ea quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur. Aures pariter, nil quod eas recreet, audiunt: sed spirituales, eximio afficiuntur melodiæ concentu, dum divinæ laudes in templo Domini, raro quodam, devoto, ac pene divino persolvuntur modo, cujus generi musices, nihil est in orbe, quod comparari ulla ex parte possit. Audiunt etiam inter loquendum, mirabilia de lege Domini documenta, ex quibus totus accenditur homo in ejus amorem. Naribus autem, qualis odor proveniat, judicet unusquisque, cum nullo unquam

suavitatis odore reficiantur: redolent tamen sanctitatem, ac pietatem maximam, quæ omnem perfecti opobalsami liquorem odoriferum, atque preciosa aromata longe transcendit. Gustus insuper, quam sentiat suavitatem, satis aperte superius intellexisti, at spiritualis, inenarrabilem saporem, ex divino cibo quem frequenter degustat, percipit, adeo ut, qui hunc mirabilem gustum experitur, omnino alium humanum quemque exosum habeat. Postremo, qualis possit esse tactus, ex præmissis late constat, quoniam si cæteri nobiliores sensus hisce rebus semper occupantur, necessario sequi debet, ut manus, & pedes, ne in uno quidem apice, ab illorum sancto, & perfecto tramite discrepent: sed concordes circa divina obsequia exerceantur. Quiescunt præterea in eadem *sacra Eremo* multorum corpora, quorum animæ æterna fruuntur gloria, præcipue tamen aliquorum corpora, distinctis sepulchris recondita, cum veneratione ibidem servantur, qui multis miraculis corruscarunt. Fuit præsertim vir quidam eximia sanctitate præditus, *Leonardus* nomine, qui, cum secundi ordinis tunc esset, per multos annos occlusus mansit. Hic Cardinali *Hugolino*, magnæ sanctitatis viro, qui ad *sacram Eremum*, ut rebus æternis melius vacaret, confugerat, dum in divinis quotidie ministraret, prophetico ductus spiritu, cum quadam die, illi sacram rem peragenti (more solito) ministraret, pedes ejus deosculatus, creatum Pontificem summum illum prædixit, ac propediem ad futuros, qui illum *Romam* à Collegio Cardinalium missi evocarent: quod ita evenit, & *Gregorius nonus* postea appellatus fuit. Qui, cum pararet discessionem, cupiens optimum hunc ministrum secum *Romam* ducere, pro viribus id ab eo impetrare contendit. Hic tamen, id admirabili humilitate recusans, summis precibus petiit, ut sibi liceret in eo domicilio reliquum vitæ tempus peragere, in quo ipse olim Cardinalis divinis rebus intentus, inclusus vixerat, quod ab eo humanissime impetravit. Cumque hinc ad meliorem patriam vocaretur, ejus anima visa fuit in sphæra ignea splendidissima ad superos avolare: & campana ejusdem *Eremi* intacta, in ipso animæ egressu sua sponte sonum edidit. Ejus vero corpus in eo sacello reconditum est, quod ab illo ipso Pontifice, in beatæ virginis laudem constructum, etiam nunc sub ejusdem Pontificis titulo manet. Neque minus illustrem, sacrum hunc locum fecit, vir admirabili sanctitate *Peregrinus*, cujus sanctitati, cum vehementer invideret communis humani generis hostis, suis illum artibus ita aliquando impugnavit, ut à vitæ illius cœlestis vertice, ad seculi blandimenta urgeret: quem sane præcipitem egisset, nisi Angelus à Deo missus, ad seculum properanti sese ostendisset, qui illum non solum oratione & monitis ad *Eremum* revocaret, sed etiam divinarum rerum contemplationibus mentem imbueret, & illustraret. Quas *Eremitæ* contemplationes scriptis exceptas, etiam hodie retinent, & antiqua Patris sancti monumenta, legenda omnibus exposuerunt, ad aram templi majorem, ubi ipsius corpus conditum magna veneratione servatur. Juxta quod corpus etiam *Michaelis* magnæ sanctitatis viri, cum veneratione servatur. Hic, coronam Dominicam, quam superius dixi, instituit. Cujus vitæ sanctitatem, referunt, etiam hodie calipodii, seu lignei socci, quibus ipse dum erat inclusus, loco calceorum nudis pedibus utebatur, in illorum nempe superiori parte, quæ plantas pedum respicit, earundem plantarum effigies perinde ac in massa, ex diuturno usu impressæ sunt. In cu-

A jus rei memoriam, sub altari oratorii domunculæ, quam ipse olim occlusus habitabat, merito servantur. Unum autem illud, quod ex aliorum *Eremitarum* ossibus, in communibus cryptis quiescentibus aperte conspicitur, haud tacendum puto: quod scilicet, nullo unquam tempore, ossa ibidem inclusa, nuda, simplicique tecta tabula, fœtorem quempiam, quo alia ut plurimum infici solent, à se emittant: quinimo, si tabulam ipsam removeas, senties suavem inde naribus provenire odorem. Quod quidem argumentum est potissimum, eorum socias, nempe animas, gloriæ perpetua fragrantia recreari, & minime B pati, ut corpora, quæ eas, dum in hac mortali simul conjungerentur, ad innumera lucranda merita adjuverunt, fœtori, putredinique subjaceant, sed quæ tribulationum socia fuerunt, ut consolationum sint etiam participantia, æquum est. Quod si hoc in aridis apparet signum, quale fuisset in viridibus, judicet quisque pius spiritus. O Terra sancta, sancta etiam & non putrida continens ossa! Hæc sunt vere ossa illa arida, quæ audiverunt verbum Dei, illudque custodierunt, hæc eadem in novissimo die, audient illud dulcissimum verbum: *Venite benedicti, percipite regnum, quod paratum est vobis ab origine* C *mundi.* Hæc dixi, ut superstites, quantum in nobis sit, imitari conemur, & cum illis ita conversemur, ut sancti efficiamur. Divorum autem animas oremus, ut intercedant pro gratia, quam optamus habenda. Sunt insuper ibidem, quamplurimarum indulgentiarum gratiæ, eædem numero quæ sunt in Alma urbe, per diversos Domini in terris Vicarios, de pretiosissimo Ecclesiæ suæ thesauro concessæ. Sacrosancta itidem Sacramenta, quæ in animarum medelam reliquit, frequentantur: Sacra videlicet confessio, & ejus sacrati Corporis digna susceptio, quibus adhærens, unus secum evadit spiritus. Quæ, si di- D gnæ suscipiantur, inexplicabile oblectamentum, inenarrabilem jucunditatem, ac incredibilem animæ tranquillitatem secum afferunt. Plurimorum item sacrorum Doctorum in scriptis lectiones providæ, & utilia documenta, ac vitæ circumspectæ exempla quamplurima, ad mentis nostræ proficuam eruditionem, in ipsa *sacra Eremo* sunt, ut percurramus ea, & legem Domini ante oculos semper geramus, necnon quam in ejus laudem profitemur normam. Recentiora documenta revolvamus, perlegamus, & imbibamus, nobis namque summopere convenit. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta* E *sunt, ut per patientiam & scripturarum consolationem spem habeamus.* Hæc sunt, quæ de sacratissima, ac celeberrima *Eremo Camaldulensi*, præ nimio gaudio, & animi tranquillitate inde accepta, commemorare in hoc primo libello statui. Quæ, licet à me pro veritate enarrata sint, non tamen eo dicendi studio, ornataque oratione (fateor) celebrata, ut res ipsa exigere videbatur. Deus optimus maximus, nobis omnibus gratiam suam impertiri dignetur, qua, gradatim ab hac lachrymarum valle, in montem sanctum ejus ascendamus, in quo, cum ipso æterna fruamur requie. Amen.

F

SPIRITALIS MEDITATIO.

LIBER SECUNDUS.

Qui conversionem peccatoris ad Eremum Camaldulensem adeundam, ejusque vitæ rationem habendam, paucis complectitur.

O Immensa potentia! O inexplicabilis Sapientia! O ardentissima Charitas! Sancta, & in-

individua Trinitas, unus Deus, & Dominus meus! Aperi (obsecro) abjecti hujus vermiculi, sed creaturæ tamen tuæ, labia, ut ab ore meo prodeant, si minus dignæ, at certe debitæ gratiarum actiones, pro tot tantisque donis, quibus animam meam, tua benignitate, ab initio creationis suæ, decorare non dedignatus fuisti. Sed unde exordium sumam, penitus ignoro. Ergo adminiculo egeo? Egeo sano. Ecquis mihi illud præbere poterit, nisi tu solus, verus donorum largitor universorum, fons, & origo? A quo, tanquam à magno & lato æquore, munera omnia, tanquam à scaturiente fonte assiduæ gratiarum infusiones, tanquam ab inexhausto puteo, gratuita dona pleno illapsu procedunt. Ad quem, nisi ad te, Paraclete spiritus, cui æternum spiraminis idioma, merito tribuitur, confugiam: ut mentem meam illustrans illumines, tuoque divino rore reficias, ac robores, quo suffultus, depravatas vias meas in directas redigam, & aspera quæque, quæ pro tuo nomine patiar, in plana, ac melliflua convertam, denique ut grato animo, tot in me collatis beneficiis, si non omnino, aliqua certe ex parte respondeam? Intrepide igitur, divino afflatu tuo instinctus, ac irradiatus, & sub umbra tua, clypeo vivæ fidei, ac lorica charitatis ardentis, & galea firmæ spei armatus, te ductore, tuaque eximia charitate fretus, ad illa enumeranda sigillatim accedam, ut per ipsorum enumerationem, animus, qui languidus prorsus jacet, tuæ dilectionis confirmetur munimine, solideturque, & crebro ea mente revolvens, à te gratis fuisse concessa intelligat, & intelligendo vere credat, & credendo constanter in te speret, & sperando, te toto corde, totaque mente, ac ex omnibus viribus diligat. In primis itaque, tibi Deo meo, summo, ac sempiterno gratias ingentes ago, pariterque habeo (quando referre non possum) de creationis meæ munere, qui, exuberante misericordia tua, me, hominem ad tui imaginem, non jumentum, plantam, lapidemve creare, nullis meis intervenientibus meritis, dignatus fuisti, variis donis præditum, animæque potentiis ornatum, ut recte illis (ut par est) utendo, eas in te unum, extremumque omnium finem, recta mentis acie dirigerem. Præterea, tui me preciosissimi sanguinis effusione redemptum, à dominio Satanæ, cui originali culpa obnoxius eram, sacrosancto Baptismatis lavacro, eruisti. Deinde, ad veram tuæ purissimæ, ac simplicissimæ substantiæ agnitionem, per sanctam fidem duxisti, ut inde, omni macula emundatus, beatifica perfrui in perpetuum visione tua valerem. Nec his contentus, me, bonis etiam caducis carere, pro charitate tua immensa noluisti, ut commodius, te solum, verum, ac sempiternum Deum, & quem misisti Christum Dominum, adorarem, benedicerem, prædicarem, perfectius diligerem, totoque mentis post te affectu anhelarem. Me etiam, in hujus seculi pelago, multis, innumerisque beneficiis, tua liberalitate qua omnes beare soles, donasti, ut tibi dignum, debitumque servitutis exhiberem obsequium. At ego, beneficiis tantis immerito abs te decoratus, ea ipse, tantæ largitatis parum memor, intelligere renui, & rectus a te effectus, plurimis me implicui quæstionibus, & tanquam jumentum factus, donis hisce omnibus sum abusus. Te sæpissime Deum, creatorem meum dereliqui peccando, & a quo bona illa susceperam, ad creaturam vultum impudenter convertens, verti tibi terga domino Deo, & Servatori meo, divinisque spiraminibus obicem ponens, divinæ gratiæ respondere sprevi, eique

A proterva cervice restiti. Dissipavi etiam omnem substantiam mihi à te donatam, ætatis scilicet meæ florem, preciosumque tempus inaniter, & (quod his pejus) te offendendo consumpsi. O me vere miserum! O me infelicem, candida illa veste exutum, & caliginosa, tetraque magnis meis demeritis indutum! Quot & quanta iccirco enormia, in tuam splendidissimam Majestatem scelera admisi? quorum profecto quodlibet, etiam minimum, gravissimas à me pœnas, in tenebris exterioribus summo jure exigebat, nisi misericordia tua, quæ humanam omnem mentem longe superat, secus constituisset, ne, quam tanto

B precio redemerat, anima periret. Tetigit sane me tua misericors manus, quæ, per corporis vexationem, intellectum profunda caligine obtenebratum, paulatim inciperet irradiare, ut veluti mons tactus fumigarem. O tactus felix! O vexatio sancta! O Ancora beata, quæ sensuum meorum effrænatorum, ac animæ naviculam, continuatis undis agitatam, periclitantem, ac pene mersam, catenis suis firmissimis, validissimisque, immobilem, ac tutam reservavit! O fortunatissima angustiati corporis tempestas, quæ illam ad salutis portum, post tot inundationes illæsam appellere fecit! O mira immensi Dei mi-

C seratio, quæ ad ejus divina vestigia sectanda, me impulit! Alioquin enim, pro inveterato anteactæ vitæ habitu intra veteris status mei miserrimi gressus, hucusque, persisterem. Sed quemadmodum (ut dici solet) ingens & atrox bellum, ingentem & tranquillam secum adducit pacem (siquidem finis belli pax est) ita etiam tribulatio, ut mortuus peccato, peccator ab illo excitetur, & a pravo suo itinere, ad rectum Dominicæ legis tramitem convertatur, cogere quodammodo solet. Quod nimirum mihi ad unguem accidisse fateor. O terque, quaterque, milliesque beata coactio, te Domino dante, causa sa-

D lutis meæ! Vere à te factum est istud. Hæc est excelsæ dexteræ tuo mutatio. Quis sicut tu Deus meus? Quis similis tui? Terribilis, & in creaturis tuis mirabilia faciens. Jussisti enim Domine, & ita est, ut omnis inordinatus amor sibimet sit pœna, atque ea qua quis parte, cum assuefactione, te non timens peccavit, ut puniatur, tibi placet. In hoc etenim cognovi, quod me summo amplecteris amore, quandoquidem in hac vita mortali, me (licet benigne) punis, qui, multo acerbiora pati meritus sum. Bonum utique mihi Domine, quoniam suppresseris, atque curvaveris me, ut viam tuæ veritatis elige-

E rem, intelligeremque, ea omnia, à te, animæ meæ (licet indignæ) provenisse bona. Quid ergo tibi retribuam pro his omnibus, nescio. Quid sim tamen facturus, scio. Memini, te, Domine, in sacro Evangelio tuo sæpius monuisse: *Petite, & accipietis.* Ideo levabo oculos meos in montem cœlestem tuum, unde venturum mihi auxilium spero, certus sum namque, te, pro tua pietate, cunctis nomen tuum dulcissimum, humili, & compuncto corde invocantibus, tuas benignas accommodare aures, miserisque solamen impertiri cœleste. Sed quid petam?

F Peto cum Propheta tuo, spiritum rectum à te Domine, in visceribus meis innovari, quo facilior ad investigandas vias tuæ divinæ voluntatis aditus patefiat. Peto etiam, ut inhabitem in domo tua cunctis diebus vitæ meæ. Petii, & licet indignus, obtenturum spero. Indicasti nempe (clementissime Deus) vocatione internam menti meæ, singularem locum sanctum, in habitationem meam, ac requiem, *Camaldulensem Eremum*, omnium fama, re, factoque percelebrem. Quam ego, cum diu, multumque

quæsiissem, eam tandem, te gressus meos dirigente, in edito, excelsoque monte sitam inveni, à viro sancto tuo *Romualdo*, tibi Deo optimo, maximoque, te revelante, dicatam, & consecratam: in hanc ut ascenderem, eamque inhabitarem, mihi inspirasti. Sed quis ascendet in montem justum Domine, aut quis requiescet in loco sancto ejus? Respondes: *Innocens manibus, & mundo corde, qui proximo suo non jurat dolose*, & ad beatam anhelat spem. Et subjungens etiam sic admones. *Excitare ideo, excitare* (inquam) *tu qui dormis, ne moriaris*, quoniam in mora periculum. Egredere à domicilio isto tetro, & habitaculo pravis moribus denigrato. Exi ab ista adeo stricta cum turpibus vitiis cognatione. Desine jam contra stimulum calcitrare (durum nempe tibi est) sed festinans, omni metu semoto, ascende confidenter in montem almum istum, quem monstravi tibi, animam, corpusque tuum mihi in sacrificium offeras acceptabile, & quo citius, eo melius. Ista enim vera est via, quæ ducet te ad æternam patriam. Verum, tibi præcavere consulo, ne in ipsius ascensu, retro (quemadmodum misera illa fecit) respicias: esset namque error priore pejor. At ego, etsi infirmo spiritu, viribus extenuatus, virtute vacuus, confractus, ac debilis, non tamen immemor, obedientiæ sanctæ munus, gratissimum bonitati tuæ infinitæ esse, jussui tuo obtemperare decrevi, sicque clausis oculis, derelictis omnibus, me quasi deserens, per vias asperas, petrosas, ac spinosas ascensum arripio, divinæ tuæ acquiescens voluntati, considerans, persuadensque mihi, complures sanctos libentissime per easdem properasse gressus, arctamque esse viam, quæ mortales ipsos ducit ad vitam, & cœpi tunc mecum dicere: Vale immunde munde cum fallaciis tuis. Valete & vos profana negocia, vestris cum dolosis, ac inextricabilibus involucris. Vale tu mundana gloria, cum pompis tuis inanibus. Valete vos etiam sodales, vestris cum caducis deliciis: Vos ego penitus desero. Vale tu incerta spes, ad certam enim anhelo. Tu seductrix fortuna vale etiam, cum instabilibus tuis, dubiisque eventibus, quia duraturam felicitatem adinvenire laboro. Valeat demum omnis humanus honor, regnandique appetitus: hæc omnia tanquam stercus arbitror, ut Christum lucrifaciam meum. Altiora multo his peto. In sanctam civitatem ascendo. Æternam gloriam quæro. Murorum innovationem investigo. Ad cœlestes delicias adspiro. Deum ipsum summum bonum, per gratiam possidere propero. Ad terram fluentem lacte & melle accedo. Ad sacram *Camaldulensem Eremum* festino, ubi vere invenitur Dominus, expectans illuc adire volentes, quibus jucundo, benignoque vultu obviam occurrens, eos ad osculum pacis ovans amplectitur, & ad æterna tabernacula admittit. Inferorum cruciatus æternos vitare conor: iccirco vos maligni spiritus declinate à me, ut rectius præcepta Dei mei perscrutari queam. Discedite, (inquam) à me vos omnes iniquitatem operantes, quoniam misericors Dominus exaudivit vocem fletus mei, & ego tabernaculum sanctum ejus adire statui. Ne (quæso) itineri huic tam sancto, Deoque tam gratæ peregrinationi, impedimentum, obicemve ponatis, quia voluntas Domini est, ut cursum consumam, & inceptum vel (ut melius dicam) illuminatum iter perficiam. Sed tu Domine, qui dixisti: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, qui Pater es misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui omnium animas summo charitatis ardore salvari vis: Tu, qui neminem derelinquis, nullum de-

A spicis, quin potius, omnibus te, humili, tribulato, & compuncto corde implorantibus, opem gratiæ tuæ haud manu abbreviata elargiris: qui non vis deliquentis mortem, sed ejus potius vitam & conversionem, qui provides cunctis animantibus tua indefessa, ac immensa providentia, etiam pullis ipsis corvorum te invocantibus, de rore prospicis cœlesti ne pereant: Respice me creaturam tuam, ad tui similitudinem, effigiemque formatam, ac gloriæ tuæ appetentem, attrito corde nomen sanctum tuum votis, quam possum humillimis, invocantem, miserere mei, & ignosce mihi. Concede (obsecro) postulan-
B ti mihi pennas, quibus celerrime ad te veram requiem, atque refugium meum volem. Ecce me Domine. Ego sum ovis illa errabunda, filiusque ille prodigus. Jam lubens scando. Ad te Deum meum, unicam spem, & quietem meam gaudens confugio. En venio. Suscipe me ad te venientem. Sine (obsecro) me benignitatis tuæ benedictione repleri, & à te ad osculum pacis, perpetuamque cohabitationem benigne admitti. Sim dignus vocari filius tuus. Pedes mei olim veloces ad delinquendum in te, mereantur iis calceamentis à te muniri, quibus ad sanctorum pedum tuorum vestigia sectanda, velocissi-
C mi reddantur. Manus autem meæ, quæ tot scelera contrectaverunt adversus pietatem tuam infinitam, efficiantur dignæ appositione annuli tui, (hoc est) divinæ gratiæ tuæ ornamentis dignæ efficiantur, ac imposterum, quæ tuo sancto nomini grata sint opera exerceant. Digner (oro) illius primæ innocentiæ stola indui, ut ad cœlestia gaudia recta tendam via. Sim postremo dignus, te verum vitulum saginatum, in ligno Crucis pro me occisum manducare, & perenniter in monte sancto tuo, cum sanctis tuis epulari. Et quoniam statui Domine, residuum vitæ meæ in monte sancto isto (te adjuvante)
D consumere: solve (precor) meæ dolosæ linguæ vinculum, eamque immuta, & instrue, ut oblita primi sui profundi, ac perniciosi sermonis, montanum istum, humilem scilicet, modestum, ac simplicem, tibique gratum sermonem perdiscat, ut in montis ipsius vertice, te, corde humili, atque sincero laudet, benedicat, tibique perpetuo inserviat. Nunc profecto cognosco, Domine, tibi gratius, præstabiliusque fieri obsequium, si à valle ad montem ascendamus (hoc est) si a terra ad cœlum, si à sensualibus desideriis ad spiritualia, si à creaturis ad te creatorem, si tandem à caducis, & cito pe-
E rituris, mentes ad æterna, & semper duratura sublevemus nostras. Necessarius ergo mihi fuit pristini gradus imus descensus, ut in supremi montis juga properarem ascensum? Necessarius utique, sed maxime necessaria humilitas, cæteris associata virtutibus, ut ad optatum montem Dei perveniam. O felix casus, qui talis, ac tanti montis meruit habere ascensum. In monte Domine dedisti Legem, eamque vis à me in monte servari. Hoc autem, non sine maxima incomprehensibilium indiciorum tuorum abysso fieri existimo, cum in valle passim, meapte nequitia, ipsius prævaricator, & transgressor extite-
F rim. Jam denique (Deus meus) superioribus assentior dictis, montis videlicet locum tibi ob multa acceptum esse, tum ut ibidem, tibi securius, ac quietius inserviatur, debitæque laudes impendantur: tum propter solitudinem sanctam, quæ removet vitiorum genera multa: tum etiam, quia propter illius altitudinem cœlo propinquam, rectius mirabilia tua meditari poterimus. In monte, placuit summæ Majestati tuæ amici tui sacrificium Abrahæ, placeat tibi etiam in monte sancto

cto isto, animæ hujus meæ, & corporis integra consecratio. A cœlico monte, tu Domine Jesu Christe, salutis nostræ initium es & autor egressus: Indulge, rogo, ut in hoc monte domo tua, te verum Servatorem meum agnoscam. In monte, humanam tuam speciem splendidissimo, & corruscanti lumine decorasti: præsta (quæso) ut in monte isto, relictis mundanis omnibus, ac voluptuosis cogitationibus, nova in te transformatione commuter. In monte, sæpius sacrosancta documenta populo divulgasti, concede mihi, ut ea hoc in monte perfecte custodiam. In monte olivarum, hora sacratissimæ passionis tuæ instante, Patrem orasti: Suscipe (obsecro) in monte isto abietum, meas quamvis indignas oratiunculas, ac me pro tua pietate exaudi. Tandem in monte, acerbissimum Crucis patibulum subire voluisti, ut ego in monte in te transfixus, sempiternam animæ vitam acquiram. Non potest igitur abscondi locus iste sanctus, positus supra hujusmodi montem: Locus, à te benedictus, ac tuo sancto nomini præcipue consecratus, utque tibi in eo assiduo ministretur, singulariter electus, ac divinam manu tua mirifice fabricatus. Terribilis ergo est locus iste: Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Vere, tu Domine, es in loco isto, & ego nesciebam: Ab omni penitus humana conversatione intus & extra semotus: in quo, perfecta *Eremiticæ* vitæ observantia viget, ubi, ut te vere diligam, ac in mandatorum tuorum via verser, præclara mihi (fateor) præbetur occasio, & congrua opportunitas. Verum, heu me, Domine, quia inimicus multas mihi parat insidias, & suggestionibus suis continuis, plurima anteactæ vitæ perpetrata scelera in memoriam reducit, quæ, mentem meam te desiderantem, lentescere vehementer, ac trepidare sæpe faciunt, atque ab assidua mirabilium tuorum contemplatione perturbando coercent. Domine, vim patior, responde pro me. Ne patiaris (obsecro) sacrosanctum tuum sanguinem pro me frustra fusum esse. Adjuva me, Domine, quoniam spiritus meus anxiatus est, & cor meum conturbatum valde. Confirma hoc, quod operatus es in me. In te, Domine, confido, & non frustrabor tuis promissis. Tu vero clementissime Deus, pro tua exuberanti misericordia, reddis tale responsum, quale immensæ tuæ Deitati convenit. Dicis enim: Quid est (ô miser homo) quod inimici maligni versutias timeas, cum in servos meos non prævaleant? An deerit tibi gratia mea, qua illis viriliter resistas? Tecum sum in tribulatione, eripiam te, & glorificabo te. Confide ergo modicæ fidei: Noli timere, quippe qui non permittam, te, supra id quod potes, tentari. Quomodo autem coronaberis, nisi legitime certaveris? An nescis, vincenti palmam, gloriamque tribui justo? ac per multa, variaque tribulationum, tentationumque genera, Regnum ingredi meum oportere? Dulcia (ut ajunt) non meruit, qui non gustavit amara. Servire autem mihi, & pro me pati, amarum non est, sed dulcissimum potius, ac suavissimum. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Tu vero, qua tibi alia persuades via reportaturum meritum, quam crucis via? Sub capite spinoso, membrum esse delicatum, qua ratione potest? Ponas passim ob oculos, sanctorum, electorumque meorum jam mecum gaudentium vitam, & invenies, quot pro nomine meo tentationum, persecutionum, afflictionum, ac tormentorum genera passi sunt, & ipsi nunc sunt in pace: quod tibi quoque, si id feceris, absque dubio, eveniet. Si tristitiam videris ad præsens sustinere, illa postea convertetur in gau-

A dium. Spera lucem post tenebras, serenitatem post pluviam: Dabit enim Deus (ut dixit ille) his quoque finem. Si autem recte considerare velis, invenies aperte, non esse condignas passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis. Si vero inimici suasiones subterfugere cupis, mediis te necessariis uti oportet. Cavendum tibi est super omnia, ne illis se ingerere volentibus locum adhibeas: Principiis enim (ut dixit ille) obstandum est. Quod facillimum tibi erit, si prævideas, ne te incautum apprehendat oscitantem, seu otio deditum comperiat dæmon: hoc autem omnino execrare, procul

B & à te repelle, ac ceu pestem, fuge, & tanquam perniciosum animæ morbum, bonarumque actionum impedimentum, illud existima, imo ut semper occupatum, rebusque honestis, ac sanctis intentum adinveniat, omni sollicitudine cura. In animam enim cælestibus, ac spiritualibus rebus vacantem, non intrabit malignus spiritus. Assiduis etiam orationibus atque meditationibus mentem exerce tuam. Sanctorum libros percurre, eorumque dicta memoriæ manda. Crapulam, & somnolentiam fuge, & jejunia libenti, hilarique persolve vultu. Sint prorsus à te longinqua colloquia prava, bonis autem in tempore

C utere. Audi sponte seniorum admonitiones, easque diligenter exequere. Cooperare gratiæ meæ, & noli spiritui meo resistere, ne reprobus efficiaris. Invoca nomen meum semper, & descendet super te (sicut pluvia in vellus) virtus mea, & gratia mea non deficiet. Conare viribus totis, cadere in meas, non hominum manus, in quibus non est salus: & cogitatum tuum in me solum jacta, & enutriam te. Perpende postea, antiquæ illius vitæ tuæ detestandam, miseramque conditionem, in qua tunc eras, & quantum tibi nocuit, mentemque distraxit tuam, ille hominum tumultus, effrænatus ambiendi anhelitus,

D negotiorum ingruentium confusio, ac in me delinquendi parata incentiva. Memineris tui proclivis, ac propensi omni vitiorum generi sensus. Præ oculis ponas pericula gravia, quæ tibi olim in hujus seculi tempestuosis procellis imminebant, quibusque misera tunc anima subjacebat, quæ amans, peribit in illis. Reducas in memoriam, quoties in illam per oculos intravit mors, & quantum ejus saluti expediat, ab his omnibus segregatam omnino, ac permanere remotam, tu ipse judica. Considera etiam frequenter, extremum illum peregrinationis tuæ diem, rigidum judicium, & inferni pœnas, & facere jam inci-

E pe ea, quæ tunc fecisse velles. Operare bonum, dum adest occasio, & ambula cum luce, ne subsequens te nox comprehendat, ac sic errabundus, in profundum aliquod irruas præcipitium, ubi perpetuo remaneas. O utinam hæc, toto mentis affectu, non horis solum, sed si fieri posset, momentis, ac minutilis singulis, re ipsa præmeditareris, eisque obnixe invigilares, ne, cum in novissimo die advenero, te imparatum, instar fatuarum illarum virginum, inveniam, & servorum inutilium numero tunc aggregeris, illius (inquam) qui talentum a domino suo ad negociationem receptum, occultavit. Habuisti a me

F talentum, fac tibi, ut ex illo fœnus accrescat, ut cum a te petiero villicationis rationem illamque reddideris bonam, merearis audire, euge serve bone, intra in gaudium domini tui. Recepisti gratiam meam, ei ut coopereris adnitere diligenter. Ornavi te cælestibus donis, æquum est, tanti beneficii sis memor, & munuscula tua offeras mihi, gratiarum scilicet actiones, quas saltem habere teneris, quandoquidem multa a me recepisti, tuis meritis longe superiora. Tu ve-

ro, maligno spiritu ductus, pro bono malum mihi reddidisti, benefacienti malefecisti, ac in me dentibus rugiens, insurrexisti, & inhonorasti, de bono opere videris me (sicut illi fecerunt) lapidare. Hæccine reddis creatori, ac redemptori tuo, o insipientissime, & ingratissime omnium? Hoc quidem, contra genus omne, brutorum etiam animalium est, quæ, quasi intelligant bona sibi collata, ore, lingua, cauda, ac totius corporis gestibus, motibusque blandientia, mira gratitudinis signa benefactori ostendunt. Tu vero, & mente, & corpore, tuum in me inverecunde admodum erexisti caput (serpentis more) & ego dissimulavi: parum enim misericordiam decuisset meam, ni tacuissem, expectans peccatoris digressionem à via sua perversa, te quoque misericorditer expectavi, atque te si bonus eris recipiam. Quod si preciosiorem ætatis tuæ partem, nempe juventutem, dæmonis vacans obsequiis consummasti, reliquam saltem licet gravescentem, cur mihi non spontaneo expendes animo? Ne diffidas, nulla namque sera ætas pœnitentiæ. In quacunque enim hora peccator ingemiscit, amplius iniquitatum ejus non recordor. Quid est (rogo) quod mundi pompis, carnis illecebris, ac dæmonis consortio illaquearis, & adeo facile cor tuum illis (me derelicto), inclinas? Quid inibi boni latere animadvertis? Quodve afflictæ animæ tuæ solamen parari credis? Quid inde securitatis conscientiæ, præmiive tibi provenire speras? Quid boni, quod te ad inserviendum dæmoni moveat, vides? Mundine ipsius duratio? Num immortalia carnis solatia? An forte dæmonis ipsius nobile sodalitium? Tu sane delectaris rebus maximi momenti, quæ te aliis beatiorem efficient. Quid inde lucri tibi inferri proponis? O stulte, & tarde ad credendum corde. O cæcorum cæce, usquequo velamen permanebit in oculis tuis? Quod (inquam) bonum, hinc tibi proveniendum, speras? Adhuc te latet illud? Omne datum optimum, omneque donum perfectum desursum esse, descendereque a Patre luminum? Hæc non consideras ipso clariora sole? Præterea, credis, & fateris me verum Deum? immortalem, summum bonum, ac sempiternæ gloriæ largitorem? Fateberis quidem, (nisi forte insipiens) sicut ille, velis esse. Quod si hæc confiteris, cur à me fugis? Quid te terret? aspectusne meus? qui splendidior est sole, & pulchrior luna. Quid vero? sacratine Corporis mei susceptio nauseam tibi movet? Panis enim sum Angelorum, & cibus grandium. An forsitan horribilis Lex mea? at suave jugum meum, & onus leve est. Num formidas desertam, luctuosamve mansionem meam? quæ plena est omni lætitia, & jucunditate angelicorum, beatorumque spirituum, laudantium, ac benedicentium me quotidie. Vereris forte beatorum angustum præmium? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavi diligentibus me. Quid te terret ergo? Terreat te potius perpetua damnatorum pœna, tetraque, ac lugubris habitatio Satanæ: Quod vero omnium maxime tibi timendum est, time vultus elongationem mei. Nunquid vias meas, ut vias hominum arbitraris? Nonne tibi satius multo, conducibiliusque est, mihi adhærere, quam diabolum sequi? Quid (quæso) emolumenti ab eo expectas? nil certe aliud, quam æternæ gehennæ cruciatus. Quod si parvulum dolorem vix sufferre nequis, quomodo pœnas illas tartareas damni, sensusque in æternum duraturas, sustineres? Non agnoscis imminentem ruinam? Insanis forte? Mira res certe. Ætatem habes. Tu ipse videas, ac pru-

A denter expendas, consideresque: Post vero, tuo utere libero arbitrio, & ad aquam, ignemve, manum adponas tuam. Sed unum tamen ex te libenter quæro, quod negare neutiquam potes, ut utroque anteactæ vitæ tempore diligenter apud te considerato, & quo, cacodæmoni, & quo, mihi inservieras, cum in utroque, à te periculum quandoque factum sciam: utrum istorum, majorem menti tranquillitatem, & corpori suaviorem vivendi modum secum afferat? Non respondes ad hæc? quondoquidem taces, consentire videris veritati. Negare utique non potes, quin dum mihi ministras, multo major B lætitia, tranquilliorque mentis quies, ac certior conscientiæ securitas, ex hoc, quam ex illo affluat, quod, experientia ipsa rerum magistra docere videtur. Cum enim lucifero improbo, me relicto, adhæres, omnia his opposita, & animæ, & corpori accidere, senties. Anima namque in primis ad bona omnia infirmior efficitur. Cor vero anxium, & conturbatum nimis. Conscientia autem jugi morsu agitata, læsa vexatur. Corpus deinde, innumeris tormentorum generibus indies cruciatur, nunquam quiete somnum capit, nulla illi ciborum genera sapiunt, res omnes creatæ molestiam illi, fastidiumque pa- C riunt: Semper vitæ periculo subditus, ac omni ex parte suspectus, æternæque mortis reus vivis. Mundus ipse te exosum habet, te nihili pendit, & a se abigit, & nisi mesericordia mea te præveniret, terra tibi dehisceret. O infelix hominum vita (si modo vita dici possit) dixisses vitam potius continuam mortem, & melius lethalem nominasses febrim, & (quod his pejus) te vivere cum morte æterna fatereris, quæ depascet te, nisi resipiscas. At vero, cum meis vacas servitiis, cessant hæc omnia, comperies profecto manifeste contraria, conscientiam scilicet serenam, pacificam mentem, quietum cor, D corpus ad utramque (ut ajunt) aurem dormitionem capit, non cogitat de crastino, sed in Deo, cum Deo, pro Deo, & in Deum, totus intimo quodam anhelitu inveheris, & tibi eum diligenti omnia cooperantur in bonum. Mundus ipse, summo te amore amplectitur, laudibus extollit, & ad dignitatum honores evehit. Vide ergo aperte, quantum viæ meæ à viis hominum differant quantoque utilius sit mihi, quam diabolo inservire. Quid plura? Servire Deo, regnare est, vereque triumphare. Quod si hæc vera sunt, quæ verissima esse norunt omnes: Exue jam prorsus veterem illum hominem, ut novus E fias homo. Pudeat te tandem scelestæ illius vitæ, positisque antiquis exuviis, angelicum *Ereminicæ* vitæ statum lætus ingredere, in qua vocatione ita persistas velim, ut eam veteris tuæ depravatæ vitæ antidotum esse intelligas, nullam plane majorem commutationem dare poteras pro anima tua quam ingressum ad eam. In qua, quantum possis proficere, mihique inservire, ac scelera retroactis temporibus abs te patrata, integra cordis compunctione deplorare, atque tenerrime lugere, tu ipse vides. Animadverte igitur, te constitutum in loco sancto, voluptatis veluti paradiso, ubi suaviter mea super- F veniente gratia, quæ nemini deest, sensus ac potentias tuas, olim effrænatas, colligere, ac sedare potes, ut sensus voluntati, voluntas intellectui, ac intellectus mihi recte subjacentes, harmoniam, ac veluti divinum efficiant concentum. Ecce sanus factus es, quod sistas, vide ne cadas, & super omnia, ne de prohibito pomo comedas (id est) ne opere, seu mente, ad veterum illorum turpissimorum scelerum vomitum redeas, esset namque difficilius (sicut con-

va-

valescenti in eandem prorsus relabenti infirmitatem) medicamen. Ne parvi pendas hæc, quæ ad integram æternamque animæ tuæ salutem, tantopere attinent. Dixi autem, animæ salutem æternam, ut inde oppositam perpetuam nempe damnationem effugias. Fierine potest, ut adeo incredulus? cæcus? & offuscata sis mente, ut oblivioni tradas ea omnia, quæ in lege mea luculenter tibi præcepi? quorum suavis observatio, æternum præmium, transgressio vero, sempiternam secum adducunt pœnam? Quis ferrum auro? Quis tristitiam gaudio? Quis tenebras luci? Quis demum, mortem perpetuo duraturam, gloriosæ, ac immortali vitæ præposuit unquam? præponetve? Revertere ergo, revertere ad me anima à me formata, plurimisque gratuitis muneribus dotata. Reminiscere eorum omnium, quæ erga te feci, & noli esse incredula, neque ingrata, cum tua res agatur, & pro momentaneo malo, noli sempiternum amittere bonum. Meditare jugiter unigeniti mei filii, Redemptoris tui ignominiosam passionem, quam pro te, & omnibus, in ligno Crucis sustinuit, ac vide, ne pro te frustra suscepta videatur. Contemplare ipsum, æqualem mihi, pro te pendentem, A tot opprobiis onustum, tot contumeliis imbutum, undique laceratum, & dilaniatum, ne deliciis ac solatiis careres æternis. Respice eum, contumeliose morientem, ut tu, ejus amore permotus, in hac mortali vita, plena sensuum tuorum mortificatione, viriliter, ac ut strenuum, & veteranum decet militem, in hoc præsertim (duelli instar) destinato loco, contra infestissimos hostes, salutis humanæ perturbatores, pugnando, honorem sempiternum (qui Justorum est merces) reportare possis. Considera attente Dominum tuum, prono capite in Cruce suspensum, ut tuum in cœlum erigas frequenter. Invoca ipsum, pro te semper interpellantem, ac B verum Pellicanum, habentem pectus suum sacratissimum graviter vulneratum, & saucium, à quo, preciosissimus emanans sanguis, tum super filios omnes, tum super te misericorditer sparsus est, ut apud eum æterna fruereris beatitudine. Quæ omnia, si die, nocteque perpetua animi cogitatione pensabis, beatus es, & bene tibi erit: Hinc enim magis magisque ejus inardesces amore, atque ita fiet, ut levior tibi, & facilior via mea reddatur, quo tandem vita æterna, dignam cum Electis meis in patria, merearis habere mercedem.

FINIS.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

F I N I S.

CÆSAR ORLANDIUS,

DE

URBIS SENÆ

EJUSQUE

EPISCOPATUS ANTIQUITATE.


Editio Novissima, priori auctior & emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER AA,
Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS
LECTOR BENEVOLE.

Cum contraria juxta se posita magis elucescant, & posito uno contrariorum, cognoscatur & alterum, amœnissimaque fortasse etiam argumentandi ratio ex contrariorum delucidatione percipiatur; Jucunditati igitur non minus, ac veritati inservire voluit CÆSAR ORLANDIUS, *cum acuto elegantique simul stylo, primum compertos falsorum Autorum errores detexit, & tunc tandem sententiam sui judicii de urbis & Episcopatus* Senensis *Antiquitate veritati maxime conformem esse, perspicue demonstravit: Operæ pretium ergo esse duxi, hunc lepidissimum tractatum super re & materia non minus utili cum Indice memoriæ levandæ gratia, prelo iterum committere, hac certitudine fretus, quod hic tractatus, quod negotia* Senensia *attinet, cupidi Historiarum scientiæ Lectoris curiositati abunde satisfacturus sit. Vale.*



NOMINA AUCTORUM,

Qui vel in hoc libello citantur, vel de civitate, seu Colonia Senensi, *ejusque Episcopatu, seu Episcopo, obiter aut ex professo scripserunt, & ad manus meas pervenerunt, ordine temporum, quo quisque eorum scripsisse, aut obiisse dicitur, quoad fieri potuit servato.*

Ante annum Salutis

292 M. Porcius Cato Censorius.
125 Polybius Historicus.
40 M. Tullius Cicero.
Cæcilius, rerum Romanorum scriptor, à Strabone citatus.
30 Cornelius Nepos, sive Æmilius Probus.

Post annum Salutis

19 Titus Livius.
33 Strabo Geographus.
35 Dionysius Halicarnasseus.
42 Pomponius Mela.
66 M. Annæus Lucanus.
69 C. Silius Italicus.
L. Junius Moderatus Columella.
71 C. Plinius Secundus, sive Plinius senior.
102 Anacletus Papa.
110 Plutarchus.
119 C. Suetonius Tranquillus.
C. Cælius Plinius, sive Plinius Junior.
130 Aulus Gellius.
139 Appianus Alexandrinus.
140 Galenus Pergamenus, Medicus.
150 Ptolemæus Alexandrinus, Geographus.
Auctor libelli de Limitibus.
170 Quinctus Cervidius Scævola, Jurisconsultus.
Alphenus, Jurisconsultus.
199 Auctor libelli de Coloniis.
222 Dio Cassius, Nicæus, Historicus.
337 Auctor libelli, qui Itinerarium Antonini Pii Imperatoris inscribitur.
Sextus Pompejus Festus.
370 Eutropius, Historicus.
Tabulæ sive instrumentum donationis ab Augustino Patricio, & Volaterrano citatum, script.
417 Rutilius Claudius Numatianus, Gallus, Poëta.
645 Acta Concilii { Romani sub Martino Papa primo.
652 Acta Concilii { Lateranensis primi.
670 Acta Concilii { Constantinopolitani Sexti.
818 Anastasius Bibliothecarius.
847 Landulphus de Columna, sagax canonicus Carnotensis, script. in Vaticana.
1073 Ado, Archiepiscopus Treverensis.
1150 Gratianus, decretorum canonicorum collector.
1154 Joannes Saresberiensis, Brito, seu Anglus, alias Polycrates seu Polycarpus.
1188 Gotefridus Viterbiensis.
1320 Jordani Chronica, in supra scripta Vaticana, script.
1458 Incertus auctor, qui ex supradicto Landulpho collectarium excerpsit, script. in eadem Vaticana.
Facius de Ubertis, Florentinus.
Pius Secundus, Pontifex Maximus in Commentariis, script.
1463 Flavius Blondus, Foroliviensis.
1465 Franciscus Patricius, Senensis, Episcopus Cajetanus, script.
Jo. Bapt. Platina Cremonensis.
1470 Michael Tarchaniota, Marullus, Constantinopolitanus.
1471 Marcus Antonius Sabellicus, Venetus.
1478 Augustinus Patricius de Piccolominibus, Senensis, Episcopus Pientinus, & Ilcinensis script.
1480 Alius Senensis ignotus, script.
1486 Bartholomæus Benevolentius, Senensis.
1490 Zacharias Lilius, Vicentinus.
1494 Hermolaus Barbarus, Venetus.
Angelus Politianus.
1498 Joannes Annius, Viterbiensis.
1503 Raphael Volaterranus.
Jacobus Philippus, Bergomensis, hactenus scripsit.
1512 Sebastianus Compagnus, Ferrariensis, script. sive Dominicus Marius Niger, Venetus.
1530 Leander Albertus, Bononiensis.
1549 Lucius Antonius Maynerus, Malacitanus, seu Genuensis, script.
Andreas Alciatus, Mediolanen.
1568 Honuphrius Panvinius, Veronensis.
Antonius Massa, Gallesius, Romanus.
Joannes Goropius Becanus.

Hi omnes, ut fama est, hoc anno Salutis 1575. in humanis agunt. {
Abraham Ortelius, Antverpianus.
Aldus Manutius.
Alfonsus Ciccarellus, Mevanas, script.
Camillus Portius Neapolitanus.
Carolus Sigonius, Mutinensis.
Guilielmus Xylander, Augustanus.
Julius Ballinus, Venetus.
Nicolaus Gruchius, Rhotomagensis.
Orlandus Malavolta, Senensis.
}





TERRITORII SENENSIS. Nova et Accurata TABULA.

LUGD. BAT. Sumptibus PETRI VANDER AA.

PARTE DEL DOMINIO FIORENTINO

STATO DELLA CHIESA

MARE TIRRENO OVERO DI TOSCANA

MONTAGNUOLA

VESCOVATO

VAL D'ORCIA

VAL DI CHIANA

MONTAGNATA

MAREMMA DI QUA

MAREMMA DI LA

STATO DI CASTRO

SIGNORIA PIOMBINO

Siena · Pisa · Livorno · Volterra · Colle · Arezzo · Perugia · Chiusi · Pienza · Montieri · Massa · Grossetto · Orbetello · Orvieto · Bolsena · Viterbo · Castro · Civita Vecchia · Piombino · Lago di Perugia · Lago di Bolsena · Elba Isola Olim Ilua · Giglio Isola · Monte Christo · Pianosa · Gianuti · Formiche

Scala di Miglia Quindici.

5 10 15




TERRITORI SENENSI
Nova et Accurata TABULA.
LUGD. BAT.
Sumptibus
PETRI VANDER A.
STATO DELLA CHIESA
FIORENTINO
SIGNORIA PIOMBINO
MARE TIRRENO OVERO DI TOS
ELBA Isola Olim Ilua
Scala di Miglia Quindici.
5 10 15
Serchio f.
S. Giuliana
Pisa
Arno f.
Fosso
Capannone
Stagno
Il Garbo
C. Nuovo
Porto di Livorno
Livorno
Tor Farea
M. Vecchio
Rosignano
Il Salvadore
Pemarso
M. Vase
Riparbella
Cecina f.
Vada
Gherardesca
M. Scudaia
Bibbona
Bolgari
Castagnetto
Donoratico
Sassetto
Tor de S. Vicenzo
Sureveto
Pietra Rossa
Campiglia
Cornia f.
Caldane Paluda
Populonia Destrutta
Porto Baratto
Piombino
Golfo
Troia Isola
Volterra
M. Catini
Buriano
M. Gemoli
Querceto
Michiano
Libiano
M. Ruffoli
Sterza f.
Caselli
M. Verdi
Eugubio
Gualdo
Poggio di Sotto
S. Gilio
Chiscio f.
Assisio
Passaggio
I. di Andrea
Topino f.
Bevagna
Mariellano
Tevere f.
Vepri
Todi
Cordigliano
R. di Meleto
Castigliano
Pantanelli
Pesciana
Guardegio
M. Castrilli
Giovi
Chiaro f.
Orta
M. Ugnano
Vitorchiano
M. Fiascone
Bagnaia
Viterbo
Valerano
Caprarola
Tercia f.
Lago di Vico
Bieda f.
Mignone f.
Tolfa
Eri f.
Minera d'Alume
Civita Vecchia
S. Marinella
Cerboli
Palmarvola
Porto Lungone
Capo Calvo
Capo Vita
Porto Ferato
Cosmopoli
Capo della Calamita
Recisso
S. Gio
Capo Stella
Capo Campo
Pigna
Zanca
Mortiliano
S. Andrea
S. Giovanni
Pomonte
Capo Poro
Capo Alosseno
Chiesa
Festoraia
Capo di Pomonte
Pianosa
Formiche
Monte Christo

CÆSAR ORLANDIUS DE URBIS SENÆ EJUSQUE EPISCOPATUS ANTIQUITATE.

ARGUMENTUM.

Civitatis & Ecclesiæ Senensis fundatores, nondum compertos esse, in illam tamen, Coloniam ab Augusto deductam. Hanc vero annos jam MCVIII *Episcopali dignitate ornatam (commentitiis quibusdam scriptis confutatis, bonorumque auctorum testimoniis explicatis) dilucide comprobatur.*

ORNARI RES IPSA NEGAT, CONTENTA DOCERI.



Senam Etruriæ urbem antiquissimam, ejus autem sedem Episcopalem, non adeo vetustam esse, inter omnes fere nostræ & superioris ætatis scriptores, constare video. De auctoribus autem, ex quibus antiquitas hujusmodi probetur, non omnium eadem est opinio. Quod vero ad utriusque conditorem seu fundatorem attinet, ob antiquitatem ipsam, apud probatos scriptores nihil certi reperio. Nam (ut aniles fabellas de *Senio* & *Aschio*, *Remi* ut falso creditur filiis omittam: *Remus* enim *Dionysio* & *Plutarcho* testibus, nullos prorsus liberos reliquit) quod a nonnullis traditur, eam civitatem fuisse conditam a *Gallis Senonibus*, qui, *Brenno* Duce, anno trecentesimo sexagesimo tertio ab Urbe condita, spatio septem mensium, ut *Polybius* scribit, eadem Urbe potiti fuerunt, nullo certo aut saltem probato auctore constat. Etenim Joannes Saresberiensis, Brito sive Anglus, *lib.* VI. *cap.* 17. & *lib.* VIII. *cap.* 23. *De nug. Curialium, &c.* primus, quantum ego viderim, hujus opinionis auctor (qui ex eo quod ejus liber, *Polycraticus* inscribitur, a *Jacobo Philippo Bergomate*, [*in supplem. Chronic.*] & aliis *Polycrates*, seu *Polycarpus* appellatur) nullum hujusce suæ existimationis testem adducit. Ipse autem *Joannes*, se *Hadriani* IV. Pontificis Maximi familiarem fuisse, & dum *Henricus* Rex *Britanniæ* secundus, *Tolosanam* civitatem obsidione cingebat, scripsisse testatur. Apud omnes vero constat, *Hadrianum* IV., ab anno salutis millesimo centesimo quinquagesimo quarto, usque ad quinquagesimum nonum, in solio B. *Petri* sedisse, *Henricum* autem *Secundum* eodem sane tempore regnasse, & proinde hujus *Joannis* de origine *Senæ*: mille & ultra annis (ut ex infra dicendis apparebit) ante ipsum *Joannem* conditæ, testimonium, ne pili quidem faciendum esse.


Ad ejusdem autem civitatis antiquitatem comprobandam Raphaël Volaterranus *lib.* IV. & alii, qui ante & post eum scripserunt, *M. Porcii Catonis*, *Polybii*, *Ciceronis*, *Livii*, *Lucani*, *Silii Italici*, *Appiani*, *Plinii*, *Itinerarii*, quod sub *Antonini Pii* Imperatoris nomine circumfertur, libelli cujusdam *De Coloniis*, ipsius *Volaterrani* ante reperti: nec non quarundam tabularum, sive (ut nostri loquuntur) cujusdam publici instrumenti, testimoniis uti solent. Cæterum, cum ego auctoritates hujusmodi, nihil ad rem nostram facere semper existimaverim: operæ pretium me facturum putavi, si, prius quam ex qui- A bus probatis scriptoribus, *Senæ* vetustas perspicue probari possit, ostendam, ex quibus etiam eadem antiquitas, (meo quidem judicio) minime probetur, breviter & ingenue demonstravero.


Primum igitur, quod ad *Catonem*, cæteris antiquiorem attinet, plurium eruditorum testimoniis, compertissimum habeo, librum illum, qui sub titulo, *M. Porcii Catonis ex libris Originum fragmenta*, legitur, fictum & adulterinum esse, non minus quam *Berosum Chaldæum*, & alios qui simul cum ipso *Catone* venales habentur. Quod licet multis, iisque non levibus argumentis probari posset, unum tamen & alterum tantum, præter ea quæ ab aliis re- B feruntur, proposuisse contentus ero. Scribit enim *Dionysius Halicarnasseus*, *Porcium Catonem* in suis libris *Originum* affirmasse, primos *Italiæ* incolas fuisse *Græcos* ex *Achaja* profectos. Quod etiam *Cæcilius*, rerum *Romanarum* scriptor, a *Strabone* citatus, probare videtur. At in proœmio istorum fragmentorum, *Græci* impudentes appellantur, quod *Italiam* ab ipsis ortam, nullo certo auctore aut ratione, sed per solam insaniam fabulentur. Quod quidem verbis *Dionysii* ex diametro pugnare, nemo, opinor, non videt. Quo fit, ut cum alterutri eorum, fidem detrahi sit necesse, nullus dubitare possit, quin *Dionysio*, non solum antiquiori, sed etiam tot sæculis, C omnium consensu, approbato scriptori, major fides, quam fragmentis istis, jure adhiberi debeat. Atque hanc rationem (ut postea animadverti) etiam Joannes Goropius *in originibus Antverpianis lib.* IV. aperte probat. Præterea, Cicero *De Senectut.* ex persona hujus *M. Catonis*, quartum & octogesimum annum agentis, loquens, sic ait: *Septimus mihi Originum liber est in manibus. Cornelius* autem *Nepos*, sive, ut alii volunt Æmilius Probus, *in vita ejusdem Catonis*, ita scribit: *Senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus, continet res gestas Populi Romani. Secundus & tertius, unde quæque civitas orta sit Italica ob quam rem omnes Origines* D *videtur appellasse. In quarto autem, bellum Punicum primum, in quinto, secundum: atque hæc omnia capitulatim sunt dicta: reliqua bella pari modo persecutus est usque ad Præturam Servii Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit: sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit, quæ in Italia Hispaniisque viderentur admiranda, in quibus multa industria & diligentia comparet, multa doctrina.* Sext. vero Pompejus Festus: *Originum* (inquit) *libros quod inscripsit Cato, non satis plenum titulum propositi sui videtur amplexus, quando prægravant ea quæ sunt rerum gestarum Populi Romani.* Idemque *Festus*, ac etiam A. Gellius, *ex septem libris Originum*

SENA, Urbs Hetruriæ

Notabili della Citta di
SIENA.

1. Duomo.
2. Carmine.
3. S. Ansano.
4. S. Giouanni Pieue.
5. S. Pietro alle scale.
6. S. Saluadore.
7. Casteluecchio.
8. S. Paolo.
9. S. Maria Madalena.
10. S. Gregor. in Sasso.
11. S. Lucia.
12. La Morte.
13. S. Nicolo.
14. S.ta Croce
15. S. Sebastiano.
16. Palazzo del Gr. Duca.
17. P. della Signoria.
18. P. del Mag.co Pandolfo.
19. Spedal Grande.
20. S. Agostino.
21. Abbadia all Arco.
22. S. Quirico.
23. S. Marco.
24. S. Desiderio.
25. S. Marta.
26. La Madonna.
27. Valle piatta.
28. Derelitte.
29. S. Marta.
30. La Madoña dllo Sped.le
31. Corpus Domini.
32. S. Cosmo e Damiano.
33. S. Iosef.
34. Arciuescouado.
35. P. de Picc.ni
36. S. Martino.
37. S. Spirito.
38. S. Viglio Comp.a di Gies.u
39. S. Mauritio.
40. S. Iacomo.
41. S. Giouannino.
42. Ogni Santi.
43. S. Niccola.
44. S. Chiara.
45. Orfanelli.
46. S. Antonio.
47. S. Gio bat.a
48. S. Ansano.
49. Palazzo dl Papa.
50. Fontana dl. Ponte.
51. Serui.
52. S. Girolamo de Giesuat.i
53. S. Giorgio Cong.ne dl Chiod.o
54. S. Giuslo.
55. S. Leonardo.
56. Il Santuccio.
57. S. Monica.
58. Vita Eterna.
59. Abbandonate.
60. La Trinità.
61. S. Stefano.
62. Loggia del Papa.
63. Fonte dll.a badia nuo.na
64. S. Francesco.
65. L Madoñani Prouez.ano
66. L Misericordia.
67. S. Pietro buio.
68. S. Pietro a Ouio.
69. S. Andrea.
70. S. Stefano.
71. S. Bartolomeo.
72. S. Antonio.
73. S. Francesco.
74. S. Petronilla.
75. L Concettione.
76. Conuertite.
77. S. Honofrio.
78. S. Bernardino.
79. S. Mich. Angelo.
80. S. Rocco
81. S. Lucia.
82. S. Ambrogio Sansedo.ni
83. S. Caterina da Siena.
84. La Sapienza publica.
85. Loggia dll meranzi.a
86. La lizza.
87. Fonte Blanda.
88. S. Dom.co
89. Abb. a S. Donato.
90. S. M dlla Neue.
91. S. Donato.
92. S. Christofano.
93. S. Vincenti.
94. La Magione.
95. S. Egidio
96. S. Pellegrino.
97. S. Lorenzo.
98. Campanzi.
99. Il Paradiso.
100. S. M. dlle gratie.
101. S. Gherardo.
102. S. Michel Angelo.
103. S. Sebastiano.
104. La M. a Fonte. Giusta.
105. S. Dom.co
106. S. Andrea. Gallerani.
107. Dogana.
108. P.o E piazza tolomei.
109. Fontana di piazza.
110. Fonte nuoua.





Et paulo post:

Exteriora petens montis declivia Tiberim
Unda facit, Rutubamque cavum, delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbrosæ Liris per Regna Maricæ
Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni
Culta Siler, nullasque vado, qui Macra moratus
Alnos, percurrit in æquora Lunæ.

Silius *Lib.* VIII.

Hos Asis, Sapisque lavant, rapidosque sonanti
Vertice contorquens, undas per saxa Metaurus,
Et lavat ingentem, perfundens flumine sacro
Clitumnus, Taurum Narque albescentibus undis
In Tibrim properans, Tiniæque inglorius humor,
Et Clanis & Rubico, & Senonum de nomine Senæ.

Idem post quatuordecim versus, ubi de *Arna*, *Mevania*, *Ispello*, *Narnia*, *Ingino*, *Fulginia*, *Ameria*, *Camerte*, *Sarsina*, & *Tuderto* meminit:

Jamque per Etruscos legio completa maniplos
Rectorem magno spectabant nomine Galbam.

Et post duos versus.

Lectos Cera viros, lectos Cortona superbi
Tarcontis domus, & veteres misere Graviscæ
Nec non Argolico dilectum littus Alesó
Alsium, & obesæ campo squalente, Fregellæ
Arguit & sacri interpres fulminis, Alis
Fesulæ, & antiquus Romanis mœnibus horror
Clusinum vulgus, cum Porsena magne jubebas
Nequicquam pulsos, Romæ imperitare superbos.

Non tamen negaverim fluvium *Glanim*, de quo *Silius* meminit, eundem esse cum *Clani*, de quo *Strabo*, *Tacitus*, *Plinius*, & *Stephanus* meminerunt. Nam & *Appianus*, & *Plinius*, & *Stephanus* illum per G. non per C. scribunt. Nec me movet, quod cum *Clanis* & *Rubico* tot terrarum spatiis inter se distent, verisimile prorsus non sit, ut *Silius* duo flumina adeo invicem distantia conjungere voluerit. Nam fluvium *Sennam*, quem idem *Silius* eodem versu complectitur, non minus quam *Clanim* a *Rubicone* distare certum est. Quibus accedit, quod cum *Silius* in præcedenti versu de *Nare* & *Tinia*, qui in *Tiberim* illabuntur, meminisset, postea in hoc sequenti versu, etiam de *Clani*, qui similiter in *Tiberim* illabitur, mentionem facere voluit: non secus ac *Plinius* de iisdem fluminibus, videlicet *Clani* & *Tinia*, eodem fere verborum contextu, mentionem facit.

Jam vero *Appiani* verba *lib. primo bell. civ.* dum *Martium* a *Pompejo* circa civitatem *Senam* debellatum, civitatemque ipsam direptam scribit, de *Sena* nostra accipi non posse, ex his planum fieri arbitror. Primum, quod *idem Appianus* alio loco *lib. de bello Annil.* de *Senogallia*, sine ulla controversia, loquens, iisdem literis illam scribit, quibus & in hoc loco, de quo est contentio, nempe his: περὶ πόλιν Σήνα: quo scripturæ genere etiam *Ptolemæus* utitur, dum *Senam Gallicam* designat: cum tamen apud eundem *Ptolemæum Sena* nostra per αι, scripta legatur. Deinde quod *idem Appianus* paucis verbis supra eum locum, de quo dubitatur, de *Æsino* flumine, (quem omnes *Senogalliæ* propinquum esse scimus) apertam mentionem facit: licet in *Italicis* exemplaribus, pro *Æsino*, *Ticinus* corrupte legatur: ut ex hoc certo conjectari liceat, urbem Σήνας, de qua *Appianus* meminit, *Senam Piceni*, non autem *Senam Etruriæ* fuisse.

Plinii autem *senioris verba Lib.* XVIII. *cap.* 17. *circa Clusium & Senas*, ad librarum numerum, non autem ad civitatem *Senensem* (quod etiam Volaterranus *Lib. Paralipomenon* animadvertit) referenda esse, vel ex eo liquere arbitror, quod *Sena* nostra non est in *Italia Transpadana*, prout, si illorum interpretationem admitteremus, ex *Plinii* verbis necessario ponenda esset. *In Transpadana* (inquit) *Italia*, *scio vicenas quinas libras, farris modios pendere, si quis granum ipsum ponderet, circa Clusium & Senas*. Hoc

A est, libras vicenas senas. *Clusini* autem farris, etiam apud *Columellam*, qui ante, & apud *Galenum*, qui post *Plinium* ipsum floruit, mentio reperitur. *Adorei*, inquit Columella *Lib.* II. *cap.* 6. *plerumque vidimus in usu, genera quatuor. Far quod vocatur vernaculum, vennuculum, rutilum, atque alterum candidum, sed utrunque majoris ponderis, quam Clusinum, sementrimestre, quod dicitur Galicastrum. Idque pondere & bonitate est præcipuum.* Galenus autem *Lib.* VII. *de compositione medicamentorum secundum locos* sic ait: *Farris Clusini appellati, sextarii dimidium.*

Locus vero ex *Itinerario* quod sub *Antonini* Imperatoris B nomine circumfertur, ubi iter illud ab Urbe *Roma* in *Galliam* describit, & post *Umbronem* in monte, de *Sena* colonia, meminit, non minus, quam liber ille *Catonis*, confictus, imo ex libro illo ad verbum descriptus apparet. Qua ratione ut arbitror, moti *Aldus* & nonnulli recentiores totam illam appendicem (quæ nec etiam in scriptis codicibus legitur) in eorum exemplaribus excudere, consulto omiserunt. Quibus accedit, quod appendix illa, tum *Ciceroni*, tum ipsi etiam *Itinerario* aperte repugnat. Nam ejus auctor, iter ab Urbe ad *Lucam* describens, post *Vulsinium*, dextrorsum flectit, & primo *Clusium*, inde *Ad statuas* post *Arretium*, C tum *Ad fines* sive *Casas Cæsarianas*, inde *Florentiam*, post *Pistores* & postremo *Lucam* designat. *Cicero* autem *Philip.* XII. ab eadem Urbe *Roma* ad *Mutinam* iter metiri volenti, tres tantummodo, non autem sex, ut ista appendix tradit, vias esse docet: *Tres* (inquit) *viæ sunt ad Mutinam. A supero mari, Flaminia: ab infero, Aurelia: media, Cassia, quæ Etruriam discriminat.* Idque etiam ex *Strabone* non obscure colligi videtur. Hic etenim *Italiam* describens, vias omnes, quæ *Romam* ducunt, urbesque & loca, per quæ illæ transeunt, diligentissime designat: & tamen in *Etruriæ* descriptione, nullas alias vias, quam *Flaminiam*, & hanc *Cassiam*, quæ *Ar-* D *retium* ducit (tacito tamen illius nomine) nobis indicat. *Talis est* inquit *Lib.* V. ex versione Xylandri, *Ciminis lacus apud Volsinios, & alius apud Clusium, & proxime Romam ac mare, Sabatus. Longissime autem remotus, & jam Arretio propinquior, Trasimenus: juxta quem in Etruria aditus exercitibus datur, quo & Annibal usus est. Sunt enim duo aditus, hic, & alter per Umbriam, juxta Ariminum, atque hic quidem commodior est, montibus ibi satis humilibus. Sed cum is accurata custodia teneretur difficiliorem coactus est petere, & obtinuit, victo magna pugna Flaminio.* Hæc *Strabo*. Ex quibus omnibus certo certius constat, quod auctoris illius *Itinerarii* ætate ab Urbe E *Etruriam* versus proficiscentes, per civitatem *Senensem* iter minime faciebant, sed illam longissime ad sinistram relinquebant. Hujus rei fortissimum argumentum, illud esse videtur, quod non solum *Appiæ*, *Flaminiæ*, *Aureliæ*, & *Cassiæ*, usque *Vulsinium*, sed etiam ipsius *Clodiæ*, inter *Clusium* & *Arretium*, non longe a monte *Politiano*, multæ adhuc reliquiæ seu fragmenta adeo admiranda extant, ut non hominum, sed mali alicujus dæmonis potius opus fuisse credatur: cum tamen ejus viæ, qua a tempore, hominum memoriam excedente, ab Urbe *Roma* ad *Senam* pergentes utuntur, post *Vulsinium* F nullum penitus vestigium appareat, neque silicum antiquitus stratarum, neque etiam vetustorum pontium super *Peliam*, *Umbronem*, & *Arbiam* fluvios (qui inter *Vulsinium* & *Senam* labuntur) extructorum. *Umbro* autem navigiorum capax existit.

Et tuto trepidas excipit ore rates.

Rutil Numatian. in Itiner. *Arbiam* denique, etiam æstivo tempore, vix ab equitibus quandoque trajici posse, omnes qui illac iter fecerunt, probe norunt. Ne autem quispiam, ut ego aliquando, fortasse suspicetur, quod illius *Itinerarii* au-

auctor, in ea parte qua vias *Etruriæ* describit, sit mancus & imperfectus, cum haud verisimile videatur, quod Auctor ille qui viam *Flaminiam* & *Aureliam* tam accurate descripsit, viam etiam *Cassiam*, quæ, ut ex *Cicerone* constat, inter has duas media erat, describere omiserit (qua fortasse ratione, appendix illa, de qua supra, ad eum librum facta extitit: nempe, ut locus, qui mancus & mutilus videbatur, restitueretur) Is sciat, quod ad hunc, de quo agitur, locum attinet, excusos libros cum scriptis, quorum unus satis antiquus in *Vaticana* bibliotheca extat, consentire. Imo, quod etiam me magis movet, *Bartholomæus Marlianus*, *Onuphrius Panvinius*, & alii, quotquot de antiquitatibus Urbis *Romæ* scripserunt, viam *Cassiam* designantes, illam per *Sutrium*, *Vetrallam* sive *Forum Cassii*, *Viterbium*que, & *Vulsinium* ducunt, ejusque viæ vestigia adhuc inter ipsa oppida extare tradunt: ut ex hoc certo conjicere liceat, viam *Cassiam* & *Clodiam* usque *Vulsinium*, unam & eandem fuisse: cum etiam *Clodia* in eodem *Itinerario* descripta, post *Baccanas Vulsinium* usque, cum hac ipsa *Cassia* omnino concordare reperiatur. Dixi autem, *Itinerarium* quod sub *Antonini* nomine circumfertur: quia, ut hoc etiam obiter admoneam, liber ille *Antonino Pio* Imperatori tribui nullo modo potest. Etenim cum in eo libro semel atque iterum de civitate *Constantinopolitana* mentio fiat, certe ex hoc solo perspicue apparet, ejus libri auctorem, quicunque tandem is fuerit, post *Constantinum* illum *Magnum*, a quo *Constantinopolis* nomen accepit, sicque post annum Salutis trecentesimum trigesimum septimum, floruisse, cum tamen secundum omnes *Antoninus Pius* Imperator anno centesimo sexagesimo tertio ejusdem Salutis, in fata concesserit.

Quod autem ad *libellum ætate Volaterrani ipso teste Lib.* IV. *Geographiæ* inventum, ac *Cæsarum leges agrariæ, & Coloniarum jura*, inscriptum attinet: certe verba illa ab ipso Volaterrano, *Lib.* v. ex jam dicto libello prolata, hoc est, *Colonia Saniensis*, in nullo trium exemplarium, quæ sola mihi videre licuit, leguntur. Eorum autem unum scriptum, in supradicta *Vaticana* sub hoc titulo, *Liber Augusti Cæsaris & Neronis*, conservatur: Alterum, sub titulo, *Coloniarum Pop. Romani descriptio*, sive *De limitibus. Parisiis Anno MDLIIII.* apud *Adrianum Turnebum*, cum libro *De agrorum conditionibus:* Tertium vero hic *Romæ circa annum Salutis MDLX.* sub nomine *Sex. Julii Frontini De Coloniis*, excusa circumferuntur. Cæterum, cum tria hæc exemplaria, omnia inter se dissentiant, & unum quodque eorum, aliquid plus vel minus quam reliqua contineat, id me dubitare cogit, ne exemplar illud, ubi *Volaterranus* ea verba legisse affirmat, temporum injuria perierit, quemadmodum etiam illud, de quo Politianus *Epist. Lib.* I. *epist.* I. meminit, hodie non extare, fide dignis testibus compertum habeo. Verba autem illa, quæ in exemplari *Romæ* impresso leguntur, videlicet, *Ager Urbis Saniensis, limitibus maritimis & montanis, lege triumvirali est assignatus, & loca hereditaria populus accepit*, nisi ego vehementer fallor mendum aliquod continent, & ex jam dicto exemplari *Paristis* impresso emendari debent, ut pro *Saniensis*, *Sentinensis* legatur. In eo etenim exemplari *Parisino* ita legitur: *Sentis oppidum, ager ejus limitibus maritimis & montanis, lege triumvirali est assignatus, & loca hereditaria populus ejus accepit. Finitur sicuti consuetudo est regionis Piceni.* Nam si quis hæc duo exemplaria inter se contulerit, is proculdubio, eam partem, quæ in fine exemplaris *Romani* legitur, ex *Parisino*, paucis tamen, ut fit, immutatis, descriptam esse deprehendet. Addo etiam quod licet vice illius verbi *Sentis* legendum esset *Senensis*, non tamen continuo, ex hoc solo, ut *Volaterranus* putat, efficeretur, ut *Sena* nostra, Colonia *Romanorum* dici posset. Neque enim omnes civitates, de quarum agris in jam dictis libellis fit mentio, Coloniarum numero censentur. Quod quidem vel hinc constare potest, quod in eisdem libellis, de plurium civitatum agris, mentio habita est, quæ tamen ex *Augusti* descriptione, a Plinio, *Lib.* III. *cap.* 5. qui multis annis ante eorum libellorum auctores scripsit, relata, non inter Colonias, sed inter populos sive oppida reponuntur, veluti (exempli gratia) sunt *Auximates*, *Cingulani*, *Firmani*, *Mattilicates*, *Nursini*, *Septempedani*, *Spoletini*, *Tollentinates*, *Veregnani*. Idque etiam alterius ex jam dictis libellis titulus, a *Volaterrano* relatus, aperte indicat, sic enim habet: *Cæsarum leges agrariæ, & Coloniarum jura.* Ex quibus verbis perspicue indicatur, quod in eo libello non solum de Coloniis, sed etiam de agris populorum seu oppidorum quæ Coloniæ non erant, agebatur. Et propterea ea pars, qua de agrariis legibus agitur, in exemplari *Vaticano* scripto, ante jura Coloniarum, legitur: licet in alio exemplari impresso, jura Coloniarum, legibus agrariis anteponantur. Quod autem (ut dixi) *Plinii* historia, per multos annos ante auctores eorum libellorum, scripta fuerit, ex eo potissimum perspici potest, quod auctor libelli *De coloniis*, de *Severo*, *Antonino*, & *Commodo* Imperatoribus meminit, & proinde eundem auctorem, post annum Salutis centesimum & nonagesimum quintum, quo anno, *Severus* post *Antoninum* & *Commodum*, ad Imperii fastigium evectus fuit, scripsisse necesse est. Quo fit, ut is liber *Sext. Julio Frontino*, (contra quam Politianus *Epist. lib.* I. *epist.* I. & alii viri doctissimi crediderint) nullo modo tribui possit. Cum etenim *Frontinus* (teste Cornelio Tacito *Lib.* XX. *ante medium*) anno V. C. octingentesimo vigesimo tertio, qui fuit annus Salutis septuagesimus secundus: Grucch. *de comit. Ro. lib.* I. præturam gesserit, quam per leges annales, non nisi quadragesimo anno petere licebat, certe si idem *Frontinus* etiam hunc libellum *De Coloniis*, post annum nonagesimum quintum scripsisset, fateri cogeremur, illum ad ætatem centum & sexaginta trium annorum pervenisse: quod verisimile prorsus non esse, omnes intelligunt.

Tabulæ denique illæ, quarum exemplum Aug. Patritius *De civit. Senen. Antiq.* in archiviis Ecclesiæ *Arretinæ* vidisse scribit, quasque etiam Volaterranus, *Lib.* v. *Geographiæ Patritium* secutus, commemorat, pluribus, & quidem (ni vehementer fallor) urgentibus rationibus, commentitiæ esse convincuntur. Quod, ut planum omnibus fiat, in primis verba eorum, ex pluribus inter se consentientibus exemplis, ad me delatis, fideliter descripta, subjiciam: postea vero (si potero) verum patefaciam. Earum igitur tabularum, non quidem marmorearum ut Leander Albertus *In descriptione Italiæ* existimavit, sed membranarum, verba hæc sunt. *In Christi nomine amen. Millesimo octuagesimo tertio anno, quo Roma condita est, à Nativitate Domini usque nunc, sunt anni trecenti prope & septuaginta, in secundo anno ordinationis Damasi Papæ, residentis in sede B. Petri Apostoli, mense Majo, medio* Pentecoste, in fine tertii lustri, anno tertio Imperii Valentiniani Augusti, baptizavit Donatus Episcopus Zenobium, Tribunum, filium Landerici, qui fuit* ex Senatu Romano, qui & ipsi ædificarunt castrum Senense, tempore Bruti Consulis. A die, quo ipse Tribunus recepit Christianitatem, non cessabat jejunare, & orare, & eleemosynas facere, & non recedebat a Donato Episcopo, quia instruebat eum monitis salutaribus, & mittebat Missos suos per omnes Curtes suas, & faciebat construere ecclesias. Primam Ecclesiam fecit construi ad honorem Dei Genitricis juxta Castrum Senense &c.* Quod igitur hæ tabulæ, sint, ut dixi, commentitiæ, primum hinc ap-

apparere arbitror, quod ex *Adonis Treverensis* Archiepiscopi martyrologio, ab omnibus viris catholicis approbato, constat, *Donatum* ipsum sub *Juliano* Imperatore, cognomento *Apostata*, martyrii palmam recepisse, & proinde ad tempora *Damasi* Papæ, & *Valentiniani* Imperatoris, pervenire non potuisse. Deinde hoc idem ostenditur ex eo, quod illarum tabularum initium, nullam de ejus anni Consulibus mentionem continet: cum tamen, juxta morem illorum temporum, non solum in privatis, sed etiam in publicis tabulis, atque adeo in Imperatorum constitutionibus, & sacrorum Conciliorum actis, fere semper de Consulibus, sub quibus illa data seu gesta forent, specialis mentio habeᴛur. Quibus accedit, manifestus error, qui in numero annorum ab Urbe condita, in eisdem tabulis deprehenditur: cum dubio procul, anno Salutis trecentesimo septuagesimo, annus ab V. C. fuerit millesimus centesimus vigesimus tertius, non autem millesimus octuagesimus tertius, & consequenter in his ipsis tabulis in quadraginta annorum computatione erratum fuit. Ut omittam, quod in publicis tabulis, neque unquam de lustro, & ejus annorum numero, neque etiam eo tempore, de annis Pontificatus mentio fieri consuevit: quin imo Pontifices ipsi in eorum epistolis, quo anno Imperii, illæ datæ seu scriptæ fuissent, ut plurimum subnotare solebant. Taceo etiam quod harum tabularum autographum sive, ut nostri dicunt, originale, nemo unquam se vidisse asseruit, earum autem exempla, quæ antiquissima esse dicuntur, ut ex multis oculatis testibus accepi, non quidem majusculis sed minusculis literis scriptæ visuntur: cum tamen apud omnes constet, quod eo anno trecentesimo septuagesimo (quo tempore *Roma* nondum a *Gothis* capta fuerat,) *Romani*, & eorum finitimi, nullo alio charactere, quam, ut ita dicam, majusculo utebantur. Illud etiam prætereo, quod in eisdem tabulis fit mentio de comitatu *Senarum*. Apud antiquos autem auctores, quod quidem ego viderim, atque adeo in publicis ipsius civitatis signis, quibus & tabulæ obsignari, & nummi percuti solent, *Sena* semper numero singulari legitur, plurali nunquam: nemoque non videt, quam ineptum sit, ut eadem civitas, modo *castrum Senense*, modo autem *Senæ* nominetur Postremo, compertissimum habeo, quod sub eadem die, qua tabulæ istæ confectæ, vel potius confictæ fuerunt, etiam aliæ quædam, in quibus *Landericus* præfatus, sylvam quandam nescio cui fratri *Blasio*, pro dote certæ Ecclesiæ in honorem *B. Antonii* construendæ, dicitur elargitus, confectæ dicuntur, & harum tabularum tria exempla, & omnia (ut vulgo creditur) autographa, etiam hodie extant. Unum quidem, & item alterum, in duobus *Augustinianorum* agri *Senensis* cœnobiis, *Iliceti* scilicet & *Montis Ilicini*, tertium vero, in ipsius Civitatis *Senensis* Tabulario, paucis ab hinc annis erecto. Quinimo (quod etiam magis suspicionem auget) utrumque cœnobium, se adhuc Ecclesiam illam in honorem *B. Antonii* ab fratre illo *Blasio* ædificatam, cum dote ejusdem Ecclesiæ, possidere affirmat: cum tamen verum, plus uno esse non posse.

Nunc igitur, quia historiæ legibus servatis, quæ falsa videbantur, refutavimus: modo ad ea, quæ vera sunt, accingimur. Nonnullam etenim partem veritatis sibi occupat falsitatis refutatio, quæ non gratia aut simultate, sed ipsiusmet veritatis studio, literis proditur.

Senæ nostræ, ejusque regionis, & hominum, ut idem *Augustinus Patritius* scribit, apud antiquos, rara mentio reperitur, non loci novitate, sed quia Urbis *Romæ* splendor, & amplitudo effecit, ut illi propinquæ & vicinæ civitates, nullum, aut parvum nomen haberent, nisi quatenus apud eas, aliquid
A memoria dignum, geri contigisset. Quid autem clari, *Etruriæ* Urbes sub *Romano* Imperio quiescentes, agere poterant procul ab omni hostili tumultu, agriculturæ, aut tenuibus mercaturis tantum intentæ? Quippe, ut splendente Sole, reliquorum siderum fulgor obsolescit, & propinquiorum maxime: ita etiam *Romano* imperitante nomine, aliarum civitatum vicinarum nulla erat mentio. Quidquid excelsi; quidquid clari in toto terrarum orbe erat, una Urbs *Roma*, omnia ad se trahebat. Etenim quemadmodum Ant. Massa Gallesius *De orig. & reb. gest. Faliscorum* eleganter scriptum reliquit,
B ex finitimis regionibus, postquam in *Romanorum* potestatem venerunt, quotquot erant, vel in dies crescebant, historiis forsan celebrandi, vel ingenio, aut manibus promptiores, vel opibus affluentiores, in *Romanam* civitatem & militiam migrabant. Idque etiam nostra & patrum memoria; *Roma* etiam ipsa, ab antiqua illa longissimo, peneque incomparabili intervallo, declinata, hoc ipsum tamen sæpissime accidisse videmus & audimus. Non igitur mirum, si quemadmodum de *Sena* illiusque agro & hominibus, antequam *Romano* Imperio subjicerentur, ob antiquitatem & librorum amissionem, ita etiam postquam *Romano* Imperio, ut aliæ gentes,
C colla submiserunt, & in civitatem ac militiam *Romanam* transiverunt, rara admodum mentio facta sit. Quamquam non negaverim, civitatem *Senensem* illiusque agrum, antiquitus, adeo late patentes ut nunc sunt, minime extitisse. Sed (ut sunt res mortalium) ex parvis initiis, *Senensium* consilio & armis, ad eam amplitudinem pervenisse, ut omnia fere ad bene beateque vivendum necessaria, non modo sibi ipsis subministrare, sed etiam vicinis aliqua elargiri non incommode possint.

Hanc autem, de qua loquimur, civitatem, jam inde ab anno conditæ Urbis quingentesimo quadragesimo tertio alicujus nominis fuisse, ex *Livii* verba
D bis obscure colligitur. Cum enim inter alios *Italicarum* Coloniarum populos, quos idem Livius *Lib.* XXVII. ad Senatum venisse ait, etiam populum *Senensem* a mari supero profectum commemoret, certe alium populum *Senensem* ad mare inferum fuisse, non dubitanter significare videtur. Alioquin enim, nisi duo ejusdem nominis populi in *Italia* extitissent, satis fuisset populum *Senensem* simpliciter & absque alia adjectione nominare: quemadmodum etiam de *Ostiensi* & aliis, eodem loco ab ipso *Livio* memoratis, factum cernimus. Hoc idem etiam Eutropium *Lib.* III. fecisse videmus, quippe qui de *Sena* men-
E tionem faciens, & de *Sena Piceni*, non autem de *Sena Etruriæ* sentiens, vitandæ ambiguitatis gratia, diserte & explicite se ipsum in hunc modum declaravit, *Apud Senam Piceni civitatem*.

Quod, ut planius fiat, sciendum est, Italiæ partem eam, quæ ab *Alpibus* proficiscenti, ad sinistram restat, olim ab *Etruscis* sive *Tyrrhenis* dominatam, & illis pulsis, a diversis *Gallorum* nationibus, quorum *Senones* postremi fuerunt, occupatam fuisse, *Senonesque* ipsos juxta mare *Adriaticum* incoluisse. Idque *Polybius* ipse, *Lib.* II. Livius *Lib.* V. Strabo *Lib.* V. ac etiam Dio Cassius *Lib.* XLVI. *circa finem*
F *& Lib.* XLVIII. præcipue tradunt. Addit *Polybius*, *P. Cornelio Dolabella*, & *Gn. Domitio Calvino* Consulibus hoc est, anno V. C. quadragentesimo septuagesimo, *Romanos*, *Senonibus* superatis, sedibusque fugatis, regione potitos, novam in Urbem *Senonum* Coloniam deduxisse, illamque veteri nomine, quod primo a *Senonibus* habitata fuerat, *Senam* appellasse. Hæc eadem pars *Italiæ*, ad sinistram, ut dixi consistens, etiam post *Gallos* ex ea pulsos, usque ad *Ciceronis*, *Augusti*, *Strabonis*, *Melæ* & *Plinii* ætatem, nomen tamen *Galliæ* retinuit. Cæterum ad differentiam alterius *Galliæ*, quæ *Transalpina* & *Comata*

auctor, in ea parte qua vias *Etruriæ* describit, sit mancus & imperfectus, cum haud verisimile videatur, quod Auctor ille qui viam *Flaminiam* & *Aureliam* tam accurate descripsit, viam etiam *Cassiam*, quæ, ut ex *Cicerone* constat, inter has duas media erat, describere omiserit (qua fortasse ratione, appendix illa, de qua supra, ad eum librum facta extitit: nempe, ut locus, qui mancus & mutilus videbatur, restitueretur) Is sciat, quod ad hunc, de quo agitur, locum attinet, excusos libros cum scriptis, quorum unus satis antiquus in *Vaticana* bibliotheca extat, consentire. Imo, quod etiam me magis movet, *Bartholomæus Marlianus*, *Onuphrius Panvinius*, & alii, quotquot de antiquitatibus Urbis *Romæ* scripserunt, viam *Cassiam* designantes, illam per *Sutrium*, *Vetrallam* sive *Forum Cassii*, *Viterbium*que, & *Vulsinium* ducunt, ejusque viæ vestigia adhuc inter ipsa oppida extare tradunt: ut ex hoc certo conjicere liceat, viam *Cassiam* & *Clodiam* usque *Vulsinium*, unam & eandem fuisse: cum etiam *Clodia* in eodem *Itinerario* descripta, post *Baccanas Vulsinium* usque, cum hac ipsa *Cassia* omnino concordare reperiatur. Dixi autem, *Itinerarium* quod sub *Antonini* nomine circumfertur: quia, ut hoc etiam obiter admoneam, liber ille *Antonino Pio* Imperatori tribui nullo modo potest. Etenim cum in eo libro semel atque iterum de civitate *Constantinopolitana* mentio fiat, certe ex hoc solo perspicue apparet, ejus libri auctorem, quicunque tandem is fuerit, post *Constantinum* illum *Magnum*, a quo *Constantinopolis* nomen accepit, sicque post annum Salutis trecentesimum trigesimum septimum, floruisse, cum tamen secundum omnes *Antoninus Pius* Imperator anno centesimo sexagesimo tertio ejusdem Salutis, in fata concesserit.

Quod autem ad *libellum ætate Volaterrani ipso teste Lib.* IV. *Geographiæ* inventum, ac *Cæsarum leges agrariæ*, & *Coloniarum jura*, inscriptum attinet: certe verba illa ab ipso Volaterrano, *Lib.* v. ex jam dicto libello prolata, hoc est, *Colonia Saniensis*, in nullo trium exemplarium, quæ sola mihi videre licuit, leguntur. Eorum autem unum scriptum, in supradicta *Vaticana* sub hoc titulo, *Liber Augusti Cæsaris & Neronis*, conservatur: Alterum, sub titulo, *Coloniarum Pop. Romani descriptio*, sive *De limitibus. Parisiis Anno MDLIIII.* apud *Adrianum Turnebum*, cum libro *De agrorum conditionibus:* Tertium vero hic *Romæ circa annum Salutis MDLX.* sub nomine *Sex. Julii Frontini De Coloniis*, excusa circumferuntur. Cæterum, cum tria hæc exemplaria, omnia inter se dissentiant, & unum quodque eorum, aliquid plus vel minus quam reliqua contineat, id me dubitare cogit, ne exemplar illud, ubi *Volaterranus* ea verba legisse affirmat, temporum injuria perierit, quemadmodum etiam illud, de quo Politianus *Epist. Lib.* I. *epist.* I. meminit, hodie non extare, fide dignis testibus compertum habeo. Verba autem illa, quæ in exemplari *Romæ* impresso leguntur, videlicet, *Ager Urbis Saniensis, limitibus maritimis & montanis, lege triumvirali est assignatus, & loca hereditaria populus accepit*, nisi ego vehementer fallor mendum aliquod continent, & ex jam dicto exemplari *Parisiis* impresso emendari debent, ut pro *Saniensis*, *Sentinensis* legatur. In eo etenim exemplari *Parisino* ita legitur: *Sentis oppidum, ager ejus limitibus maritimis & montanis, lege triumvirali est assignatus, & loca hereditaria populus ejus accepit. Finitur sicuti consuetudo est regionis Piceni.* Nam si quis hæc duo exemplaria inter se contulerit, is proculdubio, eam partem, quæ in fine exemplaris *Romani* legitur, ex *Parisino*, paucis tamen, ut fit, immutatis, descriptam esse deprehendet. Addo etiam quod licet vice illius verbi *Sentis* legendum esset *Senensis*, non tamen continuo, ex hoc solo, ut *Volaterranus* putat,

A efficeretur, ut *Sena* nostra, Colonia *Romanorum* dici posset. Neque enim omnes civitates, de quarum agris in jam dictis libellis fit mentio, Coloniarum numero censentur. Quod quidem vel hinc constare potest, quod in eisdem libellis, de plurium civitatum agris, mentio habita est, quæ tamen ex *Augusti* descriptione, a Plinio, *Lib.* III. *cap.* 5. qui multis annis ante eorum libellorum auctores scripsit, relata, non inter Colonias, sed inter populos sive oppida reponuntur, veluti (exempli gratia) sunt *Auximates*, *Cingulani*, *Firmani*, *Mattilicates*, *Nursini*, *Septempedani*, *Spoletini*, *Tollentinates*, *Vergani*.

B Idque etiam alterius ex jam dictis libellis titulus, a *Volaterrano* relatus, aperte indicat, sic enim habet: *Cæsarum leges agrariæ, & Coloniarum jura.* Ex quibus verbis perspicue indicatur, quod in eo libello non solum de Coloniis, sed etiam de agris populorum seu oppidorum quæ Coloniæ non erant, agebatur. Et propterea ea pars, qua de agrariis legibus agitur, in exemplari *Vaticano* scripto, ante jura Coloniarum, legitur: licet in alio exemplari impresso, jura Coloniarum, legibus agrariis anteponantur. Quod autem (ut dixi) *Plinii* historia, per multos annos ante auctores eorum libellorum, scripta fuerit, ex eo potissimum perspici potest, quod auctor libelli

C *De coloniis*, de *Severo*, *Antonino*, & *Commodo* Imperatoribus meminit, & proinde eundem auctorem, post annum Salutis centesimum & nonagesimum quintum, quo anno, *Severus* post *Antoninum* & *Commodum*, ad Imperii fastigium evectus fuit, scripsisse necesse est. Quo fit, ut is liber *Sext. Julio Frontino*, (contra quam Politianus *Epist. lib.* I. *epist.* I. & alii viri doctissimi crediderint) nullo modo tribui possit. Cum etenim *Frontinus* (teste Cornelio Tacito *Lib.* XX. *ante medium*) anno V. C. octingentesimo vigesimo tertio, qui fuit annus Salutis septuagesimus secundus: Grucch. *de comit. Ro. lib.* I. præturam gesserit, quam per leges annales, non nisi quadra-

D gesimo anno petere licebat, certe si idem *Frontinus* etiam hunc libellum *De Coloniis*, post annum nonagesimum quintum scripsisset, fateri cogeremur, illum ad ætatem centum & sexaginta trium annorum pervenisse: quod verisimile prorsus non esse, omnes intelligunt.

Tabulæ denique illæ, quarum exemplum Aug. Patritius *De civit. Senen. Antiq.* in archiviis Ecclesiæ *Arretinæ* vidisse scribit, quasque etiam Volaterranus, *Lib.* v. *Geographiæ Patritium* secutus, commemorat, pluribus, & quidem (ni vehementer fallor) urgentibus rationibus, commentitiæ esse convincuntur. Quod, ut planum omnibus fiat, in

E primis verba eorum, ex pluribus inter se consentientibus exemplis, ad me delatis, fideliter descripta, subjiciam: postea vero (si potero) verum patefaciam. Earum igitur tabularum, non quidem marmorearum ut Leander Albertus *In descriptione Italiæ* existimavit, sed membranarum, verba hæc sunt. *In Christi nomine amen. Millesimo octuagesimo tertio anno, quo Roma condita est, à Nativitate Domini usque nunc sunt anni trecenti prope & septuaginta, in secundo anno ordinationis Damasi Papæ, residentis in sede B. Petri Apostoli, mense Majo, medio* * *Pentecoste, in fine tertii lustri, anno tertio Imperii Valentiniani Augusti,*

F *baptizavit Donatus Episcopus Zenobium, Tribunum, filium Landerici, qui fuit* * *ex Senatu Romano, qui & ipsi ædificarunt castrum Senense, tempore Bruti Consulis. A die, quo ipse Tribunus recepit Christianitatem, non cessabat jejunare, & orare, & eleemosynas facere, & non recedebat a Donato Episcopo, quia instruebat eum monitis salutaribus, & mittebat Missos suos per omnes Curtes suas, & faciebat construere ecclesias. Primam Ecclesiam fecit construi ad honorem Dei Genitricis juxta Castrum Senense &c.* Quod igitur hæ tabulæ, sint, ut dixi, commentitiæ, primum hinc ap-

apparere arbitror, quod ex *Adonis Treverensis* Archiepiscopi martyrologio, ab omnibus viris catholicis approbato, constat, *Donatum* ipsum sub *Juliano* Imperatore, cognomento *Apostata*, martyrii palmam recepisse, & proinde ad tempora *Damasi* Papæ, & *Valentiniani* Imperatoris, pervenire non potuisse. Deinde hoc idem ostenditur ex eo, quod illarum tabularum initium, nullam de ejus anni Consulibus mentionem continet: cum tamen, juxta morem illorum temporum, non solum in privatis, sed etiam in publicis tabulis, atque adeo in Imperatorum constitutionibus, & sacrorum Conciliorum actis, fere semper de Consulibus, sub quibus illa data seu gesta forent, specialis mentio haberetur. Quibus accedit, manifestus error, qui in numero annorum ab Urbe condita, in eisdem tabulis deprehenditur: cum dubio procul, anno Salutis trecentesimo septuagesimo, annus ab V. C. fuerit millesimus centesimus vigesimus tertius, non autem millesimus octuagesimus tertius, & consequenter in his ipsis tabulis in quadraginta annorum computatione erratum fuit. Ut omittam, quod in publicis tabulis, neque unquam de lustro, & ejus annorum numero, neque etiam eo tempore, de annis Pontificatus mentio fieri consuevit: quin imo Pontifices ipsi in eorum epistolis, quo anno Imperii, illæ datæ seu scriptæ fuissent, ut plurimum subnotare solebant. Taceo etiam quod harum tabularum autographum sive, ut nostri dicunt, originale, nemo unquam se vidisse asseruit, earum autem exempla, quæ antiquissima esse dicuntur, ut ex multis oculatis testibus accepi, non quidem majusculis sed minusculis literis scriptæ visuntur: cum tamen apud omnes constet, quod eo anno trecentesimo septuagesimo (quo tempore *Roma* nondum a *Gothis* capta fuerat,) *Romani*, & eorum finitimi, nullo alio charactere, quam, ut ita dicam, majusculo utebantur. Illud etiam prætereo, quod in eisdem tabulis fit mentio de comitatu *Senarum*. Apud antiquos autem auctores, quod quidem ego viderim, atque adeo in publicis ipsius civitatis signis, quibus & tabulæ obsignari, & nummi percuti solent, *Sena* semper numero singulari legitur, plurali nunquam: nemoque non videt, quam ineptum sit, ut eadem civitas, modo *castrum Senense*, modo autem *Senæ* nominetur. Postremo, compertissimum habeo, quod sub eadem die, qua tabulæ istæ confectæ, vel potius confictæ fuerunt, etiam aliæ quædam, in quibus *Lambericus* præfatus, sylvam quandam nescio cui fratri *Blasio*, pro dote certæ Ecclesiæ in honorem *B. Antonii* construendæ, dicitur elargitus, confectæ dicuntur, & harum tabularum tria exempla, & omnia (ut vulgo creditur) autographa, etiam hodie extant. Unum quidem, & item alterum, in duobus *Augustinianorum* agri *Senensis* cœnobiis, *Iliceti* scilicet & *Montis Ilicini*, tertium vero, in ipsius Civitatis *Senensis* Tabulario, paucis ab hinc annis erecto. Quinimo (quod etiam magis suspicionem auget) utrumque cœnobium, se adhuc Ecclesiam illam in honorem *B. Antonii* ab fratre illo *Blasio* ædificatam, cum dote ejusdem Ecclesiæ, possidere affirmat: cum tamen verum, plus uno esse non posse.

Nunc igitur, quia historiæ legibus servatis, quæ falsa videbantur, refutavimus: modo ad ea, quæ vera sunt, accingimur. Nonnullam etenim partem veritatis sibi occupat falsitatis refutatio, quæ non gratia aut simultate, sed ipsiusmet veritatis studio, literis proditur.

Senæ nostræ, ejusque regionis, & hominum, ut idem *Augustinus Patritius* scribit, apud antiquos, rara mentio reperitur, non loci novitate, sed quia Urbis *Romæ* splendor, & amplitudo effecit, ut illi propinquæ & vicinæ civitates, nullum, aut parvum nomen haberent, nisi quatenus apud eas, aliquid

A memoria dignum, geri contigisset. Quid autem clari, *Etruriæ* Urbes sub *Romano* Imperio quiescentes, agere poterant procul ab omni hostili tumultu, agriculturæ, aut tenuibus mercaturis tantum intentæ? Quippe, ut splendente Sole, reliquorum siderum fulgor obsolescit, & propinquiorum maxime: ita etiam *Romano* imperitante nomine, aliarum civitatum vicinarum nulla erat mentio. Quidquid excelsi; quidquid clari in toto terrarum orbe erat, una Urbs *Roma*, omnia ad se trahebat. Etenim quemadmodum Ant. Massa Gallesius *De orig. & reb. gest. Faliscorum* eleganter scriptum reliquit,
B ex finitimis regionibus, postquam in *Romanorum* potestatem venerunt, quotquot erant, vel in dies crescebant, historiis forsan celebrandi, vel ingenio, aut manibus promptiores, vel opibus affluentiores, in *Romanam* civitatem & militiam migrabant. Idque etiam nostra & patrum memoria; *Roma* etiam ipsa, ab antiqua illa longissimo, peneque incomparabili intervallo, declinata, hoc ipsum tamen sæpissime accidisse videmus & audimus. Non igitur mirum, si quemadmodum de *Sena* illiusque agro & hominibus, antequam *Romano* Imperio subjicerentur, ob antiquitatem & librorum amissionem, ita etiam postquam *Romano* Imperio, ut aliæ gentes,
C colla submiserunt, & in civitatem ac militiam *Romanam* transiverunt, rara admodum mentio facta sit. Quamquam non negaverim, civitatem *Senensem* illiusque agrum, antiquitus, adeo late patentes ut nunc sunt, minime extitisse. Sed (ut sunt res mortalium) ex parvis initiis, *Senensium* consilio & armis, ad eam amplitudinem pervenisse, ut omnia fere ad bene beateque vivendum necessaria, non modo sibi ipsis subministrare, sed etiam vicinis aliqua elargiri non incommode possint.

Hanc autem, de qua loquimur, civitatem, jam inde ab anno conditæ Urbis quingentesimo quadragesimo tertio alicujus nominis fuisse, ex *Livii* verbis obscure colligitur. Cum enim inter alios *Itali-*
D *carum* Coloniarum populos, quos idem Livius *Lib.* XXVII. ad Senatum venisse ait, etiam populum *Senensem* a mari supero profectum commemoret, certe alium populum *Senensem* ad mare inferum fuisse, non dubitanter significare videtur. Alioquin enim, nisi duo ejusdem nominis populi in *Italia* extitissent, satis fuisset populum *Senensem* simpliciter & absque alia adjectione nominare: quemadmodum etiam de *Ostiensi* & aliis, eodem loco ab ipso *Livio* memoratis, factum cernimus. Hoc idem etiam Eutropium *Lib.* III. fecisse videmus, quippe qui de *Sena* men-
E tionem faciens, & de *Sena Piceni*, non autem de *Sena Etruriæ* sentiens, vitandæ ambiguitatis gratia, diserte & explicite se ipsum in hunc modum declaravit, *Apud Senam Piceni civitatem.*

Quod, ut planius fiat, sciendum est, Italiæ partem eam, quæ ab *Alpibus* proficiscenti, ad sinistram restat, olim ab *Etruscis* sive *Tyrrhenis* dominatam, & illis pulsis, a diversis *Gallorum* nationibus, quorum *Senones* postremi fuerunt, occupatam fuisse, *Senonesque* ipsos juxta mare *Adriaticum* incoluisse. Idque *Polybius* ipse, *Lib.* II. Livius *Lib.* V. Strabo *Lib.* V. ac etiam Dio Cassius *Lib.* XLVI. *circa finem*
F *& Lib.* XLVIII. præcipue tradunt. Addit *Polybius*, *P. Cornelio Dolabella*, & *Gn. Domitio Calvino* Consulibus hoc est, anno V. C. quadragentesimo septuagesimo, *Romanos*, *Senonibus* superatis, sedibusque fugatis, regione potitos, novam in Urbem *Senonum* Coloniam deduxisse, illamque veteri nomine, quod primo a *Senonibus* habitata fuerat, *Senam* appellasse. Hæc eadem pars *Italiæ*, ad sinistram, ut dixi consistens, etiam post *Gallos* ex ea pulsos, usque ad *Ciceronis*, *Augusti*, *Strabonis*, *Melæ* & *Plinii* ætatem, nomen tamen *Galliæ* retinuit. Cæterum ad differentiam alterius *Galliæ*, quæ *Transalpina* & *Comata*

mata dicebatur, *Cisalpinæ* & *Togatæ* cognomen habuit. Ejus autem fines, pro arbitrio Imperatorum sive Magistratuum, alii atque alii fuere. Nam, ut *Strabo* scribit, primum *Æsis*, deinde *Rubico* fluvii: At secundum *Melam*, *Ancona*: & secundum *Livium*, *Utens*, (sic enim, non *Ufens*, *hodie Chienti* legendum est) fluvii, inter *Gallicas* & *Italicas* gentes termini fuere. *Augustus* vero, *Plinio* teste, *Lib.* III. *cap.* 5 universam *Italiam* in regiones undecim divisit, inter quas *Etruriam* & *Picenum* connumeravit, & in unaquaque provincia, omnium oppidorum seu urbium, quæ idem *Augustus* in numero Coloniarum esse voluit, præcipuam & specialem mentionem fecit. Inter mediterraneas autem septimæ provinciæ, in qua *Etruria* est, Colonias, etiam *Senensem* seu *Seniensem* posuit. In provincia autem *Piceni*, quam sextam fecit, & in Coloniis intus existentibus *Hispellum* dumtaxat & *Tuder* enumeravit. Inter oppida vero sive populos ejusdem sextæ regionis, quæ in ora sunt, *Æsim* & *Senogalliam* collocavit. Cæterum, cum (ut dixi) regio illa, in qua *Sena Piceni* sita est, ante ipsum *Augustum*, *Galliæ*, non autem *Piceni* nomen obtineret, in *Senam* autem *Etruriæ* ab eodem *Augusto* Colonia deducta fuisset, hinc, ut verisimilimum est, quo altera civitas ab altera discerni posset, usus obtinuit, illam quidem *Senam Gallicam*, ex eo quod in provincia *Gallica* consistebat, hanc autem simpliciter & absque alia adjectione *Senam*, vel Coloniam *Senensem* nominari. Et deinde ut assolet, corrupto vocabulo, pro *Sena Gallica*, *Sene* vel *Senogallia* dici cœpit. Cujus rei maximum argumentum esse videtur, quod *Strabo*, qui sub *Augusto*, itemque *Plinius*, & *Ptolemæus*, ac etiam auctor illius *Itinerarii Antonino Imperatori adscripti*, qui post *Augustum* de Urbibus ipsis, illarumque situ & regionibus principaliter & ex professo, non autem obiter aut aliud agentes, scripserunt, nunquam *Senam* illam *Piceni*, simpliciter *Senam*, sed cum adjectione illa, *Galliæ*, semper nominarunt. Ex quibus omnibus luce clarius apparet, quod *Augustus Senam* quidem nostram, in numero Coloniarum Populi *Romani* descripsit: *Senam* autem *Piceni* inter oppida seu Urbes quæ Coloniarum numero non erant, numeravit. Cumque quo tempore, aut a quibus, *Senensis* hæc Colonia deducta fuerit, nullibi legatur: Hinc propterea fit, ut quasi necessario fateri cogamur, illam ab ipsomet *Augusto*, una cum aliis viginti septem de quibus *Suetonius* meminit, deductam fuisse. *Ad hunc modum* (inquit) *Urbe urbanisque rebus administratis, Italiam duodetriginta Coloniarum numero, deductarum ab se, frequentavit, operibusque ac vectigalibus plurifariam instruxit, etiam jure ac dignatione, Urbi, quodam modo pro parte adæquavit: excogitato genere suffragiorum, quæ de Magistratibus urbicis, Decuriones Colonici, in sua quique Colonia ferrent, & sub diem Comitiorum obsignata, Romam mitterent.* Quod autem hæc, de qua loquimur *Sena*, *Romanorum* Colonia fuerit, præter supra & infra scripta testimonia, haud scio, an ullum certius indicium adduci possit, quam *Lupæ* illius, *Romulum* & *Remum* lactantis, tot signa, in omnibus *Senæ* nostræ celebrioribus locis *teste Pio* II. *in in comment. manuscript.* marmore & alio lapide, manu præstantissimorum artificum sculpta, & supra columnas posita, ac etiam in aureis argenteisque nummis, in ea ipsa Civitate, antiquissimo tempore percussis, impressa. Quemadmodum etiam hoc idem signum in antiquissimis aliarum Coloniarum numismatibus expressum videmus. Numisma etenim æreum *Antonini Eliogabali*, (cujus versa pars sic habet. *Col. Aug. Tro. Alex.* hoc est, *Colonia Augusta Troas Alexandrina*) idem Lupæ signum sculptum continet, ut Sebastianus Erizzus *in suo libro Numismatum pag.* 289. attestatur, simulque declarat.

De eadem Colonia *Senensi*, meminit etiam *Cornelius Tacitus* his verbis: *Reconciliavit paulisper studia Patrum, habita in Senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patricius, ordinis senatorii, pulsatum se in colonia Senensi, cœtu multitudinis, & jussu Magistratuum, querebatur: nec finem injuriæ hic stetisse, planctum & lamenta, supremorum imagine, præsenti sibi circundata, cum contumeliis & probris, quæ in Senatum universum jacerentur. Vocati qui arguebantur, & cognita causa in convictos vindicatum. Additumque S. C. quo Senensium plebs modestiæ admoneretur.* Quod autem *Tacitus* ait. *jussu Magistratuum*, ut Alciatus *in Annotat. ad Tacitum.* adnotavit, ad Duumviros, qui in Coloniis vicem Consulum obtinebant, & proprie Magistratus appellabantur, referendum existimo. Quæ interpretatio ex verbo *plebs*, quo paulo post idem *Tacitus* utitur, confirmari videtur. Hæc enim nomina, *Decuriones* & *plebem*, veteres de Coloniis loquentes, libenter usurpabant, ut ex antiquis lapidibus unicuique planum fieri potest.

C. Valio. Polycarpo. Ornamenta. Decurionatus. inlustratus, a. splendidissimo. Ordine Arimin. Patron. Vil. vicorum. Item collegior. Fabr. Cent. Dendr. Colon. Arim. Aldus Manutius. *in Orthogr. pag.* 659.

Item Ornamenta. Decurionatus. inlustratus. a. splendidissimo. Ordine. Pisaurens. Patrono. Collegiorum. Fabr. Cent. Dendr. Navic. & Vicimag. Colon. Pisaur. Plebs. Pisaur. ob. merita. dedicat sportulas. Decur. * *V. Itemq. Collegiis.* * *Plebs.* *. *I dedit. L. D. D. D. P.*

C. Romæ in domo Cæsia. *Sallio Aristæneto C. V. septemviro. Epulonum. sodali. Augustali. Juridico. per Picenum. & Apuliam. Curatori. Viarum Aureliæ. Corneliæ. Triumphalis. Prætori. Tutelario. & eodem. anno. ad. Ædilitatem. promoto. X. viro Stilibus. judicandis. Oratori. Maximo. Decuriones. & plebs. Coloniæ Asculanorum. propter. humanitatem abstinentiam.*

C. Salio & cætera ut supra, *Decuriones*, & *plebs. Coloniæ. Anconitanorum. propter humanitatem.* & cætera.

Quæ quidem verba, ut nonnulli falso existimant, de *Sena Piceni* minime intelligi possunt. Primum, quia, ut ex supradictis plane constat, tempore *Taciti*, ea civitas, non jam amplius simpliciter *Sena* sed cum adjectione illa, *Gallicæ* seu *Galliæ*, appellabatur. Deinde, quia secundum *Augusti* descriptionem, *Senogallia* in numero Coloniarum esse desierat: *Sena* autem nostra (ut ex eisdem suprascriptis perspicue apparet) ab ipso *Augusto* inter Colonias posita fuerat.

Ptolemæus vero *Lib.* III. *cap.* 6. non solum in *Latinis* & *Italicis*, ac typis excusis, sed etiam in *Græcis*, iisdemque antiquissimis & scriptis codicibus, quorum duo in *Vaticana* extant, *Senam* inter mediterraneas *Etruriæ* civitates, *Senam* vero *Gallicam* (sic enim eam appellat) inter alias civitates *Senonum* prope *Anconam* & *Fanum* recenset, illamque, ut dixi, ad differentiam nostræ per η, non per αι, scribit, quemadmodum etiam nomina hæc, *Sænia*, & *Sænius*, per æ, in antiquis lapidibus sculpta observavi, quorum unum ab Honuphrio Panvinio *In civit. Ro. pag.* 362. refertur, *Sæniæ Cn. Fil. Balbilla.* Alterum vero a me exscriptum, & nondum, quod sciam, editum, sic habet *M. Sænius Donatus.*

Nec verba Pomponii Melæ *Lib.* II. nos perturbent, idem *Italiam* describens, *Senogalliam*, non quidem oppidum sive Urbem, sed potius tractum seu regionem esse innuit. Sic enim scribit, *Interiora ejus* (hoc est *Italiæ*) *aliæ aliæque gentes, sinistram partem Carni & Veneti colunt, Togatam Galliam, tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Salentini. Ad dexteram &c.* Et paulo post. *A Pado ad Anconam, transitur Ravenna, Ariminum, Pisaurum, Fanestris colonia, flumen Metaurus atque Æsis, & illa in angusto illorum duorum promontoriorum,*

rum, ex diverso convenientium inflexi cubiti imagine sedens, & ideo a Grajis dicta Ancon, inter Gallicas Italicasque gentes, quasi terminus interest. Hanc enim prægressos, Piceni littora excipiunt, in quibus Numana, Potentia, Claterna, Cupra, Urbes. Castella autem, Firmum, Adria, Truentum, id ei fluvio qui præterit, nomen est. Ab eo, Senogallia maritima, Aterni fluminis ostia. Urbes, Bucara, & Histonium. Dauni autem &c. Ex quibus verbis duo perspicue colligi videntur. Primum, quod *Melæ* ætate, inter *Æsim* & *Anconam*, *Senogalliæ* Urbs minime extaret, cum hoc loco *Mela* illam silentio prætereat. Alterum vero, quod *Senogallia*, regionis sive tractus, non autem oppidi nomen esset, atque inter *Truentum* & *Aternum* flumina consisteret. Quorum utrumque, his quæ supra diximus, repugnat. Sed scire oportet, quod in duobus antiquis *Vaticanis* exemplaribus, uno quidem scripto, altero autem *anno Salutis* 1471. *Mediolani* impresso, pro *Senogallia*, legitur *Frenta villa*. Quæ quidem lectio optimis, ni fallor, rationibus confirmatur. Primum, quia cum *Bucaram* sive *Bucam* & *Histonium*, flumenque *Aternum*, in Frentanis esse, Plinius *Lib.* II. *cap.* 2. *Ptolemæus*, & *Strabo* apertissime testentur. alterum ex duobus sequi necesse est, vel ut pro *Senogallia*, reponatur *Frenta Villa*, ut in *Vaticanis* exemplaribus legitur, vel quod Mela *Lib.* III. *tab. Europ.* 6. de Frentanis, ab eo in *Picentum* & *Daunorum* medio positis, dicere oblitus fuerit, ac *Buca* & *Histonium* Urbes, ad *Picenum* pertineant: quod quidem omnium bonorum auctorum scriptis, manifeste repugnat. Hæc autem lectio, quam dixi, non modicum confirmatur ex eo, quod hodie regio hæc *Frentana*, vestigia quædam prisci nominis adhuc retinens, *Franca villa* vulgari nomine nuncupatur, ut Blondus *In Italia illustr.* & *Volaterranus* testantur. Et hæc quo ad secundum, quod (ut dixi) ex supradictis Melæ *Lib.* VI. *Geograph.* verbis colligi videbatur. Quod autem ad primum attinet, *Senogalliam* quidem *Melæ* tempestate ac etiam multo ante, extitisse, ex Polybio, *Lib.* II. & Strabone, *Lib.* V. qui ante, nec non ex *Plinio*, qui post *Melam* ipsum scripserunt, adeo dilucide constat, ut nullam prorsus dubitationem recipiat. Cur autem *Mela* de *Senogallia* mentionem non fecerit, cum id ad institutum meum non pertineat, aliis judicandum relinquo.

Sed, nec etiam illud silentio omittendum videtur, quod loca *Strabonis*, in quibus de *Sena*, hoc est (ut Hermolaus Barbarus *in castig.* Plin. *Lib.* III. *cap.* 5. annotavit) de *Senogallia* mentio fieri videtur, librarii *Græci* imperitia, insigniter sunt mendosa. Cum etenim in Græco exemplari, ϗ Φαβεντία, ϗ καισήνα, & paulo post, ϗ ἀείμινον, ϗ καισήνα, ϗ μάελνον, legeretur, ut nos in antiquissimo exemplari *Vaticano* scripto vidimus, librarius *Græcus* verbum καισήνα ex conjunctione ϗ & nomine σήνα per errorem conflatum & proinde conjunctionem illam ϗ eodem errore bis repetitam fuisse existimans, eam in describendo omisit, unde factum est, ut in *Latina* versione, omissa more nostro priore illa copula ϗ pro *Cesena*; scriberetur *Sena*. Idque confirmatur ex eo, quod idem *Strabo* in eisdem locis; *Senam* illam, de qua ipse loquitur, *Isapi* & *Rubiconi* fluviis propinquam esse scribit, quæ quidem descriptio, civitati *Cesenæ*, inter illos duos fluvios sitæ, optime quadrat. Atque hoc etiam *Guilielmus Xylander in Strabone*, nuper a se in *Latinum* converso, aperte probat. Eodemque errore (ut hoc etiam obiter admoneam) factum est, ut pro μάελνον, (quo verbo insigne illud oppidum *Respublica Sancti Marini* hodie nuncupatum, sine dubio significatur) in *Latino* exemplari *Camarinum* reponeretur: cum tamen juxta *Græcum* codicem *Vaticanum*, ϗ μάελνον legi debeat. Hujusmodi autem lectio, ex eo etiam fit ve-

A risimilior, quod *Camerini* civitas, quinquaginta & ultra, oppidum autem *Sancti Marini*, a *Sarsina* & *Arimino*, de quibus ibidem loquitur *Strabo*, non amplius decem aut quindecim millibus passuum distat. Ut omittam, quod *Strabo* ipse paulo post, *Camerinensem* civitatem, *Camerte* appellat, illamque in montanis collocat, ex quo aperte datur intelligi, quod idem *Strabo* in priore loco de civitate *Camerini* nullo modo intelligere potuit.

Ne autem id quod dixi, alicui novum videatur, is sciat, hoc idem etiam in oppido *S. Angeli*, in *Vestinis*, seu in *Aprutio* accidisse, cum etenim oppidum illud a *Ptolomæo Angolus*, & a *Plinio Angula* (B) prius appellaretur, postea a piis & Christianis viris, *S. Angeli* nomine appellari cœpit, idque etiam usus obtinuit.

Hujus etiam *Senæ Etruscæ* mentionem faciunt *Landulphus de Columna* Canonicus *Carnotensis*, cognomento (ut opinor) *Sagax*, sive incertus auctor, qui ex libro *Landulphi*, collectarium, ut ipse ait, excerpsit, & usque ad *Martinum* Papam *Quintum*, & annum millesimum quadringentesimum vigesimum octavum, scripsit, nec non *Jordanus in suis Chronicis* quæ ab Orbe condito, usque ad annum Salutis millesimum trecentesimum vigesimum, (C) continenter perduxit. Etenim *Landulphus*, sive is, qui eum refert, in vita *Paschalis* Pontificis ejus nominis Primi, & *Ludovici Pii* Imperatoris, nec non *Jordanus Cap.* 208. sub anno Salutis octingentesimo decimo quarto, de epistola *Ludovici* ad *Paschalem* scripta, in qua de civitatibus *Etruriæ* agitur, loquentes, *Senam* inter alias præcipuas ejus provinciæ civitates diserte enumerant. Eorum autem verba, quoniam adhuc quod sciam, edita non fuere, hic subjicienda putavi. *Hadrianus*, inquit *in Hadr. Papa* I. *& Car. Magno* Imperatore, *primus, cum concilio centum quinquaginta quatuor Episcoporum, jus & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam* (D) *sedem, tradidit Carolo Magno Imperatori.*

Idem *in Paschali* Papa *primo,* & *Lud. Pio* Imperatore; *Paschali Imperator Ludovicus quandam epistolam scripsit, continentem renunciationem factam circa Romani Pontificis electionem & ordinationem Romanæ Ecclesiæ. Distinguit etiam in eadem Epistola in Tuscia terras Ecclesiæ a terris Imperii, dicitque civitates Pisanam, Lucanam, Lunensem, Pistoriensem, Volaterranam, Florentinam, Senensem, Clusinam, Aretinam, & Castellanam, cum suis districtibus & territoriis, sive comitatibus, ad Imperium pertinere. Alias autem, Viterbium, Urbem veterem, Perusium, Tu-* (E) *dertum, & reliquas Urbi Romæ viciniores, relinquit Ecclesiæ. Asserit etiam in Epistola supradicta, Romandiolam cum Bononia, ad jus & jurisdictionem Ecclesiæ pertinere. Hanc equidem Epistolam quidam historiarum scriptor authenticus, asserit se vidisse & legisse in quodam solemni Monasterio Tusciæ: sed certe credendum est, quod in Archivio Romanæ Ecclesiæ reperiatur, quæ non consuevit, ea quæ portant pondus, leviter pertransire.*

Jordanus. *Huic Paschali, Ludovicus unam literam scripsit, postquam dignitatibus renunciavit, traditis per Hadrianum. In qua Epistola distinguit terras Imperii* (F) *a terris Ecclesiæ præter Regnum. Tota enim Tuscia ad Ecclesiam pertinet, præter has civitates, quas Imperiales vocat, Castellanam, Aretinam, Senensem, Volaterranam, Clusinam, Florentinam, Pistoriensem, Lucanam, cum suis territoriis. Ibidem etiam confitetur, Romandiolam cum Bononia jurisdictionis Ecclesiæ esse, Perusiam, Tudertum, & Urbem veterem, excludit ab Imperio cum aliis civitatibus in circuitu Urbis, & Ecclesiæ relinquit.*

Ex quibus quidem duobus auctoribus (quorum hic centum & quinquaginta, ille vero longe pluribus ante *Blondum* annis scripsit) liquido constat, quam

mata dicebatur, *Cisalpinæ* & *Togatæ* cognomen habuit. A Ejus autem fines, pro arbitrio Imperatorum sive Magistratuum, alii atque alii fuere. Nam, ut *Strabo* scribit, primum *Æsis*, deinde *Rubico* fluvii: At secundum *Melam*, *Ancona*: & secundum *Livium*, *Utens*, (sic enim, non *Usens*, *hodie Chienti* legendum est) fluvii, inter *Gallicas* & *Italicas* gentes termini fuere. *Augustus* vero, *Plinio* teste, *Lib.* III. *cap.* 5 universam *Italiam* in regiones undecim divisit, inter quas *Etruriam* & *Picenum* connumeravit, & in unaquaque provincia, omnium oppidorum seu urbium, quæ idem *Augustus* in numero Coloniarum esse voluit, præcipuam & specialem mentionem fecit. B Inter mediterraneas autem septimæ provinciæ, in qua *Etruria* est, Colonias, etiam *Senensem* seu *Seniensem* posuit. In provincia autem *Piceni*, quam sextam fecit, & in Coloniis intus existentibus *Hispellum* dumtaxat & *Tuder* enumeravit. Inter oppida vero sive populos ejusdem sextæ regionis, quæ in ora sunt, *Æsim* & *Senogalliam* collocavit. Cæterum, cum (ut dixi) regio illa, in qua *Sena Piceni* sita est, ante ipsum *Augustum*, *Galliæ*, non autem *Piceni* nomen obtineret, in *Senam* autem *Etruriæ* ab eodem *Augusto* Colonia deducta fuisset, hinc, ut verisimilimum est, quo altera civitas ab altera discerni posset, usus obtinuit, illam quidem *Senam* C *Gallicam*, ex eo quod in provincia *Gallica* consistebat, hanc autem simpliciter & absque alia adjectione *Senam*, vel Coloniam *Senensem* nominari. Et deinde ut assolet, corrupto vocabulo, pro *Sena Gallica*, *Sene* vel *Senogallia* dici cœpit. Cujus rei maximum argumentum esse videtur, quod *Strabo*, qui sub *Augusto*, itemque *Plinius*, & *Ptolemæus*, ac etiam auctor illius *Itinerarii Antonino Imperatori adscripti*, qui post *Augustum* de Urbibus ipsis, illarumque situ & regionibus principaliter & ex professo, non autem obiter aut aliud agentes, scripserunt, nunquam *Senam* illam *Piceni*, simpliciter *Senam*, sed cum adjectione illa, *Galliæ*, semper nominarunt. D Ex quibus omnibus luce clarius apparet, quod *Augustus Senam* quidem nostram, in numero Coloniarum Populi *Romani* descripsit: *Senam* autem *Piceni* inter oppida seu Urbes quæ Coloniarum numero non erant, numeravit. Cumque quo tempore, aut a quibus, *Senensis* hæc Colonia deducta fuerit, nullibi legatur: Hinc propterea fit, ut quasi necessario fateri cogamur, illam ab ipsomet *Augusto*, una cum aliis viginti septem de quibus *Suetonius* meminit, deductam fuisse. *Ad hunc modum* (inquit) *Urbe urbanisque rebus administratis, Italiam duodetriginta Coloniarum numero, deductarum ab se, frequentavit, operibusque ac vectigalibus plurifariam instruxit*, E *etiam jure ac dignatione, Urbi, quodam modo pro parte adæquavit: excogitato genere suffragiorum, quæ de Magistratibus urbicis, Decuriones Colonici, in sua quique Colonia ferrent, & sub diem Comitiorum obsignata, Romam mitterent.* Quod autem hæc, de qua loquimur *Sena*, *Romanorum* Colonia fuerit, præter supra & infra scripta testimonia, haud scio, an ullum certius indicium adduci possit, quam *Lupæ* illius, *Romulum* & *Remum* lactantis, tot signa, in omnibus *Senæ* nostræ celebrioribus locis *teste Pio* II. *in in comment. manuscript.* marmore & alio lapide, ma- F nu præstantissimorum artificum sculpta, & supra columnas posita, ac etiam in aureis argenteisque nummis, in ea ipsa Civitate, antiquissimo tempore percussis, impressa. Quemadmodum etiam hoc idem signum in antiquissimis aliarum Coloniarum numismatibus expressum videmus. Numisma etenim æreum *Antonini Eliogabali*, (cujus versa pars sic habet. *Col. Aug. Tro. Alex.* hoc est, *Colonia Augusta Troas Alexandrina*) idem Lupæ signum sculptum continet, ut Sebastianus Erizzus *in suo libro Numismatum pag.* 289. attestatur, simulque declarat.

De eadem Colonia *Senensi*, meminit etiam *Cornelias Tacitus* his verbis: *Reconciliavit paulisper studia Patrum, habita in Senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patricius, ordinis senatorii, pulsatum se in colonia Senensi, cœtu multitudinis, & jussu Magistratuum, querebatur: nec finem injuriæ hic stetisse, planctum & lamenta, supremorum imagine, præsenti sibi circundata, cum contumeliis & probris, quæ in Senatum universum jacerentur. Vocati qui arguebantur, & cognita causa in convictos vindicatum. Additumque S. C. quo Senensium plebs modestiæ admoneretur.* Quod autem *Tacitus* ait. *jussu Magistratuum*, ut Alciatus *in Annotat. ad Tacitum.* adnotavit, ad Duumviros, qui in Coloniis vicem Consulum obtinebant, & proprie Magistratus appellabantur, referendum existimo. Quæ interpretatio ex verbo *plebs*, quo paulo post idem *Tacitus* utitur, confirmari videtur. Hæc enim nomina, *Decuriones* & *plebem*, veteres de Coloniis loquentes, libenter usurpabant, ut ex antiquis lapidibus unicuique planum fieri potest.

C. Valio. Polycarpo. Ornamenta. Decurionatus. inlustratus, a. splendidissimo. Ordine Arimin. Patron. Vil. vicorum. Item collegior. Fabr. Cent. Dendr. Colon. Arim. Aldus Manutius. *in Orthogr. pag.* 659.

Item Ornamenta. Decurionatus. inlustratus. a. splendidissimo. Ordine. Pisaurens. Patrono. Collegiorum. Fabr. Cent. Dendr. Navic. & Vicimag. Colon. Pisaur. Plebs. Pisaur. ob. merita. dedicat sportulas. Decur. * *V. Itemq. Collegiis.* * *Plebs.* *. *I dedit.* L. D. D. D. P.

C. Romæ in domo Cæsia. *Sallio Aristæneto C. V. septemviro. Epulonum. sodali. Augustali. Juridico. per Picenum. & Apuliam. Curatori. Viarum Aureliæ. Corneliæ. Triumphalis. Prætori. Tutelario. & eodem. anno. ad. Ædilitatem. promoto. X. viro Stilibus. judicandis. Oratori. Maximo. Decuriones. & plebs. Coloniæ Asculanorum. propter. humanitatem abstinentiam.*

C. *Salio* & cætera ut supra, *Decuriones, & plebs. Coloniæ. Anconitanorum. propter humanitatem.* & cætera.

Quæ quidem verba, ut nonnulli falso existimant, de *Sena Piceni* minime intelligi possunt. Primum, quia, ut ex supradictis plane constat, tempore *Taciti*, ea civitas, non jam amplius simpliciter *Sena* sed cum adjectione illa, *Gallicæ* seu *Galliæ*, appellabatur. Deinde, quia secundum *Augusti* descriptionem, *Senogallia* in numero Coloniarum esse desierat: *Sena* autem nostra (ut ex eisdem suprascriptis perspicue apparet) ab ipso *Augusto* inter Colonias posita fuerat.

Ptolemæus vero *Lib.* III. *cap.* 6. non solum in *Latinis* & *Italicis*, ac typis excusis, sed etiam in *Græcis*, iisdemque antiquissimis & scriptis codicibus, quorum duo in *Vaticana* extant, *Senam* inter mediterraneas *Etruriæ* civitates, *Senam* vero *Gallicam* (sic enim eam appellat) inter alias civitates *Senonum* prope *Anconam* & *Fanum* recenset, illamque, ut dixi, ad differentiam nostræ per η, non per αι, scribit, quemadmodum etiam nomina hæc, *Sænia*, & *Sænius*, per æ, in antiquis lapidibus sculpta observavi, quorum unum ab Honuphrio Panvinio *In civit. Ro. pag.* 362. refertur, *Sæniæ Cn. Fil. Balbiliæ.* Alterum vero a me exscriptum, & nondum, quod sciam, editum, sic habet *M. Sænius Donatus.*

Nec verba Pomponii Melæ *Lib.* II. nos perturbent, idem *Italiam* describens, *Senogalliam*, non quidem oppidum sive Urbem, sed potius tractum seu regionem esse innuit. Sic enim scribit, *Interiora ejus* (hoc est *Italiæ*) *aliæ aliæque gentes, sinistram partem Carni & Veneti colunt, Togatam Galliam, tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Salentini. Ad dexteram &c.* Et paulo post. *A Pado ad Anconam, transitur Ravenna, Ariminum, Pisaurum, Fanestris colonia, flumen Metaurus atque Æsis, & illa in angusto illorum duorum promontorio-rum,*

rum, ex diverſo convenientium inflexi cubiti imagine ſedens, & ideo a Grajis dicta Ancon, inter Gallicas Italicaſque gentes, quaſi terminus intereſt. Hanc enim prægreſſos, Piceni littora excipiunt, in quibus Numana, Potentia, Claterna, Cupra, Urbes. Caſtella autem, Firmum, Adria, Truentum, id ei fluvio qui præterit, nomen eſt. Ab eo, Senogallia maritima, Aterni fluminis oſtia. Urbes, Bucara, & Hiſtonium. Dauni autem &c. Ex quibus verbis duo perſpicue colligi videntur. Primum, quod *Melæ* ætate, inter *Æſim* & *Anconam*, *Senogalliæ* Urbs minime extaret, cum hoc loco *Mela* illam ſilentio præteread. Alterum vero, quod *Senogallia*, regionis ſive tractus, non autem oppidi nomen eſſet, atque inter *Truentum* & *Aternum* flumina conſiſteret. Quorum utrumque, his quæ ſupra diximus, repugnat. Sed ſcire oportet, quod in duobus antiquis *Vaticanis* exemplaribus, uno quidem ſcripto, altero autem *anno Salutis* 1471. *Mediolani* impreſſo, pro *Senogallia*, legitur *Frenta villa*. Quæ quidem lectio optimis, ni fallor, rationibus confirmatur. Primum, quia cum *Bucaram* ſive *Bucam* & *Hiſtonium*, flumenque *Aternum*, in Frentanis eſſe, Plinius *Lib.* II. *cap.* 2. *Ptolemæus*, & *Strabo* apertiſſime teſtentur. alterum ex duobus ſequi neceſſe eſt, vel ut pro *Senogallia*, reponatur *Frenta Villa*, ut in *Vaticanis* exemplaribus legitur, vel quod Mela *Lib.* III. *tab. Europ.* 6. de Frentanis, ab eo in *Picentum* & *Daunorum* medio poſitis, dicere oblitus fuerit, ac *Buca* & *Hiſtonium* Urbes, ad *Picenum* pertineant: quod quidem omnium bonorum auctorum ſcriptis, manifeſte repugnat. Hæc autem lectio, quam dixi, non modicum confirmatur ex eo, quod hodie regio hæc *Frentana*, veſtigia quædam priſci nominis adhuc retinens, *Franca villa* vulgari nomine nuncupatur, ut Blondus *In Italia illuſtr.* & *Volaterranus* teſtantur. Et hæc quo ad ſecundum, quod (ut dixi) ex ſupradictis Melæ *Lib.* VI. *Geograph.* verbis colligi videbatur. Quod autem ad primum attinet, *Senogalliam* quidem *Melæ* tempeſtate ac etiam multo ante, extitiſſe, ex Polybio, *Lib.* II. & Strabone, *Lib.* V. qui ante, nec non ex *Plinio*, qui poſt *Melam* ipſum ſcripſerunt, adeo dilucide conſtat, ut nullam prorſus dubitationem recipiat. Cur autem *Mela* de *Senogallia* mentionem fecerit, cum id ad inſtitutum meum non pertineat, aliis judicandum relinquo.

Sed, nec etiam illud ſilentio omittendum videtur, quod loca *Strabonis*, in quibus de *Sena*, hoc eſt (ut Hermolaus Barbarus *in caſtig.* Plin. *Lib.* III. *cap.* 5. annotavit) de *Senogallia* mentio fieri videtur, librarii *Græci* imperitia, inſigniter ſunt mendoſa. Cum etenim in Græco exemplari, ϗ φαβεντία, ϗ καισήνα, & paulo poſt, ϗ ἀείμινον, ϗ καισήνα, ϗ μάελνον, legeretur, ut nos in antiquiſſimo exemplari *Vaticano* ſcripto vidimus, librarius *Græcus* verbum καισήνα ex conjunctione ϗ & nomine σήνα per errorem conflatum & proinde conjunctionem illam ϗ eodem errore bis repetitam fuiſſe exiſtimans, eam in deſcribendo omiſit, unde factum eſt, ut in *Latina* verſione, omiſſa more noſtro priore illa copula ϗ pro *Ceſena*; ſcriberetur *Sena*. Idque confirmatur ex eo, quod idem *Strabo* in eiſdem locis; *Senam* illam, de qua ipſe loquitur, *Iſapi* & *Rubiconi* fluviis propinquam eſſe ſcribit, quæ quidem deſcriptio, civitati *Ceſenæ*, iuter illos duos fluvios ſitæ, optime quadrat. Atque hoc etiam *Guilielmus Xylander in Strabone*, nuper a ſe in *Latinum* converſo, aperte probat. Eodemque errore (ut hoc etiam obiter admoneam) factum eſt, ut pro μάελνον, (quo verbo inſigne illud oppidum *Reſpublica Sancti Marini* hodie nuncupatum, ſine dubio ſignificatur) in *Latino* exemplari *Camarinum* reponeretur: cum tamen juxta *Græcum* codicem *Vaticanum*, ϗ μάελνον legi debeat. Hujuſmodi autem lectio, ex eo etiam fit veriſimilior, quod *Camerini* civitas, quinquaginta & ultra, oppidum autem *Sancti Marini*, a *Sarſina* & *Arimino*, de quibus ibidem loquitur *Strabo*, non amplius decem aut quindecim millibus paſſuum diſtat. Ut omittam, quod *Strabo* ipſe paulo poſt, *Camerinenſem* civitatem, *Camerte* appellat, illamque in montanis collocat, ex quo aperte datur intelligi, quod idem *Strabo* in priore loco de civitate *Camerini* nullo modo intelligere potuit.

Ne autem id quod dixi, alicui novum videatur, is ſciat, hoc idem etiam in oppido *S. Angeli*, in *Veſtinis*, ſeu in *Aprutio* accidiſſe, cum etenim oppidum illud a *Ptolomæo Angolus*, & a *Plinio Angula* prius appellaretur, poſtea a piis & Chriſtianis viris, *S. Angeli* nomine appellari cœpit, idque etiam uſus obtinuit.

Hujus etiam *Senæ Etruſcæ* mentionem faciunt *Landulphus de Columna* Canonicus *Carnotenſis*, cognomento (ut opinor) *Sagax*, ſive incertus auctor, qui ex libro *Landulphi*, collectarium, ut ipſe ait, excerpſit, & uſque ad *Martinum* Papam *Quintum*, & annum milleſimum quadringenteſimum vigeſimum octavum, ſcripſit, nec non *Jordanus in ſuis Chronicis* quæ ab Orbe condito, uſque ad annum Salutis milleſimum trecenteſimum vigeſimum, continenter perduxit. Etenim *Landulphus*, ſive is, qui cum refert, in vita *Paſchalis* Pontificis ejus nominis Primi, & *Ludovici Pii* Imperatoris, nec non *Jordanus Cap.* 208. ſub anno Salutis octingenteſimo decimo quarto, de epiſtola *Ludovici* ad *Paſchalem* ſcripta, in qua de civitatibus *Etruriæ* agitur, loquentes, *Senam* inter alias præcipuas ejus provinciæ civitates diſerte enumerant. Eorum autem verba, quoniam adhuc quod ſciam, edita non fuere, hic ſubjicienda putavi. *Hadrianus*, inquit *in Hadr. Papa* I. *& Car. Magno* Imperatore, *primus, cum concilio centum quinquaginta quatuor Epiſcoporum, jus & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, tradidit Carolo Magno Imperatori.*

Idem *in Paſchali* Papa *primo*, & *Lud. Pio* Imperatore; *Paſchali Imperator Ludovicus quandam epiſtolam ſcripſit, continentem renunciationem factam circa Romani Pontificis electionem & ordinationem Romanæ Eccleſiæ. Diſtinguit etiam in eadem Epiſtola in Tuſcia terras Eccleſiæ a terris Imperii, dicitque civitates Piſanam, Lucanam, Lunenſem, Piſtorienſem, Volaterranam, Florentinam, Senenſem, Cluſinam, Aretinam, & Caſtellanam, cum ſuis diſtrictibus & territoriis, ſive comitatibus, ad Imperium pertinere. Alias autem, Viterbium, Urbem veterem, Peruſium, Tudertum, & reliquas Urbi Romæ viciniores, relinquit Eccleſiæ. Aſſerit etiam in Epiſtola ſupradicta, Romandiolam cum Bononia, ad jus & juriſdictionem Eccleſiæ pertinere. Hanc equidem Epiſtolam quidam hiſtoriarum ſcriptor authenticus, aſſerit ſe vidiſſe & legiſſe in quodam ſolemni Monaſterio Tuſciæ: ſed certe credendum eſt, quod in Archivio Romanæ Eccleſiæ reperiatur, quæ non conſuevit, ea quæ portant pondus, leviter pertranſire.*

Jordanus. *Huic Paſchali, Ludovicus unam literam ſcripſit, poſtquam dignitatibus renunciavit, traditis per Hadrianum. In qua Epiſtola diſtinguit terras Imperii a terris Eccleſiæ præter Regnum. Tota enim Tuſcia ad Eccleſiam pertinet, præter has civitates, quas Imperiales vocat, Caſtellanam, Aretinam, Senenſem, Volaterranam, Cluſinam, Florentinam, Piſtorienſem, Lucanam, cum ſuis territoriis. Ibidem etiam conſitetur, Romandiolam cum Bononia juriſdictionis Eccleſiæ eſſe, Peruſiam, Tudertum, & Urbem veterem, excludit ab Imperio cum aliis civitatibus in circuitu Urbis, & Eccleſiæ relinquit.*

Ex quibus quidem duobus auctoribus (quorum hic centum & quinquaginta, ille vero longe pluribus ante *Blondum* annis ſcripſit) liquido conſtat, quam

quam varie historia hujus epistolæ, ab Auctoribus tradita fuerit: & proinde nisi illius autographum, vel ejus, qui primus hanc historiam literis tradidit, liber proferatur, nihil certi hac in re affirmari posse. Siquidem *Landulphus* & *Jordanus*, quibus tanquam vetustioribus major fides quam Blondo *Lib.* XII. *historiarum*; nec non *Platinæ* & aliis, *Blondum* sine dubio secutis, jure est adhibenda, *Lunam* & *Pisas* omittunt: *Blondus Castellanam* & *Senensem* civitates silentio præterit: *Platina* vero (ut alios taceam) quoad *Perusiam* & *Urbem veterem*, *Blondo* contradicit *In vita Paschalis primi.* Quo magis dolendum est, *Anastasii* illius Bibliothecarii *librum De Romanorum Pontificum vitis* (de quo etiam Volaterranus *Lib.* XXII. *Anthrop.* meminit, & ex quo *Blondum* hanc historiam descripsisse, ex ejusdem *Blondi* & *Platinæ* verbis conjici potest) nescio quo casu amissum, vel ab aliquo suppressum esse, ut a multis qui illum jamdiu desiderarunt, legi non possit. Ex hoc etenim libro, cum hujus ipsius, de qua agimus, tum multarum aliarum historiarum veritas, nullo negotio haberi posset. Nam librum quendam scriptum *De Vitis Pontificum*, qui & in *Vaticana*, & in nonnullis pivatorum bibliothecis extat, *Anastasii* illius non esse, multis, iisque validissimis argumentis, compertum habeo: multique studiosi fuere, qui freti verbis Honuphrii Panvinii, *De sept. Eccles. Urbis.* viri alioquin doctissimi, librum illum se in *Vaticana*, annis proxime elapsis, legisse affirmantis, magna hilaritate eo tendentes spe sua frustrati fuerunt. Hic autem *De vitis Pontificum liber*, longe alius est ab eo, qui *Chronica Anastasii inscribitur*, de quo etiam *Gratianus* meminit, *cap. Sanct.* 16. *q* 7. quique nuper *anno MDLXIX.* multis tamen locis interpolatus, typis excusus fuit. *Landulphi* autem & *Jordani* libri, scripti in eadem *Vaticana* servantur, & *Jordanus* ipse inter alios auctores, quos Marcus Antonius Sabellicus *secundo tomo suarum historiarum* adhibuit, nominatim refertur. Et hæc quo ad Civitatem ipsam hactenus.

Episcopatus autem dignitatem, quo tempore primum hæc civitas *Senensis* adepta fuerit, quamquam adhuc satis exploratum non sit, illud tamen certo constat, quod inter quadraginta plus minus Episcopos, omnes Urbi *Romæ* propinquos (qui in prima *Romana* Synodo, sub Sancto *Hilario Romano* Pontifice, ejus nominis primo, *anno a Natali Christi quadringentesimo sexagesimo quinto*, convenerunt) interfuit etiam *Eusebius* Episcopus *Senensis.* Itemque in secundo Concilio *Lateranensi*, sub *Martino* pariter primo, *anno quingentesimo sexagesimo secundo*, *ab eodem Natali*, celebrato, inter centum viginti quinque Episcoporum subscriptiones, leguntur etiam hæ; videlicet, *Maurus Sanctæ Cesenatis Ecclesiæ. Maurus Episcopus Senogalliensis Ecclesiæ. Maurus Episcopus Sanctæ Senatis Ecclesiæ*, eodem loquendi modo, quo etiam *Clusinus*, *Rosellanus*, *Sabiensis*, & *Faventinus* Episcopi, eorum Ecclesias, *Clusinatem*, *Rossellatem*, *Sabinatem*, & *Faventinatem* appellant *Vide Concil. tom.* 2. *pag.* 764. *a* 770. *b* 789. *b.* 804. *b.* 821. *b.* 846. *b.* 847. *b.* & 927. *a. juxta editionem Colonien. anni* 1567. pariterque inter eundem fere numerum centum viginti quinque Episcoporum, qui subscripserunt epistolæ *Agathonis Romani* Pontificis (quam Legati ab eo, ad sextam œcumenicam Synodum *Constantinopolitanam* celebrandam missi, *anno sexcentesimo septuagesimo Sal.* secum attulerunt) legitur etiam *pag.* 927. *a.* subscriptio hujusmodi, videlicet. *Vitalianus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Senensis.* Quo fit, ut cavillari non possit, quod Episcopus *Senensis*, sit idem, qui & *Senogalliensis*, vel quod pro *Episcopo Senate*, legi debeat *Cesenate*, tum quia ex *Strabone*, *Plinio*, & *Ptolemæo* supra citatis, perspicue constat, etiam eorum ætate, *Senam* illam *Piceni*, non jam amplius *Senam*, sed *Senogalliam* appellatam, tum etiam quia supradicto Concilio *Lateranensi*, non solum *Senatis*, sed etiam *Cesenatis*, & *Senogalliensis* Ecclesiarum Episcopi, uno eodemque nomine appellati, subscripserunt: & insuper secundæ & quartæ Synodis *Romanis*, sub *Cœlio Symmacho Romano* Pontifice, circa *annos Salutis quadringentos nonaginta octo*, & proinde longe ante *Martinum Primum* convocatis, subscripsit etiam *Venantius Episcopus Senogalliensis.* Ex quibus omnibus constat, Ecclesiam *Senensem* & *Senogalliensem*, inter se diversas esse.

De Episcopo *Senensi* meminerunt etiam Innocentius *C. Ex parte* 14. *de rest. Spoliat. &c.* & Honorius III. *c. Gravem* 53. *de Senten. excom.* Pontifices Maximi, quorum *ille ab anno millesimo centesimo quinto*, usque *ad annum millesimum ducentesimum decimum quintum: hic* autem *ab anno millesimo ducentesimo decimo sexto*, *usque ad annum millesimum ducentesimum vigesimum septimum* sederunt. Qui tres loci, & præsertim primus, *C. consuluisti.* 7. *de cons. eccl.* clariores sunt, quam quisquam alius, quem ego legerim in libro Epistolarum, quas Decretales appellant. In plerisque enim ex jam dictis Epistolis verbum *Senonen.* ob similitudinem vocis in *Senen.* depravatum fuit. Sed cum *Honorius* Pontifex mandet *Pisanos* excommunicari, per Episcopum *Senensem*, id certe verisimiliter de Archiepiscopo *Senonensi* intelligi non potest. *Maurum* autem Episcopum *Senensem*, prope mœnia *Volaterrana* divis *Justo* & *Clementi* duo templa dicasse, *Raphael Volaterranus* scriptum reliquit *Geogr. lib.* v. *Mauri* etiam nomen in quodam vetusto codice Ecclesiæ *Senensis* inter alia Episcoporum *Senensium* nomina se legisse, *Augustinus Patritius* testatur. *De antiq. civit. Senen.*

Ceterum *Pius Secundus*, Pontifex Maximus *Sena* nostra oriundus, *anno millesimo quadringentesimo nono*, Pontificatus sui anno primo, Ecclesiam *Senensem*, ex Episcopali in Archiepiscopalem erexit, illique *Suanensem*, *Clusinum*, *Grossetanum* & *Massanensem* Episcopos, in suffraganeos assignavit, eorumque Ecclesias eidem Archiepiscopo subjectas esse decrevit, ut in ejusdem *Pii Secundi* literis bullatis, ac in eadem *Sena*, sub decimo Kalendas Maji præfati *anni millesimi quadringentesimi quadragesimi noni* datis, latius videri potest.


Hæc autem de Episcopatus nostri antiquitate, eo libentius retuli, non modo ut varias de illius origine opiniones, vel potius aniles fabellas, nullo certo auctore, literis proditas omnino falsas esse convincerem, sed etiam, ut ex hoc conjicere liceat, quam multis annis ante *Hilarii Primi* Pontificatum, & annum *Salutis quadringentesimum sexagesimum quintum*, eam civitatem ad *Christi* fidem fuisse conversam oporteat, ac jam tum nobilem & honorabilem extitisse. Si quidem ab ipsius fere nascentis Ecclesiæ primordiis, cautum fuit. *Nec in Villula*, *nec in Agro*, *nec in modica civitate*, *sed honorabili*, *Episcopum constitui*, *ne alias ejus nomen vilesceret. Anacletus Pap. epist.* 3. *Conc. Laodicen.* 57, 1.

Et de *Senæ* quidem *Etruscæ*, unde mihi *Cæsari Orlandio*, *Petri Mariæ* filio, origo est, ejusque Episcopatus antiquitate hactenus dixisse sufficiat. Reliqua enim quæ ad integram hujus civitatis, ac illius agri, & incolarum cognitionem pertinent, si quis scire desiderat, satis (ut opinor) erit, illum ad suprascriptos *Pium secundum*, nec non *Franciscum*, & *Augustinum Patricios* (quorum hic *Pientinus*, & *Ilcinensis*, ille autem *Cajetanus* Episcopus fuit) nec non *Bartholomæum Benevolentium*, & *Orlandum Malavoltum*, omnes *Senenses*; *Lucium Antonium Maynerium* origine *Malacitanum*, & patria *Genuensem*, ac etiam *Alphonsum Ciccarellum Mevanatem*, & *Camillum Portium Neapolitanum*, relegare. Hi enim, & præsertim duo ultimi, præter eos auctores, quos su-

ſupra citavi, partim excuſi, partim vero propediem excudendi, de iis omnibus, quæ ad exactam & abſolutam ejus de quo agitur hiſtoriam pertinere poſſe videntur, adeo plene & accurate ſcripſerunt, ut nihil amplius deſiderari poſſit. Etſi enim quod ad originem attinet, ego ab illis diſſentiam: id tamen non æmulatione aliqua, a me factum fuit. Sed quemadmodum ego in hoc qualicunque labore, nihil aliud, quam ut veritatem invenirem pro viribus A operam dedi: ita etiam ſi quis mea hæc, probabilioribus rationibus reprehendet, ego ingentes illi gratias agam, quippe, qui in hoc literario certaminis genere, multo aliter quam in cæteris evenire intelligam. In aliis enim, ſi quis vincitur, ſemper fere jacturam aliquam patitur, in hoc autem ſolo, illud haud dubie lucrifacit, quod ignorantiam omnium rerum turpiſſimam exuit, & illius loco, ſcientiam (qua nihil in terris pulchrius) induit.

INDEX
NOTABILIUM RERUM.

A.



S.

T.

V.

FINIS.





ANTONII MASSÆ,

Gallesii, Jurisconsulti,

DE

ORIGINE ET REBUS FALISCORUM,

LIBER.

Cui annexum,

PETRI CURSII, *Civis Romani*,

CIVITATEM CASTELLANAM

Faliscorum, non Vejentum oppidum esse, Poema,

Cum JULII ROSCII HORTINI *Additamentis*.

Editio Novissima, priori nitidior ac emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, & Typographi Academiæ atque Civitatis.

PRÆFATIO
HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

T*RACTATUS hi de rebus* Faliſcorum *ob rerum cognationem in* Francofurtana *Editione de anno* 1600. *conjunctim quidem etiam editi ſunt, at adeo negligenter inter ſe commixti & combinati, ut horum operum veluti nutritoris JULII ROSCII intentio & principalis ſcopus exinde propter confuſionem non parum perturbatus extitit. Intermittere propterea nec volui nec potui, quin partibus rite collectis, inque rectum ordinem diſpoſitis, hæc circa res* Faliſcas *cognata opera, Indice ſufficienti annexo, nitidioribuſque typis recudi curarem, ut lectu & intellectu benevoli Lectoris emendata confuſio porro amplius obeſſe haud poſſit. Cæterum vale.*

F. DAMIANUS GRANA,
LUDOVICO MADRUCCIO
S. R. E. Cardinali ampliſſimo,

S. P. D.

QUANTAS vires virtus habeat Cardinalis ampliſſime, tum ex pluribus licet colligere, tum ex eo quod *Antonio Maſſae* contigit: qui *Galleſii* in *Faliſcis* oriundus, ea duce tantum eſt *Romae* conſecutus gloriæ ac ſplendoris, ut nulla unquam ejus memoriam deletura ſit oblivio. Tamen cum is plurima opuſcula in lucem edidiſſet, quæ de jure diſſerunt, ac propterea in manibus hominum ſunt plena utilitatis, neſcio quo caſu liber hic aureus, de *Faliſcorum* rebus, eorundemque origine, non modo in publicis bibliothecis non legebatur, ſed etiam apud ejus F. viros in jure exercitatos, omnique laude digniſſimos eſſe deſierat. Nam pro inſigni humanitate, ut petentium multitudini ſatisfacerent ea ipſa, quæ inter paterna monumenta aſſervabant, donare coacti ſunt. Ego igitur cum *Julii Roſcii Hortini* opera, qui gratiam vicino benemerenti referre ſtuduit, expolitum rurſus imprimendum ſtatui. Volui autem ut amplitudinis tuæ potiſſimum nomine exiret, cum hic de *Galleſio* honorifica fiat mentio, quod ut olim ſub avunculi tui *Chriſtophori* Cardinalis *Tridentini* nuncupati, ita nunc ſub nobiliſſimæ familiæ *AB ALTAEMPS* tibi ſanguine conjunctiſſimæ ditione poſitum eſt. Accipies igitur Cardinalis ampliſſime hoc exiguum munus pro tuis pluribus erga me officiis. Si per ætatem licuerit cujus jam pene finem proſpicio, & indies expecto, non deero ex Sacræ Theologiæ fontibus alia dicare digna ſtudiis graviſſimis amplitudinis tuæ. Vale.





PROOEMIUM.

MAGNA profecto, atque adeo dulcis quaedam res est amor in patriam, ut non immerito multi cum nostra, tum majorum nostrorum memoria clarissimi viri pro patriae salute, seque, fortunasque suas devovere, ac mortem ipsam libenter, nedum constanter oppetere non dubitarint. Quippe qui probe intelligerent, Naturam rerum omnium (ut ita dicam) parentem, non temere, sed consulto nascenti cuique certum unum circumscripsisse locum, in quo nimirum versari, quem cum voluptate intueri, ac prae caeteris omnibus in oculis ferre, cui denique se, suaque omnia ardenti studio consecrare, ut pulcherrimum, ita etiam optimum judicarent. Nam quid obsecro te per Deum immortalem, si modo non iniqui rerum aestimatores esse volumus, quid (inquam) nobis ex omnibus rebus humanis, aut charius, aut dulcius, vel jucundius esse potest, aut debet, quam ea altrix natalisque sedes, unde suavissimam hanc lucem, qua fruimur, unde vitam ac spiritum quem ducimus, unde tot bona, tot commoda quibus utimur, sermonem scilicet ac disciplinam, instituta vitae, leges, caeremonias, cultusque Deorum immortalium accepimus? Quanquam enim chari liberi, propinqui, familiares, omnes tamen omnium charitates patria una ita complexa est, ut Ulyssem *illum* Homericum, *& merito, & jure suam illam patriam* Ithacam (*affixam licet quendam quasi nidulum asperrimis saxulis) tanti fecisse, memoriae proditum sit, ut eam delatae immortalitati anteponere minime recusaverit, dummodo illius saltem fumum contueri sibi tandem liceret. Quae quum ita sint, quumque auctore* Cicerone *nihil porro tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere ut beneficio non dicam indignus, sed ictus esse videare. Et quidem arbitror ullam neque aptiorem, neque majorem gratiam pro tot tantisque muneribus patriae referri ab iis qui illius gloriae, qui dignitati, qui laudi enixissime student, qui primae illius originis, & antiquitatis, & loci, & situs, & rerum gestarum memoriam, non solum ab oblivione hominum, atque à silentio propeque ab interitu vindicare, sed etiam fidelibus literarum monimentis aeternitati consecrare, quam possunt diligentissime contendunt. Quamobrem quum ego quoque (ut* Ulyssis *illius utar verbis, quem apud* Alcinoum Phæacum *Regem ita fere loquentem* Homerus *inducit*)

Cernere nil aliud patria jucundius unquam,

Ipse queam, quumque nulla alia in re aeque suavius aut jucundius conquiescam, quam in amore, grataque recordatione patriae, gentisque meae, cui plurimis maximisque beneficiorum vinculis obstrictum me esse sentio: nihil omnino sit, quod vehementer malim, quam illi me & gratum esse, & videri, rem profecto, ut non inutilem, ita nec injucundam civibus meis praestaturum me arbitratus sum, si à primordio gentis nostrae ortus, qui primi Faliscorum *auctores extiterint, quibus paruerint, quae primum loca, quasve regiones obtinuerint, quibus cum bella gesserint, quibus legibus atque institutis obtemperaverint, quos denique Deos, Deasque, quibus caeremoniis, quibusve ritibus coluerint, caeteraque id genus omnia quaecunque, vel apud probatissimos locorum, gestarumque rerum scriptores didicerim, vel in pervetustis monimentis legerim, vel quae ipse invenerim, hactenus, quod sciam, aut non satis cognita, aut certe parum à nostris animadversa, hisce commentariolis ad memoriam posteritatis commendarem, ut hac re saltem, & si non parem ejus merito, at pro meo tamen studio debitam gratiam benemerenti patriae persolvisse videri queam, iis praesertim temporibus, quibus ea quae de* Faliscorum *nostrorum origine ac situ ab antiquis scriptoribus accurate prodita sunt, aut propter judiciorum quorundam infirmitatem, aut certe propter ipsam rerum vetustatem adeo obscura, tamque multis ac variis difficultatibus obstructa sunt, ut pleraque non modo dubia, aut incerta, sed etiam falsa atque inania passim circumferantur. Quibus ut hisce tandem commentariolis, ut possem occurrerem, dulcis me patriae pietas impulit, cujus dignitas, & gloria, ita mihi dies noctesque ante oculos obversatur, ut verissime à Vate illo tanquam ab oraculo dictum existimem.*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non finit esse sui.

Sed jam tempus est, ut his omissis ad id, quod instituimus, adjuvante Deo, tandem aliquando accedamus.

DE

DE ORIGINE ET REBUS FALISCORUM.



TRURIAM partiti sunt *Cato*, & *Silius* in *Maritimam Transcyminiam*, & *Ciscyminiam*, ita ut *Ciscyminia* pars quicquid est inter urbem *Romam*, regionem maritimam, *Cyminia* juga, & *Tiberim* complecteretur. Quo in spatio erant *Sutrium* & *Nepete* urbes adhuc extantes cum agris suis, *Capenates*, *Falisci*, & *Vejentes* populi. Hos quinque populos cis *Cyminium* montem fuisse nemo (ut puto) nisi regionis ignarus negaverit, præsertim qui ea, quæ mox dicemus, legerit. Veruntamen quia nonnulli sunt, qui de *Faliscorum* situ longe aliter sentiant, existimantes scilicet eum locum, qui nunc ad *Lacum Vulsiniensem* appellatur vulgo Mons *Flasconus* fuisse *Faliscorum* montem, & eam planitiem, quæ inter *Viterbium* & montem *Flasconum* jacet, *Faliscos* esse campos: idcirco non alienum fortasse fuerit ab instituto nostro, si, quam hi longissime absint à vero, ex duobus potissimum *Livii* locis demonstravero, ne in eum errorem & alii quoque deinceps falsa hac nominum decepti similitudine labantur. Scribit enim his verbis lib. v. Decadis primæ: *Nec Vejis melius gesta res est, & auctum est bellum adventu Capenatium, & Faliscorum. Hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant, devictis Vejis bello quoque Romano se proximos fore credentes: Falisci privata etiam causa infesti, quod Fidenati bello se jam antea immiscuerunt.* Idem præterea lib. IX. Decadis ejusdem: Quum *Faliscorum*, & *Capenatium* agros à Romano exercitu sæpenumero igni, ferroque vastatos, ipsosque demum in *Romanorum* potestatem venisse retulisset, ac subinde bellum, quod cum *Etruscis*, qui *Sutrium* obsederant, Duce *Q. Fabio* Consule gesserunt, descripsisset, fugatis tandem *Etruscis*, ita scriptum reliquit: *Tum de persequendo hoste agitari cœptum. sylva erat Cyminia magis tum invia, atque horrenda quam nuper fuere Germanici saltus, nulli ad eam diem, ne mercatorum quidem adita. eam intrare haud fere quisquam præter ipsum ducem audebat, aliis omnibus cladis Caudinæ nondum memoria exciderat.* & tandem subdit: *præmissis speculatoribus, & cognita locorum natura, juga Cyminii montis occupat, inde contemplatus opulenta Etruriæ arva milites emittit:* & paulo post subdit: *eo forte V. legati cum duobus Tribunis plebis venerant denunciatum Fabio Senatus verbis, ne saltum Cyminium transiret, lætati serius se quam ut impedire bellum possent venisse, nuncii victoriæ Romam revertuntur.* Quibus ex verbis, quis non videt, quis non intelligit, quam facile istorum inscitia coargui, convincique possit? primum enim, qui fieri potest? ut mons ille, qui *Catoni* est *Fiscon*, nos vero corrupte *Flasconum* appellamus, longeque abest ab urbe, *Faliscorum* fuerit? quum *Faliscos* ipsos (teste *Livio*) proximos regione *Vejentibus* fuisse constet? Deinde si campi illi, qui trans *Cyminium* jugum *Fisconi* monti, *Viterbio*que subjacent, *Falisci* campi censendi sunt, ut isti contendunt, mirum quid eidem *Livio* in mentem venerit, ut jam toties devictis *Faliscis*, atque in *Romanum* tandem imperium, ditionemque redactis, aperte tamen diceret, testareturque, *Romanum* exercitum non nisi post fugatos à *Q. Fabio* Consule *Etruscos*,

A *Cyminii* montis sylvam primum pertransisse, nulli ad eam diem ne mercatorum quidem aditam, ne dicam, quod superato tum demum *Cyminii* jugo, quum & *Vulsiniensium* & *Perusinorum*, & *Cortonensium*, & *Aretinorum*, qui trans *Cyminium* sunt, *Etruriæ* populorum meminerit, de *Faliscis* ne verbum quidem ullum fecerit. Ac ne quis dubitet aliquem in his *Livii* verbis errorem esse: eidem *Fabio IV.* Consule (ut idem *Livius* lib. x. testatur) quod aperuisset *Cyminiam* sylvam, viamque per devios saltus *Romano* bello fecisset, non minore totius Populi consensu, quam Senatus provincia *Etruria* extra sortem decreta est. Eodem lib. x. cum duo *Romani* exercitus in B *Etruria* essent: alii duo exercitus haud procul urbe *Etruriæ* fuerunt oppositi, unus in *Falisco*, alter in *Vaticano* agro: quibus ex verbis fieri non potest; ut quisquam hujus regionis gnarus agrum *Faliscum* trans *Cyminium* montem esse intelligat. Quid? quod istos latuit ex probatis auctoribus esse clarum, ut ex iis, quæ à nobis dicentur, apparebit, unum eundemque fuisse dictum *Faliscorum* montem, & *Soracte* ex Urbe *Roma* conspicuum. His accedit *Strabonis* auctoritas, quo teste, aliqui *Falerios* in *Tusciæ* regione minime locandos esse ajunt, sed *Faliscos* per se gentem. cui etiam *Gratius* Poeta adstipulatur, qui *in lib. de venatione*, *Faliscos* a *Tuscis* C disjungit: cui rei verba *Livii* proxime posita videntur convenire. Nemo autem dubitavit unquam, an mons *Flasconus*, & illi vicinus Lacus *Vulsiniensium*, & demum quicquid est ultra montem *Cyminium* in *Tusciæ* regione comprehendatur. Sed revertamur ad id, unde digressi sumus. *Capenates* à *Capena* urbe primaria dicti, *Cyminium* ipsum *Romam* versus, & reliquos adjacentes monticulos incolebant, quæ vulgo nunc dicitur *Montaneola*, in qua extat etiam oppidum *Capenæ* nomen servans, licet corrupto vocabulo appelletur vulgo *Canapina*. *Vejentes* item, a *Vejis* principe ipsorum civitate sic dicti, possidebant quidquid agri est a *Cremera* fluvio Urbi in pratis, quæ nunc D ita vocantur, vicino, usque ad *Soractis Faliscorum* montis confinia, ubi nunc est oppidum *Arinianum* inter *Tiberim* & maritimam regionem, atque agrum *Nepesinum*. *Falisci* vero tenebant quidquid reliqui est ab *Ariniano*, & *Soracte*, ad amnem *Vetiam*, qui è *Cyminio* monte in *Tiberim* labitur inter *Tiberim* ipsum, & *Nepesinum Capenatem*que agros. *Nepete* civitas, ut auctor est *Livius* libro VII. prius socia *Romanorum*, cum fuisset per deditionem ab *Etruscis* occupata, per *Camillum*, & *Valerium* recuperata est, securi percussis deditionis autoribus innoxiæ multitudini redditæ res, oppidumque cum præsidio relictum, donec tertio deinde anno Triumviri *Nepete* Co- E loniæ deducendæ creati sunt, qui eam deduxerunt. *Sutrium Romanorum* societatem ab initio contractam fere semper observavit: & quanquam *Etrusci* cum *Romanis* bellum gesturi semper *Sutrium*, & *Nepete* occupare contenderint, ac sæpius occupaverint: semper tamen *Sutrini* sunt à *Romanis* defensi, & vindicati. *Namque* (inquit Livius *lib.* VI.) *cum ea loca opposita Etruriæ, & velut claustra inde portæque essent, & illis occupandi ea, cum quid novi molirentur, & Romanis recuperandi tuendique cura erat.* Bello *Punico* secun-

do inter XII. illas colonias, quæ *Q. Fabio Q. Fulvio* Coss. abnuerunt milites dare, *Sutrium* & *Nepete*, connumerantur à *Livio*, qui lib. XXIX. scribit, primum quo pacto contumaces illæ coloniæ coactæ fuerint duplicatum militum numerum dare, & demum census ab eis primum receptus sit, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent. Quomodo autem *Vejentes*, & *Capenates* in *Romanorum* venerint potestatem, ex iis quæ non ita multo post de *Faliscorum* rebus gestis exponam, manifestissime apparebit. De *Ciscyminia* hac regione *Silius* VIII. *lib.* enarrans, qui duce *Galba Romanis* adversus *Annibalem* auxilio fuerint inquit:

Hos juxta Nepesina cohors, æquique Falisci,
Quique tuos Flavina focos, Sabatia quique
Stagna tenent, Cyminique lacum, qui Sutria tecta,
Haud procul & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Virgilius autem, qui contra *Æneam* Duce *Mesapo* iverant in bellum referens ait:

Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cymini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Uterque tamen *Vejentes* subticuit, propterea quod (ut ego quidem existimo) deleta jamdudum civitate tum viciniore tum infensissima, illius nomen *Romanis* odiosum esset. Hæc de universa *Etruria*, simul & *Ciscyminia* dicta sint. Cæterum quia nobis de *Faliscis* est sermo institutus, omissis aliis, dicemus ea, quæ de universis etiam *Faliscis* occurrunt. Quam late pateat hæc *Faliscorum* regio pro certo dicere mihi difficile est, præsertim cum videam eos interdum longius esse progressos, atque etiam *Alsium* in littore *Tusci* maris, ubi nunc est arx *Sanctæ Severæ* dicata, ab *Haleso Faliscorum* auctore conditum esse. Illud igitur facilius erat ostendere, intra quos terminos necessario continerentur *Falisci*, quo tempore cum *Romanis* bella gesserunt. Quum enim orientem versus esset *Tiberis*, & transfluvium *Sabini*, & *Amerini*: ad meridiem vero, & urbem *Romam* essent *Vejentes*, quorum civitas decimotertio distabat lapide ab urbe *Roma*, eratque ex ea parte etiam mons *Soracte Faliscorum*, necesse est fines inter *Faliscos*, & *Vejentes* extitisse in *Soractem*, & urbem *Vejentum*, quasi dixeris circa oppidum *Arinianum* distans ab urbe XX. lapide. Ab occcidente Sole erat *Nepete* civitas adhuc extans, & *Capenates* populi, de quibus est dictum. A Septentrione erat mons ipse *Cyminius* cum sylva illa usque ad *Fabium* Consulem invia, & horrenda, ac demum *Vadimonis* Lacus, quibus disterminari *Faliscos* à *Vulsiniensibus* populis, & agro *Ferentino* verisimile est, tum ex qualitate sylvæ, tum ex ipso lacu, ad quem veluti ad communem quendam locum initiari solita erat militia *Tusca*: Poterat igitur possideri à *Faliscis* hæc regio secundum *Tiberim* e conspectu superiorum *Sabinorum*, & agri *Amerini*, ab *Ariniano* ad *Vadimonis* Lacum, longitudinis millium passuum plus minus viginti trium, latitudinis ferme septem, ubi minimum quatuor, quo in spacio nunc sunt *Castrum sancti Sylvestri* in jugo *Soractis*, *Stabia*, civitas *Castellana*, *Fabrica*, *Corchianum*, *Burgum sancti Leonardi*, *Gallesium*, *Bassanellum*, *Orta*, *Bassanum*, *Munianum*, *Polymartium*. Sed illud mirandum est, quod Eutropius *in fine libri secundi*, & Orosius *in quarto libro*, ex tam brevi & angusta regiuncula, dicunt, uno prælio quindecim millia *Faliscorum Quinto Luctatio*, *A. Manlio* Consulibus fuisse cæsa, cæteris pace concessa. Qui autem hominum ante *Faliscos* eam regionem tenuerint, explicatu difficile est, propter eam, quæ inter antiquitatum scriptores est, discrepantiam, certior mihi tamen videtur *Dionysii* sententia, qui de *Pelasgis* in *Italia* profugis loquens ait: *Multas urbes alias quidem ante à Siculis habitatas, alias autem ipsi construentes una cum Aboriginibus Pelasgi incoluerunt: quarum urbium est Cæretanorum urbs, quæ tunc Agylla vocabatur, & Pisa, & Saturnia, Alsiumque, & aliæ quædam, quæ post longum tempus deletæ sunt a Tyrrhenis. Faleria autem & Fescennium & ætate mea habitatæ erant à Romanis parvas adhuc quasdam servantes reliquias Pelasgi generis, quæ urbes prius fuerant Siculorum.* hactenus *Dionysius*. *Faliscos* nomen fuisse totius gentis, *Falerios* autem civitatis duntaxat eorum principis, haud obscure intelligi potest non solum ex *M. Catone*, & *T. Livio*, cujus verba inferius loco suo referemus, verum etiam ex *Plutarcho*, qui in *Camillo* in hunc fere modum scribit: *Camillus sumptis copiis adversus Faliscos impetum fecit, & Falerios urbem ad bellum munitam omnibus rebus bellicis habentes, castris circuit, sic certe obsidionem Faleriis dispicientibus*, &c. non multo post: *Subito Falerii postquam proditionem magistri ludi senserunt* &c. & deinde *Redactis in ditionem Romanorum Faleriis, factaque pace cum omnibus Faliscis, Camillus vasa colligere jussit, atque discessit.* Regio tota, excepto *Soracte*, & quibusdam juxta *Tiberim* collibus, fere plana est: nisi quod crebris, confragosis, & inter saxosas rupes profundis aquarum perennium alveis interrumpitur, omnium fere segetum, arborum, fructuum, armentorum feracissima. Princeps universæ regionis civitas erat *Faleria*, seu *Falerii*, quam ab *Argivo Falerio* conditam esse testatur *Solinus*, & quam exemplo justitiæ *Camillum Romanorum* potestati subdidisse, nemo est qui nesciat: eadem successu temporis corrupto vocabulo *Falaris* cœpta est dici, quod & *Macrobius* usurpavit, & alii nonnulli, & servant ejus ruinæ, quæ stantibus adhuc mœnibus videntur, & *Falaris* appellantur: quemadmodum ea, quæ juxta est planities, dicitur vulgo *Falarensis*. In perantiquis etiam divorum monumentis, vulgo dicunt Martyrologium, id scriptum reperi: *Pridie idus Augusti, in urbe Falari, sanctorum Gratiliani, & felicissimæ virginis, quorum primum ora lapidibus pro Christo sunt contusa, deinde gladio percussi, optatam martyrii coronam susceperunt*: Fuit autem ea civitas Episcopali quoque dignitate ornata, ac multis post Christum natum seculis habitata, quod patet ex synodo habita *Romæ Gregorio III.* Pontifice circiter annum Domini DCCXXX. & altera *Nicolao primo* Pontifice circiter annum Domini DCCCLXVI. quibus inter alios Episcopos, illi videlicet *Tyburtius*, huic *Joannes Falaritani* Episcopi subscripserunt. Erat ea civitas, antequam à *Romanis* subigeretur, una ex principibus *Etruriæ* civitatibus, e quibus magistratus annui numero pari ad regendum universam provinciam mittebantur, dicti *Lartes*, & *Lucumones*, quod ex uno *Livio* posset affirmari, cum is sæpenumero scribat, *Faliscos* ad *Fanum Volturnæ* in communi *Etruriæ* Concilio interfuisse, nisi ex aliis plerisque locis esset manifestum: ut interim *Blondi* quoque *Forolivienfis* testimonium omittam. Quando autem excisa & eversa fuerit, pro certo non comperi: sed conjectura verisimile est, id accidisse per *Albericum Etruriæ* Marchionem, qui *Joannis decimi* ejus nominis Papæ odio ductus circa annum domini nongentesimum & decimum septimum, *Orta* munita, eo se recepit, & *Ungaros* præmiis solicita-

citatos in *Italiam* vocavit, qui provinciam ingressi, plus prope calamitatis *Italiæ* intulere, quam olim *Saraceni.* neque ipsis quidem *Etruscis* pepercere, quos oportebat ex fœdere *Alberici* esse intactos, imo vero magis in hos, quam in cæteros *Italos* est sævitum, incensis omnibus fere oppidis, quæ ipsi occupaverant, præter *Ortam* ab *Alberico* munitam, nec post id tempus ullam de *Falari* habitata mentionem inveni. Ex ipsa autem *Faleria*, sive ex alio hujus regionis loco natus est *Gratius* poeta, quod ipse testatur in eo versu.

At contra nostris imbellia lina Faliscis.

Quantus autem hic Poeta fuerit, ex *P. Ovidii* sententia judicari potest, qui in illustrium sui temporis Poetarum enumeratione, hunc *Virgilio* mox subjungendum duxit illis versibus, qui sunt *in ultima elegia librorum de Ponto:*

Tityrus antiquas, & erat qui pasceret herbas,
Aptaque venanti Gratius arma daret.

De quo etiam, tum primum in lucem restituto, & ad se delato, *Pontanus* hæc dicit, *Visus est mihi vates ille lepidus, numerosus, & tersus.* Inter illustria *Faliscorum* loca mons erat *Soracte*, quod testatur *Prophyrius* in oden,

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, — — —

Et *Cato* dicens: *Soracte Faliscorum mons*, & Plinius lib. VII. *Haud procul ab urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracte Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur: & ob id, perpetuo Senatus consulto militiæ, omniumque aliorum munerum vacationem habent.* Hinc & Virgilianus Aruns ait:

Summe Deum custos sancti Soractis Apollo:
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem,
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Et Silius lib. V.

Tum Soracte latum præstanti corpore, & armis
Æquanum noscens, patrio cui ritus in arvo,
Cum pius arcitenens accensis gaudet acervis,
Exta ter innocuos late portare per ignes.
Sic in Apollinea semper vestigia pruna
Inviolata teras.

Et quæ sequuntur. Et lib. VII.

Phœbei Soractis honos Carmelus agebat.

Et lib. VIII.

Haud procul & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Quamquam *Strabo* non *Apollini*, sed Deæ *Feroniæ*, *Varro*que non pietati, sed medicamento id tribuit, quo illi plantas tingerent. eamdem rem enarrans *Solinus* ait: *Vulgatum per omnium ora, quod paucæ familiæ sunt in agro Faliscorum, quos Hirpios vocant, hi sacrificium annuum ad Soractis montem Apollini faciunt, id operantes gesticulationibus religiosis exultant, ardentibus lignorum struibus in honorem divinæ rei flammis parcentibus, &c.* *Soracte* autem eum esse montem, qui ex Urbe via *Flaminia* venientibus dextrorsum conspicitur, & appellatur *Sancti Sylvestri* mons, eo quod ibi sanctus ille vir aliquandiu Principis iram veritus latitavit, ex ipsius divi *Sylvestri* vita literis prodita, est etiam vulgo notissimum, & comprobatur *ex Ode 9. libr.* I. *Flacci Horatii*, qui quasi montem digito indicaret, ad amicum *Thaliar-*

A *chum*, sive in agro suo *Sabino*, sive in urbe *Roma* se contineret, ita scribit:

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte. — — — —

Et ex *Servio*, qui clare dicit: *Soracte mons est Hirpiorum in Flaminia collocatus*, & addit: *quamobrem illi vocarentur Hirpii, quoniam* (inquit) *eis in hoc monte, qui Manibus consecratus est, Diti patri aliquando sacrificantibus, cum lupi subito venientes exta rapuissent, illos diu insequentes, delati sunt ad quandam speluncam halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut juxta stantes necaret:*
B *exinde est orta pestilentia, quia fuerant lupos sequuti, de qua re responsum est posse sedari, si lupos imitarentur, id est, rapto viverent: quod postquam factum est, dicti sunt ipsi Hirpi Sorani, quasi lupi Ditis, nam lupi Sabinorum lingua vocantur Hirpi, & Ditis pater Soranus, cui persolvebatur sacrificium, cum lupi exta rapuerunt.* Sub *Soracte* monte *Straboni* est urbs *Feronia*, cujus (quod ego quidem noverim) nulla extant vestigia. *Livius* vero *lib.* XXVII. in agro *Capenate* ad lucum *Feroniæ* signa sanguine sudasse, idque prodigium decreto Pontificum procuratum esse ait, indicta in unum diem ad eundem lucum
C supplicatione. Et lib. XLII. ait, ædem *Feroniæ* in *Capenate* de cælo tactam esse. His propinquum ponitur *Straboni* & *Solino Fescennium*, *Plinio Fescennia*, quam male propterea *Servius Campaniæ* urbem esse dixit, contra etiam ipsius *Virgilii* sententiam, qui *Fescennias* acies cum *Faliscis* numerat. Eam autem civitatem autumant nonnulli fuisse, quæ nunc est civitas *Castellana*, nullo tamen auctore certo. Illud autem est certissimum, ibi non fuisse *Vejentum* civitatem, quod à nonnullis est imprudenter asseveratum. Nam ut mittam (quod etiam ex iis quæ dicta sunt facile perspici potest) Civitatem *Castellanam* lon-
D go spatio intra *Faliscorum* fines positam esse, qui a *Vejentibus* disjuncti, maximeque diversi fuerant: certe *Dionysius* historicus lib. II. auctor est, *Vejentum* urbem à *Roma* non plus quam centum stadiis abesse. quin *C. Plinius* de *Tiberi* amne loquens lib. III. ait: *mox citra tredecim millia passuum urbis Vejentum agrum à Crustumino, dein Fidenatem, Latiumque à Vaticano dirimens.* A quibus nec *Livius* dissentit, apud quem lib. V. *Appius Claudius* de *Vejis* loquens, ait, eam urbem intra vicesimum ab urbe lapidem esse. *Eutropius* quoque lib. I. *Fidenates* sexto, *Vejentes* XVIII. ab urbe milliario distare, semel atque iterum af-
E firmat. Quæ cum ita sint, nequaquam fieri potest, ut ibi extiterit *Vejentum* urbs, ubi nunc est Civitas *Castellana*, quod isti velle videntur: quum (uti dictum est) illa tantummodo tredecim millia passuum, & omnino intra vicesimum lapidem ab urbe *Roma* abfuerit, hanc vero ultra XXV. millia, & non minus ducentis stadiis distare omnibus notum, ac perspicuum sit. Cæterum quo in loco civitas *Vejentum* sita olim fuerit, quid nos assequi conjectura valeamus? cum dicat *Propertius:*

Et Veji veteres, & vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
F *Nunc intra muros pastoris buccina lenti*
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.

Et L. Florus: *Nunc Vejentes fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quod vestigium? laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.* Hujus autem novi nominis Civitatis *Castellanæ* antiquiorem memoriam non inveni ea, quæ est, apud *Platinam* in vita *Quarti Adriani* Pontificis, circa annum Domini MCLV. Quamobrem verisimile est eversa

sa *Falari*, ex illius reliquiis constructam, & habitatam esse Civitatem *Castellanam*, locum natura munitiorem, & illi admodum propinquum. Ab ipsa autem urbe *Fescennio* dicti sunt *Fescennini* versus, qui cujusmodi essent, cum parum intellexisse videatur *Pompejus Festus*, in nuptiis duntaxat eos cani solitos arbitratus, melius intelligetur ex illis *Horatii* versibus: Ep. I. Lib. II.

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fida,
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant;
Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit,
Libertasque recurrentes accepta per annos,
Lusit amabiliter,

Neque absimile est quod *lib.* VII. *primæ decadis* scribit Livius: *Non sicut ante Fescennino versu similem, incompositum temere, ac rudem alternis jaciebant.* Tenendum itaque pro certo est, *Fescenninos* versus fuisse, per quos inductæ rusticorum personæ tum in se, tum in alios jocosa convicia alternis canerent, non solum in nuptiis, (ut *Festus* ait, & satis ex *Seneca* tragico colligi potest, apud quem in *Medea* in nuptiis *Glauces* reginæ chorus canit:

Festa dicax fundat convicia Fescenninus,

Et ex illo *Catulli* in Epithalamio: *Nec diu taceat procax Fescennina locutio*, itemque Ausonii: *Verum quoniam Fescenninos amat celebritas nuptialis*, atque etiam ex Plinio, qui lib. xv. ait: *Nuces juglandes, quanquam & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites, multo pineis minores*) sed etiam in conviviis, atque aliis jocosis hominum conventibus, quod ex *Horatii*, *Livii*que testimoniis, & *Aniani* poetæ carminibus, quæ infra adscribentur, liquido patet. Ejusmodi autem jocis ad hunc usque diem nostrates rustici, præsertim vero messores, ac vinitores utuntur. Illis autem temporibus adeo grati erant *Fescennini* versus, ut ne *Octavius* quidem *Augustus* ab illis scribendis abstinuerit. Unde apud Macrobium *secundo Saturnalium libro* legitur: *Temporibus Triumviralibus Pollionem, quum Fescenninos in eum Augustus scripsisset, dixisse. At ego taceo, non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere.* Omnium autem elegantissime *Fescenninos* scripsit *Anianus* poeta, de quo *Ausonius* in Centone nuptiali: *Nam quid Aniani Fescenninos, quid antiquissimi poetæ Livii Erotopægnion libros loquar?* Is autem *Anianus* fuit ex nostratibus *Faliscis*, *Probi* grammatici discipulus, *Auli Gelli* amicus, per ea tempora quibus *Adrianus* ad Imperium *Romanum* est adscitus. Ideoque nil mirum est, eum adeo scribendis *Fescenninis*, id est patriis versibus, præstitisse. qualis autem is fuerit, qualesque ejus versus ex ipsius *Auli Gellii*, & *Terentiani Mauri* verbis intelligetur. Ille enim *libro septimo* ait: *Anianus poeta præter ingenii amœnitatem literarum quoque veterum, & rationum in literis oppido quam peritus fuit, & sermocinabatur mira quadam & scita suavitate.* Itemque libro vigesimo: *Anianus poeta in fundo suo, quem in agro Falisco possidebat, agitare solitus erat vindemiam hilare, atque amœniter, ad eos dies me, & quosdam item alios familiares vocavit.* *Terentianus* vero etiam ipsos Vindemiales (ut ita dicam) versus exempli causa suis interposuit: *Cætera pars superest, mea tibia dicere versus Hæc juncta frequentius edent Anapæstica dulcia metra. Cuicumque libebit ut istos triplices dare sit Anapæstos. At-*

A *que ille poeta Faliscus, Cum ludicra carmina pangit. Uva uva sum, & uva Falerna, Et ter feror, quater anno. Libro quoque dixit eodem, unde unde colonus? Eoi flumine venit Oronte.* Erant & *Falisca* metra ab eo sic fortasse dicta, quod illis potissimum *Fescennina* scriberentur: mihi tamen id aliter non liquet. *Faliscum metrum*, inquit Servius *constat tribus dactylis, & pyrrichio*, cui consentire videtur *Terentianus*, qui de *A. Sereno* poeta loquens ait:

Talia docta Falisca legimus.
Quando flagella jugas, ita juga
Vitis & ulmus uti simul eant.
B *Nam nisi sint paribus fruticibus,*
Umbra necat teneras amineas.

Tale est primum *Boethii* carmen libro III.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus.
Falce rubos, filicemque resecat:
Ut nova fruge granis Ceres eat, &c.

Acron *Horatii* commentator *in* VI. *Oden. lib.* I. quæ incipit,

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
C *Aut Ephesum, bimarisve Corinthi*, &c.

De ultimo pede paulo aliter videtur sentire: dicit enim secundum versum illum *Aut Ephesum* &c. Tetrametrum esse, qui & *Faliscus* appellatur, & ex quatuor pedibus ultimis constat heroici versus. Exemplum vero à *Servio* subjectum ab ejus ratione discrepat. habet enim hoc:

Docta Falisca Serene parasti.

Quapropter, quin corruptus sit *Servii* locus in ultimo hujus versus pede non est dubitandum. Deinde est apud Geographos *Ortanum* oppidum, quæ nunc est *Orta* civitas, qua, & illius D arce munita *Etruriæ* Marchio *Albericus* (ut diximus) *Ungaros* in *Italiam* vocavit. Eam civitatem multis jam sæculis Episcopali dignitate ornatam fuisse, constat ex tertia Synodo *Symmachi* Papæ circa annum Domini quingentesimum quartum, cui juxta *Maximum Bleranum*, *Felicem Nepesinum*, *Romanum Nomentanum*, & *Asellum Populoniensem* subscripsit *Martianus Ortensis* Episcopus, & ex Synodo *Nicolai primi* cui subscriptus est *Arsenius Ortanus* Episcopus. De hac civitate putant nonnulli locutum esse *Virgilium lib.* VII. in illo versu:

Ortinæ classes, populique Latini.

E *Polymartium* & ipsa olim Episcopalis dignitate ornata civitas, quod patet, ex Synodo *tertii Gregorii*, cui subscripsit *Majorinus* Episcopus Ecclesiæ *Polymartii*, ea, teste *Blondo*, patria fuit *Sabiniani* Papæ, qui divo *Gregorio* successit. *Corchianum* ex ipso nomine licet conjicere antiquissimum esse vicum ab *Horchia*, quam nonnulli asserunt *Etruriæ* Deam fuisse eandem, quæ *Latinis Pomona* dicebatur, a qua etiam denominatum est, alterum oppidum sub *Cyminio Vicus Horchianus*, quod nomen adhuc servans vulgo dicitur *Vicorchianum*. *Vadimonis lacus*, ad quem F auctore *Livio lib.* IX. initiata est *Tusca* militia, pervulgato quodam auctorum errore ignoratum est ad hanc usque ætatem ubi esset, asserente *Blondo* eum esse, qui ad montem *Rosulum* videtur: *Volaterrano* vero eum, qui in *Viterbiensi* agro *Romam* venientibus dextrorsum relinquitur. Atqui ego uno tantum *Cæcilii* testimonio, atque auctoritate utrumque falli, atque hallucinari, luce clarius ostendam. Scribit enim Cæcilius VIII. *lib. ad Gallum*: *Exegerat prosocer meus, ut Ameri-*

rina prædia suâ inspicerem, hæc perambulanti mihi ostenditur subjacens lacus, nomine Vadimonis, Lacus est ad similitudinem jacentis Rotæ circumscriptus, & undique æqualis, nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria, & quasi artificis manu cavata & excisa, color cæruleus albidior, & pressior sulfure, odor, saporque medicatus, vis qua fracta solidantur, spatium modicum quod tamen sentiat ventos, & fluctibus intumescat, nulla in hoc navis, sacer enim est, sed innatant insulæ herbidæ omnes arundine & junco tectæ: & reliqua. Itaque si is lacus vel in agro montis *Rosuli*, vel in campis *Viterbiensibus* fuisset, ut isti volunt, profecto non solum *Amerina* prædia perambulanti subjacens lacus non ostendi, sed nec ex altioribus *Ameriæ* montibus videri potuisset ullo modo. Ne autem legentium animos in re tam clara diutius teneam, dubio procul is *Vadimonis Lacus* est, qui in *Bassani* oppidi agro non longe a *Tiberi*, ipsoque *Tiberi* intermedio, collibus *Amerinus* subjectus, cætera quoque ad unguem *Cæcilianæ* descriptioni convenit, excepto quod insulæ illæ, quas etiam *Plinius secundus lib.* II. mobiles esse asseruit, intervallo tanti temporis cohæserunt, quamobrem rotunditate manente, lacus est undique junco & arundine circumseptus. quod etiam in agro *Reatino* ad *Cutilias aquas* videmus evenisse, ubi *Plinius* fuisse ait similes insulas, quæ nunc non existunt. Cæterum lacus hic de quo loquor, adhuc quasi sacer, horrorem quendam indigenis incutit, nec pisces producit, sed tantum serpentes. Meminit etiam de ipso lacu, & insulis in eo mobilibus Seneca *libro tertio naturalium quæst.* qui eas natantes insulas putat ex pumicibus constare. Ex iis, quæ diximus, cognosci facile potest, quam hactenus longe aberraverint à vero, non modo qui dixerunt eum esse montem *Faliscorum*, qui prope *Vulsiniensium* lacum situs, vulgo dicitur mons *Flasconus*, & eos campos esse *Faliscos*, qui jacent inter *Viterbium* & *Montem Flasconum*: verum etiam qui opinati sunt & *Vejentum* olim urbem, Civitatem *Castellanam*, & *Vadimonis lacum*, *Viterbiensem Navisum*, aut *Rosuli montis lacum*, & qui *Faleriam*, eam quæ est *Ptolomæo Ferentia*, *Plinio* & *Straboni Ferentium*, *Othonis* olim Imperatoris patria non multis anteactis sæculis à *Viterbiensibus* diruta: ejus inter *Vicorchianum* & montem *Flasconum* extant ruinæ, quæ vulgo appellantur *Ferentum*. Siquidem hæc ponere nihil erat aliud, quam totam *Faliscorum* regionem ultra *Cyminium* montem transportare, cum eam *Ciscyminiam*, & *Vejentibus Nepesinisque* confinem, ac *Romæ* vicinam fuisse constet, simul apparet verum esse quod ait *Myrsilus Lesbius*: *De gentis antiquitate, origine, & locis minus remotis & exteris, quamvis alioquin eruditissimis, quam ipsi genti credendum non esse.* Regebantur autem *Falisci* populari gubernatione, quemadmodum & reliqui *Etruriæ* populi, quibus adeo regium nomen odiosum fuisse *Livius* refert, ut cum *Vejentes* tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum causa erat, veteri magistratu sublato, Regem sibi creavissent, simulque à *Romanis* obsidione premerentur, his omnino decreverint auxilium negari oportere, donec sub Rege essent. Originem habuisse *Faliscos* ab *Argivis*, & illorum duce *Haleso*, testis est *Plinius*, & Ovidius, qui in *Elegia de festo Junonis* ait:

Argiva est pompæ facies, Agamemnone cæso,
Et scelus, & Patrias fugit Halesus opes.
Jamque pererratis profugus terraque, marique
Mœnia felici condit alta manu.
Ille suos docuit Junonia festa Faliscos.

Et Fastorum lib. IV.

Venerat Atridæ fatis agitatus Halesus:
A quo se dictam terra Falisca putat.

Huc addantur & *Dionysii* verba superius posita. Trogus autem Pompejus *lib.* XX. *de Italiæ urbibus*, quæ a *Græcis* originem habuerunt locutus, dixit *Chalcidensium* esse *Faliscos*, *Nolanos*, *Atellanos*. Colebant *Falisci* ex Deis, quemadmodum & reliqui *Thusci*, *Vadimonem*, cui Deo sacer erat *Lacus* (de quo diximus) *Vadimonis* appellatus. Erat autem lingua *Thusca Vadimon* Deus, qui *Romanis Vertumnus*, & *Janus* appellabatur, ut attestatur Berosus *lib.* V. ad quod allusit Ovidius *lib. Fastorum primo loquente* Jano:

Me penes est unum vasti custodia mundi,
Et jus vertendi cardinis omne meum est.

Et Propert. *lib.* IV. Loquente Vertumno:

Thuscus ego, Thuscis orior,

Et reliqua. & apertius Dionysius lib. V. *Vicus Thuscus à Romanis appellatur, per quem est transitus ad circum maximum, ubi fuit templum Vertumni: id est, Jani Etruscorum principis.* Cujus *Jani* quadricipitis simulacrum cum quatuor frontibus in urbem ex ipsa *Faleria* delatum fuisse testatur Macrobius *primo Saturnalium libro*, & *Servius* loco supradicto: qui addit eo simulacro delato quatuor illi portarum templum fuisse dicatum, & ponit causas quamobrem alii bifrontem *Janum* haberent, alii quadrifrontem. Fuit autem is *Vadimon*, ac *Janus Thuscorum* Rex, qui *Saturnum* hospitio, & in regni partem recepit, habuitque Regiam in colle, qui ex urbe primus in *Etruriam* iter præbens propterea *Janiculus* dictus, Divi *Petri* æde notissimus est, & de quo ait Ovidius:

Arx mea collis erat, quam cultrix nomine nostri
Nuncupat hæc ætas, Janiculumque vocat.

Huic Deo farre tantum, & vino sacrificabant, significantes parsimoniam, & rudem victum ætatis, qua ille regnavit. Quamobrem ait *Juvenalis* satyra II.

Ponebant igitur Thusco farrata catino,
Omnia tunc quibus invideas, si lividulus sis.

Qua etiam usque ad nos continuata superstitione fit, ut nostrates pro sacris cibis habeant placentas farratas. Colebant insuper accepto ritu a conditoribus *Argivis*, *Junonem*, quod attestatur Ovidius *fastorum lib.* VI. loquente Junone:

Adde senem Tatium, Junonicolasque Faliscos,
Quos ego Romanis succubuisse tuli.

Et *Dionysius* ubi ait: *Templum Junonis in Faleria eodem modo constructum quo in agro, ibi etiam expiationum ritus similis, & sacræ fœminæ templum curantes, & quæ canistrifera dicitur puella innupta sacra incipiens de victimis, & virginum chori laudantium Deam patriis cantibus.* Id sacrificii genus, & pompam describit *Ovidius* in Elegia cujus supra memini. Colebant cum his & *Apollinem*, & *Ditem* in *Soracte* monte, & Deam *Feroniam*, cujus ædis, & luci ex *Livio* mentio supra facta est: necnon & *Horchiam*, & *Palladem*, ob cujus effigiem *Romam* inde advectam, ait Ovidius III. *fast.*

An quia perdomitis ad nos captiva Faliscis
Venit?

In apologetico autem *Tertullianus* ait: *Faliscorum in honore est pater Curis, unde accepit cognomen Juno.* Moribus, & legibus erant adeo bene instituti *Falisci*, ut propterea fuerint à *Virgilio*, & *Silio* æqui nuncupati, quandoquidem (ut inquit

A. Massa. B *Ser-*

Servius) *Romanus* populus ab eis jura fœcialia collegit, & nonnulla supplementa duodecim tabularum. Quin & suos privatim habebant anni menses, ideoque de *Martio* loquens ait Ovidius:

Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliscis.

In plerisque autem antiquis *Argivorum* moribus utebantur, à quibus ipsi originem ducebant, quod patet ex *Dionysio*, qui inquit: *Faleria, & Fescennium & ætate mea habitatæ erant à Romanis, parvas adhuc quasdam servantes reliquias Pelasgi generis.* & subdit, *In hisque restiterunt diu multa priscorum monumenta, quibus olim Græca natio usa, sicut armorum bellicorum ornatus, clypei Argolici, hastæ*, & inferius: *Quum autem bellum inferrent ipsi, aut invadentibus se hostibus obviaturi pro finibus exercitum mitterent, sacri quidam viri ante alios inermes ibant, Fœciales, sacrorumque apparatus, & Deorum simulacra, sanctimoniæque & sacra, & alia multa similia.* Lino & Cannabi, sicut nunc, semper abundaverunt. hinc *Silius* ait:

Induti sua lina Falisci.

Nec sine causa dixit Poeta induti sua lina, cum ea sint molliora, indumentis magis, quam operosis rebus apta. quod testatur *Gratius* vocans ea imbellia lina. Apud ipsos *Faliscos* quoque inventum farciminis genus, de quo Papinius *lib.* IV. *sylvarum*: *Non Lucaninicæ, non graves Falisci*, ac Martialis:

Et Lucanica venire cum Falisco.

Quod genus hodie quoque in usu est. Agri inter cætera proprium esse oves & boves albos producere testatur Plinius lib. II. *in Falisco herba depasta, & Clitumni amnis aqua pota, candidos boves facit*, & Ovidius in eadem elegia:

Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ,
Quas aluit campis herba Falisca suis.

Et primo Fastorum,

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci
Quos aluit campis herba Falisca suis.

Et de Ponto lib. III.

Agnaque tam lactens, quam gramine pasta Falisco,
Victima Tarpejos inficit icta focos.

Cum *Romanis Falisci*, quantum ex *Livio* colligitur, hoc pacto se gesserunt. *Fidenæ Vejentium* Colonia, olim trans *Tiberim* missa juxta *Anienem* ex adversa parte agri *Romani* in collibus non longe ad *Tiberim* sitæ *Romanorum* jam facta Colonia, ad *Vejentes* defecerat: deinde quatuor legatos Populi *Romani* causam novi consilii quærentes, jussu *Lartis Tolumnii Vejentum* magistratus, *Fidenates* interfecerant. eo *Mamercus Æmilius* à *Romanis* dictator cum exercitu missus est, *Fidenatibus* & *Vejentibus* legiones *Faliscorum* auxilio venerunt atque ita trium populorum exercitus adversus *Romanos* instructus est. Sed initio prælio fusi, fugatique sunt omnes, occiso etiam *Larte Tolumnio*: ejus interfector *A. Cor. Cossus*, qui postea opima spolia in æde *Jovis Feretrii* cum solemni dedicatione dono fixit, *Tiberim* cum equitatu transvectus ex agro *Vejentano* ingentem abegit prædam ad urbem. Sequenti anno *Romanorum* exercitus in agrum *Vejentem*, ac *Faliscum* ducti sunt, prædæ abactæ hominum, pecorumque, Urbes tamen non oppugnatæ, quia pestilentia *Romanum* populum invaserat. Insequenti vero anno

A captis à *Servilio* Dictatore *Fidenis*, trepidatum est in *Etruria*, non *Vejentibus* solum, qui etiam tum rebellantibus *Fidenatibus* affuerant, sed & *Faliscis* memoria initi primo cum iis belli. Quamobrem missis circa XII. *Etruriæ* populos legatis, licet impetrassent, ut ad *Volturnæ* Fanum indiceretur omni *Etruriæ* concilium, in eo tamen concilio negata sunt *Vejentibus* auxilia, jussique suo consilio bellum initum suis viribus exequi, nec adversarum rerum quærere socios, cum quibus spem integram communicati non sint. Præteritis deinde annis circiter XXVII. quia tempus induciarum interim post aliquot rebelliones

B cum *Vejentibus* initarum exierat, *Romani* per legatos, fecialesque res repetere cœperunt, & lege tandem de indicendo *Vejentibus* bello perlata, exercitum magna ex parte voluntarium Tribuni militum Consulari potestate *Vejos* duxere. Sub cujus initium obsidionis, cum *Etruscorum* Concilium ad Fanum *Volturnæ* frequenter habitum esset, parum constitit, bellone publico gentis universæ tuendi *Vejentes* essent. Tertio autem belli anno cum *Romani*, *Veji*que tanta in arma essent ira, odioque, ut victis finem adesse appareret, ac *Romani* auxissent numerum Tribunorum ad octo, quot nunquam fuerant, *Vejentes* con-

C tra tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum causa erat, Regem sibi (quod supra dictum est) creavissent: offendit ea res populorum *Etruriæ* animos, tum odio regni, tum ipsius Regis, qui privata causa gravis universæ genti fuerat opibus superbiaque. Itaque decreverunt auxilium *Vejentibus* negandum, donec sub Rege essent. Anno deinde ab Urbe condita (ni fallor) CCCLII. Tribunis militum sex consulari potestate *Vejos* obsidentibus, haud bene *Romana* res gesta, & auctum est bellum adventu repentino *Capenatium*, & *Faliscorum*, qui duo populi (quemadmodum initio fere diximus) quia proximi re-

D gione erant, devictis *Vejis* bello quoque *Romano* se proximos fore credentes, *Falisci* propria etiam causa infesti, quod *Fidenati* bello se jam antea immiscuerant: per legatos ultro citroque missos jurejurando inter se obligati, cum exercitibus, nec opinato ad *Vejos* accessere, à quibus diu in medio cæsi *Romani*, postremo desertis munitionibus perpauci in majora castra, pars maxima tum ignominiosa clade accepta *Romam* pertenderunt. Insequenti vero anno sub aliis Tribunis militum bellum *Romani* gesserunt multiplex, eodem tempore & ad *Vejos*, & ad *Capenates*: & ad *Fa-lerios*, & ad alia loca: & *Vejis* castra, quæ amissa e-

E rant recuperata, castellis, præsidiisque firmantur per *M. Æmilium* & *Q. Fabium* Tribunos, *M. Furium* in *Faliscis*, & *Cn. Cornelio* in *Capenate* agro. hostes nulli extra mœnia inventi, prædæ actæ, incendiisque villarum, ac frugum vastati fines, oppida nec oppugnata, nec obsessa sunt. Secundo deinde anno iterum ad *Vejos*, eodem quo antea modo, circa munimenta *Romanorum*, cum repente *Capenates*, *Falisci*que subsidio venissent, adversus tres exercitus ancipiti prælio pugnatum est. Sed victores *Romani* illos omnes repulerunt, ingenti eorum edita cæde. Proximo autem anno ad *Vejos* nihil admodum memorabile actum est, tota

F vis in populationibus fuit, duo summi *Romani* Imperatores *Potitus* à *Faleriis*, *Camillus* à *Capena* prædas ingentes egere, nulla incolumi relicta re, cui ferro, aut igni noceri posset. Insequenti anno *Romani* desperata ope humana expugnandæ *Vejentum* civitatis, fata & Deos spectabant, missis *Delphos* legatis de aqua *lacus Albani*, quæ sine ullis cœlestibus aquis, causave qua alia, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam creverat, quod fatale erat *Vejis* prodigium.

gium. Concilia autem *Etruriæ*, iterum habita, postulantibusque *Capenatibus*, ac *Faliscis*, ut *Vejos* communi animo consilioque omnes *Etruriæ* populi ex obsidione eriperent: responsum est, antea se id *Vejentibus* negasse, quia unde consilium non petiissent super tanta re, auxilium petere non deberent, nunc jam pro se fortunam suam illis negare, sanguini tamen, nominique, & præsentibus periculis consanguineorum id dari, ut si qui juventutis suæ voluntarii ad id bellum eant, non impediant, isque magnus fuit, qui advenit juvenum numerus. *Romani Titinius*, *Genutiusque* Tribuni militum profecti adversus *Faliscos Capenates*que, dum bellum majore animo gerunt, quam consilio, præcipitavere se in insidias. *Genutius* morte honesta temeritatem luens ante signa inter primores cecidit. *Titinius* in editum tumulum ex multa trepidatione militibus collectis aciem restituit, nec se tamen æquo loco hosti commisit: tantam inde terroris & in castris ad *Vejos*, & in urbe fuit, ut inde *M. Furius Camillus* Dictator excidendis *Vejis*, & servandæ patriæ dictus fuerit. Is profectus cum exercitu in agro primum *Nepesino* cum *Faliscis* & *Capenatibus* signa confert, nec prælio tantum fudit hostes, sed castris quoque exuit, ingentique præda est potitus. inde ad *Vejos* ducto exercitu opulentissimam urbem x. anno postquam cœpta est obsideri, vi cepit, ab Urbe condita CCCLVIII. anno. Captis *Vejis* insequenti anno Tribunis militum duobus *Corneliis Cosso*, & *Scipioni Faliscum* bellum, *Valerio* ac *Servilio Capenas* sorte evenit, ab iis non urbes vi, aut operibus tentatæ, sed ager est vastatus, prædæque rerum agrestium actæ, nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum, ea clades *Capenatem* populum subegit, pax petentibus data. In *Faliscos* bellum restabat. id cum *M. Furio Camillo* Tribuno militum esset mandatum, eo accedens *Camillus*, cum primo mœnibus se *Falisci* tenerent, tutissimum id rati, populatione agrorum, atque incendiis villarum coegit eos egredi urbe: Sed timor longius progredi prohibuit, mille fere passuum ab oppido castra locant, nulla re alia fidentes ea satis tuta esse, quam difficultate aditus, asperis confragosisque circa, & partim arctis, partim arduis viis. Cæterum *Camillus* captivum indicem ex agris secutus ducem, castris multa nocte motis, prima luce aliquanto superioribus se ostendit. trifariam *Romani* muniebant: Alius exercitus prælio intentus stabat. Ibi impedire opus hostes conatos fundit, fugatque, tantumque inde pavoris *Faliscis* injectum est, ut effusa fuga castra sua, quæ propiora erant, prælati urbem peterent, multi cæsi, vulneratique, priusquam paventes portis inciderent, castra capta, præda ad quæstores redacta cum magna militum ira. Sed severitate imperii victi, eandem virtutem & oderant, & mirabantur. Obsidio inde urbis, & munitiones, & interdum per occasionem impetus oppidanorum in *Romanas* stationes præliaque parva fieri, & teri tempus neutro inclinata spe, cum frumentum, copiæque aliæ ex ante convecto, largius obsessis, quam obsidentibus suppeterent. Videbaturque æque diuturnus futurus labor, ac *Vejis* fuisset, ni Fortuna Imperatori *Romano*, simul & cognitæ rebus bellicis virtutis specimen maturam victoriam dedisset. Mos erat *Faliscis* eodem magistro liberorum & comite uti: simulque plures pueri, quod hodie quoque (inquit *Livius*) in *Græcia* manet, unius curæ demandabantur. Principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbatur præcellere, erudiebat. is cum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique causa producere, nihil

A eo more per belli tempus intermisso, dummodo brevioribus spatiis trahendo eos à porta lusu, sermonibusque variis longius solito, ubi res dedit, progressus, in stationes eos hostium, castraque inde *Romana* in prætorium ad *Camillum* perduxit: ibi scelesto facinori, scelestiorem sermonem addit. *Falerios* se in manus *Romanis* tradidisse, quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit. Quæ ubi *Camillus* audivit, non ad similem (inquit) tui, nec populum, nec Imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti. nobis cum *Faliscis*, quæ pacto fit humano, societas non est, quam ingene-

B ravit natura utrisque, est, eritque, sunt & belli sicut pacis jura: justeque ea non minus quam fortiter didicimus gerere. arma habemus non adversus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur, sed adversus armatos, & ipsos, qui nec læsi, nec lacessiti à nobis castra *Romana* ad *Vejos* oppugnaverunt: eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vicisti. ego *Romanis* artibus, virtute, opere, armis; sicut *Vejos* vincam. Denudatum deinde eum manibus post tergum illigatis reducendum *Falerios* pueris tradidit, virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi

C primum facto, deinde à magistratibus de re nova vocato Senatu, tanta mutatio animi est injecta, ut qui modo efferati odio, iraque *Vejentium* exitium potius, quam *Capenatium* pacem mallent, apud eos pacem universa posceret civitas. Fides *Romana*, justitia Imperatoris in foro, & Curia celebrantur, consensuque omnium legati ad *Camillum* in castra, atque inde permissu *Camilli Romam* ad Senatum, qui dederent *Falerios*, proficiscuntur. Introducti ad Senatum ita locuti traduntur: Patres conscripti, victoria, cui nec Deus, nec homo quisquam invideat, victi à vobis, & Imperatore vestro, dedimus nos vobis,

D rati, quo nihil victori pulchrius est, melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris victuros. eventu hujus belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt, vos fidem in bello, quam præsentem victoriam maluistis: nos fide provocati, victoriam ultro detulimus, sub ditione vestra sumus. Mittite qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant, nec fidei vos nostræ, nec nos imperii vestri pœnitebit. *Camillo* & ab hostibus, & à civibus gratiæ actæ. *Faliscis* in stipendium militum ejus anni, ut Populus *Romanus* tributo vacaret, pecunia imperata, pace data, exercitus *Romam* reductus. de

E hac historia cum *Livio* fere conveniunt *Val. Maximus*, *L. Florus*, Julius Frontinus *lib.* IV. *Strategematicon*, *Plutarchus*, & recentiores plerique auctores. leguntur ea de re *Alphii Aviti* poetæ versiculi:

Tum literator creditus,
Ludo Faliscum liberos,
Conatus in campi patens
Extraque muros ducere
Spatiando paulatim trahit,
Hostilis ad valli latus.

Fuit autem is annus ab Urbe condita CCCLX. ab

F exactis Regibus CXVI. ante JESU Christi Servatoris nostri adventum tercentesimus nonagesimus primus, & ab eo, quo primum *Falisci* adversus *Romanos* per *Fidenatibus* pugnaverunt, quadragesimus secundus. Postquam *Romanis Falisci* (sicut est dictum) se dediderant, aliquoties rebellarunt, sed semper adversis præliis victi sunt. Interjectis enim paucis annis interim *Galli a Clusio* ad urbem infesto exercitu profecti fusis ad *Alliam* fluvium *Romanis*, ceperant, incenderantque urbem, in-

genti facta occiſione. deinde *F. Camillus* Dictator abſens creatus, inter pendendum aurum cum exercitu ſuperveniens *Gallos* poſt ſextum menſem urbe expulerat, cecideratque, cum *Etruria* prope omnis armata *Sutrium* urbem ſociam Populi *Romani* per pactionem à feſſis civibus traditam occupavit. Interveniens autem *Camillus* iterum Dictator, eodem die recepit oppidum, & trucidatis paſſim *Etruſcis* oppidum ante noctem inviolatum *Sutrinis* reddidit. *Romæ* autem poſt tantam à *Gallis* factam civium cædem, in civitatem accepti, qui *Vejentum*, *Capenatium*que, ac *Faliſcorum* per ea bella transfugerant ad *Romanos*, agerque iis novis civibus aſſignatus. Quarto deinde anno *Camillus* & *P. Valerius* Tribuni militum *Sutrinis*, & *Nepeſinis Romanorum* ſociis adverſus *Etruſcos* auxilio miſſi, oppida jam ab hoſtibus capta vi recuperarunt, & ſociis reſtituerunt. Poſt annos autem circiter XXV. cum *Tarquinienſes*, (quæ civitas erat *Etruriæ* maritima, gentis *Tarquiniæ*, Regum olim *Romanorum* patria, cujus adhuc in agro *Cornetano* extant veſtigia) fines *Romanos* populabundi peragraviſſent, hinc adverſus eos nata belli occaſione *C. Fabius Ambuſtus* Conſul adverſus eos miſſus incaute, atque inconſulte pugnavit, inſigni accepta clade. Quo in bello, quia cum *Tarquinienſibus* militaverat juventus *Faliſcorum*, anno ſequenti ad prius deſtinata bella *Romanis*, *Faliſci* quoque hoſtes exorti duplici cauſa, quod cum *Tarquinienſibus* (ut eſt dictum) militaviſſent, & eos qui *Falerios* profugerant ex *Romanis*, cum male pugnatum eſt, repetentibus fecialibus *Romanis* non reddiderant. Quamobrem ſecundo deinde anno *Fabium* iterum Conſulem adverſus eos miſſum, *Faliſci*, *Tarquinienſes*que prima pugna fuderunt, quod ſacerdotes eorum facibus ardentibus, anguibuſque prælatis, inceſſu furiali militem *Romanum* inſolita turbaverant ſpecie. Sed poſtea metus vanitate agnita, *Romani* milites in hoſtes irruentes, averterunt illorum aciem, caſtriſque etiam eo die potiti, præda ingenti parta, victores reverterunt. Concitatur deinde omne nomen *Etruſcum*, & *Tarquinienſibus*, *Faliſcis*que ducibus, ad *Salinas* perveniunt: adverſus quorum terrorem Dictator *Cajus Martius Rutilius*, primus de plebe dictus, multos populatores agrorum vagos, palanteſque oppreſſit. Caſtra quoque nec opinato aggreſſus cepit, & octo millibus hoſtium captis, cæteris aut cæſis, aut agro *Romano* fugatis triumphavit. Inſequentibus autem annis adverſus *Tarquinienſes* acerbe ſævitum, multis eorum in acie cæſis, & captis, & *Cæritibus*, qui cum illis conſpiraverant, ob vetus *Cæritis* populi in *Romanos* meritum pax data, induciis cum eis in centum annos factis. In *Faliſcos* eodem noxios auſu vis belli converſa eſt, ſed quia nuſquam inventi hoſtes, cum populatione peragrati fines eſſent, ab oppugnatione urbium temperatum. Duobus deinde interjectis annis *T. Quintius & C. Sulpitius* Coſſ. ad bellum ambo profecti, *Faliſcum Quintius*, *Sulpitius Tarquinienſe*, nuſquam acie congreſſo hoſte, cum agris magis, quam cum hominibus, urendo, populandoque geſſerunt bella: cujus lentæ tabis ſenio victa utriuſque pertinacia populi eſt, ut primum à Conſulibus, deinde permiſſu eorum, ab Senatu inducias peterent, quas in annos quadraginta impetraverunt. Annis deinde interjectis octo, *Marco Val. Corvino III.* & *A. Cor. Coſſo* Coſſ. qui fuit annus ab Urbe condita (ut puto) CCCX. cum feliciter ad *Sueſſulam* cum *Samnitibus Romani* pugnaſſent, ejus certaminis fortuna perterriti *Faliſci*, cum in induciis eſſent, fœdus ab Senatu petierunt. Permanſerant autem in fœdere multis annis, donec

A *L. Papirio Curſore*, *Sp. Carvilio Maximo* Coſſ. anno conditæ urbis CCCCLX. (Cum interim *Romani* trans *Cyminium* in *Etruria* multis peractis bellis alios populos deviciſſent, alios in amicitiam accepiſſent, cum nonnullis inducias haberent) iis in *Samnitico* bello occupatis, & tandem victoria parta, per idem forte tempus rebellaſſe *Etruſcos* allatum eſt. legationes ſociorum querebantur uri & vaſtari agros à finitimis *Etruſcis*, quod deſciſcere à Populo *Romano* nollent, obteſtabanturque Patres Conſcriptos ut ſe à vi atque injuria communi hoſtium tutarentur. Reſponſum legatis, curæ Senatui futurum, ne ſocios fidei ſuæ
B pœniteret. *Etruſcorum* propediem eandem fortunam quam *Samnitum* fore. Segnius tamen quod ad *Etruriam* attinebat acta res eſſet, ni *Faliſcos* quoque, qui per multos annos in amicitia fuerant, allatum foret arma *Etruſcis* junxiſſe. hujus propinquitas populi acuit curam patribus, ut feciales mittendos ad res repetendas cenſerent: quibus non redditis, ex authoritate patrum juſſu populi bellum *Faliſcis* indictum eſt, juſſique Coſſ. ſortiri uter ex *Samnio* in *Etruriam* cum exercitu tranſiret: evenit ea ſors *Carvilio*, qui poſt captum prius vi *Troilium* oppidum, & alia quinque caſtella locis ſitu munitis expugnata, *Faliſcis* pa-
C cem petentibus annuas inducias dedit, pactus centum millia gravis æris, & ſtipendium ejus anni militibus. Demum poſt annos quinquaginta ſtatim poſt primum bellum *Punicum*, ut narrat *Polybius lib.* I. illato eis bello per *Q. Lutatium*, & *A. Manlium* Coſſ. illoque intra ſex dies tranſacto *Faliſci* ſe *Q. Lutatio* dedere coacti ſunt, cæſi *Faliſcorum* (ut ſuperius dictum eſt) quindecim millibus: cæteris pace data, agrique dimidia parte mulctæ nomine adempta. Sævire nihilominus in illos parabat *Romanus* populus, ut meritas darent pœnas rebellionis. Sed poſtquam (ut refert *Valerius*) a *Papyrio*, cujus manu, ju-
D bente Conſule, verba deditionis ſcripta erant, doctus eſt *Faliſcos* non poteſtati, ſed fidei ſe *Romanorum* commiſiſſe, omnem iram placida mente depoſuit pariterque & viribus odii, non ſane facile vinci aſſuetis, & victoriæ obſequio, quæ promptiſſime licentiam ſubminiſtrat, ne juſtitiæ ſuæ deeſſet obſtitit. In eam agri partem, quam diximus fuiſſe *Faliſcis* ademptam, deducta eſt deinde à *Romanis* Colonia, quæ, ut ſunt auctores *Cato* apud *Plinium*, & *Julius Frontinus*, *Junonia* cognominata eſt, & *Faliſca*. verba *Frontini* ex fragmentis *libri* inſcripti *de Coloniis* hæc ſunt: *Colonia junonia, quæ appellatur Faliſca, à tribus*
E *viris aſſignata eſt, in qua limites interciſivi ſunt directi, in locis quibuſdam rivi finales, & cava quæ ex pactione aſſignata ſunt; termini autem ſunt Silicinei, & diſtant à ſe in pedes* CCCLX, CCCCXX. CCCCLXXX. *&* DC. *cæteri normales rivorum curſus ſervant.* & ſubdit *Colonia Nepeſis ea lege ſervatur, qua & ager Faliſcorum*, & reliqua. Inclinato deinde *Romano* Imperio poſt calamitates illas, quas univerſa *Italia* per ſupervenientes velut undas Barbarorum nationes perpeſſa fuit, hæc regio *Faliſcorum* tota ceſſit in ditionem Eccleſiæ *Romanæ*, ſeu (quod magis vero conſonat) longa poſ-
F ſeſſione, quæ à *Ludovico primo* Imperatore confirmata eſt, anno à Chriſto nato DCCCXVII. ut probant ipſius *Ludovici* literæ poſitæ in decretis *Gratiani* 64. *diſt.* 100. *ego Ludovicus:* quarum eſt apud me integrum exemplum vetuſtis *Longobardorum* literis exaratum: in quo inter *Tuſciæ* loca connumerantur *Portus Centumcellæ*, *Cæra*, *Manturanum*, *Blera*, *Sutrium*, *Nepa*, *Caſtellum*, *Galleſium*, *Orta*, *Polymartium*, *Ameria*, *Tuder*, & *Peruſium*, cum tribus inſulis. Quam confirmationem per eadem verba fecit deinde etiam *Henricus*

ricus II. Imperator *Benedicto* Pontifici ejus nominis nono. Nam id, quod *libro historiæ suæ decimo* affirmat Blondus, provenisse hoc ex *Luitprandi Longobardorum* Regis, *Zachariæ* tunc *Romano* Pontifici, & divo *Petro* facta largitione, aliter se habet: is enim non totam regionem, sed loca certa, atque ea non concessit, sed prius ablata reddidit: ideoque Bibliothecarius, cui, ut antiquiori est magis credendum, in vita *Zachariæ* ita scriptum reliquit: *Luitprandus Rex reddidit eidem Papæ Sabinense patrimonium per annos triginta occupatum: Narniensem quoque civitatem, & Auximinam & Humanatem, & Vallem, quæ vocatur magna in territorio Sutrino, per donationis titulum ipsi, & beato Petro Apostolorum Principi reddidit, & pacem cum Ducatu Romano, in decem annos confirmavit.* Atque ut hoc quoque obiter declaremus: Ducatus *Romanus* tunc appellabatur ea regio, cui cum ipsa *Urbe Roma* præfectus erat unus ab Imperatore *Constantinopolitano* missus, & ei ex una parte ultra *Ameriam*, & *Narniam*, *Spoletinus* Ducatus, ex altera confines erant alii *Longobardi*, qui *Tusciæ* usque dominabantur. inter ipsos *Longobardos*, & *Romanos* bellum erat assiduum. Cum autem post *Narniam*, *Gallesium* quoque cum castello, id est arce sua, fuisset a *Spoletino* duce occupatum: de ejus recuperatione in vita *Gregorii tertii* Bibliothecarius ita scribit: *Hujus temporibus Gallesium castrum recuperatum est: pro quo quotidie expugnabatur Ducatus Romanus à Ducatu Spoletino, datis pecuniis non paucis Transemundo Duci eorum, ut cessarent bella, & quæstiones, & sic causa finita est.* Quam rem fusius explicando *Blondus* loco proximo citato ait: *Transemundus Spoletanus Longobardorum Dux, Regi suo Luitprando, cum quo paulo ante in gratiam redierat, rebellavit, in quem Rex potentissimum duxit exercitum: & Spoletio illiusque Ducatus oppidis brevi receptis Ducem quoque ipsum capere est adnixus, ille vero cum oppidum Gallesium, Romanis, quorum fuerat, pecunia accepta paulo ante reddidisset, fide publica à Stephano Patricio & Duce Romano habita in urbem confugit: postulavitque illico Rex perfugam Ducem reddi. Sed Pontifex Gregorius, Stephanusque Dux datam Transemundo salutis fidem censuerunt civium incommodo præponendam, tunc iratus Rex postquam urbem aliquot obsedisset dies, ad Ducatus Romani civitates & oppida se convertit, & Ameria, Orta, Polymartio, Bleraque captis, Spoletium rediit.* Quam rem *Baptista* quoque *Fulgosius* per eadem fere verba recitat, ubi de publica fide tractat *lib.* VI. *cap.* 7. Præter jam dicta *Faliscorum* oppida, erat illud quod *Strabo Faliscum*, *Stephanus*, *Plinius*, & *Solinus Faliscam* appellant, conditum (ut idem ait *Solinus*) ab ipse *Haleso* gentis principe, cum *Faleriam* (eodem auctore) *Falerius Argivus* condiderit. Id oppidum ubi situm esset, ex iis, quos adhuc legerim, nemo qui sciam, scriptum reliquit: attamen certa mihi est conjectura, fuisse in iis agri nostri *Gallesini* collibus, qui appellantur vulgo *Pomarii*, qua *Tiberim* spectant. ut non ab re servatum sit nomen *Pomariis*: quamvis nullæ ibi sint, neque etiam patrum memoria fuerint, præter quercus, pomiferæ arbores. Junctis autem *Strabonis*, & *Ovidii* testimoniis confirmatur hoc quod dico. ait enim *Strabo Faliscum* esse in via *Flaminia* inter *Ocriculum*, & *Romam*. *Ovidius* autem in Elegia superius citata, quemadmodum profectus ab urbe ad uxoris suæ patriam, quæ in *Faliscis* erat. è via digressus perrexisset *Faleriam*, ibique aliquandiu celebritatem festi *Junonis* videndi causa moratus esset, describens ait:

Cum mihi pomiferis conjunx foret orta Faliscis,
Mœnia contigimus victa Camille tibi.
Grande moræ pretium ritus cognoscere, quamvis
Difficilis clivis huc via præbet iter.

Et reliqua. At vero nullus alius est locus in via *Flaminia* inter *Ocriculum* & *Romam* ab ipsa *Roma* venienti citra *Faleriam* situs, nec cui magis appositum illud Pomiferis, conveniens sit, quam iis collibus, quos modo dixi *Pomarios* appellari: nec desunt antiquissima ruinarum vestigia eo in loco sæpius ab aratoribus effossa: poterat ex hoc situ id oppidum distare à loco ubi nunc est *Gallesium* circiter mille & tercentum passus. Quo autem tempore desierit habitari mihi est omnino incognitum. Sed illud verisimile est, inclinato *Romano* imperio supervenientibus barbaris illius habitatores eo relicto vicinum hunc, & natura sine mœnibus adversus eas barbarorum inundationes munitissimum locum nactos, *Gallesium* condidisse. Quæ vero fuerit nominis ratio non difficilis est conjectura, quæ satis ex iis, quæ recitavi, antiquis monumentis probari potest: cum appareat nomen non duplici, ut nunc scribimus, sed una tantum litera L. tertio loco scribi solitum esse, ut *Galesina* civitas, & *Galesium* oppidum, referat scilicet *Halesi Faliscæ* gentis auctoris & ipsius *Faliscæ* civitatis conditoris nomen. G. autem litera videtur locum aspirationis occupasse, aut ex usu vulgi. quod in similibus evenire solet, addita esse. Illud autem quod ab aliquibus asseritur, commistum esse nomen ex reliquiis *Gallorum*, qui à *Furio Camillo* profligati tanquam apud hostes *Romanorum* juxta *Virgilianum* illud.

Hinc Agamemnonius Trojani nominis hostis
Curru jungit Halesus equos &c.

Huc receperint, cum certum sit illos huc divertisse, admitti posset, nisi repugnarent *Lucius Florus*, & *Eutropius*: qui scribunt, omnes reliquias eorum ad *lacum Vadimonis* per *Dolabellam* deletas esse, ne quis extaret in ea gente, qui incensam à se *Romanam* Urbem gloriaretur. *Gallesium* situm est inter *Tiberim* fluvium, *Ortam* civitatem, & ipsas *Faleriæ* ruinas: distat autem a *Sabina* regione, intermedio *Tiberi* vix duobus miliaribus: à via *Flaminia*, quæ per agrum *Gallesium* ad orientem prope *Tiberim* jacet, ubi vicinior est, passibus mille quingentis: è regione viæ *Flaminiæ* ad occidentem recta linea mons est *Cyminius*, & juxta illum *Sutrianum* oppidum ad milliaria septem: Septentrionem versus distat *Orta* civitas, quinque millibus passuum, & totidem ad Meridiem ipsa *Faleria*. Ædificatum est ipsum, quemadmodum & alia fere omnia hujus regionis oppida, super topho rupibus altissimis undique exciso, cujus figura in oblongum tendens orbem persimilis est oblongo pyri pomo, ita ut pars ima, quæ latior est, orientem respiciat. Aer loci est saluber, bonaque temperies cœli, jucunda agri forma, cœlum hyeme, non ultra modum grave, jucunda etiam æstatis clementia, frequentius aer spiritu vitales auras, quam ventos habet. hic indigenæ senes diu quamplurimi vivunt, plures vidimus, qui centum annos ætate provecti transgrederentur, inter quos fuit *Angelus Massa* avus meus, vir qui ea ætate sinceris adhuc sensibus & tenaci memoria res tam publice quam privatim gestas ab initio Pontificatûs *Martini quinti*, quem ex *Constantiensi* Concilio ad urbem venientem viderat, recte & memoriter enarrabat. Montes & *Sabini*, & *Cyminii* procul absunt. Ager totus est fere planus, ut tota regio, præterquam quod illis rivorum perrennium est intersectus alveis profundissimis, ita ut plerisque in locis alludant *Virgilii* versus:

Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur,
In cœlum scopuli.

Et qua spectat ad ventum Aquilonem, & *Ocriculum*, non longe ab oppido sunt ii, quos appellant monticulos, & paulo ulterius ii, (quos dixi) *Pomarii* colles. Rerum proventu, hisque rebus omnibus, quæ ad victum, ac humanum usum spectant satis uber, ubi terra minus læta minus est sementi apta, quippe quæ super topho sita non admodum alta esse potest, ubi propius oppidum sunt oleæ feracissimæ, quas bonitate fructus nec *Tyburtinis*, nec *Venafranis* cedere autumo. Longius sunt querceta densissima. Præterlabuntur visu etiam jucundissimi rivi perennes, atque ex iis piscibus referti cum plures, quorum duo hinc atque illinc decurrentes paulo sub ipsum oppidum in unum confluunt. Scatent ubique fontes: inter quos duo sunt animadversione digni, alter qui viri *Faliscæ* gentis conditoris nomen retinens, adhuc dicitur *Halesanus*, manans ex antiquo manu cavato cuniculo: Alter vero, quem memoriæ proditum est ex topho per divum *Famianum* huc venientem viatorio baculo, cum sitiret, percusso, scaturisse, emanasseque. Locus est porro ita natura munitus, atque aditu instructis aciebus difficilis, ut non sit nostra neque ætatum memoria auditum in oppidum hoc hostes irrupisse. quinimo nec tentasse, *Nicolai Fortebrachii* conatu excepto: qua de re *literæ sunt in regestis brevium Eugenii* datæ XIV. Augusti MCCCCXXXIV. quibus Pontifex ille gratias agit *Sutrinis*, & *Gallesinis*, quoniam ex literis *Michiletti Attenduli* sui exercitus Ducis intellexerat eos *Fortebrachio* suo rebelli præ cæteris vicinis restitisse, illumque virili animo rejecisse. Nam *Ladislaus* Rex, qui regionem hanc totam in ditionem suam redegit, ac *Baucham* & *Castellum* agri nostri oppidula inter alia diruit, *Gallesium* non modo non lacessivit sed etiam benigne in tutelam suscepit. habentur *in scriniis publicis ejus literæ* super hac re datæ in castris prope *Narniam* die x. Julii MCCCCXIV. Cum vero *Britones*, qui a *Romano* populo apud *Marinum Latii* oppidum *Urbano VI.* sedente fusi, à suis, qui in arce *Sutriani* præsidio remanserant recepti, ibi usque ad *Martini quinti* Pontificatum viventes, sæpius erumpentes regionem omnem vexaverunt, vestaveruntque adeo ut ex vicinis complura, interque illa *Balneolum*, *Allianum*, *Peschium*, & *Turricula* nostri agri Castella, deserta penitus ab incolis ac destituta remanserint: *Gallesium* tamen non solum non vexatum, verum etiam confluentibus desertorum locorum profugis adauctum fuit. Nostra quoque memoria, quod in primis cognitu dignum est, dum decimo sexto abhinc anno, qui fuit humanæ redemptionis MDXXVII. capta, direptaque urbe primum *Roma*, deinde *Narnia*, colluvies illa perditorum latronum nullo divino humanove jure coercita, circumquaque populabunda debaccharetur, *Gallesium* Dei benignitate malorum omnium fuit expers. Et (sicut cecinit quidam Poeta)

Multos lacera suscepit ab urbe fugatos,
Queis fuit hic posito certa timore salus.

Sunt in agro præterea *Lojani*, & *Caceani* oppidorum vestigia, quæ quando eversa fuerint scire mihi adhuc datum non est. Fuisse olim *Gallesium* pro ritu *Romanæ* Ecclesiæ sede ornatum Episcopali, alias aliis argumentis affirmare consuevi, ut ex divi *Famiani* historia in antiquo majoris ædis libro (quem dicunt Horarium) descripta, & multis (quæ sunt apud me) antiquis contractuum libel-

A lis, ac instrumentis, quæ *Gallesium* habent civitatem & ex Episcopo adhuc extante: sed tandem aliquando id certo comperi visis primum subscriptionibus Concilii *Romæ Martino primo* ejus nominis Pontifice anno à Natali Jesu Christi DCLXIII. habiti, cui subscribit inter alios *Dominicus Gallesii* Episcopus. deinde in *Vaticana* bibliotheca *inter Alexandri IIII. regesta* inventis literis datis *Viterbii* XIV. Kal. Febr. Pontificatus ejus anno primo, per quas idem Pont. Ecclesiam *Gallesinam*, cujus reditus ob eversionem aliquot castrorum ejus diœceseos erant valde diminuti, Ecclesiæ civitatis *Castellanæ* conjun-

B git. Quemadmodum postea simili de causa per *Eugenium IIII.* civitatis *Castellanæ*, atque *Ortanæ* Ecclesiæ copulatæ sunt. quamobrem *Gallesii* titulus quodammodo intermortuus est. habentur *Eugenii literæ in regestis bullatarum*, datæ *Romæ* quarto Idus Septembris MCCCCXXXVII. Per quem autem ea, quam sic (ut dixi) amisit, Episcopali dignitate *Gallesium* ornatum fuerit, est mihi adhuc penitus incognitum, atque occultum. verumtamen postquam sic Episcopo caruit à *Joanne XXIII.* & *Alexandro VI.* Pontificibus titulo Comitatus est insignitum. extant illius literæ datæ Cal. Maji anno primo sui Pontificatus,

C qui fuit MCCCCX. hujus vero octavo Idus Septembris MDII. Pontificatus ejus anno XI. Ipsum oppidum de manu Tyranni ereptum Pontificiæ Sedi restituit *Paulus* Papa II. qui insuper communitati *Gallesii* dono dedit *Peschii* & *Alliani* quondam oppidorum agros, & dimidium portorii quod transvectionis *Tiberis* nomine a viatoribus exigi consuevit, atque alia complura, quæ itidem confirmavit *Sixstus IIII.* ejus successor. extant literæ *Sixti* datæ Kal. Febr. MCCCCLXV. & *Pauli* quinto Kal. Septembris MCCCCLXV. De dicta ejectione Tyranni scribit etiam Jacobus Cardinalis Papiensis *Commentariorum suorum lib. V. Cum autem in-*

D *testinis discordiis mirum in modum agitaremur, Julius Papa II. Nicolaum Ruveræum suæ sororis filium pro Romana Ecclesia Vicarium nobis perpetuum præfecit, cujus præsidio sedatis discordiis Dei benignitate ad hunc usque diem quiete ac tranquille vivimus.* extant & ipsius *Julii* literæ datæ XII. Kal. Octobris MDXI. Sub ipsum oppidum juxta fluentem rivum est insignis ædes in divi *Famiani* honorem extructa. fuit autem is *Famianus* vir sanctus patria *Coloniensis* genere nobilis, nomine *Quuardus*, patre *Gotthiscalcho*, matre *Giumera* natus, puer primum bonis literis instructus, atque optimis moribus imbutus, deinde adolescens

E parentum & propinquorum illecebris, ac mundi deliciis repudiatis, omnem vitæ cursum ad Deum summum bonum direxit, ad *Urbem*que primum, inde *Compostellam*, *Hierosolymam*, & quæcunque sunt apud Chisticolas celebriora sanctitate loca peregrinatus accessit. professus interim ad extremos vitæ annos *Cistercienſium* religionem tunc maxime *Bernardi*, aliquot ante annis vita defuncti, sanctitate florentem, & protracta peregrinatione in annos ferme XLII. Demum jam corpore ingravescens, quieturus *Romam* reversus, *Eugenio III.* sedente à divis *Petro*, & *Paulo* in somnis monitus ut *Gallesinam* peteret civitatem, cum huc divertisset, & ab *Ascaro* indigena viro nobi-

F li exceptus hospitio, post dies paucos ex prædictione morbo obiisset, innumerabilibus claruit miraculis. Quapropter ab *Adriano IIII.* Pontifice anno à Natali Domini MCLIV. mutato ob miraculorum famam nomine, *Latina* nuncupatione *Famianus* dictus, in Divorum numerum est relatus, & extra oppidum circa ipsius tumulum sacra illi ædes extructa est: quæ postea *Munaldi* Episcopi largitione, comprobante id *Nicolao*

lao quarto Pontifice, Deiparæ Virginis, quæ intra oppidum est, ædi connexa, Archipresbyteri, & Canonicorum ipsius interioris ædis cura regitur, ingenti cum munere dicti *Julii* Papæ, qui ipsam *Famiani* ædem octavo mensis Augusti (quo die festum in illius obitus memoriam celebratur) pie visitantibus, delictorum veniam, necnon Archipresbytero, & Canonicis amplissimam quæcumque delicta condonandi facultatem concessit, exemplo *Pauli*, qui inter alia quæ (ut dixi) nostræ Communitati dono dedit, ad diem huic Divo festum toto triduo mercatum ab omnibus vectigalibus immunem concesserat, quas & *Julius* ipse ad octo dies ampliavit. *Gratiliani* quoque martyris, de quo supra est facta mentio, & quem alibi nusquam nominari nedum coli audivi, extat apud nos (utpote civis nostri) memoria miraculis clara, & extra oppidum celebre sacellum, & indigenis viris nomen in ipsius Divi honorem frequens impositum est. Scio sæpe a nonnullis quæsitum esse, ac quæri, cur apud historicos, præsertim antiquiores, post antiquas illas (de quibus supra dictum est) cum *Romanis* commissas pugnas, rara sit non modo *Gallesii*, sed totius hujus *Faliscorum* regionis, & hominum mentio? Duplicem his ego rationem afferri posse autumo. Regionis situm, exercitibus, & bellicis rebus gerendis male commodum, quin & (quemadmodum ex supradictis liquere potest) periculosum, & Urbis *Romæ* vicinitatem, quam non modo in his fere suburbiis, sed in *Mediolano* considerat *Ausonius* ubi inquit: *Nec juncta premit vicinia Romæ.* etenim ex finitimis regionibus, & ex hac potissimum, posteaquam in *Romanorum* potestatem venerunt, quotquot erant, vel in dies crescebant, historis forsan celebrandi, vel ingenio, vel manibus promptiores, vel opibus affluentiores, in *Romanam* civitatem, & militiam migrabant. Hinc apud *Fab. Pictorem*, & alios qui de antiquitatibus Urbis scripserunt, *Vicus Thuscus IIII* stadiorum ambitus, de quo Propert.

At tu Roma meis tribuisti mœnia Thuscis:
Unde hodie Thuscus nomina Vicus habet.

Hinc *Vicus longus*, *Vicus Arniensis*, *Vicus Stellatinus*, *Lartenianus*, *Faliscus*, cognomina quæ à *Thuscis* sunt, commigrantibus in civitatem *Romanam.* Quod nobis invidit in itinerario suo *Rutilius*, *Numantianus* inquiens.

Felices etiam qui proxima munera primis
Sortiti Latias obtinuere domus.

Et subdens.

Relligiosa patet peregrinæ Curia laudi,
Nec putat externos quos decet esse suos,
Ordinis Imperio, collegarumque fruuntur.
Et partem Genii, quem venerantur, habent.

Hoc etiam sibi volunt *Virgilii*, *Lucani*, & *Silii* exercituum enumerationes, & aliæ in hunc sensum innumeræ pene testimoniis sententiæ. Sed quid opus tot antiquorum testimoniis? cum & nostra, ut patrum memoria, *Roma* etiam urbe ab antiquo illa longissime peneque incomparabili intervallo declinata, idem tamen frequenter evenisse audiamus, & videamus? Accedit quod, quantum ad nostros attinet, non solum ipsi ad Urbem, sed & *Urbs* ad ipsos devenit. Siquidem a ponte *Tiberis* nostri agri, cujus adhuc apparent fundamenta, adeo via *Flaminia* utrinque continenter, & perpetuo continuatis ædificiis frequens erat diversoriis, officinis, & illustrium virorum monumentis, quorum etiam plurima extant vestigia, ut non vicus unus, neque plures

A Villæ viderentur esse, sed ipsam Urbem huc usque protendi appareret. Quapropter (ut est apud *Blondum*) *Ammianus Constantii Cæsaris* adventum ab *Constantinopoli Romam* scribens, dicit: *Hormisdam genere Persam architecturæ peritissimum, in Cæsaris comitatu ductum, & omnium colloquio destitutum, primaria quæque dignioraque Urbis ædificia diligenter inspecta ordine sibi ostendere jussum, ab Ocriculo Romam prius ingressum fuisse, quam quo in loco Urbs inchoaret discernere, & intelligere posset.* quod significant etiam *Claudiani* versus in sextum *Honorii* consulatum, ubi præterita *Narnia*, inquit:

B *Inde salutato libatis Tibride lymphis,*
Excipiunt arcus, operosaque semita vastis
Molibus, & quicquid tantæ præmittitur urbi.

Quibus conveniunt etiam verba Dionysii *lib. iv.* ita dicentis: *Sed sunt omnia circa urbem habitata loca, multa ea, & magna, facillimaque advenientibus hostibus fieri obnoxia. sique aliquis ad hæc spectans, velit Romæ magnitudinem exquirere, is & errare cogetur, nec habebit signum ullum: certum quod dignoscatur, quousque sit hæc urbs progressa, aut unde esse non amplius urbis incipiat: ita urbi contexta est regio, præbetque spectantibus opinionem* C *extensæ in infinitum urbis*: itemque *Aristidis*, qui ait: *Descendit hæc urbs usque ad mare, ubi commune Emporium, communisque omnium quæ terra eveniunt dispensatio: quacunque in parte ejus Urbis constiterit quis, nihil prohibet quominus sit pariter in medio, quicquid nunc Italiæ restat, completura esse mihi videtur, unaque futura urbs perpetua, in Ionium mare protensa.* Constat autem proxime dictum, *Tiberi* impositum esse ab *Augusto*: quum (auctore *Suetonio*) quo facilius Urbs adiretur, desumpta sibi *Flaminia* via *Arimino* tenus munienda, reliquas à triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas curavit. Superadjecerat & in D opposita agri nostri rupe in præsidium *Pontis Castellum* quod *Ladislai* Regis tempore destitutum fuisse diximus. Ex his itaque fit, ut quemadmodum de nostratibus antequam *Romano* imperio subjicerentur, ob antiquitatem & scriptorum inopiam, ita postmodum quia in *Romanum* nomen transibant, rara admodum mentio facta sit. Atque hinc puto, vel ex nominibus deceptos auctores aliquot, qui *Martinum secundum*, & *Romanum*, Pontifices, *Gallesio* revera oriundos, hunc *Roma*, illum è *Gallia* oriundum tradiderunt. Sicut & *Paschalem primum* (*Blondo teste*) *Blera* natum, itidem *Roma* ortum esse di- E cunt: cum *Romanum Gallesio* patria natum referat idem *Blondus in Italia illustrata*: *Martinum* vero similiter liber alius incerti auctoris de Pontificum Vitis inscriptus. & de utroque idem testetur antiquissimus *Longobardis* literis exaratus *codex ex monasterio S. Vincentii supra Vulturnum* ad me delatus: quem probis viris pluribus ostendi, & cuicunque videre libuerit sum ostensurus. Quorundam tamen celebrium virorum recens est memoria, ex quibus præcipue referendi sunt *Nicolaus* Abbas *monasterii a victoria* comitatus *Albensis*, quem egregium fuisse Theologum indicant ejus commentaria, quæ in *Capranicensi* biblio- F theca perlegi: & *Antonius Angeli* facundus orator, cujus sunt apud me orationes, & epistolæ aliquot luculentissimæ. De fratre *Petro*, quem sedente *Urbano sexto* virum doctum, & præceptorem *Xenodochii sancti Spiritus in Saxia* fuisse constat comperti nihil aliud habeo. Fuit etiam (licet infelici exitu) vir bello strenuus *Jacobus*, demum ob res novas jubente *Eugenio IIII. Romæ* capite mulctatus. *Georgius* item *Saccardinus* apud *Venetos* militum præfectus clarissimus, qui ob in-

ingentia merita non solum civitate, sed patricia etiam dignitate donatus fuit. Hinc *Sabellicus*, qui solus ex recentioribus scriptoribus *Faliscorum* situm, utpote illis vicinus recte intellexit, in cæde *Sontiaca* de *Georgio* ipso loquens ait:

Nec non Gallesia tellus
Quem genuit, tellus campis vicina Faliscis,
Consilii hunc olim magni fecere Tyranni
Participem.

Et reliqua. de quo meminit etiam idem Sabellicus *lib.* VI. *de antiquitate Aquilejæ.* Alii plures armis, literis, moribus, & cæteris bonis artibus florentes, vel vivunt, vel nostra memoria in vivis fuerunt. Sed quia pene stulta, vel ambitiosior videri posset observantium oculis enarratio, illos posteris celebrandos relinquam.

FINIS.

PETRI CURSII,
Civis Romani,
De
CIVITATE CASTELLANA,
FALISCORUM *non* VEJENTIUM
Oppido,
Ad PETRUM MELLINUM,
POEMA.

F. DAMIANUS GRANA,
Veronensis,
PETRO MELLINO,
Utriusque Signat. Referend. ac S. Petri in Vaticano Canonico, S. P. D.

VEjentium *Urbs quo loco sita fuerit,* Meline *præstantissime, non modo ætate nostra plurimi se fatentur ignorare, verum etiam prisci scriptores temporibus quibus florebat viciniores, ubi vel ejus vestigium sit, annalium fidem laborare contendunt. Quam opinionem* Antonius Massa Gallesio Faliscorum *oriundus, Vir non minus prudens in Jure, quam in* Romana *historia versatus & præcipue locorum, in quibus natus est, peritissimus, in libello suo de origine, ac rebus* Faliscorum *confirmat: idemque pluribus probat Civitatem nunc* Castellanam *nuncupatam* Vejorum *nomine gloriari non posse, quæ ante paucos annos exorta inter* Faliscorum *oppida verius adnumeretur. Atque à* Vejis *distinctos fuisse* Faliscos *hæc* Livii *verba apertissime ostendunt:* Capenatum, *inquit ille,* & Faliscorum adventu Vejis adauctum bellum. *Hi enim populi, ut situ regionis, sic ipsis devictis periculo se proximos esse addubitabant. Ejusdem argumenti erat, in Bibliotheca* Julii Roscii Hortini, *poema* Petri Cursii *Civis* Romani; *cui facile persuasi, ut ad alia* Faliscorum *opuscula adderetur, quod probaret Civitatem, quæ nunc dicitur* Castellana, Faliscorum *non* Vejentum *agri esse. Ego vero cum mecum reputarem, cuinam quidquid id est operis inscriberem, tu unus occurristi* PETRE MELLINE *vel eam ob solam causam, ut eidem familiæ ac nomini liber redderetur. Accipies igitur læta fronte hoc* Petri Mellini *avi tui munus antiquissimum, & ut facis studia literarum Majorum tuorum exemplo fovere pergas. Vale.*

A

AD LECTOREM.
In laudem
PETRI CURSII.

LEctor si brevitas placet canentis,
Longum si grave volvere est libellum,
Si qui subsequitur statim libellus,
Futurus gravis, & laboriosus:
Hoc carmen lege non laboriosum,
Nec puto illepidum, expeditque paucis,
B Quicquid longior explicat libellus.
Pestem quum fugeret, via & salutis
Nulla quum fugientibus pateret,
Cinctos Cursius amnibus Faliscos,
Cinctos aeria, inviaque rupe,
Ambire est pede & ore sæpe adactus.
Et quamvis tulerit diu repulsam,
Intra mœnia serius receptus:
Hos gratus tamen admonet, precatur,
Ne facti immemores sui, & suorum,
Jam se nomine non suo vocarent:
Vejentes negat, asserit Faliscos.
At postquam videt hos sibi minari,
C Velle & præcipitem dare admonentem:
Dux novus (nova res) fit ex poeta.
Phœbi carmina facta sunt sagittæ,
Linquit mœnia: & hos necem parantes
Assultu vario urget, ense, & hasta.
Instat cominus, eminus lacessens.
Vastæ & sint licet hinc, & inde rupes:
Ægre tot tamen ictibus resistunt.
Sed quis hoc putet? hoste jam subacto,
Gentis exitium timens Faliscæ,
Cedit Cursius: abstinet duello.
Ultro dat veniam; hinc ad obstinatos
Conversus precibus, minisque amicis,
D Hos reddit precibus proterviores.
Tum (qui mos Ducis optimi & superbi)
Huc tormenta vehit potentiora.
Rupes terrifico ferit fragore:
Sternit mœnia, disjicit tuentes:
Scalas admovet, insilitque muros,
Urbem vi potitur: potitur arce,
Parcit civibus, abstinet rapina,
Servat virginibus suum pudorem:
Has victi tamen, has luere pœnas.
Primum hic populus coactus omnis,
Vejens fœdifragum putare nomen:
Jampridem genus occidisse Vejens:
E Vejentes procul hinc fateri & agros,
Inde nomine se suo vacare.
Demum vivere legibus Faliscis,
Si fallo, tibi mentiorve lector:
Me Vejens amet, oderit Faliscus.

Sub Clemente VII. Pont. Max.
PETRO MELLINO ROM. D. D.
JULII ROSCII HORTINI.

ILlustris proavum meritis, Romana propago,
F *Et Vaticanæ gloria PETRE domus*
Pieridum columen, patriæ spes nomine dici
Seu MELLINE velis, sive MELINE magis.
Nomen utrunque decet. Nam melle es dulcior ipso,
Dulceque mellito fundis ab ore melos.

MEllıne optime, candide, erudite,
Et flos, & decus omnium Quiritum:
Fæci dii male fecerint Quiritum:

Ru-

Rufino malefecerint Casali,
Qui cadaveribus præest humandis.
Hic ædes superum facit sepulchra:
Hic cadaveribus domos Deorum
Veneno, & sanie oblitis refersit.
Fæx fœdissima Romuli Nepotum.
Dii fæci malefecerint Quiritum:
Rufino malefecerint Casali:
Qui me Cursiolo, lari, puellæ:
Qui me tot lepidis bonis amicis,
Qui me denique surpuit mihimet:
Vir nequissimus omnium virorum.
Fæci Dii male fecerint Quiritum,
Rufino male fecerint Casali:
Qui me compulit urbe derelicta,
Ad Vejos rapido volare cursu:
Dum vilissimus omnium virûm vir.
Id cadaveribus replet sacellum:
Quod Scribonius haud labore parvo,
Aere nec minimo, ad pios precatus,
Vix refecerat obsitum ruinis,
Campus nunc ubi Martius tumescit,
Summus nunc ubi mons patet Citorus.
Vox loci hæc reor à citatione,
Quod olim huc populus coiret omnis,
Ad comitia quum foret citatus.
Septorum hunc aliqui locum putantes,
A septis potius volunt vocatum:
Voce non tamen integrum sonante.
At postquam incidimus jugum in Citorum,
Atque ipsa hunc tacuit locum vetustas,
Fas hoc credere non fuisse nomen:
Fas tum credere non fuisse, montes
Quum septem colerent sacros togati,
Nec dum Martia Roma, Martio esset
Campo condita, montibus relictis,
Nam nomen celebrasset hoc vetustas.
Fas hunc dicere non fuisse montem.
Nam qui nunc tumor, haud tumet suapte
Naturæ positu: tumet refossa,
Congestaque locis humo è propinquis,
Convectisque locum unum in hunc ruinis,
Ne sordes Tiberinus urbis omnes,
(Ut nunc) volveret æstuans, in æquor,
Sed puro sacer alveo niteret.
Hoc summo, hoc positum jugo, & refertum,
Hoc cadaveribus jugo est sacellum,
Heu nostro male proximum Theatro,
Vicinum, heu male Cursio, & puellæ,
Noctes id patet, id dies sacellum.
Sacra hic nulla pius facit sacerdos:
Nulla hic vota virum Deos fatigant:
Hic nullis precibus nurus pudicæ,
Nec ullis onerant Deas querelis:
Res est prætereuntibus timori.
Nedum queis propius lares colantur.
Nos ô ter miseros, quibus timenda
Sint Divum sacra templa, sint & aræ!
Nec Divum simulachra adire tutum?
Huc mortale genus loci est redactum,
Vivos mortui ut enecent, & ipsi
Vivis ut pariant necem sepulti.
Melline optime, candide, erudite,
Viventum decus omnium Quiritum,
Hac meos abiens adire amicos,
Hac te non potui videre causa:
Hoc actum ut miser omnibus relictis,
Ad Vejos vehibus vehar sine ullis,
Ad Vejos sine me volem, & sine alis,
Vejos rupibus, amnibusque cinctos.
Quæ te ne lateant, paresque amicos,
Hæ jussæ (ut scelus hoc luant) tabellæ
In urbem pedibus venire quinis.
Sed qui non minimus dolor tabellis
Huc vestris vetitum venire Vejos:

A Excludunt, abigunt, petunt sagittis,
Quicquid mœnibus exit è Quirini.
Vejens hic populus cupit vocari.
Nuda hac voce tumens superbiensque:
Quo si de populo senem rogaris.
Vejens cur sibi nomen arrogarint?
Hic senex subito, vel occupatus,
Urbe non procul indicabit agros,
Prisci qui retinent notam duelli:
Nomen qui referunt tuum Camille.
Idem mille perisse, non trecentos
Jurabit Fabios: Cuniculumque,
Qui casu haud liquet, an sit arte factus,
B Scalpro hiasse feret Camilliano.
Utcumque hæc fuerint, nihil moramur:
Namque anilia persequi peritum,
Aut refellere, non decet poetam.
Sed quis hoc potis est tacere? quantus
Vejens sit sua dum canit trophæa?
Nunc victor Fabios necat trementes,
Intra mœnia nunc agit Quirites:
Effert nunc veterum (ut suos triumphos.
Nec se unquam memorat fuisse victum:
Jactat prædia, regiumque nomen.
Tollit nunc sua mœnia: atque magnis
Audet dicere non minora Athenis
C Nulla cui monumenta sint avorum:
Extent cui veterum sepulchra nulla:
Nulla cui nova mœnia, aut vetusta:
Cui pro mœnibus alta sit crepido:
Cui non signa aliqua hos fuisse Vejos.
Vejos si tamen abnuamus, actum est,
Vejentes nisi dixerim, minantur
His me præcipitem (parata mors est)
Vastis undique rupibus daturos.
Nec est effugio locus salutis,
Nec spes est aliqua, undique, undæ & umbræ:
Caligant oculi: timent tuendo.
Horrendum, tribus amnibus premuntur,
D Partem & quodque suam secat fluentum,
Ut pars sit quota non revulsa ab undis?
Ut Isthmum hunc prope dixeris Faliscum:
Ripæ & his tribus, hinc & inde rupes,
Rupes, vertice quæ petunt olympum,
Rupes quæ incutiunt metum Tonanti.
Quid si hos tres Cremeras fuisse dicant.
Namque hi de Cremera crepant chimæras:
Credentes Cremeram abluisse Vejos:
Quos nullum prope curreret fluentum.
A quibus Cremeram absuisse certum est.
Namque inter Cremeræ fluenta, & urbem hanc
Vasti agri spatium fuisse constat,
E Minentur licet usque, & usque & omnes,
Vir, puer, juvenis, senex, puella,
Tormenta, exitia. evomam tibi uni,
Quid de tam dubio rear popello.
Fine & si careant suo hæ tabellæ:
Nec dum sit suus his modus Camœnis.
Non res hoc facit, aut amor canendi:
Res namque hæc tenuis, licet futurus
Labor non tenuis: juvat ferentem
Tot incommoda, tot neces dolentem.
Hic labor mage, quam dolor tacentem
Hærentemque animo usque in his periclis,
Nec me grandius audies sonantem,
F Neque huc Aonidum choros trahentem:
Sed, quo jam pede cœpimus, Thaliam
Ad leves teneram modos cientem.
At tu, quæ tibi credimus, silebis:
Ne contra Aeneadum focos, & aras,
Hæc si dixeris, hi ferant duellum.
Nosti quam faciles ad arma Veji:
Nosti quam subito ruant tumultu.
Et si forte animo nimis protervo es,
Nec quicquam metuis tibi, nec urbi:

Par saltem ut metuas tuo sodali,
Casum tam prope cui scias paratum.
Faliscum genus hos puto, & colonos,
Sunt qui relliquias Faleriorum
Hunc putent populum, negent colonum.
Hoc, illud fuerit, nihil laborem.
Ad rem namque facit vel hoc, vel illud.
Extant mœnia, vidimus, Falisca,
Quadrato è lapide & vetusta, & ampla.
Extra urbem veterum videntur urnæ,
Incisæque notæ indicant sepultos:
Intra mœnia, sed domos Deorum,
Nulla (ut nunc) videas virum sepulchra,
Per quæ cedere civitas ab urbe,
A templis procul esse cogeretur,
Nomen mœnibus his suum remansit,
Sunt & tam prope, cogar ut Faliscos
Hos putare homines, putare & agros.
An non sunt prope? si audias canentem
Gallum mœnibus his, canat si in illis?
Nec longe è regione sunt Falisca,
Qui montem, & Cymini lacum frequentant,
Lucos & loca possident Capena.
Juncti olim hi populi, & fuere amici,
Juncti non itidem fuere amici,
Nam Vejens procul abfuit Falisco,
Atque horum in medio fuere saltus,
Anfractus, juga, inhospitæque valles,
Iter difficile, asperum, inviumque,
Atque ipsis magis hostibus timendum.
Nec frustra hoc timuere tum Quirites,
Quos multum timuisse fert vetustas.
At qui tum fuerat labor timendus?
Victori populo? duci & Camillo?
Ut urbem caperent Faleriorum,
Vejenti domita urbe tam propinqua?
Quum nullæ hæc loca separent salebræ,
Non ulli scopuli, inviæve valles,
Quales cernimus undique in Falisco,
Sed sint omnia plana, culta, aperta?
Vejens scilicet abfuit Falisco,
Quos intermedios fuisse & ipsum
Antiquum Nepete, ipse vel Capenas,
Ipse vel fateatur & Faliscus.
Quos junctos simul impiger Camillus,
Dum Vejis properant nimis juvandis,
Armis exuit, exuitque castris:
Atque his in mediis cecidit rivis:
Ad Vejos iter & statim reflexit.
Nam dux providus, ut futurus impar,
Hi tres si populi simul coiissent,
Vejos pone reliquerat, caventes
Tale nil minus, aut minus verentes
An Vejens proprias remisit urbes
Romanis Patribus? Quiritibusque?
Contempsit Nepesina & arva? & urbem?
Neglexit loca proxima? in Falisco
Tandem constitit? expulit colonos?
Urbem diruit? occupavit arva?
Vejos condidit? intulit Falisco
Nomen, & sibi pristinum reliquit?
Non constat ratione qua sit actum,
Cujus auspiciis, cohorte, signis,
Quibus Consulibus, die, vel hora.
Admissum tamen, & male est receptum,
Vejens ut colat intimos Faliscos,
Ad Austrum & Nepesina linquat arva,
Olli quæ fuerunt pigrum ad Booten.
Hic si quis velit invenire Vejos.
Vestiget prius erutas tot urbes:
Quarum nomina quis referre possit?
Ne dum mœnia, seu situm docere:
Arte nam inveniat, satis putemus,
Quam nostros liquet eruisse Reges,
Cui Veji hinc fuerunt, & inde Cære.

A Hinc Tibris sacer: æquor hinc Hetruscum,
Cui sol hinc Nabathea lustrat arva.
Illinc Hesperias colorat undas.
Sed quis nunc queat edocere Vejos?
Ipsa quos male sciverit vetustas,
Flori tempora si velint vetusta.
Quid non imminuit dies? premitque?
Quid non tempus edax vorat? Faliscus
Se nescit miser, & solum suorum
Qui factum latet: error est apertus.
Tantum hunc non oculis videbis absens,
Hinc qua sol oriens fugat tenebras,
Quum nox longior occupat Decembres.
B Mons Soracte caput levat superbum,
Quem montem sibi vendicant Falisci,
Quem Vejens quoque non negat Faliscum.
Hinc qua sol petit occidentis oras,
Pulchra mœnia sunt Faleriorum:
Quæ Vejens quoque non negat Falisca.
Hi Veji hoc medio manent recentes,
Mentitus nequit hoc negare Vejens,
Aequo nec medio manent, recedit,
Vejis mons mage, tecta quam Falisca.
Vejens vult tamen esse, non Faliscus,
Vejens qui neque sit, nec esse possit,
Qui sciens medios colat Faliscos,
C Qui tantum inter utrunque linquat agri,
Quantum sat sibi credat hic, vel ille,
Vejens vult tamen esse, vult haberi:
Oblitus spatii, soli, suique,
Ignarus genus occidisse Vejens,
Ex quo vendidit inclytus Camillus.
Quin spernit decora. & genus Faliscum,
Clari ac si fuerint minus Falisci,
Quam nomen leve, perfidumque Vejens:
Vejens qui cupis esse, vis vocari,
Credi & Thrax mage, quam velis Faliscus.
Raras dum refero Faleriorum,
Paucis accipe, ne gravere laudes.
D Odit perfidiam propago Halesi:
Cognomen dedit æquitas Falisco,
Inde à principio, per omne seclum,
Cultor justitiæ, & fuit Deorum,
Pacis artibus, & potens duelli.
Quas urbs jam caput urbium futura
Experta, hinc petiit, tulitque leges,
Quarum relligione, & æquitate,
Plus partum ditionis, & quietis.
Quam vi, quam legione, quam phalange,
Has gens non fera nulla non veretur,
Has victoria & ipsa: sit superba,
Sit quamvis violenta, quum remisit
E Ardor Martius, approbat, tuetur.
Urbem qui posuit Faleriorum,
Atride genitum liquet parente:
Qui tot Regibus imperans tot annos,
Bello Pergama diruit bilustri,
An urbs clarior hac beatiorve?
An Diis gratior hac putanda tellus?
Quæ gignit niveos sacris juvencos.
An Diis ulla potentior movendis?
Quam gens, cui nequeant nocere flammæ?
In te non ideo hæc deos lacessit,
Quod suum fugis, expuisque nomen,
Verbi transfuga, non soli Falisci.
F Sed tota hæc Regio, sacerque tractus
Te supplex rogat, obsecrat rebellem,
Ut te municipem Faleriorum,
Seu quem te voco, te voces colonum,
Quum Vejens neque sis, nec esse possis.
Pergratum id fuerit, Jovis sorori,
Argivis Dea quæ favet Faliscis,
Agros quæ cupit hic suos renasci,
Hanc læsam metuas, nimis proterva est,
Non veri precor hanc cavete Veji.

Ur-

Urbes obsidet, eruit rebelles.
Neglectam excidia, & juvant ruinæ.
Sprevit Ilion, erutumque ab imo est
Amice id rogo: namque vos beatos
Opto, & perpetuis virere seclis,
Quod me faucibus abstulistis orci,
Quod vestro hospitio diem tuemur,
Spiramus, loquimur, sumus, valemus,
Quod pestis rabiem hic pili putamus.
An vobis ego consulam sinistre?
An vos non mihi censeam, colendos:
Per quos mi licuit (licere quando
Non tutum fuerat) Faleriorum
Prisca cernere mœnia, & Cremonæ
Illic cernere Præsulem receptum,
Quantum, Juppiter, eruditione?
Quantum pectore, quam parem ferendis
Adversis sapienter, & secundis?
Hæc ut tot mala, vix mala hæc putemus,
Quod quam Roma dedit luem immerenti
Merenti hanc juveni urbs Falisca ademit.
Et vos non ego, ceu Deos, rogarim?
Valles non ego? non juga hæc adorem?
Cœli hanc temperiem? hæc nitentia arva?
Campis non ego præferam beatis?
Quando hunc vos juvenem inferis ab atris,
Ad lucem revocastis, ad salutem:
Quo jam sospite, lætior futura.
Tanto Thuscia tota clara alumno,
Quam sit præsule sanctior Cremona,
Corcyræ quoque Præsul hoc salubri
Cœlo quod fruitur, salubri & aura,
Non vestrum hoc opus? & decus Falisci?
Nam quamvis genere hic nitet vetusto.
Nec stirpe est Venetum secundus ulli:
Minus stemmate, quam nitet libellis,
Naturæ quibus abdita, & Deorum
Rimatus, penetravit, & retexit.
Non hujus genius loci est colendus?
Non plena venerandus est acerra?
Non querna quoque dignus est corona?
Quod tot hospitibus simul & disertis.
Et custos fuit, & dator salutis.
Quos inter (neque hos nominem necesse)
Tanto Gambarus est magis disertus.
Quanto est justior, innocentiorque,
Hujus justitiam, & fidem Falisci,
Vestris seditionibus repressis,
Firmam, perpetuam, integramque nostis:
Novit Thuscia tota, Gallia omnis.
Omnis Gallia, sed togata: novit
Urbs orbis caput, urbiumque mater.
Quæ, nondum licet hinc sit ire tutum.
Prætorem revocat suum ad Tribunal.
Sed quid non variat dies? quid hora
Tam brevis simile advehit priori?
Quando & Divitius suam Falisco
Acceptam populo refert salutem:
Opem qui toties tulit Falisco,
Vobis qui toties tulit salutem,
Vestræ quum Patruus præesset urbi,
Et sacri bona pars foret Senatus.
Sic rem quamque suus tenor relinquit:
Sic rem quamque suæ vices sequuntur.
Et vobis fuerit grave, aut molestum,
Vejens vertere nomen in Faliscum?
Verterunt aliæ vetus tot urbes
Nomen, & retinent novum vetustæ,
Prisci non ideo has piget relicti,
Ut novi quoque non pudet recepti.
Irsaci bene non decet monenti,
Vestro nomine vos olim vocari,
Vestro & nomine dicier Faliscos:
Quod vestrum fuit, hoc sit oro nomen:
Aequos vos volo: perfidos recuso.

A Ad te jam redeam decet sodalis,
Tractus longius hos trahendi amore,
Ut si quando meum legant libellum,
(Postquam talibus alloqui hos periclum est)
His forsan rationibus Faliscum
Nomen, & genus, & decus reposcant
Ac se moribus excolant Faliscis.
Ad te inquam redeo, & peritiores,
Nam quis tam rudis? oscitansve lector?
Quis & tam veterum immemor locorum?
Vejentem hunc putet? hunc neget Faliscum?
Quis rogo hoc probet? hoc ferat disertus?
Veji ut nil minus ipsa ab urbe distent,
B Quin distent mage ut ipsa ab urbe Veji,
Ipsa mœnia quam Faleriorum?
Non pauci tamen hoc putant diserti,
Seu quod omnia non videmus omnes,
Seu quod his loca cernere hæc negatum:
Seu quod difficile admodum vetustis
Tam locis dare terminos, suumque
Tam locis dare nomen exoletis.
Culpa non ideo hi vacant diserti,
Tum quod abfuit urbe Martiali
(Vera si referunt vetustiores)
Vejis longius Urbs Faleriorum:
Tum quod sunt alia evidentiora,
C Hos quibus liceat negare Vejos,
Hos veros quibus asseras Faliscos.
Quæ dum singula persequi parabam,
Ille tam modo cui miser timebam,
Natus unicus, & nepos parenti,
Quem tu tam similem patri asserebas,
Ille inquam meus unicus puellus,
Tetra Cursiolus lue est ademptus.
O crudelia sidera! ó nefandæ
Parcæ! ô fata fera! ô cruente Apollo:
O tot numina vana, quot tenere
Parnassi juga credimus sorores
Hoc vester meruit senex sacerdos?
D Qui vos tam coluit diu & pudice?
Qui votis puerum omnibus cupitum,
Vestris vix genitum sacris dicarat?
Vos natum mihi: vos patrem necastis:
Vos qui me patruus sequi coegit,
Et me Castalio imbuit liquore,
Ingratæ mihi patruum necastis.
Vos fratrem necuistis, heu tot annos
Quem cœsum queror à suis; avare
Inultum vitio, & male imperantum:
Inultum, & sine prole, ne cadentis
Fata tam fera mitius dolerem:
Hæc nos præmia vos manent sequentes?
E I natos mediteris? i nepotes?
I longam seriem? i decus minorum?
Mors una, omnia solvit, hora in una.
Et hæ persequar? & labor dolentem
Hic juvet mage, quam dolor tacentem?
Sed cui Pierius calor? furorque?
Cui mens his vigeat malis canenti?
Per quæ sunt sacra templa destituta:
Vincla sanguinis, & recisa amoris,
Fugit funera filius parentum,
Conjux deseruit virum cupitum,
Clausit lumina non soror sorori,
Amans extimuit fovere amantem,
F Divulsi unanimes amici amicis,
Naturæque odio, & Deum, æstuanti
Frater noluit ipsi adesse fratri,
Nec dum pallidula, extimens pericli,
Pater pignora chara dereliquit,
Matrem pœnitet astitisse nato,
Hausit lac puer, hausit & venenum.
Ne notis morer, ipse me reliqui:
Quando ne socium quidem laboris,
Huc unum tulerim sacri libellum:

Ipſe & me medium ferus peremi.
Quum nec conſilium mei Colori,
Exemplum neque ſum pium ſecutus.
Namque hunc non piguit ſenem parentem,
Tot per difficiles vias, tot æſtus,
Tot per oppida, tot per angiportus,
Ut natum eriperet lui imminenti,
Aut equo, aut humero, aut tuliſſe in ulnis,
Quo prudens ſtudio, & ſenex labore,
Inſtantis luis impetum repreſſit.
Hoc eſt frangere fata, vincere aſtra,
Hoc eſt cogere, non Deos movere:
Hoc illi eſt ſuus integer, patremque
Ore jam puer, & refert lepore.
Jam priſcum in decus excitant paternæ
Virtutes, pueri indolem ſuperbam.
At mihi meus ille tam tenellus,
Æternis jacet obrutus tenebris.
A Nec puer cecidit jubente fato:
Ipſe illum innocuum impius cecidi,
Quum Romam, mea, quum meos relinquens,
Impos conſilii, inſcius futuri,
Non illum è gemitu, è ſinu parentis,
Ipſo ab ubere pertinax revelli,
Sic mens, ſic animus, calor colorque,
Sic omnes ſimul abfuere ſenſus.
Sic omnes ſtupor occuparat artus.
At tu, quod ſupereſt, cave; & ſaluti
Prudens invigila. hoc rogant amici,
Hoc rogat patria: hoc rogant Cæmœnæ,
Quæ vitam tibi præparant perennem.
B Nobis jam gravis, & moleſta lux eſt,
Vitæ jam pudet, & piget peractæ.
At ſi poſt obitum ſuperſit ullus
Senſus præteriti memor: perennes
Vita, & gloria noſtra, erunt querelæ.

F I N I S.

ALDUS MANUCCIUS JULIO ROSCIO S.



AT vero mihi de te cogitanti allatæ ſunt literæ tuæ, quibus petis, ut ſi quid de *Proba Faltonia*, quæ circumfertur, apud me eſt, id ad te primo quoque tempore mittam. velle te ejus fœminæ ſcripta admodum ingenioſa, & quæ ſexus captum ſuperent, denuo ſtudioſis communicare. Probo tuam pietatem, qui Patriæ tuæ decus quaſi amiſſum reſtituas: &, cum eam tu ipſe ornes, addas etiam ad ornamentum, quæ, maxima cum ſint, majora tamen, te ornante, fiunt. *Probam* ut eam eſſe certo exiſtimem, de qua in tribus antiquis inſcriptionibus *Romanis* mentio fit, facile mihi perſuadeo. Et quanquam hæc vobis qui res *Romanas* aſſidue tractatis, ſatis abunde ſuppetunt: volui tamen, ut aliquid afferre videar, eas ad te mittere: ne, dum tu me ſatis liberalem putas, ego inofficioſus ſim, & deſiderari â te patiar non amorem, ſed diligentiam meam. Tu interim vale, dum ego te, & amicos, vetereſque, ac novos, inviſere cupio, & forſan ſpero. *Piſis* Cal. Jun. cIↄ Iↄ XXCIIX.

Romæ in domo Cæſia.

ANICIAE. FALTONIAE
PROBAE. AMNIOS. PINCIOS
ANICIOSQVE. DECORAVIT
CONSVLIS. VXORI
CONSVLIS. FILIAE
CONSVLVM. MATRI
ANICIVS. PROBINVS. V.C.
QVAESTOR. CANDIDATVS.
FILII. DEVINCTI
MATERNIS. MERITIS
DEDICARVNT.

Romæ in Æde Vallen.

ANICIAE. FALTONIAE. PROBAE.
. INLVSTRISSIMAE . ET
SANCTISSIMAE . ET
CASTISSIMAE. FEMINAE
HERMOGENIANVS, OLYBRIVS
V̄C̄. CONSVL. ORDINARIVS
ET . ANICIA . IVLIANA . C̄.F̄
D. D.

In domo Cæſia.

ANICIAE . FALTONIAE
PROBAE . FIDEI . NOBILITA
TIS . ANTIQVAE . ORNA
MENTO . ANICIANAE
FAMILIAE . SERVANDAE . AC
DOCENDAE . CASTITATIS
EXEMPLO . CONSVLVM
PROLI . CONSVLVM . MA
TRI . ANICIVS . HERMOGE
NIANVS . OLYBRIVS . V.C̄.
CONSVL . ORDINARIVS
ET . ANICIA . IVLIAN. C. F.
EIVS . DEVOTISSIMI . FILII
DEDICARVNT.

ELO-

ELOGIA
In
JULIUM ROSCIUM HORTINUM.
JOSEPHI CASTALIONIS
AD
JULIUM CAPILUPUM.

CAPILUPE Laureis domesticis tuas
Qui adjungis, atque patrui vestigiis
Insistis altis per Maronis ardua,
Tuamque gentem Julio praenomine
Auctam beas, inlustrioremque efficis,
Musis amicus noster, ecquid ROSCIUS
Molitur, an suos Faliscos, & Probae
Hortina versibus superba mœnia
In lucis oras evocare nititur?
An nostra saecla in longa profert tempora
Tui stupens in carminis dulcedine?
An à tenebris nomen eximens suum
Utrumque praestat, consulitque civibus
Pius suis, nostrique rebus, temporis
Nec interire scripta praefert optima.

Τίτος πρέσπερος μαρτινέγγος μοναχὸς κασινάτις πρὸς ἀναγνώστας.

Ἠνὶ διορθωθεῖσαν ὁ ῥόσκιος ὔμμι παρέσχει
Ἄπι πρόβαν δεκάτην πιερίδα γλαφυρὴν,
Ἥ ποτε Βιργίλιον μυστήρια θέσπιε λα χριστοῦ
Ἐξεδίδαξε θροεῖν, θαύματ' αἰθ' ἱερὰ θεοῦ.
Ἐξεδιδάξεθ' ἅπαντας ἀριστερὰ δεξιὰ ποιεῖν,
Φημὶ περιτρέψαι τἀθνίκ' ἐς εὐσεβίην.
Οἴνδε πότ' εὐδοκίη μιμήσατο, ἢ τὸν ὅμηρον
Φθέγξας τε δέδαεν δόγματα χριστιανῶν.

JULII ROSCII HORTINI,
Ad
ANTONII MASSÆ,
Gallesii,
DE REBUS FALISCORUM LIBRUM
ADDITAMENTA.



NSTITUTUM Antonii Massæ *viri Clarissimi in libello de origine ac rebus* Faliscorum *id fuit praecipuum, ut rejecta eorum opinione, qui* Faliscos *ad* Lacum Vulsiniensem *posuerunt, eosdem* Vetia *amne, qui è* Cyminio *monte in* Tiberim *influit, ac* Soracte, *tum ipso* Tiberi, *atque agro* Nepesino *concluderet. Hinc oblatam occasionem arripiens veterem eorum locorum historiam evolvit. Civitatem* Castellanam *à* Vejis *sejungit, quod longe minus ab urbe distarent. Ejusdem argumenti extat apud me liber. Ac quidem certe Civitatis* Castellanæ *sane recentem memoriam habent Historici, cum antiquiorem, quam legerit auctor ad* Adrianum IV. *Pontificem referat, qui fuit circa annum salutis* cIↄ. CLIV. *At* Hortinam *civitatem pervetustam Colonis, & Episcopatu extitisse confirmat ex Synodo III.* Symmachi *Pontificis circa annum* IↄIV. *cui subscripsit* Martianus *ejusdem civitatis Episcopus. Ejusdem civitatis memoria extat apud Dionysium Halicar.* libr. x. Rom. Hist. *ex quo decerpsit, quae in* Italiam *suam transtulit* Carolus Sigonius. *Videndus est* Damasus in vita Zachariæ. *Qui longe post sequuti sunt, ut alios praeteream us Blondus* lib. VIII. decadis primæ, *Zacharias Lilius* in mundi descriptione, *ubi ait* Hortinam *civitatem se in* Tiberim *mergere. Pertinebat enim eo usque ut ex vestigiis apparet. Sunt qui meminerint* Cassiani Alexandrini, *qui sub* Juliano Hortinæ *urbis Episcopus electus est, & plurimi de sacris hospitiis a* Bellisario *ex* Africa *redeunte in agro* Hortino *aedificatis ditatisque reditibus. Verum haec missa faciamus. Haec civitas, & situ naturae munere concesso & arce, quae nomen solum reliquit posteris in praerupto saxo terrori fuit hosti, & praesidium magnis Ducibus. Hic* Albericus Etruriæ *Marchio circa annum* DCCCC. & XVII. *sedem tutissimam sibi elegerat. Cujus fortasse nomen nisi forte, quod suspicor, longe antiquior sit memoria, deletum est in inscriptione, quam ad calcem operis addidi ex* Hortinis *monumentis. Nam is* Joannis X. *Pontificis Maximi odio* Ungaros *in* Italiam *invexerat, cui miserrimam cladem intulerunt. Cum vero homo eruditus diutius per poetarum, & historicorum campos fuisset vagatus*, & Vejos, Capenates, Faleriosque *attigisset, apud quos probata fuit M.* Furii Camilli *Tribuni* militum *in paedagogi dolo integritas,* Gallesium *patrio amore delabitur.*

Cujus originem, situm, descriptionem, fertilitatem dignitatem, & antiqui Comitatus titulos persecutus S. Famiani *vitam, & miracula enarrat, cujus corpus integrum, adhuc visitur in ejus templo in ipso clivo, maximo concursu, ac veneratione eorum populorum. Denique illustres in literis, & armis* Gallesio *oriundos adjungit. Inter quos ita* Antonius Massa *dignissimus est, ut adnumeretur, ut si nullus sit alius, cum tamen plurimi superiori aetate fuerint & nostra vigeant, hic solus satis futurus esse videatur, qui non modo* Gallesium, *sed universam* Faliscorum *regionem splendore suo illustraret. Ego vero, ut deploravi novi Ducis* Gallesii Roberti ab Altaemps *immaturum obitum, ita deesse officio meo non potui vicinitate locorum, & amore, quin cum de* Faliscis, & Gallesio *hic uberius ageretur aliquot adjungerem epigrammata, ex pluribus quae in ejus depositione ad* S. Mariæ de Clementia *nuncupatae Transtiberinae regionis, affixeram.*

D. O. M.

ROBERTO EX VETVSTISSIMA FAMILIA
COMITVM AB ALTAEMPS
GALLESII DVCI
A XISTO V. PONT. MAX. PRAETORIANIS
ET VRBI LEONINÆ ET PIAE INDE APVD
AVENIONEM ET COMITATVM VENAISINVM
MILITARIB. COPIIS PRAEPOSITO IN IPSO
VIRTVTIS CONATV ET HONORVM CVRSV
IMMATVRE EXTINCTO
CORNELIA VRSINA VIRGINII F. CONIVGI
CLARISSIMO MOESTISSIMA POSVIT
VIXIT ANN. XX. MEN. VI. D. XIV.
OBIIT III. NO: NOVEM. MDLXXXVI.

JULII ROSCII HORTINI

TUMULI,

In

ROBERTUM AB ALTÆMPS

Ducem Gallesii.

GALLESI qui rura colunt, camposque Faliscos,
Proximaque Hortinis pinguia rura jugis.
Has tibi dant lacrymas, saevi hæc monumenta doloris
ROBERTE, & nigras inferiis violas.
Principe te rexit nostros Astræa penates,
Et pax, & nituit Relligionis honos.
Nunc quando præsente frui mors denegat atra,
Rectore te memori pascua nostra colent.
Has violas, hæc serta tibi charissime conjux,
Has lacrymas spargo, sed mage ad inferias.
Heu cur non oculos conjunctim clausimus ambo?
Non uno licuit marmore posse tegi?
Sic miseræ optatis cedunt contraria votis:
Te rapuit mors, me ferrea vincla tenent.
Me tamen hoc solor: communis nos teget urna,
Mutuaque æthereus vincula nectet amor.

Siste precor quicunque Ducis monumenta sepulti,
Romuleæ & cernis, qui fuit Urbis honos.
Hic veteres rexit Tiberis prope rura Faliscos,
Sceptraque Gallesii primus in urbe tulit.
Romæ illum cæca contectum lumina nocte
Augusto condit tegmine dura silex.
Da lacrymas, sive hospes ades, seu civis in urbe
Hac vivis, ni tu durior es silice.

Transtiberim tumulata jacent delata Faliscis
ROBERTI invicti marmore membra Ducis
Quisquis ades lymphasque sacras, lacrymasque tepentes
Sparge, & odoratis floribus ossa tege.
Ille celer claras Superum properavit ad arces.
Scilicet humanas æthere ridet opes.

JULII ROSCII HORTINI,

in Fontem Gallesii,

A S. FAMIANO

Miraculo excitatum.

Quas sitiens muscoso hauris sub fornice, duxit
Marmoris è venis has Famianus aquas.
Sic olim Hebræus populus miracula Mosis
Obstupuit, fontem cum dedit icta silex.
Ergo novo merito jactent se Mose Falisci
Quos alit Hortinus quosque Amerinus ager.

IN AEDE S. MARIAE URBANAE

Hortinæ Civitatis.

. . . .
. . . .
. . . . OR
DO. ET. POPVLVS. COLONI
AE. FALISCORVM. CV
RANTE TYRIO SEPTIMI
O. AZIZO. V. P. C. R. R. P. DEVO
TI. NVMINI. MAJESTATI
QVE. EJVS.

FINIS.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Gal-

FINIS.





JACOBI MAZZOCCHII
J. U. D.

VEJI DEFENSI,

SEU

DISSERTATIO,

qua demonſtratur

ANTIQUOS VEJOS *hodiernam* CIVITATEM CASTELLANAM *eſſe.*

Ex *Italico Latine* vertit, Præfationem, Notulas, & Indices adjecit

ABRAHAMUS PREIGERUS.




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA • SEVILLA

LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

ABRAHAMI PREIGERI
INTERPRETIS
PRÆFATIO.

Non invitus vertendis hiſce non magna mole libellis, ſed ornamento tamen [1] haud exiguo hunc ANTIQUITATUM ITALICORUM THESAURUM locupletaturis, manum admovi: hortante ad hunc laborem, atque invitante eo, cujus & amicitia & auctoritas id a me impetrare debuit, *Sigeberto Havercamp*, *Græcæ* Linguæ in Academia *Lugduno Batava* jam Profeſſore. Juvit ipſa tot rerum, ex ultima Antiquitate repetitarum, perluſtratio, nec non certaminis hujus acerrimi, ſed & egregie eruditi, ſpectaculum, cui quum per hanc occaſionem,

Mea ſine parte pericli,

Otioſius intereſſem, pro tædio, quod decurrentibus in hoc ſtadio fere devorandum eſt, voluptatem potius ſenſiſſe memini. Id autem in primis negotii mihi datum intellexi, ut huic Interpretationi, & fides ſua conſtaret, & perſpicuitas, ac mutato licet habitu, propriis tamen armis tam nobile Par Eruditorum uſque quaque decertaret; neque quicquam Lectori, harum rerum ſtudioſo, fraudi foret, quominus Argumenta, utrimque adducta, ex vero ipſorum Valore perpendat ac dijudicet. Quamobrem tanto minus etiam, uti confido, mirabitur, quod vel ipſa loca, ex *Græcis* ſcriptoribus paſſim allata, *Græcè* adjicere, niſi ubi ipſe contextus *Italicus* id juberet, ſuperſederim. Si quid autem non ſatis dilucide, expoſitum oc-

1 Rariſſimi enim hi erant libelli, nec vel in ſumtuoſiſſimis Bibliothecis inveniendi. Prodiit *Mazzocchi* Editio *Italica* olim *Romæ*, apud *Ludovicum Grignanum* MDCXLVI. cujus Paginæ ad Marginem notatæ inveniuntur.

occurrit, facile hoc fieri potuiſſe, quivis æquus rerum æſtimator haud difficulter intelliget, in materia tam ſingulari, occupata fere in locorum, tractuumque ſoli, a me nunquam calcati, deſcriptionibus; quales vel exactiſſimæ, & quovis ſpeculo fideliores, ſemper tamen apud eos, qui oculis ea ipſi non uſurparunt, neſcio qua obſcuritate laborant. Ut omittam, quod tantis utrinque animis, in primis a parte *Famiani*, res ipſa agitetur, ut omnia dicteriis, cavillationibuſque ſalſis, adeoque infractis fere verbis, ac tantum non dimidiatis, qualia ſolent fundere, qui riſu tremulo concutiuntur, referta, &, ut vere dicam, obfuſcata reperiantur; cujus rei ſpecimen eſt, quod in *Vejis Antiquis* ad pag. 24. Defenſor ſua iſta annotatiuncula intendit. Cæterum, nec pretium harum Diſſertationum, nec eruditionem aut merita eorum, quorum nominibus ſuperbiunt, Lectori commendare, mearum partium eſſe puto; ſicuti etiam nulla de re, hic pertractata, judicium meum interpono. Unum tantum, quod ad Calcem Diſſertationis *Nardinianæ*, qua uſus ſum ipſius *Mazzocchii* manu (cujus id olim fuiſſe debet) poſt alia multa paſſim calamo aſperſa, notatum reperi, Lectorem Eruditum celare nequeo. Nuſpiam enim in ſcripto illo Apologetico, quod ex iſtis annotationibus poſtea natum, & ab ipſo editum eſt, ac tertium hic locum occupat, tam aperte victas dat manus. *Eccoci*, inquit, *giunti alla fine del Libro, il quale confeſſo ingenuamente eſſer belliſſimo, & ſe io non haveſſe à ſeguire la mia opinione, ſicuramente non ſeguirei altra, che la ſua: dove ſolo trè coſe trovo da riprendervi, che denigrano il ſuo candore:*

Prima; che non vè coſa, che non ſia repetita quattro, ò cinque volte.

Seconda; dà troppo da vedere, che è ſcritto con rabbia, & à ſangue caldo.

Terza; che la paſſione l'accieca sì

(Impedit ira animum ne poſſit cernere verum)

che non s'auvede di mille bugie, che dice contro di me. Tolte queſte coſe, io ſtimarei un libro d'oro, ſe ſenza precipitio foſſe ſcritto à ſangue freddo, & con poco più modeſtia toleraſſe le mi fiacchezze. Hoc eſt: *En! pervenimus ad finem libri, quem pulcherrimum, ſive auro contra carum æſtimo. Ac pedibus in Adverſarii mei ſententiam tranſirem, niſi mea mihi defendenda foret. Tria tantum in eo reprehenſione digna reperio, quæ candorem illius obfuſcant;*

Primo; nihil eſt, quod, non quater, vel quinquies repetatur:

Secundo; nimis clarè oſtendit librum hunc ſcriptum fuiſſe non ſine rabie & calore ſanguinis.

Tertio; quod paſſione excæcatus fuerit

(Impedit ira animum ne poſſit cernere verum)

adeò, ut non animadvertat mille mendacia contra me prolata. Hiſce quidem ablatis pro aureo haberem libro, & ſi abſque præcipitatione, ubi ira deferbuiſſet, eundem conſcripſiſſet, atque æquo animo ceſpitationes meas toleraſſet. Hæc ille. Ego autem, quo magis inoffenſe hoſce Tractatus Lector perambulet, monuiſſe contentus ero: in *Vejis Defenſis*, pag. 3. F. irrepſiſſe *pumiceo*, pro *tophaceo.* & ſimiliter pagg. 28. B. 37. A. Porro, pag. 17. A. *cum manu Columnæ minoris*, pro: *cum aliquot Columnis minoribus.* Excidiſſe autem pag. 29. A. *non*, ante: *niſi quinque* &c. In *Vejis Antiquis*, pag. 24. C. *neceſſe eſt*, poſt: *ab fuiſſe.* pag. 30. F. *&*, ante: *ubique.* 66. A. *aquam* ante *immiſcere.*

DO-



DOMINIS CONSERVATORIBUS AC POPULO CIVITATIS CASTELLANÆ

S. D.

DOMINICUS MAZZOCCHIUS.

Proposueram annis præteritis, tum per curiositatem, tum temporis fallendi gratia, cum diligentia quadam inquirere, an Veji antiqui vere hæc nostra Civitas Castellana essent; multis autem difficultatibus deterritus, tantum non ab opere nondum incepto destiteram; quoniam Auctores, qui formam ac circumstantiam situs describunt, considerans, indubie credere debebam, Vejos non nisi hanc Urbem esse potuisse, postea vero distantiam eorum a Roma, ab iisdem Auctoribus definitam respiciens, retrahebar pro parte ab opinione prima, neque quo loco pedem figerem sciebam. Sed quum Anno MDCXLI. ibi in Cathedrali nostra Ecclesia Martyrium gloriosorum Sanctorum Abundii & Abundantii (*Sacerdotis, ac Diaconi*) Marciæ ac Johannis ipsius filii, Equitum Romanorum, nostrorumque Protectorum, descriptum stylo Dramatico a celebri Octavii Tronsarelli calamo, a me autem modulationibus Musicis adstrictum, cantatumque etiam in hisce Romæ Theatris, exhiberem; quum in illa Operâ Civitas nostra appellaretur Veji, indeque ansa nonnullis præberetur, diversimode de ea differendi, aliis nostræ sententiæ applaudentibus, aliis suam ostendentibus, dicendo id dubium non ita decisu facile esse; & ipse in animum induxi meum, ut cum vehementia majori huic rei lucem quærerem. Quamobrem partim præ desiderio publicandi singularem meum affectum erga Vos omnemque Patriam; partim propriæ existimationis gratia, & in defensionem supra memorati Dramatis, conatus sum ea revolvere, quæ sententiæ nostræ inservire potissimum potuere. Nec multæ illæ difficultates, quæ contraria suadebant, me retinere potuerunt, quin opus aggrederer, inque eo pergerem. Imo non parcens ulli labori; quin audentior in dies factus, tandem reipsa expertus sum verissimum illud esse, quod Claudianus dixit [1] in Epithalamio:

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat; si timeat rubos:
Armat spina rosas, mella tegunt apes.

In-

1. Carm. XV. vs. 5.

Ingenue confiteor; nunquam me applicuissem ad tempus meum impendendum isti quæstioni, Civitas Castellana Veji *esset, nec ne, utpote rei parvi admodum momenti, si publicam utilitatem spectes, minoris autem delectationis, si privatam; nisi vidissem illam a multis in scriptis suis misere tractari ac dilacerari, idque me incitasset ad ostendendum in hoc negotio illum amoris zelum, quem erga proprium nidum Natura ipsa animis generosis ingenerare solet. Existimans igitur, meum esse, hanc causam Defendere, tantum reperisse mihi persuasus sum rationis ac fundamenti, ut confidam, nemini, qui legerit hanc Dissertationem, ullum fore locum dubitandi. Quod si non usquequaque hæc ipsi placuerint, ne me culpet, quod nimium audeam contra opinionem alienam, ubi de affectu in rebus propriis excusatione dignus sum: qui Vobis devotissimam reverentiam in eam testatus, a Domino Deo nostro omnem veram felicitatem precor. Romæ. XXVII. Octob. MDCXLVI.*

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sacri Palatii Apostolici.

A. Sacratus Episcopus Comacl. Vicesgerens.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Pandulphus Socius Reverendiss. P. Fr. Vincentii Candidi Sacri Palatii Apostolici Mag. Ord. Præd.

CONSPECTUS METHODI,

Ab Auctore in VEJIS DEFENSIS observatæ.

PARS PRIMA.

Introductio ad quærendum Vejorum *Situm.*

PARS SECUNDA.

Argumenta, quibus probatur Vejorum *Situm cum Situ* Civitatis Castellanæ *eundem esse.*

PARS TERTIA.

Responsiones ad Argumenta, quæ adducuntur in Contrarium.

PARS QUARTA.

Appendix, ubi breviter de Fescennio, Faleria, *ac* Civitate Castellana *Nova Antiqua disseritur.*





1
DOMINICI MAZZOCCHII VEJI DEFENSI.
PARS PRIMA.
INTRODUCTIO
Ad quærendum Vejorum Situm.



QUi verum locum reperire studet, ubi juxta descriptionem veterum Auctorum celeberrima Urbs *Vejorum* sita fuerit, rem aggreditur non solum arduam (respectu controversiarum, quæ de ea inter scriptores ortæ sunt) sed habitam insuperabilem, nisi prius, collectis iis monumentis, quæ scripto extant circa *Vejos*, examinet clare, & ostendat per certissimas conjecturas, vicinitatem aliorum aliquot locorum, populorumque *Vejis* confœderatorum & conterminorum, unde & ipsi deinceps tanto major lux oboriatur, ad retegendum situm ipsorum *Vejentium.* Nos igitur, ut aliquo procedamus ordine, hanc Dissertationem in quatuor distribuemus partes. Prima erit hæc ipsa INTRODUCTIO ad quæ-
2 rendum illum situm. Altera continebit ARGUMENTA producenda in medium, ad probandum id quod intendimus, id est *Vejos* esse, ubi hodie est *Civitas Castellana.* In tertiam conjicientur RESPONSIONES ad argumenta eorum, qui contrariæ sunt opinionis. Quarta denique erit APPENDIX, ubi nonnihil dicetur de *Fescennio*, *Faleria*, & *Civitate Castellana* nova antiqua.

Sciendum igitur est, *Vejos* circumjacentes ac vicinos habuisse *Fidenates*, *Crustuminos*, *Faliscos*, *Capenates*, & *Nepesinos.*

Fidenates maxime propinqui populi erant omnium, quos Urbs *Roma* habebat, contermini etiam agro *Vejenti*, quum de illorum vicinitate verba faciens *Livius* lib. pr. Decadis primæ dixerit: *Aliud multo propius, atque in ipsis prope portis bellum ortum.* Et paulo inferius: *Belli Fidenatis contagione irritati Vejentium animi, & consanguinitate (nam Fidenates quoque Etrusci fuerunt) & quod ipsa propinquitas loci, si Romana arma omnibus infesta finitimis essent, stimulabat.* Et lib. IV. *Cum Vejentibus Fidenatibusque, præterquam finitimis populis, ab causa etiam tam nefanda bellum exorsis, atrox dimicatio instabat.*

Fidenatium civitas, sita inter *Latium* & fines *Sabinæ*, & prope locum, ubi *il Teverone* (olim *Anio* vel *Anien*) fluvius in *Tiberin* labitur (dicta hodie juxta *Nicolaum Erythræum*, *Abrahamum Ortelium*, aliosque, *Castel Jubileo*) urbs
3 erat *Etrusca*, affirmante *Livio* loco citato lib. I. *Nam Fidenates quoque Etrusci fuerunt;* & a *Roma* aberat quadraginta stadia juxta *Dionysium Halicarnasseum* lib. II. *Roman. Antiquit.* & septem milliaria juxta *Eutropium* lib. I. Locumque proprie *Dionysius* libro III. designat, ubi *concitatus, & verticosus circa Fidenas fluit Tiberis.*

Ab eodem latere cum *Fidenatibus* erant *Crustumini*, qui incipiebant post fines *Sabinorum* ad fluvium *Alliam*, sedecim milliaria a *Roma* distantem, juxta *Blondum* lib. I. *Ital. Illustr.* ubi dicit: *Allia Sabinæ regionis olim finis erat, nunc Curesius dictus, qui subtus Pogium Curesium labitur in Tiberim, post quem Crustumii incipiebant.* Quamvis

A *Vibius Sequester* illud flumen quatuordecim a *Roma* milliaria abesse velit; & *Livius* lib. V. dicat: *Ad undecimum lapidem occursum est, qua flumen Allia Crustuminis montibus prealto defluens alveo, haud multum infra Tiberino amni miscetur.* Quicquid sit (nam milliaria apud Scriptores nunquam facile inter se concilantur, ut videbimus) nobis sufficit, quod *Crustumini* illi inceperint ab isto flumine, eorumque civitates præcipuæ fuerint, ut *Blondo* videtur, ubi hodie sunt *Monte rotundo* (antiquis *Eretum* appellatum) & *Palombara.*

Falisci Romæ & ipsi vicini erant, juxta illud ejusdem *Livii* lib. X. *Alii duo exercitus haud*
B *procul Urbe, Etruriæ oppositi, unus in Falisco, alter* 4
in Vaticano agro: Cn. Fulvius, & L. Posthumius Megillus Proprætores ambo stativa in eis locis habere jussi. Et eodem libro loquens utique de *Faliscis*, subjungit: *Hujus propinquitas populi acuit curam Patribus.* Et Plinius lib. VII. cap. II. *Haud Procul Urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad Montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur.*

Multi *Strabonis* auctoritate lib. V. ut videbimus, pro certo habuerunt *Faliscos Etruscis* non esse annumerandos, sed peculiarem fuisse gen-
C tem, quibus concinit etiam *Gratius* Poëta, qui lib. *de Venat.* disjungit *Faliscos* ab *Etruscis;* congruentibus similiter, ut videtur, *Livii* verbis ex lib. X. supra citatis: *Alii duo exercitus haud procul Urbe, Etruriæ oppositi, &c.* qui igitur non erant in *Etruria* ipsa, & paulo inferius: *Ni Faliscos quoque, qui per multos annos in amicitia fuerant, allatum foret, arma Etruscis junxisse.* Ut prætercam, eundem *Livium* lib. VI. de *Sutrio* ac *Nepete*, ipsorum vicinis, loquentem idem dicere: *Cum ea loca opposita Etruriæ, & veluti claustra inde portæque essent; & illis (scilicet Etruscis) occupandi ea, cum quid novi molirentur, & Romanis*
D *recuperandi tuendique cura fuit.*

Principem Urbem suam *Falisci* habebant, unde & nomen trahebant, illam quæ dicebatur *Falerii* & *Faleria*, hodie vulgo *Fallari*, ut scribit Cardinalis *Baronius* in *Martyrologio* sub XII. Au- 5
gusti, & clare demonstrat *Antonius Massa* lib. *de Orig. Faliscorum*, dicens: *Falerios* nomen solummodo Urbis esse, *Faliscos* totius gentis ac regionis; quam Urbem & Regionem (quicquid alii dicant) *Vejentibus*, *Nepesinisque confinem, ac Romæ vicinam esse constat.* Et in hunc usque diem vestigia ejus adhuc exstant, ubi inter *Nepi* & *Civita Castellana* amplissimæ illæ mœnium destru-
E ctorum ruinæ conspiciuntur, quæ hodie adhuc servant, uti dictum est, antiquum nomen *Faleriæ*, corrupte *Fallari*, cujus ager extendebatur a jugis *Cimini*, quæ hodie sunt Montes *Viterbii* (*le Montagne di Viterbo*) usque ad Montem *Soracte*, dictum idcirco *Faliscorum* & *Faliscum;* qui Mons

non erat, ut *Raphael Volaterranus*, & alii non-
nulli crediderunt, *Montefiascone*, nam *Falisci* ha-
bitabant cis Montem illum *Cimini*, in secunda
Etruriæ gente; & per consequentiam sic etiam
Mons eorum, dictus *Faliscorum*, quem nos dixi-
mus illum esse, qui hodie dicitur *di San Silvestro*,
vulgo *di Sant Oreste*, & concisius *Santresto*, an-
tiquis *Soracte*; ut probe ostendunt *Massa* & alii:
orto errore ex eo, quod *Montefiascone* fuerit ap-
pellatus a *Catone* in *Originibus* suis *Mons Physcon*,
qui ab eo collocatur *Bolzenæ* vicinus in tertia
Gente *Etruriæ Transciminæ*, ut referunt *Johan-*
6 *nes Annius* super eo loco, & *Lexicon Geographi-*
cum in verbo *Falisca*. Sed profecto, ut auctores
modo memorati dicunt, *Unus & idem Mons Fa-*
liscorum solummodo est *Soracte*, ita appellatus
ab ipso *Catone*, & sic etiam reperitur descriptus,
& ex bonis Auctoribus excerptus, in Notis ad
Historiam Sanctorum *Abundii*, & *Abundantii* a
Patribus *Collegii Romani* editis, pag. 153. nempe:
Soracte Mons est in Etruria prope Tiberim, in finibus
Vejentum & Faliscorum, olim Apollini sacer, si-
cuti testatur *Virgilius* XI. Æneid.

Summe Deum Sancti custos Soractis Apollo.

Quem *Strabo* etiam lib. v, ostendit, *in Faliscis esse*
juxta Viam Flaminiam; sub quo Monte erat Urbs
Feronia, &c. Videantur etiam Annotationes *An-*
tonii Mancinelli super *Horat.* lib. I. Od. IX. quæ
incipit.

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte.

Capenates erant paulum supra *Faliscos* versus *Vi-*
terbium, quos omnes consentiunt, habitasse, ubi
hodie sunt *Canepinenses*, aut eorum vicini. Eo-
rumque sedes, dicta primo a *Catone Capena*, ho-
die currupte *Canepina* vocatur.

Nepesini erant ubi hodie sunt, & tam olim
quam hoc tempore semper cum *Sutrinis* conjun-
cti inveniuntur, & aliquoties etiam una cum *Ve-*
jentibus nominantur, ut videbimus Parte II. argu-
mento nostro V. & XVII.

Vejentes erant populi *Crustuminis* & *Fidenati-*
7 *bus* confines, solo *Tiberi* flumine divisi secun-
dum id quod *Plinius* dixit Nat. Hist. lib. III. cap. V.
Tiberis Vejentem agrum a Crustumino, dein Fide-
nate Latiumque a Vaticano dirimens. Nec dubium
ullo modo est, quin in *Etruria* fuerint; quum &
apud *Livium* & apud *Dionysium*, & apud cœte-
ros, qui de illis scripserunt, sæpius pro ipsis *Etru-*
scis sumantur, sicuti videbimis inferius. Imo
Plutarchus, in vita *Camilli*, *Vejos Tusciæ propugna-*
culum vocat. Confines etiam *Soracti* & *Faliscis*
erant, sicuti dicturi sumus argumento nostro VIII.
& agrum amplum ultra citraque *Soracte* posside-
bant, a latere, quod Septentrionem & Orientem
spectat; & præter illa confinia se extendebant
etiam prope *Romam*, & mare versus Occiden-
tem, sicuti infra evidentissime ostensuri sumus.

Sedes illorum, ac Urbs princeps *Veji* dicta,
eodem loco erat, quo nunc *Civitas Castellana* est;
sed quia non convenit *notum per ignotius* quærere,
optime primo describemus succincte situm *Civi-*
tatis Castellanæ, & deinde antiquum illum *Vejo-*
rum, ut a cognitione unius possimus pervenire
in notitiam alterius.

Civitas Castellana sita est prope viam *Flaminiam*
viginti & octo milliaribus a *Roma*, in validissimo
scopulo pumiceo figuræ quadratæ longæ; qui a
8 tribus lateribus sic a natura divisus & abruptus a
cœteris est circumstantibus, ut promontorii in
Mari prominentis plane speciem referat; pro-
pterea, quod inter has illasque altissimas ripas ac
margines intermedii tres fluvii seu rivuli urbis
scopulum circumfluant, quorum alvei, tam pro-
fundæ distantiæ ab alto illo urbis solo sunt, ut
A mensuram excedant absque omni dubitatione tre-
centarum cannarum; quorum fluviorum duo a
lateribus urbem circumdantes, deinde sub eadem
urbe in unum coëunt, coalescunt; ita ut tertio
se conjungentes unus fiant fluvius, qui servato
nomine primi principii, utpote præ cœteris nobi-
lioris, primique quod per viam *Romanam* repe-
ritur (hodie vulgo *Treja* Latine *Cremera* dicitur)
per duo circiter inde milliaria *Tiberi* immergitur
& conjungitur, vel quemadmodum poëta noster
in *Paradiso* dixit:

La Cremera co 'l Tebro si marita.

Situs iste, quantumvis ascendenti abruptus
B & asper, nihilominus, egregiam planitiem com-
plectitur, & toto quidem ambitu suo, excepta
solummodo Valle Fluvii istius præcipui. Quum-
que ab uno solummodo latere non tam bene abru-
ptus sit a planitie contigua, sicuti a cœteris tri-
bus lateribus; ars & ingenium hoc loco compen-
sarunt naturæ defectum; nam veteres habitato-
res semper ibi Arcem quandam habuerunt; quæ
vetustate postea consumpta, restaurata denuo
eodem loco est ab *Alexandro* VI. & descripta
forma Pentagona, & a *Julio* II. & *Leone* X. Sum- 9
mis Pontificibus consummata. Quin & ante
Alexandrum VI. & *ab antiquo tempore* ibi Arcem
C quandam stetisse, præter id, quod de *Adriano* IV.
& *Innocentio* IV. legitur, constat etiam ex Litte-
ris Concessionis, quas *Gregorius* XI. in annos octo
Lucæ Sabellio composuit, ut creditori quindecim
florenorum millium ad solvendum, quod ipsi a
Camera restabat debitum; quibus in Litteris Pon-
tifex iste Cives *Castellanenses* & Arcem inprimis
ei commendat: datis *Avenione* anno MCCCLXXVII.

Habet hæc urbs versus Orientem *Viam Flami-*
niam, *Tiberim* & *Montem Soracte*; versus Meridiem
Castel Sant Elia, & *Nepi*; versus Occidentem
Fallari, *Canepina*, & *Caprarola*; versus Septentrio-
nem *il Borghetto*, *Gallese* & *Orte*. Ager ejus satis
D amplus est, terminanturque eadem illa *Tiberi*,
Sabina, *Soracte*, *Sancto Elia*, *Fallari* & *Borgetto*.

Flaminia via hunc agrum olim pertransibat, sed
milliario circiter uno ac dimidio a *Civitate* (quem-
admodum ex ejus vestigiis apparet) verum longo
temporis tractu post sub ipsas Urbis portas trans-
lata est, hodieque per ipsius *Burgum* ducit. Ex-
stant sub ejus ditione prope Viam illam *Flami-*
niam Saxa Rubra, locus & hodie ita appellatus
prope ponticulum quendam antiquissimum lapi-
dibus quadratis, rivo cuidam impositum; alio
quodam regionis latere stant *Aræ Mutiæ*, hodie
corrupte *Aramozze*: estque *Tiberim* versus Ca-
E stellum etiam quoddam destructum, quod *Umbri-* 10
cum vocatur. Et in dies per illam regionem
egregiæ reperiuntur antiquitates, tam ædificio-
rum, quam marmorum, statuarum, numismatum,
aliarumque id genus plurium rerum monumenta.

Urbs *Veji* & ipsa, prout memoriæ proditum
reperitur (quod fusius videbimus in Argumen-
tis adducendis) condita erat in loco natura vali-
do, murisque communito, eratque Promonto-
rium in scopulo duro, & undique prærupto. Si-
ta in finibus *Etruriæ*: imo ipsius *Etruriæ Propu-*
gnaculum erat. Confines habebat *Tiberim*, *Sabi-*
nam, *Soracte*, *Nepesinos*, & *Faliscos*, a latere flu-
F minis agro *Romano* etiam jungebatur: per cam-
pos ipsius ducebat Via *Flaminia*, eique vicinus
erat *Cremera* fluvius, quæ omnia ostensuri sumus.

Distantia ejus a *Roma* tam varie ab Historicis
proditur, ut nemini illorum hac in re fides habe-
ri secure possit, quum *Dionysius* illam faciat cen-
tum stadiorum, *Plinius* tredecim milliariorum,
Eutropius octodecim, *Livius* viginti. In tanta
Auctorum discordia, cuinam accedendum erit?
Certum est, distantiam variam esse ac dubiam.
Quod

Quod si cœteroquin in describendo situ illos omnes inter se consentientes, eamque descriptionem *Civitati Castellanæ* prorsus convenientem reperiamus, quum non alter *Vejis* aptior in spatio circum jacente, ab Auctoribus assignato ostendi
11 queat (uti videbimus) nulla supererit dubitatio, quin in referenda distantia illa, nemo illorum cum altero consentire potuerit; & etiamsi *Plinius* ab *Halicarnasseo* fere nihil dissentire videatur, alter tamen de Urbe, alter de agro loquitur. A rebus autem diversis quodnam hoc loco argumentum fiere possit, non video. Præstabit igitur id sequi, in quo consentiunt, & in quo dissentiunt, credere, quod vero simillimum est.

Probabimus etiam e certissimis signis & conjecturis, exiguam illam ab ipsis indicatam distantiam nullo modo subsistere posse; quum constet, *Vejentes* in Agro suo, præter Viam *Flaminiam*, quæ medium illum transibat, etiam habuisse *Saxa Rubra*, *Umbricum*, & *Aras Mutias*, loca, (sicuti dicturi sumus) vulgo nota; quæ hodieque ibi extant, & ultra *Soracte*, & plus quam viginti quinque milliaria a *Roma* distantia ostenduntur; ita ut exigua illa a Scriptoribus indicata distantia nullo modo subsistere queat. Et quamvis multi velint *Soracte* in *Vejente* agro fuisse, ut *Johannes Annius* in Commentariis suis putat; receptissimum tamen est, fuisse in *Faliscis*; nos autem loca illa ultra *Soracte* in *Vejentano* reperientes (ut ostendemus) de consensu Scriptorum, cogemur credere, ulterius esse veram sedem *Vejentium*; sed agrum illorum etiam citra hunc Mon-
12 tem versus *Tiberim* & *Romam* sese extendere, multorum aliorum, quos offendimus, auctoritate.

Sed quoniam hæc & similia fusius dicenda erunt in Secunda ac Tertia Parte in Argumentis & Responsionibus; hic autem Historiæ compilandæ locus non sit, circa ipsos *Vejos* non nisi breviter perstringemus quæ ortum eorum & occasum spectant; quinam fuerint, & quales ac quanti in suis progressibus, ex historiis *Romanis* cognoscere cuivis in promptu, veluti ex *Livio*, *Dionysio*, *Plutarcho*, & aliis; mihi satis erit indicare solummodo, *Romanos*, præ se ferentes se *Romam* velle relinquere, ne infestationibus aut populationibus *Gallorum* exponerentur amplius, *cum pulcherrima Urbs Veji agerque Vejentanus in conspectu esset uberior ampliorque Romano agro; Urbem quoque Urbi Romæ, vel situ vel magnificentia*, hoc est non situ magis, quam magnificentia, *publicorum privatorumque tectorum ac locorum præposuisse;* ut Livius narrat lib. v. Ac nisi Oratio efficax habita fuisset a *Furio Camillo*, qua *Romanis* multis rationibus prius consilium illud de reliquenda Patria dissuasit, facile in animum induxissent *Vejos* migrare; & sic ille; at *Plinius* dixit: *Et oppidum Civibus, & Cives oppido reddidit.*

13 *Vejentium* civitates erant magnæ & *Populosæ*, ut *Dionysius* testatur lib. III. pariterque Ager illorum amplissimus erat, quum sese extenderet ad Mare & *Salinas Ostiæ*. Sic ajunt scriptores, & in primis *Dionysius* id lib. II. testatur, dicendo: *Non multo post Legatis Vejentanorum veniam ac pacem petentibus, has pacis leges Romulus præscripsit mulctæ nomine: ut agrum Tiberi contiguum, qui Septem Pagi vocatur, Romanis traderent, utque Salinis, quæ sunt ad fluminis ostia, abstinerent.*

Hæc Urbs igitur, ut referamus id, quod memoriæ proditum de ea reperitur, ædificata est a *Comero Gallo*, nepote *Noæ*, & filio *Japheti* primogenito, qui a *Jano* primus in *Italia* regnare cœpit: anno Mundi (juxta *Lucidum*) MDCCVIII. ante natum *Christum* Dominum nostrum MMCLXIII. Cujus posteri deinde ab ipso *Galli* denominati sunt, sicu-
A ti refert *Sansovinus* in Annotationibus suis ad lib. V. Antiquitatum *Berosi Chaldæi*; cujus hæc sunt verba: *Anno tertio Jovis Beli, filii Saturni, Comerus more Scythico, unde venerat, docuit suos Italos Urbem curribus imponere, & ideo Veji appellati sunt, vocabulo Sago, qui Vejas plaustrum appellant, & Urbem his impositam, si parva est, Veitulam, si magna, Ulurdum, si Metropolis, Cycolam. Ad hæc quoque tempora Scythæ plaustris, & curru pro domibus utuntur, & sub solario quidem stabulum,* 14
supra vero habent officinas, domus. Hæc *Berosus*.

Philippus Cluverius diligentissimus Scriptor multis prærogativis *Vejentium* collectis, quæ vi-
B deri possunt lib. II. *Italiæ Antiquæ*, in fine dicit: *Ex hac igitur dignitate antiquissima Vejorum origo colligi potest; ut quæ & ipsa cum reliquis Principibus Etruriæ Urbibus* CCC. *circiter ante bellum Trojanum annis, quum Pelasgi Tyrrheni sane regionem occupassent, constituta est.*

Interitus *Vejorum* fuit, quando *Camillus* post longam illam decem annorum obsidionem, tandem in perpetuum illos debellavit; & hoc contigit anno *ab Urbe Roma condita* CCCLVIII. & ante *Christum* CCCLXXXIX. & ab eo tempore facti sunt subjecti & *Colonia Romanorum*. Excidium eorum *Livius* lib. V. magnificis hisce verbis narrat: *Atque hic*
C *Vejorum occasus fuit, Urbis opulentissimæ Etrusci nominis, magnitudinem suam vel ultima clade indicantis, quod decem æstates hyemesque continuas circumsessa, cum plus aliquanto cladium intulisset, quam accepisset, postremo jam fato quoque vergente, operibus tamen non vi expugnata est.*

Simili elogio illos ornat etiam *Plutarchus* in *Camillo*, dicens: *Vejorum Urbs Tusciæ propugnaculum erat, & armis militibusque æque ac Roma potens; opum enim, ac deliciarum splendore clarissima, sæpenumero egregie cum Romanis pro gloria & imperio dimicaverat.* Et *Lucius Florus* lib. I. cap. XII. *Vejentium quanta res fuerit, indicat decen-* 15
D *nis obsidio, spolia de Larte Tolumnio Rege ad Feretrium reportata; denique non scalis, nec irruptione, sed cuniculo, & subterraneis dolis peractum Urbis excidium. Ea denique visa est prædæ magnitudo, ut ejus decimæ Apollini Pythio mitterentur, universusque Populus Romanus ad direptionem Urbis vocaretur.* Et idcirco *Paulus Orosius* dixit Hist. lib. II. *Urbem, sine ullo digno Romanæ virtutis testimonio, cuniculis & clandestina obreptione ceperunt.*

Septies contra *Romanos* rebellarunt *Vejentes*, iisque semper maximo fuere terrori, adeo ut consternati aliquando & solliciti *Romani*, ne perderent ea quæ possidebant, maximas Diis supplica-
E tiones instituerint; quumque, ut *Livius* lib. V. narrat, *Lacus Albanus* per id tempus absque ulla pluvia auctus esset, territi in primis isto prodigio, miserunt *Delphos* ad Oracula sciscitanda, a quibus responsum tulere, *Vejis* nunquam sese potituros, antequam istius Lacus aquam emisissent, nec tamen Mari immisissent, sicuti postea fecerunt. Quod factum *Papa Urbanus* VIII. per occasionem, qua invitabat in *Castel Gandolfum* Cardinalem *Magalottum*, meum tunc temporis Dominum, elegantissime sequentibus versibus descripsit:

Immodicis Albanus aquas lacus auctibus olim
F *Extulerat, nullis manantibus æthere nimbis;*
Si ripis emissa maris non influet æquor
Unda lacus, Delphis inquit consultus Apollo, 16
Romani capient obsessos milite Vejos.

Et hæc sufficiant circa cognitionem *Vejentanorum*.

Pergamus jam ad Argumenta, quibus probemus situm *Vejorum* illum ipsum esse, quo hodie reperitur *Civitas Castellana*.

17 # VEJI DEFENSI.

PARS SECUNDA.

ARGUMENTA,

Quibus probatur, Vejorum Situm cum Situ Civitatis Castellanæ eundem esse.



RIMO. Per antiquam traditionem incolarum *Civitatis Castellanæ* recepta & succedente tempore semper retenta sunt hæreditaria nomina *Veji*, *Fluvius Cremira*, *Aræ Mutiæ*, *Saxa Rubra*, & *Castellum Umbricum*. Hoc est, nomina locorum, quæ cuncta ut *Vejentis* agri olim fuere, sic hodie in Ditione *Civitatis Castellanæ* ostenduntur.

Ac *Vejos* quidem (sicuti de reliquis illis monumentis inferius in hisce argumentis suo loco dicturi sumus) nomen suum retinuisse, præter communem assertionem apparet ex antiquissimo sigillo nostræ Communitatis, in quo habetur:
18 VEII VETERES. Et super porta Palatii ejus itidem sculptus est hic versiculus antiquus:

QUI STETERANT VEIOS
NUNC RENOVARE LICET.

Quod etiam confirmatum est auctoritate Papæ *Leonis* X. ita ut in frontispicio istius Palatii legamus hæc verba:

LEONIS X. IN VEIOS LIBERALITATE.

Johannes Ginesius in vita & rebus gestis Cardinalis *Ægidii Albornozzi*, qui in *Italia* Legatus Papæ *Innocentii* VI. fuit, circa finem lib. 1. de *Civitate Castellana* ita loquitur: *Ma la Città di Vejento, chiamata hoggi Civita Cast.* &c. Hoc est: *Sed urbs Vejento, hodie Civitas Castellana dicta, altissimo colli abruptarum ac præcipitum petrarum ab omni parte imposita, unde propria sua natura tam bene munita est, ut absque ulla arte, aut diligentia humana per se ipsam se inexpugnabilem reddat*, &c.

Cyprianus Maneus in *Orvieti* Historiis, quas conscripsit, urbem *Vejentanam* hunc locum vocat, unde lib. 1. sic loquitur. *Nel anno 996. essendosi partito* &c. *h.e. anno 996. Quum Otto III. Imperator ex Italia profectus esset, Crescentius Consul ac dominus urbis Romæ expulerat Papam Gregorium V. qui sese cum parte Aulæ recepit in urbem Vehentanam; tenuitque Orti aliaque Patrimonii loca in defensionem sui & Ecclesiæ.*

Eruditissimus Cardinalis *Adrianus* describens iter Papæ *Julii* II. quod fecit ad occupandam *Bononiam*, ostendit *Civitatem Castellanam* esse *Ve-*
19 *jos*, quando hoc nomine urbem illam post *Nepete* recenset; his verbis:

Formello pius excepit Jordanus, & uxor:
Postera lux Nepete antiquum, tum proxima Vejos
Ostendit.

Qui Pontifex hoc iter suscepit, ad visendam in *Civitate Castellana* superbissimam illam Arcem, quam postea consummavit, sicuti *Paris de Grassis* in itinerario suo refert.

Doctissimus Cardinalis *Baronius* itidem in suis Annotationibus ad Martyrologium ad 16. Septembris affirmat *Civitatem Castellanam* esse *apud*
A *Vejentes*; & in Annalibus Ecclesiasticis *sub anno* 747. dicit: *Montem Soractem prope in agro Vejentano positum:* ad cujus radices notum est, terminari Territorium *Civitatis Castellanæ*; & in iisdem Ann. lib. XI. appellat *Vejentum oppidum illud, quod nunc Civitas Castellana dicitur.*

Ludovicus Aurelii, Compendiator ad lib. 13. Appendicum *Bzovii*: *Vejos* ait, *quæ nunc Civitas Castellana dicitur.*

Idem asserit *Philippus Beroaldus* in Commentariis ad *Suetonium* in *Nerone*, nempe: *Ex sententia quorundam Neotericorum Vejos esse oppidum illud, quod hodie dicitur Civitas Castellana.*

B *Johannes Scoppa in Spicilegio suo*, & *Zacharias Lilius in Breviar. Orbis* dicunt: *Civitas Castella-*
na olim Vejentana Urbs. Idem dicit *Petrus Ga-* 20
lesinus, *Vejentem* vocans *Civitatem Castellanam.* Ac inter hodiernos ejusdem opinionis propugnatores acerrimi fuere *Franciscus Micus*, *Josephus Castalio*, & alii.

Sed ante omnia apud me valet auctoritas sapientissimi *Clementis VIII.* qui profectus ad recuperandam *Ferraram*, quum diverteretur in Arce *Civitatis Castellanæ*, ad quosdam, qui hac de re in vestibulo forte inter se contendebant, dixit: (exceptaque verba sunt a duobus civibus meis,
C qui mihi hæc narrarunt) *E chi dubitò mai, che Civita Castellana non fosse Vejo?* h. e. *Et quis unquam dubitavit, quin Civitas Castellana sit Urbs Vejorum?*

Sed quoniam hæc forsan levioris momenti videbuntur esse, utpote ex opinionibus hominum recentiorum deprompta, accedamus ad probationes validiores ac fundamenta realia ex ipsa antiquitate deducenda.

II. Descriptio situs Vejorum ab *Dionysio Halicarnasseo*, *Tito Livio*, & *Plutarcho* facta omnino quadrat in situm *Civitatis Castellanæ*, eique respondet. *Dionys.* lib. 2. *Antiq. Rom.* dicit: *Veji*
D *Etruscorum Urbs potentissima erat Athenis non minor, fundata in excelso, & undique prærupto scopulo.* *Livius* lib. 1. *Decadis* 1. dixit: *Vejentes urbe valida, muris ac situ ipso munita;* & *Plutarchus* in vita *Camilli*, *Vejos durum, asperumque promontorium* vocat. Hic situs ita descriptus, seu scopulus, aut promontorium, si mavis, a lateribus suis
& *undique præruptum* nusquam in loco alicujus 21
momenti circa *Romam* reperitur (id quod Auctores hodierni varie ac vane sibi sumunt) præterquam in *Civitate Castellana*; & in hunc usque diem conspiciuntur in locis nonnullis istius Urbis, in quibus natura parca fuerat, aut defecerat, sup-
E plementa arte fabricata, quæ sunt vestigia murorum, & Saxorum quadratæ figuræ antiquissimorum, quæ ad urbem inexpugnabilem reddendam non parum faciunt, ita ut *muris* pariter *ac situ ipso munita* sit; quæ plane promontorii inaccessi

cessi instar est, *præ duritie* ac *asperitate* scopuli;
convenienter iis, quæ scribit *Blondus* lib. I. *Ital.*
Illustr. nempe: *Civitas Castellana altissimis, insu-*
perabilibusque rupibus adeo circumdata, ut ad inex-
pugnabilem munitionem nullo indigeat muro.

III. Omnes Auctores volunt *Vejos* fuisse sitos
in finibus *Etruriæ*, ab illa parte, qua *Sabinis* ter-
minatur; *Livius* etiam lib. I. *Sabinis*, inquit,
Etruria erat vicina, proximi Etruscorum Vejentes.
Palam etiam cernitur & notum est, *Civitatem*
Castellanam Sabinis vicinam, ac finitimam esse;
& proximam *Tuscorum* urbem, quæ contermi-
nos illos seu confines habeat solo *Tiberi* divisos.
Quemadmodum etiam apparet ex verbis *Livii*
lib. III. cap. V. ubi e *Sabinis Romam* tendenti *Vejos*
post *Ocriculum*, & iisdem illis *Sabinis* contermi-
nos ponit. *Tiberis*, inquit, *per* CL. *millia pas-*
suum non procul Tiferno, Perusia, & Ocriculo,
22 *Etruriam ab Umbris, ac Sabinis; mox citra* XIII.
millia passuum Urbis, Vejentem agrum a Crustumino,
dein Fidenate, Latinumque a Vaticano dirimens, &c.

IV. Ut argumentemur per conjecturam distan-
tiæ; quum *Romani* ad flumen *Alliam* a Gallis
cladem accepissent (qui fuit XVIII. dies Julii, ipsis
infaustus, quia eodem illo die, ante multos annos
essent cæsi eorum *Fabii* a *Vejentibus* ad *Cremeram*,
juxta *Tacitum* II. Hist. & *Livium* princ. lib. VI.
Dies ad XV. *Kal. Sextiles duplici clade insignis; quo*
die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam
cum exitio Urbis fœde pugnatum.) miratur *Livius*,
quod maxima pars profugorum *Vejos* se recepe-
rit, ac *Tiberim* trajecerit, quum facilius *Romam*
recurrere possent, ad revisendas conjuges ac li-
beros, dicitque plus semel lib. V. *Major pars*
Vejos in hostium Urbem, cum Tiberis arceret, quam
recto itinere Romam ad conjuges, & liberos, fuge-
rat. Hoc evidentissimum signum est, *Vejos* pari
distantia ab *Allia* cum *Roma* fuisse, quum alias
Livius dixisset, vicinitatem in causa fuisse, quod
profugi isti *Vejos* peterent. Sed hoc non dicit
Livius; e contrario miratur, quod *Romam* iti-
nere rectiore ac faciliore non venerint. Quare
credendum est, *Vejos* æquali distantia, nisi veli-
mus dicere majori, quam *Romam* ab isto flumine
abfuisse, sed eo sese recepisse, tanquam in lo-
23 cum validiorem, & ab invasionibus *Gallorum* se-
curiorem, & tanto magis, quod hi *Romam* vi-
ctores & victricibus armis peterent.

Flumen *Allia*, prout *Blondo* visum est, a *Ro-*
ma sedecim milliaria aberat; juxta *Vibium Seque-*
strum, quatuordecim: a quo flumine conjectura
assequi possumus, *Vejos* per æque tantum spa-
tium, certe non multo majus minusve remotos
fuisse, ob rationem supra jam allatam, ita ut ea-
dem a *Roma* distantia, aut parum diversa ab illa,
qua hodie est *Civitas Castellana*, occurrat. Con-
firmabitur hoc inferius in Parte Tertia in secun-
da Responsione ad *Annium*.

Furius Camillus adversus *Vejentes Roma* profe-
ctus cum exercitu, in agro *Nepesino* prius *Cape-*
nates & *Faliscos* fudit, præterea deinde *Vejos* exer-
citum duxit. *Liv.* lib. V. *Profectus cum exercitu*
ab urbe, exspectatione hominum majore quam spe,
in agro primum Nepesino cum Faliscis & Capenati-
bus signa confert: omnia ibi summa ratione consilio-
que acta, fortuna etiam, ut fit, secuta est; inde ad
Vejos exercitus ductus. *Veji* igitur, inquam ego,
sunt ultra *Nepete*, quoniam verisimile non est,
exercitum retrogressum esse (sicuti vult *Petrus*
Cursius, aliique, qui *Vejos Romæ* viciniores quam
Nepete faciunt) quia hic clarum est, *Camillum*,
Vejos petentem in illo itinere suo primo hostes
obviam habuisse in agro *Nepesino*, *inde ad Vejos*
exercitum ductum. Idem dicit *Plutarchus*: *Post*
vota Camillus adversus Faliscos copias duxit, &
hos, atque Capenates, qui auxilio illis erant, ma- 24
gno prœlio vicit, deinde ad Vejorum obsidionem fle-
ctit iter. hoc est: versus *Vejos* perrexit, iterque
direxit, ut proprie loquamur; nam *Flectere iter*
ad locum aliquem, est cursum eo dirigere, vel iter
instituere, secundum Grammaticos; & si vel
maxime velimus illud *iter flectit* proprie sumere pro
piegare; id rei non repugnabit, quum revera,
qui a *Faliscis* aut *Nepesinis* proficiscitur, petit-
que *Civitatem Castellanam*, dextrorsum flectere,
sive sese convertere debeat, & paulo plus *Tiberim*
versus incedere. Id quod probatur etiam alio lo-
co ejusdem *Plutarchi* ibidem. Qui hic est: *Fala-*
rienses & Capenates, Romanis Vejenti obsidione oc-
cupatis, crebro in agrum Romanum incursiones fece-
rant. Ita ut, si *Veji* inter *Nepete* & *Romam* fuis-
sent, non potuissent hoc facere *Falisci*, quoniam
in hostes incidissent, nisi *Romanis* obsidione urbis
ulterius sitæ implicitis, nunc vero facilius ac se-
curius agrum *Romanum* aggredi & invadere pote-
rant. Sed *Cursius* factum illud suo modo accipit,
h. e. exercitum retrogressum, dicens:

Ad Vejos iter & statim reflexit.

Satis diversum, (ne dicam contrarium) ab eo
quod *Plutarchus* dixit; nam maxima differentia
est inter *flectere* & *reflectere*. Sed quum *Nepete*
(*Nepi* hodie) circiter viginti tria milliaria a *Ro-*
ma distet, tanto magis *Veji*, ita ut hac ratione
etiam eorum distantia ad *Civitatis Castellanæ* il-
lam sese accommodatura sit.

VI. *Æræ Mutiæ* id, quod modo dictum est, 25
confirmatum eunt: quæ item longius a *Roma* distant
quam *Nepete* (hodie *Nepi*) Notumque ac certum
est ex *Plinio* lib. II. cap. XCV. fuisse illas in terra
Vejentium: *Ad Aras Mutias* (dicit ille) *loca sunt,*
quibus, terræ depacta non extrahuntur; nec recen-
tiorum quisquam est, qui in controversiam vo-
cet, has hodie esse (sicuti revera sunt) in Ter-
ritorio *Civitatis Castellanæ*, dictas corrupte *Are-*
mozzo, confitentibus ipsis etiam Adversariis: En
propria ipsorum verba:

La terra di Aramutia sù quel de' Vejenti (dicit
Annius) *detta da' Contadini Aremozza, è poco*
lontana da Falerio, ò Fescennio, hora Civita Ca-
stellana. h. e. *Locus Aramutia in agro Vejentium*
dictus ab habitantibus Aremozza, non longe abest
a Falerio, aut Fescennio, hodie Civitate Castellana.

Aremutie hoggi Aremozzo, non discosto da Civi-
ta Castellana, dicit *Sansovinus*. h. e. *Aræ Mu-*
tiæ hodie Aremozzo, haud procul a Civitate Ca-
stellana.

Alberti de *Civitate Castellana* loquens dicit:
Questa Città è posta sopra un' alto colle intorniata
d' altissime rupi, dalla quale non multo discosto (*nel*
Territorio però dè Vejenti) *erano Aremozze, da*
Catone Are Mutie nominate, e da Plinio. Id est:
Hæc urbs, alto cuidam colli, altissimis rupibus cir-
cumdato inædificata est, inde non ita longe (*in agro*
tamen Vejentium) *aberant Aremozze, Catoni & Pli-*
nio Aræ Mutiæ dictæ.

Et Aremutiæ (Lexicon Geographicum) *Are-*
mozzo. Oppidum Etruriæ in colle excisum in fini-
bus Vejentium apud Urbem Castellanam. Et qui
hanc terram vidit, id ipsum ibi, quod *Plinius*
testatur, verum comperierit; nempe de tenaci-
tate (*attaccaticcio*) quemadmodum, in *Tuscula-*
no & *Sylva Ciminia* est, *quibus ad terram depacta*
non extrahuntur.

Are Mutie vocantur ab *Abrahamo Ortelio*; sed 26
in *Vejente* tamen illas ponit. Jam si *Are Mutie*
sunt in regione *Civitatis Castellanæ*, hæc utique
in *Vejente* fuit.

VII. Si juxta *Strabonem* & *Gratium* (ut multi
volunt) *Falisci Tuscis* non annumerandi sunt,
quod innuere alicubi etiam videtur *Livius* de *Ne-*
pesi-

pesinis & *Sutrinis*, ob rationes, quas supra in Parte Prima vidimus; quôque accedit, quod *Veji* non solum in *Tuscia*, sed Munimentum & Propugnaculum (ut *Plutarchus* dixit) protegendæ ipsi *Tusciæ* fuerint; necessario concedendum erit, *Nepesinos* & *Faliscos Vejis* anteriores, aut in æquali discrimine atque adeo *Romæ* viciniores aut æquali inde distantia fuisse: alias enim, si *Vejentes Romæ* vicini fuissent, viderentur alii hi populi in media *Tuscia* collocari, quibus *Veji* frustra Propugnaculi usum præstitissent, quum post se habuissent populos, ut plurimum subjectos hostibus, quos notum est, *Etruriæ* oppositos, *veluti claustra inde portasque fuisse*, ut *Livius* dixit.

Imo *Myrsilius Lesbius* de *Tyrrhenis* agens, quos inter utique *Veji* erant, dicit populos antiquissimos esse: *Quandoquidem vetustissimis differant Diis & moribus, nedum ab aliis populis, sed etiam a vicinis Crotoniensibus, & Perusinis a fronte, & a proximis Faliscis a tergo, quos inter medii jacent. Tyr-*
27 *rheni autem a Romanis Etrusci dicti sunt; qui Janum Vadimona colebant.* Cujus *Vadimonis* Lacum ab *Amelia*[1] prospici docet *Plinius* junior Epist. lib. VIII. ad *Gallum*. Etiamsi recentiores nonnulli alibi illum assignent. Adeoque certissime credendum est, urbem *Vejos* inter *Perusinos* & *Faliscos* mediam fuisse, & a tergo *Faliscorum*, sive ultra eos, vel saltem a latere illorum versus *Tiberim*, ita ut distantia ejus ac sedes non alia profecto possit esse, quam ubi hodie est *Civitas Castellana*.

Confirmatur hoc duobus illis locis ex *Livii* lib. X. citatis: nimirum: *Alii duo exercitus haud procul Urbe, Etruriæ oppositi, unus in Falisco, alter in Vaticano agro.* Et, *Ni Faliscos quoque allatum foret, arma Etruscis junxisse.* Ubi videre est, agrum *Vaticanum Falisco* vicinum fuisse, & utrumque extra proprie dictam *Etruriam*. Ergo *Etruria* erat ultra *Faliscos*, qui proprie *Etrusci* non erant, sicuti *Vejentes*: ergo *Vejentes* erant ultra *Faliscos*: ergo *Veji* ultra *Soracte*.

VIII. Concesso (ut supra in Parte Prima dictum) *Capenam* & *Faliscam* hodie esse *Canepina* & *Fallari*: hisce duobus populis vicini erant *Vejentes*, quemadmodum probe ostendit *Massa* in tractatu *de Orig. Falisc.* qui tres populi deinde in unum conjuncti contra *Romanos* fœdus inter se inierunt, teste Livio lib. V. *Auctum est bellum adventu repentino Capenatium & Faliscorum. Hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant devictis*
28 *Vejis, bello quoque Romano se proximos fore credentes, Falisci propria etiam causa infesti, quod Fidenati bello se jam ante immiscuerant, per Legatos ultro citroque missos, jurejurando inter se obligati, cum exercitu, nec opinato, ad Vejos accessere.* Hodie saltem in propatulo est, Agrum *Civitatis Castellanæ* agro *Fallarii* contiguum esse, agrum autem *Fallarii Canepinæ* vicinum; & etiamsi illorum tractus tam contigui sint & vicini ab uno latere, sunt nihilominus valde remoti ac distantes ab aliis lateribus. Idque quod ex recitatis Livii verbis *Damianis Grana* arguit, nimirum: *che i Veji fossero distenti da i Faliscii, Vejos a Faliscis distinctos fuisse*, nos negare nolumus, nam hæc non repugnant, distinctos esse, & vicinos atque contiguos esse.

IX. *Livius* dicto loco lib. V. narrat factum quoddam, unde argumentari datur, *Vejos* non aliam posse esse, quam *Civitatem Castellanam*. Estque id quod sequitur. Quum *Vejis* pars magna exercitus *Romani* a *Gallis Alliensi* prœlio in fugam acta *Vejos* sese recepissent; & *Camillus*, jam apud *Ardeam* exulem agens, novus Dictator dici deberet, & difficile factu esset, Senatui talem voluntatem inspirare: *Pontius Cominus*, ut Livius scribit, *impiger juvenis operam pollicitus, incubans*

1. *Ex Amerinis prædiis*: juxta Plinii textum.

A *cortici, secundo Tiberi ad Urbem defertur: inde qua proximum fuit a ripa per præruptum, eoque neglectum hostium custodiæ saxum, in Capitolium evadit, & ad Magistratus ductus mandata exercitus edit: accepto deinde Senatus decreto, eadem digressus Nuncius Vejos contendit.* Sola inter cætera loca, quæ pro *Vejis* reputantur, *Civitas Castellana* loco valido sita est, ejusque ager *Tiberi* terminatur. Sin 29
Veji forent *Martignano*, vel *Arigano*, vel *Viano*, vel *Scrofano*, ut multi certarunt, quo *Tiberi*, aut qua cortice poterat *Pontius Cominus* illud iter facere? quum illa loca a *Tiberi* satis remota sint, adeoque *Tibris* ipsis parum commodus.

B X. De *Saxis Rubris* verba facit *Cicero* II. *Philipp.* *Cum hora diei decima fere ad Saxa Rubra venisset, &c.* quæ constat in via *Flaminia* fuisse ex *Tacito* III. Histor. *Antonius per Flaminiam ad Saxa Rubra multo jam noctis serum auxilium venit.* Et quidem in Agro *Vejente* teste *Livio* lib. II. *Vejentes ita fusi retro ad Saxa Rubra* (*ibi castra habebant*) *pacem supplices petunt.* Hæcque hodie in Territorio *Civitatis Castellanæ* sunt, ut visum supra est, & fusius dicetur infra in Parte Tertia inter Responsiones ad *Cluverium* & *Famianum Nardini*.

XI. *Cremeræ*, memorabilis morte CCCVI. *Fabiorum*, a *Vejentibus* ibi cæsis, mentio etiam peculiaris occurrit apud *Ovid.* quum lib. II. *Fastorum* ita
C loquitur:

Hæc fuit illa dies in qua Vejentibus armis
Ter centum Fabii ter cecidere duo.
Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem,
Turbidus hybernis ille fluebat aquis.
Castra loco ponunt &c.

Treja nostra hyeme turbidissima fluit, fere nigra: 30
& quamvis hoc cum cœteris fluviis commune forsan habeat, peculiariter tamen de nostro illud asseveratur.

Sequitur deinde inferius:

Sic Fabii Vallem latis discursibus implent.

D Quo versiculo *Ovidius* ostendit, illum fluvium circa se habuisse late patentem Vallem: & commodum *Civitas Castellana* non aliam Vallem habet, præter illam, quam *Cremera* interfluit; & tanquam proprio vocabulo non nisi *Vallis* (*Valle*) ab incolis appellatur; cum vicinus

Campus erat: Campi claudebant ultima colles.

Hodieque ibi est, & nomen antiquum retinet, diciturque *il Campo Fabiale*, corrupte *Favale*, procul dubio a cæde *Fabiorum*. Inque unum ex altioribus hisce collibus (haud procul inde ubi hodie est Ecclesia *Sanctæ Susannæ*) ego annis abhinc multis deductus sum ab amicis aliquot meis, qui mihi monstrarent copiam quandam ferri acu-
E ti, armorumque hastilium (antiquis *Missilia* dicebantur) quæ hodie eo loco tanquam seminata in terra reperiuntur. Quorum quum a Nobis sat magna copia effossa, eâque linter (*una Zaina*) esset repletus, par aliquod inde elegi, & mecum *Romam* attuli, in donum amico cuidam meo talium antiquitatum studiosissimo. Illo aut inde non procul remoto loco *Fabiorum* cædem peractam esse opinor; & ratio id mihi persuadet, quod non reperiam illum abhorrentem a descri- 31
ptione *Dionysii* lib. IX. qui de illo prœlio verba faciens; *Romani*, inquit, *depulsis obviis quibuscunque, oppleta cadaveribus Convalle, recipiunt se*
F *in tumulum quendam captu difficilem. At Etrusci, instaurato prœlio per vices eos aggressi sunt, non jam ut ante comminus invadentes, sed e longinquo certatim petentes lanceis, fundis, sagittis, aliisque missilibus, tam crebris, ut sua multitudine nivem referrent, atque ita tandem eos telorum multitudine obruerunt.* Neque enim credendum est, prælium ad flumen commissum esse, ubi proprie Urbem præterlabitur; sed statuere possumus, haud procul

cul inde & circa Castellum *Cremeram Fabios* superatos esse, ex quibus unus *Romæ* ob ætatis immaturitatem manserat, & superfuit in germen suæ stirpis, ne exstingueretur familia tam illustris, ut Poëta hoc loco pergit, dicens:

Nam puer impubes, & adhuc non utilis armis
Unus de Fabia gente relictus erat,
Scilicet, ut posses olim tu Maxime nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Volunt nonnulli, *Cremeram* propius *Romæ* quam *Vejis* fuisse; sed nos in Responsionibus ad *Massam* & *Cluverium*, ostendemus plane contrarium; *Vejis*que nec viciniorem nec inde remotiorem esse potuisse, quam hodie iste fluvius *Civitate Castellana* sit; quam *Cremeram* vocari,
32 præter communem opinionem, pluribus etiam Inscriptionibus, quæ in ipsius Ponte exstant, confirmatur.

XII. Sed quid pluribus argumentis & conjecturis opus est? quum e solis reliquiis, quæ hodieque conspiciuntur in *Civitate Castellana* habeamus certissimum testimonium, illam *Vejos* esse. Excellit inter alias præcipua Urbis istius Porta, quæ Gubernatore *Roderico* Cardinale *Borgia* (cui postea in Pontificatum assumpto nomen erat *Alexandro VI.*) superbissimis ditata est marmoreis spoliis, quæ tunc imposita erant sepulcro *Glitii Galli*, erecto ipsi a conjuge *Maximilla Egnatia*; quæ comitem se ei adjunxerat, quum *Roma* in exilium ejiceretur a *Nerone*, ut refert *Tacitus* xv. Annalium prope finem: *Novio Prisco per amicitiam Senecæ, & Glitio Gallo, atque Annio Pollioni, infamatis magis, quam convictis, data exilia. Priscum Antonia Flacilla conjux comitata est, Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum, & integris opibus, post, ademptis; quæ utraque gloriam eis auxere.* Quod sepulcrum, quum prius intra Urbem esset, & fere collaberetur, loco inculto, & ab oculis curiosorum satis remoto, tempore *Borgiæ* supra laudati, annis abhinc cxc. tandem destructum est, tum ut ex obscuro auferretur, & cunctorum oculis exponeretur, tum etiam, ut ex elegantissimis illis fragmentis ejus memoriæ perpetuum tropæum erigeretur. Quare ibi collocata sunt super ejus insignibus cum verbis sequentibus:

33 RODERICO BORIÆ
CALISTI III. P. MAX. NEPOTI
EPO PORTVEN. CARD. VALENTINO
S. R. E. V. CANCELLARIO
VEHIENTES
RELIQVIAS SEPVLCRI P. GLITII
L. GALLI TRIB. MILIT. LEG. PR.
III. VIRI CAPIT. CANDIDATI
VETVSTATE COLLAPSI
PATRI ET DNO B. M.
RESTITVI CVRARVNT.

Quod testimonium, quantum ad antiquitatem pertinet, desumptum est ex inscriptione, quæ in eodem erat sepulcro, & ad nostra usque tempora conservata (sed mox negligentia imperitorum quorundam vastata aut deperdita) fuit, ut fide publica constat, ex Archivis in Tabellario Conservatorum *Civitatis Castellanæ* asservatis, relataque ab aliquo, qui aliquantulum plus cerebri habuerit, quam cæteri, in librum consiliorum anni MDXCIII fol. 95. ubi leguntur hæc verba: *Ex pilo marmoreo reperto in Ecclesia Beatæ Mariæ de Arcu.*

34 P. GLITIO. L. GALLO. TRIB. MILIT.
LEGION. PR. III. VIRO. CAPIT. OP.
VEHIIS. P. Q. MAXIMILLA
AGNATIA. CON.
O. S. P.

A Unde sic licet argumentari: quum *Glitius* ille mortuus & sepultus sit *Vejis*, ibique honoribus perfunctus: ejus autem sepulcrum reperiatur in *Civitate Castellana*, hunc locum omnino *Vejos*, & *Vejos Civitatem Castellanam* esse, utpote quam *Vejos* literis majusculis appellari, in comperto sit.

XIII. Cætera marmora, inscriptiones, statuas, quæ ad hunc diem cum integra tum in fragmentis in *Civitate* reperiuntur, prætereo. Cuniculis, & cavernis subterraneis, quibus operibus (*operibus tamen, non vi* dixit Livius) expugnata est, vere non possumus dicere plenam sed vacuam esse urbem, ejusque regionem circumjacentem, de quibus *Livius*
B lib. v. hæc memoriæ prodidit: *Operum fuit omnium longe maximum, ac laboriosissimum, cuniculus in arcem hostium agi cœptus; quod ne intermitteretur opus, neu sub terra continuus labor eosdem conficeret, in partes sex munitorum numerum divisit: senæ horæ in orbem operi attributæ sunt: nocte ac die nunquam ante omissum, quam in Arcem viam facerent.* Idemque *Plutarchus* dicit: *Cum durum Camillus asperumque promontorium tueretur, cuniculos circa Urbem in locis, quæ aditum intra muros præberent, fodiendo paravit, per quos occulte, atque* 35
profunde sub terras ad hostes duceretur. Et juxta alium interpretem: *Solo circum Urbem ad fodien-*
C *dum commodo, & ad tantam altitudinem demitti opera sinente, ut hostium conspectum fallerent.* Hodieque horum cuniculorum ibi multa sunt vestigia, qui intra Urbem penetrant & vel in ipsam Arcem; sed alii obturati, alii muris muniti, aut devastati sunt; conspiciuntur tamen multa eorum fragmenta circa ripas, veluti apud Ecclesiam *S. Sebastiani*, versus tumulos illos, qui dicuntur *Piaggie*, in loco seu regione urbis *il Borgo* dicto, aliisque pluribus subterraneis.

XIV. Accedere etiam posset, character vinorum tenuium, subrubrorumque, quæ fert *Civitas Castellana*, conformia prorsus illis, quæ an-
D tiquitus *Vejentina* dicta sunt; nam si natura secundum *Aristotelem* lib. II. de *Cœlo* cap. III. omnium, quas habemus, maxime æterna res est, nec *ulli ligno æternior natura quam viti*, auctore *Plinio* lib. XIV. cap. I. manifesto videbimus, hoc ipso loco *Vejos* fuisse, quum *Martialis* lib. v. nobis testis sit, tam debilia fuisse vina *Vejentana*, ut *Massicis* ne comparanda quidem essent.

Vejentana mihi misces, tibi Massica potas:
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

Nam constat ex eodem *Plinio* eodem libro cap. VI. *Massica* & *Falerna* inter graviora ac generosiora connumerata esse. *Certant Massica æque ex mon-*
E *te Gaurano, Puteolos, Bajasque prospectantia.* 36
Nam Falerno contermina Statana ad principatus venere non dubie. Hæc enim vinis levibus ac tenuibus, quæ hodie in usu sunt, præferebant Antiqui. *Blond. Romæ triumph.* lib. VIII. (hausit ex *Plinio* lib. XIV. cap. XIV.) *Tanta vino Græco gratia erat, ut singulæ potiones in una cœna darentur.* Vel ut *Volaterranus* dixit: *Ejus cyathum tantum in conviviis dabant, quia in pretio erat.* Quin e contrario *Horatius* lib. II. Sat. III. narrat *Opimium*, quendam, (avarissimum hominem, an miserrimum dicam nescio) diebus festis solummodo bibisse *Vejentanum*, quod parvi pretii esset, pro-
F festis autem vinum, ô præsordidam ipsius parcimoniam! evaporatum. lib. II. Sat. III.

Pauper Opimius argenti positi intus, & auri,
Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Huic infortunato probe congruit ista sententia, quam allegat *Seneca* ad *Lucil.* ep. CVIII.

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia,
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Optimeque in illum quadrat Distichon illud *Pala-*

ladæ Græcum, quod ita Latine sonat: (Græcum A vid. in Anthol. lib. II. cap. L.)

Divitias locupletis habes, animum sed egeni;
Hæredi o dives, sed tibi solus egens.

Martialis itidem *Vejentanum* parum æstimans, *Rubellum* id vocat lib. I. quod quoniam alter quidam sordidus priori illi similis biberet, maximopere exaggerat, dicens:

37 *Et Vejentani bibitur fæx crassa Rubelli.*

Et ita plane se habent, quod ad majorem partem utique, vina *Civitatis Castellanæ*, id est, subrubra, attamen suavia, & tenuia, qualia isto tempore non placuisse, non debemus mirari, quum *Vina*, quæ hodie *Romæ* sunt, *Montis* B *Marii*, inter *Romanensia* ex præstantioribus, olim a *Collibus Vaticanis* denominata, non fuerint tunc temporis in aliquo pretio, imo ab eodem *Martiale* lib. I. *toxica* vocata sint; & lib. VI.

Vaticana bibis, bibis venenum.

XV. Accedit præter jam dictos characteres, quod in *Civitate Castellana* stet Arx juxta Templum *Sanctæ Mariæ*, totum ruinis antiquis inædificatum cum elegantissimis marmoribus, & antiquis columnis, convenienter *Plutarchi* verbis, qui de *Vejis* dixit: *Arx erat juxta Templum Junonis.* Item multis abhinc annis in restauratione *S. M. di Arco* frustum marmoris antiqui repertum est cum litteris aliquot crassis, quæ dicebant: C SACRÆ JUNONI. Creditur fuisse fragmentum aliquod ornamenti istius Templi; quod marmor hodieque ita in frustis suis apud *Castellanenses* asservatur.

XVI. Penes *Laurentium Petronii* parvum est marmor figurâ ovali, utpote fragmentum aliquod, cui hæ litteræ inscriptæ sunt: VIENTI CII. S. P. Q. R. quod tempore *Pii IV.* repertum fuit in Canonica *Civitatis Castellanæ*, a *Gi-*
38 *rolamo Petronii*, quum ibi esset Sacerdos Primarius (*Arciprete*) postea vero Episcopus fuit *di Terni.* Et tempore *Philippi Boncompagni* Cardinalis D *S. Sixti*, Nepotis *Papæ Gregorii* XIII. perpetui Gubernatoris *Civitatis Castellanæ* ab alio *Laurentio Petronii* repertus est, per occasionem, qua caverna effoderetur, elegantissimus *Æsculapius* ex metallo, in cujus basi hæ solæ litteræ erant: PRO VEIENT. Qui ad supra dictum Cardinalem, qui in Arce habitabat, perlatus, *Laurentio* Domino mox restitutus est, & Romam translatus, quemadmodum *Franciscus Micus* affirmabat, se cum aliis civibus illum vidisse. Adeo ut pluribus testimoniis confirmetur, illum locum omnino esse *Vejos*.

XVII. Apud *Livium* aliosque Auctores, quo- E ties *Veji* cum aliis vicinis populis memorantur, sæpe illos cum *Faliscis* & *Capenatibus*, vel *Nepesinis* & *Sutrinis* reperio. Cum *Civitate Castellana* pari modo se res habet, eosdemque & illa vicinos agnoscit, tum quod *Faliscis* & *Capenatibus* conjuncta est, sicuti visum est apud *Livium* lib. V. & supra in Argumento nostro VIII. allegatum; tum etiam quod inter *Nepete* & *Sutrium* ponitur eodem modo, ut de *Vejis* dicitur lib. VI. Decadis III. nimirum: *Nisi in Vejente, aut Sutrino, Nepesinoque agro, &c.* Et in inscriptione *Herenniæ*, quæ hodie reperitur in Ecclesia Cathedrali *Nepesina*, quatuor milliariis a *Civitate Castellana*, F *Veji* cum *Nepete* conjuncti leguntur.

39 HERENNIÆ C. F. IVSTÆ
M. APISTIVS M. F. PAL. SABINVS
DVVMVIR VEIOS IIII. VIR NEPETE
VXXORI SANCTISSIME
ET PIENTISSIME
ET DE SE OPTIME MERITÆ
TESTAMENTO FIERI IVSSIT.

Hæc Inscriptio typis edita est ab *Aldo Manutio*, & a *Smetio* cum voce *Vejos*, quæ creditur velle dicere: *Vejis* (error fabrilis) sicuti in voce *Uxxori* cum duplici x, & *Pientissime* absque diphthongo. Quos errores nobis corrigere non licet, ut tales Auctoritates fideliter exhibeamus: quum sic etiam faciamus in cœteris, ponentes eas, ut reperimus.

Siquis autem mihi regerat, respectu *Vejorum* illam *Nepetis* vicinitatem veram esse, sed tamen a parte *Romæ*, & non versus *Tusciam*: Respondeo, hoc magis comperiri verum esse a parte *Tusciæ* quam *Romæ*, quum ab illa parte *Civitatem* versus plura reperiantur testimonia, *Vejos* ibi stetisse, qui ubi ab hac parte fuerint, ne per minimum quidem signum apparet.

XVIII. Inter loca, quæ ad *Vejentem* agrum spectabant, numerari video *Umbricum*, *Aras Mutias*, & *Saxa Rubra*. De duobus hisce posterioribus supra vidimus in Argumento VI. & X. De *Umbrico* reperitur antiquissima basis inscripta in Palatio *DD. Cæsiorum* apud *Vaticanum*: (estque in Impluvio a sinistra) unde apparet, *Umbricium* quendam *Vejentanum* (desumpto a Patria nomine) monumentum dedicare sibi, *Umbriciæ* conju- 40 gi suæ, & *Vejentoni* filio suo, in hunc modum:

DIS. MANIBVS
C. VMBRICIVS
VEIENTANVS
SIBI. ET. VMBRICIÆ. DELPHIDI
CONIVGI. SVÆ
ET. VEIENTONI. FILIO. SVO
VIXIT. ANN. XII

Hoc nomine *Umbrico* clarum est in *Vejentano* fuisse Castellum, ut refert *Cato* in *Originibus*, & quemadmodum etiam eruitur ex hac Inscriptione; & quanquam destructum est, conservatur tamen hodieque in *Civitate Castellana* memoria ejus; & e regione Ecclesiæ *Sanctæ Susannæ* ultra *Cremeram* conspiciuntur vestigia, quæ antiquum nomen *Umbrici* adhuc servant, & ipse *Annius* auctor contrarius itidem testatur, *Umbricum* vicinum esse *Civitati Castellanæ*, & *apud Treliam flumen* Lexicon ponit Geographicum.

Sed necesse est, ut hoc loco aliquot alia monumenta ac vestigia antiquitatis, afferamus, quæ in *Civitate Castellana* supersunt, temporum injuria nondum plane exstincta, & mendacii convincamus illos, qui ibi ne ullum quidem signum antiquitatis dari contendunt. Primo conspiciuntur variis in locis per Urbem muris ædificiorum ad- 41 aptatæ ac elevatæ sculpturæ marmorum antiquissimorum, quæ quamvis laceræ, artificem nihilominus manum spirant: veluti in platea maxima (*per la strada maestra*) e regione Horti *Gajorum* cernitur basis cum Lychnucho sacrificii pulcherrimo. (*Con un candeliero da sacrificio bellissimo*)

E regione *Spenditoriorum* versus *Panicum* statua Consularis est, quæ jam a multis sæculis fenestræ cuidam usum superliminaris (*un Architrave*) præstitit.

Paulo inferius ab eodem latere inter multa marmora antiqua, quæ nudas petras domui cuidam sane quam antiquæ præstant, videre est caput triumphale coronatum; & inde non procul angulum (*una cantonata*) totum tali opere elaboratum.

In foro magno prope Porticum (*le volte*) ornamentum superbissimum est, in magno fragmento marmoreo, quod apparet Limbi usum præstitisse Theatro alicui, aut sepulcro, aut rei simili, quæ rotunda fuerit.

Ecclesia Cathedralis intus & extra tota plena est excellentissimorum marmorum, porphyritarum, ophitarum, columnarumque integrarum atque diffractarum, antiquissimarum, quæ omnia accom-

commodata a Christianismo sunt ad nostros usus; & speciatim pulcherrimæ aliquot tabulæ marmoreæ, elaboratæ, itemque aliquot alia pigmenta: (& ex his formatum est Altare majus, ubi jacent corpora gloriosissimorum S. S. *Marciani*, & *Johannis* Protectorum nostrorum) aliaque item aliquot fragmenta antiquissima, cum manu columnæ minoris, (*con una mano di colonne minori*) sub *S. Gratiliano* sunt, quæ suggesto fulcimentum præstant.

42 In Ecclesia *della Madonna dell' Arco* extra portam, & intra Conventum *Carmelitanum* aliquot fragmenta nova antiqua sunt, cælata opere anaglypho: ibique etiam exstabat Inscriptio *Glitii Galli*, quæ (ut dixi) postea devastata est tempore *Clementis* VIII. apud quem talia antiquitatis monumenta nullo in pretio erant, ut vas inde aquæ benedictæ in ista Ecclesia fieret. Sed non hoc solummodo monumentum interiit; superliminare (*l' architrave*) portæ præcipuæ Sanctæ *Mariæ*, ut & bases, seu columnæ portæ lateralis *S. Clementis*, marmora cælata seu inscripta erant, in quibus adhuc aliquot litteræ antiquæ semierasæ leguntur.

In uno:

TVRPILINA M. L. IRENA

In altero:

IIII. VIR. TR. MILITVM. PR. FABR.

Sed hæc aliaque marmora postea tempore *Gothico* cum operibus Musivis ad ornamentum Ecclesiarum accommodata sunt.

Apud S. M. dictæ *d' Angiolino*, e regione & supra, versus *Panicum*, sunt aliquot capitula columnarum aliaque fragmenta antiqua; sicuti superius versus *Rubinorum* ædes elegantissimus rictus, seu persona (*Grifo*) est, aliusque huic similis reperitur versus *Plateam Massæ* ad fenestram quandam e regione *Calistorum*; & ab eodem *Calistorum* latere videmus opus foliaceum antiquum (*un Festone*) elegantissime elaboratum, cum maxime fenestræ cuidam, superliminari seu epistylii loco adaptatum. 43

Ante portam *Anastasiorum* ad crepidinem putei frumentarii in fragmento quodam hæ litteræ incisæ sunt:

ARTI VOLVMNIO

Lars Tolumnius fuit Rex *Vejentium*. Hic forsan littera prima L. deest. Et *Volumnio* etiam fuit in usu apud antiquos, idque inter recentiores scripsit *Volaterranus* in *Anthropologia* sua lib. XIV. *Cor. Cossus Trib. mil. in exercitu Volumnium Lartem Vejentem Regem occidit, secundaque opima spolia Jovi Feretrio retulit.*

Paulo inferius *Trellorum* ædibus alia duo fragmenta habes cum litteris, quæ dicunt:

M. EGNATIVS. M. F. IOCAMVS
PAVLLVS. L. PHILARGVRVS
L. PRIMAL. ELEGANS
POTITVS. L.

Super scalis *Ignatii Petronii* statua est integra, repræsentans *Floram*.

In pavimento ante Altare majus Ecclesiæ Cathedralis fragmentum Inscriptionis visitur cum hisce litteris grandibus:

44 COS. IIII. VIR. QVINQ. P. S. F.

In alio fragmento, quod partem superliminaris vel epistylii refert, cum signis, quæ ostendunt impactas intus litteras ære fuisse, leguntur (sed characteribus multo majoribus) eædem quinque litteræ postremæ, quæ in præcedenti, nempe: NQ. P. S. F. sub Ecclesia Cathedrali in *S. Gratiliano*.

Post portam sinistram ejusdem Ecclesiæ basis est, figura quadrata, in qua scriptum est:

L. TVTILI. LVPERCI
SVLPITII. AVITI.

A In superliminari (*Architrave*) quod dixi Portæ Primariæ Ecclesiæ Cathedralis supra memoratæ, (quæ jam annis abhinc plus quam CCCC. exstructa est) sicuti etiam continuo in Arcu majore frontispicii anterioris, characteribus auratis operis Musivi legitur: AN. DOM. MCCX. cognoscuntur vero in eodem lapide adhuc antiquæ litteræ incisæ, sed contritæ ante quam huic usui inservirent, quæ dicunt.

IVNIO NIMIONI BENEMERITO
QVI VIX. A. CXIII. MEN. XI. DIES III.

In horto *Julii Cæsaris Petronii* post Cathedralem, basis est rotunda, tota cum figuris operis

B anaglyptici, elegantissima.

In Ecclesia *S. Clementis* supra memorata, sub Altari Sacrarii (Sacristiæ) conspicitur basis cum lychnucho sculpturæ mirabilis, optime conservata; ac intra ejus alveum (*la navata*) occurrunt Inscriptiones aliquot, quæ dicunt:

Una:

C. AQVINIVS CRESCENS 45
ET FVRIA EPICTESIS
FECERVNT SIBI ET LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ.
EORVM II. M. P. P. S.

Altera:

C ERTINIVS L. L. KRISERMVS
ERTINIA. L. L. EGLOGE.

Et quamvis non multum possit colligi ex tam laceris fragmentis, satis tamen inde colligitur, & eruitur ipsa antiquitas; nam rerum a bis mille annis & amplius repetendarum, ne *Romæ* quidem memoria aut monumentum ullum reperietur, sicuti visuri sumus in Responsione ad *Cursium* num. 2. Necesse etiam est, ut præsupponamus elegantiora quæque *Romam* translata esse, sicuti statuam *Junonis*, quæ in Aventino collocata est. Idem quod *Romæ* rursus contigit a *Constantinopoli*, tempore *Constantii*, & *Barbarorum*. Unde

D in vita *Vitaliani* Papæ legimus apud *Ciacconium* & apud *Baronium* sub anno DCLXIII. *Constans Imperator* (*Heraclii nepos*) *Romam veniens omnia ex ære, ac præclara omnis generis monumenta, quibus Urbs fuerat antiquitus ornata, subripuit; ac omnia templa, omnes familias, privatis & publicis ornamentis enudavit, ut ne tegulis quidem parceret, quibus Pantheon operiebatur: plusque ornamentorum ipse septem diebus Urbi detraxit, quam Barbari antea* 46 CCLVIII. *annis.* In expugnatione autem *Vejorum* ad direptionem totus populus *Romanus* vocatus est, sicuti supra in Prima Parte circa finem visum est ex *Lucio Floro*.

E Et quanquam nostra parum refert, *Falisci*, *Fescennini*, an *Vejentani* simus, majori tamen veritatis fulgore *Vejentes* videmur esse, quam alii: quum major difficultas, ac minor lux cuivis alii, quum huic sententiæ sese offerat.

Inter Inscriptiones typis editas, ab *Smetio* una nationis *Vejentum* ponitur, quam ex Commentariis *Panvini* dicit sumpsisse; sed ignoratur, quo proposito illam sacraverint, forsan in memoriam victoriæ *Titi Vespasiani* renovatæ a *Vejentibus*; quoniam profertur una sub eodem titulo *Victoriæ Augustæ* dedicata ab natione *Spoletina*, quæ speciatim *Vespasianum* memorat.

F VICTORIAE
AVGVSTAE
SACRVM
RESTITVTAE POST
ANTIQVISSIMAM
VETVSTATEM
ORDO VEIENTIVM.

A latere:

DEDICATA III. NON. JAN. 47
AEMILIANO II. AQVISINO COSS.

Romæ erat IX. Tribus appellata *Vejentana*, quam idem *Onuphrius Panvinus* in lib. *Civitas Romana*, ita dictam ait a parte Campi *Vejentis*, quæ trans *Tiberim* supra *Romam* in *Tuscia*, *Vejentibus* ab *Romulo* adempta; eumque in finem has duas Inscriptiones affert.

Q. GAVIVS. Q. F.
VEIENTINA
APVSIVS.

Item *Romæ* in Insula:.

T. TRVNCANIVS
T. F. VEIEN.
ASTVRIVS.

Tres alias Inscriptiones idem *Panvinus* in libro *Urbs Roma* proponit, quas dicit in *Civitate Castellana* haberi; & primam quidem, *in horto Ecclesiæ Cathedralis Urbis Castellanæ in Faliscis adhuc exstare.*

48 HONORI
IMP. CAESARIS. DIVI. F.
AVGVSTI. PONT. MAX
PATR. PATRIAE. ET. MVNICIP
MAGISTRI. AVGVSTALES
C. EGNATIVS. M. L. GLYCO
C. EGNATIUS. C. L. MVSICVS
C. IVLIVS. CAESAR. LISOCHRYSVS
Q. FLORINIVS. Q. L. PRINCEPS
VIAM. AVGVSTAM. AB. VIA
ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD
CERERIS. SILICE. STERNENDAM
CVRARVNT. PECVNIA. SVA
PRO. LVDIS

Civitate Castellana.

MAMMIAE. C. F
IVSTAE
Q. TVLLIVS. Q. F
HORAT.
CINCIVS. PRISCVS

49 Civitate Castellana.

[1]Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI
7. LEG. XX. V. V
CORNICVLARIO. PR. PR
DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVG
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO. ET. AB
IMP. CÆSARE. TRAIANO
HADRIANO. AVGVSTO. HASTA. PVRA
ET. CORONA. AVREA
AVILIA. SOTHERIS. MATER
FILIO. OPTIMO. PIENTISSIMO
L. D. D. D

Sed jam tempus est, ut ad totam rem expediendam accingamur. Omnis difficultas, ob quam *Vejos* recentiorum scriptorum major pars negat esse *Civitatem Castellanam*, oritur ex differentia distantiæ a *Roma*, quæ cum ea, quam scriptores antiqui memoriæ prodiderunt, non congruit. Sed si detegamus, omnia requisita, quæ olim *Veji* habebant, hodie *Civitati Castella-*
50 *næ* adesse, & nulli alteri loco, ab recentioribus assignato, quid amplius illæ distantiæ nobis molestiam creant, si nesciamus, quo nos vertamus, & cuinam illorum Auctorum debeamus credere, quum inter se tam sint diversi? Quumque certas *Vejorum* circumstantias, dubias distantias, in manu habeamus; quid certa pro incertis deseremus?

Enimvero in tanta totius rei obscuritate Au-

1 Memorata hæc Inscriptio exstat in Basi ante portam *S. M. dell' Arco*. Sed & hæc hodie mutilata est, ejusque dimidia tantum pars superest: tam parvi habita sunt talia monumenta.

A ctores excusare poterimus, tum quia hæc circa *Vejos* curiositas olim parvi momenti habita est, tum etiam, quia illorum ætate *Veji* non amplius eæ erant, quæ fuerant. Imo sciendum est, omnes illos Antiquiores, qui de iis scripserunt, circiter cccc. annis post floruisse, quam *Veji* (jam facta Colonia) expugnati fuerint. Nec mirandum est idcirco, distantiam eorum tam parum observatam esse; quandoquidem *Livius* principio lib. VI. ad ipsam antiquitatem provocans, se excusat his verbis: *Quæ superioribus libris exposui res, tum vetustate nimia obscuras, veluti quæ magno ex intervallo locorum vix cernuntur, tum quod perraræ*
B *per eadem tempora litteræ fuere; una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum, & quod etiam si quæ in Commentariis Pontificum, aliisque publicis, privatisque monumentis, exusta Urbe, pleraque interiere.* Et supra lib. V. *Sed in rebus tam antiquis, si, quæ similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeam.* Eodem modo *Strabo*, qui circa tempus *Livii* vixit (sicuti fere cæteri omnes, qui *Vejorum* meminerunt, vel sub *Augusto*, vel paulo post 51
floruerunt) in Geographia sua nullam de *Vejis* mentionem facit; quoniam, *Romani*, inquit, *Fidenas, sicut & Vejos oppresserunt.* Quapropter jure *Lucius Florus* Hist. Rom. lib. I. Cap. XII. di-
C xit: *Nunc Vejentes fuisse quis meminerit? quæ reliquiæ? quod vestigium? laborat Annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.* Postquam dixerat in superioribus: *rapti funditus, deletique Vejentes.* Idem dixit *Ammianus Marcellinus* in *Juliano*: *Fidenas, ne imperio subcrescerent æmulæ, Roma subvertit; & Faliscos ita oppressit, & Vejos, ut suadere nobis laboret monumentorum veterum fides, ut has civitates aliquando fuisse credamus:* quo proposito etiam canit *Propertius* lib. IV.

Et Veji veteres, & vos tum præda fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros Pastoris buccina lenti
D *Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.*

Quæ cuncta ad unguem vera præstantur in *Civitate Castellana*; quoniam intra Urbem latus Campus seminatoribus ac messoribus patet, utpote plus quam dimidia parte habitatoribus vacuam. *Lucanus* Pharf. lib. VII. idem etiam dixit:

—— *& Gabios, Vejosque, Coramque,*
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ.

Cujus rei culpam in bella civilia transfert; sic *Frontinus* etiam *de Coloniis*, dixit: *Colonia Vejens, priusquam oppugnaretur, ager ejus militibus est assignatus ex lege Julia. Postea deficientibus his ad Urbanam civitatem adsociandos censuerat Divus Au-* 52
E *gustus. Defecerunt autem Coloni* (subjicit *Cluverius*) *postquam ipsum defecerat oppidum, bellis civilibus exhaustum.* Id quod clarissimum est ex modo laudato *Lucano*, ubi præmittit descriptionem belli inter *Cæsarem* ac *Pompejum*, his verbis:

Ergo utrinque pari concurrunt agmina motu:
Irarum metus hos, regni spes excitat illos.
Hæ facient dextræ, quicquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet a ferro.

Convenienter iis, quæ dixit Virg. VI. Æneid.

Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, stragemque ciebunt.

F Pergit paulo post *Lucanus*, quantum ad *Vejos*:

Non ætas hæc carpsit edax, monumentaque rerum
Putria: destituit crimen civile, videmus
Tot vacuas Urbes. Generis quo turba redacta est
Humani? toto populi qui nascimur Orbe,
Nec muros implere viris, nec possumus agros,
Urbs nos una capit, &c.

Vejorum imminutio probatur etiam ex eo, quod *Livius* dicit lib. VI. *Eo anno in civitatem accepti, qui*

qui Vejentium, Capenatiumque, ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus assignatus. Revocati quoque in Urbem S. C. a Vejis, qui ædificandi Romæ pigritia, occupatis ibi vacuis tectis, Vejos se contulerunt. Unde manifestum est, *Vejos* paulatim per Senatus indu-
53 striam desertam, ut ostendit etiam idem *Livius* lib. v. ex illa divisione: *Ut agri Vejentani septena jugera plebi dividerentur.*

Nec mirum tamen est (dicit *Massa*) *Virgilium* in recensendis omnibus istis populis, *Vejorum* vicinis, qui a *Messapo* conducti arma sumpserunt in auxilium *Turni* contra *Æneam*, solos *Vejentes* præteriisse, Æneid. lib. VII.

Hi Fescenninas acies, Æquosque, Faliscos,
Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte Lacum, lucosque Capenos,
Ibant æquati numero, Regemque canebant.

Sicuti idem quoque fecit imitator ejus *Silius Italicus, Bell. Pun.* lib. VIII.

Hos juxta Nepesina cohors, Æquique, Falisci,
Quique suos Flavina focos, Sabbatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Judicium (inquit) illud evidentissimum est utrumque ita fecisse, non solum quod *Vejentes* non amplius florerent, nec ista ætate ullo modo memorabiles essent; sed etiam quod *Romani* essent inimicissimi, hisque tale nomen odiosissimum.

Sed ob posteriorem hanc rationem potius quam ob priorem credendum est, ipsos a *Vejentium* mentione abstinuisse, quia *Æneæ* tempore *Veji* non erant destructi; imo tempore *Virgilii* (qui ut cuivis notum est, sub *Augusto* vixit) si-
54 cuti etiam tempore *Flori*, *Propertii* & *Lucani*, qui paulum modo ab eo distabant, multa istius Urbis vestigia supererant; etiamsi *Florus* oratorie magis, quam historice, contrarium, ut videre est, dicat. Et *Propertii* tempore *Vejos* pro parte adhuc stetisse, ille idem nobis innuit in versiculo illo: *Nunc intra muros, &c.* sic etiam *Lucani* tempore (qui sub *Nerone* vixit) sepulcrum *Glitii Galli*, qui ab eo *Vejos* relegatus est, clarum nobis testimonium suppeditat. Quibuscum consonat, quod *Frontinus*, de Colonia *Vejis* narrat, præter id quod superius de *Augusto* dictum est. *Nam variis temporibus, & a Divis Imperatoribus agri sunt assignati, cujus ratio sic attenditur. Circa Oppidum Vejos sunt naturæ locorum, quæ vicem limitum servant, sed non per multa millia pedum occurrunt.* Et in sequentibus: *Hujus enim territorii forma in tabula æris ab Imperatore Trajano jussa est describi.* Atque adeo nec hoc tempore *Veji* exstincti erant.

Nolo hic omittere quatuor alia verba, quæ hic idem *Frontinus* subjungit, quibus situm *Vejentis* agri formaturus, mihi plane describere videtur, & particulatim exhibere Territorium *Civitatis Castellanæ*, in quo plurimi occurrunt termini lapidis *silicei* & *Tiburtini*; sed quum plurimæ ibi etiam ripæ sint ac rupes, ob multitudinem fossarum, rivorum, cavernarumque, hæ ipsæ pro confiniorum limitibus etiam adhibentur, & ad distinguendos
55 terminos sine terminis unius agri ab altero. Certe Frontinus leges Coloniæ enarrans, sic pergit: *Termini etiam siti sunt pro parte silicei, & alii Tiburtini, &c. quod si spissiores sunt, riparum cursus servantur, earum tamen, quæ per multa millia pedum recturas, separationesve agrorum ab initio suo usque ad occasum custodiunt. Et ne eas*
A *ripas sequendas pcrarent, quæ intra corpus agri nascuntur, & in suo latere decidunt, lex limitum eas prædamnavit, ne id aliquando sequamini. Sed si contentionis causa, eo partes inter se constituendas censuerunt, non recturæ imputandum, sed concurrenti definitione fides adhibenda. Est enim viarum, riparum, cavarum, multorum agrorum separandorum permeantium cursus servandus, &c.* Si quis non viderit situs illos, hic recognoscat.

Jam quia nonnihil dici posset super Auctorum locis supra allegatis circa distantiarum diversitatem, antequam respondeamus ad Auctores recentiores, referemus ipsa Antiquorum verba, & de-
B inde respondebimus ad singula.

Primo, *Dionysius Halicarnasseus* dicit: *Rom. Antiq.* lib. II. *Veji Etruscorum Urbs potentissima, Roma distabat centesimo stadio, erat autem Athenis non minor, &c.*

Secundo, *Plinius* lib. III. cap. V. *Tiberis per* CL. *millia passuum non procul Ocriculo, &c. mox citra* XIII. *millia passuum Urbis, Vejentem agrum a Crustumino dirimens, &c.*

Tertio, *Eutropius* lib. II. *Fidenæ, & Veji ambæ Civitates tam vicinæ Urbi sunt, ut Fidenæ* 56
VII. *Vejentium* XVIII. *milliario absint.*

Quarto, *Titus Livius* lib. V. Decad. I. *Nos in-*
C *tra vigesimum lapidem in conspectu prope Urbis nostræ oppugnationem annuam perferre pigebit?*

Ad primum responderi potest, ut *Josephus Castalio* dixit in Syntagmate suo, verisimile esse in *Dionysio*, quemadmodum aliis exemplis probat, *errasse scriptorem in notis arithmeticis, propter similitudinem Græcæ litteræ, centesimum & ducentesimum numerum facile exprimentis; & ita* C. *pro* CC. *posuisse.*

Ad secundum. *Plinii* locus iste corruptus est, & patet, constructionem sibi non constare: *Mox citra* XIII. *millia passuum Urbis, &c.* & sicuti modo laudatus *Castalio* ait *ex mendosis nihil efficitur;*
D præterquam quod *Plinius* ibi loquatur de *Vejentium* agro, qui etiam antrorsum longe se extendebat, & non de Urbe, dicens clare: *Vejentem agrum a Crustumino dirimens.*

Ad tertium. *Eutropius*, qui reliquis multo recentior est, transscripsit ex aliquo, qui ante ipsum nullo ad alium respectu habito scribebat, ut solet fieri in rebus parvi momenti jamque pro exstinctis habitis.

Ad quartum. *Livius* isto loco hyperbolice locutus est & per exaggerationem, quemadmodum apparet in sequentibus, quum sint verba *Appii Claudii*, exprobrata plebi, hunc in modum: *De-*
E *cem quondam annos Urbs oppugnata est ob unam mu-* 57
lierem ab universa Græcia, quam procul ab domo? Quot terras? Quot maria distans? Nos intra vigesimum lapidem in conspectu prope Urbis nostræ oppugnationem annuam perferre piget? Nam revera *Vejentes*, ob vicinitatem, videbantur in conspectu *Romæ* esse, quemadmodum eodem sensu canit *Silius Italicus Bel. Pun.* lib. VII.

Vejentum populi violata pace negabant
Acceptare jugum, ac vicino Marte furebat
Ad portas bellum.

Non revera ad portas bellum erat, sed ut dici solet, ob oculos illud habebant *Romani*. Hisce
F viginti *Livii* milliariis accedimus, ut visuri sumus in Responsione secunda ad *Annium*. Imo olim breviori utebantur via, quæ per *Nepete* ducebat ad *Civitatem Castellanam*, quum, quæ hodie teritur, *Flaminia* via est.

Hisce itaque generaliter & quasi summis labris prælibatis, nunc Partem Tertiam ingrediamur, ubi fusius Adversariorum specialibus objectionibus fiet satis.

58 VEJI DEFENSI.
PARS TERTIA.
RESPONSIONES,
Ad Argumenta, quæ adducuntur in Contrarium.


SEd ut respondeamus etiam ad argumenta specialia Auctorum, qui negant *Civitatis Castellanæ* situm *Vejorum* esse, referemus primo rationes, quas proferunt illi, deinde ad unamquamque illarum sigillatim respondebimus.

Auctores sententiæ hujus negativæ sunt *Johannes Annius*, *Cæsar Nicolini*, *Blondus Flavius*, *Leander Alberti*, *Philippus Ferrarius* (*Ferrari*) *Petrus Cursius*, *Antonius Massa*, *Philippus Cluverius*, *&* *Famianus Nardinus*, quos ordine producemus, simulque (quantis poterimus viribus nostris) confutabimus.

JOHANNES ANNIUS in libro Annotationum suarum ad *Berosum* super *Fabio Pictore*, dicit : 59 *Ob tres causas Civitatem Castellanam non posse esse Vejos.* Prima est : *quod via, qua Fabii Vejos profecti sunt, fuerit sub Janiculo versus Lacum Sabatium, non autem versus Tiberim Civitatis Castellanæ.* Secunda : *Spatium a Vejentone ad Romam erat viginti milliariorum juxta Appium, & Livium, & juxta Halicarnasseum centum stadiorum;* quumque stadium juxta *Ptolemæum* octava pars esset milliarii, Auctor iste colligit : *Roma Vejos, a dextero Janiculo tendenti, duodecim circiter esse milliaria, ac tali via duodecim milliaria versus Sabatium emenso occurrere Lartenianum in Colle situ valido, hodie Marteniano & Martignano dictum*, & hunc locum vult esse *Vejos*. Tertia: *ex cognomine*, inquit ille, *palam est, Civitatem Castellanam cum Vejis* non esse eandem.

Etiamsi huic Auctori a nemine multum fidei habeatur, tamquam librorum aliquot fictorum suppositori, nos tamen ad illa respondere oportet, in quantum ad *Civitatem Castellanam* spectant, nequa objectio in posterum relinquatur.

Respondeo igitur ad primam illam rationem, etiamsi via *Flaminia* per agrum *Vejentem* duxerit, non tamen *Vejos* in illa directe occurrisse, sicuti nec hodie etiam *Civitas Castellana*, nisi a parvo jam tempore, quo via illa sub urbem usque traducta est. Via autem antiqua circiter milliarium cum dimidio abest, ut videri potest ex vestigiis, & *saxis rubris*, quæ in eadem via reperiuntur; 60 quapropter *Fabii* hac viâ utique, quæ *Tiberi* vicina est, profecti non sunt, tum quod istis temporibus in *Tusciam* iter non esset, (quum non alium haberent pontem) nisi per *Sublicium;* tum etiam, quod ab ista parte versus *Tiberim* a *Vejis*, nimium recederent, & forsan ab ista parte (& hoc erit maximum argumentum nostrum) inaccessibiles essent, sicuti revera hodie *Civitas Castellana* est, quam ab ista parte nullo modo admittendum est, ab ullo unquam exercitum subire potuisse; necesse est igitur, *Fabios* non aliud iter, quam fecerint, potuisse facere, nimirum a superiori parte : quum tali via facilius & minori incommodo illum situm adoriri possent : (licet ibi A Arx esset) quod quum istud latus obversum planitiei esset, rédderetur etiam expugnatu facilius, & cuniculis a *Camillo* faciendis aptius, ut narrat *Livius* lib. V. *Cuniculus in arcem hostium agi cœptus.*

Ad secundam; vellem *Annius* mihi diceret; quam ob causam velit, *Vejos* potius duodecim, quam viginti milliaria a *Roma* distare ? Et quare *Dionysii* testimonium pluris faciat, atque e re sua existimet, quam *Livii* & *Appii?* Sed præter id, quod supra jam dictum est de distantiis, adver- 61 tendum etiam est, milliaria hodierna non respondere præcise antiquis; cui rei clarum testimo- B nium dant exempla quæ sequuntur; quoniam ab *Arignano*, ædificato tempore *Gregorii Magni*, *Romam* olim erant viginti milliaria, ut videre est in observationibus ad Historiam Sanctorum *Abundii* & *Abundantii* pag. 129. & hodie non amplius quam viginti sunt. *Ameria* (*Amerinum*) pari modo a *Roma* distabat quinquaginta sex milliaria, ut auctor est *Cicero* in Orat. pro *Roscio Amerino*, & hodie ejus distantia quadraginta quatuor milliaria tantum continet. *Sulmona* (*Sulmo*) etiam, juxta *Ovidium* Trist. IV. eleg. X. nonaginta milliaria a *Roma* aberat, quæ hodie ad septuaginta redacta sunt. Imo quando *Livius* scribit, tem- C poribus Regum, & ab initio Reip. *Vejos* abfuisse per tractum viginti milliariorum, dubium non est, quin, quum viæ *Romanæ* longo tempore post stratæ sint, & anfractibus tortuosis ductæ per clivos seu loca clivosa, atque ita multo majorem itineris ambitum fecerint, redacta sint illa milliaria ad viginti octo; ac peregrinantibus & *Roma Civitatem Castellanam* iter facientibus per illa vestigia merito numerus milliariorum adauctus reperiatur.

Confirmatur hoc per distantiam, quæ iisdem temporibus a *Roma* ad flumen *Alliam* erat, quam *Livius* undecim milliariorum facit, ut supra vi- D dimus, *Ad undecimum lapidem occursum est, quà flumen Allia, &c.* quæ post creverunt ad sedecim, ut vult *Blondus*, & revera hodie sunt, (& fortasse etiam octodecim a *Correse Romam* computantur.) 62 facile octo alia addi poterunt ad antiqua illa viginti *Vejorum* milliaria, militante pro hac causa eadem ratione proportionali numeri undenarii ad sedecim, quæ est vicenarii ad viginti & octo, quot milliaria hodie proprie *Civitas Castellana* abest. Id quod non ita procedit, imo contrarium deprehenditur in *Ameria* & *Sulmona*, quia horum locorum istæ, quæ a *Cicerone* & *Ovidio* iis assignantur, distantiæ erant circa finem E Reip. & initium Imperii, quando omnia florerent, & imprimis novæ viæ tam mirabili modo munitæ (quarum perrara structura videatur apud *Lipsium* de *Magnitudine Rom.* lib. III. cap. X.) quæ postea tempore, aut negligentia Curatorum, sub Imperii occasu desolatæ ac vastatæ, adeoque a Viatoribus in desuetudinem redactæ, hisce etiam occasionem præbuerunt, quærendi potius diverticula

ticula compendiaque, quam commoditatem viæ spectandi, ut apparet ex vestigiis, quæ exstant, & pro parte etiam supersunt ex via *Flaminia*, *Appia*, &c. Et hinc natum est, ut pro sæculorum diversitate, tanta milliariorum circa eadem spatia variatio facta sit.

Ad tertiam rationem, circa nominis diversitatem, etiamsi ipse reprehendi possit, quod ne *Martignano* quidem cum *Vejis* idem sit, respondeo tamen, hoc potuisse *Vejis*, ut multis aliis Urbibus accidere, & in primis temporibus inferioribus, quum Barbari *Italiam* infestantes in illis vastandis, aut reædificandis, illarum nomina
63 sæpissime immutarunt. Non est tamen *Civitatis Castellanæ* nomen *Vejis* incongruum, quippe quum sub sua ditione multa Castella haberet, ut Metropolis, Urbs *Castellana* dici potuit, præsertim, quum nomen antiquum *Romani* exosi essent. Imo convenit hoc non male cum verbis *Dionysii Halicarnassei*, qui gentes circum *Vejos* habitantes, *Colonos Castellanos* appellat. Sed de hisce commodius differemus in Parte Quarta prope finem.

CÆSAR NICOLINI Opinionem *Annii* sequens, præter allatas ab illo rationes, addit, quum *Vejentes* cum *Romanis* bellum gererent, ut narrat *Livius* lib. I. ex *Sylva Mœsia* (hodie *di Baccano*) vocem auditam: unde *Nicolini* arguit, nec *Civitatem Castellanam*, nec *Flavianum* posse esse *Vejentonem*, quod hi populi tam remoti sint ab ista Sylva, ut talem vocem audire non potuerint, & ideo ille credit, *Vejos* fuisse ubi *Larthenianum* est, qui locus ab ista Sylva duo milliaria tantum abest. Subjungens mox: *Probatissima signa, ibi Vejentum fuisse Urbem, præter jam dicta (videlicet via, iter, & cognomen) amnis prope Larthenianum defluens, & rupes super qua excisa & prærupta, Castellum munierunt Fabii idoneum ad custodiam tanti exercitus.*

Ad quæ respondeo: si vox e *Sylva Mœsia* prolata nec a *Civitate Castellana* nec a *Flaviana* potuerit audiri, quod sint loca remota, nec etiam potuisse audiri ad duo inde milliaria, ubi *Larthenianum* erat, quoniam ne quinquaginta quidem
64 voces conjunctæ ad dimidium milliarium audiuntur. Deinde libro I. *Livius* nihil aliud de *Sylva Mœsia* dicit, nisi *ab Anco Rege fuisse Vejentibus ademtam.* At lib. II. lego: *ex Sylva Arsia ingentem editam vocem*, quæ quousque audita fuerit, aut a quo populo, non dicitur, sed merito creditur auditam ab istis hominibus, qui ruri ibi degerent, vel in isto agro essent. Verba *Livii* hæc sunt: *Ita cum pugnatum est, tantus terror Tarquinium, atque Etruscos incessit* (hic observetur *Tarquinium* ab *Etruscis* divisum) *ut omissa irrita re, nocte ambo exercitus Vejens Tarquiniensisque suas quisque abirent domos. Adjiciunt miracula huic pugnæ, silentio proximæ noctis ex Sylva Arsia ingentem editam vocem. Sylvani eam vocem creditam, &c.* Quod ipsum etiam refertur a *Valerio Maximo* lib. I. de Miraculis.

Larthenianum postea *Vejos* fuisse, magnum deliramentum est. Quamvis enim hoc nomen ab *Artena* oriatur, quam urbem, quod a *Vejentibus* amplificata esset, *Romani* mox, (ut *Cato* cap. XIII. dicit) *a genere populi Vejentem vocavere:* nullo modo tamen subsistere potest: nam si *Vejentes Artenam* ædificaverint, urbs *Veji Artenâ* prior fuit; ut omittam, quod nimium a *Tiberi* remota sit, & plus quam decem milliaria a via *Flaminia*. Dicunt, hunc locum inter *Cerveteri* & *Civitatem Castellanam* medium esse; quod (si verum est) non male convenit cum antiquo, ut *Livius* dixit ad finem lib. IV. nimirum: *Artenam fuisse inter Cære & Vejos:* Et hinc etiam clarum est, aliam esse
65 *Artenam*, alios *Vejos* esse, utpote loca eodem tem-
A pore tum nomine tum situ distincta; pergit deinde *Livius*, *sed eam Reges Romani delevere.* Quod si *Artena* a Regibus deinde deleta est, superfuit utique urbs *Veji* expugnanda a *Camillo*.

Quod autem *Nicolini* reponat, circa viam *Fabios* profectos *Janiculum* versus, non potuisse *Civitatem Castellanam* petere; imo ei terga obvertisse: subjungens præterea, *Vejos*, teste *Livio*, *in conspectu Urbis* fuisse: id omne, sicuti etiam quod modo memoravimus, falsum est; primo, quia per eandem illam vel talem viam omnino iter est, nec aliud olim fuit, *Civitatem Castellanam* petentibus, hoc est per *Nepete* seu *Nepesinum*
B agrum, ut etiam exercitus *Camilli* fecit, qui ne quidem per *Flaminiam* ductus est. Imo istud iter per *Scrofanum* nempe & *Maglianum Pecorareccium Civitatem Castellanam* facienti, quinque aut sex miliariis brevior via efficitur, quam his qui hodie *Flaminia* eo tendunt: adeo ut parum a *Livio* recedat.

Verum est *Fabios* Porta *Carmentali* egressos, quæ sub *Capitolio* erat, unde hodie non longe abest *S. Nicolà in Carcere* (quæ post ab infelici *Fabiorum* casu *Scelerata*, & *Vejentina* appellata est) versus *Janiculum* ivisse, quum istis temporibus *Roma* non nisi quatuor portas haberet, & solus
C *Janiculus Romanis* Porta esset ad egrediendum in
Tusciam, necdum Porta ac Via *Flaminia*, ea 66
conditione, qua postea, quum *a C. Flaminio iterum Cos. qui apud Thrasymenum cæsus est*, *anno Urbis Conditæ* DXXXIV. *strata sit*, ut refert *Panvinus* in sua *Urbe Roma*, & *Fabiorum* cædes *ab Urbe Condita* CCLXXVII. contigerit, ut narrat *Dionysius* lib. IX. Sed an deinde versus *Baccano* iverint, nescio, & an via *Cassia* an *Claudia*, parum refert, quoniam hæ viæ incidentes & *Flaminiæ* cohærentes deinceps fuere, uti bene notat idem *Panvinus*; quamvis *Livius* non dicat, profectos esse per *Janiculum*, sed bene quidem, ab dextro latere Templi:
D lib. II. *Infelici via a dextro Jano portæ Carmentalis;* idemque *Ovidius* I. Fastorum:

Carmentis portæ dextra est via proxima Jano:
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.

Præter hæc *Veji* (ut diximus) proprie non erant in Via *Flaminia*, & idcirco etiam per hanc viam *Civitas Castellana* forsan longius distare comperitur (uti dictum est) quam de *Vejis* suo tempore memoriæ proditum est; de qua *Livius* loquens, non absolute dixit, fuisse *in conspectu Urbis*, sed per Hyperbolen *in conspectu prope Urbis nostræ*, ac si voluisset dicere: habemus illam sub oculis.

E BLONDUS FLAVIUS lib. I. *Ital. Illustr.* de *Civitate Castellana* agens dixit: *Civitas Castellana altissimis, insuperabilibusque rupibus adeo circumdata, ut ad inexpugnabilem munitionem nullo indigeat mu-*
ro. Consentiens invitus etiam iis prorsus, quæ 67
de *Vejis Livius* lib. V. scribit, nempe: *Urbes, quarum plerasque munitionibus, ac naturali situ inexpugnabiles, fame, sitique, tempus ipsum vincit, atque expugnat, sicut Vejos expugnabit.*

Et duas rationes affert, cur illa non possit esse *Veji*. Prima est: quod *Tiberis est remotior*. Secunda: *quia Plinius dicit: Tiberim intra* [1] *XVI. lapidem dividere Vejentem agrum a Crustumino, post*
F *a Fidenate, deinceps Latium a Vaticano.*

Ad primam respondeo, illum justam non habuisse notitiam confiniorum istius Urbis, quum alias non ignorasset, quam vicina *Tiberi* sit; imo (ut supra memoratum est) iste fluvius confinium Urbis est. Nec altera multum commentarii requirit. Quum *Plinius* ibi *de Agro Vejente, & non de Vejis* loquatur, ut alibi dictum est.

1 XIII. Scribendum, & scripsit forsan *Blondus*, sic enim *Plinius*.

Asserit deinde *Blondus* per certissimas conjecturas, & ex opinione *Francisci Fiani*, *Vejos* fuisse versus *Pontianum*, Castellum *Tiberi* & *Fiano* vicinum; sed ubi fuerit *Scopulus undique praeruptus*, *ac situ naturali munitus*, ne verbulum quidem addit, nec vel ullum signum a regione circumjacente ostenditur; quum utique meminisse debeamus ejus, quod *Livius* lib. IV. dixit; de *Cornelio Cosso*, qui, occiso in bello *Fidenate Larte Tolumnio Vejentium* Rege, *Tiberim cum comitatu transvectus ex agro Vejentano ingentem detulit praedam ad Urbem.* Ita ut in promptu sit videre, illum lo-
68 cum, (*Fidenas*) agri quidem *Vejentis*, sed non idcirco *Vejos* confinii tam constricti, nec tam vicinos fuisse.

LEANDER ALBERTI in tali materia toto aberrat coelo, & merus *Annii* Exscriptor est, sicuti & multi alii, ipsaeque Tabulae Geographicae, quae illum secutae sunt. Nec de suo aliud quicquam addit, nisi palam esse, *Fabios* versus *Lacum Sabbatium* (hodie *d'Anguillara*) iter ingressos, *non perrexisse versus Tiberim ab illo latere*, *ubi Civitas Castellana est.*

Sed responderi potest (praeter id quod contra Argumentum *Annii* jam causati sumus.) An igitur *Veji* non debebant esse *Tiberi* vicini, sed longe inde remoti? Nec recordatur, se ipsum paulo superius citasse *Plinium*, qui asserit *Vejentes* esse circa *Tiberim*? & quo inductus subjunxit, Urbem *Vejos* a *Fidenis* & a *Vaticano*, & a *Janiculo* XIII. milliaria abfuisse? Quod, sicuti subsistere non potest, ne quidem unquam tali modo dixit *Plinius*.

Falso etiam idem *Leander* narrat, *Romanis* volentibus *Vejos* habitare (ut refert *Livius* lib. V.) factum esse illud distichon:

Roma domus fiet, *Vejos migrate Quirites*,
Si non & Vejos occupet ista domus.

Quod notum est ex *Suetonio* in *Nerone* cap. XXXIX. compositum esse ipsius *Neronis* tempore, jocandi gratia in Domum illam grandem, quam aedificabat; deliberatio autem seu consilium illud, *Ve-*
69 *jos* migrandi D. annis praecessit, quum *Roma* primum a *Gallis* capta esset. Et notam istam parum veridici non solum apud me incurrit *Alberti*, sed etiam apud *Ortelium* qui in Thesauro Geogr. in verbo: *Phalaris* idem dicit; nempe: *mendose autem*, *ut multa alia apud Leandrum.*

PHILIPPUS FERRARIUS (*Ferrari*) in Lexico Geographico, *Leandrum* secutus, vult, *Vejos* esse locum *di Martignano*, sed postea ex *Vejorum* ruinis aedificatam *Civitatem Castellanam*, dicens: *ex multis ibi repertis Inscriptionibus marmoreis.*

Quis fuerit novus hic Thaumaturgus, qui Urbes transportaverit, ac veluti transplantaverit? Quid? si jam apud *Civitatem Castellanam* reperiantur novae Inscriptiones, statuae ac bases (sicuti in dies terram fodientibus re ipsa constat) quid ille dicet? Taceo Moles illas sepulcrales, quas non credo transportatu tam faciles esse, in primis, quae ex illo genere lapidum constant, quo sepulcrum *Glitii Galli* erat; talesque in istum scopulum evehere, opus profecto est, quod vires hominum, saltem ut nunc sunt, excedat. Deinde, dato, & non concesso eo, quod dicit, nonne ibi mille alii characteres cum situs, tum locorum caeterorum, quae circa *Vejos* erant, prae manu sunt?

PETRUS CURSIUS in suo Poëmatio de *Civitate Castellana* profert multas objectiones, quibus probet, Civitatem illam non posse esse *Vejos*, quas per numeros hoc loco succincte recensebimus, ut ad eas possimus respondere.

70 Primo ait non constare, an Cuniculus ille *Civitatis Castellanae* casu an arte factus sit. Secundo, nullum ibi sepulcrum antiquum esse. Tertio, nec muros antiquos vel novos. Quarto, nec signum ullum, *Vejentes* ibi habitasse. Quinto, habere Urbem tres fluvios, a quibus circumdatur, adeoque plures debuisse esse *Cremeras*. Sexto, *Cremeram* a *Vejis* satis remotam fuisse. Septimo, Urbem illam *Faliscis* nimium vicinam, imo in medio eorundem sitam esse. Octavo, e *Faleria* in *Civitate* audiri cantum Galli. Nono, *Vejentes* a *Faliscis* multo remotiores fuisse. Decimo, inter istos populos nec Sylvam nec Vallem, nec aditus difficiles esse, ut olim omnino erant. Undecimo, mediam inter illos fuisse urbem *Nepete*. Duodecimo, concludit, non esse, nec ullo modo posse esse, *Vejos*.

Ad primum respondeo, qui fieri potest, ut dicat, non constare, casune an arte sit factus iste Cuniculus, quum per illum aliosque detur transitus subterraneus in multas Urbis regiones, clareque pateat, multa vi ferri illum in pumiceo isto scopulo excisum esse? exstentque etiam hodie complura integra fragmenta, quae conspiciuntur variis in locis, sicuti visum supra est Parte Secunda Argumento Nono.

Ad secundum, ex monumentis & sepulcris antiquis id unum sufficere deberet, *Glitii Galli* nempe, quod supra commonstravimus. Caeterorum fra- 71
gmentorum operis anaglyptici, statuarum, inscriptionumque hodie in *Civitate Castellana*, non unum solummodo, sed mille conspiciuntur, ut supra ejus rei specimen dedimus. Quamquam qui etiam *Romae* monumenta illorum temporum quaerere vellet, ne unicum quidem fortassis reperturus sit, quum a successoribus, aut Barbaris, aut temporis ipsius vetustate, quae omnia consumit, destructa sint. Bene idcirco Ovidius dixit: IV. de Pont. eleg. VIII.

Tabida consumit ferrum, *lapidesque Vetustas;*
Nullaque res majus tempore robur habet.

Unicum monumentum, Arcus nempe *Camilli* (si tamen istius saeculi erat) nobis relictum, paulo ante nostra tempora destructioni traditum est; ita ut solus locus superesset, & nomen etiam claudicans *dell' Arco Camigliano.* Et hodie ne hoc quidem nobis superest, quum locum pariter ac nomen fama & splendor *Collegii Romani* usurpaverit. Sed *Panvinus*, *Cluverius*, & *Ferrarius* id etiam evincunt: *ex multis ibi repertis Inscriptionibus marmoreis.*

Ad tertium, quod ad muros attinet, conspiciuntur hodieque vel in tribus quatuorve locis murorum vestigia antiquissima, suntque etiam hodierni operis, reparandis antiquis adhibiti. Quod quomodo negare possit, nescio: &,

Quod patet expresse,
Non est probare necesse.

Ad quartum, quod nulla dentur indicia habitasse ibi *Vejentes*, sufficient Argumenta, quae a situ, & conjectura verisimilis distantiae, & confiniorum, quae habebant illi, circumstantiis, desumpsimus & in medium produximus.

Ad quintum, tres illi, imo quatuor fluvii, qui 72
Civitatem circumdant, non obstant, quominus possit esse *Vejentana;* quanquam (ut diximus) illorum praecipuus *Cremera* est, qui etiam longius ab Urbe, & non ubi illam praeterfluit, factus est sepulturae locus CCCVI. illis *Fabiis*.

Ad sextum: *Cremeram* a *Vejis* remotiorem fuisse, falsum est, ut nobis clarum fit ex *Halicarnasseo* (ut inferius visuri sumus) inter *Cremeram* autem ac *Vejos* fuisse illa spatia, quae dicit, non in totum negatur; sunt enim ibi revera.

Ad septimum sufficit argumentum nostrum VIII. non pugnare inter se, vicinos esse & distinctos esse.

Ad

Ad octavum: Gallicinium non longius auditur, quam ad quartam milliarii partem, atqui inter *Fallarium* & *Civitatem Castellanam* plus quam trium quatuorve milliariorum distantia est, interpositis multis sylvis ac fossis; quin olim, antiquissimis temporibus, inter *Privernum* (*Piperno*) Regiam *Volscorum*, & *Setiam* (hodie *Sizze*) ubi *Saturnus* Regiam *Latii* constituit, nisi quinque milliariorum distantia erat. Et *Romanorum* temporibus *Fidenas fuisse inter quintum & sextum lapidem* ab Urbe *Strabo* dicit lib. v. hodie autem inter *Fano* & *Pesaro*, Urbes sane nobiles, an plus quam quatuor milliariorum nostratium distantia est? Ut taceam *Dionysium*, qui lib. I. *Priscis*, inquit, *mos erat condendi civitates parvas, & crebras;* Inferius autem deinceps visuri sumus, quæ *Faliscorum* fortuna fuerit.

73 Ad nonum dicimus, *Vejentes* non potuisse a *Faliscis* longe abfuisse; imo verba *Livii* argumento nostro VIII. producta, quæ ab Adversariis in contrarium adducuntur, ostendunt, non posse viciniores fuisse, quum illi causam communem facerent, ac præsupponerent, bellum illud ad se spectare, si caperentur *Veji*.

Ad decimum, quæ requiruntur fossæ, valles, & similes difficultates, revera interpositæ sunt; licet hæ longinquitate temporis potuissent esse sublatæ, sed *Livius* non dicit hos difficiles aditus inter istos, de quibus agimus, fuisse populos, sed inter *Faliscos* & *Romanos*, ut ostendit lib. v. *Falisci nulla re alia fidentes, quam difficultate aditus, asperis, confragosisque circa, & partim arctis, partim arduis viis.*

Ad undecimum, *Nepete* (*Nepi*) inter utrosque sane & hodie tanquam in triangulo situm conspicitur; quæ hæc oscitantia sit, nescio.

Ad duodecimum, nec ullo modo mihi probat ille, *Civitatem Castellanam* non posse esse *Vejos;* nec excusari potest, tanquam qui tractum istum terrarum non viderit, quum ibi habitaverit tempore *Clementis VII.* ex quo *Romæ* grassabatur pestilentia, quæ illum mox migrare fecit *Civitatem Castellanam.*

ANTONIUS MASSA non aliam ob causam dicit, *Civitatem Castellanam* non esse *Vejos*, nisi quod *Veji Romæ* multo viciniores essent, propter testimonia supra jam allegata.

Ad quæ respondeo, de distantia, quæ facile aut erronee ponitur, aut male intelligitur apud Auctores antiquos, jam visum est supra Parte Prima, & unde talis error potuerit irrepsisse; interim *Livii* distantiam ne nos quidem excedimus. Sed quum neget tamen, *Vejos* posse esse in ullo alio, a Scriptoribus recentioribus hactenus indicato loco, majorem in modum hoc faciet ad confirmandum ac demonstrandum id quod de *Civitate Castellana* probatur; nescio etiam, cur *Massa Vejos Romæ* tam vicinos velit, quum apud *Livium* ac *Plinium* minus illos vicinos reperiam; nimirum in confiniis *Sabinorum*, *Faliscis vicinos* post *Ocriculum* juxta *Tiberim* (non autem post *Soracte Romam* tendentibus) quemadmodum plane *Civitas Castellana* est.

Existimat nihilominus *Massa*, *Vejos* potuisse esse, ubi hodie est *Arignano*, idque quod *Vejentes* (ut loquitur) *a principe ipsorum civitate sic dicti, possidebant quicquid agri est a Cremera fluvio, Urbi in pratis vicino, usque ad Soractis Faliscorum montis confinia, ubi nunc est oppidum Arinianum, inter Tiberim & maritimam regionem, atque agrum Nepesinum:* quod nulla auctoritate probat.

Sed potest ipsi responderi (omissis iis, quæ de *Faliscis* dicuntur) quum ultra *Soracte* habeamus agrum *Vejentem*, certissimum, per *Aras Mutias*, *Umbricum*, & *Saxa Rubra* (sicuti visum est Parte

A Prima & Parte secunda) quomodo ille vult asserere, *Soracte* illorum terminum fuisse. Revera *Soracte* terminus erat *Vejentium*, attamen una cum *Faliscis*, qui etiam ibi terminabantur a latere Occidentali; sed a Septentrionali ac Orientali latere circa *Tiberim* ac versus *Roman*, *Vejentes* multo latiorem habebant agrum. 75

Sed ut respondeamus ad ea, quæ tangit ille, dicendo: *a Cremera fluvio, Urbi in pratis vicino:* etiam *Blondus*, *Alberti*, aliique dicunt, fluvium *Cremeram* originem suam sumere ex *Lacu di Baccano*, & apud *Valcam*, prope Primam Portam, in *Tiberim* labi, unde hodie etiam *Valca* dictus sit. B Pari modo & *Ferrarius*, ex quorundam opinione vult illum a *Roma* quinque milliaria in *Tiberim* se exonerare; & mox subjungit: *Sed cum Cremera Castrum alluat in finibus Vejentium, nomenque retineat antiquum, longius ab Urbe in Tiberim labitur.*

Neque etiam constat, quo fundamento *Massa* illum in prata immittat, quum ibi nullum aliud flumen vicinum labatur, præter *Tiberim;* quod si alios illos campos intelligat, qui quinque milliaria post montes *Vaticanos* occurrunt, vocantur illi *Agri Vaticani*, aut *Prata Quintia*, ut *Livius* & *Plinius* docent: ac proinde improprie ille locutus est, si hæc prata intellexit. C Sed profecto utrobique in errorem incidit, quoniam si *Cremeram Romæ* viciniorem fuisse velit, quam *Vejis*, adversatur hisce, quæ de ea *Dionysius* lib. IX. memoriæ prodidit: *Cremera*, inquit, *non longe a Vejis abest, apud quam Castellum in tumulo quodam prærupto munierunt Fabii duplici fossa, & aggere cinctum, distinctum crebris turribus, cui de fluvio nomen indiderant Cremeræ.* Quæ si illa fuisset, quam credit *Massa*, dixisset: *non longe ab Urbe labitur.* Ac propterea ille cum cœteris merito reprehenditur a *Castalione*, qui existimat illos in talem errorem incidisse, quod *Roma* versus *Civitatem Castellanam* tendentibus non occurrat aliud flumen, præter illud, quod e *Lacu Cimino* oritur, illamque Urbem e propinquo præterfluit, quod flumen illi *Cremeram* esse negant, quia sibi persuaserunt illam longius a *Vejis* remotam fuisse. Sed adjicit rursus *Halicarnasseus: Castellum Cremeræ adeo Vejis propinquum fuisse communitum, ut Vejentes Fabiorum metu, qui ex eo præsidio in agrum Vejentem excursiones facerent, intra mœnia plerumque se continerent.* Videantur quæ inferius in Responsionibus ad *Cluverium*, ut & in secunda ad *Nardinum*, circa finem dicturi sumus. 76 D

E PHILIPPUS CLUVERIUS inter Scriptores reliquos recentiores eruditissimus & accuratissimus lib. II. *Ital. Antiq.* ut fiant *Veji* locus iste, quem dicit, & ipse tandem in animum inducit, editiones ac distantias a *Livio* & *Eutropio* assignatas corrigere, reducendo illas ad ista duodecim milliaria, ut recta linea illas dirigat versus *Scrofanum*, ubi propriam *Vejorum* sedem esse putat. Et inter alias rationes, quas adducit, potissima est, quod sibi persuadeat, ad duo inde milliaria fuisse *Saxa Rubra* (collocans illa apud *Borghettum*, seu oppidulum illud, quod tribus milliariis ultra *Primam Portam* occurrit) idque, ut dicit, quod ibi 77 F locus erat, qui appellabatur *Lubræ*, cujus mentionem facit historia SS. *Abundii* & *Abundantii*, his verbis: *Tunc Diocletianus jussit eos statim duci in viam Flaminiam, decimo ab Urbe milliario, ut ibi capite truncarentur. Dum autem ducerentur, venerunt juxta Civitatem Lubras; tunc obvius occurrit ei Marcianus, &c.* Et hunc locum *Lubras*, vult esse *Rubras* illas, quas *Martialis* lib. IV. epig. LXIV. conspici potuisse narrat ex *Janiculo.*

Fidenas veteres, brevesque Rubras.

Et

Et has ipsas *Rubras* ac *Lubras* iste Auctor vult esse *Saxa Rubra*, confundens (ut mihi quidem videtur) Urbem cum Diversorio, & Lapidicina.

Ego vero existimo, aliud esse *Saxa Rubra*, aliud *Rubras*, aliud denique *Lubram* aut *Lubras*. *Saxa Rubra* erant locus iste, de quo jam vidimus supra argumento x. perpetuo hoc nomine celebratus a *Cicerone*, *Livio*, ac *Tacito*, nunquam autem *Rubræ* dictus. Quod & observatum postea est a *Spartiano* in *Severo: Egressus ab Urbe*, *ad Saxa Rubra*, *seditionem ingentem ob locum Castrorum metandorum ab exercitu passus est*.

Rubræ erant lapidicinæ illæ, quas memorant *Martialis*, ut visum supra est, & *Vitruvius* lib. II. cap. VII. ubi de cavernis istis agens dicit: *sunt aliæ molles*, *uti sunt circa Urbem Rubra*, *Pallien-*
78 *ses*, *Fidenates*, *Albanæ*, *aliæ temperatæ*, *uti sunt Tiburtinæ*, *Amiterninæ*, *& Soractinæ*, *&c.* *Lubra* autem erat locus seu oppidum illud, cujus mentionem facit historia modo laudatorum Martyrum *Abundii* & *Abundantii*; ut & ipse *Frontinus* de Coloniis *Tusciæ*, ubi dicit: *Lubra oppidum a Triumviris erat deductum. Postea a Druso Cæsare est irruptum. Ager ejus in omnibus est assignatus. Ita populo non debetur.*

Respondeo tamen, si nos velimus conferre ad accommodandos ad usum nostrum textus, qui de distantiis locorum agunt, *Cluverio* nos melius instructos esse ob rationes supra pag. 22. C. D. E expositas. Idque nobis sumimus, tum quod facilius errorem *in notis arithmeticis Dionysii* irrepsisse ostenderimus ex *Castalionis* sententia; tum quod iste *Plinii* textus manifeste corruptus est; tum denique, quod in Responsionibus ad *Annium* viderimus, in quantum ista milliariorum comparatio valeat.

Lubrum fuisse Oppidum seu locum per se distinctum eodem tempore, non autem *Saxa Rubra*, mihi satis expresse videtur significari apud *Frontinum*, & in Martyrio supra memoratorum Sanctorum. Quæ ne quidem lapidicina, aut caverna *Tiburtinorum* lapidum erat, ut vult hoc loco *Cluverius*, sed locus desolatus; neque, hic ubi iste locus fuit (observatus a PP. Jesuitis *Collegii Romani* super ista historia, *ad lævam Flaminiæ ab Roma proficiscentibus* XII. *fere milliario*, *circa ea loca*, *ubi nunc* D. *a via passibus*, *parva quædam ædificiorum vestigia*, *& ruinæ cernuntur*) neque in i-
79 sto tractu, uspiam talis alia caverna visa est, quæ e *Janiculo* conspici posset.

Observandum quoque est, *Cluverium* in Itinerariis, quæ adducit, alia via *Saxa Rubra*, alia *Vejos*, *Saxis Rubris* tam vicinos, collocare.

Primum est	Alterum
Roma Via Flaminia.	*Roma per Falerios.*
Ad Pontem Milvium II.	*Ad sextum* VI.
Rubras VII.	*Vejos* VI.
Ad vicesimum XI.	. . . VIIII.
Aquaviva XII.	*Nepe* VIIII.
Utricoli XII.	*Faleros* V.
Narnia XII. *&c.*	*Amerinum* VII. *&c.*

Alud insuper, *Antonino* etiam adscriptum vidi per *Flaminiam*, principio satis diverso. Quod ita habet.

Ab urbe.
Rostrata Villa m. p. XXIIII.
Utricoli Civ. m. p. XXV.
Narnia Civ. m. p. XII.
Interamna m. p. VIII. *&c.*

Constet jam inter nos, milliaria computari solita fuisse a Columna Milliaria, quæ stabat in medio Foro *Romano* (hodie *Campo Vaccino*) juxta *Plinium* lib. III. cap. V. quemadmodum pluribus
A auctoritatibus probat *Baronius* in Matyrologio II. Aug. sed in Tabulis hisce Itinerariis postea compositis multi deteguntur errores, & inconvenientiæ; inque casu nostro, si *Veji* proprie non erant 80
in *Flaminia*, erant saltem circa eam duobus milliariis a *Rubra* (juxta hunc aliosque Auctores) sin alia via collocentur, nempe sex aliis milliariis post *Sextum*, qui locus in via *Faleriorum* est, alia inde resultaret distantia *Vejorum* a *Rubra* quam duorum milliariorum; quum hæc circiter novem milliariis a *Roma*, illi via diversa (quæ post *Pontem Milvium* dividebatur, nec lineis parallelis) duodecim milliariis a *Roma* abessent. Porro notum
B est etiam, exercitum *Vespasiani*, ductum ab *Antonio Primo* per *Flaminiam*, *Narnia* profectum constisse *Ocriculi*, deinde *Ocriculo* vesperi venisse ad *Saxa Rubra*, quibus a *Cluverio* in tanta distantia ab *Ocriculo* positis, ægre credi poterit, exercitum aliquem tantum iter (triginta circiter milliariorum hodiernorum, & plus quam triginta sex aut quadraginta, secundum *Antoninum*, antiquorum) quale *Ocriculo* ad hæc *Saxa Rubra* erat, una die confecisse. At positis illis, ut a nobis fit, ad duo circiter milliaria citra *Civitatem Castellanam*, verisimilius est.

Præterea hic Auctor errorem mihi videtur
C committere, quum (de *Allia* ac *Vejis* loquens) dicit: *Hic*, *cum Romani a Gallis fusi fugatique essent*, *maxima eorum pars*, *ut in proximum Oppidum fugere.* Quod a mente *Livii* satis alienum est, quemadmodum visum supra est argumento nostro IV. nam si *Livius* dixisset, *ut in proximum Oppidum*, non miratus fuisset, quod *Romani* illi 81
Vejos pergere, idque tanto suo incommodo maluerint, quam *Romam* reverti itinere rectiore & expeditiore, dicens: *Major pars in hostium Urbem*, *cum Tiberis arceret*, *quam recto itinere Romam ad conjuges & liberos fugerat.* Quoniam si ista vicinitatis ratio fuisset, quam dicit *Cluverius*,
D excusatius etiam tale consilium iniissent. Verum id, quod *Livius* non dicit, ille vult dicere, ut aquam in molam suam derivet.

Illud in primis miror, quo pacto, si Villa *Liviæ Augustæ* (dicta *ad Gallinas*, pariterque *Vejentanum*, utpote in isto agro sita) *Saxis Rubris* tam vicina fuerit, nulla horum mentio fiat apud *Suetonium*, qui de ea scripsit in *Galba*, nec apud *Plinium*, qui lib. XV. cap. ult. eandem dicit fuisse *ad* IX. *lapidem*, *Tiberi impositam*, *Via Flaminia.* Et tamen quum esset *Villa Cæsarum*, locus erat notissimus istis temporibus. Proinde in hac sententia confirmor, his locis olim *Saxa Rubra* non
E fuisse vicina; imo ne quidem ex *Janiculo*, istorumque montium altissimo vertice, ut jam per *Janiculum* intelligamus cum *Baronio* Ann. lib. I. *totam illam Collium veluti catenam*, *quæ Urbi imminet*, *& ad Pontem usque Milvium pertingit*; ne ex *Janiculo* quidem, inquam, conspici posse credo *Borghettum*, aut *Primam Portam*, ubi hic locus *Rubræ* erat impedientibus cæteris montibus, 82
qui supra *Prata Quintia* sunt; adeoque dubito, an illæ sint, de quibus *Martialis* loquitur.

De *Cremera Cluverius* in eadem cum *Massa* est opinione, circa quam sufficiet, quod in responsione ad illum dictum est. Addo tantum, fluvium il-
F lum nequaquam per ista prata tam prope *Romam* potuisse accedere; quod etiam *Ferrarius* sibi in memoriam revocat, dicens: *sed cum Cremera Castrum alluat in finibus Vejentum*, *longe ab Urbe in Tiberim labitur.* Ex verbis *Dionysii* idem colligitur, qui dixit: *non longe a Vejis abest*; unde apparet viciniorem *Vejis* fuisse, quam *Romæ*; quod si iste fluvius fuisset *Valca*, ut isti volunt, dixisset: *non longe ab Urbe labitur*; quum hic locus quinque milliariis *Romæ* propior sit, & ad *Ro-*

Romam etiam magis pertineat, quam ad *Vejos*, qui septem aliis milliariis aberant juxta ipsorum etiam opinionem. Plura dicturi sumus in fine Responsionis ad secundam *Nardini* objectionem.

De *Scrofano* porro non opus est, ut dicamus, situ enim infelicissimo est, qui quadraginta ædificiorum capax non est. Novi, quam parum congruat cum eo, quod *Plutarchus* in *Romulo* dixit: *Veji, qui latum agrum, & amplam incolebant Urbem:* Verum est, eo tendenti paulo ascendendum esse, attamen locus ipse (sicuti mihi a propriis habitatoribus refertur) in fundo satis represso situs est, neque hinc nec aliunde quicquam habet, quo *Vejorum* sedi respondeat. Hoc
83 solummodo proinde dico, si *Scrofanum* duodecim milliaria a *Roma* distat, & *Cremera* tria milliaria a *Scrofano*, *Vejentes*, quum fusi fugatique a *Fabiis* retro se reciperent a *Cremera* ad *Saxa Rubra* (ubi castra sua habebant) juxta hunc Auctorem debuisse parum aut nihil sese loco movisse, quum *Saxa Rubra* pariter tria circiter milliaria a *Scrofano* abessent, nec amplius quam novem a *Roma*, juxta ipsius Tabulas, ipsamque ejus Computationem: quamvis alio loco dicat: *A Borghetto (ubi fuerunt jam Saxa Rubra) ad Scrofanum (ubi fuerunt jam Veji) haud amplius sunt mille passus.* Vide quanta divinatione opus sit, ad hæc concilianda.

FAMIANUS NARDINUS (*Nardini*) acutissimo suo ingenio (præter id ipsum, quod jam alii dixerunt) in responsionibus, quas *Michaëli Mico* nostro fecit, minutatim nonnulla aliis intacta observat, quorum iis, quæ bono cum fundamento procedere videbo, & ipse silentio subscribam, eaque admirabor; in quibus autem præ nimiis argutiis erratum, aut per ὁμωνυμίας peccatum esse deprehendam, hisce rationes aliquot auctoritatesve contrarias opponam; utque succinctius agamus, ad capita referam illas solummodo conclusiones, ad quas mihi respondendum est (quum cæteris sufficere queant, quæ supra jam dicta sunt) illasque, quamvis sine ordine excerptas, in numeros tamen redigam.

84 Primo evidentibus rationibus conatur ostendere, quomodo *Saxa Rubra* ultra *Cremeram* fuerint, a parte *Vejorum*, non autem *Romam* versus.

Ad hæc respondeo: *Saxa Rubra* hodieque novimus esse a parte *Vejorum*, iisque vicina, ad latus & in flexura non ita procul ab isto flumine, sed non idcirco prorsus trans *Cremeram*, quemadmodum vult *Nardinus*. Quod (sicuti nullus Auctor dicit) ita nec ille sufficienter probat; quum non sufficiat dicere, *Romanos* in finibus stantes, *Vejentes* retro fudisse ad *Saxa Rubra*, ad probandum, *Saxa illa* inter *Cremeram* & *Vejos* fuisse; nam poterant stare, sicuti hodie etiam stant, a latere & in qualicunque proportionata distantia ab isto flumine, ita, ut in facto tamen, aut textu *Livii* nulla dissonantia appareat.

Secunda conclusio est, *Cremeram* fuisse finem *Romanos* inter ac *Vejentes*.

Respondeo: Tempore *Fabiorum* per accidens hoc potuisse fieri, quum *Vejentes* jam multo contractiorem agrum possiderent, quam antea usque ad tempora *Romuli*, qui *mulctæ nomine*, ipsis bona parte ex eo, quem versus *Romam* prius possederant, adempta, illos jam ad angustiores terminos restrinxerat, ut supra visum est; quin etiam ab *Anco Martio Sylva Mœsia* versus mare spoliati sunt. Sed non in totum absolute conceditur, quum citra flumen alium adhuc Agrum *Vejentes*
85 haberent, sicuti constat ex *Dionysio* lib. IX. quum dicit: *Perfecto Castello Cremeræ Marcus Fabius ad ulteriorem Vejentum agrum provectus, qui reli-*
A *quam contingit Etruriam, ubi erant Vejentum pecora, &c. quod nunquam eo venturum Romanum militem crederent, magnam prædam abegit in Castellum, &c.* Si dabatur *Ulterior Vejentum ager*, oportuit etiam *Citeriorem* aliquem exstitisse. Ergo adhuc alius *Vejentum* ager ab hac parte versus *Romam* excurrebat, præter illum, qui *Vejos* tendebat, & in reliquam *Tusciam* versus erat, & tunc a *Fabio* deprædabatur; de quo citeriore agro eodem modo *Livius* lib. v. *Non ad præsidium*, inquit, *modo tutandum Fabii satis erant, sed tota regione, qua Tuscus ager Romano adjacet, sua tuta omnia, infesta hostium, vagantes per utrumque*
B *finem, fecere.* Ab illa parte dicit, *Tuscum* agrum *Romano* contiguum fuisse, non ab ista, *quæ in reliquam Etruriam versa erat, &c.* Non tamen credendum est, *Cremeram* fuisse proprie stabilem finem *Romanorum*, sed quum parte aliqua paulatim agrum *Vejentanum* usurparet, postremo prope flumen, terminum accidentalem sese communivisse, & ut more belli solet fieri, partem potentiorem studuisse hostilem in stationibus melioribus occupandis prævenire.

Quod si mihi concedatur, *Sylvam Mœsiam* (hodie dictam, *il Bosco di Baccano* juxta *Abrahamum Ortelium* & alios) *Vejentum* fuisse, sed
C ipsis ab *Anco Martio* ademptam, uti dictum est, 86
quæ hodie in plus quam quindecim milliariorum a *Roma* distantia occurrit, necessario etiam mihi concedetur, *Vejos* ulterius intra *Tusciam* fuisse, adeoque restrictiores terminos *Romanis* jam a Regibus prolatis contiguos retinuisse, atque ita etiam *Cremeram Vejis* viciniorem, quam *Romæ* fuisse. Sed in istorum dissertationibus, cuncta hisce opposita reperio, nempe *Cremeram* admodum vicinam, nec amplius quam quinque milliaria a *Roma* fuisse; e contrario autem, solum agrum *Vejentibus* ademptum plus quam duplo longius a *Roma* sese extendisse; quod videre licet,
D quam non procedat.

Unde jure merito consequeretur, *Cremeram* & *Vejos* ulterius fuisse quam hanc Sylvam; adeoque nullo modo *Romæ* tam vicinos potuisse esse. Præter quæ, si Ager *Romanus* a *Romulo*, adempto *Vejentibus Septempagio*, prolatus, ac deinde etiam ab *Anco Martio Sylva Mœsia* auctus est, quomodo finis eorum mansit *Cremera*, quinque tantum milliaria a *Roma* distans. Adeo, ut noster ille *Civitatis Castellanæ* fluvius verisimilius multo sit ipsa *Cremera*, quam fluentum illud, quod sub ipsius *Romæ* portas occurrit.

Tertia est: *Saxa Rubra Romæ* viciniora fuisse,
E quam illa, quæ sunt apud *Civitatem Castellanam*, ob rationes ex *Taciti* testimonio adductas, quod *Antonius Primus* ibi *Virgines Vestales* receperit, quæ ipsi obviam venerant cum mandatis supplicibus a *Vitellio*, aliasque id genus considerationes. 87

Hæc omnia refutantur iis, quæ paulo superius jam in contrarium adduximus, in Responsionibus ad *Cluverium*, & speciatim, quod ob nimiam hujus loci ab *Ocriculo* distantiam, ægre cum iis conciliari posset tantum iter, quadraginta circiter milliariorum antiquorum ab exercitu uno die peractum; adeoque judicaremus, non tam vicina fuisse illa *Saxa Rubra*; quæ *Ortelius* qui-
F dem prope *Romam* collocat, sed mox subjiciens: *Sed in Etruria videntur esse, circa Cremeram in Vejentibus.* Deinde, quomodo vult *Nardinus*, has *Vestales* eadem vespera *Romam* rediisse, si dicat *Tacitus*, ipsum *Antonium* eo pervenisse *multo jam noctis?* Et quia necessitate hæ *Virgines* inde regressæ sunt, si majus periculum & incommodum esset, noctu quam de die iter facere? An quo diverterent forsan sollicitæ erant, quum missæ ab Imperatore essent? an ipsis interdictum e-

rat, ut *Flamini Diali*, quem teste Livio lib. v. *Noctem unam manere extra Urbem*, *nefas erat?* ut omittam, *Tacitum* de hisce nihil aliud dicere, præterquam: *Virgines cum honore dimissæ.*

Quarto loco conjectura fit, magnum camporum intervallum inter *Cremeram* ac *Vejos* fuisse, quod *Livius* lib. II. dixerit: *Hæc spes adeo (Fabios) provexit*, *ut ad conspecta procul a Cremera*, *magno campi intervallo*, *pecora decurrerent.*

88 Hæc conjectura mihi non videtur rite facta. Nam illa verba: *procul a Cremera*, *magno campi intervallo* ego non intelligo *inclusive* de spatio inter *Cremeram* ac *Vejos*, sed *exclusive* procul a *Cremera* in lato quodam campo; & per *Cremeram* hoc loco Castellum, non autem flumen intelligi debet, quum inde procul illa pecora conspexerint, &c. quemadmodum duobus aliis locis paulo superius clare de *Cremera* Castello *Livius* loquitur. Nam si prius obtineret, h. e. de spatio inclusive intelligendum esset, *Fabii* nimium Urbi *Vejorum* appropinquassent, unde *Vejentes* egredi & facile ac de improviso illos opprimere potuissent: hos autem constat, non a *Vejis* sed ab agro *ex insidiis circa ipsum iter* prodiisse; nec *Fabii* tam prope accedere ausi fuissent, ne ad has angustias redigerentur. Taceo, si hæc tam ampla spatia intra *Cremeram* ac *Vejos* admittamus, hoc repugnare *Dionysii* verbis: *Cremera non longe a Vejis abest.*

Sed videamus id, quod addit *Livius*: *Et cum improvidi effuso cursu insidias circa ipsum iter locatas superassent*, *palantesque passim vaga*, *ut fit*, *pavore injecto*, *raperent pecora*, *subito ex insidiis consurgitur*, *& adversi & undique hostes erant.* Quis non videt clare, hoc neque subter nec prope *Vejos* contigisse, sed in agro & *procul a Cremera*, uti dicimus. Concedo Castellum *Cremeram* in *Romano* agro fuisse; at non idcirco in extrema ripa fluminis, sed in colle quodam aliquan-
89 tulum inde distanti exstructum fuit; ut colligitur ex *Dionysio*, alibi laudato: *Cum pervenissent prope flumen Cremeræ*, *&c. Castellum in tumulo quodam prærupto munierunt Fabii*, *&c.*

Quinto dicit: situm *Civitatis Castellanæ* satis angustum esse, præ capacitate seu amplitudine *Romæ*.

Sciendum est, Urbes olim satis exiguas fuisse, ut docet *Albumasar* in Astronom. Introd. lib. v. cap. VIII. Idem dicit Dionysius lib. I. *Priscis mos erat condendi Civitates parvas*, *& crebras.* Et speciatim *Roma* primis istis temporibus præter modum parva erat, non nisi quatuor habens Portas. Imo ex eodem *Dionysio* refert *Nicolini*: *Vejentum urbem fuisse tantæ quantitatis*, *quantam habent Athenæ*, *Romulumque in Palatino colle quadratam construxisse Urbem tantæ quantitatis*, *quantam habent Athenæ.* Subjiciens: *Ex quo patet*, *Antiquos exiguas erexisse Urbes*, *nec non Vejentum*, *Athenas*, *& priscam Romam*, *quando Palatinum duntaxat tenebat collem*, *exigui fuisse ambitus.* Et quamvis *Roma* tempore *Camilli* supra centum millia Civium mox creverit, eodem *Dionysio* lib. IX. teste, tamen per idem tempus non multum ultra Capitolium inhabitabatur ex consensu ipsius etiam *Nardini*.

Quod si hodie *Civitatis Castellanæ* ambitus paulo plus quam duorum milliariorum erit, olim nihilominus multo major esse potuit, quum plani-
90 tiem versus, supra Arcem potuerit, quantum vellet, se extendere; nam ibi multum spatii est, & apparet, habitatum ibi esse, ex repertis aliquot ibi monumentis ac sepulcris. Ut omittam, locum qui est supra *il Borgo Vignale*, hodie ita dictum, potuisse *Vejis* conjunctum, & inclusum fuisse, ob antiquitates quam plurimas, ibi detectas. Adeo ut hæc amplitudo *Romanam* supera-
A re potuerit, quemadmodum illam superabat magnificentia ædificiorum, quæ *Romæ Augusti* tantum tempore augeri cœperunt, & splendore ac pulchritudine antiqua longo post se intervallo relinquere; quapropter ipse *Augustus* jure merito gloriabatur (apud *Suetonium*) *Marmoream se relinquere*, *quam lateritiam accepisset.*

Sextum est argumentum: post *Fabiorum* cædem *Vejentes* exercitum *Menenii* Consulis, quatuor inde milliaria tantum remotum adortos esse, illumque eadem nocte accepta clade *Romam* se recepisse, quæ territa faces per Urbem accenderat, rebusque suis providerat, &c. & hæc omnia per-
B acta fuisse una sola nocte.

Attamen id non ita factum esse clare *Dionysius* testatur lib. IX. *Fabiis cæsis*, *captaque Cremera*, *Etrusci duxerunt exercitum contra legiones Romanas reliquas*: *non longe enim inde erant castra Menenii Cos.* Non autem dicit eodem die, sed multis diebus præterlapsis, sicuti videre est in ipso contextu. Imo *Livius* lib. II. dicit: *cum hæc accepta clades esset*, *Menenius adversus Tuscos victoria elatos confestim missus.* Sic & hinc & inde apparet, sat cito, sed non eodem tempore hæc accidisse.
Præterea *Dionysius*: *Etrusci vero*, inquit, *ubi pro-* 91
pe Romanos venerunt, *visis eorum castris sub mon-*
C *tis latere*, *contempserunt Ducis imperitiam & usi fortunæ beneficio*, *mox assumpto equitatu*, *evaserunt per alterum Montis latus in verticem*, *prohibente nemine.* Sed clarius: *At in Urbe*, *postquam cognita est clades* (*Menenii*) *& castrorum expugnatio*, *nam ante lucem ex fuga primi venerant* (post secundam hanc stragem) *magnus tumultus exortus est*, *&c. Janiculum Montem* XVI. *stadiis distantem occupant.* Ergo plures dies interlapsi sunt, & non omnia illa una nocte contigerunt, ut vult *Nardinus*, ut inferat inde vicinitatem loci.

Sed quis dicet, hunc Montem, sub cujus latere stabat exercitus *Menenii*, non fuisse *Soracte?*
D tum quia *Soracte* (quantum ego legi) a *Dionysio* nuspiam nominatur, tum etiam quod verus illius situs circiter quatuor milliaria aberat a loco, ubi statuitur prœlium a *Fabiis* commissum esse prope *Cremeram*.

Septimo dicit: *Vejentes Sabinis* non fuisse conterminos.

Præter id, quod *Plinius* dicit: *Vejentem agrum a Crustumino dirimens*, *&c.* ostensum etiam argumento nostro III. est ex *Livio*: *Sabinis Etruriam esse vicinam*: *proximos Etruscorum Vejentes.*

Octavo: *Vejentes* inter proximos Urbi *Romæ* recenseri, quum *Dionysius* dicat: *quæ Civitas E-*
E *truscarum erat sibi proxima.*

Non erant proximi absolute, sed respectu lo- 92
corum *Etruriæ*, quum alia essent non *Etrusca*, & forsan *Tarquinii* (ut observatum est supra in prima Responsione ad *Nicolini*) *Fidenæ*, *Cære*, *Nepete*, aliaque propiora, sed non proprie *Etrusca*, ut visum est Argumento nostro VII. Ideo hic addidit: *Etruscarum proxima*; quæ prætensa proximitas tollitur etiam alio *Dionysii* loco, ubi de iisdem *Vejentibus*, qui *Vejos* refugiebant, agens, dicit: *Quos Romanorum equites ad multum viæ profecuti conficiebant*; Nota illud: *multum viæ.* Ne dicam, Scriptores solere distantias modicas appel-
F lare vicinitates, ut dixit *Plinius*: *Soracte vicino Urbi tractu*: Et *haud procul Urbe Roma in Faliscorum agro.* Et Mille alii, &c.

Nono argumento asserit, in *Civitate* non occurrere illum tam celebrem Cuniculum, a *Camillo* factum in expugnatione *Vejorum*.

Fuerunt plures Cuniculi, ut visum est Argumento XIII. ac. plura hodieque illorum vestigia in ista Urbe apparent.

Decimo, Vineas, Turres, & Aggeres in obsidio-

sidione *Vejorum* exstructos, rupibus *Civitatis Castellanæ* non potuisse cum fructu admoveri.

Et quia male admota illa opera fuerunt, & a *Vejentibus* sæpius incensa ac labefactata, *Romani* post exactos novem annos videntes, parum aut nihil se proficere (& ut dixit ipse *Nardinus*) ne
93 arietem quidem in rupes adactum quicquam præstare, tandem statuerunt alia adhibere opera; ex quibus certiorem conjecturam nos elicimus de eodem *Civitatis Castellanæ* situ, quum ejus expugnandæ gratia in pluribus partibus cuniculi agendi fuerint, ut narrant Historiæ, & videre est in istius Urbis pumiceo scopulo. Et tales ac tantæ erant rupes a *Dionysio* descriptæ.

Undecima ratio est: exercitum *Romanum Vejos* contractum ad obviam eundum *Gallorum* exercitui, qui e *Campania Romam* petiturus erat, idcirco non ulterius progressum, ut narrat *Livius* lib. VIII. *Longius discedi, ne alio itinere hostis viam falleret, non placuit.* Unde pro *Vejorum* illorum vicinitate certissimum fit argumentum.

Nescio quomodo *Nardinus* hic intelligat, *Gallos e Campania* exspectatos fuisse, quum *Livius* hac de re nihil dicat, nec, nisi per contorsionem id ex verbis ipsius conjici queat; nam etsi superius de bellis *Campaniæ* disseruit, nihilominus (ut mos ejus est) semper varias diversarum Regionum res inter se connectit, juxta eventus ac tempora, in quibus occurrerunt, ut ex ipso textu videre licet; *Nondum perfunctos cura Privernatis belli, tumultus Gallici fama atrox invasit: Vejos ingens exercitus contractus, ut inde obviam Gallis iretur; longius discedi, ne alio itinere hostis falleret ad Urbem incedens, non placuit.*

94 A quo: *longius discedi*, *Nardinus* mihi data opera *longius discedere* videtur, de vicinitate id interpretatus; cujus ego plane contrarium existimo, debere nimirum inde potius longinquitatem erui, quandoquidem Consul *Mamercus*, cui demandata istius belli cura fuit, debuerit expediri ad exspectandum hostem, aut obviam ei eundum: ideoque ei non placuit, longius ire, ne hosti ipsum per aliam viam fallendi copia esset. Ad hanc præoccupationem requirebatur aliqua longinquitas, sed ipsi non placuit major, ob rationem modo dictam. Quapropter ex hoc non longiore discessu, revera cernitur *longe discessum esse*. Et quis non fatetur, τῷ *longius* clare includi aliquod tacitum *longe?*

Verum enim vero, Si *Galli* e *Campania* veniebant, quare *Roma Vejos* contracti sunt milites, ut obviam mitterentur versus *Campaniam?* de conscriptione exercitus *Romæ* facta clare loquitur *Livius: Mamercus, cui Gallicum bellum evenerat, scribere exercitum sine ulla vacationis venia, quin opificum quoque vulgus, & sellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur. Vejosque ingens exercitus contractus.* Cur *Galli* ab *Umbria* venire non poterant? aut a *Tuscia*, ut alias venerant? & *Romani* eos exspectare, aut obviam procedere a *Civitate Castellana*, loco vere idoneo ad providendum *ne hostis viam falleret?* quæ omnia cum *Livii* narratione consentiunt.

95 Imo quum mox hic rumor evanuisset, omnis armorum vis extemplo in *Privernum* conversa est, ut *Livius* subjungit: *Paucos deinde post dies satis explorata temporis ejus quiete, a Gallis, Privernum omnis conversa vis.* Unde evidenter apparet, rumorem *Gallorum* aliunde venisse, quam e *Campania. Gallos* autem præter hanc vicem sæpissime alias tumultuatos esse, & in *Tuscia*, & in *Sabina*, & in *Umbria*, clarum est ex eodem *Livio*, præter hunc locum, ex lib. VI. VII. & X.

Duodecima conclusio: *Aras Mutias* non posse esse in *Vejente*, sed in *Falisco*.

Tandem debebat huc labi: sic & *Cluverius* fecit, qui ut cum sua opinione salvus evaderet, ad corrigendos *Livium* atque *Eutropium* se contulit. Idem facit *Nardinus* noster, emendat *Plinium*, & ob errorem prætensum confundit monumenta Auctorum. Et tamen idem ille *Plinii* textus ratus habetur ab *Ortelio* Geographo excellentissimo, ut visum est supra Argumento nostro VI.

Multa alia responderi possent, sed partim prolixitatis vitandæ causa, partim etiam quod in reliquis Responsionibus sufficienter ostensa sunt, quæ ad ipsum accommodari possunt, non morabor amplius ac immoderate obtundam Lectorem meum moderatum.

Quod reliquum, quicunque voluerit super hac materia scribere, aut idem cum hisce dicet, aut varias conjecturas faciet, *Vejos* fuisse alio aliquo 96
loco. Sed iisdem argumentis, quibus usi sunt *Annius* & *Blondus*, inter se collident. Nam illis, qui contendunt fuisse, ubi hodie *Ponzano*, aut *Fiano*, aut *Mejana* (ut *Blondus*, *Nardi*, *Franciscus Fianus*, aliique) reponi potest, cum *Annio*, satis diversa via profectos *Fabios*, atque *Camillum* ad expugnandos *Vejos.* Illis, qui præferunt locum *di Martignano* (ut *Annius*, *Leander*, *Sansovinus* faciunt) vel etiam *Cluverio*, qui *Vejos* apud *Scrofanum* collocat, aliisque qui in Insula Dominorum *Farnesiorum* illos ponunt, responderi potest cum *Blondo*, *Tiberim* ab istis locis nimis remotum esse. Tale quid etiam *Andreæ Fulvio* ac *Volaterrano*, qui *Viano* DD. *Ursinorum Vejos* assignant, regeri potest. *Massæ* denique, qui *Vejorum* sedem ad *Arinianum* (*Arignano*) constituit, utrumque simul responderi potest; nempe, satis diversam viam *Fabios* ingressos, *Tiberim*que inde etiam justo remotiorem esse; ut taceam, nullam harum sedium, tam spectabilem ac amplam, nec in scopulo tam eminente ac duro esse, quam *Veji* olim ac hodie *Civitas Castellana.* Sed mea quidem sententia, hi Auctores, si vidissent terram ac situm *Civitatis Castellanæ*, non tam facile hallucinati fuissent, quum prope vel circa *Romam* non alius locus magis conspicuus, nec situ munitior occurrat, ubi *Romani*, clade a *Gallis* accepta, vere saluti suæ consulere potuerint, nec ubi *Romanus* exercitus, tanquam in ipso introitu melius observare & cavere potuerit, *ne alio itinere hostis viam falleret* præter hunc locum. Quapro- 97
pter apud me aliqua excusatione digni sunt; quum credere juvet, illos, utpote qui nec ab habitatoribus, nec ab oculis propriis de rei veritate certiores facti fuerint, scripsisse juxta id, quod ipsis ratio apparentiæ dictaverit, fundata in supra memoratis distantiis, jam inter antiquos Scriptores controversis, & confusis. Quapropter hac in re verissimum comprobari videbimus id quod *Myrsilus Lesbius* ait: *De gentis antiquitate, origine & locis minus remotis, & exteris (quamvis alioquin eruditissimis) quam ipsi genti, atque vicinis credendum est.*



98 # VEJI DEFENSI.
PARS QUARTA.
APPENDIX

Ubi breviter de FESCENNIO, FALERIA, ac CIVITATE CASTELLANA nova antiqua differitur.



POSTQUAM abunde jam diximus, ac sufficienter probavimus, *Civitatem Castellanam* vere fuisse *Vejos*, reliquum solummodo erit, ut respondeamus illis, qui asserunt, *Fescennium* illam esse, qui majorem partem iidem illi sunt, qui negant illam esse *Vejos*; sed, quod tanto melius est, non firmior *Fescennii* assertio, quam *Vejorum* negatio est; imo quum hæc nonnihil fundamenti in multorum auctoritate habeat, illa (ut ipse *Massa* loquitur) *nullo certo Auctore dictitatur*. Cujus erroneæ opinionis, sequaces sunt *Andreas Fulvius*, *Nicolaus Erythræus*, *Blondus*, *Sansovinus*, *Volaterranus*, *Annius*, *Leander*, *Ferrarius*, &c. Imo *Annius* super *Fabio Pictore* addit: *Fescennium* significare *Rocca d'Enia*, h. e. *Arcem Eniæ*, quoniam *Fesce* in lingua *Etrusca* significet *Rocche*, h. e. *Arces* & *Enia Eniani*, qui gentes primitus *ibi habitaverint*. *Enianum vero* (inquit *Cato*) *urbs ab Enetanis Pelasgis* (populis *Græciæ* antiquissimis) *condita*, *quam Veji Lartenianum*, *Romani vero a genere populi Vejens vocavere*; *atque ideo Virgilius* (sic pergit *Annius*) illos appellat *Arces*, *atque Acies Fescenninas*, *Soractinas & vulgo Castellanas*, *qui pro insigni seu vexillo habent Equitem Armatum*, *idque Insigne est Civitatis Castellanæ*. Sed unde hauserit hasce voces *Etruscas* nescio.

99

Fescennium, *Solinus* dicit, fuisse inter *Capenates*, & *Soracte*, & *Dionysius* narrat, sese illam urbem habitatam vidisse. *Faleria autem & Fescennium*, inquit, *ætate mea habitatæ erant a Romanis*, *parvas adhuc quasdam servantes reliquias Pelasgi generis*: *quæ Urbes prius fuerant Siculorum*. Sed Lexicon Geogr. quod *Annium* sequitur, dicit: *Fescennium Civitas Castellana*, *Etruriæ*, *Faleriæ*, *Faliscæque finitima*, *distans ab Roma* XXVIII. *millia passuum*, absque ulla probatione, vel auctoritate; quoniam circumstantiæ, quas narravimus, *Civitatis Castellanæ*, nihil quicquam commune habent cum *Fescenninis*; nec apud ullum Auctorem tam valido situ fuisse, tot marmora, columnas, sepulcra, inscriptiones *Fescennium* habuisse legitur. Sed loco *Vejis* dicto omnia probe conveniunt. Nec ad rem facit, *Virgilium* in recen-
100 sendis istius tractus populis, *Vejos* ibi non reponere; quia illos omisit, vel odio, quo *Romani* in illos ferebantur, quod ad illos debellandos (ut refert *Panvinus* in *Imperio Romano*) CCCL. annos consumpserant: vel quia *Virgilius* idem etiam fecit; quum in enumerandis Regibus *Romanis*, omisit *Servium Tullium*, qui nihilominus & ipse Rex fuit. Ob rationes itaque tam evidentes, nequaquam *Fescennium*, sed *Vejos* esse *Civitatem* nostram *Castellanam*, credendum est; ideoque *Beroaldus* in Commentariis suis ad *Suetonium* in *Nerone* asserit non ex sua, sed, ut ipse dicit, *ex sententia quorundam Neotericorum*, *Vejos esse Oppidum illud*, *quod hodie dicitur Civitas Castellana*.

A Confirmatur id etiam a *Ludovico Aurelii* in Epit. ad *Annal. Baron.* continuatos a *Bzovio* lib. XIII. sub anno MCCXLIV. ubi dicit: *Convenerat inter Innocentium IV. & Fredericum II. ut ad concordiæ rationes ineundas*, *ac stabiliendas*, *ambo Vejos*, *quæ nunc Civitas Castellana dicitur*, *ad certum diem accederent*; *accessit Pontifex*, *ac diutius ibi Augustum præstolatus*, *probe jam sentiens alia eum omnia potius*, *quam pacem optare*, *in Galliam ad Ludovicum Regem perrexit*. *Carolus Sigonius* de *Regno Italiæ* lib. XVIII. idem referens, dicit: *Innocentius cum omnibus Cardinalibus ad Civitatem Castellanam accessit*. Idem dicit *Baronius*, aliique, quos
B supra vidimus.

Comprobatur etiam ex litteris quibusdam, annis abhinc CXXIV. conscriptis ab *Maximo Archano* ad Nobilem quendam strenuum *Civitatis Castellanæ*, 101
qui nomine meo *Dominico* appellabatur, quæ relatæ sunt inter M. SS. Bibliothecæ *Vaticanæ* in Librum, qui inscribitur: *Historiæ Gestorum in Terra Sancta*, *& alia*, num. MMMDCCCCI. pag. 151. inque quibus sic legitur: *Exculto & claro viro Domino Dominico Civi Vejentano nobili V. I. disertissimo*, *& bonarum artium studioso*, *Domino meo præcipuo*, *&c.* ubi postquam scriptor harum litterarum multo cum fundamento de *Vejis* disseruit, ac diversas
C aliquot opiniones recitavit, postremo concludit: *Ego autem sto sententiæ Pomponii Læti*, *olim præceptoris mei undecunque doctissimi*, *& judicii admirabilis*, *Apollinei*, *& veridici*, *sentientis haud dubie Vejos esse Urbem*, *ubi nunc sita est Civitas Castellana*, *tuum genitale solum*; *qua patria non tantum tu censeris*, *quantum ipsa gloriari potest*, *& extolli te suo Cive*, *ac tuis omnibus*, *qui sunt suæ propriæ gloriæ*, *& ornamento*, *&c. Vale. Vejis ex sedibus meis* X. *Kal. Sept.* M. D. XXII. *Maximus Archanus Narniensis totus tibi deditissimus*, *atque dicatissimus quantus est*.

Abrahamus Ortelius in Thes. Geograph. in ver-
D bo: *Larthenianum*: *Vejos hac nostra tempestate Marthenianum appellari refert ex Annio Leander Albertus*. *Pontiana scribit Nardus*. *Civitas Castellana est aliis*.

Addi hic etiam posset, quod *Franciscus Maria Torrigius* habet in *Grottis Vaticanis* part. II. pag. 401. ubi *Caprarola* in *Vejente* ponitur (quæ hodie Diœceseos *Civitatis Castellanæ* est) ille autem sic loquitur: *Il luogo detto Capracoro stà nel territorio Vigentano* (*detto anco Vejentano*) *che è* 102
dove hora si dice Caprarola. Id est: *Locus dictus Capracoro situs est in agro Vigentano* (*dicto etiam Vejentano*) *hoc est*, *ubi nunc dicitur Caprarola*. [1] Unde in li-
E bro

1 Quæsivi diligenter in Bibliotheca *Vaticana* libros istos a *Ciacconio* citatos in fine Vitæ *Adriani IV.* ubi dicit: *de Civitate Castellana sub Adriano IV. Liber Censuum fol.* 139. *Auctoris Libri duo incerti in Bibliotheca Vaticana*; sed me tempus defecit, nec reperire illos potui, forsan quod postea Tabulario *Vaticano* inclusi fuerint, quo non ita facile cuivis aditus conceditur; sed non credo, ibi quicquam alicujus momenti occurrere, quum sint possessionis hodiernæ, ut vidi apud alios. *Mazzocchius* in extrema libri ora.

bro M. S. de Ecclesiis *Sancto Petro* subjectis fol. 83. in Tabulario legitur: *Nepesina Diœcesis. Ecclesia S. Johannis diruta prope Castrum Capracorum, seu Caprarolæ cum omnibus pertinentiis suis, posita in territorio Vegentano, ubi dicitur Treja, sive Trequati* (*Treja* autem in nostro etiam est Territorio) *debet annuatim dictæ Basilicæ Vatic. lib.* III. *ceræ albæ laboratæ, prout ex Censuale longo anni* MDXXXV.

Fundus *Caprarolæ* erat patrimonium hæreditarium *Papæ Adriani I.* quem reliquit in pauperum subsidium Sedi Apostolicæ, unde *Anastasius Bibliothecarius* in ejus Vita dicit: *Unam quidem domum cultam, quæ vocatur Capracorum, positam in territorio Vigentano, &c.*

Fescennium jam redeamus. *Cluverius* putat *Fescennium* esse hodie *Gallesium*, non autem *Civitatem Castellanam*, quod *Gallesium* ab Auctore supra memorato contra opinionem *Massæ* excluditur a *Falisco*, quum dicit libro citato: *Scilicet Massa patriam suam oppidum Gallesium Tiberi adpositum, vult esse antiquorum illud Faliscum, nomine etiam huc detorto. Distat enim a Via Flaminia; Æquum autem Faliscum, in Via Flaminia situm, inter Ocriculum & Romam, refert Strabo, nec ait, apud, juxta, seu prope Flaminiam, &c.*

103 Sed verisimilius foret, si non haberemus tot probationes ac testimonia de *Vejis*, *Civitatem Castellanam* potius *Faleriam* aut *Faliscum* fuisse (quod idem est, ac si dicas: *Falerios* & *Faliscos*) quam *Fescennium*, ut vult *Cluverius*, qui quod *Strabo* dixerit lib. V. *Quidam vero negant Falerios esse Etruscos, sed Faliscos esse peculiarem gentem; peculiari utentem lingua; urbemque eorum Falerios, quam nonnulli Æquum Faliscum vocant, in Via Flaminia sitam inter Ocriculos & Romam, &c.* contendit illum locum esse *Civitatem Castellanam*, idque duabus auctoritatibus firmat, *Plutarchi* nimirum ac *Zonaræ*; quod ille dixerit: *Falerios urbem natura munitam*; hic autem: *in arduo sitam monte.* Quæ ob hanc causam non possit esse illa urbs, quæ hodie *Fallari* dicitur, sed bene quidem deserta illa *Faleria* antiqua, quæ reædificata sit in illa planitie, ubi hodie adhuc exstant ruinæ istius *Fallarii*, idque propter verba ejusdem *Zonaræ*; Annal. lib. II. ubi dicit: *Tum Romani Faliscis bellum intulerunt, Manlio Torquato agrum eorum urente, qui cum eis congressus, peditatu succubuit, equitatu victor. Deinde iterata pugna, eos domuit, armis, equis, supellectilibus, servitiis, & agri dimidia parte mulctatos. Postremo etiam antiqua Urbs, in arduo sita monte, destructa, aliaque in Planitie condita, oppugnatu facilis.*

104 Hoc ultimum procederet, quum *Ovidius* ad Festa quædam *Faliscos* patriam uxoris suæ petens, ostendat, illos in loco quodam clivoso ac arduo fuisse, Amor. lib. III. eleg. XIII.

> *Cum mihi pomiferis Conjux foret orta Faliscis*
> *Mœnia contigimus victa Camille tibi.*
> *Casta Sacerdotes Junoni festa parabant*
> *Per celebres ludos, indigenamque bovem.*
> *Grande moræ pretium ritus cognoscere, quamvis*
> *Difficilis clivis huc via præbet iter.*

Attamen non idcirco potest esse *Civitas Castellana*, quum hæc non sit proprie in Via *Flaminia*, sicuti erat *Faliscum*, teste *Strabone*.

Pergit deinde Cluverius: *Fuisse autem Falerios eodem situ, quo nunc Civitas Castellana in Via Flaminia, cujus insignes hic hodie quoque visuntur reliquiæ; in alta admodum, & insuperabili rupe posita est, Tabulæ Itinerariæ maximè testantur iter, ubi duodecim millia passuum scripta sunt inter Falerios, & Castellum Amerinum, quod nunc Bassanum vulgò dicitur. Postquam igitur Falisci novum*

A *Oppidum Falerios aliquandiu in dicta planitie incoluerunt; tandem hoc, vel sponte sua relicto, vel externa aliqua vi expugnato, atque exciso, in antiquam sedem lares suos retulerunt, oppido illic instaurato. Hinc etiam postea Cathedralis Ecclesia, & in ea corpora SS. Graciliani, & Felicissimæ virginis posita sunt: unde Usuardi Martyrologium ita habet. Pridie idus Augusti, urbe Fallari Passio Graciliani, & Felicissimæ virginis. Ad quæ verba in 105
Martyrologio Romano ita commentatur doctissimus Baronius. Non Falari, sed Faleriæ esse legendum, vetera monumenta Ecclesiæ Civitatis Castellanæ, ubi horum Sanctorum corpora adservantur in Ecclesia Cathedrali, nos certiores reddiderunt.*

B Sed ad hæc respondeo, fore ut cuncta bene procederent, si *Zonaras*, id quod dicit, diceret desumpsisse ex Auctore aliquo antiquo, sed ipsi, utpote Auctori *Græco*, qui minus abhinc quam D. annis scripserit, non ita multum tribuo fidei, maxime in rebus tempore pariter ac loco tam longe ab oculis ipsius remotis. Similis autem erroris *Zonaras* etiam a *Baronio* arguitur in Martyrol. X. Aug. quum dicit: *Decium*, collegam Imperii sibi assumpsisse *Valerianum*, *quod quidem*, inquit Baronius, *nullius antiquorum probatur auctoritate.* Sic in casu nostro, quum nullus Auctor

C antiquus istiusmodi facti unquam meminerit, *Faliscos* nempe in aliam novam urbem migrasse, quod ille dicit contigisse, postquam *Manlius Torquatus* illos debellasset.

Nec reperio, *Manlium Torquatum* unquam debellasse *Faliscos*; probe scio, Coss. *Q. Lutatio*, & *A. Manlio* ultima clade affectos, ex *Eutropio* in fine lib. II. *Oros.* in IV. & *Floro* in epitom. lib. XIX. & postea factos Coloniam *Romanorum*, ut narrat *Frontinus*: *Colonia Junonia, quæ appellatur Falisca, a* III. *Viris est assignata.* Adde, quod reperiam,
cc. annis post illam debellationem *Faliscos* tamen 106
in eodem loco munito ac valido fuisse, non au-

D tem in planitie, ut constat ex *Ovidio*, qui vixit tempore *Augusti*, *Q.* autem *Lutatius* & *A. Manlius* vixerunt anno ab *Urb. Cond.* DXII. finito bello *Carthaginiensi* primo, quemadmodum legitur apud *Livium* lib. X. & in *Fastis Consularibus.*

Cætera, quæ addit *Cluverius*, non nisi propria ipsius chimæra sunt, neque quisquam (a *Massa* deinceps) tale quid dixit aut scripsit; atque ita absque ulla auctoritate in medium proferuntur.

Porro translationem corporum istorum Sanctorum, credi potest, ea occasione factam, quod *Fallarii* Urbe ab excidio suo habitatoribus destituta, sacræ illæ Reliquiæ tanto periculo expositæ & in-

E custoditæ jacerent, Episcopus autem *Civitatis Castellanæ* sui muneris esse putaverit, illarum curam suscipere; illasque, ut rem propriam, suæque jam Diœcesios factam transportare in Civitatem suam, ut loco decentiori honorarentur & colerentur. Ut appareat, Episcopum nostrum jam inde a tempore *Urbani* III. ibi jurisdictionem exercuisse, ex Inscriptionibus, quæ exstant in Ecclesia illa *Falaritana*, seu *Falariensi*; ac speciatim una, quæ sic habet: *Hoc Altare dedicatum est a Petro Castellanæ Civitatis Episcopo in honorem Sanctorum Martyrum Graciliani, & Felicissimæ & S. Mariæ Magdalenæ* IX. *Kal. Martii anno ab Incarnatione Domini* M. C. L. XXXIV.

F In aliis autem nonnullis expresse nomen Pontificis supra memorati legitur.

Sed si cui placuerit hanc opinionem sequi, *Civitatem Castellanam* fuisse antiquum *Faliscum*, is forsan haud difficulter id sibi persuadebit: si, posthabitis meis Responsionibus, voluerit fidem habere auctoritatibus, jam supra allatis e *Strabone*, *Ovidio*, *Livio*, *Plutarcho*, ac *Zonara*; quum illa requisita *Civitati Castellanæ* potius, quam pla-
nitiei *Fallarii* destructi convenire videantur. Nam 107

 cæ-

cæteroquin *Vejorum* a *Civitate Castellana* exclusio etiam facile probari potest, si aures præbeas iis, quæ mox breviter afferam, scilicet:

Multis rationibus probari potest: *Civitatem Castellanam* non esse *Vejos.* Sed omissis vulgatioribus, ac speciatim maxime convincentibus, quæ a disparitate inter *Vejos* ac *Civitatem* in distantiis a *Roma* desumuntur, & ob omnibus fere moventur; afferam hoc loco animi causa (*per Bizzarria*) quatuor alias forsan minus notas, attamen non minus validas (*Gagliarde.*)

Prima est, verum non esse, *Saxa Rubra*, regionis *Vejentanæ*, illa esse, quæ dicantur, ac monstrentur *Civitati Castellanæ* tam vicina, quum certum sit, hæc *Romæ* vicina fuisse, ut patet ex narratione circumstantiarum, quas *Cornelius Tacitus* lib. III. Historiarum describit; ubi ostendit, quousque *Vespasiani* exercitus (ab *Ocriculo* profectus) *Romam* appropinquaverit, quum dicit: *Nec Petilius Cerealis cum mille Equitibus præmissus, ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via*
108 *Urbem introiret, satis maturaverat. Antonius per Flaminiam ad Saxa Rubra multo jam noctis serum auxilium venit*, cum eo quod sequitur: *Obviæ fuere & Virgines Vestales: simul fulgentia per colles vexilla, &c.* Et *Cicero* II. Philipp. *Antonius* (hic fuit Triumvir) *cum hora diei decima fere ad Saxa Rubra venisset, delituit in quadam cauponula, inde cisio ad Urbem defertur. Spartianus* in *Severo* nobis eandem vicinitatem monstrat, dicens: *Egressus ab Urbe ad Saxa Rubra seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum ab exercitu passus est.* Sed præcisius nobis rem asserit *Aurelius Victor* in *Constantio: sed Maxentius acrior in dies, tandem Urbe in Saxa Rubra millia ferme novem ægerrime progressus, &c.* Si autem *Saxa Rubra* sunt *Rubræ* illæ, quas *Martialis* nominat, & *Vitruvius Romæ* etiam vicinas ponit, ut persuasum est & *Cluverio*, videri hæc a *Janiculo*, e Villa, quæ *Tullii* aut *Julii Martialis* erat, poterant, quod testatur idem ipsius nepos lib. IV. Epigr. LXIV.

Hinc septem Dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcunque jacet sub Urbe frigus,
Fidenas veteres, brevesque Rubras.

Ita ut a *Vejis* hac circumstantia remota, etiam *Civitas Castellana* a *Vejis* exclusa maneret.

Et ex progressu historiæ, quæ ab scriptoribus
109 narratur, *Roma* proficiscentibus primo occurrit *Cremera*, deinde *Saxa Rubra*, post *Veji*; at agrum *Civitatis Castellanæ* intrantibus primo *Saxa Rubra* deinde *Cremera Vejis* contigua conspiciuntur; quam inter ac *Vejos*, *Livius* latos campos collocat lib. II. *Ut ad conspecta procul a Cremera magno campi intervallo pecora decurrerent, &c.* Quum *Cremera* finis inter *Romanos* ac *Vejentes* esset, ut clarum est ex *Dionysio* lib. IX. & *Livio* lib. II. ubi dicit: *Fabii ab Urbe profecti ad Cremeram flumen perveniunt: is opportunus visus locus communiendo præsidio, &c. Et non ad præsidium modo tutandum Fabii satis erant, sed tota regione, qua Tuscus ager Romano adjacet, sua tuta omnia, infesta hostium, vagantes per utrumque finem, fecere.* Et ibid. *Vejentes ita fusi retro ad Saxa Rubra* (*ibi castra habebant*) *pacem supplices petunt.* Ita ut *Saxa Rubra* manifesto inter *Cremeram* ac *Vejos* fuerint: ac plane ex opposito nostrarum sedium.

Secunda petitur a proportione milliariorum, quæ in cæteris locis æquali modo imminuuntur, ut supra in Parte Tertia Responsione ad *Annium* secunda vidimus, & hoc loco repetimus. *Sulmona* tempore *Ovidii* a *Roma* distabat XC. milliaria, ut ipse dicit Trist. lib. IV. eleg. X.

Sulmo mihi Patria est gelidis uberrimus undis,
A *Millia qui novies distat ab Urbe decem.*

Hodie autem non nisi septuaginta. *Amelia* pari- 110
ter istis temporibus a *Roma* quinquaginta sex milliaria aberat, ut *Cicero* testatur in Orat. pro *Roscio Amerino*, ubi de quodam, qui illud iter fecerat, *decem*, inquit, *horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit.* Hodie autem distantia istius loci quadraginta quatuor tantum est milliariorum. *Rignano*, locus temporibus inferioribus sub *Gregorio Magno* conditus, a *Roma* distabat viginti octo milliaria, ut apparet ex Notis ad Historiam Sanctorum *Abundii* & *Abundantii* pag. 129. & hodie viginti aut unum vel vi-
B ginti non excedunt. Eadem ratione dici potest: Si *Veji* iisdem illis temporibus a *Livio* descripti, minus quam viginti milliaria a *Roma* distabant; deberent hæc hodie ad quatuordecim circiter esse redacta: aut si juxta *Plinium* ac *Dionysium* duodecim aut tredecim erant, deberent hodie minus quam decem esse. At contrarium in distantia *Civitatis Castellanæ* deprehenditur, scilicet, prolata illa via reperitur usque ad viginti octo aut triginta milliaria: quod quo pacto subsistere queat, videndum est.

Tertia ratio: ex vicinitate locorum, quæ circum *Vejos* erant, terminorum inconvenientia,
C quamque male iidem *Civitati Castellanæ* applicentur, cognoscitur. *Vejentes* vicinos ac finitimos habebant *Fidenates*, & *Crustuminos*, ubi hodie *Castel Jubileo*, & *Monterotundo*, quibus e regione stabant divisi solummodo *Tiberi*, ut *Plinius* dixit; ac sua regione continebant *Sylvam Mœsiam* (*di Baccano* hodie dictam) ut & Villam Cæsarum, dictam
etiam *Vejentanum*, novem milliaria a *Roma* distan- 111
tem. *Falisci*, *Cærites*, *Capenates* & *Nepesini* ipsorum etiam finitimi erant, ac medios *Vejentes* includebant, qui agrum suum proferebant ad *Hostiam* usque ac *Salinas*, ut ostendimus in Introductione nostra. Hodie autem *Civitas Castella-*
D *na* inter *Fallarium*, & ultra *Soracte* occurrit, in limbo, qui ad terram *Faliscorum* totus pertinet, in meditullio eorundem *Faliscorum*, & longissime a *Fidenis*, *Roma*, *Cere*, Mari, *Crustuminis*, &c. apud quos populos probabiliter *Veji* erant siti: ut ex narratione etiam *Dionysii* (omissa, ut dicimus, distantia milliariorum, quæ clarissima ac vulgatissima probatio est) lib. IX. evidenter apparet eadem *Vejorum* a *Roma* distantia; *Vejentes*, inquit, *post cæsos Fabios ad Cremeram stadiis circiter* XVI. *Janiculum occupavere* (duobus puta milliariis.) Porro: *Sequenti die versus Urbem ducentes exercitum ad* XVI. *ab Urbe stadia, Montem Jani-*
E *culum, e quo conspici Roma potest, occupant.* Item, *Etrusci Fabiis cæsis, captaque Cremera duxerunt exercitum contra cæteras copias Romanas, non longe enim inde erant castra Menenii Consulis, parum tuto loco; & quando Fabia gens cum clientelis suis periit, Consularis exercitus circiter triginta stadiis a loco cladis aberat.* Item, *Vejentes populando excurrunt usque Tiberim, & Montem Janiculum, ad vigesimum ab Urbe stadium, & ulterius, non minore Populi Romani probro, quam damno, &c.*

Quarta ratio denique hæc est: Situs *Civitatis* 112
Castellanæ ostenditur in mediis *Faliscis*, illamque ipsos *Faliscos* esse, quoniam illorum urbs olim
F erat in loco natura valido, ac ascendenti clivoso, ut supra visum, cognoscere est apud *Ovidium* lib. III. Amor. Qui situs, etiam *Strabo* indicat, ubi fuerit, lib. V. sæpius citato: *Faliscos, urbemque eorum Falerios, quam nonnulli Æquum Faliscum vocant, in via Flaminia sitam inter Ocriculos & Romam;* de qua etiam *Plutarchus* dixit in *Camillo*: *Falerios urbem natura munitam;* & *in arduo sitam monte* dixit *Zonaras* Annal. lib. II. unde manifesto satis patet, *Fallarium* olim fuisse, ubi hodie sita est *Ci-*

Civitas Castellana; quum de utriusque situ idem *Zonaras* dixerit: *Postremo antiqua urbs in arduo sita monte destructa, aliaque in planitie condita, oppugnatu facilis.* Unde *Cluverius* merito argumentatur, ut supra diximus: *Fuisse Falerios eodem situ, quo nunc Civitas Castellana in Via Flaminia, cujus insignes hic hodie quoque visuntur reliquiæ, in alta admodum, & insuperabili rupe*, & quæ sequuntur. Et credibile hoc esse apparet, quum duæ hæ Urbes sedem inter se commutasse videantur, prout patet ex Sacris Conciliis, quoties reperiantur Episcopi *Falaritani*, aut *Falarienses*, nullam istis sæculis mentionem fieri *Civitatis Castellanæ*; quoties autem Episcopi *Castellani* memorentur, taceri tunc semper *Faleritanos*.

113 Nam in historiis *Sigonii* totis DCC. fere annis (h. e. ab anno DLXV. ad MCC.) inter Episcopos, qui Conciliis subscripsere, nullus occurrit *Civitatis Castellanæ* Episcopus, quum ex *Provincia Tuscia* solummodo recenseantur *Perusinus*, *Tudertinus*, *Bleranus*, *Sutrinus*, *Metaurensis*, *Nepesinus*, *Faleritanus*, *Amerinus*, *Polimartiensis*, *Narniensis*.

In *Italia* autem *Sacra Ferdinandi Ugelii* ad annum MXXXII. semel tantum hæ duæ Ecclesiæ uniuntur, hoc modo: *Benedictus Castellanæ Civitatis & Faleritanæ Episcopus.* At postea statim reperitur *Petrus Episcopus Civitatis Castellanæ* (tantum) *qui Concilium Romanum sub Nicolao* II. *celebratum subscribit anno Domini* MLIX. (quod foret CC. annis minus quam scripsit *Sigonius*) & ex illo deinceps tempore semper Episcopi *Castellani* reperiuntur exercuisse jurisdictionem in *Fallarium*; ut constat ex marmoreis Inscriptionibus, quæ in ista Ecclesia exstant, quibus a multis jam sæculis sese nostræ Diœceseos esse professa est.

Quare, ut ad propositum nostrum revertamur, non videtur alia esse posse *Civitas*, præter illam, quæ *Faliscorum* nomine celebrata est. Idque a *Cluverio* optime probatum, & a *Cursio* in Poëmatio suo de *Civit. Cast.* egregiis versibus expositum, & *Panvino*, aliisque ita creditum est.

Habita porro ratione verborum *Livii* lib. V. vel manibus palpare in promptu erit, magis illa convenire situi *Civitatis Castellanæ*, quam planitiei
114 *Fallarii* desolatæ: eaque hæc sunt alias etiam supra allata: *Falisci nulla re alia fidentes, quam difficultate aditus, asperis confragosisque circa, & partim arctis, partim arduis viis.* Pensitatis etiam verbis, quæ in supra citata *Ovidii* Elegia XII. sequuntur, magis adhuc confirmabitur hæc opinio. sic enim ille:

Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ,
Quas aluit Campis herba Falisca suis.
Hic ubi personuit solemni tibia cantu,
It per velatas annua pompa vias.

Ubi exhibentur ludi, ac solemnis processio, quæ fiebat per Urbem in Festis *Junonis*, plane ut hodie (sed differente Sacrorum ritu) in solemnitate Sanctorum nostrorum solet, cantibusque ac tibiis, & sonis celebrabatur, ac per viam insuper sipariis ac velis operta incedebat: sed & in sacrificium istis temporibus etiam ducebantur vaccæ candidæ, quibus omnis regionis nostræ tractus abundat, quoniam ut *Plinius* affirmat lib. II. cap. CIII. *In Falisco omnis aqua potu candidos boves facit.* Licet ob vicinitatem hoc *Vejis* etiam potuerit fieri; nam ut *Cluverius* dicit: *Hodieque totus hic tractus circa Soractem albos boves habet.*

In *Civitate Castellana* conspiciuntur etiam hodie per vias celebriores antiqua aliquot ædificia, quæ ad fenestras capitula quædam marmorea deorsum perforata habent, quæ cui usui inservierint,
115 nunquam deprehendere potui; donec *Ovidius* in Elegia modo laudata me docuerit foramina illa

A transmittendis velorum funibus fieri solita: illorumque usum etiam *Justus Lipsius* indicat in lib. de *Amphit.* cap. XVII: dicens: *Ejus ritus vestigia in ipsis Amphitheatris, ubi foramina in summis lapidibus ad funes velorum illigandos, &c.* Non jam dico, hæc capitula, aut ædificia esse eadem, quæ istis temporibus jam exstiterint, quod cogitare stultum foret; attamen traditio ac ritus perpetuo ad nos transmissi sunt, moresque regionum antiqui servati: hi autem communes esse etiam *Vejentibus* potuerunt, qui pariter tum ob vicinitatem tum ob religionem Deæ *Junoni* devoti erant, cujus simulacrum *Romam* in Triumpho
B transportatum est, ut apud *Livium* legitur. Ritusque antiquos etiam *Christiani* imitati sunt, utpote qui multa a Gentilibus mutuati sunt in cultu Religionis, ut festum *della Candelora*, idque quod vulgo: *il ferrar' Agosto* dicitur, & *aquam lustralem*, &c. vide *Baronium* in Martyrol. II. Februar. & I. Aug. cum *Polydoro Virg.* de Rerum Invent.

Verum enim vero quibuscunque etiam rationibus possimus nobis vindicare, nos esse *Faliscos*, gentem justissimam ac religiosam, nec minus antiquam & gloriosam quam *Vejentes*; omnino tamen populus noster vult esse *Vejens*; ac propter tot probationes, ac tantam lucem, quam habe-
C mus:

Vejens vult tamen esse, non Faliscus.

Uti dixit Poëta iste Hendecasyllabon, nosque admissi ac habiti tanquam *Vejentes*, *Vejentes* utique 116
volumus vivere ac mori. Quod si hoc etiam voluissemus, non deessent nobis exempla aliarum illustrium Urbium, quæ idem fecerunt. Quare cui mens læva non erit, is etiam Responsiones ex Parte nostra tertia haustas adhibere poterit ad confutandas rationes modo allatas.

Quumque major pars Auctorum stet a sententia communiori, illaque etiam præferenda sit, quam viri præstantiores sequuntur; certum est,
D nostræ Opinionis sequaces Adversariis palmam omnino prærepturos. Non est igitur dubitandum, quin causa nostra prævaleat, utpote qui fautores habeamus homines doctissimos, duos Papas *Leonem* X. & *Clementem* VIII. & duos Cardinales, *Adrianum* & *Baronium* (qui soli deberent sufficere, & centum aliis æquivalent.) Hisce addi debent *Johannes Ginesius*, *Cyprianus Manens*, *Ludovicus Aurelii*, *Philippus Beroaldus*, *Johannes Scoppa*, *Zacharias Lilius*, *Petrus Galesinus*, *Franciscus Micus*, *Josephus Castalio*, *Pomponius Lætus*, *Maximus Archanus* aliique. *Ergo &c.* Atque hic terminus esto Argumentorum nostrorum.

E Sed quamobrem *Civitas Castellana* appelletur nomine tam diverso a *Vejis*, hic breviter dicam per duas meas conjecturas, præter illam, quam ab Urbis Insignibus desumpsit *Archanus*, sicuti refert in litteris suis supra citatis, in hunc mo- 117
dum: *Autumo autem hanc Urbem sic dictam a suo insigni publico, hoc est: a Castello; est enim vestrum insigne publicum, Arx, seu Castellum, de cujus porta exit Eques armatus: quod multis observo fuisse peculiare urbibus, nuncupatis a suis insignibus, &c.*

Prima. Talis Urbs, quæ *Vejentana* fuit, multa sub se *Castella* habuit, quæ sæpius ipsi a *Romanis* ablata sunt, & a *Vejentibus*, ut videtur re-
F petita, ut ostendit *Livius* lib. III. *Altero deinde post anno Vejentibus rursum violantibus inducias, & repetentibus Castella, quibus fœdere cum Romulo icto excesserant, majore quam ante prœlio cum iis ad Allias pugnatum est, sed, faciliore victoria, Castellorum penes Regem Martium possessio mansit indubia.* Præterea *Romani* in oppugnandis *Vejis* multa circumquaque munimenta & *Castella* ibi fecerunt, quorum *Livius* lib. V. hanc injicit mentionem: *Vallum, fossamque ingentis utramque rem operis, per tan-*

tantum spatii duxerunt, Castella primo pauca, postea exercitu aucto creberrima fecerunt; munitiones non in Urbem modo, sed in Etruriam etiam spectantes, si qua inde auxilia veniant, opposuere. Sic etiam *Castelli* ad *Cremeram* exstructi meminit *Dionysius* lib. IX. *Perfecto, & communito Castello Cremeræ, M. Fabius ad ulteriorem Vejentem agrum provectus, qui reliquam contingit Etruriam, ubi erant Vejentium pecora, magnam prædam abegit in Castellum recens conditum; nihil autem in publicum retulit, nec militibus divisit, sed pecora, jumenta, juga boum, ferramenta, reliquumque instrumentum rusticum*
118 *cum colonis Castellanis largitus est.* Unde apparet circum *Vejos* fuisse multa *Castella*, qualia non tantum clientium *Vejentanorum*, sed etiam nova a *Romanis* condita, essent. Expugnatis, deinde ac deletis *Vejis*, neglecta etiam sunt *Castella* illa; at procedente tempore quum locus iste natura tam munitus rehabitaretur, nova Colonia factus, eodem etiam confluxerunt habitatores illorum *Castellorum* semidirutorum; & sicuti *Dionysius* illos *habitatores Castellanos* vocat, etiam locus ipse postea, omisso antiquo nomine *Romanis* inviso, *Civitas Castellana* dictus est.

Secunda. Fortasse etiam isto loco, quum situ naturali tam esset munitus, stetit, exstructumve postea est Munimentum aut *Castellum* quoddam, unde saltem nomen loco deinceps adhæserit, cum enim *Albericus* Marchio *Tusciæ* præ odio, quo ferebatur in Papam *Johannem X.* se communiret apud *Ortam* (narrante *Sigonio* lib. VI. de *Regno Italiæ* & *Nauclero* vol. II. gener. XXXI.) & *Ungaros* in *Italiam* evocaret anno Domini CMXXV. hi ingenti inundatione ad infestandam miseram *Italiam* confluxerunt, nec ipsius Marchionis ditioni parcentes, majorem partem Civitatum *Etruscarum* delerunt, quas inter etiam *Fallarium* tunc destructum est. Narrat *Blondus* Dec. II. lib. II. de hisce Ungaris: *Etruriam omnem, quam Albericus salvam esse pactus fuerat, commissis summa, & alias inaudita impietate cædibus, incendiis, & rapinis prope destitutam, desertamque reddidere.* Licet *Ma-*
119 *nens* aliud excidium ad annum MLXIII. referat, his verbis: *Nel qual tempo vennero li Normanni del Regno in favore del Papa (Alexandro II.) & espugnorno Fallere, Sutri, Nepe, e Civita, che si erano ribellate dalla Chiesa co'l favore de' Viterbesi e de' Conti d'Anguillara.*

Ante illud tempus reperias Civitatem *Castellum* appellatam, ut patet ex Donatione *Caroli Magni* Ecclesiæ facta, & ratificata etiam in confirmatione *Ludovici Pii* successoris ejus anno DCCCXVII. ut constat ex Decretis *Gratiani* dist. LXIII. can. XXX. *Ego Ludovicus.* Quum ibi inter alia loca *Tusciæ* recenseantur *Portus, Centumcellæ, Cæra, Manturanum, Blera, Sutrium, Nepa, Castellum, Gallesium, Orta, Polimartium, Ameria, Tuder, & Perusium* (ut *Massa* recitat.) Eademque loca præcise pariter a *Sigonio* modo laudato lib. IV. & lib. III. recenseantur, quum sub *Gregorio II.* ab Imperio *Græcorum* deficerent, & Papæ sese subjicerent; quod contigit anno Domini DCCXXVII. licet hic Auctor & *Alphonsus Ciacconius* in vita *Gregorii II.* & *Paschalis I.* eadem loca repetentes, legant corrupte, *Castellum Gallesii:* & manifestus est error, tum quod *Massa* dicat se legisse illam Confirmationem, ejusque penes se esse *integrum Exemplum vetustis Longobardorum litteris exaratum:* tum etiam, quod hic non nisi *Etruriæ* loca nominentur, nec ullus præterea nomine sic duplicato oc-
120 currat, quasi *Castellum Gallesii.* Unde apertum est, hic nihil aliud posse dici præter *Castellum*, & *Castellum* nihil aliud esse, quam *Civitatem Castellanam;* quod seu ante seu post illud tempus Episcopatu ornatum mox *la Città di Castello* dictum sit. Sed ad distinguendum *Tifernum* pari modo *Città di Castello* dictum, hæc *Città Castellana* dicta est.

Qua de re nihil memoriæ proditum reperitur, quum inter vastationes istorum *Etruriæ* locorum, & currentibus sæculis infelicissimis illis, qualia fuerunt decimum ac undecimum, nemo de illis scripserit; quemadmodum de istis temporibus loquitur Cardinalis *Bellarminus* in Chronologia sua: *Vide sæculum infelix, in quo nulli Scriptores illustres, nulla Concilia, Pontifices parum solliciti de Rep. &c.* Et Cardinalis *Baronius* de eodem sæculo lib. X. *Sunt hæc sane tempora*, inquit, *non tam Scriptorum inopia, quam ipsorum Pontificum, ac pravorum Principum Tyrannide teterrima, ac plane deploranda.*

Et hæc altera conjectura de nomine *Castellano* fundata etiam est in alio simili casu, qui circa eadem fere tempora evenit in Provincia *Veneta* circa annum Domini DCCC. ut narrat *Blondus* Hist. dec. II. lib. II. his verbis: *Pace inter Nicephorum Imperatorem & Pipinum constituta, &c. quia in Olivolensi insula, littori proxima, Castellum fuerat, Episcopi sedem, sibi constitutam appellant, & totam Diœcesim. Castellanam.* Legitur etiam in VI. Synodo *Constantionop.* act. IV. *sub Agathome Papa subscriptus Andreas Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Vejen-* 121
tanæ, provinciæ Istriæ. Hæc autem non alio fine a nobis dicuntur, nisi ut nominum eventus ostendamus.

Et quanquam *Massa* de *Civitate* nostra non reperiat memoriam antiquiorem, quam apud *Platinam* in vita *Adriani IV.* circa annum Domini MCLV. habemus tamen in historia Sanctorum *Abundii* & *Abundantii* fol. CXLIX. *Crescentianum Episcopum Civitatis Castellanæ* reperisse corpora Sanctorum nostrorum *Marciani* & *Johannis*, eaque in Ecclesiam suam transtulisse; quod contigit anno CMXCVIII. tempore *Sylvestri* Papæ *II.* & Imperatoris *Othonis III.*

Accedit, quod *Ugelius* supra laudatus in *Italia Sacra* de *Civitate Castellana* sic pergat: *Quanquam interim haud negandum sit, multo ante Episcopali dignitate fuisse ornatam, cum jam inde salubre Romanorum Pontificum Jugum libens, volensque acceperit, Christianaque sacra sub Pontificis Lini temporibus amplexata est, quando scilicet illa regio est Evangelii Christi luce perfusa.* Ad annum MLXXXIV. etiam in Annalibus *Baronii* lib. II. reperio hæc verba: *Henricus Imperator, oppugnaturus in arce Hadriani Gregorium VII. cognito Roberti Guiscardi adventu, qui Pontifici subsidio properabat, deformi fuga Urbem deserit: Vejentum in Oppidum, quod nunc Civitas Castellana dicitur, sese recepit; nec diu ibi moratus Germaniam inglorius repetit.* Ad annum MXCV. inter contentiones Im-
peratoris ac Papæ congregatio *Ortæ, Narniæ*, ac 122
Civitatis Castellanæ, facta est pro Statu Ecclesiastico, ut legimus apud *Manentem.* Et *Ciacconius* in *Paschale II.* anno Domini MCII. *Hic Pontifex*, inquit, *Civitatem Castellanam & Beneventum ab hostibus occupatas recepit.* Porro in *Adriani IV.* Vita anno Domini MCLV. (qui idem est, de quo *Massa*) *Adrianus Viterbio discedens*, inquit, *Friderici Barbarussæ fide diffidens, Urbem veterem munitissimum Oppidum accedere constituerat, verum cognito repentino Cæsaris adventu viam sibi præclusam, Civitatem Castellanam, situ & arte tutam, se recepit.*

Hæc non dicuntur, ut ostendamus, nomen *Civitatis Castellanæ* esse antiquum, nam revera hodiernum est; sed negari etiam non poterit, situm illum antiquum esse, & ob tot, signa, conjecturas, & reliquias, quæ ibi adhuc reperiuntur, ab antiquissimis temporibus habitatum. Et, si non nomen, certe Gloriam *Vejorum* in eo admiremur.

FINIS.

EPI-

EPITAPHIUM VIRGILII MAZZOCCHII.

Dum typis hic Liber mandaretur, Frater meus *Virgilius* animi relaxandi gratia ad festum Septembris, quod in honorem Sanctorum nostrorum in *Civitate Castellana* celebratur, profectus, altero die in morbum incidit, unde post septimum decimum, universis rebus humanis valedicto, ad meliorem vitam decessit. Quapropter meum esse putavi hac occasione, ut ultimum ipsi honorem præstem, hanc sepulturæ ejus Inscriptionem publicare:

D O M

VIRGILIO MAZZOCCHIO VEIENTANO
VITÆ INTEGRITATE
MORVM SVAVITATE
ET MVSICÆ SCIENTIA PERCELEBRI
QVI SVMMA INGENII
INDVSTRIÆQ. CVM LAVDE
IN INVENIENDIS POTISSIMVM FESTIVIS
AC VARIIS MODVLORVM FORMVLIS
DIV IN BASILICA PRIMVM FARNESIANA
DEIN LATERANENSI
DEMVM ANNOS XVII. IN VATICANA
MVSICES PRÆFECTVRA FVNCTVS
PRINCIPIBVS VIRIS APPRIME CARVS
AC PRÆCIPVE
FRANCISCO CARDINALI BARBERINO
S.R.E. V. CANCELLARIO FAMILIARIS
CVM ANIMI GRATIA
IN PATRIAM SECESSISSET
BREVIS MORBI VI A TERRESTRIBVS
AD CÆLESTES CHOROS TRANSLATVS EST
VI. NON. OCTOB. AN. D. MDCXLVI.
ÆTATIS SVÆ L.

DOMINICVS MAZZOCCHIVS I. V. D.
FRATRI VNICO ET OPTIMO
MOERENS POSVIT.



INDEX
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

Castel-

Pon-

F I N I S.





FAMIANI NARDINI

VEJI ANTIQUI.

SEU

DISSERTATIO,

investigans veram ejus Urbis situm,

Ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Cardinalem

ANTONIUM BARBARINUM.

Latine *ex* Italico *vertit, Præfationem Notulasque & Indices addidit*

ABRAHAMUS PREIGERUS.





LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.



L E C T O R I

S. D.

ABRAHAMUS PREIGERUS.

Notissima *Famâ* FAMIANI NARDINI *in Rempublicam Literariam sunt merita, Viri in primis docti & accurati; cujus felix in Antiquitatibus indagandis atque illustrandis ingenium, si nihil aliud, vel hoc Opusculum, multa eruditionis luce coruscum, multo ingenii sale conditum, ostendere posset.*

Habe itaque Lector illud exigua pecunii jactura, una cum MAZZOCCHII *ipsius Opusculis, quæ licet vel insano pretio, nusquam fere conquiri antea potuerunt. Editio, ut nitida, ut accurata esset, curavimus, pagellasque Veteris Editionis oræ Novæ adjecimus; erat illa Italicè edita* Romæ *MCXLVII. per* Taleum Mascardi, *atque ex* Italia *cum infinitis aliis non exiguo Typographo nostro pretio transmissa. Vale, iisque, quæ dedimus, lætus fruere.*

EMINENTISSIME ET PLURIMUM REVERENDE DOMINE.



Ex terræ squaloribus, sylvarumque asperitatibus horridis *Vejos* Antiquos, qui sub iis latebant, in lucem protrahere conatus sum. Sed in quam lucem ullo successu viderer illos protrahere, nisi radiis nominis Em. V. exponerem, ut sub iis, instar serpentis, repubescentes, resplendeant. Agnosco & confiteor audaciam meam, qui hasce minutias meas loco tam celso applicem. Sed devotioni nihil illicitum est; quæ solet in demittendis animis, mirabiliter illos attollere; quumque affectibus contritis in summum cœli fastigium aliquando emergat, etiam effectu ipso res humiles sublimitatibus quibusvis majoribus adaptare novit absque indecentiæ aut incongruentiæ nota. Si sacrorum Templorum machinis superbis majestatem non adimunt vestes laceræ, votivè ibi suspensæ; ne ægre ferat Tua Summa Humanitas, quod ei, tanquam Tutelari domus meæ Numini, Voto quasi appendam ac dedicem hoc seu tabellæ male delineatæ, seu spoliorum pauperis mei ingenii vilissimorum donum. Accipiat illud Em. V. pro confessione aut professione publica animi devotissimi, plurimisque obstricti beneficiis; quam hac ipsa consecratione ac inscriptione præstat reverentia humillima. *Capranicæ* XXVI. Januarii MDCXLVII.

Em. Vestræ plurimum Reverendæ

Devotissimus devinctissimusque cultor,

FAMIANUS NARDINUS.

LECTORI SALUTEM.

Omnia alia in animo hoc tempore habebam, quam per viam præli typographici in publicum prodire. Sed quum ipsis crinibus eo pertrahar, ita faciendum mihi, & cursu quidem, putavi. Audi; & si mereor, vicem meam dole. Jam novem anni sunt, ex quo, quum provocatus ab [1] *Sacerdote tunc Temporis* Civitatis Castellanæ *Primario*, Michaële Mico, *ad amicum certamen circa* Vejos *Antiquos, creditam habitamque ipsi Patriam suam Urbem, Libello cuidam ipsius Apologiam reposui, fuse, sed cursim, in minus quam octo diebus. Quacum contentio nostra finem habuit. Quare deposita ejus rei omni memoria, eram jam animo nulla alia re minus occupato, quam studio antiquitatis, cum* Româ *mihi nunciatur, prodiisse libellum quendam, inscriptum* Vejos Defensos, *quo nominatim mihi responderetur. Fateor erubescere me fecerunt illæ litteræ, quibus id mihi significabatur, easque legi non sine morsibus ægritudinis, quod publico jam conspectui expositum esset exiguum meum scire. Nactus deinde illum librum, quum collocari me cernerem inter scriptores celebres, & ob ingenium, ultra id quod unquam meruisse me recordari possum, laudari, visus sum mihi ab auctore, cui gratias ago, præter modum honorifice tractari. Sed lectis meis rationibus, partim ita extenuatis, partim in sensum tam diversum a proprio distortis, ut vix illas agnoscerem, indeque argumento facto, fore, ut* Orbis Litteratus, *illas in fonte suo non contemplatus, nihilo melius de iis judicaret; non potui non ea de causa commoveri, simulque percelli; quoniam quæ publicata non erant, aut silentio præteriri, aut integra & sincere in medium proferri debuerant. Judicavi idcirco, meum esse, remedium hic adhibere; quo non cessabant me instigare amici mei. Quamobrem scripta mea resumens, pulsu non minus a calore sanguinis, quam discursu mentis directo, alio ordine disposui, & regestiones, responsionibus ejus, ubi labi illas deprehenderem, opposui. Sic intra paucos dies mihi visus sum integrum volumen absolvisse. Et impatiens id apud me retinendi, in lucem illud emitto. In duas partes Tractatum hunc distribui. Prima apparatum continet rerum, quas præmittere visum fuit, de* Vejis *Antiquis. In altera parte situs eorum inquiritur. Majoris lucis ergo in fronte colloco Mappam Geographicam, in qua satago distinguere juxta verisimile, & ad digitum prope, populos Hetruriæ antiquos inter* Ciminum & Romam, *locis hodiernis demonstratos; non omnes, ne confusioni occasio daretur, sed maxime necessarios ad intelligentiam. Te, carissime Lector, oro, primo, ut infirmitatem plus quam unam, quam in hoc opere meo deprehendes, boni consulas, considerando laborem præcipitatum, & plus affectuum quam ingenii: deinde me excusatum habeas, si tædiosius, quam debeam, respondendo intentus sum. Illa sententia, quæ in hac causa apud me prævalere potuit, non potuit illam non expresse retortam omittere, super iis saltem rebus, quæ* [2] *vel tantillum verisimilitudinis habent. Postremo suffer longum tædium materiæ, quæ absque tali contentione,* [3] *animo sedato, breviori claritate, ac minus fastidiosa tractari poterat. Vale.*

1 *Arciprete.* 2 *Alcun' atomo.* 3 *A sangue freddo.*

Imprimatur si videbitur Revmo. S. Pal. Apost. Mag.

A. Victricius Episc. Alatr. Vicesg.

Opus potest imprimi si placet Reverendissimo Domino meo, cum nihil contra fidem, nec contra bonos mores in eo invenerim. Ideo &c.


Ita est. Comes Io. Baptista Cantalmaijus de Eugubio.

Imprimatur. Fr. Hyacinthus Pandulphus, Mag. Reverendiss. P. Mag. S. Pal. Apost. Socius.

ELENCHUS CAPITUM.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.



ETRURIA TRANSCIMINIA.

SABINI.

SABINI.

CAPENATI.

CRUSTUMINI.

FALISCI.

NEPESINI.

VEIENTI.

SUTRINI.

FIDENATI.

TARQUINIESI.

CERITI.

LATIO.

MARE TIRRENO.

Gallese. Borghetto. Tevere F. Turrita. Fillacciano. Ponzano. Nazzano. S. Oreste. M. Soracte. Civitella. Civita Castellana. Falleri. Canepina. Caprarola. M. di Stabia. Rignano. Fiano. Morolo. Morlupo. Liprignano. C. Novo. Riano. Vico. VITERBO. Ronciglione. Nepi. Magliano Pec.º M. Rotondo. Sutri. Monte Cimino. Capranica. M. Rosi. Borghetto. Scrofano. Frassineto. Capanacie. Campagnano. S. M. del Sorbo. P. Porta. Castel Giubileo. Vetralla. Baccano. Formello. S. Cornelio. Campo tolto a' Fidenati. Teverone F. Trivignano. Valca F. Valca. G. Rosa. Viano. Martignano. Baccanello. Isola. Borghetto. Storta. Anguillara. Galera. Campo Vaticano ò sette Paggi tolto a' Veienti. ROMA. Bracciano. Arrone F. Cervetere. Magliana. Campo Salino. Porto. Ostia.

Antiqua Divisio HETRURIÆ CISCIMINIÆ isto, quo nunc cernitur, statu.

LUGD. BAT.

Excudit PETRUS VANDER Aa.

Scala Milliariorum.





1 # FAMIANI NARDINI
VEJI ANTIQUI.

PARS PRIMA.

CAPUT I.
De Confiniis Populi Vejentis.



Hetruria, dicta antiquitus etiam *Tuscia*, & hodie *Toscana*, quum primis seculis occupasset versus Occidentem planities *Padi*, versus Orientem campos *Capuæ*, & versus Septentrionem littora maris *Adriatici*, reducta tandem est tanquam intra fines proprios (juxta commune testimonium *Strabonis*, *Plinii*, *Ptolemæi*, *Solini*, cæterorumque Geographorum) intra flumen *Macram* (dictam *Ptolemæo Macrallam*) *Appenninos* montes, *Tiberim*, & Mare *Tyrrhenum*. Intra quod spatium *Cimini* sylvosa juga, surgentia a Septentrione, non ita longe a cursu ipsius *Tiberis*, ostiis *Neræ*, quasi obviam & continuato dorso se extendentia versus Austrum,
2 per non exiguum tractum illam dividunt in duas partes inæquales. Quarum major, a *Cimino* ad *Macram*, *Liguria* terminabatur, & *Etruriæ* nomine a *Romanis* postea proprie appellata est: Minor autem, de qua mihi differendum est, ab eodem illo *Cimino* ad *Tiberim* pertingebat a fronte *Latii*, mœniumque *Romæ*. Nec tota, nec alterutra duarum partium, Regi, aut uni alicui Magistratui parebat, sed pleræque civitates utriusque partis inter se liberæ erant. Duodecim inter omnes præcipuæ erant, &, non aliter ac hodie *Cantones Helvetiorum* faciunt, conjungebant nonnunquam arma pro communi utilitate; & antequam id facerent, convocabant concilium in confiniis ambarum partium ad Australem oram *Cimini*, ubi tunc temporis fuit Fanum *Vulturnæ*, & ubi hodie est *Viterbium*. Ab hac parte *Cimini* erant prope mare *Cærites*, incolæ oppidi *Cære*, sed non hodierni, & *Tarquinienses*; inde flectentes versus *Ciminum*, *Sutrini* & *Nepesini*, quorum quæ in radicibus civitates sunt, antiqua nomina servant; ad genua *Cimini* creduntur fuisse *Capenates*, de quibus cecinit *Virgilius* Æn. VII. 697.

Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Sed nuper a *Philippo Cluverio*, in *Italia antiqua*, positi sunt *Capenates* in illo angulo, quem facit *Tiberis* prope *Soracte*, ubi sunt, inter alia loca, *Ponzano*, *Civitella*, *Fiano*, & *Liprignano*; nec sine rationibus bonis. Templum Deæ *Feroniæ*, juxta *Strabonem* & *Livium* fuit sub *Soracte* in *Capenatibus*. Id jam a tempore regis *Tulli Hostilii* frequentabatur a *Romanis*; inde colligitur vicinitas, & magna quidem. *Hannibal* in discedendo ab Obsidione *Romæ* versus *Reate* & *Samnium* trajiciens *Tiberim* ab *Ereto*, quæ urbs erat, ubi nunc est *Monte Ro-*
3 *tondo*, cum exercitu excursionem fecit in illud Templum, idque diripuit. *Silius Fluviales* dicit Campos *Capenates* lib. XIII.

—— —— —— itur in agros
Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco,
Et sacer humectat fluvialia rura Capenas.

Præterea considerandum est, illos populos con-
A terminam habuisse Regionem *Vejentem*; Colligitur ex *Livio*, *Faliscis* viciniores *Romæ* fuisse, idque ante *Faliscos* a *Romanis* subjugatos, quod non contigisset, si (quemadmodum *Canapina*) habitassent ultra *Faliscos* in *Cimino*, & in claustro magnæ illius Sylvæ. Postremo multæ Inscriptiones repertæ cum nomine *Capenatium* per illa Castella, quibus illustrandis *Cluverius* lucem non habuit, & in quibus producendis, nec meum propositum est, tempus aut operam insumere, ultimam huic rei fidem adstruunt. Nec versus citatus *Virgilii* difficultatem facit. Quippe qui in recensendis locis sine ordine saltus facit, ut videre est in recensione,
B quam facit, tot aliorum, imo eosdem ibi saltus facit ab *Æquis Faliscis* ad *Soracte*, & inde ad *Ciminum*; quare etiam alterum illum potuit facere a *Cimino* ad illum angulum *Tiberis*, qui ultra *Soracte* est. Sed mihi non est animus hac de re disputare. A *Cimino* juxta *Tiberim* se extendebant *Falisci*; cujus fluminis reliqua ripa post *Capenates* a fronte *Crustuminorum*, *Fidenatium* & *Latii*, *Vejentis* Populi erat magni, juxta *Dionysium Halicarnasseum*. Cujus Regionis, sicut hodie antiquos fines præcise designare non est, attamen forsan non omnino difficile erit, illos præter
C propter demonstrare.

A parte Meridiei an ager *Vejentium*, antequam *Romani* trajicerent *Tiberim*, excurrerit usque ad mare, adeo ut spatium intra fauces *Tiberis* & *Cærites* esset *Vejentium*, dubitari quodammodo potest. *Livius* libro primo loquens de Anco Martio: 4
Nec urbs, inquit, *tantum hoc rege crevit*, *sed & ager*, *finesque*, *Sylva Mœsia Vejentibus adempta*, *usque ad mare Imperium prolatum*; *& in ore Tiberis Hostia urbs condita*, *salinæ circa factæ &c.* Unde sequi videtur: Sylvam *Mœsiam Vejentibus* ademptam, fuisse versus Mare. Quamquam verum est, verba illa: *Sylva Mœsia Vejentibus adempta*, si sumantur non in ablativo absoluto, sed in nominativo,
D ut reliquæ illa: *usque ad mare Imperium &c.* posse habere sensum commodum, *Ancum Martium* ademisse *Vejentibus* sylvam, & adimendo aliis populis alios agros, ab altera parte protulisse ad Mare Imperium. Tanto magis, quod subjungat mox ædificationem *Hostiæ*, quæ, licet sita ad mare, non est tamen a parte *Etruriæ*, ubi ea sylva erat, sed a parte *Latii*, in quo *Martius* expugnaverat & solo æquaverat paulo ante *Politorium*, *Medulliam*, *Tillenam*, & *Ficanam*. *Dionysius*, nulla sylvæ *Mœsiæ* facta mentione, dicit Regem illum prœlium commisisse cum *Vejentibus* versus
E *Salinas*, quæ erant ad Mare, ubi hodieque est *Campus Salinus*, & quum satis probabile sit, magnos istos Historicos inter se concordes esse, pro certo credi potest, prope *Salinas* fuisse illam sylvam. Attendenti id etiam clarum fit; nam, si productio *Romani* Imperii usque ad mare facta fuisset a parte *Latii*, per expugnationem quatuor illorum locorum; *Livius* id prius dixisset, ubi locutus est de illis; vel saltem post mentionem sylvæ *Mœsiæ* (si illa non erat ad mare) nihil ista commemoratione opus erat, quæ nihil ad rem faciebat: sin alia

quadam acquisitione [sc. facta fuisset illa Imperii productio] dixisset ibi, cujus loci, quemadmodum dicit de sylva ; iste autem Rex nec apud *Diony-*
5 *sium*, nec apud *Livium*, aliud quid, seu oppidum, seu agrum imperio adjecisse legitur.

Sylvæ *Mœsiæ*, non longe a *Magliana*, versus mare, possunt hodieque recognosci vestigia, siquidem intra portum & flumen *Arronem* ille tractus littoris sylvosus remanet pene omnis. Credit *Leander Alberti* (& *Cluverius*, ut alios omittam, qui ei consentiunt) sylvam *Mœsiam* fuisse *Il Bosco di Baccano*, saltum illum, qui nunc exstirpatus est; motus forsan eo, quod propter latrocinia tam famosa fuerit. Sed si tempore *Anci Martii Romanus* ager, a parte *Etruriæ*, illum saltum comprehendisset, multo major fuisset, quam scriptores dicunt, quemadmodum ostendam; e contrario autem *Vejens* jam inde ab eo tempore satis angustus; quum tamen *Livius* lib. v. illum dicat *majorem* fuisse *Romano*. verosimilius est, fuisse sylvam *Arsiam*, pro qua ab *Raphaele Volaterrano* in *Commentariis Urbanis* habetur. Ego nihilominus etiam sylvam *Arsiam* existimo fuisse propius *Romam*; siquidem congressus exercitus *Romani* cum *Vejente*, & *Tarquiniensi*, qui in favorem *Tarquiniorum* moti erant, contigit in agro *Romano*, ac prope illam sylvam, unde exiit noctu vox: *uno plus Hetruscorum cecidisse in acie* ; *Il Bosco di Baccano* autem fere in altero extremo (ut postea apparebit) agri *Vejentis* erat, versus *Nepesinum*. Veruntamen credat unusquisque, quod sibi maxime placet.

Ab Occidente *Vejentes* conterminos habuere *Cærites*, quemadmodum ex *Dionysio* & *Livio* colligitur; quumque nulla de hac re controversia sit, non opus est, auctoritatem afferre ; ita tamen, ut nulli certi limites reperiantur. Per bonum spatium illis conterminus fuisse debet *Arrone* fluvius,
6 post quem a *Cluverio* assignatur Lacus *Anguillaræ*, unde ille fluvius alitur; ego vero crederem potius, colles illos, qui sunt inter Lacum, qui dicitur *il lago di Baccano*, & illos, qui dicuntur *di Martignano e di Straccia Cappe*, divisisse illos populos, in quantum de hac re meliore loco dicam. Quanquam verum est, differentiam, in parvo spatio sitam, nec consideratu dignam esse.

Ab eadem parte occidentis sequebantur *Nepesini*, quibus eos (puta *Vejentes*) conterminos fuisse clarum fit ex *Livio*; ex eo autem, quod ibi limites suos habuerint, certum est, *Vejentes* sitos fuisse propius *Romam*, & extendisse regionem suam a *Tiberi* ad Mare e regione *Crustuminorum*. *Nepesinorum* tamen Limites certe sciri nequeunt. sed quum judicari possit, agrum istius urbis olim paulo majorem fuisse, vel etiam minorem, quam hodie sit; non est præter rationem, existimare, illos limites suos habuisse fere in medio spatio, quod est inter *Monterosi* & *Baccano*, aut paulo ulterius.

Adjacebant ipsis (*Vejentibus* puta) etiam ab Occidente *Falisci*; sed quousque alterutra illarum regionum fines suos produxerit, majorem difficultatem habet ; & duæ res ibi præsupponendæ sunt.

Prima; quod *Falisci* alias se inde non extenderint a *Cimino* versus *Montefiascone*, quemadmodum crediderunt *Blondus*, *Volaterranus*, *Alberti*, aliique. Id hodie indubitatum est, & probatur efficaciter ab *Antonio Massa* in egregia illa Dissertatiuncula : *de Origine*, & *rebus gestus Faliscorum*. Cujus argumenta hic nolo repetere : quippe quod superfluum esset.

Altera; quod illa Regio in aciem produxerit viginti aut triginta minimum millia armatorum, re-
7 ferentibus *Orosio* lib. iv. cap. xi. *Eutropio* lib. ii. & *Paulo Diacono* itidem lib. ii. *Historiæ Miscellæ*, a *Romanis* una vice ex iis *cæsa* fuisse *quindecim*

A *millia*; ubi *Eutropius* & *Paulus* addunt: *ceteris pacem datam*.

Quibus ex rebus inferas, quod, quamvis, iis temporibus, quibus cælibatus non ita aut permittebatur, aut laudabatur, urbes omnino essent frequentiores, civibusque florerent magis, quam nunc; nihilominus, quum esset ab agris *Sutrino* ac *Nepesino* non ita latum spatium, necessario a radicibus montis *Cimini* extensi fuerint in longum *Falisci*, ad minimum per omne spatium *Montis Soractis*, qui hodie appellatur *Sant Oreste*, adeo, ut *Faliscos Sutrini* & *Nepesini* conterminos habuerint a Meridie, & illa linea confiniorum, quæ
B dividebat versus Orientem *Cærites* ac *Nepesinos* a *Vejentibus*, illa ipsa ad *Soracte* finiens, fuerit ab Oriente terminus inter *Vejentes* ac *Faliscos*.

Fidem huic rei mirum in modum facit Porta Septentrionalis urbis *Nepe*, dicta *Falisca*, quod nomen constat derivari ab antiquo; & inde forsan est, quod a *Romanis*, ut testatur *Frontinus* Libro de Coloniis, tractarentur pari modo *Nepesinus*, ac *Faliscus*. *Colonia Nepis eadem lege servatur*, *qua & ager Faliscorum*. Siquidem uterque distaret longitudine pari. *Vibius Sequester in* Catalogo Montium id clare dicit. ubi *Soracte* recensetur, ad-
C jecto: *Faliscorum*. vetus *Horatii* Scholiastes ad lib. i. Od. ix. id confirmat, dicens: *Soracte Mons est in Faliscis*, *Flaminiæ vicinus*. &, si allegati Scriptoris, habiti Apocryphi a doctioribus, aliquid auctoritatis adjunxerit, allegarem insuper Fra- 8
gmentum *Catonis de Originibus*; qui aperte dicit: *Soracte Faliscorum* est, *mons Apollini sacer*. *Plinius* lib. v. cap ii. & *Solinus* cap. vii. huic testimonio subscribunt, dicantes Agro *Falisco* territorium istius montis, quoniam uterque mentionem facit Familiarum *Hirpiarum* Agri *Falisci*, quæ ad montem *Soracte* annuo *Apollinis* sacrificio incedebant super prunis ardentibus, nec urebantur. Postre-
D mo *Livius* lib. x. ponit Agrum *Faliscum* una cum *Vaticano haud procul ab Urbe*; quoniam de duobus exercitibus, *haud procul*, inquit, *ab Urbe Hetruriæ oppositi* erant, *unus in Falisco*, *alter in Vaticano agro*. Quæ distantia a *Roma*, una cum *Vaticano* agro nominata in locum, qui longius distet, quam *Soracte*, quadrare nequit.

Quod reliquum est, superest consideratio quædam, quam reticere nolo. *Vitruvius* lib. viii cap. xxxv. de fonte quodam regionis *Faliscæ*: *Agro autem Falisco via Campana in campo Corneto est locus, in quo fons oritur*; *ubi anguium & lacertarum*, *reliquorumque serpentium ossa jacentia apparent*; ubi
E illa via *Campana* Viros Doctos suspensos tenet. Multi, illam corrigentes, pro *Campana* posuerunt *Flaminia*. Sed in *Flaminia* nuspiam reperitur iste fons. Alii dixerunt, *Æquos Faliscos* fuisse inter *Æquos* prope *Latium*, per quos *Roma* versus *Campaniam* iter erat. sed in vanum : quoniam *Æqui Falisci* fuit urbs *Etruriæ* juxta communem consensum.

Hic fons conspicitur hodieque ad radices *Soractis* in territorio *di Ponzano*, distans ab isto loco circiter duo milliaria, & a via, qua itur a *Ponzano* versus *Civitatem Castellanam* duas explo- 9
F siones sclopeti, aut non multo minus. qui tractus appellatur *Romiano*. Scaturit per modum aquæ ferventis; semperque ibi mortui conspiciuntur, aut serpentes, aut lacertæ; & dictus est (iste fons) *Acqua forte*. Paulo ulterius alter est, in quo sæpe conspiciuntur mortuæ volucres, idemque est, quem *Plinius Varronis* verbis describit lib. xxxi. cap. ii. *Varro ad Soractem in fonte*, *cujus sit latitudo quatuor pedum*, *sole oriente eum exundare ferventi oleo similem*, *avesque quæ gustaverint juxta mortuas jacere*. Ubi itaque *Vitruvius* dicit: *Via Campana*, patet, veram lectionem esse : *Via Capena*; & revera in illis faucibus planitiei inter *So-*

Soractem & *Tiberim* via unica tendentibus a *Faliscis* ad *Capenates*, & regio *Falisca* colligitur pertigisse ad *Ponzano* usque.

A Septentrione clarum habemus *Plinium* lib. III. cap. v. ubi describens cursum *Tiberis*, attribuit universæ regioni *Vejenti* juxta *Tiberim* distantiam a *Roma* tredecim tantum milliariorum, *Citra* XIII. *millia Pass. Urbis Vejentem agrum a Crustumino, deinde Fidenate, Latiumque a Vaticano dirimens.* ubi quum agrum illum videas positum per accessionem a fronte *Crustuminorum*, & non aliorum *Sabinorum*, quibus opposuerat *Hetruscos*, apparet, in numero XIII. milliarium, non esse, ut alii dixerunt, vitium. Quoniam *Crustumini* ne quidem eo usque se extendebant, ut montem *Soracte* oppositum sibi haberent, sed existimantur aut non prætergressi, aut paululum admodum, ubi nunc est *Monte Rotondo.* A *Soracte* itaque inflexa versus Orientem linea, & pertracta usque ad *Tiberim* apud *Riano*, quo illa XIII. milliaria *Plinii* facile pertingebant, perspicitur distinctio *Vejentium* a *Capenatibus*.

10 Ab oriente, juxta testimonium e *Plinio* allatum, in gyrum flectebant *Vejentes* ad ripam *Tiberis* e regione *Crustuminorum* usque ad *Fidenates*, & inde ante Urbem conditam, & aliquot annis post pertingebant ad mare. Sed post quam *Romulus* illis *Septempagium* ademit, variarunt confinia eorum ab illa parte, quod requirit considerationem singularem. sed antequam eo transeam, removenda sunt Obstacula.

Michael Micus, vir litteratus, ingenii subtilis, multæque facundiæ, contendens jam ante annos aliquot, mecum de *Vejis*, negabat quantis maximis poterat viribus, *Faliscorum* fuisse id, quod inter *Fallerium* & montem *Soracte* contineretur; & inter alia, quibus utebatur, argumenta adducebat, *Livium* differenten de prœlio, a *Romanis* ab una parte, & *Fidenatibus Vejentibus*que ac *Faliscis* ab altera parte, cum exercitibus commisso, ad defensionem *Fidenarum*, dicere; libro IV. *Faliscus procul ab domo militiam ægre patiens &c.* ita, ut a *Fidenis* ad *Faliscos* distantiam non exiguam ostendat; cum tamen a situ veterum *Fidenarum* ad *Soracte* non possint effici nisi octodecim aut viginti milliaria, spatium, de quo dici non potuit: *procul ab domo* in exercitu, belli gerendi causa, egresso.

Sed mihi difficilis non erat responsio: vox *procul* solet significare longinquitatem, sed indeterminatam in sensu absoluto, & diversimode semper mensuratam, respectu habito ad affectus, aut comparatione facta ad alium locum, minus distantem. Unde non juvat hoc loco Milliaria numerare; siquidem vel unum milliare longinquitatem efficiet in comparatione ad stadium. Militibus *Faliscis* bellum *Fidenarum* erat *procul*, si spectes *Fidenates*, qui domi illud gerebant, & *Vejentes*, qui non longius ab agro suo, quam dilatatur flumen, habebant campos proprios non multum ab oculis remotos. *Faliscis procul* erat illud bellum,
11 quoniam fiebat in loco sibi non contermino; gerebatur cum hostibus longinquis; & quod plus est, sine spe sibi quicquam acquirendi; unde solet fieri, ut militiam *ægre patiatur* miles, ejusque longinquitatem æstimet. Neque in illo vocabulo *procul* tam consideratur spatium milliariorum, quam quidem quod foris adirent periculum una cum illis, qui in domo propria minori incommodo & majori utilitate de industria bellum trahebant. *Faliscus* (verba sunt Livii) *procul ab domo militiam ægre patiens, satisque fidens sibi, poscere pugnam; Vejenti Fidenatique plus spei in trahendo bello esse.* Respectu milliariorum *Faliscis* ista militia erat *procul ab domo*; quemadmodum *Romanis* erat procul ab domo quodvis bellum, quod ultra septem milliaria gestum fuit illis temporibus. Nec desunt apud *Livium* exempla similium phrasium. En tibi unum libro primo, ubi introducit *Turnum Herdonium* tumultuantem adversus *Tarquinium* in Sylva *Ferentina*: *Principibus longe ab domo excitis ipsum, qui concilium indixerit, non adesse*; & tamen civitates *Latii* veteris, quarum Principes venerant ad concilium, non tam longe a se invicem distabant, quin Sylva *Ferentina* (quæ, juxta *Pompejum Festum*, fuit sub monte *Albano*, & ab erudito illo *Cluverio* existimatur multa cum ratione fuisse, ubi nunc est *Marini*) fuerit ab una quaque illarum civitatum longius distans; quam *Fidenæ* a *Soracte*: sed quare omitto *Livium*, qui lib. x. *Agrum Faliscum non longe ab Urbe* collocans, per consequentiam declarat, multo minus distantem illum fuisse *a Fidenis?*

Secundo loco *Micus* proferebat *Plinium* lib. II. cap. XCVI. ubi ponit *Aras Mutias* in *Vejente*: *Ad Aras Mutias in Vejente, & apud Tusculanum, & in Sylva Ciminia loca sunt, in quibus in terram depacta non extrahantur*; cum tamen *Aræ Mutiæ* 12
longius quam *Soracte* a *Roma* sint inter *Rignano* & *Civitatem Castellanam*; quæ adhuc destructæ servent in multis antiquis ruinis, & in agris, quos circumjacentes habeant, nomen *Arimozzo.* Ita fideliter, & non *Aremozze* scribebat *Micus*.

Hoc erat unum ex præcipuis ipsius argumentis; fuissetque alicujus momenti, si pro eo, quod *Arimozzo* idem sit cum *Aris Mutiis Plinii*, aliud argumentum aut indicium melius in promptu esset, quam sola illa, eaque tam exigua similitudo nominis, approbata quidem, sed non bene ruminata ab *Alberto* & aliis. Axioma hodie indubitatum Antiquariorum est: sola convenientia nominis hodierni absque ullo alio auxilio congruentiarum saltem, si non probationum; meram vanitatem esse, conjecturas facere, ne dicam affirmare & credere aliquid rerum antiquarum; & experientia temporis beneficio, sæpius detegit errores & quidem crassos, qui loco veritatis communiter admissi per hanc viam fuerant. Hic non solum deficiunt probationes & congruentiæ, sed mille aliis claris testimoniis contrarium evincitur. Unde non opus est multa vi ingenii, ad prosternendum Argumentum, quod præ infirmitate jam cadit. Quid? quod & ego, multo minore cum scrupulo, quam id faciebat *Micus* in arguendo erroris scriptores antiquos, & classicos, possem dicere: *Plinium* errasse, ponendo *Aras Mutias* in *Vejente?* adeone magnus iste error erit, si nominaverit unam Regionem pro altera, ubi obiter tantum locum aliquem tangit? Num præter verisimilitudinem est, *Plinium* ex aliorum relatione de soli alicujus ad *Aras Mutias* spectantis natura scripsisse, ipsum autem relationis auctorem pro *Falisco Vejentem* dixisse, h. e. agros, qui 13
tunc temporis non amplius distinguebantur, confudisse? Nonne similes nominum confusiones apud *Plinium* reperiuntur crebro? In distinguendis Regionibus quantumvis fuerit diligens, modo per occasionem injecta alicujus mentione, incidit in errores crassiores. Sic opportune non ita longe a loco, qui agit de *Aris Mutiis* cap. CIII. eodem libro nominat *Lacum Velinum* in *Agro Piceno*, qui lacus tamen prope *Reate* est, & *Flumen Clitumnum* in *Faliscis*, quod (testis sit *Plinius* nepos ejus lib. VIII. ep. X.) in *Umbria* est apud *Spello*.

Sed quoniam Auctor libri, qui inscribitur *Veji Defensi*, typisque cum maxime editus est, ridet, quod me applicem ad emendandum, & ad confundendas (ut loquitur) memorias Auctorum, quum ipse id crebrius faciat, & absque rationibus tam validis; age ne ullum quidem scriptorem antiquum

erroris arguamus, ut ad fuffulciendum Castellum in aëre hodiernæ Phantasiæ *Plinius* sibi ipse ac cæteris contradicat, & majori emendatione mereatur. *Plinius* ad XIII. millia passuum a *Roma* ponit Agrum *Vejentem*, agnoscit cum tot aliis montem *Soracte* pro *Falisco*, ut & campos adjacentes, quos inter & *Fallerium*, *Arimozzo* est; & dicere: in *Vejente* hunc locum esse, non erit repugnare dictis istius Scriptoris?

Difficultatem Defensor *Vejorum* sentit, adeoque quamvis pro *Falisco Soracte* accipiat, *Vejentem* tamen agrum, a tergo istius montis propter *Tiberis* ripam flectendo usque ad *Civitatem Castellanam* pervenisse, eamque urbem comprehendisse putat. Sed quam mirum agrorum labyrinthum Populis istis hoc pacto machinatur? quas angustias agri relinquit *Faliscis*, regioni tam amplæ, tam potenti, tam celebri? Quæ mistura *Capenatium* ac *Vejentium*, inde a tergo *Soracte* resultat?

14 Fons *Vitruvii*, qui erat prope *Ponzano*, quomodo erit in *Faliscis*? Quomodo salvus ab eo evadit *Plinius*, qui tantum in decimo tertio ad flumen milliario *Vejentem* agrum terminat? dicit: textum esse corruptum; & hoc non est confundere memorias Auctorum? quomodo sartum tectum reddet, quod *Plinius Vejentem* agrum solis *Crustuminis* a fronte collocet? dicitne, prius comprehendisse sub generali nomine *Hetruriæ*? Bene. ipsum textum consulamus: *Per CL M. Passuum non procul Tiferno, Perusia, & Ocriculo, Hetruriam ab Umbris, ac Sabinis, mox citra XIII M. Pass. Urbis Vejentem agrum a Crustimino, deinde Fidenate, Latiumque a Vaticano dirimens &c.* & hoc loco non videt, a fronte *Sabinorum Umbrorum*que *Hetruriam*, mox autem a fronte *Crustumini* agri *Vejentem* a finibus *Sabinæ* excludi? An nescit, quando exprimatur species cum genere, aut pars cum toto; in toto & in genere partem ac speciem tum non intelligi comprehensam? *Generi per speciem non derogatur* axioma est. Ecce *Plinius*, ne emendemus illum in *Aris Mutiis*, ubi levius, utpote in re obiter tacta, errat, labitur in majorem errorem, ubi ex professo ripa *Tiberis* Regionum fines determinare aggressus est.

Imo quod pejus est: ad effugiendam illam confusionem agri *Falisci* & *Vejentis*, in animum inducit, sibi ipse contrarius, *Faliscos* propius a *Roma* quam *Vejentes* collocare. En verba ipsius: *Ager Vaticanus Falisco vicinus erat, uterque extra proprie dictam Hetruriam: ergo Hetruria erat ultra Faliscos, qui non proprie erant Hetrusci, quemadmodum Vejentes: ergo Vejentes erant ultra Faliscos, ergo Veji ultra Soracte.* Unde nos colligimus, *Vejentes* versus *Tiberim* se extendebant. *Falisci* a *Falerio* per *Soracte* propius

15 accedebant *Romam*, quam *Vejentes*; si ergo *Falisco* agro ac *Tiberi* clausi, quomodo, quæso, ad Mare sese extendebant? Quomodo potuit ager illorum cæteris omnibus major esse citra *Ciminum*? Campus *Faliscus* a *Vaticano* se extendebat *Fallerium* usque. *Nepesini* ac *Cæritis*, juxta id quod dicitur ab eodem Defensore, erant extra *Hetruriam*. Quodnam igitur spatium poterat habere *Hetruria* citra *Ciminum*? intra sylvas istius montis? & si intra illas, quomodo se extendebat ad *Civitatem*, quæ propius *Romam* accedit, quam *Fallerium*? An *Roma Vejentes* non habebat conterminos? quomodo ergo *Livius* dixit: *Proximi Hetruscorum Vejentes?* Quomodo bellum cum iis gerentes *Romani* tot annis illos persequebantur sæpe usque ad muros? an transibant per *Faliscos*? quomodo prius illos oppressere quam *Faliscos*? si *Falisci* non erant in *Hetruria*; ubi erant? in *Latio*, in *Campania*, in *Sabina*, in *Umbria*? fac sciam. Quæ regio, quæ provincia inter *Tiberim* atque *Hetruriam* unquam intrusa est? an *Plinius* somniavit, quando agro *Va-*

A *ticano* conjunxit *Vejentem* loco *Falisci*? *Vejentem agrum a Crustumino, deinde Fidenate, Latiumque a Vaticano dirimens &c.*

Sed attendamus ad id quod pejus est. Ab *Hetruriæ* Populis *Faliscum* expulit, qui tamen unus ex duodecim Principibus erat, nec est qui dubitet; & cum cæteris undecim intererat Conciliis, quæ ad *Fanum Vulturnæ* cogebantur. vid. Liv. lib. v. *Auctum est bellum adventu repentino Capenatium; & Faliscorum. Hi duo Hetruriæ Populi &c.* & lib. IV. *Trepidatum in Hetruria est post Fidenas captas, non Vejentibus solum exterritis metu similis excidii, sed & Faliscis memoria initi primo* B *cum iis belli, quamquam rebellantibus non affuerant. Igitur cum duo civitates legatis circa duodecim populos missis impetrassent, ut ad Vultumnæ Fanum in-* 16 *diceretur omni Hetruriæ Concilium* &c. & lib. v. *Concilia Hetruriæ ad Fanum Vultumnæ habita, postulantibusque Capenatibus, ac Faliscis, ut Vejos communi animo consilioque omnes Hetruriæ populi ex obsidione eriperent* &c.

Quod *Strabo* & *Gratius* dicunt de istius populi diversitate a cæteris *Hetruriæ*, id illum, si in Historia (ut credo) bene versatus est, terrere non debet. Tritissimum est: *Faliscos* a principio occa- C sione originis, utpote descendentes ab *Haleso Argivo*, licet in sinu *Hetruriæ* habitantes, non agnitos pro *Hetruscis*; sed postea admissos cum cæteris idem nomen accepisse, aliaque omnia communia habuisse; quamvis *Falerii* ac *Fescennium*, teste *Dionysio*, moribus *Pelasgis* ad extremum usque magis gavisæ fuerint. Nonne id narrat *Ovidius* in fine illius Elegiæ, cujus Principium a Defensore citatur?

Argiva est pompæ facies. Agamemnone cæso;
Et scelus & patrias fugit Halesus opes.
Jamque pererratis profugus, terraque marique
Mœnia felici condidit alta manu. &c.

D Quod si deinde apud *Livium* legit *Nepesinos*, *Faliscos*, *Sutrinos*, & alios, positos, tanquam diversos ab *Hetruscis* Populos, ratio est apertissima, & cuivis mediocri saltem historiarum professori plus quam nota. *Hetruria Cisciminia* occupabat quantum erat spatii inter *Tiberim* ac Mare. Sed postquam hi populi subjugati sunt a *Romanis*, a *Livio* & aliis *Hetruria* appellata est, solummodo ejus pars *Transciminia*; & inter populos *Hetruscos* non computabantur amplius nec *Falisci*, nec cæteri, (de *Vejis* non loquor, quæ subjugata, simul & diruta est) qui *Romæ* jam subjecti erant, & so- 17
E ciorum nomine honorabantur. Idcirco dixit *Livius* lib. VI. *Legati ab Nepete & Sutrio auxilium adversus Hetruscos petentes veniunt.* & lib. x. [a] *alii duo exercitus haud procul ab Urbe Hetruriæ oppositi; unus in Falisco, alter in Vaticano agro*; &: *Ni Faliscos quoque allatum foret, arma Hetruscis junxisse.* Inde idem ille *Livius* claustra & portas *Hetruriæ* vocat Civitates *Sutrium* & *Nepete*, quæ erant in confinio sylvæ *Ciminiæ* sub montis Australi parte.

Verum enim vero, subjugatis postea etiam *Hetruscis Transciminiis*, & sublata sic omni differentia jurisdictionis, omnes eodem loco habiti fuere juxta fines antiquos provinciæ. Cessent idcirco sophismata. Neque, ut fiant *Veji* locus, qui non fuit in *Vejente*, transferamus huc illuc Regiones, ut laterculos in tabulis lusoriis; & ne *Plinius* emendetur, observetur *ad litteram*. Credamus, ex mente *Plinii Vejentem* agrum ad *Tiberim* terminari [b] *citra* XIII. *millia Pass. Urbis*, e regione *Cru-*

a *Hoc dixi, & propter hoc.* Mazzocch. ad marg.
b *Non camina la construttione, però si stima errato.* Mazzocch. ad marg.

Crustuminorum. Credamus, ne eidem contradicamus, agrum *Faliscum* occupasse omne spatium, quod *Fallerium* inter & *Soracte* est, neque illam terræ fasciam in distorta ac ridicula segmenta discindamus; Ac, ne *Arimozzo*, quem locum inter alia continet, *Plinio* fraudi sit, quum me Defensor provocet, rem ipsam excutiamus.

[a] Multi istius loci accolæ candide fatentur, illum vocari *Rimozzo*, hoc est *Rio Mozzo*, pro rivo, qui inciditur ac sistitur ponte viæ urbis *Ponzano*, & illud revera ita esse. supra pontem terra ac rivus appellantur *Cerasolo* & *Rio Cerasolo*, statim autem infra pontem, utrumque, & terra ac rivus *Rimozzo*, ad similitudinem aliorum amnium
18 ac rivulorum istius regionis, veluti qui dicuntur *Rifiletto*, *Rimaggiore*, *Rimicciolo*, *Ricroè*, *Risorgello*; *Riacola*, *Rivolello*. Illud nomen *Rimozzo* dedit occasionem *Annio* fabulandi suo more de *Aris Mutiis*. Quid autem de antiquis, quæ ibi reperiuntur, monumentis statuendum sit, data occasione notum reddam.

Adversatur hic mihi Defensor novo quodam modo, objiciendo, quod in responsionibus ad *Micum* voluerim (& id ponit ut septimum meum argumentum) *Vejentes Sabinos* non habuisse contiguos, & in responsione mihi producit eundem *Plinii* locum; *Vejentem agrum a Crustumino &c. dirimens*; & alium Livii: *Sabinis Hetruriam esse vicinam, proximos Hetruscorum Vejentes*. Ego, si *Sabina* sumitur, non pro omni illo spatio, quod est ab *Aniene (dal Teverone)* ad *Neram*, ut fit a *Strabone*, *Ptolemæo*, & aliis, sed stricto illo sensu, quo usurpatur a *Plinio* loco citato, ubi a *Sabinis* excludit *Crustuminos*, quum dicit de *Tiberi*: *Hetruriam ab Umbris, ac Sabinis, mox citra* XIII. *M. Pass. Urbis Vejentem agrum a Crustumino &c.* Id rursus & ab integro affirmo; & quis est, qui in istis verbis *Plinii* id non clarissime sentiat? ex *Livio*, si non mutatur, ut factum est, textus, nihil eruetur. Absque vocabulo *Sabinis* [b] animi causa, textui adjecto, legitur tantummodo: *Hetruria erat vicina, proximi Hetruscorum Vejentes.* h. e. vicina & proximi *Romæ*, non *Sabinis*, qui volentes *Romanis* bellum inferre, auxilia ab hostium vicinis petebant. Legamus quod sequitur: *Inde ob residuas bellorum iras maxime sollicitatis ad defectionem animis voluntarios traxere. Sabinorum* consilium erat, excitare in *Vejentibus* adversus *Romam* illas iras, & illa odia, quæ vicinitas magna ipsis fovebat, accensa non aliter, ac primæ sub cinere.

19

CAPUT II.

De ultimo termino Romanos inter & Vejentes.

Inter populos, quibuscum *Romulus* feliciter bellum gessit, fuerunt *Vejentes*, qui ad postremum pacem petentes, in eo consenserunt, ut agri parte multarentur, ut *Livius* auctor est. Hæc, juxta *Dionysium*, fuit ille tractus, qui dicitur *Septem Pagi*. *Plutarchus* in *Romulo* dicit: fuisse illam septimam partem agri *Vejentis*, appellatam idcirco *Septimagium*, Σεπτεμάγιον. Quantum igitur potuerit circiter se extendere a *Tiberi*, ex magnitudine ejus colligi potest.

Omne spatium *Vejentis* agri a Mari juxta flumen *Tiberim* usque ad XIII. Millia Pass. *Plinii* ab urbe *Roma* erit Longitudinis per lineam rectam circiter viginti & octo milliariorum. Latitudo, sumpta, non in amplissima, nec etiam in angustissima

A sua extensione duodecim circiter erit. Dividatur totum in septem partes æquales. *Septempagium* non poterit unquam a *Roma* proferri par semidiametrum versus ullam partem amplius quam per quinque aut sex milliaria. Cujus semicirculi diametrum ad ripam *Tiberis* erit circumcirca decem milliariorum. Non postulo tamen, ut semicirculus tam accuratus fuerit, ut circumferentia ejus a centro æqualem ubique distantiam servaverit, quum in animum meum inducere nequeam, ut istos terminatores ad tantam exactitudinem adstrictos fuisse putem. Sed omnia moderate intelligo; ac pro
B locorum opportunitate Lineam circumferentem, plus minusve suppono aut accessisse, aut recessisse.

Omnia cum *Plinio*, consentiunt, loco citato, ubi postquam opposuit Agrum *Crustuminum Vejenti, Vaticano* (qui erat *Septempagium*) *Fidenatem* & 20
Latium opponit, qui ei ex adverso erant; & valde accommodate, quum Urbs *Fidenarum* juxta *Strabonem* & *Dionysium* quinque milliariis, juxta *Eutropium* sex distaret a *Roma*. Quæ *Fidenarum* Urbs ab *Ortelio* in Thesauro suo Geographico ponitur, ubi conspicitur hodie in celso quodam Colle Villa seu Arx (*un Casale*) dicta *Castel Giubileo* duobus milliariis supra *Anienem*, ubi *Tiberis* magno gyro
C se inflectit, plane prout describitur a *Dionysio*. *Cluverius* in rupe quadam paulum a *Castel Giubileo* remota sitam fuisse putat. ac sæpius sic etiam mihi res habere visa est, quum iter facerem per *Flaminiam*, & conjectis in ripam fluminis ulteriorem oculis, illam Arcem considerarem; nam revera summitas *Castelli Jubilæi* ob angustiam magis formam Collis, quam sedem magnæ alicujus Urbis ita dictæ apud *Dionysium*, loco citato, refert. Sed olim fortasse verticem spatiosiorem habuit. Et jam plus quam unum fragmentum tophaceum,
D quod ibi detegitur, argumento est, quam plurima inde per tot annorum spatium avulsa periisse. Quare, si olim cæteris tractibus montanis conjunctus fuit iste collis, necessario longis temporum injuriis in insulæ formam redactus, & e Promontorio collis factus esse debet.

Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.

Sed redeamus ad *Septempagium*.

Tam parvæ distantiæ agri *Vejentis* a *Roma* multam lucem dat *Suetonius* in *Galba*, ubi agens de Villa *Cæsarum*, dicta *ad Gallinas* (quæ teste *Dione* lib. LXIII. & *Plinio* lib. V. cap. III. sita erat
E ad *Tiberim* IX. Millia Pass. a *Roma*) illam in agro *Vejente* fuisse testatur: *Liviæ olim post Augusti statim nuptias Vejentanum suum revisenti prætervolans aquila Gallinam Albam ramulum lauri rostro* 21
tenentem, ita ut rapuerat, dimisit in gremium. &c. Valido argumento, ad IX. minimum millia Pass. agrum *Vejentem* a *Roma* disjunctum fuisse.

Qui terminus, quamvis primo aspectu *Romæ* nimium ob oculos positus videatur, si argumentum a credibili sumamus, adhuc fiet manifestior. *Roma* primis istis temporibus a parte *Latii* non statim terminabatur *Tibure*, *Gabiis*, *Tusculo*, *Alba*, *Aricia*, aliisque urbibus istius tractus, sed inter-
F mediæ erant *Apiola*, *Medullia*, *Politorium*, *Tellene*, *Ficana*, & forsan aliæ a *Romanis* postea aut destructæ, aut saltem subjugatæ. Quare versus harum terminos quantum, quæso, *Roma* poterat cum sua ditione se extendere ab aliqua parte? Ad eandem ferme mensuram argumentari licet, in *Vejente* stabilitum agrorum terminum, quum *Romulus* a parte *Hetruriæ* multaret hostes. Præterea *Strabo* lib. V. refert, *Collatiam*, *Antemnam*, *Fidenas*, aliaque loca, a *Roma* non amplius XXX. aut XL. stadiis absuisse, id est quatuor aut quinque millibus Pass. & suo tempore intra quintum & sex-

a *Non mi riduco al detto de Paesani, ma de' scrittori, e quasi tutti.* Mazzocch. ad marg.

b *per galanteria.*

sextum lapidem locum fuisse, qui diceretur *Festi*, & haberetur pro termino agri *Romani*. In similem sensum tendunt verba *Valerii Maximi* lib. IV. cap. 1. ubi de *Scipione Æmiliano* agens, dicit: *Prudenter enim sensit tunc incrementum Romano imperio petendam fuisse; cum intra septimum lapidem triumphi quærebantur*. Hæc bella a *Marcellino* lib. XIV. *Circummurana* appellantur. *Ejus populus cum ab incunabilis primis ad usque pueritiæ tempus extremum, quod annis includitur fere trecentis, circummurana pertulit bella*. Præterquam, quod
22 *Romulus*, cum paulo ante bellum *Vejentanum* ademisset *Fidenatibus* partem agri sui a parte *Sabinæ*, facile ab altera ripa *Tiberis*, fere a fronte istius termini, quem constituerat cum *Fidenatibus*, terminare potuerit *Septempagium*, & ex proportione flectens, usque ad *Magliana*, quæ exacte, ut dixi, a *Roma* abest VI millia pass. effecerit illam Urbem centrum suæ ditionis. Convenit illud cum bello gesto ab *Anco Martio*, ad *Salinas* cum *Vejentibus*, qui studebant (narrante *Dionysio*) recuperare id, quod antea ibi possederant. Quin imo si credendum esset Interpreti, qui voces περὶ ταῖς ἁλαῖς, id est *ad Salinas*, vertit *ad Allas*, aut alteri cuidam, qui sequentes καὶ τὰς ἄλλας πόλεις, id est *& alias Civitates* intelligit de civitate *Allia*; possemus dicere, illam urbem sitam fuisse, ubi hodie est *Magliana*, aut inde non ita valde remotam; quoniam ager *Allianus* ibi videtur intelligi, & multum eo facit, quod de *Allia* habetur apud *Frontinum* de Coloniis: illum *Nansii* certe, qui a *Scriverio* in lucem editus est. *Allia oppidum muro ductum lege triumvirali. Ager ejus est assignatus. Iter populo non debetur*. Sed ut recte & secure pergamus, a commendatiori versione ne abeamus.

Ut finem faciamus collationi *Plinium* inter, & eas, quæ ad manum sunt dimensiones; si ille agrum *Vejentem* ponit *citra* XIII. *millia pass. urbis, & deinde Vaticanum*, poteftne in agro *Vaticano* illud *deinde* verius dici, quam de distantia, quæ inter quintum & sextum lapidem terminatur? An agro *Vejenti* amplitudo minor quam octo aut septem milliariorum sufficiat aut conveniat, quum illa regio omnium amplissima dicatur? Detractis itaque a XIII. illis VII. aut VIII. millibus, restant ad efficiendum agrum *Vaticanum*, aut si mavis, ad efficiendum *Septempagium*
23 V. aut VI. millia. estque proprie illud spatium, quod *Vaticani* nomine insignitum cernitur.

Cluverius putat, *Septempagium* fuisse tractum illum agri aut sylvarum, qui a *Roma* ad mare se extendit inter ostia *Tiberis* & *Arrones*; sed quo indicio nescio, quum a scriptoribus dicatur contiguum fuisse, non mari, sed *Tiberi*, & imperium usque ad mare non fuerit a *Romanis* prolatum, nisi temporibus *Anci Martii*, qui *Vejentibus*, *Salinas* ademit, & sylvam *Mœsiam*, ut aperte docent *Livius* & *Dionysius* capite primo citati. Nec possum induci, ut credam isto principio agrum *Romanorum* tam amplum fuisse, propter id quod jam dixi & porro dicam. Verum est, *Romulum*, quum adimeret *Vejentibus Septempagium*, illos prohibuisse *Salinas* accedere, quæ prope mare erant; sed hoc, juxta *Plutarchi* verba, illis a *Romulo* præterea interdictum fuit. neque comprehendebantur illa agri portione, quam illis ademit.

Post *Romulum* & *Ancum Martium*, *Servius Tullius Vejentibus*, ut & *Cæritibus*, ac *Tarquiniensibus* aliam adhuc regionis partem ademit, juxta *Dionysium* lib. IV. quæ (loquor de ea, quæ *Vejentibus* adempta est) an fuerit versus *Tiberim*, an versus aliam partem, unde eruam, nescio. Potissima conjectura est, illam aut sylvæ *Mœsiæ*, apud *Arronem*, aut alicui *Septempagii* parti, conjunctam fuisse, ut postea dicam. Sed quomodocunque se

A res habet, hoc pro certo haberi potest, exiguam fuisse, & idcirco *Livium* ejus nullam facere mentionem. Ac etiamsi laciniæ instar se extenderit usque ad *Tiberim* adjuncta agro *Romano*, ita ut hic ager excesserit illa sex milliaria supra memorata, non tamen ad novem profecto milliaria se 24
protendebat, quippe quæ *Suetonius* excludit. Præterea ducentis quinquaginta annis post, quum *Romani* in parte *Latii* jam alias acquisivissent provincias, casque non exiguas, nequaquam *Vejentium* ager major fuisset *Romano*, ut testatur *Livius* lib. V. ubi insuper addit: illum *Romanis* fuisse *in conspectu*. Et re vera, toto tempore, quo
B *Romæ* durarunt reges (teste *Sexto Rufo*) ultimus finis agri *Romani*, fuit *Ostia*; *utpote adhuc parvæ, & a pastoribus conditæ, cum finitimæ circum civitates premerent*. Et *Rufo* suffragatur *Eutropius* lib. I. ubi narrat, sub Regibus, fines *Romanos*, ubi plurimum, ad quintum decimum milliarium sese extendisse. Quousque (ubi minimum) sese extenderint, a neutro tangitur; sed *Strabo*, *Suetonius*, aliique supra allati, nonnisi angustum quoddam spatium monstrant.

Sed ut reperiamus certum aliquem finem, observemus id, quod de flumine *Cremera* dicunt
C Historici. *Dionysius* lib. IX. aperte illud constituit limitis loco inter *Vejentem* ac *Romanum*; postquam enim retulit Senatusconsultum de habendo continuo exercitu, qui excubaret in finibus, &, præsidiariorum loco, perpetuo in armis regionem custodiret; subjungit, *Fabios* promisisse sese velle subire illud periculum: & *Roma* profectos, ubi ad Flumen *Cremeram* pervenissent in ripa quadam prærupta, & aspera castellum exstruxisse. En verba *Dionysii*, quæ Latine versa profero, ne cui textus Græcus tædium faciat: *Facto deinde a Consulibus Senatu &c. placuit præsidiariorum agmen in finibus excubare, qui perpetuo* 25
D *in armis manerent, & agros ab injuria tutarentur &c. Fabii Gentiles suos convocarunt, communicatoque inter se consilio Senatui promiserunt se pro patria sponte id periculum subituros cum clientibus suis, & amicis &c. Cumque pervenissent prope flumen Cremeram &c. Castellum &c. munierunt*. Quod factum non est credibile alienum fuisse ab eorum promisso, nec dubitari debet, quin ita executioni mandatum fuerit Senatusconsultum supra memoratum; tanto magis, quod cuncta fuerint acta a Consule, qui erat ex *Fabiis*; sed, quod plus est, pergit *Dionysius*: *Perfecto Castello Cremeræ M. Fabius ad ulteriorem Vejentum agrum proveE ctus, qui reliquam contigit Hetruriam, ubi erant Vejentum pecora, &c. Magnam prædam abegit in Castellum, &c.* Si igitur e Castello excursionem fecerunt, & *Vejentem* agrum invaserunt *Fabii*, Castellum illud ad *Cremeram* fuit in agro *Romano*, & idcirco in ipsis finibus, aut valde prope fines.

Livius lib. II. illud non minus clare dicit. Præmisso, *Vejentes* nullo belli fine, quum viderent ab armis *Romanos* cessare, agressos fuisse prædandi causa, rursus quum illos conspicerent in armis, cessisse eoque redactos, ut neque hostem excipere, neque sibi consulere possent, refert præ-
F clarum illud ac generosum *Fabiorum* promissum, eorumque multo cum applausu ex Urbe profectionem. Unde egressi (pergit *Livius*) *ad Cremeram flumen perveniunt; is opportunus visus locus communiendo præsidio* (huc usque effectum suum sortita sunt eorum promissa, & Senatus mandata de præsidio in finibus agendo juxta *Dionysium*: pergit *Livius*) *& donec nil aliud, quam in populationibus res fuit, non ad præsidium modo tutandum Fabii satis erant* (quod eorum fines erant) *sed tota regione, qua Thuscus ager Romano adjacet, sua tuta omnia, infesta hostium vagantes per utrumque finem fecere.*

fecere. Ubi expresse videre est *Thuscum* agrum *Ro-*
26 *mano* adjecisse, & discursiones istæ per utrumque finem postulabant, ut præsidium illud in finibus haberetur. Accedit, quod *Vejentes*, absque contradictione non sivissent exstrui ab hostibus Castellum intra campos suos, & in conspectu suo, nec ullus *Hetruriæ* populus id tolerasset; & in bona illa pace, quam *Vejentes* cum Consule *Æmilio* fecerunt, quare sibi non consuluerunt, ut Castellum illud destrueretur? Verum est, illos postea id flagitasse, sed juxta *Dionysium* prætextus causa id excogitatum fuit a *Thuscis* ad rumpendam pacem. Postremo si præsidium ad *Cremeram* habitum fuisset in *Vejente*, profecto res memoratu digna, ac propter neglecta senatus mandata, ut & *Fabiorum* fortunam, explicatu necessaria fuisset; & tamen neuter ex duobus illis Scriptoribus, & in primis *Dionysius*, tam accuratus & diffusus, mentionem rei ne minimam quidem facit.

Respondet mihi novus ille *Vejorum* Defensor; *tempore Fabiorum per accidens hoc fieri potuisse*, & paulo inferius subjungit: *Credendum non esse, Cremeram fuisse proprie stabilem finem Romanorum, sed quum parte aliqua paulatim agrum Vejentanum usurparent, postremo prope flumen terminum accidentalem, se communivisse, &c. ut more belli solet fieri, partem potentiorem studuisse hosti in stationibus melioribus occupandis prævenire.*

Sed quomodo, quæso, id in animum suum inducere potuit? Quis unquam scripsit, agrum *Vejentem* a *Romanis* paulatim usurpatum fuisse? Evolvat tam *Dionysii*, quam *Livii*, *Plutarchi*, aliorumque Volumina, nuspiam post Regem *Servium Tullium* *Romanos Vejentibus* vel digitum terræ ademisse re-
27 periet. Omnia bella semper fere inter illos consistebant in agrorum populationibus, quæ hodie frumentationes (*Foraggi*) appellantur, vel in prœliis. Ita ut finis ille, ubi *Fabii* Castellum exstruxerunt, fuerit absque controversia Vetus ille jam inde a temporibus *Romuli* aut *Servii*, regis, cui rei convenit Senatus consultum factum, juxta *Dionysium*, de habendo continuo agmine in finibus; jam stabiles intellige non alios temere aut per accidens factos, quos *Fabii*, mox prospero usi successu, sibi comparaverint.

Addit porro: *Vejentes tunc temporis multo contractiorem agrum possedisse, quam antea usque ad tempora Romuli, qui, mulctæ nomine illis bona parte ex eo, quem versus Romam prius possederant, adempta, illos ad angustiores terminos restrinxerat. &c.*

Hæc fundamenta jacet, ut *Cremeram* a *Roma* satis longe abstrahat, Sed fallitur. Agrum *Vejentem* fuisse majorem *Romano* vel post expugnatos *Vejos*, legat apud *Livium* lib. v. *Cur relegari plebem in Volscos cum* [a] *pulcherrima Urbs Veji, agerque Vejentanus in conspectu sit, latior uberiorque Romano agro.* Et in ipso facto *Fabiorum* audiat, ut id tanquam rem notam supponat. *Gensque ima Populi Romani sæpe ex opulentissima, ut tum res erat, Hetrusca civitate Victoriam tulit. Id primo acerbum indignumque Vejentibus visum.*

Argumentatur porro, *Vejentes* ultra *Cremeram* versus *Romam* possedisse quædam, faciendo super verbis *Dionysii* subtilem quandam Grammaticalem Observationem. Dicit ille Historicus: *Perfecto Castello Cremeræ M. Fabius ad ulteriorem Vejentum agrum provectus, qui reliquam contingit Hetruriam, ubi erant Vejentum pecora, &c. quod nuntiata quam eo venturum Romanum militem crederent, magnam prædam abegit in Castellum, &c.* ad quæ
28 Defensor: *Si dabatur ulterior Vejentum ager, oportuit etiam citeriorem aliquem extitisse; ergo adhuc alius Vejentum ager ab hac parte versus Romam excurrebat præter illum, qui Vejos tendebat, spectans ad reliquam Thusciam. &c.*

a *dunque Vejo non fu disfatto, come disse di sopra*, a cart. 16. Mazzoch. ad. marg.

A Sed, ut supersedeam responsionis loco dicere, comparativum *ulterior* relationem habere ad *ultra*, ut positivum suum, quocum comparatur; omisso etiam, quod *ultra* & *ulterius* non agnoscant pro correlativis suis *citra* & *citerius*, quando agitur, ut hic fit, de motu ad locum, quoniam ad eundum terminus unicus est progredi; nonne in verbis *Dionysii*, *citerior* plane de speciali intelligitur, *Si ager Vejentum ulterior* erat ille, *qui reliquam contingit Hetruriam*, h. e. illa pars *Vejentis* agri,
B quæ ulterius quam *Romani* limites, adjacebat cæteris *Hetruriæ* populis, qui sequebantur; ergo *ager citerior* erat ille, qui *Cremera* terminabatur versus agrum *Romanum*, in quo solebant *Fabii*, juxta *Livium*, populationibus operam dare, & ultra quem *Marcus Fabius* animosiore expeditione sese ingerebat in *Vejentem* agrum, ut simpliciter *Dionysii* verba significant. Quanquam video, Defensorem id ita intelligere restricte, & idcirco prope finem deposito onere advocati patriæ veritatem candide profitetur. Quoniam meis insistens fundamentis (sed recitatis tanquam suis) dicit
C *Quum Cremera finis inter Romanos ac Vejentes esset, ut clarum est, ex Dionysio lib.* IX. *& Livio lib.* II. *&c.*

Porro quam vicina *Romæ* fuerit *Cremera*, præter id, quod colligere est ex iis, quæ hactenus attigimus, clades, quam ibi post occisos *Fabios* accepit *Menenius* Consul, indicat. *Dionysius* lib. IX. dicit: *Thuscos* oppugnasse castra Consulis prope *Cremeram*, & pergit sic: *Itaque cæsis centurio-* 29
nibus nobilissimis, reliquus exercitus in castra compulsus est, &c. Castra quoque obsessa continuata per illum diem, & noctem insequentem oppugnatione capiunt militibus profugientibus &c. At in Urbe post-
D *quam cognita est copiarum clades, & castrorum expugnatio (nam multo ante lucem, ex fuga primi venerant) magnus tumultus, ut par erat, exortus est: nec aliter, quam si mox irruiturus esset hostis, arreptis armis alii mœnia petebant, alii stationem pro portis: nonnulli occupabant loca Urbis edita: confusæ per Urbem discursationes, miseræque vociferationes super ædium tectis domestica turba se ad vim propulsandam, & certamen ineundum præparabat: continuique, ut in nocturnis tenebris, micabant ignes, totque tum e tectis faces, tum e cœnaculis, lumina effulgebant, ut procul intuentibus fulgor ille contiguus esset, Urbsque incendio conflagrare videretur.* Quod
E illa ipsa nocte, qua castra expugnata sunt, milites *Romam* profugerint, & tam mature pervenerint, ut bona ejus pars insumpta fuerit longis præparationibus defensionis; ac metus fuerit, ne illa ipsa nocte obsiderentur, id ipsum efficit tanquam per consequentiam, ut pauca a *Cremera* ad *Romam* fuerint milliaria.

In *Vejis Defensis* video tanquam meam opinionem supponi, quasi clades *Menenii* accidisset eadem nocte, qua *Fabii* suam acceperunt, qua Consul *Romam* profugit &c. uti reponitur: *At vero Dionysius* lib. IX. *clare dicit: non ita esse, Fabiis cæsis,*
F *captaque Cremera, Hetrusci duxerunt exercitum, &c. & non dicit illo ipso die, sed multi dies præterlapsi fuerunt, ut videre est in textu; Imo Livius &c.* Et paulo post: *Ergo plures dies præterlapsi sunt, & non omnia illa una nocte contigerunt, ut vult Nardini, ut inferat inde vicinitatem loci.*

Sed magna æquivocatio captatur in verbis meis. Inspiciantur scripta mea, quæ, quum sint in alio- 30
rum manibus, nec mutari a me, nec occultari potuerunt. Vis argumenti mei sita est in exiguo isto temporis spatio, quod intercessit cladem, quam accepit Consul, amissis Castris, ac nuncium ejus *Romæ* acceptum ad horas noctis non ita multas. Si

Supponitur, in illo textu, corruptam esse notam numerariam a ducentis in centum, h. e. positam τὴν (ρ) loco τῆς (σ); nec tamen textus habet ullam notam numerariam, sed voce clara & expressa dicit: Ἀμφὶ τὰς ἑκατὸν σταδίας, nec vocis διακοσίων id est ducenta, apparet vestigium. Jam vide, quousque progrediatur quorundam hominum fa-
39 cilitas. Corrigunt etiam textus non visos, sed tanquam somnio admoniti. De *Peutingeriana* quid possum dicere amplius? Enim vero, quod aliquibus non probatur, id illam non plane deturbat ab universali sua existimatione; sed, bone Deus! plena errorum, & inconvenientiarum declarare omnia Itineraria antiqua, quibus soli illi non utuntur, qui antiquitatis gustum non habent? fidem iis negare, omnemque adimere existimationem, quid aliud est, quam studio antiquitatis oculum dextrum effodere? *Plinius* non loquitur de *Vejorum* seu urbis distantia, vetat saltem, majorem illam agro ipso putare. Grammatica ejus parum recte procedere, non nisi auribus, aut nimis delicatis, aut ob mentis ibi residens præjudicium nimis fastidiosis, forsan videbitur; neque corrigi potest in numero millenario bono cum successu; quia in eo, quod *Vejens* ager *Crustuminis* in terminum ponitur, nimium evidens est occursus numeri justi. *Eutropius*, quem etiam *Dionysio* inferiorem auctoritate dixi, est nihilominus scriptor magni pretii, nec minoris fidei.

Infert alibi idem Defensor, in tanta varietate scriptorum, nulli eorum fidem habendam; dicens: *Quid amplius illæ distantiæ nobis molestiam creant, si nesciamus, quo nos vertamus, & cuinam illorum Auctorum debeamus credere, quum inter se tam sint diversi?* & propterea sibi licere postulat, *Vejos* transponere ultra milliaria, quæ illi dicunt. Hæc nova argumenti forma est, sed non Logica. Scriptores inter se discrepant circa *plus* & *minus*, ergo neque τὸ *minus* unius neque τὸ *plus* alterius admittendum est. Non eligenda est inter eos via aliqua media, nec ratio saltem indeterminate habenda est spatii inter illorum extrema; sed ab
40 omnibus dissentiendum, & τὸ *plus* cujusvis excedendum. Inter hos Auctores non potest dici pugnam esse: quod si est, dubia non est; quum e quinque quatuor consentiant, & solus, qui minimæ Auctoritatis est, cæteris non congruat.

Objicit porro, *Milliaria hodierna non respondere præcise antiquis*; & exempla adducit; nec videt, illa destruere conclusionem, quam facit, quæ hæc est: *Quando Livius scribit, temporibus Regum, & ab initio Reip. Vejos abfuisse per tractum viginti milliariorum, dubium non est, quin, quum viæ Romanæ longo tempore post stratæ sint, & anfractibus tortuosis ductæ per clivos, atque ita multo majorem itineris ambitum fecerint, redacta sint illa milliaria ad viginti octo.* Et qua ratione *Romani* vias munientes per clivos illas longiores reddebant? Sternebantur viæ tempore Reip. magis compendii causa, quam ut protenderentur; quoniam multis locis, ubi propter cœnum opus fuisset deviare, ingerebatur silicis copia; & conspiciuntur adhuc oculis multi colles, magno labore disscissi, tantum quod ibi transiret via directior, & brevior, quemadmodum *in cava di Baccano* aliisque locis. Sed omissis vanis hisce sermonibus; verum est, Milliaria antiqua valde diversa fuisse ab hodiernis, attamen semper multo minora, nec in illis unquam fuit varietas; sed in Lapidibus milliariis, qui erant per vias, duravit semper idem numerus, ibi positus in mensuræ signum. Tantum variant hodie, quando perdita omni memoria earum veterum exactitudinum, unusquisque distantias metiri cœpit, prout ipsi videretur. Hinc quemadmodum observat etiam *Cluverius*, conficiuntur nunc Mil-

A liaria majora semper veteribus per *Toscanam*. Animadvertat illa loca, quæ allegat, h. e. *Rignano*, 41 olim XXVIII. Milliariis a *Roma*, *Ameliam* LVI. *Sulmonem* XC. quæ hodie existimantur multo minoris distantiæ; nec fundamentum ponat in flumine *Allia*, collocato a Livio *ad undecimum lapidem*, & a Vibio Sequestro *ad quartum decimum*; quoniam illud flumen non fuit *Correse*, ut *Biondo* & pluribus veteribus videtur. Addat, *Dionysium* & *Plinium* vixisse temporibus, quibus viæ jam stratæ erant, & sic, juxta illum, jam longiores factæ; & *Appii* viginti millia designata cum præpositione *Intra*, non debent tamen extendi ad *ultra* temporibus
B *Livii*. Sed hac de re alibi fusius. Redeamus ad *Eutropium*.

Quum hic non agatur de *Persia*, neque de *Scythia*, sed de Urbe quæ erat in conspectu, & durum videatur credere, *Eutropium* a *Dionysio* cæterisque tam longe abiisse, præter verisimilitudinem non est, illos propter varietatem quandam terminorum factos esse differentes. Primo quis scit, an *Eutropius* allegans milliaria non cœperit illa numerare a Columna Milliaria, quæ erat in media Urbe *Roma*, & *Dionysius*, computans *Græco* more, stadia cœperit a portis Urbis? Quod tanto
C magis stringit, quod *Strabo*, qui loquitur de stadiis, fere semper *Dionysio* plus quam cæteri congruat. Sed inde non nisi parvi momenti differentia potest nasci, & in quovis numero milliariorum unius solummodo milliarii. Ego autem ex eo, quod cœperint milliaria numerari ab illa Columna, nihil dum concludo, requirens disputationem exactiorem. *Cluverius* inter *Dionysium* & *Eutropium* arguit varietatem in milliariis, quæ temporibus *Eutropii*, *Orosii*, *Appiani*, aliorumque illorum sæculorum minus antiquorum, aliquanto contractiora facta fuerint, quam præcedentibus temporibus. Cui opinioni, multam vim suppedi- 42
D tat, quod deprehendamus, *Eutropium* Campum *Hannibalis*, ad *Anienem* (*sù'l Teverone*) & postea *Fidenas* a *Roma* longius quam alios scriptores removere. Sed si tres illi scriptores leguntur cum diligentia, reperientur ut plurimum in numero milliariorum concordes cum antiquioribus. Variatio etiam, quæ in duobus *Eutropii* locis conspicitur circa distantiam *Fidenarum* a sex ad septem milliaria, quorum alter omnino corruptus est, valde suspectum eum facit vitii in *Vejis*; utique *Cluverius* sic statuit, idque affirmat libere; & certe parum verisimile est, *Eutropium* loqui de duabus istis Civitatibus, tanquam ejusdem fere a *Roma*
E distantiæ, & eodem tempore alteram altera duplo triplo longius inde removere. Sed correctiones textuum nunquam admittuntur sine duritie. Dici forsan posset, *Eutropium* vixisse temporibus inclinati jam Imperii *Romani*, quibus quum viæ publicæ desertæ essent propter earum incommoditatem, aliquibus in locis itinera longiora effecta fuerant, utpote aliorsum trajecta. Cujus rei conspiciuntur hodieque passim specimina palpabilia, in viis antiquis & hodiernis; atque ita apud *Eutropium* reperiri milliaria fere semper mutata. Sed, uti dicam id quod res est: Si hoc verum
F esset; quomodo Tabula *Peutingeriana*, quæ & ipsa temporum inclinati Imperii est, illa disponit exacte ad antiqua? Jam sufficit. Non egressi erimus, ut spero, investigationem *Vejorum*, quia *Dionysius* & *Eutropius* forsan inter se conveniant.

Interim in hisce dubiis, recta, & expedita via est, stare a pluribus; & quum ab utraque parte par numerus scriptorum occurrit, securius nihil est, quam inclinare ad illos, qui auctoritate præ- 43 valent, aut si forte par etiam fuerit auctoritas, eligere viam mediam, & si hanc Methodum hic se-

ſequimur, non poſſumus non ſtatuere *Vejos* pro
certo, ferme duodecim, aut quindecim milliaria a
Roma abfuiſſe; adeoque in via *Caſſia*, aut non ita
procul ab ea inter *Romam* & *Baccanum* quæri de-
bere.

Poſtremo, ne cavillationis ulla vel atomus ſu-
perſit, ſupponamus, ſcriptores non loqui de tali
diſtantia, aut fidem iis negemus, prout lubet; reli-
quum erit, ut videamus, an nulla ſcintilla lumi-
nis ex obſervationibus hiſtoricis erui poſſit.

Non referam in rationes, *Romulum* tranſiiſſe
Tiberim ab obſidendos *Vejos*, pugnantemque cum
Vejentibus, in fugam illos dediſſe, ac proſequu-
tum eſſe ad muros uſque, & tamen cætera bella
Romuli ſubſtitiſſe ad ſeptem milliaria a *Roma*. Nec
mihi opponatur *Cruſtumerium*, quæ urbs multis
creditur eſſe *Palombara*; nam, juxta *Dyonyſium*
lib. XI. & *Livium* lib. III. *Romæ* multo vicini-
or erat *Ereto*, *Fidenis* autem admodum vicina; &
Cluverio creditur fuiſſe ſita, ubi nunc eſt *il Mar-
ſigliano Vecchio*, quam inter & *Romam* ſpatium
eſt ſeptem milliariorum. Non refero, *Eutropium*
ponere circum *Romam*, quaſi pares *Vejos*, *Fide-
nas*, *Cruſtumerium*, *Antemnas* & *Cæninam*, ubi, poſt-
quam dixit: *Cæninenſes vicit*, puta *Romulus*, *An-
temnates*, *Cruſtuminios*, *Sabinos*, *Fidenates*, *Vejen-
tes*; ſubjungit: *Hæc omnia oppida Urbem cingunt.*
Sed conſidero, *Romanos*, in iſtis initiis ſolitos
fuiſſe facile & ſæpe ſubire muros *Vejorum*, &
rurſus *Vejentes* quavis levi excurſione ad *Romam*
uſque pervaſiſſe; quemadmodum pluribus locis
apud *Dionyſium* lib. IX. quæ producere ſuperſe-
deo prolixitatis vitandæ ergo, clare videre eſt;
44 id quod aliis populis pluſquam XII. milliaria diſtan-
tibus non ita contingebat, unde non fuit, ut alii
putant, ſimplex ratio dicendi, qua uſus eſt *Silius
Italicus* lib. VII.

Vejentum populi violata pace negabant
Acceptare jugum, ac vicino Marte furebat
Ad portas bellum ——

Sed dixit cum omni prudentia, ad commonſtran-
dam hinc depictam ad vivum vicinitatem; cujus
etiam exiſtimo magnum eſſe argumentum, quod
ille populus *Romæ* omnium *Hetruſcorum* proximus
dicatur ipſis verbis *Livii* lib. I. *Proximi Hetru-
ſcorum Vejentes*; & *Thuſciæ propugnaculum* encomio
Dionyſii lib. IX. Quod videtur a *Vellejo Paterculo*
confirmari, cum lib. I. dicit: *Romulum* ſine Avi
ſui auxiliis, *firmare Urbem novam, tam vicinis Ve-
jentibus, aliiſque Hetruſcis, & Sabinis, cum im-
belli & paſtorali manu vix potuiſſe.* Ubi magis vi-
cinitatis *Vejentium*, quam cæterorum *Hetruſcorum*
ac *Sabinorum* habetur ratio. Sed audio mihi re-
ſponderi: *Vicini* & *Propugnaculum* regionis, non
murorum. Imo vero (reſpondeo ego) murorum,
quia nomen *Propugnaculi* campis non convenit,
& vicinitas exaggerata a *Paterculo*, ad agrum ſo-
lummodo relata nullius ibi momenti foret, aut
conſequentiæ; quum non ſit inſolitum, civitatem
aliquam a parte quadam alterius agro vicinam eſſe.
Attamen verum ſit. Idem *Livius* eodem libro
dicit de *Vejentibus*. *Quod & ipſa propinquitas loci,
ſi Romana arma omnibus infeſta finitimis eſſent, ſti-
mulabat.* dicit: *loci*, non *agri*. Sed hic etiam di-
cetur forſan intelligi id de *Roma*, *Vejenti* agro vi-
cina, non urbi. Repono: ſi *Roma* agro vicina
erat, non poterat longe a muris *Vejorum* abeſſe,
quum ſita eſſet hæc urbs prope finem, qui erat *Cre-*
45 *mera*, ut oſtendi, & addo *Plutarchum* in *Camillo*
clamare, non populum vel agrum, ſed urbem
ipſam *fuiſſe Thuſciæ* Propugnaculum. *Nam hæc urbs
Thuſciæ Propugnaculum erat.* ipſius verba ſunt ex
verſione *Lapi*.

Sed *Dionyſius* lib. IX. ita loquitur, ut non opus

A ſit interprete; nec reſponſioni locum præbet, quum
dicit: *Hetruſcos* ab Obſidione *Romæ* caſtra moven-
tes illa nocte *Vejos* petiiſſe, civitatem *Hetruſca-
rum* cæterarum proximam; verba ejus hæc ſunt:
*At & manus Hetruſcorum, quæ Janiculum montem
occupaverat, quoniam domo nulla ſubmittebantur
auxilia, decrevit præſidio decedere: motiſque caſtris
nocte Vejos petiit, quæ Civitatum Hetruſcarum pro-
xima erat.* Hic non de agro ſed civitate ſermo
eſt, & præterquam quod inde demonſtretur talis
vicinitas, ut exercitus ab obſidione *Romæ* dece-
dens commode eo cum impedimentis veſpera per-
venire potuerit, clare oſtenditur vicinitas, altera
B cujuſvis *Hetruſcorum* civitatis major. Poſitis jam
calculis, Antiqua *Cære*, civitas & ipſa *Hetruriæ*
non amplius *Roma* aberat quam octodecim millia-
ria, aut novendecim, prout demonſtratur e ſitu
prope locum, qui hodie dicitur *Cerveteri*; ergo a
Roma ad *Vejos* debebat neceſſario vicinitas eſſe ſen-
ſibiliter ac notabiliter major.

Hoc argumento Defenſor feſtive ac nullo ne-
gotio ſe extricat. Mordicus retinet primam ſuam
hypotheſin, *Cære* non fuiſſe civitatem *Hetruriæ*,
ſicut nec *Nepete*, quo impetu dicit: *Vejos* urbem
fuiſſe proximam, *non abſolute, ſed reſpectu loco-
C rum Hetruriæ*. Deinde ad alium *Dionyſii* eodem
libro locum provocat: *Quos Romanorum equites ad
multum viæ proſequuti conficiebant.*

Sed de errore, in quo verſatur circa civitates 46
Hetruſcas, ſatis ſuperque locutus ſum. *Cærites* e-
rant Populi *Hetruriæ*, quin imo una ex duodecim
principibus. Quare civitas, quæ propior erat, quam
Cære, procul omni dubio *Veji* erant. Idque clarum
fit inde, quod eo exercitus a *Romæ* obſidione dece-
dens veſpera pervenerit. Et, quod equites *Roma-
ni Hetruſcos* terga vertentes *ad multum viæ* proſe-
quuti ſint, an ſignificat inſtantiam aut perſecu-
tionem hoſtium ad pluſquam duodecim milliaria?
D nonne poteſt equitum turma aliqua dici *ad mul-
tum viæ* hoſtem proſecuta, non ſolum ad duodecim,
ſed & ad decem & octo & ſex milliaria continua?
Sed tranſeamus ad reliquas hujus diſtantiæ conſi-
derationes.

Secundum *Livium* lib. v. quum Senatus coloni-
am vellet deducere in *Volſcos*, plebs tumultuata,
& queſta eſt: *Cur enim relegari plebem in Volſcos,
cum pulcherrima urbs Veji, agerque Vejentanus in
conſpectu ſit &c. Vejorum* reſpectu illa in *Volſcos* mi-
gratio ſpeciem præ ſe ferebat relegationis, vocabulo,
quo *Livius* ſolet uti de coloniis longinquis; ut lib.
IX. *Abhorrere a relegandis tam procul ab domo ci-
E vibus &c.* loquens de colonia deducenda in *Lu-
ceriam*; *Volſcorum* reſpectu urbs *Veji* vicina erat,
& *in conſpectu*. *Volſci*, quorum e præcipuis civi-
tatibus fuit *Velitrum*, a *Roma* non amplius VIII.
milliaria aberant. Quanto propior igitur debe-
bat eſſe urbs *Veji*? non minus obſervatu dignum
eſt, quod civitas & ager *Vejentanus* ibi dicatur *in
conſpectu Romæ* fuiſſe, & plus una vice. Sive id
fiat *Volſcorum* ſolummodo reſpectu ſive revera
urbs *Veji* aut ager *Vejentanus* e faſtigio quodam
conſpici potuerit.

Cluverius apud *Livium* eodem lib. v. perpendit
F infelix prœlium, commiſſum inter *Gallos* & *Ro-
manos*, prope *Alliam*; ubi dicit, hos medios inter
hoſtes & *Tiberim* factos, ſeſe in flumen projeciſſe,
& in alteram ripam quum natando evaſiſſent, non 47
ſolum non inſtituiſſe curſum ſuum verſus patri-
am, ſed *Vejos* ſe recepiſſe, ita ut nemo vel in
animum induxerit nuncium cladis eo aut ferre, aut
perferendum curare. *Maxima tamen pars Vejos pro-
fugit, unde non modo præſidii quicquam, ſed ne nun-
cius quidem cladis Romam eſt miſſus.* & *Veji* ta-
men urbs deſerta, & idcirco omnium rerum in-
ops erat; e contrario *Roma* mœnibus & natura loci

probe munita, & poterant hi una cum reliquis, qui reſtiterunt, & aliis, qui ab altera parte *Tiberis* erant, *Romam* profugiendo, ſperare ſeſe hanc urbem facilius defenſuros; hic erat Capitolium, arx habita inexpugnabilis; denique inſtinctus naturalis in hiſce metu perculſis hominibus impuliſſet cunctos, aut maximam ſaltem partem, ad procurandam uxoribus, natis, parentibus, penatibus, ſalutem, niſi ex aquis emergentibus (ut *Cluverius* colligit) animis iſtis, præ terrore ſtolidis factis, *Vejorum* urbs ſe obtuliſſet ſenſibiliter vicina. Flumen *Allia*, hodie *Rio di Moſſo*, prope *Monte Rotondo*, ponitur a Livio *in undecimo lapide*, ſed a Vibio Sequeſtro *in decimo quarto*, experientia autem monſtrat, illud circiter undecim aut duodecim milliaria hodierna remotum. Hinc lux exoritur ſatis clara, ad cognoſcendum, quam longe urbs *Veji* a *Roma* potuerit eſſe ſita, & ad inquirendum, qui ſitus ejus potuerit eſſe per illum tractum *Cis-Tiberinam*.

Retorquet Defenſor *Vejorum* hoc argumentum in proprium uſum, accipiens illud de admiratione, qua *Livius* illam hiſtoriam proſequitur. En ipſius verba: *Livius miratur*, inquit, *quomodo maxima pars profugorum Vejos ſe receperit, & Tiberim trajecerit, quum facilius Romam poſſent recurrere. &c. Hoc evidentiſſimum ſignum eſt, Vejos pari diſtantià ab Allia cum Roma fuiſſe, quum alias Li-*
48 *vius dixiſſet, vicinitatem in cauſa fuiſſe* &c. & paulo inferius: *Credendum eſt: Vejos æquali diſtantia, niſi velimus dicere majori, quam Romam, ab iſto flumine abfuiſſe*

Sed reſponſioni ſola verba *Livii* ſufficiunt. Non vicinitas *Romæ* magis quam *Vejorum*, aut æqualis utriuſque urbis diſtantia in ſtuporem egit *Livium*, ſed affectus naturalis, qui, non poſthabita qualicumque longinquitate, rapuerit illos *Romanos* ad defenſionem propriæ cujuſque familiæ. *Pavor, fugaque occupaverat animos; & tanta hominum oblivio, ut multo major pars Vejos, in hoſtium urbem, cum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugerent.* Conſiderationes *Livii* hic tres ſunt: *in hoſtium urbem*, quod *Romani* a triſtibus auguriis tam averſi, non abhorruerint a civitate victorum hoſtium. *Cum Tiberis arceret* &c. quod elegerint potius trajicere *Tiberim*, quam recta *Romam* pergere per viam *Fidenatem*. *Ad conjuges & liberos*, quod amor horum pignorum illos *Romam* verſus non traxerit magis, quam ullus alius affectus aliorſum. Nec *Livius* miratur, ſed argumentis probat, quantus fuerit in illis pavor, qui illos fecerit oblivifci conjugum & liberorum, ad recipiendum ſeſe in id refugium, quod proxime offerretur. [a] Ne ſomniavit quidem ille Hiſtoricus inferre, *Romanos* milites ab illa ripa *Tiberis*, in quam enataverant, depoſito omni naturali affectu, ad proximum refugii locum propelli debuiſſe, quod, ſicuti ex verbis non poteſt colligi, ob ſcriptoris gravitatem etiam non eſt admittendum. Nemo putet incognitam mihi eſſe curioſam illam quæſtionem Philoſophicam, an æqualitas diſtantiæ objectorum ſit cauſa efficiens indifferentiæ; adeo ut homo, aut beſtia collocata in æquali diſtantia a duobus cibis æqualibus, debeat neceſſario manere indifferens, ita ut neutrum tangat. Scio *Dantem* lib. quarto de *Para-*
49 *diſo*, venuſte hac de re canentem, illam libere ſolvere:

A *Intra dui cibi diſtanti, e moventi*
D' un modo, prima ſi morria di fame,
Che liber' huom l' un ſi recaſſe a i denti.
Sì ſi ſtarebbe un' agno intra due brame
Di fieri lupi egualmente temendo:
Sì ſi ſtarebbe un cane intra due dame.

h. e.

Duobus interpoſitus homo liber cibis
Æque paratis, ante moriturus fame eſt,
Quam dente quicquam pruriente læſerit.
Miraris! inter ſic duos agnus lupos
Æque rapaces ſtabit attonitus metu.
Timidaſque damas inter anxius canis.

B Sed quomodocunque ſe res habeat cum beſtiis, in quibus etiam indifferentia non poteſt naſci, niſi ab omnimoda objectorum æqualitate: quum experientia conſtet, beſtiam amittere nonnunquam eſcam, quam non ſolum in promptu ſed etiam ipſis dentibus jam teneat, ob aliam meliorem a ſe remotam; in hominibus, quod bona cum venia *Dantis* dixerim, voluntas gubernata, non ab æſtimationis, ſed libero intellectus diſcurſu, abrumpit omnem indifferentiam appetitus inferioris. ita ut ſublatis primis motibus, homo non poſſit manere indifferens; dummodo non laboret, aut magnis dubitationibus, aut inopia judicii. nec e-
C lectio poteſt naſci in diſparitate objectorum a vicinitate. Sed ad rem, milites illi *Romani*, qui *Vejos* ſe receperunt, etiam ſi beſtiæ fuiſſent, debuiſſent tamen currere ad defenſionem domorum, conjugum, liberorum per inſtinctum naturalem; quemadmodum animalibus etiam irrationalibus proprium eſt, quum *Vejis* nihil eſſet, quod æquali vi eos retrahere inde deberet. Nec ut *Livius* ſtupeat hanc illorum ſtoliditatem, *Vejos* reſpectu *Romæ* longius, aut in pari diſtantia ab ipſis abfuiſſe; quemadmodum ſi nec æquali diſtantia fuiſſet, tamen neceſſe erat, ut *Livius* miraretur, quod non reſtiterint ibi immoti, more incanta-
D torum, &, quemadmodum *Dantes* deſcribit, in- 50
ter duas epulas. Quod ſi major vicinitas *Vejorum* obtinet, ſtupendum eſt, quod *Romam* ire neglexerint; ſin æqualis prævalet, aut major diſtantia, & idcirco plus itineris & ulterior a domibus propriis diſceſſio; in miſeris iſtis profugis, defatigatis a prœlio, & natandi labore, vulneratis, madidis, & debilitatis plane videre eſt incredibile quid ac portentoſum.

Stupor *Livii*, a me prius non obſervatus, inde oritur, quod *Vejis Romam* nihil auxilii, & ne nuncium quidem cladis miſerint. *Unde non modo*
E *præſidii quicquam, ſed ne nuncius quidem cladis Romam eſt miſſus.* Ex quibus verbis novum fieri poteſt argumentum magiſque ſtringens pro parva diſtantia *Vejorum* a *Roma*. *Galli* erant ad flumen *Alliam*, & infeſto agmine *Romam* petebant. Milites *Romani* debebant adverſus *Gallos Romam* nuncium mittere & auxilium. Ergo milites *Romani* propius, aut non ita multo longius, aberant, quam flumen *Allia*. Minor propoſitio ſit: atqui hi milites *Vejis* erant. Ergo urbs *Veji* a *Roma* aut propius, aut non ita multo longius, aberat, quam flumen *Allia*. Valet concluſio. Redeamus nunc
F eo, unde digreſſi ſumus.

Non prætereundus eſt alius locus *Livii*, lib. v. abſque animadverſione, ubi dicit, de *Valerio* Conſule verba faciens: *cum exercitu Vejos miſſus caſtra Sabina, quæ pro mœnibus ſociorum locata erant,* con-

---

a Verba ipſa Auctoris ſunt: *Non ſi ſognò quell' Hiſtorico d' inferire, ch' i Soldati Romani da quella riva del Tevere, sù la quale diero in terra dal nuoto, deveſſero, depoſto ogni naturale affetto, eſſer tirati al ricovero dalla maggior vicinanza; il che, sì come dalle parole non può raccorſi, dalla gravità dello Scrittore non ſi perſuade.* Ad quæ verba in margine Defenſor ipſe: *Non sò*, inquit, *quelche ſi dica.* Et: *la vicinanza non fù mai nominata da Livio.* conf. quæ in Apologia ſua ſcribit, *pag.* 28. *Edit. vet.*

confestim aggreditur. *&c.* Illa castra ita locata *pro mœnibus sociorum* non poterant inde longo tractu abesse. Jam illud: *confestim aggreditur* definiatur e *Dionysio.* Ille fuse hanc expeditionem describens, narrat: *Valerium* circa solis occasum *Roma* egressum, trajecto *Tiberi*, inde non procul con-
51 stitisse. Deinde media nocte excitatum e somno exercitum in ordinem redegisse, &c, antequam illucesceret, superasse *Sabinos*; porro aggressum esse alterum exercitum *Vejentium*, eoque post longam pugnam etiam cæso, ad mœnia appropinquasse, & præsidiarios provocasse. Non apporto ipsum textum; quod valde longum foret. *Romanis* igitur, qui *Tiberi* vix vespere trajecto prope *Romam* constiterant, suffecit a media nocte in ordinem cogi, ad insiliendum & cædendum, ante diem exortum, duos exercitus, unum post alterum, qui erant prope muros *Vejorum*, moxque illos ipsos accedere. En aliquam mensuram distantiæ inter *Vejos* & *Romam.*

Aliam adhuc eamque ultimo loco in medium confero considerationem. Rumore exorto (refert *Liv.* lib. VIII.) *Gallos* in animo habere *Romam* iterum invadere, defensio Consuli *Mamerco* demandata fuit, qui absque mora lectis militibus gravem exercitum *Vejis* contraxit; ubi paratus esset in occursum ad illorum adventum. Valde prope *Romam* igitur *Veji* erant, unde Consul ad minimum strepitum eruptione facta, illis sese posset opponere, antequam *Romam* accederent, sive venissent per *Sabinam*, sive per *Latium*, prout suspicandum dabat eorum ab *Apulia* adventus. Sed quod magis stringit, *Livius* prævidens oppositionem aut difficultatem quandam, quam lector facile movere posset, quod Consul cum exercitu loco tam vicino excubaret; eam præoccupat, subjiciendo: *Longius discedi, ne alio itinere hostis falleret ad urbem incedens, non placuit.* *Mamercus*, trajecto *Tiberi*, *Vejis* exspectavit adventum *Gallorum* ab *Apulia Romam* tendentium, vel per *Sabinam*, vel per *Latium*; & *Livius* opus habet, excusare, quod non
52 longius discesserint. Quæ longinquitas igitur dici potest, quæ fuerit a *Roma* ad *Vejos?*

Negat Defensor, *Gallos* ab illa parte *Romanis* metuendos fuisse, aut exspectari potuisse, & ridet, me id excogitasse, & super eo in eam me mentem explicare. *Nescio quomodo Nardinus hic intelligat Gallos e Campania exspectatos fuisse, quum Livius hac de re nihil dicat, nec, nisi per contorsionem, id ex verbis ipsius conjici queat* & paulo inferius: *a quo* longius discedi *Nardinus mihi data opera longius discedere videtur, de vicinitate id interpretatus; cujus ego plane contrarium existimo, debere nimirum inde potius longinquitatem erui. &c.* & postea: *Quis non fatetur;* τῷ longius *clare includi aliquod tacitum* longe?

[a] Itane vero? hoc dicit? Vide, quam non inspexerit historiam, antequam calamum hic arriperet? Quonam *Galli* profecti sunt, postquam *Roma* abierunt. Unde redierunt sæpius? Mecum eat, neque contentus legisse solum pauca illa textuum verba, quæ citantur, *longius discedat*, & campos Historiæ peragrando, [b] in rem præsentem veniat. Veniat & inspiciat *Livium* lib. V. quum *Galli Roma* expulsi sunt a *Camillo.* Subjungit scriptor: *Justiore altero deinde prœlio ad Octavum lapidem Gabina via, quo se ex fuga contulerant, ejusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur.* Ita ut recesserint versus *Latium Gabina via.* Sexdecim annis post redierunt, & prœlio cum *Romanis* dimicarunt in agro *Albano. Liv.* lib. VI. *Hoc autem anno in Albano agro cum Gallis Dictatore M. Furio signa collata. Nec dubia, nec difficilis Romanis, quamquam ingentem Galli terrorem memoria pristinæ cladis attulerat, victoria fuit. Multa millia barbarorum in acie, multa captis castris cæsa. Palati alii, Apuliam maxime petentes, cum fuga se longinqua, tum quod passim eos pavor, terrorque distulerant, ab hoste sese tutati sunt.* Anno sequenti 53
fama fuit, illos redire. *Liv.* lib. VI. princ. *Principio anni, & de Gallis, quos primo palatos per Apuliam congregari jam fama erat, &c, agitata mentio.* Quinque annis post *Liv.* lib. VII. scribit: *Galli ad tertium lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere, &c.* Unde post pugnam *Torquati* in *Campaniam* profecti sunt. *Et hercule tanti ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Gallorum exercitus proxima nocte relictis trepide castris in Tiburtem agrum, atque inde societate belli facta, commeatuque benigne a Tiburtibus adjutus mox in Campaniam transierit.* Anno sequenti *Livius* eodem lib. *Gallicus tumultus Dictatorem creari coëgit, &c.* ubi narrato prœlio, quod insecutum est prope *Romam* ad portam *Collinam*, concludit: *Avertitur tandem acies Gallorum. fugati Tibur (sicut arcem belli Gallici) petunt, palati, a Cos. Petilio, haud procul Tibure excepti, egressis ad opem ferendam Tiburtibus, simul cum his intra portas compelluntur.* Duobus annis post: *Galli quoque belli fama increscebat, &c. levius fuit, quod Gallos mox Præneste venisse, atque inde circa Padum consedisse auditum est, &c.* & rumor ille verus erat. Unde post cruentam pugnam, quam volens prætereo, ne tædiose hoc volumen excrescat, fugati sunt. Octo annis elapsis (*Liv.* lib. VII.) *cum ingentem Gallorum exercitum in agro Latino castra posuisse nunciatum esset, Scipione gravi morbo implicito, Gallicum bellum Popilio extra ordinem datum, &c.* Strenue pugnatum est, & postremo *Galli fusi per campos & præter castra etiam sua fuga prælati, quod editissimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt.* Anno sequente: *Galli ex Albanis montibus, quia hyemis vim pati nequiverant, per* 54
campos maritimaque loca vagi populabantur. Sed ab improviso oppugnati & superati; *primo per Volscos, Falernumque agrum dissipati sunt; inde Apuliam & Mare Inferum petiverunt.* Sedecim annis post (Liv. lib. VIII.) *Fama Gallici belli pro tumultu valuit, &c. exploratores missi attulerunt quieta omnia apud Gallos esse.* Postremo tribus annis post, *Tumultus Gallici fama atrox invasit, haud fere unquam neglecta patribus;* & tunc *Mamercus* exercitum *Vejis* contraxit. Ubi igitur nidificabant *Galli?* unde poterat metui adventus eorum? Quisquamne novit, alios *Gallos* eo tempore in *Italia* fuisse? verba: *haud unquam fere* &c. nonne declarant de quibus *Gallis* sermo sit? poteratne metus esse, novum aliquem exercitum venisse non animadversum per aëra, ut apum examina? Illud tacitum ejus *longe* in quantum hic igitur intelligi poterat? de plusquam duodecim milliariis? si hæ sint contorsiones, quis sensus ipsius captui planus ac facilis erit?

CAPUT IV.

De Distantia Vejorum a Tiberi.

TAm exiguum putat *Blondus Flavius* spatium fuisse inter *Tiberim* & *Vejos*, ut credat *Civitatem Castellanam Vejos* esse non posse, quod nimis longe inde distet, & tamen illa Civitas inde non amplius duobus milliariis abest. Sed quibus inductus fuerit rationibus, non dicit, nec ego excogitare possum.

Videtur hoc persuaderi facto illo *Pontii Cominii*

a *Credo, che qui babbia ragione.* Mazz. ad marg. conf. Apolog. ejus.
b *S' impossessi delle cose.*

nii, militis *Romani*, qui quum *Capitolium* obsessum esset a *Gallis*, juxta id, quod refert *Livius* lib. v. *Vejis operam pollicitus, incubans cortici, secundo Ti-*
55 *beri ad Urbem defertur, inde qua proximum fuit a ripa per præruptum, eoque neglectum hostium custodiæ saxum, in Capitolium evadit.* Hæc narratio fecit, ut *Micus* etiam crederet *Vejos Tiberi* vicinos fuisse, & *Mici* jam sectator est Defensor *Pseudo-Vejorum.*

Sed ob securitatem ab hostibus, non compendii viæ causa, sic navigavit ille *Cominius*; & potuit via terrestri a *Vejis* ad *Tiberim* proficisci, etiamsi non duo tantum milliaria, sed & quatuor & sex a se invicem absuissent. Nec totum iter absolvit illo cortice; sed tantum ut eo ferretur prope *Romam*, quantum sibi sufficeret, ad Urbem clam hostibus ingrediendam. *Plutarchus* rem totam clare exponit in libello *de Fortuna Romanorum*, cujus verba ex versione *Budæi* hæc sunt: *Eunti fallendum per medios hostes erat, cum excubiis valloque circumdata arx undique esset. Is ut ad amnem pervenit suberibusque latis incubans, corpus vectabuli lænitati credens, secundo se flumini permisit; a quo clementer placideque devectus alteram ad ripam nullo negotio pervenit. unde digressus per hostium rarissima vadebat, &c.* & clarius adhuc in *Camillo*: *Qui vili veste indutus, & suberim ferens aliam viam intrepide peregit. Cum vero jam vesperi ad Urbem appropinquaret, & per pontem a Barbaris servatum iter negaretur, capiti vestem involvens, quæ brevis levisque erat subere per aquas nando delatus flumen transivit, & ad Urbem ascendit.* Nec minus clare *Diodorus Siculus* lib. xiv. *Hic igitur solus profectus trajecto tempore nocturno flumine præruptam quandam Capitolii rupem clam accessit, &c. quà ascenderat rursus descendit, & trajecto rursus Tiberi ad Vejos rediit.* Et sane multo difficilius ac periculosius quam utilius fuisset iter sic institutum per longum aliquem tractum. Non jam dico, *Pontium*, ab
56 una ad alteram ripam cursum fluminis recta natando interscidisse. Sed verisimile est, eum, dum secundo fluminis cursu ferretur, paulatim iter suum direxisse versus alteram partem. Sic *Livius* id explicare videtur: dicens: *Secundo Tiberi ad Urbem fertur*, & *Plutarchus*: *secundo flumini se permisit.*

Scio, ex clade *Alliensi*, & quod *Mamercus Gallorum* adventum *Vejis* exspectaverit, & observaverit, argumentari debere pro distantia non magna inter *Vejos* & *Tiberim*. Non neglexissent *Romani* milites in prœlio *Alliensi* urbem patriam petere, nisi illis, postquam in alteram jam ripam enatassent, inter vulnera, defatigationem & vestimenta madida, vicinitas *Vejorum*, suggerens eorum animis spem facilis ac promptæ recreationis, arrisisset. Nec debuisset *Mamercus* alibi excubare, quam prope *Tiberim*, ut illum subito trajicere posset, si *Galli*, ut tum sæpe alias, venissent e *Sabinis* via *Tiburtina*; aut e *Latio*, via *Prænestina*.

Non tamen video necessitatem credendi tam prope flumen sitam fuisse, ut non potuerit adhuc tria, quatuor, & sex, & forsan plura milliaria inde abfuisse, quoniam juxta *Peutingerianam* sita erat, non in via *Flaminia* sed *Cassia*, non admodum vicina *Tiberi* in illa a *Roma* distantia.

CAPUT V.

De Positura & Magnitudine Vejorum.

Describitur urbs *Veji*, apud *Dionysium* libro secundo, ut Civitas potentissima *Thusciæ*, non
minor *Athenis*, condita in alto & undique præ- 57
rupto scopulo; quorum sensus apertus est, præcipitium totam urbem circumdedisse. sic loquitur ex versione Latina *Frederici Sylburgii*; *Fundata in excelso scopulo, atque undique prærupto.* Et id importat Græca vox [a] περιῤῥώγος, quæ nihil aliud sonat, quam *Circumscissus.* Quare, si huic descriptioni præcise insistendum est, difficulter *Veji* reperientur; quoniam scopulum celsum ab omni parte abruptum & capacem, ubi inter *Romam* & *Ciminum* ostendi possit, nescio. Necesse igitur est, aliquanto plus lucis aliunde petere. Ac nisi temporis injuriæ nobis ademissent cæteros libros istius tam accurati Historici, legeremus in longa *Vejorum* obsidione, quasvis illius urbis minutias quasi depictas. sed quoniam iis caremus; opus est ut ad *Livium* recurramus; quamvis strictim agat.

Livius a muris eam ac situ commendat: lib. i. *Urbe valida, muris ac situ ipso munita.* & lib. v. *Egregiis muris, situque naturali urbem tutantes.* Quæ verba murorum magis, quam situs munimentum videntur innuere, aut saltem intelligendum præbent, urbem *Vejos* munitam fuisse partim præcipitiis, partim muris, aliter ac *Dionysius* dixit, omniaque loca antiqua hujus partis *Thusciæ* conspiciuntur munita. Nam si undique illam præcelsæ rupes seu præcipitia cinxissent, cui bono inserviissent murorum in illa altitudine munimenta? Istis temporibus, quibus in *Italia* nondum erant balistæ, nec catapultæ; neque adeo sclopeta, aut tormenta bellica, ut hodie, ac miles pila, veruta, hastilia bicubitalia & tricubitalia, absque ullo fructu in muros etiam debiles vibrabat, nullius profecto usus munimenta erant, ubi arietibus non poterant impugnari. Nec credendum est, tantam eo sæculo,
eamque superfluam ac vanam copiam munimen- 58
torum extitisse; & si vel maxime exstiterit; hoc certe loco murorum istorum bonitas Historico gravi ac succincto non adeo erat notatu digna, ut præter descriptionem situs, ei opus esset dicere: *urbe valida muris*, & *egregiis muris Urbem tutantes*; ipsius præsertim situs mentione post posita. *Livio* accedit *Plutarchus*, qui in *Camillo* murorum magis quam situs rationem habet, dicens: *Altis muris longisque ac duris Oppidani urbem cingentes & multa armorum, ac frumenti, telorumque vi, ac universi denique apparatus complentes, intrepido animo longam ferebant obsidionem.*

Muri tam alti & bene muniti debebant stare in plano, aut valde parum elevato loco; quoniam *Camillus* in illa obsidione urbem per longum tractum circumdedit aggeribus, fossis, turribus, [b] vallis, & castellis. *Vallum, fossamque, ingentis utramque rem operis per tantum spatium duxerunt; castella primo pauca, postea exercitu aucto creberrima fecerunt.* adeo ut obsessos magis intra muros clauderet, quam in rupibus. *Operibus ingentibus septa Urbs est, quibus intra muros coërcetur hostis.* quæ opera sub rupibus præcelsis in vanum exstructa fuissent, & imprimis turres, quæ ligneæ erant & muris admoveri solebant, ut inde arietes in illos

a Sic Auctor *Dionysii* vocem Græcam scribit non hoc tantum loco, sed & pag. 64. & 192. & hac quidem forma: περηῤῥώγος. Sed *Dionysii* textus habet Libro *Antiq. Roman.* II. pag. 116 vocem περιῤῥῶγος, a casu recto περιῤῥὼξ, quali compositione etiam voces: ἀπῤῥὼξ, διαῤῥὼξ, similesque gaudent, & in casu genitivo ἀπῤῥῶγος, διαῤῥῶγος &c.

b *Vallis, & Castellis, trincere, e baracche.*

los impellerent, & e superioribus tabulatis, obsessos armis vibratilibus peterent. Præterea testudines factæ, & vineæ ad evertendos muros, comparatæ sunt, fuitque Aries ex præcipuis tormentis bellicis, quibus illi muri oppugnati sunt. *Quid turres, quid vineas testudinesque, ac talium oppugnandarum Urbium apparatum loquar?* dicit *Liv.* lib. v.

Dumque Aries muros cornu pulsabat aheno,
Vineaque inductum longa tegebat opus.

59 dicit *Propertius* lib. IV. de illa obsidione loquens; quæ omnia sub saxis & rupibus a scopo prorsus aliena fuissent.

Respondet patronus *Vejorum* non verorum: [a] *Quia male admota fuerunt, & a Vejentibus sæpius incensa ac labefactata, post exactos novem annos Romani videntes parum aut nihil se proficere (& ut dixit ipse Nardinus, ne Arietem quidem in rupes adactum quicquam præstare) tandem statuerunt. ab aliis operibus opem petere, seu alia adhibere opera.*

Sed meum fundamentum est, quod boni illi *Romani*, artificiosi expugnatores munimentorum, non posuerint Arietem, ubi evidens erat, illum nihil effecturum. Parum profecto ingeniosos aut exercitatos illos existimat, si credit, illos per tantum temporis spatium in vanum pulsasse pedes saxorum, quæ tam celsa ac solida erant, nec unquam, nisi post novem annos, sensisse se incassum laborare, & cœpisse de operis fructu & successu desperare. Prosequamur idcirco sermonem jam inchoatum.

Prope muros *Vejorum*, id est, ubi non rupes sed muri erant, debuit esse amplum spatium fere planum; si non prorsus planum; adeo, ut inter illud & castra *Romana* relicta fuerit satis magna distantia, per quam milites procursare possent. *Liv.* eodem lib. *A procursationibus, quæ inter murum ac vallum fiebant, edicto, ne quis injussu pugnaret, &c.* & per eandem illam planitiem turres & vineæ egregie muris adigebantur. Quippe *cum agger promotus ad Urbem, vineæque tantum non jam injunctæ mœnibus essent, dum opera fiunt intentius, quam nocte custodiuntur, patefacta repente porta ingens multitudo facibus maxime armata ignes injecit.* Ubi valde notabile est vineas tantum non jam injunctas fuisse mœnibus.

60 Nec parum virium accipiunt hac argumenta ex narratione *Livii* lib. I. de *Romulo*, *Vejentes* persequente usque ad muros suos. *Persecutusque fusos ad mœnia hostes.* & lib. v. de *Sabinis* cum *Vejentibus* castra ad muros *Vejorum* habentibus: *Castra Sabina, quæ pro mœnibus sociorum locata erant &c.* ubi magis respiciuntur muri, quam rupes. Sed id genus minutiæ in rationes non referantur.

Facit omnis hactenus habitus sermo, ad demonstrandum, vocem Dionysii, *circumscissus*, non carere hyperbole, nec intelligendam, omni suo rigore de saxo (ut ab Interprete Latino redditur) *undique prærupto*, in quem sensum non alius situs quadrat, quam qualis est *Orvieti*, a *Roma* circiter LX. milliaria distantis; sed *Dionysium* intelligi debere cum illo grano salis, quod verbis scriptorum verum reddere saporem possit. Credamus præcipitium cinxisse *Vejos* cum in modum, ut urbem fere circumdedisse dici potuerit, & ab aliqua parte planitiem ei conjunctam & munimenta murorum, ubi arietibus & vineis ageretur, fuisse angusta & insensibilia respectu corporis totius urbis, vel certe ab alia situs proprietate, hodie non imaginabili, saxum induisse speciem præcipitii. Et quoniam præter formam scopuli apud *Dionysium* etiam altitudinis mentio fit; sequitur etiam hoc intelligendum esse in excessu, ita ut cogat nos *Vejos Radicofanum* usque transportare, sed per idem granum salis explicandum est de altitudine notabili, & muniendo loco eique tutando sufficienti. Et in præsentia hæc situs descriptio, quasi e longinquo facta, sufficiat.

Quod ad magnitudinem. Ambitu amplissimo urbs *Veji* fuisse debet. *Liv.* lib. v. dicit: *Pulcherrima Urbs Veji.* laudat illam ut *Opulentissimam* 61 *Hetrusci nominis.* Magnificentiam ædificiorum ejus extollit: *Magnificentiam*, inquam, *publicorum privatorumque tectorum, ac locorum*: [b] nec abs re verbis amplificativis, in persona *Appii*, ab ambitu suo, ut ingens depingit opus castrorum *Romanorum*: *Vallum, fossamque ingentis utramque rem operis per tantum spatium duxerunt.* *Plutarchus* Latinitate donatus a *Lapo*, permagnam illam urbem fuisse clamat: *Primi Hetruscorum Veji, qui amplam regionem habebant, permagnamque incolebant urbem.* & in *Camillo* celebrat a pulchritudine: *Urbem omnibus rebus ornatam.* Denique magna illa præda, quæ a *Romanis*, ad direptionem illam evocatis, plebi reportata fuit, major quam tam longo spatio trecentorum quinquaginta annorum reportaverant a cæteris omnibus locis, clare ostendit: illam vastam Urbem fuisse; quæ *Magnitudinem suam vel hac ultima clade indicaverit*, ut *Livius* loquitur.

Nec respondendum est cum *Mico*, magnam dici a scriptoribus comparate ad alias ejus temporis urbes, quæ erant parvæ; nam si *Roma*, quamvis exiguum coleret agrum, tamen istis temporibus tanta erat, ut occuparet septem colles & pro octavo, *Janiculum*, numquid cæteris Urbibus saltem Principibus,[c] caput suum efferre negatum erat; & hæc, quæ a magnitudine præ reliquis omnibus celebratur, [d] ad instar siliquæ abjicienda est?

Ab eodem *Livio* non solum æquiparatur Urbs *Veji Romæ*, sed ut major etiam videtur describi. *Cum pulcherrima urbs Veji, agerque Vejentanus in conspectu sit, uberior ampliorque Romano agro. Urbem quoque Urbi Romæ, vel situ, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum, præponebant.* Quam prælationem situs, credibile est non solum propter munitionem, sed etiam propter amplitudinem, intellectam esse, eodem sensu, quo antea ager descriptus est.

Plutarchus etiam ipse, in *Camillo*, illam militibus, 62 & per consequentiam hominum in universum frequentia *Romæ* æqualem facit. *Armis, militibusque æque, ac Roma, potens.* Quæ æqualitas in universali magnificentia ædificiorum ambitum multo majorem infert. Et inferius, ubi narrat plebem in animo habuisse bipartito habitare una parte populi & senatus *Vejos*, altera *Romam*, supponit illam cum *Roma* fuisse unam ex amplissimis illorum temporum urbibus; imo clare dicit: *Tanquam opulentiores futuri essent & ex duabus magnis, pulcrisque urbibus, altera ditata, una Regionem custodirent.*

Atqui *Roma*, ut eruitur ex numero hominum circa id tempus lustris inito & collecto, minimum tum erat Urbs ducentorum millium hominum, ubique pauperi fere habitabatur tecto. Quantus

---

a *Questo e' chiaro.* Plin. lib. v. *che, doppo l'arrivo di Camillo*, miles ad opus traductus; cuniculus in arcem hostium agi cœptus. *Mazz. ad marg.*

b *Seu potius:* nec præter necessitatem; nec sine emphasi. Ital. *ne senza mistero.*

c *Caput suum efferre*, reddidi, quod *Italis*, & hoc loco Auctori est: *Mondar nespole.*

d *Ad instar siliquæ: eguale ad un guscio d' vovo*, q. d. cum ovi putamine comparanda.

tus debuit igitur fuisse ambitus *Vejorum*, si hæc urbs parem hominum copiam continuerit, habitataque fuerit cum magnificentia & luxu ædificiorum tam publicorum quam privatorum. Consequentia per se patet.

Accedat, quod post direptam ac incensam a *Gallis* Romam, plebs, in reædificanda urbe tarda, voluerit *Romam relinquere*, & *Vejos* migrare, & *Camillus* potentissima sua dissuasoria, quæ apud *Livium* extat lib. supra citato, non ullam rationem intactam reliquerit, præter angustiam situs. Certum est igitur, *Vejos* capaces fuisse totius hujus populi.

Apud *Dionysium* denique reperire est certiorem adhuc hujus rei notitiam. Urbs *Veji* ab eo, loco supra citato libri secundi, qui ejus descriptionem continet, dicitur *non minor Athenis*, adeo ut reperta *Athenarum* magnitudine, etiam *Vejorum* in comperto sit. Ille ipse lib. IX. comparat cir-
63 cuitum *Athenarum* cum circuitu *Romæ*, & lib. IV. declarat pariter ambitum murorum *Romæ* æqualem, aut non multo majorem ambitu *Athenarum*. Æquali igitur magnitudine, aut paulo minori, quam *Roma*, erant *Athenæ* & *Veji*.

In tali comparatione non acquiescit *Cluverius*, qui cum *Glareano* judicat inconveniens esse, ubi agatur de *Vejis*, mentionem fieri *Athenarum*, urbis *Græciæ*, quam longissime remotæ; ideoque locum illum corruptum esse putat, qui non *Athenas* sed *Fidenas* revera velit dicere; quoniam de *Fidenis Dionysius* non multo ante mentionem fecit. Sed non sentit *Cluverius* in majores sese inconvenientias impingere. Quem in finem potuit *Dionysius* hic instituere comparationem *Fidenarum* & *Vejorum*, si in quantum ibi legitur, non poterat ex illa æqualitate nasci, aliquid concludi? an magnitudo *Fidenarum* magnitudine *Vejorum* notior erat? illamve antea commonstraverat? *Dionysius Græcis* scribit & in *Græcia*; & propterea fusius agit in exponendis moribus, ritibus aliisque rebus *Romanorum*, quam scriptores *Latini*. Et qua comparatione magis nota quam *Athenarum* illa, poterat *Græcis* ob oculos ponere magnitudinem *Vejorum*? Et si *Cluverius* incongruum existimat credere, *Dionysium Athenis* comparasse *Vejos*, quomodo consentaneum potest existimare, eundem illum iisdem *Athenis* semel & iterum *Romam* comparasse? an & illa duo loca pro corruptis habenda sunt? si hic corruptus est, & illa corrupta sint necesse est. itidemque ibi legendum *Fidenæ*, non *Athenæ*, & omnino, si *Roma* cum *Fidenis* æquali erat magnitudine, inde resultat, etiam *Vejos* cum *Roma* fuisse. Dicit *Cluverius*, saxum præcelsum & abruptum, ut erant *Veji*, non potuisse reperiri uspiam ad magnitudinem
64 Urbis *Romæ*, quæ, ex sua opinione, ambitum viginti trium milliariorum effecerit, & nugarum titulo cogitationes eo tendentes prosequitur. Ego vero prout jam disserui, etiamsi *Dionysius* fundatam urbem *Vejos* ἐφ' ὑψηλȣ̃ σκοπέλȣ καὶ περιῤῥώγος dicat, id est *celso & circumscisso*, non tamen intelligo scopulum ab omni parte abruptum, nec altitudinem Turri *Nimrodi* æqualem; Et propterea scopulus a tribus lateribus in præcipitium abruptus, tam altus, ut loco securitatem præstiterit, & amplitudine *Athenis* par, non ita mihi absurdum quid esse videtur, quin reperiatur, illumque prope finem conspecturi sumus. Neque concedit eorum, quos insuper citavi, *Livii* nempe & *Plutarchi* auctoritas, has esse nugas. Qui de *Vejis* loquuntur, tanquam una ex amplissimis eorum temporum, quæque *Romæ* æqualis fuerit.

Non debet videri absurdum, tantam Urbem a solis trecentis *Fabiis* coercitam, repressamque

A fuisse; nam præterquam quod *Fabii* clientes suos comites haberunt, virtus eorum opposita *Vejentum* mollitiis, & voluptatibus, luxu & deliciis contractis, ne mirari id quidem permittit. Imo *Hetrusci* omnes quam effœminate vixerint, videre licet apud *Athenæum* lib. XII. & intellectu facile est, cujus indolis pectora gesserint. Pace igitur *Cluverii* legatur ille textus, ut exstat, nec deformetur crisi; & inquiramus magnitudinem *Romæ*, ut & *Athenarum* illam ac *Vejorum* una reperiamus.

Romæ ambitus non mansit semper ejusdem magnitudinis. Angusta a *Romulo* condita, crevit sub
B Regibus suis usque ad *Servium Tullium*; deinde Mœnia ejus, juxta *Vopiscum*, *Eutropium & Sextum Aurelium Victorem* ab *Aureliano* dilatata sunt, in tantam vastitatem, ut *Vopiscus* affirmet, ea ferme quinquaginta milliariorum fuisse. Ab invasionibus *Gothorum* reædificata sæpius sunt. Quapropter a 65
præsenti ejus magnitudine non potest argumentum sumi, nec pro *Vejorum*, nec pro *Romæ* antiquo ambitu.

Sed ut reperiamus, quomodo se habuerit tempore *Dionysii*: Primo sub *Servio Tullio Roma* complectebatur muris suis omnes septem colles & *Janiculum Trans-Tiberinum*; idque verissimum habe-
C tur apud omnes Historicos. Ab eo tempore usque ad *Cæsares*, an *Roma* ambitu creverit? Si quæras: *Dionysius* lib. IV. negat. Alii volunt temporibus Reip. dilatatam ultra *Capitolium* versus *Romam* planam & hodiernam. Sed contrarium, non nisi fuse, atque adeo digressione a nostro instituto aliena ostendi potest. Ut ut sese res habet: a *Dionysii* tempore ad *Plinium* certum est, mœnia mutata non fuisse unquam, etiamsi pomœrium a *Claudio* prolatum fuerit. & tempore *Plinii* mensurata a *Vespasiano*, comperta est ambitu suo efficere spatium tredecim milliariorum & ducentorum passuum. Sic testatur *Plinius* lib. III. cap.
D V. *Mœnia ejus collegere ambitu*, *Imperatoribus Censoribusque Vespasianis anno Conditæ DCCCXXVIII. Pass. XIII. M. CC. complexa montes septem.* &c. Putat *Justus Lipsius* & cum eo *Cluverius*, *Plinium* ibi corruptum esse & velle dicere XXIII. millia, existimantes tantam *Romæ* amplitudinem fuisse; & se multo cum labore extendunt ad illud probandum; ad quorum argumenta respondere supersedeo; quum longum tempus, & aliam commodiorem occasionem id requirat. Forsan in posterum (quia prodeundo hac prima vice in scenam Typographiæ, jam omnem a genis ruborem
E depono) me ejus rei pruritus ab integro incesserit. In tantum etiam omisso & *Plinio* & *Lipsio*, de magnitudine judicium fieri potest ex amplitudine, quam ambitus collium ejus monstrat.

Novus *Vejorum* Defensor, etiamsi in meis re- 66
sponsionibus, quas *Mico* feci, rationes meas viderit, quum reperisset, *Urbes olim satis exiguas* & *Romam* aliquando *præter modum parvam fuisse*, *non nisi quatuor portas habentem*, gaudet illud docere, dicens: *Sciendum est &c.* & ut me ipsum meis verbis convincat, subjicit: *Et quamvis Roma*, *tempore Camilli supra centum millia Civium mox creverit*, *eodem Dionysio* lib. IX. *teste*, *tamen per*
F *idem tempus non multum ultra Capitolium inhabitabatur ex consensu ipsius etiam Nardini*.

An contenti erimus hac institutione. *Roma* habuit quatuor portas tempore *Romuli*, & hic agitur de tempore *Dionysii*, id est *Augusti*; quo Defensor ipse admodum extollit augmentum ædificiorum, *splendore*, *pulchritudine*, *antiqua longo post se intervallo relinquentium*, & adducit: *ipsum Augustum jure merito gloriatum esse apud Suetonium*, *Marmoream se relinquere*, *quam Lateritiam accepisset.* Tunc, quum staret in fastigio magnitudinis, *Dio-*

Dionysius Athenis illam æquiparavit (sed absque suburbiis) & sic etiam *Vejis*. Nam si vellet hoc intelligi de tempore *Vejorum* & *Camilli*, ut innuere videtur, ambigue loqueretur. Sed esto. Eo tempore non debet cogitare, *Romam* omnem *Palatino* restrictam fuisse, & quatuor tantum portas habuisse, ut juxta testimonium *Plinii*, a *Romulo* relicta fuisset; sed observare, quantum ei adjunxerit *Tullus Hostilius*, quantum *Ancus Martius*, quantum denique *Servius Tullius*. Reperiet, muros ejus, quamvis *Capitolium* non excederent, [a] quo dicto non invitus illaqueor, circumdedisse ab uno latere *Tiberis* alios sex montes; ab altero autem
67 *Trans-Tiberinam* partem complevisse spatium Urbis alicujus modicæ. Nec dicit *Dionysius* tunc temporis centum millia mortalium tantum continuisse, sed centum millia hominum ad militandum idoneorum. Examinandis & impugnandis alicujus dictis requiritur multo plus lucis ac studii, quam vulgo quidem creditur. Nec absque duabus faculis, quæ sunt Chronologia & Geographia, in investigandis antiquitatibus inter incertitudinum horrores fieri non potest, ut secure atque inoffense pergas.

Sed tempus est huic disquisitioni, finem imponendi. Ambitus murorum *Athenarum* minor erat quam *Romæ*; & si hic conveniret fusius agere, ostenderem, illos novem circiter milliariorum antiquorum ambitu fuisse, & fortasse minus etiam; nec muros *Romæ* multo ampliores fuisse; & quoniam in comparatione *Athenarum* & *Vejorum* non opus est credere, *Dionysium* tam exactum esse, ut illam ad amussim divinaverit; urbs *Veji* major quinque milliariis potuit fuisse, sed non minor.

CAPUT VI.

De Saxis Rubris, de Castello Fabiorum, & de colle, in quo occubuerunt.

Ob certiorem urbis, agri, & finium notitiam, restat, ut post *Vejos* investigemus res istius Regionis memorabiles; quas inter sunt *Saxa Rubra*, quorum mentio apud scriptores frequens est, Castellum a *Fabiis* exstructum ad flumen *Cremeram* in finibus, & infaustus ille collis, in quem iidem se receperunt, & fortiter pugnando occubuerunt.

De *Saxis Rubris* mentionem primam facit *Livius* lib. II. narrans, *Hetruscos*, contracto valido exercitu, ad expugnandum præsidium, quod agitabant trecenti *Fabii* ad *Cremeram*, die quadam
68 prœlium cum iis commisisse; sed brevi *retro fusi* (inquit) *ad Saxa Rubra, (ibi castra habebant) pacem supplices petunt*. Hinc potest concludi, *Hetruscos*, qui agressi fuerunt præsidium in Agro *Romano* ad illud expugnandum, habentes ad *Saxa Rubra* sua castra, omnino ea habuisse in *Vejente*. Et quod in illo prœlio retro fusi sint ad illa *Saxa*, evidentissime probat, non inter *Romam* & *Cremeram* in agro *Romano*, sed in *Vejente* fuisse illa *Saxa*, *Cremera* & *Castello* longius a *Roma* distantia.

Fatetur hoc loco Defensor *Vejorum* in responsione, *Saxa Rubra hodieque esse a parte Vejorum, iisque vicina*; sed ne locus, quem ille vult esse *Saxa Rubra*, iis repugnet, fingit: *ea* sita fuisse *ad latus & in flexura non ita procul ab isto flumine, sed non idcirco prorsus trans Cremeram; Id quod* (subjungit de Me loquens) *sicuti nullus auctor dicit, ita nec ille sufficienter probat. &c.*

Sed si *Cremera* erat terminus dividens duos agros, *Romanum* ac *Vejentem*; & ille ipse fatetur, *Saxa Rubra* in *Vejente* fuisse, nonne plus satis a me probatum est, illa ultra *Cremeram* fuisse? quanquam postea parte ultima affirmat libere, se non aliter revera sentire, quum lassus a defendendo [b] animi causa, (ut loquitur) mutatur in Adversarium, & Argumenti loco hoc a me sumptum profert.

Distantia *Saxorum Rubrorum* a *Cremera* non potest censeri multorum fuisse milliariorum; nam si in animo habebant *Hetrusci* illud Castellum evertere, non procul inde debent castra habuisse; & præterea, quum istud prœlium non procul inde, ut verisimile fit, acciderit, si *Saxa Rubra* inde longe remota fuissent, non potuissent *Hetrusci* eo repelli. Hæc omnia igitur de *Saxis Rubris* notari 69
apud *Livium* possunt.

Quæ porro istorum a *Roma* distantia fuerit, hinc facile concluditur. Fines *Romani* ab Urbe proferebantur ad plurimum per sex aut septem milliaria. *Saxa Rubra* non longe aberant a *Cremera*, quæ erat in finibus. Credendum igitur est, fuisse intra decem.

Et procedere hoc argumentum *Cicero Philipp.* II. ostendit, narrans effœminatum *M. Antonii* factum, cujus verba, quum elegantis festivitatis sint, a me impetrare non possum, quin hic integra adscribam: *At videte levitatem. Cum hora diei decima fere ad Saxa Rubra venisset, delituit in quadam cauponula; atque ibi se occultans perpotavit ad vesperam, inde cisio celerius ad urbem advectus, domum venit capite obvoluto. Janitor: quis tu? A Marco Tabellarius. Confestim ad eam, cujus causa venerat, deducitur, eique epistolam tradit, quam cum illa legeret flens (erat enim amatorie conscripta: caput autem literarum sibi cum illa Mima posthac nihil futurum, omnem se amorem abjecisse illinc, atque in hanc transfudisse) cum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit, caput aperuit, in collum invasit.* Si *M. Antonius* [c] in tempore hora diei decima (quæ juxta Horologium nostrum hodiernum inter 21. & 23. intercederet) ad *Saxa Rubra* progressus, ut *Romam* incognitus intraret, se occultare debuit ad vesperam; idque facere potuit, absque metu, ne postea domum clausam inveniret, & Amicam cum servis somno sopitam, eique difficile fuit sub vesperam conscenso cisio opportuno tempore, quo volebat, pervenire. Ecce *Saxa Rubra Romæ* vicina ad octo circiter ac decem milliaria; & forsan ultimum diversorium publicum *Romam* tendentibus, quod 70
nunc diceremus *l' ultima posta*.

Non minor lux a *Tacito* est III. *Historiarum*, ubi dicit *Antonium* (non Triumvirum, de quo loquitur *Cicero*, sed Centurionem *Vespasiani*) postquam *Ocriculi* festos *Saturni* dies per otium agitasset, excitatum nuntio obsessi *Capitolii* a *Vitellianis*; & *Ocriculo Romam* cum exercitu profectum *per Flaminiam ad Saxa Rubra multo jam noctis serum auxilium venisse. Illic interfectum Sabinum, conflagrasse Capitolium, tremere urbem, mœsta omnia accepisse &c.*

Quocirca *Saxa Rubra* erant in via *Flaminia*, aut prope eam inter *Ocriculum* & *Romam*, & ab *Ocriculo* in tantum distantia, ut exercitus magnis itineribus incedens (ut debuit incedere ille, cujus milites plusquam Dux properabant, & agebatur de liberanda ab obsidione patria, & fratre ac filio *Cæsaris*) ad ea multo noctis pervenerit. Hæc prima mensura est, quam *Tacitus* suppeditat.

Sequenti mane apud exercitum adsunt Legati Sena-

a Ital. *di che non mi spiace esser stato colto in parola.*

b *Per bizarria.*

c *Per tempo.*

natus, concordiam pacemque suasuri & Virgines A
Vestales cum epistolis *Vitellii* ad *Antonium* scriptis, ut differret *Romæ* ingressum in alterum diem. Has ille cum honore remisit, & rescripsit, *Sabini* cædem & incendium *Capitolii* omne diremisse commercium. Ecce alter gradus ad meditandum. Non potuit *Vitellius* rescivisse profectionem *Antonii* ab *Ocriculo*, nisi postera die; quapropter etiam non nisi nocte aut matutino tempore postquam *Antonius* ad *Saxa Rubra* pervenisset, legatos & virgines cum decreto Senatus mittere potuit; & quum flagitaret *Vitellius*, illum solummodo diem
71 ab intranda *Roma* cum exercitu eximi, nec obtineret, & illi dimitterentur, antequam castra moveret, adeoque eodem die, quo venerant, non nisi brevissimum esse potuit illud iter a *Roma* ad *Saxa Rubra*. Id omne in solita *Taciti* brevitate videre est ad vivum: *Mox vocato Senatu deliguntur legati ad exercitus &c. Obviæ fuere Virgines Vestales cum Epistolis Vitellii ad Antonium scriptis. eximi supremo certamini unum diem postulabant &c. Virgines cum honore dimissæ. Vitellio rescriptum, Sabini cæde, & incendio Capitolii dirempta belli commercia. Tentavit tamen Antonius vocatos ad concionem legiones mitigare, ut castris juxta Pontem Milvium positis postera die ingrederentur &c. Sed omnem prolatationem, ut inimicam victoriæ, suspectabant.*

Dicat forsan aliquis: locum, ubi *Vestales* & legati exercitum invenerunt, non fuisse *Saxa Rubra*, sed alium, inter illa & *Romam*, ubi altera a discessione ab *Ocriculo* die castra posuerint. Ad quæ sufficeret, credo, respondere, *Tacitum*, qui illam historiam minutatim describit, illud non dicere; quin imo narrationi res ipsa repugnaret; nam si ab *Ocriculo* ad *Romam* sunt quadraginta milliaria hodierna, & milites, ut apud *Tacitum* legimus, anxie eo properabant, & *Antonius*, utpote qui prius lento gradu ivisset, excutiebatur tunc quasi e somno, & sollicitus erat, ne proditionis crimen incurreret, uno die, non duobus, spatium triginta milliariorum debuit decurrere, ita ut ad *Saxa Rubra* multo noctis pervenerit, nec alibi ad pernoctandum castra habere voluerit, ut fecisset, nisi festinandum fuisset.

72 Dici præterea potest, *Vitellium*, eadem die, qua *Antonius* castra movit, debuisse ejus rei gnarum esse. Nec statuendum est, sequenti die procurasse convocationem Senatus, & Legatorum ac Virginum mandata, sed cuncta vesperi facta esse. Ita ut secundo, postquam castra movisset *Antonius*, mane, seu mature seu tarde, Virgines & Legati ad exercitum pervenerint, ac deinde redierint, quo die exercitus etiam *Romam* venit. *Suetonius* in *Vitellio*: *suasit Senatui, ut Legatos cum Virginibus Vestalibus mitteret; pacem, aut certe tempus ad consultandum, petituros. Postridie responsa opperienti nunciatum est per exploratorem, hostem appropinquare &c.* Quo ipso die (nec aliud erat illud *postridie Suetonii*, quam secundus ab *Antonii* profectione dies, juxta *Tacitum*) exercitus *Romam* intravit, & prœlium commissum est. Ergo *à primo ad ultimum*, illo die quo Senatus convocatus est, *Antonius Ocriculo* profectus, *multo jam noctis* pervenit ad *Saxa Rubra*, & postridie *Romam* intravit.

In *Vejis Defensis*, mihi imputatur quasi dicam, Vestales eadem vespera ad exercitum *Antonii* pervenisse, qua ille ad *Saxa Rubra*, & eadem illa vespera dimissas; mihique respondetur multa cum confidentia: *Quomodo vult Nardinus has Vestales eadem vespera Romam rediisse, quum dicat Tacitus, ipsum Antonium eo pervenisse multo jam noctis? & qua necessitate hæ Virgines inde regressæ sunt eadem vespera, si majus periculum & incommodum esset &c?*

Chimæra ridicula fuisset talis mea hypothesis, si ego illam fecissem. & facti me pudere deberet; sicuti non possum non ægre ferre, id tanquam meam opinionem publico exponi. Mentem 73
meam super verbis *Taciti* supra fuse explicui. Apud Hæredes *Mici*, & forsan apud Defensorem ipsum, quia mihi respondet, scripta mea debent esse, quæ inspici possunt; quod si alii, sive ob vocis alicujus ambiguitatem, sive ut haberent, quod reponerent, mutarunt; ipse agnoscat violentiam, qua mihi innocentiæ meæ defensionem extorsit.

B Sed Apage istas minutias, nec alia istius *Taciti* loci ratio habeatur, quam quæ sequitur. Post peractam legationem, rescriptumque *Antonii*, pergit *Tacitus*, narratque, illum convocasse legiones, & periculum fecisse, num persuadere posset militibus, ut illa vespera ad pontem *Milvium* castra ponere contenti essent. *Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare, ut, castris juxta Pontem Milvium positis, postera die Urbem ingrederentur &c.* sed in vanum. *Omnem probationem, ut inimicam victoriæ, suspectabant. Simul fulgentia per colleis vexilla, quanquam imbellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant.* Quam longe ab Urbe debebant illi colles esse, in quibus fulgere

C conspiciebantur vexilla ab *Antonii* exercitu apud *Saxa Rubra*, id est, quam longe debuit egredi imbellis populus in defensionem patriæ? sed pergamus. Divisus exercitus est in tria agmina, quæ per diversas vias singula processerunt. Et primus impetus vilem illam plebeculam in fugam vertit. Dein plura commissa sunt prœlia cum militibus ante Urbem. Post denuo conflictati sunt in Campo *Martio* milites *Antonii* cum *Vitellianis*, quod postremo in ipsa Urbe recollecti rursus fecerunt. *Tripartito agmine pars, ut astiterat, Flaminia Via, pars juxta ripam Tiberis incessit, tertium agmen per Salariam Collinæ Portæ propinquabat.*

D *Plebs invectis equitibus fusa. Miles Vitellianus trinis & ipse præsidiis occurrit. Prœlia ante Urbem* 74
multa & varia. Sed Flavianis consilio ducum præstantibus sæpius prospera. Ii tamen conflictati sunt, qui in partem sinistram Urbis ad Sallustianos Hortos per angusta & lubrica viarum flexerunt; superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem Saxis, pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui Porta Collina irruperant, circumvenirentur. Concurrere & in Campo Martio infestæ acies. Pro Flavianis fortuna, & parta toties victoria. Vitelliani desperatione sola ruebant, & quanquam pulsi, rursus in Urbe congregabantur.

E *Aderat pugnantibus spectator Populus; utque in ludicro certamine, hos modo, rursus illos clamore & plausu fovebant, &c.* Unicus ita transactus dies, per tot negotia tum legationum, tum concionum, tum itinerum, tum prœliorum, eaque cuncta inter *Saxa Rubra* & *Romam*, monstrat, *Saxa Rubra* valde prope portas Urbis fuisse.

Apud *Martialem* lib. 1. tantum non Mathematica reperitur demonstratio loci, qui dicitur *Rubræ*, quem *Saxa Rubra*, aut inde non procul remotum fuisse, indubitatum est. Laudat hic Poëta Hortos alicujus alterius *Martialis*, qui erant in *Jani-*

F *culo*, e cujus vertice describens, quam late dominarentur oculi, dicit:

Hinc septem geminos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Thusculosque Colles,
Et quodcunque jacet sub Urbe frigus
Fidenas veteres, brevesque Rubras.

Prospectu *Janiculi Saxorum Rubrorum* distantia limitata est. Quam possunt igitur longissime quovis rigore distantia intelligantur. Recensentur a *Martiale* cum *Fidenis*, statuendum est ab una parte flumi-

fluminis *Fidenas*, ab altera *Saxa Rubra*, in distantia fere pari a *Roma* abfuisse.

75 Sed cuncta huc usque disputata supervacua sunt; nam *Sextus Aurelius Victor* in Historia de *Cæsaribus*, perfectam *Saxorum Rubrorum* dat notitiam, ubi agit de prælio *Maxentii* & *Constantini*. *Sed Maxentius atrocior in dies tandem Urbe in Saxa Rubra millia ferme novem ægerrime progressus, dum cæsa acie fugiens semet Romam reciperet, insidiis, quas hostis ad Pontem Milvium locaverat, in transgressu Tiberis interceptus est.* *Sextus Aurelius* scriptor fuit istius ævi, & fere oculatus; quocirca ei non potest non haberi plena fides; & vicinitas istius conflictus ad Pontem *Milvium* id persuadet, & quæ consideravimus super *Cicerone*, *Tacito*, & *Martiale*, ei concinunt.

Parem certitudinem præbet antiqua Tabula *Peutingeriana*, cujus iter a *Roma* per *Flaminiam*, si absque figura sua scribitur, sic incipit:

Pontem Julii III.
Ad Rubras VI.
Ad Vicesimum XI.
Aqua viva. . . . .

Primo loco *Pontem Julii Cluverius* putat vitiose scribi; posita voce *Julii* pro *Milvii*, & revera credibile est, Descriptorem neglexisse litteram *M*, ut pertinentem ad vocem *Pontem*, residuumque, quod erat *Ilvii* convertisse in *Julii*; sed vitium parvi momenti est. Nobis sufficit, ad novem milliaria collocari locum *Ad Rubras*, convenienter verbis *A. Victoris*.

Non minori consensu idem testatur antiquum Itinerarium *Hierosolymitanum* ejusdem Itineris *Flaminiæ*, quod tale est:

76 *Rubras IX.*
Ad Vicesimum XI.
Aqua Viva XII.
Utriculo XII.

Postremo consonat Historia Martyrii *S. S. Abundii* & *Abundantii*, eruta ex antiquo Manuscripto Ecclesiæ *Civitatis Castellanæ*, & typis edita a *Collegio Romano* cum doctis Annotationibus. Qui Sancti, juxta Martyrologium *Romanum*, a *Diocletiano*, Via *Flaminia*, *decimo ab Urbe lapide*, una cum SS. *Martiano* & *Johanne* necati sunt. De his dicit Historia: *Dum autem ducerentur Sancti Dei Abundius & Abundantius vincti catenis venerunt juxta Civitatem Lubras*, &c. quæ secundum *Cluverium*, & ut omnino etiam credibile est, ad viam *Flaminiam*, intra decimum lapidem, sita, non potest alia esse, quam illa ipsa *Martialis*, & quæ ab Itinerariis *Rubræ* dicta est, ita tempore, & solita vulgi balbutie corrupta; & paulo post iterum: *Qui quidem Martianus cum abiisset, ut filium suum adferret, ministri diaboli noluerunt sustinere usque dum rediret de Civitate Lubris.* Et opportune omnino conspicitur hoc tempore in Via *Flaminia* ad paulo plus quam decem milliaria a *Roma*, a sinistra in angusta quadam valle viæ subjacente, antiquum sacellum, vel saltem turris, cum antro, religiose a vicinis frequentata, ubi corpora Sanctorum *Martiani* & *Johannis* reperta sunt, & inde postmodum transportata in *Civitatem Castellanam*; inter quod antrum & *Romam* extra viam (ut convenienter *Itinerariis* illa narratio ostendit) debuerunt fuisse *Rubræ*; & idcirco adhuc intra istos terminos *Saxa Rubra*.

77 Sed quid erant illa *Saxa?* siquidem e *Vitruvio* aliquam lucem accipere possunt, videbuntur nobis fuisse lapidicinæ; nam is lib. II. cap. VII. lapidicinas in molles, temperatas, & duras dividens, mollibus, quæ circa *Romam* erant, annumerat *Rubras* & *Fidenates*, in hunc modum: *Hæ autem (lapidicinæ) inveniuntur esse disparibus, & dissimilibus virtutibus; sunt enim aliæ molles, uti sunt*

A *circa Urbem Rubræ, Pallienses, Fidenates, Albanæ &c.* Ab altera parte *Martialis*, *Itinerarii*, & historia istorum Martyrum ostendunt, fuisse [a] parvum Oppidum, *Brevesque Rubras*, & ex *Cicerone* & *Tacito* intelligere est, locum pluribus cauponis præditum, & diversantibus commodum fuisse. Nam si nihil aliud fuissent *Saxa*, quam unica simpliciter Caupona; impropric ibi dixisset *Cicero: in quadam Cauponula.* Reipsa deprehenditur atque colligere est, additis iis, quæ jam perpendimus, fuisse [b] Oppidulum, non ita procul a via *Flaminia*, ut significatur ab *Itinerariis* allegatis;
B sed debent in via habuisse plures cauponas, & fortasse nomen alicujus lapidicinæ rubræ vicinæ in hunc locum derivatum est. Et forsan quoque istis petris rubris operam suam homines ibi habitantes locabant, a quibus non solum *Saxa*, & *Petræ Rubræ*, sed majoris commoditatis gratia, & expeditius *Rubræ* dictæ, quod sæpe hodieque contingit locis, quæ duplici nomine appellantur.

Sic non poterit (credo) mirum videri Auctori *Vejorum Defensorum*, *confundi* (ut dicit, *Urbem cum diversorio & lapidicina.* Mihi autem omnino mirum videtur, quod ille dicit: *Rubras nimirum fuisse lapidicinas illas, quas memorant Martialis*
C *& Vitruvius*, &c. quum *Martialis* loquens de locis, quæ conspiciebantur ex Hortis suis:

Fidenas veteres, brevesque Rubras.

graphice quasi depingit [c] Oppidum aliquod 78
breve, non autem cavernam.

Castellum, quod *Fabii* exstruxerunt apud *Cremeram* in finibus, credunt nonnulli *Vejis* vicinum fuisse, cujus præsidio illa urbs manserit obsessa. Sed quam id credibile sit, ex iis, quæ supra disputata sunt, patere potest. Positum erat præsidii causa in finibus, ad prohibendas incursiones, & amovenda damna, quæ *Romani* ab hostibus acci-
D piebant. Quocirca si terminus agri *Romani* ad sextum circiter aut septimum lapidem erat, *Vejorum* autem Urbs ad duodecimum fere; apparet, creditu difficile esse, illud præsidium ei urbi vicinum fuisse. Sed dicamus id quod res est. *Cremera* flumen, non toto cursu suo ab ostiis ad fontes debebat esse finis inter *Vejentem*, & *Romanum*, sed per aliquem tantum tractum. Quare illo tractu, qui erat a latere Urbis, statuendum est, non fuisse finem, quum non sit verisimile, grandi alicui Urbi hostes fines suos extendisse ad muros us-
E que. Quid, si istud Castellum exstructum fuit in illa parte confiniorum, quæ aut propius *Vejos* erat, aut egressus urbis præpediebat, aut unde commode poterat per omne confinium excurri? quod etiam, procedens cum flumine, prope *Vejos* currente, eo proferre, urbique vicinum facere aliquem angulum agri *Romani* potuit, & illum quidem, quem *Servius Vejentibus* ultimum ademit.

Prætenditur in *Vejis Defensis*, *illud Castellum non in extrema ripa fluminis, sed in colle quodam aliquantulum inde distanti exstructum fuisse*; ob id quod dicit *Dionysius*: *Cum pervenissent prope flu-
F men Cremeræ, &c. Castellum in tumulo quodam prærupto, &c.* Sed vocis male traductæ virtuti insistitur. Textus Græcus dicit: πλησίον, quod Latine, æque ac *prope*, verti potest *juxta*. Idque 79
ratum fit ex ipso nomine, quando sequitur: *Cui de flumine nomen indiderunt Cremeræ.* Nec *Livius* dicit quicquam, quod expositione indigeat. *Ad Cremeram flumen perveniunt: Is opportunus visus locus*

a *Un picciolo Castello.*
b *Un Castelletto.*
c *Un breve Castelletto.*

locus communiendo præsidio; nec *Ovidius* lib. II. Fastor.

> *Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem*, &c.
> *Castra loco ponunt*,

vocibus *tetigere*, & *loco ponunt* ripam indigitat. & quoniam *Dionysius* illud in tumulo quodam prærupto collocat, ex riparum *Cremeræ*, tumulorumque adjacentium forma facile suo tempore ejus situs colligetur.

Collis ille, in quo *Fabii* pugnantes occubuerunt, ex narratione, quam de ista actione faciunt *Dionysius* & *Livius*, lucem suam accipere potest. *Fabii* pluribus iisque continuis prosperis prœliis feroces, excurrerant aliquando ad deprædandos greges quosdam, quos cognoverant valde procul a *Cremera* pasci. Pastores in fugam versi sunt, hi autem illos persequentes insidiis circumventi sunt. Inter spatium igitur Campi, ubi pascebant greges *procul a Cremera magno intervallo*, ut *Livius* dicit, & inter fugam pastorum insidiæ non minus uno duobusve milliariis a Castello & flumine collocatæ esse potuerunt. Verba *Livii: Procul a Cremera*, important longinquitatem loci ab isto flumine, nam, etsi *Cremera* dicebatur etiam *Castellum*, apud *Livium* tamen, qui nomen Castelli nusquam prodit, & quoties de eo loquitur, *Præsidium Cremeræ* illud appellat, nomine *Cremeræ* intelligendum est flumen, & nihil aliud, etiamsi fictis illis *Vejis Defensis* id parum bene cedat. Circumventi ab insidiis *Fabii* coarctabantur, & necessitate adacti, tandem ab una parte erupe-
80 runt; & in colle leniter edito sese receperunt, atque aciem rursus instruxerunt; ubi tota nocte strenue se defenderunt. Non ita longe ergo a loco insidiarum iste collis debuit attolli, quem oportet credere, a *Fabiis*, effracta illa hostium corona, occupatum fuisse absque multa circumcursatione. Accedat *Dionysius*, qui lib. IX. Castra *Menenii* haud procul a *Cremera* collocat, & non multo post XXX. stadiis illa ab isto colle removet. Postremo quod a ceteris ad Castelli præsidium relictis id prœlium per totum illum diem & noctem insequentem ignoratum fuerit, haud parvi momenti accessio est ad statuendum, circiter duobus milliariis a Castello, & fortasse etiam plus, sed magis intra *Vejentem* agrum, & magis procul a *Roma*, *Fabios* cecidisse. Specialior alia hac de re dissertatio in præsenti fieri non potest.

CAPUT VII.

De Fortuna Vejorum post expugnationem.

Dicit aperte *Florus* lib. I. cap. X. *Vejos* a *Camillo* funditus deletos esse. *Rapti funditus, deletique Veji.* & cap. XII. *Cuniculo & subterraneis dolis peractum Urbis excidium*; idque in hoc negotio nobis sufficere debet. Sed quoniam opinio quorundam est, *Vejos* etiam expugnatos superfuisse, &, post longam seriem bis mille circiter annorum, stare adhuc; qui fuit aphorismus indubitatus penes *Micum*, Defensor autem destructos quidem, sed postea reædificatos putat, ego laborem probandi id, quod verum est, effugere non possum.

Præter *Florum Livius* lib. V. narrat, multitudi-
81 ne hominum insigni ad prædam *Vejentem* effusa in exercitum, permissu Senatus, captam Urbem totam direptam esse, ita ut primo armis pugnatum, & ingens edita sit cædes, donec Dictator juberet

a Quod sæpius usu venit: contrahimus textum, quoniam *Italice* Auctor fere præmittit ipsa verba auctorum, quæ Latine citat & expresse subjungit.

A abstineri ab inermibus, qui omnes capti sunt. Reportata præda, spe multo major fuit, & sequenti die omnia corpora libera sub corona vendita sunt. Jamque, opibus ac hominibus orbatæ Urbi, etiam Dii ablati sunt, & in specie *Juno* religiose *Romam* transportata. Concludit tandem *Livius*: *Hic Vejorum occasus fuit Urbis opulentissimæ Hetrusci nominis, magnitudinem suam, vel ultima clade indicantis*, &c. Unde nihil aliud, quam finis ultimus & excidium magnæ istius urbis colligi potest. Paulo post ager plebi *Romanæ* divisus fuit ex Senatusconsulto, quod statuebat, *ut agri Vejentani septena jugera plebi dividerentur.*
B *Liv.* lib. VI. Quapropter urbs populo, opibus, agro, Diis spoliata, qui aliter quam pro desolata haberi potest?

Notetur porro quam bene verba *Camilli* apud *Livium* conveniant cum *Floro*. En illa: *Tuo ductu* (inquit) *Pythice Apollo, tuoque numine instinctus pergo ad delendam Urbem Vejos.*

Verum est, duodecim aut quindecim annis post *Vejorum* mentionem reperiri. *Livius* dicit lib. V. cæso a *Gallis Romanorum* exercitu, reliquias, aliosque etiam milites ex ipso *Latio*, *Vejis* recollectos, addito: *Vejis non animi tantum in dies, sed & vires crescebant.* Quando etiam *Pontius*, a *Vejis Romam*
C versus, *Tiberi* super illo cortice devectus est, & *Hetrusci* post captam a *Gallis Romam*, [a] *pleni* 82
prædæ Vejos etiam, præsidium & spem ultimam Romani nominis, in animo habebant expugnare. Vejos tunc etiam *Camillus* venit, ibique exercitum contraxit, quo patriam a *Gallis* liberavit. Denique [b] eo bona pars *Romanorum Romam* ipsam transportare voluit.

Non tamen inde colligi quicquam potest, nisi, paucis istis post expugnationem annis, *Vejis* muros adhuc stetisse; & domus, quas non legimus a *Romanis* & *Camillo* omnes crematas, & dirutas,
D credibile est evacuatas tantum fuisse; nec loco commodiore, cum ob desertas domos, & vicinitatem loci, tum ob situm, & validos muros, poterant dispersi *Romani* milites se in ista necessitate recipere. Hoc *Hetruscorum* animis ingessit, etiam *Vejos* expugnare; & post fugatos *Gallos*, egregia illa & opportuna urbis vacuitas in causa fuit, ut multi *Romam* relinquere voluerint. Imo fuere, qui id nimium quantum cuperent, contra quos opus erat, ut Senatus consuleret. *Revocati quoque in Urbem S. C. a Vejis, qui ædificandi Romæ pigritia, occupatis ibi vacuis tectis, Vejos se contulerant.* Unde discimus domos *Vejorum* tunc ad-
E huc exstitisse vacuas.

Ex quo tempore de *Vejis* judicari potest, tanquam de urbe habitatoribus vacua, quæ paulatim ruentibus tectis & nascentibus hederis, caprificis, urticis & spinis, solet sylvescere, & corruere. Quod *Valerius Maximus* lib. I. cap. VI. supponit factum esse jam inde ab eo tempore, quo *Romani* eo migrare volebant, ostendens Diis non placuisse Urbem *Romam* in *Vejentem* degenerare, *inclytæque Victoriæ decus modo abjectæ urbis ruinis infundi.*

Et quamvis *Livius* lib. VII. decadis III. dicat: *Vejis* [c] pluisse saxa [lib. XXVII. cap. XXXVII. *Vejis de*
F *cælo lapidaverat.*] & lib. II. decadis IV. *Vejis viam* 83
publicam de cælo tactam [sic XXXII. IX.] (idque accidit intra primum sæculum ab expugnatione istius urbis) non tamen inde resultat, habitatos fuisse, imo nec stetisse etiam; quum nihil obstet, quominus illa prodigia observata sint in locis inhabi-

b Ad verb. *Vejos Romam transportare*, sed id ambigue diceretur.
c Mihi lib. I. cap. V.

habitatis, quemadmodum illorum, quæ per campos & ſylvas contingebant, habebatur ratio. Si loci alicujus expugnati apud Hiſtoricos interdum mentio fit, non id indicio eſt, illum iſto tempore adhuc habitatum fuiſſe. *Fidenarum*, ut alia loca taceam, centies reperire eſt mentionem apud *Juvenalem*, *Martialem*, *Tacitum*, alioſque. juxta quos quivis crederet, iſtorum temporibus illas adhuc floruiſſe, & tamen *Strabo*, qui illis antiquior eſt, [a] redactas illas dicit in villam hominis privati, ſicut hodie. Antiqua urbs *Cære*, adhuc a *Ptolemæo* recenſetur in *Geographia*, & tamen idem [b] *Strabo* teſtatur, illud jam ante *Ptolemæum* everſum fuiſſe. Nulla ratio Politica permittebat *Romanis*, urbem tam amplam, tam opulentam, tam potentem, & ſitu tam validam, relinquere integram in conſpectu *Romæ*. Ac præter id, quod tempus per ſe ipſum in ædificiis vacuis præſtat, veriſimile eſt, Senatum *Romanum* perſpecta ſæpius plebis inclinatione migrandi *Vejos*, de induſtria dediſſe operam, quo itius rei periculum quaſi in herba opprimerent, ut inſenſibiliter, ſed quam fieri poſſet breviſſimo tempore, plane corruerent.

Inde eſt, ut ego credo, quod non legamus, ullam *Vejos* ab expugnatione in tanta vacuitate miſſam eſſe coloniam, quemadmodum ob quamvis exiguam habitatorum inopiam *Romani* ſolebant in alias Urbes. Apud *Vellejum*, qui ab incurſione *Gallorum* ad *Tiberii* tempus coloniarum diligentem recenſionem ſuppeditat, nihil legitur; abſque habitatoribus autem quomodo magna illa Urbs
84 conſervari potuit? nimium ſuſpectus erat locus, cum magnitudine, tum munitione ſua. Securitatis *Romæ* intererat, ut ad nihilum plane redigerentur *Veji*. Et quæ Colonia potuiſſet eo deduci, ſi ager jam omnis plebi *Romanæ* diviſus erat? nonne etiam remedium id opportunum fuit, ne unquam cogitarent de eo deducenda Colonia?

At apud *Frontinum* lib. *de Coloniis* occurrit mentio expreſſa *Coloniæ Vejentis. Colonia Vejus prius quam oppugnaretur, ager ejus militibus aſſignatus ex l. Julia. Poſtea deficientibus his ad Urbanam Civitatem aſſociandum cenſuerat Divus Auguſtus*; *nam variis temporibus, & a Divis Imperatoribus agri ſunt aſſignati, &c.*

Non tamen hoc *Frontini* loco ullo modo inducor, ut credam, *Vejos* a *Camilli* temporibus ad hæc *Auguſti*, unquam reſtauratos, & a *Romanis* Coloniæ inſtar rurſus habitatos fuiſſe. Ager ejus plebi diviſus erat fruſtatim, nec aliud quicquam ex eo in uſum Coloniæ ſupererat; & illi, qui ſuam quiſque portionem acceperant, prohibiti ſunt ibi habitare, ſicut dixi. Quid igitur dicendum reſtat? agrorum poſſeſſores commoditate ſaxorum illorum inducti ſunt, ut aliud oppidum non procul inde conderent; & hæc poſtea pro *Colonia Vejente* habita eſt, non in veteres deducta *Vejos*, ſed paulatim eo congregata, & idcirco a *Paterculo* non recenſita. Et quid aliud ſonant verba *Strabonis*, ubi dicit, in mediterraneis *Hetruriæ* multas urbes ab oppreſſione *Fidenarum* & *Vejorum* conditas eſſe? *At in mediterraneis præter jam dictas Urbes ſunt Aretium, Peruſia, Volſinium, Sutrium, tum crebra oppida Blerati, Ferentinum, Faleria,*
85 *Faliſca, Nepet, Statovia, & alia plura, partim antiqua, partim condita a Romanis, cum hi Fidenas, ut & Vejos, oppreſſiſſent ſæpius rebellantes.*

Sed dicatur ſane illa colonia condita ſuper antiquis *Vejis*, aut ubicunque libitum eſt, *Frontinus* ipſe oppugnatam, & deſtructam, & non amplius

A Coloniam illam clare dicit. *Colonia Vejus prius quam oppugnaretur, ager ejus eſt aſſignatus militibus ex l. Julia*; convenienter iis quæ de *Julio Cæſare Suetonius* dicit: *Veteranis legionibus nomine &c. Aſſignavit & agros. Poſtea deficientibus his* (qui veterani quum eſſent, non paverunt fortaſſe gregem) *Auguſtus* Coloniam diſſolvens, adjudicavit illos agros (ut *Romæ* nimis vicinos, quemadmodum aliis etiam urbibus vicinioribus evenerat) agro *Romano*, idque exemplum ſecuti ſunt cæteri *Cæſares*, quoties agros poſſeſſores deficerent. Idem *Frontinus: Poſtea deficientibus his, ad Urbanam Civitatem aſſociandum, cenſuerat Divus Auguſtus.*
B *Nam variis temporibus a Divis Imperatoribus agri ſunt aſſignati*; & ideo, ut inferius dicit; *Hujus territorii forma in tabula æris ab Imperatore Trajano juſſa eſt deſcribi, &c.* Et hinc forſan eſt, quod *Paterculus*, ejus tanquam Coloniæ jam exſtinctæ nec rationem habeat, nec mentionem faciat.

Certum itaque eſt, *Vejos* & *Coloniam Vejentem*, temporibus *Auguſtum* ſecutis, non extitiſſe; & de *Vejis*, præter illa, quæ jam diximus, fidem amplam nobis facit *Propertius*, qui ſub *Auguſto* vixit. Hic dicit in elegia quadam lib. IV.

C *Et Veji Veteres, & vos tum præda fuiſtis,*
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.
Nunc intra muros Paſtoris buccina lenti
Cantat, & in nudis oſſibus arva metunt.

Et fortaſſis adjectivum illud *Veteres*, quod videtur otioſum, ibi ponitur, ut tanquam deſtructi 86
exhibeantur, quemadmodum de *Fidenis Martialis* dixit:

Fidenas veteres, breveſque Rubras.

Putat *Defenſor Vejorum non verorum*, *Propertium* indigitare *Vejos* diminutos non deſtructos.
D Fingit, illum deſcribere intra muros, & tectorum reſiduum magnum camporum tractum, ubi tempore *Auguſti* paſceretur & meteretur tanquam ruri extra urbem, ſicuti [c] commodum cernitur tale quid in Civitate ſua *Caſtellana*. Sed quo fundamento? an reſtringetur illud *paſcere* & *metere*, quod *Propertius* muris circumdat, intra partem murorum & ædificiorum? Cur faceret *Propertius* ibi mentionem *Vejorum* diminutorum, quum de antiqua amplitudine urbis antea ne verbum quidem fecerit? Aperte loquitur de toto ſpatio, nec deprehenditur ulla alicujus partis exceptio. *Strabo*, ſcriptor ejuſdem temporis, loco ſupra citato, id
E melius declarat. *Frontinus* oſtendens exſtinctam etiam coloniam, conſentit. Id ſolummodo ex *Propertio* elici poſſet, ſtetiſſe tunc adhuc muros, ſed neque hoc dici poteſt cum fundamento; nam illud: *intra muros*, [d] facile intelligi poteſt de omni illo ſpatio, quod illis concludebatur; ſed an credatur, magnam eorum partem tunc adhuc duraſſe, parum refert.

Multum eo facit, quod *Valerius Maximus*, ſcriptor & ipſe illius temporis, lib. primo dicit de *Romanis*: ſolitos nempe fuiſſe, obſervandæ Religionis gratia, mittere decem principum filios in
F *Hetruriam*, pro numero civitatum [*ſingulis*, inquit, *Hetruriæ populis*] qui ſacrorum diſciplina imbuerentur. Principes *Hetruriæ* civitates antea erant duodecim. Jam deprehendentes illas ad decem redactas, videmus *Cære*, de qua, quod volumus, teſtatur *Strabo*, & *Vejos*, de qua præter 87
Stra-

a *Ridotta a Caſale di perſona privata.* apud Strabonem pag. 230. A. Τότε μὲν πολίχνια, νῦν δὲ κῶμαι, κτίσεις (al. κτήσεις) ἰδιωτῶν. nim. *Collatia, Antemnæ, Fidenæ, Lavinium* &c.

b pag. 220. D.
c Ital. *lo ſcampato.*
d Ital. *calzantemente.*

Strabonem tot argumenta in promptu sunt, plane, inquam, duas illas, quæ plus cæteris in conspectu *Romæ* erant, civitates desiisse. Hinc etiam est, quod *Virgilius* de *Vejentibus* nullam faciat mentionem. Non abhorruit ab illis nominandis præ odio, quo *Romani* ipsum etiam nomen prosecuti sint, ut alii dixerunt; quoniam & *Volscos Romanis* cum primis exosos *Virgilius* tacuisset; Sed voluit *Hetruriæ* civitates & populos solummodo pro conditione, qua erant suo tempore, describere.

Non multo post *Augustum Lucanus Vejos* Urbibus *Romæ* vicinis destructis annumerat lib. VII. *Pharsaliæ*, sed videtur illud non *Furio Camillo*, sed discordiis civilibus *Cæsaris* & *Pompeji* imputare, quum fervente illorum pugna prædicit id, quod suo tempore jam contigerat.

——— tunc omne Latinum
Fabula nomen erit; Gabios, Vejosque, Corasque
Pulvere vix tactæ poterunt monstrare ruinæ;
Albanosque lares Laurentinosque penates
Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta
Invitus, questusque Numam jussisse Senator.
Non ætas hæc carpsit edax, monumentaque rerum
Patria destituit. Crimen civile videmus
Tot vacuas Urbes.

Unde apparet *Lucanum*, & *Frontinum* mire consentire. Sed sensus *Lucani* est, non illa civili discordia *Vejos* primo, & reliqua illa loca destructa esse; quum *Alba* non a *Pompejo* aut *Cæsare*, sed primis annis *Romæ* a *Tullo Hostilio* fuerit exstirpata. Vult dicere *Lucanus*, propter consumptos per illas discordias homines, *Romam* ejusque agrum perpetuo magis magisque defecisse genti-
88 bus *Romanis*, & propterea, quum desererentur agri, segetes coli ac percipi a servis. Melius id declarabit versibus præcedentibus:

Gentes Mars iste futuras
Obruet, & populos ævi venientes in Orbem
Erepto natale feret;

& cum iis qui sequuntur:

Generis quo turba redacta est
Humani? toto populi, qui nascimur Orbe,
Nec muros implere viris nec possumus agros.
Urbs nos una capit. Vincto fossore coluntur
Hesperiæ segetes; stat tectis putris avitis,
In nullos ruitura domus, nulloque frequentem
Cive suo Romam, sed mundi fæce repletam. &c.

Figamus mentem in illam conditionem, in qua tunc erat *Roma*, & *Italia* nobis descripta ab *Appiano Alexandrino* lib. I. de Bello Civ. Creverat *Roma* gentibus ab omni parte collectis in tantam magnitudinem, ut aliquis potius Mundus quam Civitas esset, urbes autem non solum ei vicinæ, sed & *Italiæ* totius, desertæ erant, & redactæ in domicilia recipiendis servis, cultoribus agrorum, qui a *Romæ* incolis undiquaque possidebantur. Eratque magnitudo *Romæ* [a] quasi morbus quidam splenéticus.

Splene aucto reliqui tabescunt corporis artus.

dicit *Alciatus* in Emblemate quodam suo.

Dolet idcirco *Lucanus*, quod, cum olim sæpe *Roma* missæ essent gentes pro populandis urbibus, coloniisque condendis, jam non solum partes remotæ, sed ipsa illa vicina loca deserta essent, quæ tamen cuncta potuissent reædificari, & civibus repleri, *Romaque* & ipsa civium inopia laborans, esset facta cloaca fæcis mundi.

A *Lucani* igitur tempore urbs *Veji* tota prostrata 89
jacebat, & id nobis sufficit. Nec juvat, quod Patronus non veræ dicat, *Lucanum* loqui de urbe ex parte destructa. Loca indicata ex ruderibus terra coopertis vix quicquam monstrant, præter destructionem integram, & conversionem urbis in campum cum paucis aliquot reliquiis Murorum antiquorum.

Post *Neronem Plinius* lib. III. cap. VI. inter *Hetruriæ* populos recenset *Vejentanos*. Idem lib. XXXVI. cap. I. mentionem facit Gemmæ *Vejentanæ Vejis* repertæ. *Vejentana Italica gemma est Vejis reperta nigram materiam distinguente limite albo*, B de qua loquitur etiam *Solinus*, & distinctiori descriptione, cap. secundo: *Est & Vejentana gemma a loco dicta, cui nigri coloris superficies nigra, quam ad gratiam varietatis albi limites intersecant notis candicantibus*. Talis *Vejento* quispiam nominatur Juv. Sat. IV.

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo;
Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ.

Persius. Sat. VI. vini *Vejentani* mentionem facit quod *rubellum* vocant.

C *Tun' mare transilias? tibi torta, canabe fulto*
Cœna sit in transtro? Vejentanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?

de quo etiam *Martialis* dixit lib. I.

Et Vejentani bibitur fæx crassa rubelli.

sed interim aliud sunt populi, quorum e regione loca [oppida aut pagi] non exstirpata sunt, aliud urbs metropolytica, ejusque cives. Quin imo non *Vejentani*, sed *Verentani*, & *Veretani* legitur in melioribus *Plinii* exemplaribus, quos *Cluverius* sapienter intelligit esse *que' di Varentano*, hodie 90
D *Valentano*, sicuti non procul inde sunt *Vesentini* appellati, qui hodie dicuntur *Bisentini*, a *Bisenzo*, [b] Castello a *Valentano* paululum distante. *Persii* & *Martialis Vejentanum rubrum*, quod vinum crassum, fæculentum, colore gravi, & rubellum idcirco & vilis pretii fuisse significant, intelligitur, vel ex locis regionis *Vejentanæ* provenisse, vel potius a *Romanis* in agro *Vejente* collectum. *Plinii* & *Solini* gemma *Vejentana* vel reperta fuit *Vejis*, quando *Veji* adhuc stabant, vel postea reperta fuit inter rudera, sicut sæpe contingit in locis destructis. *Vejento* ille *Juvenalis* fuit homo *Romanus* cognominis illius, aut agnominis ei impositi, vel quod in agro *Vejente* bona
E possideret quam plurima, & quovis altero opulentiora; vel quod frequentaret voluntarie & sæpe illam regionem, vel ob talem aliquam cognominis aut agnominis antiqui rationem aliam. Erat ex Gente *Fabricia* ordinis Senatorii, homo locupletissimus, quem *Dion Cassius* in *Nerone*, refert, quum esset prætor in Ludis Circensibus canes currui suo junxisse. Fuit alter, de cujus vultu indigno, ut salutaretur, agit, atque tangit Juvenalis Sat. III.

Ut te respiciat clauso Vejento labello.

F videatur, quod scribit *Lipsius* in *Tacitum*. Nihil igitur ex hisce, quæ diximus, concludit, *Vejos* durasse ac habitatos esse post expugnationem. Contraria autem adsunt indicia, *Strabonem* & *Plinium* de iis non agere, ubi ceterarum urbium catalogum texunt.

In Tabula *Peutingeriana* conspiciuntur *Veji* in via *Cassia* inter *Romam* & *Sutrium*; sed inde tamen

---

a Ital. *un mal di milsa.* Notat Duez in Lex. *La milsa s'ingrassa nel Corpo smagrato.* Les partisans se font riches, & consument les païs.

b Aut, si maris: *Oppido.*

men non resultat habitatos fuisse. Nec absurdi quic-
91 quam habet, aliquod diversorium & forsan etiam
[a] castellum aliquod ibi loci retinuisse nomen *Ve-
jorum*, loco urbis jam solo æquatæ. Idque per-
suademur, quia ibi legitur in accusativo, *Vejos*,
id est *Ad Vejos*, sicut *Ad Careias*, *Ad Novas*,
Ad Rubras, &c.

Certum est, *Trajani* tempore *Vejorum* ne vesti-
gium quidem repertum. Sic *Florus* lib. I. cap. XII.
*Nunc Vejentes fuisse quis meminit? quæ reliquiæ?
quod vestigium? laborat Annalium fides, ut Vejos
fuisse credamus.* Nec apud scriptores reperitur ul-
la narratio aut mentio tanquam urbis habi-
tatæ.

Suetonius, in *Nerone*, solus recenset versus
aliquot, qui suadebant *Romanos* eo migrare.

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat ista domus.

Quibus versibus magnum sibi struebat fundamen-
tum *Micus*, *Vejos* tempore *Neronis* exstitisse; sed
præterquam quod illi versus facerent partem car-
minis satyrici in *Neronem* compositi, alludentis
ad historiam præteriti temporis, quum *Romani
Romam Vejos* transportare vellent, solent etiam
hodie dici: *Fallerium* ire, tales, qui fallant; quin
etiam absque joco tunc temporis bona cum ratio-
ne *Quiritibus* suaderi poterat, ut *Vejos* irent, quo-

A niam ad habitandum ibi ac ædificandum sufficiebat
situs loci ipsis superstes.

Aliter velitatur Propugnator *Vejorum*, qui mo-
do destructos videtur confiteri, modo vult so-
lummodo diminutos. Contra *Florum* se defendit,
dicendo: illum videri *Oratorie potius*, *quam Hi-
storice* loqui; ego vero non nego; sed adeo, si
aliquando amplificationibus Oratorum utuntur
Historici, id facere super vero, & non sine justa
ratione. Credibile est, non obstantibus verbis
Flori, tunc temporis plus uno vestigio superfuis-
se; sed habitatos *Vejos*, *Florum*que tanta exagge- 92
B ratione exclamare: *Quæ reliquiæ? Quod vestigium?*
monstrosum est.

Confirmavit idem post plura secula *Ammia-
nus Marcellinus* lib. XXIII. *Faliscos ita oppressit*,
& Vejos, *ut*, *suadere nobis laborat monumentorum
veterum fides*, *ut has Civitates aliquando fuisse cre-
damus.* Et postremo *Jornandes* lib. *de Regnorum
Successione*, gaudet & ipse verba illa confirmare,
exscribendo: *Laborat enim Annalium fides*, *ut Ve-
jos*, *Faliscos*, *Fidenates fuisse credamus.*

Ita ut simul sumptis *Propertio*, *Strabone*, *Lu-
cano*, *Floro*, *Marcellino*, & *Jornande*, deprehen-
dere in promptu sit, temporibus *Augusti*, *Tiberii*
C *Neronis*, *Trajani*, *Valentiniani* & *Valentis*, deni-
que *Justiniani*, quibus supra dicti Scriptores vixe-
runt, semper hanc urbem in terram postratam
jacuisse. Sic destructio ejus perseverat procul du-
bio. Et tantum est, quod de antiqua conditione
magnæ istius Urbis colligere potui.

[a] *Borgo.*

93
VEJI ANTIQUI.
PARS ALTERA.

CAPUT I.

Civitatem Castellanam non esse Antiquos Vejos.



INstructis præsidio facibusque facta-
rum conclusionum, verus nunc no-
bis investigandus est *Vejorum* situs
intra hanc *Hetruriæ* partem, quæ *Ci-
mino* & *Roma* clauditur. Et quoniam
primo omnium plures aliorum opi-
niones nobis adversantur, optima via erit, singu-
las ordine examinare, & si has inter non repe-
riatur, alibi illum per nos ipsos quærere.

Narrat *Blondus Flavius* in *Italia Illustrata*,
quosdam sui temporis credidisse *Civitatem Castel-
lanam* esse *Vejos*; quæ persuasio tam avide arrepta
est, & tam altas in animis multorum istius urbis
incolarum radices egit, ut ultra terminos opinio-
nis hoc tempore progressa ac sustentata, a multis
illorum habeatur pro axiomate inter omnes Histo-
ricas veritates præcipuo. Sed illorum sententia,
94 originem trahens ab hominibus temporum mino-
ris lucis, & (ut ita dicam) [a] Typographiæ ve-
teris, qui ante *Blondum* satis crasse de antiquitate
judicabant, & propterea facile iis animis instilla-
ta, qui præcelsarum abruptarumque rupium, un-
de, *Romá* eo tendentibus, Urbs ista in modum tur-
ris assurgit, tantummodo rationem habuere; non
sine prægnanti causa hoc tempore, postquam ta-
les quæstiones multo fusius ac subtilius disputatæ
ac discussæ sunt, ab omnibus illis, qui ex pro-
fesso hanc materiam tractarunt, exploditur. Cui-
vis vel levissimo examini subjecta hæc sententia

D erronea deprehenditur, & rationes quæ exclu-
dant *Civitatem Castellanam*, si quærantur, plurimæ
sunt, & momentosæ omnes, ita tamen, ut earum
instruendarum producendarumque nullus sit la-
bor.

Principio, id omne, quod Partis Primæ capit-
primo conclusi, facit; ut *Civitas Castellana* re
periatur extra agrum *Vejentem*, in mediis *Faliscis.*
Ager *Faliscus*, qui se extendebat a *Cymino* ad *So-
racte*, & *Nepesinus*, qui una cum *Falisco*, ut di-
ximus ibi, versus *Romam* terminabatur *Vejente*,
quanto magis *Romam* propinquabant, quam *Civi-
tas Castellana?* Porta Septentrionalis *Nepetis*, qua itur
E *Civitatem*, & quæ *Romæ* vicinior est, quam *Civi-
tas*, & tamen *Falisca* appellatur, nonne declarat,
in qua Regione *Civitas* reperiatur? *Soracte*, di-
ctus Scriptoribus *Mons Faliscorum*, & *Fons* a *Vi-
truvio* in *Faliscis* collocatus, qui prope *Ponzano*
est, nonne illam in gremio illorum retinent?
Campi *Falisci* quænam dici poterunt, nisi planities
illæ, quæ *Soracte Civitatem*que juxta *Tiberim* in-
terjacent? Quis alius campus *Faliscus*, in termi-
nis longitudinis, de quibus agitur, id est spatii *He-
truriæ Cis-Cyminiæ* poterit dici a *Livio*, *non procul
ab urbe?* Volumusne cum novo Defensore, ut
F *Civitas* in *Vejentem* transeat, agros confundere,
& ex iis facere, quod proverbio dicitur, *un' Oglia* 95
pudrida Spagnola? Qui id sibi sumit, exprimat
illam, punctis lineisque in Tabula Geogra-
phica distinctam, & rei experimentum ca-
piat.

A Civitate *Fallerium*, vix duo sunt milliaria, &
paulo ultra *Fallerium* incipit Sylva *Cyminia.* Quæ
quanta olim fuerit, si quem juvat cognoscere,
contempletur ejus, quam *Livius* præbet, faciem,
lib. IX. *Sylva erat Cyminia*, *magis tum invia*, *at-
que horrenda*, *quam nuper fuere Germanici saltus*,
nulli

[a] *Della Stampa vecchia.*

nulli ad eam diem, ne mercatorum quidem adita; eam intrare haud fere quisquam præter ducem ipsum audebat; & non multo post: *Abhorrebat a fide quenquam exterum Cyminios saltus intraturum.* An igitur, ubi nunc ad pedes *Cymini* [a] multa sunt Oppida & Castella, olim aliud quid fuerit, præter annosarum arborum densitatem, ferarumque immota cubilia, quivis potest existimare. Et si *Civitatem* usque *Vejens* ager excurrebat, quibus, quæso, angustiis *Falisca* regio inclusa erat, unde tanti prodibant exercitus, & cujus populus, non minus potens erat, quam *Hetruriæ* cæteri? An proferebatur ab ulteriore parte *Cymini*, usque ad *Monte Fiascone*? satis superque contrarium, ut ego puto, ostendit *Massa*; & etiamsi eousque se extendisset, nonne *Fallerium* in *Faliscis* mansisset? hoc sufficit, ut *Civitas* non sit eadem cum *Vejis*. Si *Treia* erat *Cremera*, ut illi dicunt, & terminus inter *Vejentes* & *Romanos*, vide, in quantum sese *Vejentana* regio extendere potuerit. *Civitas* ad Occidentem *Fallerium* habet non ultra duo milliaria, ad Austrum *Nepete*, ad quatuor solummodo, ad Septentrionem a *Tiberi* circiter duo milliaria distat, & ad Orientem a *Treia* alluitur, quæ si
96 fuerit *Cremera*, agrum suum a *Romano* dividebat. En amplitudinem populi tam potentis ac celebris. *Roma* igitur cum agro suo se ab illa parte extendebat ad triginta millia; *Veji* restringebantur terminis, quos monstravi, iisque comprehendi poterant omnes illæ urbes, de quibus loquitur *Dionysius* lib. III. *magnas Urbes & populosas habentes*. Et poterat *Vejens* ager major esse *Romano* etiam post *Vejos* expugnatos? Magnificentia illa & opulentia *Vejorum* unde contracta fuit? Si probe rem spectes, omnis illorum, quibus a ceteris regionibus *Vejentana* dividebatur, confiniorum ambitus non multum superabat (iterum dico) amplitudinem, quam Urbs ipsa sola requirebat; & iste misellus ager potuissetne *Romanos* inducere, ad deducendas eo colonias, eique etiam *Romam* inædificandam? O quam egregie in eum quadrabat illud encomium, quo etiam post *Vejos* deletos, ornabatur a plebe: *Latior Romano agro.*

Dicit Defensor, paulatim a *Romanis* diminutum esse. Sed quonam tandem post Regem *Servium* tempore? Quando unquam *Vejens* ager non fuit *Romano* major? An credibile est, *Vejentes* & *Faliscos*, grandem utrumque populum, principes civitates suas, non amplius duobus milliariis a se invicem remotas habuisse? Parum ad rem facit exemplum, a Defensore allatum, *Sinigagliæ* & *Fani*, civitatum a se invicem plus quatuor milliariis distantium. Civitates simplices, non duarum regionum capita sunt, nec tam magnæ ac *Veji* & *Falerii* erant. Earumque insuper vicinitas ad quatuor & amplius milliariorum observatur.

Multo minus huc accommodari potest *Plinius*, qui *citra* tredecim Millia passuum a *Roma* apud *Tiberim* extendit agrum *Vejentem*. Dicent suo loco Historici, finem *Romani* agri, ubi plurimum primis istis temporibus, ad sextum aut septimum lapidem fuisse; & sub Regibus a nulla parte sese
97 ultra quintum decimum dilatasse; exclamavit apud *Livium* plebs, *Vejentem agrum Romanis in conspectu* fuisse, in comparatione etiam eorum, qui non amplius viginti Millia passuum inde aberant; Ostendet *Valerius Maximus*, *intra septimum lapidem Triumphos quæsitos*, si *Treja* fuit *Cremera*, jam inde a tempore *Romuli*, aut *Servii Tullii Romanus* ager ultra triginta septem milliaria antiqua excurrebat, & *Romulus* non nisi intra septimum lapidem triumphos suos quæsivit,

a *Più Terre e Castelli.*

Tanta porro est *Romam* inter & *Civitatem Castellanam* distantia, ut vicinitate, quæ *Vejis* attribuitur, ne quidem possit accommodari, etiamsi omnia milliaria [b] duplicarentur. *Dionysius*, Auctor tam bonus, diligens, & fidelis, qui in locorum distantiis ubique tam accuratus est, duodecim ponit cum dimidio, quæ etiamsi more [c] pellium dorcadicarum intendantur, corruptumque apud *Dionysium* numerum esse supponatur, nunquam triginta *Civitatis* milliariis hodiernis accommodari possunt. Non video, qui tanta contentione & tam varie culpari possit iste locus *Dionysii*, cujus pars *Vejos* in alto quodam jugo summoque præcipitio depingens, basis unica est, cui omne bonum istius illorum opinionis insistit. En autem illum integrum: *Distabat Roma centesimo stadio; erat autem Athenis non minor, fundata in excelso, & undique prærupto scopulo.* Bonus *Dionysius*, quatuor res, duobus versibus dicit; distantiam centum stadiorum, æqualitatem cum *Athenis*, altitudinem saxi, & scopulum undique præruptum. Prima negatur prorsus, altera conturbatur ita, ut refutetur. Tertia, quæ altitudo est, volunt ut intelligatur potius in superlativo gradu. Quarta, quæ concernit vocabulum *undique*, discrete trium tantummodo partium respectu explicatur. Tam 98
crudeliter, ut fiant *Veji Civitas*, pauca illa verba excipiuntur. Sed *Dionysio* hac vice partim nulla conceditur fides, partim acceditur cum exactitudine, ut ita dicam, superstitiosa; sit pars istius textus Oraculum, pars mendacium; an *Eutropius*, qui bis eadem octodecim milliaria recenset; huc accommodari potest. Conceditur, & fatemur, illa a centro *Romæ* inchoari debuisse, unde si hoc tempore inchoata fuerint numerari, quivis existimare potest, qua in parte *Flaminiæ* finirentur, & quantum ab extremo illorum usque ad *Civitatem* restaret terræ. Tertio loco hic adest *Plinius*, qui intra tredecim millia a *Roma* abscindit omnem *Tiberis* ripam, quæ *Vejentis* est agri. Audio mihi responderi: illum esse corruptum, & loqui de agro, non de urbe *Vejente*. Sed *Vejens Crustumino* agro oppositus tollit omnem umbram corruptionis, & ab agro ad urbem valet hoc loco argumentum *a majori ad minus*. Tabulæ *Peutingerianæ*, quæ tam exacte *Dionysium* sequitur, quid opponi potest? diceturne corrupta? dicatur sane; quum non sit præter probabilitatem, librarium aliquando in numeris errasse, quanquam ut plurimum ad miraculum usque exacti reperiantur. In via *Cassia Vejos* collocari, non temere est: siquidem ab ea prorsus exclusa manet *Civitas Castellana*.

Dicit Defensor, isti tamen Tabulæ non esse credendum. *Saxa Rubra* in *Flaminia*, (ait ille) obstant, quominus *Veji* in *Cassia* potuerint esse. O præclarum argumentum auferendæ fidei testimonio tantæ existimationis. Quis unquam dixit, *Saxa Rubra Vejis* vicina fuisse? erant ibi castra *Hetruscorum*, sequitur idcirco, propius illa a *Vejis* fuisse, quam castellum *Cremeræ*? sed facile clarius illud adhuc fiet ex vero situ, quem ostensuri sumus. Adeoque, etiamsi viciniora essent 99
in nono, & in duodecimo a *Roma* milliario, quis nescit, quam parum una ab altera distent illæ duæ viæ. Et si in una legitur *Vejos*, in altera erant *Saxa Rubra*, nonne apparet, *Vejos*, qui non in *Cassia*, sed prope eam erant, potuisse *Flaminiæ* pariter vicinos esse.

Restat, (ajebat *Micus*) Historiæ *Romanæ* parens *Livius*, cujus solius dicto postulabat habere fidem. Collocantur *Veji* a *Livio intra vicesimum lapidem.* *Civi-*

b *Si foderassero.*
c *Pelli di camozze.*

Civitas est *ultra tricesimum*, *ergo?* Illud *intra vicesimum* de quot milliariis absque tortura intelligi queat, in prima parte, explicui; & quum salva auctorum concordia intelligi queat, quid ni ita fiat? an quia non bene quadrat in *Civitatem*? & ut quadret, illud *intra* τῷ *ultra* ulterius trahendum est? In hujusmodi phrasibus indeterminatis sumitur ambitus aliquis largus, cui certius ita securiusque verum spatium includatur. Nec sufficit, Rhetorico quodam *Appii* colore *Livium* hic exornare, cui quam parum deditus sit, monstravi.

Livii hunc locum videri volebat *Micus* distantiæ *Civitatis* accommodare per viæ quoddam compendium, quod *Româ Civitatem* fit per *Scrofanum* & *Maglianum Pecorareccio*. *Româ Scrofanum*, inquiebat, duodecim sunt milliaria, *Scrofano Maglianum* tria, & inde porro *Civitatem* alia restant septem, quæ exacte duo & viginti milliaria efficiunt; unde *Livius* dicendo viginti non longe recedit. Sed illa tam facilia viarum compendia captarentur optime, si tam bene rebus ipsis, quam verbis fierent. *Roma Scrofanum*, *Scrofanenses*, si ullo cum fundamento, a cujusquam illorum dictis possumus stare, fatentur quatuordecim esse milliaria grandia, quæ volunt, existimari quindecim. *Scrofano Maglianum* iter est quatuor milliariorum & *Magliano Civitatem*, si non plura sunt quam octo, grandia sunt, quæ simul sumpta, & numerata, non nisi a *Porta del Popolo* sunt septem & viginti; mensurata autem ad antiqua, & jam inde a Columna *Campi Vaccini* inchoata quot forent? Accommodetur iis illud *intra vicesimum*, si potest. Sed quænam debet fuisse hæc tam bella via? in quo *Itinerario* ejus mentio fit? Dicamus quod res est. Illa tam difficilis, tamque itineri faciendo iniqua est, ut paucis hodie nota sit; & ipsi *Castellanenses* ultro elegerunt longiorem illam alteram. Quapropter antiquitus non potuit valde trita aut usurpata fuisse, quum credibile sit, rudiorem illam fuisse, quam hodie.

100 Novus Defensor, non *Vejorum*, sed *Civitatis* aliam reperit. Dicit, *Vejos* olim itum esse per *Nepete*, quod iter brevius sit, quam per *Flaminiam*. Optime. Hæc est via *Amerina*, quæ a *Nepete* tendebat *Falerios*, & inde *Ameriam* per *Castellum Amerinum*, & dici potest, inter *Nepete* & *Falerios* flexisse *Civitatem* versus. Sed ô! quam belle ei cum *Peutingeriana* convenit, quæ *Vejos* ponit, multo ante illum locum, ubi *Amerina* e via *Cassia* excurrit, ac recenset ante *Nepete* & *Baccanum*; & a *Roma* ad *Nepete* notantur triginta millia; quomodo igitur illud *intra vicesimum* mensuræ *Civitatis*, *Nepete* longinquioris, attribui potest? En istius viæ partis breve fragmentum.

Ponte Milvii III.
Ad Sextum. . . . .
Vejos VI.
. . . . . . *VIIII.*
Nepe VIIII.
Faleros V.

101 Sed pejor est. Ego, qui illam viam, quæ recta a *Nepete* ad *Civitatem* fert, non parum tero, pro certo affirmare possum, illam nullius usus fuisse antiquis temporibus; quia, præterquam quod ne ullum quidem ejus rei signum reperiatur, in occursu *Civitatis* subsidet per rupem tam præcipitem, ut horreas; & quotquot ibi pertranseunt, ab equo descendant. Datur eo pervenire per planam, sed tanto circuitu opus est, ut a *Roma* ad *Civitatem* plus itineris foret per *Nepete*, quam per *Flaminiam*; quæ hodie ita in usu est, ut via *Nepesina* a nemine teratur.

Restat ultimum Defensoris refugium. Quod est, rixam movere circa diversitatem milliariorum temporum antiquorum; qua postulat, ne ullius milliariorum, qui legitur apud Scriptores, numeri ratio habeatur. Sed rixa sua sese ipse irretit. Quia quotquot exempli causa allegat hodiernis pariter cuncta minora sunt, ut supra tetigi. Hanc diversitatem illustrando, omnem errorem tollunt tabulæ Geographicæ; eorumque rationem inire hodie non est difficile. Milliaria olim nunquam successu temporum variarunt; imo ad mensuram stabilita, & in lapidibus notata per omnes vias cuivis vel minimæ varietati occasionem præripiebant. Erant multo minora hisce nostrorum temporum, non solum quia (ut observat *Collegium Romanum* in Historia Martyrii *SS. Abundii* & *Abundantii*) nondum repertis, tot ac tantis compendiis, necdum stratis tot locis acclivibus, per quæ hodie rectius fit iter, multo magis sese flectebant viæ & in longius extendebantur (id quod *Cluverio* non probatur) sed etiam, quia milliaria exacte seu ex vero, olim, non pro lubitu dicebantur. Erant millenorum passuum, sic dicuntur semper a *Plinio* & *Antonino*. Passus erat quinque 102 pedum. Id clarum facit *Plinius* lib. II. cap. XXIII. & *Columella* lib. V. cap. primo. Pedis mensura *Colotiana* ad manum est, quæ antiqua est, & sedecim digitorum, seu *unciarum palmariarum*, adeoque efficit palmum cum parte tertia ex hodiernis nostris. Præterea alio etiam modo hæc ratio institui potest. Pes efficiebatur ex quatuor palmis antiquis, dictis minoribus, hi autem fiebant ex quaternis solummodo digitis. Habetur illud apud *Vitruvium* lib. III. *Frontinum* libro de Aquæ ductibus & in *Appiani* Cosmographia. Digitus, ut ab eodem *Appiano* asseritur, ad crassitudinem grani hordeacei quadruplam erat. Quæ exacte unciam hodiernam, efficit. Colligatur itaque, milliarium fuisse pedum MMMMM. & idcirco palmorum nostrorum MMMMMMCCCCCCLXVI. & unciarum VIII. qui ad catenas Geometricas reducti, paulo plus quam CXV. catenarum faciunt, antiquum illud milliarium, quocum distantiæ, quarum apud Scriptores antiquos mentio habetur, adæquari debent. Diversissima a nostris hodiernis sunt, quoniam post perditam milliariorum lapidum memoriam, non nisi ex vulgari opinione de iis sermo fit. Unde accidit, ut per *Italiam* & multo magis per *Thusciam*, & per statum Ecclesiasticum (quemadmodum *Cluverius* libere dicit) usurpentur milliaria justo multum longiora. Et hæc, si quando mensurato opus est, Architecti ad CXL. & nonnunquam etiam CL. catenarum longitudinem reperiunt. Mensurato itaque ad antiquam regulam spatio, quod *Romam* inter & *Civitatem Castellanam* est, sive id per *Scrofanum*, sive per *Rignanum*, sive per *Nepete* fiat, quomodo illud *intra vicesimum* excipietur? diciturne scriptores omnes errasse? Itineraria esse corrupta? Quisquamne autem erit, qui in toto erratum & in tanto vitia admissa esse credat. Missa hæc faciamus. Ad amputandum uno ictu omne germen prætex- 103 tus, securim in manum sumamus. Inspiciamus omnia eaque tria antiqua tantæ auctoritatis Itineraria, & primo illud *Antonini*, & conferatur per viam *Flaminiam* cum antiquo *Ponte Centesimo*, qui est supra *Folignum*; qui terminus nec controverti nec falsi potest argui. *A Româ* ad eum, ubi erat *Vicus Flaminis*, *Antoninus* centum exacte milliaria computat; ita ut in ejus numeris, a *Româ* ad *Vicum Flaminis*, & *Pontem* illum, nec error esse nec vitium possit. In hoc tractu *Antoninus* a *Roma* ad *Ocriculum* XLIX. milliaria ponit, id est, ad *Villam Rostratam* XXIV. & inde ad *Ocriculum* XXV. An igitur a *Roma* ad *Civitatem* minus esse quam XXXVIII. potuerunt? Itinerarium *Hierosolymitanum* a *Româ* ad *Aquas vivas* XXXII. numerat, inde *Ocriculum* XII.

quæ faciunt XLIV. *Peutingeriana*, licet injuria temporum in hac parte tam corrosa sit, ut ad *Aquas vivas* desideretur numerus, ut & ad *Ocriculum*, nihilominus in loco, *ad vicesimum* exacte consentiens in reliquis pariter *Hierosolymitanum* confirmat. Denique ex superabundanti accedat Historia SS. *Abundii* & *Abundantii*. Leguntur ibi hæc verba: *Eadem nocte venit Theodora Matrona cum pueris suis, & posuit eos in vehiculo suo, & deportavit eos in prædium suum, milliario ab Urbe vicesimo octavo.* Quod prædium, *in lapide vicesimo octavo*, fuit *Rignani*, ubi Corpora illa sancta primo reperta sunt. Si *Rignanum* igitur erat *in* XXVIII. *lapide*, nonne distantia, quæ ab *Antonino* a *Roma*, ad *Ocriculum* fit, XLIX. milliariorum est, atque adeo a *Roma* ad *Civitatem*, XXXVIII? Locus *Ad vicesimum*, erat *il Borgo di Castel Novo*, ubi sepulta adhuc sub terra jacent admiranda antiquitatis
104 vestigia, vel *il Monte della Guardia*, qui paulo ulterius est, non autem *Rignanum*, ut credidit *Cluverius*. *Rostrata villa* collocata ab *Antonino in* XXIV. non nisi prope *Morolo*, si non eodem loco, potest fuisse. Prædium *S. Theodoræ* in XXVIII. quod *Rignani* fuit, exacte eo concedit. Quæ omnia *Civitatem Castellanam* ultra XXXVII. milliaria removent.

Explicentur nunc etiam illæ per viam *Cassiam* & *Amerinam* distantiæ. *Pons Centesimus*, qui est ultra *Aquam pendentem*, olim erat in lapide centesimo *Cassiæ*, quemadmodum ille alter *vici Flaminis Flaminiæ* viæ; & nihilominus a *Ponte Centesimo* ad *Romam* ne quidem LXX. milliaria hodie numerantur; a *Roma* ad *Sutrium Itineraria* unanimi consensu XXXIII. monstrant, idque ex convenientia distantiæ ejus a *Ponte Centesimo* verum esse probatur. Et tamen hodie nonnisi XXV. æstimantur. In altera *Amerina*, quæ post *Baccanum* a *Cassia* deflectebat, cujus divisionis videre est vestigia prope diversorium, quod dicitur *l' Hosteria delle Settevene*, a *Roma* ad *Nepete* ponuntur XXX. milliaria, hodie non nisi XXII. dicuntur esse. Quanto jam magis *Civitas* ultra XXX. milliaria esse debet! Et quum in tanta milliariorum exiguitate Scriptores de *Vejis* agentes, unanimi consensu *duodecim*, *duodecim & dimidium*, *tredecim*, & *intra vicesimum* dicunt, quanto propius ergo *Romæ Vejos* collocant, quam *Civitatem Castellanam*, quæ per triginta octo aberat, aut minimum per triginta sex, etiamsi ubique errores, eosque notabiles, supponere velimus. Per *Flaminiam* opus esset dicere, *Vejos* fuisse inter *Primam portam* & *Castel Novo*, aut fateri, Scriptores pari asinina stupiditate præditos esse; & hisce suppositis, quum videas *in Peutingeriana Vejos* poni in *Cassia* inter *Sutrium*
105 & *Romam*, & XXI. milliariis *Romæ* viciniores quam *Sutrium*, XVIII. milliariis quam *Nepete*; constanter tamen illos apud *Civitatem Castellanam* velle retinere, nonne paradoxum sua deformitate horridum est? A duodecim ad triginta octo plus quam duæ tertiæ partes intercurrunt, & ab octodecim *Eutropii* plus quam dimidia. Homines judicii ab nulla passione, aut alia re obfuscati, nunquam varietatem mensuræ tam male institutæ admittent. Si Scriptores interdum errant in distantiis, id inde fit, quod non alio sensu de iis loquantur quam circumcirca, & sic debent intelligi; nec discrepantiæ inter illos loco habenda est quævis parva diversitas, quæ apud illos reperitur. Nec unquam apud ullum Historicum credendum est errorem esse commissum, quamdiu nec evidentia, nec alia major auctoritas contraria se opponit. Et hic non solum nihil se opponit, sed mille aliis argumentis cognoscitur, *Vejos* multo *Romæ* viciniores fuisse, quam *Civitatem Castellanam*. Id videamus.

Omitto, vicinitatem eorum a tot auctoribus amplificari; id quod nec *Sutrio* nec *Nepeti*, nec *Cæriti*, nec *Ariciæ*, nec *Gabiis*, nec *Tusculo*, nec *Volscis*, nec tot aliis urbibus, & populis *Civitate* vicinioribus, contingit; & *Livium* illos *in conspectu* dicere. Si probe ingrediaris, sed mente nullo affectu obvelata, illa verba *Eutropii*, quibus de *Fidenis* & *Vejis* loquitur: *Quæ loca tam propinqua Urbi sunt*; depingunt *Vejos* ut & *Fidenas* tanquam duas ex maxime vicinis urbibus, seu magnis seu parvis, quæ circa *Romam* fuerint, quæ vicinitas sic proclamata non bene quadrat in *Civitatem*. Prætereo, *Romulum* tam facile *Vejentes* a *Roma* fugasse, usque sub ipsorum muros, populationes victoriosas *Vejentes* inter & *Romanos* solitas facile ad urbem hostilem usque fieri, plus quam alias, quæ ab *Volscis*, ab *Æquis*, a *Latinis*, & a *Sabinis*, quorum 106
omnium urbes haud parum viciniores erant, quam *Civitas*, fiebant; & similia. Id rogo, qui fieri potuerit, ut *Hetrusci*, *Romæ* obsidione soluta, cum exercitu & impedimentis *vesperi* ad *Civitatem Castellanam* pervenerint? Viam *Scrofani* tam brevi temporis spatio miles non potuit conficere. Imo quomodo verum est, *Hetruscos* elegisse, eo se recipere tanquam in urbem omnium cæteris *Hetruriæ* viciniorem? Eratne tunc temporis *Civitas* vicinior ipsa *Cære*? imo nonne longinquor erat *Nepete* ac *Sutrio*?

Respondet ipsius Defensor, *Cære*, *Sutrium* & *Nepete* non fuisse Civitates *Hetruscas*: Sed errorem, quem ubi committit, non opus est refutare. *Cære* fuit *Civitas* non solum *Hetrusca*, sed una ex duodecim; & potuitne ille tam facile, eam e Provincia sua ablegare? Sed quod *pejus* est; urbem *Tarquinios*, quæ tam procul a *Roma* erat, cum reliquis *Hetruria* excludit, deterritus istis *Livii* verbis: *Tantus terror Tarquinium atque Hetruscos incessit*. nec recordatur, ibi non de *Tarquiniensibus*, sed de *Tarquinio*, *Romanorum* antea Rege, agi. Repetamus filum nostrum. *Velitræ*, & reliquæ *Volscorum* urbes, plus minusve a *Roma* distabant, quam *Civitas*, adeo ut eo in coloniam ire hujus respectu, esset relegari, & *Civitas* in comparatione *Volscorum* poterat existimari *in conspectu*? Quum *Romani* in clade *Alliensi Tiberim* tranatassent, quod contigisse debuit inter *Rianum* & *Fraxinetum*; quis pavor, quæ necessitas, quæ stupiditas potuit istis hominibus *Civitatem Castellanam* suggerere, quæ inde plusquam viginti duo milliaria distabat, quum *Roma*, ipsorum urbs patria, non nisi undecim aut duodecim milliaria per lineam rectam abesset. Potestne hoc loco ad illud persuadendum sufficere admiratio *Livii*? Potuitne *Livius* militibus istis vitio vertere, quod a *Civitate Romam* 107
nuncium acceptæ cladis non miserint, quum multo ante quam illi mitterent, debuerint hostes Urbi tanto viciniores, eo pervenisse? Consul *Valerius* cum exercitu a media nocte a Ponte *Milvio* profectus, potuitne sine alis *Civitatem* petere, & ad urbem prœlium committere, vincere, Castra *Sabinorum* expugnare, deinde & *Vejentium*, & ad muros ipsos appropinquare ante diem? An credibile est, Consulem *Mamercum* in *Civitate* expectasse ex *Apulia* aut *Campania Gallorum* adventum? Et etiamsi a novis *Gallis* aliunde metus fuisset, quonam ille longius a *Roma* potuisset discedere sesque exponere, quum magna illa *Ciminia* sylva, qua tunc temporis terminabatur Ditio *Romana*, paulo ultra *Civitatem* inciperet? & *Livius* non valde præter rem dixisset: *Longius discedi, ne alio itinere hostis falleret ad Urbem incedens, non placuit?* Non minori consideratione digna sunt *Livii* verba, lib. quarto: *sunt qui Artenam Vejentium, non Volscorum fuisse credant. Præbet errorem, quod ejusdem nominis Urbs inter Cære, atque*

que Vejos fuit, *&c.* Non dicit inter *Cærites* & *Vejentes*, sed inter *Cære* & *Vejos*; indicio, duas hasce urbes ab se invicem non longe distantes fuisse, nec aliam spatio intermedio occurrisse præter *Artenam*. A *Civitate* ad *Cerveterem* non minus sunt quam 24. milliaria hodierna; interjacet *Nepete* cum suo territorio; quapropter, sive ad *Arronem*, sive apud *Martignanum*, aut alibi, fuerit *Artena*, inter *Cerveterem* & *Civitatem Castellanam* ne somniare quidem illam poterat *Livius*.

Micus, ut *Vejis* distantiam a *Roma* non minorem asserat, quam quæ est *Civitatis*, observat verbulum quoddam *Livii* lib. v. cap. xix. ubi dicit *Camillum Roma* egressum [a] ut *Vejos* iret, in agro *Nepesino* fudisse *Capenates* & *Faliscos*, qui ipsi oppositi erant,
108 ut a transitu eum arcerent; *Inde ad Vejos* (subjungit *Livius*) *exercitus ductus*: At vero si *Veji* propius *Romam* fuissent, quam ager *Nepesinus*, ita ut exercitus eo tendens retrogressus fuisset, dixisset (ut *Micus* putat) proprie loquendo *Abductus* non *Ductus*.

Hic primo temere supponitur, *Camillum Roma* egressum, ut *Vejos* iret (Historiæ vestigia presse sequamur) Egressus est autem eo animi proposito, ut *Faliscis* & *Fidenatibus* obviam iret, quum jam alius exercitus *Vejos* obsideret. Isti duo populi, ut *Romanos* ab obsidione depellerent, adoriebantur subinde munimenta & rursus recedebant. *Livius* non multo ante: *Namque eodem quo antea modo circa munimenta cum repente Capenates Falisciique subsidio venissent adversus tres exercitus ancipiti prœlio pugnatum est.* contra quos exercitus *Roma* missi fuerant *Genutius* & *Titinius*, sed cæsi. Ex quo multum exercitus, qui ad *Vejos* erat, metus contraxit. *Ægre ibi miles retentus a fuga est*, *cum pervasisset castra rumor &c.* Nec minor metus *Romæ* fuit, ne exercitus inde fugatus esset. *His tumultuosiora Romæ. Jam castra ad Vejos oppugnari*, *&c.* Et ideo *Camillus* novo exercitu instructus & missus est. Faciamus, jam conclusionem: si *Capenates* & *Falisci* soliti fuerint oppugnare obsessores, & ab iis rursus recedere, receperunt sese procul dubio, ubi maxime sibi tutum & commodum esset, atque adeo versus proprios fines, & non versus *Romam* in medios hostes; & si *Camillus* in agrum *Nepesinum* concessit ad prœlium cum iis committendum, ibique castris illos exuit; *Profectus cum exercitu ab Urbe exspectatione hominum majore quam spe, in agro primum Nepesino cum Faliscis & Capenatibus signa confert &c. non prœlio tantum fudit hostes*, *sed castris quoque exuit*, *&c. Inde ad Vejos exercitus ductus*; Clara est conse-
109 quentia, agrum *Nepesinum* fuisse ultra *Vejos*, & plus, quam *Vejens*, versus *Faliscos*. Quod ad observationem illam Grammaticam attinet, omnino proprie potuit a *Livio* dici: *Exercitus ductus*. Differentia verborum *Ducere* & *Abducere* non consistit in exteriore motus nostri apparentia, sed in fine & termino, quo dirigitur, & eodem modo se habent etiam verba: *Ire* & *Redire*. dicitur *Ire* & *Ducere*, quando quis proficiscitur abs termino *a quo*, *Redire* & *Abducere*, quando a termino *ad quem*, ad terminum *a quo*. Ita ut quando per circulationem itur ad terminum quendam, aut etiam a priori ad alterum quendam *ad quem*, dicatur *Ducere* potius quam *Abducere*, etiamsi motus ad speciem videatur retrogradus. Præterea etiamsi proprium verbum esset *Abductus*, non tamen improprie dictum fuisset: *Exercitus ductus*. *Ducere* differt ab *Abducere*, & *Ire* a *Redire*, ut genus a specie. Illa sunt verba generalia, quæ itioni & reditioni adaptantur; hæc specialia, reditionem solam spectantia; & usurpare interdum verbum aliquod generale, non est improprie loqui. sufficiat exemplum ad tollendum omne dubium, ex eodem *Livio*, hoc unicum. lib. vi. de *Camillo* agens dicit: *Sutrio recepto*, *restitutoque sociis*, *Nepete exercitus ductus*; & tamen a *Sutrio* ad *Nepete* regrediebatur exercitus, & *Romam* versus ita se convertebat, ut ex agro *Nepesino Vejos* eundo eo reverti potuerit.

Novus Defensor Civitatis persistens credere: [b] *Camillum adversus Vejentes cum exercitu Roma profectum*, *ut eo perveniret*, *fudisse prius agro Nepesino Capenates & Faliscos*, &c. [c] &: *Vejos petentem*, *prius obviam habuisse hostes in agro Nepesino*; *&c.* adducit præter verba *Livii*, ut sibi videri ait, clara, quæ id non dicunt, illa *Plutarchi* in *Camillo*, quæ aperte ei sunt contraria. *Post* 110
vota Camillus adversus Faliscos copias duxit, *& hos atque Capenates magno prœlio vicit. deinde ad Vejorum obsidionem flectit iter.* Si *Camillus copias duxit adversus Faliscos*, quomodo igitur verum est; *Roma eum profectum esse adversus Vejentes?* & *ut Vejos perveniret?* & si profectus est *adversus Faliscos*, *Vejentibus* remotiores, quæ repugnantia in eo est, quod ulterius quam *Vejos* perrexerit? Et verba, quæ sequuntur, quæque ipse pro se adducit: *Deinde ad Vejorum obsidionem flectit iter*, nonne sententiæ definitivæ sunt, *Vejos* non fuisse *Civitatem Castellanam?* laboret sane super incude Grammaticali illud *flectere*, quantum pote, dirigere in rectum, remanebit semper magnum curvamen. *Iter Flectere* non est simpliciter (ut ille dicit) *cursum dirigere*, *vel iter instituere*; sed *a cursu divertere*, *& iter alio instituere.* Quod quomodo potuit fieri a *Nepete* ad *Civitatem*, quum ipsius axioma sit, rectissimum iter ac brevissimum a *Roma* ad *Civitatem* fuisse per *Nepete*? Quum autem *Camillus* ex agro *Nepesino*, ipsa urbe intacta, *Vejos* profectus sit, potuissetne a *Roma* ad *Civitatem* illud iter per alium agrum facere [d] rectius? Omitto hic subtilitatem, qua inter *Flectere* & *Reflectere* distinguit, ne rei nullius momenti immorer; de quibus idem dici potest, quod de verbis *Dicere* & *Abducere* jam *Mico* dixi

Addit, ob vim majorem, cætera *Plutarchi* verba: *Falerienses & Capenates Romanis Vejenti obsidione occupatis crebro in agrum Romanum invasiones fecerunt.* Et subjungit: *si Veji inter Nepete & Romam fuerunt*, *non potuisse Faliscos istas invasiones facere*; *quia in hostes incidissent*, *&c.* sed qua necessitate? exercitus *Romanus* erat in stationibus suis 111
sub *Vejis*; numquid igitur duo volantia Hostium agmina non poterant e longinquo illam obsidionem, per amplum illum *Vejentem* agrum prætergressa, *Romanum* invadere ab aliqua parte; Quin etiamsi *Veji* olim agrum non majorem habuissent, quam hodie *Civitas Castellana*, nonne potuissent a pluribus partibus duo per eum exercitus transire, & ab urbe ipsa satis longe iter suum instituere? Imo nonne accedebant & invadebant & adoriebantur eo tempore castra obsidentium, ut dicit *Livius*? Quum legimus *Camillum in agro Nepesino*, *&c. signa contulisse*, nonne intelligitur, hostes etiam per aliorum agros large transitum eum fecisse? item si *Capenates* illam regionem habitarunt, quam illis assignat *Cluverius*, unde commodius excurri potuit ad istas invasiones faciendas? Infirmis nimis machinis aggressus est ille *Vejos*, *Civitatem* usque, a *Roma* removere. Quare in fine bene facit, quod post diu sustentatam vim

a *Per andar a Vejo.*
b Ita reddidimus Mazzocchii verba; quæ hæc erant, ut & hic ab Auctore citantur: *Camillo per venir contro li Vejenti partitosi con l' esercito &c. ruppe*, &c.
c *Per andar a Vejo s'incontrò*, &c.
d *Più diametralmente.*

F. Nardinus.

vim veritatis, eam tandem festive confiteatur.

Non adducerem rationes in medium. Sed quia multæ in responsionibus ad illas, quæ jam in contrarium allatæ sunt, tangi debent, ad effugiendam molestiam repetitionum; ad eas transeo.

CAPUT II.

Rationes adductæ pro Civitate Castellana refutantur facile.

Magnus argumentorum cumulus, quibus illi Mundo persuadere, aut saltem apud multos, suam de *Civitate Castellana* opinionem conservare conantur, a *Mico* mihi objectus est; eaque hæc sunt:

I. Altum illud & præruptum jugum, cui inædificata *Civitas* est, ei simillimum, quod *Dionysius* describit, *Vejis*que assignat; nec alibi urbem reperiri, situ verbis istius Historici tam adæquato, quæ ulla cum ratione potuerit esse *Veji*.

112

II. Flumen *la Treja*, ad pedes illud præterfluens, plane juxta cursum antiquæ *Cremeræ*, teste *Dionysio*, haud procul a *Vejis*.

III. *Aræ Mutiæ* collocatæ, ut dictum est, a *Plinio* in *Vejente*.

IV. *Saxa Rubra*, quæ juxta *Livium* erant in *Vejente*, non valde procul a *Cremera*, & juxta *Tacitum*, in via *Flaminia*. Hæc sunt (ajebat ille) ubi dividitur *Flaminia* nova a veteri in agro *Stabiano* a *Civitate* tribus quatuorve milliariis. Nec alia *Saxa Rubra* in *Flaminia* reperiuntur.

V. *La Cava*, (id est caverna illa) quæ est in conspectu *Civitatis Castellanæ*, quæ *Furiana* a *Furio Camillo* dicitur.

VI. Collis, qui dicitur *Il Campo Fabiale*, a præsidio, quod prope *Cremeram* trecenti *Fabii* condiderant, & *Trejæ* vicinus, structuræ est antiquæ, & vestigiis, quæ istius Castelli esse creduntur, plenus.

VII. Alius item locus, dictus *La Rotta del Campo*, non ita procul a colle, ubi Castellum erat, ubi volunt CCCVI. illos *Fabios* cæsos. Tam bellis recentibusque monumentis designabat loca rerum tam antiquis temporibus gestarum.

VIII. Præter hæc sibi persuadebat, Inscriptionem quandam Sepulcri antiqui, cuivis opinionis contrariæ silentium indicere; quæ hæc est:

113 D. M.
* P. GLITIO. L. GALLO TRIB. MILIT.
LEGION. PR. IIIVIRO. CAPIT. OP
VEHIIS P. Q. MAXIMILLA
AGNATIA. CON.
O. S. P.

Marmor, in quo ea legebatur, anno MDXCII. jacebat, ut ajunt, in angulo quodam impluvii Conventus *S. M. del Arco* istius urbis, ex eoque volebat Prior vas Aquæ sanctæ facere; cujus rei certior factus *Franciscus Micus*, qui in Magistratu erat, per Cancellarium exscribi illud curavit, & in acta Publica referri. Ornamenta ejus, quæ sunt folia operis satis egregii, jam ante immissa fuerunt fabricæ Portæ Suburbii, ubi præsenti hoc tempore conspiciuntur cum hac Inscriptione:

RODERICO BORIAE
CALISTI III. PONT. MAX.
NEPOTI EPIS. PORT. CAR.
VALENT. S. R. E. VICECANC.
VEHIENTES

* P. GLITIO] Abest notabilis hæc inscriptio ab Opere *Gruteriano*.

A RELIQVIAS SEPVLC.
P. GLITII L. GALLI TRIBVNI
MILITVM LEG. PRIM.
IIIVIRI CAPIT. CANDIDATI
VETVSTATE COLLAPSI
PATRI ET DOMINO B. M.
RESTITVI CVRARVNT 114

De *Glitio Gallo* mentio occurrit apud *Tacitum* lib. XV. *Novio Prisco per amicitiam Senecæ, & Glitio Gallo, atque Annio Pollioni infamatis magis, quam convictis, data exilia. Priscum Antonia Flacilla conjux comitata est. Gallum Egnatia Maximilla, magnis primum, & integris opibus, mox ademptis.* Hinc argumentabatur *Micus*: *Glitius Gallus*, in exillio *Vejis* sepultus est; ejus sepulcrum in *Civitate Castellana* est: Ubi igitur, præterquam hoc loco, fuere *Veji*?

B

IX. Argumenti loco afferebat, antiquam nominis *Vejentium* possessionem, quam isti Cives retinent in sigillo Communitatis, in quo scriptum est *Vejentes*; & in quibusdam litterarum notis, quas portis & muris publicis aut incisas aut inscriptas ostendunt.

X. Antiqua traditio. Volunt, enim auctore *Myrsilo Lesbio*, circa antiquitatem standum esse ab iis, quæ dicunt regionis incolæ; nec opus esse (phrasi hic utor *Mici*) ut *Lugdunenses* ex *Gallia* notitiam rerum antiquarum *Civitatis Castellanæ* apportent.

C

Hæc sunt munimenta, quibus *Vejorum* memoriam ex urbe patria, hoc est, loco natura ac situ tam valido, propugnabat *Micus*. Sed quamvis ad speciem alicujus momenti esse videantur, experientia tamen tam infirma redduntur, ut quivis fundæ, non tormenti jactus, ea labefactare possit. Sunt argumenta ab affectu magis quam a vi rationis excitata, & instructa. Sed ad Responsiones pergamus.

D

Primum quod prærupto scopulo inædificata est, id tale esse deprehenditur, ut apparenti similitudinis imagine dederit principium ita conceptæ opinioni; & per duo sæcula, quo spatio nequaquam tantum lucis habuere res antiquæ, ac hodie, potuit illam persuadere hominibus etiam non 115
ignorantibus. Sed fallax est contentio, consequentiam urbis antiquæ ex facie hodierna alicujus ducere. Urbes situ validæ, & scopulis inædificatæ reperiuntur multæ. Et *Veji* urbes multæ erunt, si nec viarum nec regionum conferre distantias opus est. Non omnes, aquilino naso præditi, sunt *Alexandri*, non *Cæsares* omni calvi, nec *Hannibales*, quotquot altero oculo capti sunt. Errabit fere semper, qui talibus fidere volet similitudinibus; & hujus rei fidem faciunt *Pseudo-Philippi*, *Pseudo-Herodes*, *Pseudo-Agrippæ*. Præterea locus plus quam unus, longo annorum cursu paulatim faciem, cum murorum tum situs, immutans, tandem forte fortuna exprimet effigiem, quam olim habuerit aliquis alius, quum inter temporum ac casuum vicissitudines injuriosas inveterascens transfiguratur. *Fidenarum* etiam mentionem faciens *Dionysius* lib. III. dicit illam & *Vejos*, *urbes populosas, & magnas fuisse.* Et tamen; quænam istius magnitudinis reliquiæ conspiciuntur in *Castel Giubileo*, cujus sedes vix [a] Arcem capit? a *Livio* lib. IV. appellatur: *Urbs alta, & munita*; & hodie non nisi [b] collis effigiem reliquam habet. Quid de *Roma* dicit *Plinius* circa tempus *Vejis* multo recentius? Alteros *Vejos* illam facit. *Munita præcelsis muris, aut abruptis montibus.* Et ipse *Vejorum* descriptor *Dionysius*, nonne dicit de hac ipsa *Roma*: *Pars ejus in tumulis, abruptisque sita rupibus ab ipsa natura* sic

E

F

a *Un Casale.*
b *Collina.*

sic communita erat, ut exiguo egeret præsidio; pars a Tiberi, non secus, ac muro defendebatur, &c. qua vero maxime hostium incursionibus Urbs est obnoxia, ab Exquilina Porta ad Collinam usque, opere manufacto munita est? Quæ rupes, qui montes hic nobis, scriptores illos audientibus, exhibentur? quinam autem, locum ipsum lustrantibus re-
116 vera præstantur? Quæ facies aut montium diruptorum aut rupium præruptarum ibi hodie servatur; & nonne urbes reperientur, quibus *Dionysii* ac *Plinii* testimonia melius adaptentur quam *Romæ?* Adde, quod verba Historicorum non possunt nec debeant cum tanta subtilitate demonstrari, ut ubi dicant *Aqua*, intelligatur Oceanus, ubi Altitudinem aliquam commemorent, ea in supremo gradu comprehendatur. *Dionysius*, qui scripsit Græcis, notavit altitudinem & situm *Vejorum*, non tanquam urbis inter *Thuscas* omnes singularis, sed tanquam urbis munitæ, & inter *Hetruscas* non vulgaris: Et si ejus historias haberemus integras, videremus, eum de aliis locis similiter munitis locutum forsan cum phrasi non minoris efficaciæ. Perpendantur verba *Livii* lib. v. *Urbes quoque plerasque munitionibus, ac naturali situ inexpugnabiles, fame, sitique tempus ipsum vincit, atque expugnat, sicut & Vejos expugnabit.*

Sed notis a signis *ad unguem* credatur, & textus ille *Dionysii* cum rigore observetur, ita ut ne quidem in eadem periodo, ubi de distantia dicit, fides ei habeatur. Urbs *Vejorum* sit *Civitas*, si *Vejorum* habitus ibi reperiantur, aut lineamenta. *Dionysius* scopulum illum celsum & undique præruptum dicit. Sedes *Civitatis Castellanæ* non est proprie scopulus, sed longus & continuus rupium tractus, qui Occidentem versus girum facit; & spatium habet tam largum, ubi Ecclesia Cathedralis & Arx est, ut ne quidem figuram ei concedat Peninsularem. Quare, si cui urbi aut loco illa descriptio male imponitur, huic pessime omnino adaptatur. Dicet aliquis, ut in parte prima etiam dixi, debere *Dionysium* intelligi cum discretione. Verissimum est. Sed si ita sumptis vocibus *Scopulus* & *Circum* vel *Undique* explicationis ergo, non tantum, non *Plane*, sed ne *Fere* quidem
117 adjiciendum est; minus forte declarabitur alta quidem illa rupes, sed non adeo, ut illa tantummodo, cui inædificata *Civitas* est, & tercentum ejus cannæ, eæque hyperbolice sumptæ, isti altitudini respondeant. Et hoc pacto, si investigentur ejus distantiæ, nulla non est Urbs, aut Oppidum, aut Castellum, conditum in rupe alta, & magis prærupta, quam illa. *Nepete* sita est in saxo simili, & quod minori spatio accedit ad planitiem. *Sutrium* fere prorsus in Insula. *Capranica* patria mea Insularis tota est. Et reliqua loca *Romam* inter & *Ciminum* fere omnia ita posita conspiciuntur. Quapropter quivis alius locus potius, quam *Civitas*, *Vejis* assignare poterit.

Præterea urbs illa ambitum quatuor aut sex milliariorum complectebatur, quum *Civitatis* rupes, si dicamus id, quod verum est, non multo majorem quam unius milliarii efficiant. Nec juvat cum ejus Defensore dicere; *supra Arcem potuisse, quantum vellet, sese extendere*; & *locum, qui est supra, il* Borgo Vignale, *hodie ita dictum, potuisse Vejis conjunctum & inclusum fuisse.* Nam si supra Arcem se extendisset urbs, ubi sese explicat planities, ibique habuisset magnitudinem *Athenis* & *Roma* non minorem, major ejus pars planitie, ipso situ parum munita, comprehensa fuisset; neque cum verbis *Dionysii: Undique prærupto scopulo*, quicquam commune habuisset. Si versus *il Borgo Vignale* (quoniam verba Scriptorum interpretanda veniunt, ut postulatur, stricte, ille autem terræ tractus, alia rupes est distinctissima, & accessu æquali, utraque præterea repræsentat duo cornua, aut duas linguas tophaceas *Trejæ* superimminentes) non uni saxo aut promontorio, sed duobus inædificata fuisset urbs *Veji*; situ multum ab eo, qui a *Dionysio* & *Plutarcho* describitur, diversa. Defensor, ut ostendat, *Civitatem* antiquitus supra Arcem habitatam fuisse, adducit, ibi reperiri an- 118
tiquæ sepulturæ reliquias; nec videt, id potius contrarium evincere. Si ibi sepulturæ locus fuit, situ ab Urbe divisus esse debuit, sicuti etiam patet ex planitie, qua ab Arce illò se extendit. Si sedes *Civitatis Castellanæ* Peninsula dicenda est, ibi ejus est Isthmus.

Non aliam urbem aut Castellum reperiri cum tali prorsus, qualis *Vejis* adscribatur, scopulo, quomodo verum erit, si tot alia loca, isti descriptioni propius, quam *Civitas Castellana*, accedunt? Sed esto. Non facit argumentum consequentiæ; primo, quia, *Vejis* destructis, locus ille hodie aut campus aut sylva, & repertu non ita facilis erit. Secundo, quia longum tempus terrarum faciem potuit immutare, sicuti dixi; ita ut in vanum ex sola similitudine judicium fiat. Stupesco, quod quum illa rupium altitudo potuerit, tanquam imago *Vejorum*, illos inducere ad judicandum de veritate, absque regionum aut ullius alterius rei comparatione, ipsis non potius mirificus ille *Orvieti* situs, *Vejorum* fuerit visus, scopulus totus quantus præruptus & per tractum grandem altitudinis, non communis, & amplitudinis insuper capacis. Stupesco, inquam; quoniam, quum similitudo nominis ac situs *Montem Faliscorum* a *Soracte* in *Monte Fiascone* transportari fecerit, poterant per characteres clariores, cum situs tum nominis (quis enim non audit *Orvieto* idem sonare, quod *Urbs Vejentum*?) eo *Veji* removeri. Si scopus Defensoris *Civitatis* vere fuisset, *Vejos* defendere, & non *Civitatem*, secure eo traxisset, quum cæteri omnes populi inter *Ciminum* & *Romam* ipsi non viderentur *Hetrusci*. Sed de *Vejorum* situ plura suo loco dicturi sumus.

Ad fundamentum secundum, quod *Cremeram* 119
concernit, facilior est responsio. Finis erat ille fluvius inter *Vejentes* & *Romanos*, vel saltem currebat per agrum *Romanum* prope finem. Id scio me ostendisse. nec Defensor tandem habet, quî id neget. Hoc confinium, non nisi ad quintum aut maxime septimum milliarium a *Roma* poterat abesse; quum nonus in *Vejente* esset. Ad plurimum itaque minus quam novem milliariis a *Roma* aberat *Cremera*. *Treja* juxta milliaria antiqua ad minimum abest triginta septem; & poteritne ulla verisimilitudine *Cremera* haberi? Si *Menenii* exercitus stetisset prope *Trejam*, quomodo potuissent milites *Romani* una sola nocte, ex castris aufugere, *Romam* venire, ibique, durantibus adhuc tenebris, ad defensionem multa præparare, modo prœlium illud non ea nocte commissum fuerit, quam natus est *Hercules?* Si *Treja* non fuit *Cremera*, *Civitas* etiam non fuit urbs *Veji*, quum circa illud flumen nullum aliud reperiatur, quod *Cremeræ* antiquæ respondeat.

Tertium, quod ad *Aras Mutias* pertinet, jam e medio sublatum est. Addo, etiamsi *Aræ Mutiæ* in *Vejente* fuissent, non idcirco argumentum inde concludens formari posse. Non, nisi circulo Logico committendo, dixeris: *Aræ Mutiæ* sunt in *Vejente*; ergo *Civitas* propius *Faliscos*, quam *Aræ Mutiæ* sita, in *Vejente* est. Et si jam tandem in *Vejente* fuerit, estne igitur urbs ipsa *Vejorum?* quis unquam *Aras Mutias* prope *Vejos* collocavit? accedat ultimo loco diversitas lectionum apud *Plinium*, e quibus multæ habent; non: *Ad Aras Mutias* aut *Murtias*, sed: *Ad Aras Martias.*

Quartum, quod *Saxa Rubra* spectat, quam sit Chimæricum, id quod ea de re dixi, clare demonstrat. Non amplius a *Roma Saxa Rubra* aberant quam novem milliariis. Nam præter id quod
120 patet ex occulto *Marci Antonii* ingressu, & itinere gestisque alterius *Antonii*, *Sextus Aurelius* illud [a] aperte dicit. De loco autem, qui *Rubræ* & *Lubræ* dicitur, qui non longe potuit abesse, horti *Martialis*, duo Itineraria, & Historia Sanctorum *Abundii* & *Abundantii* concordant. Nec potuerunt isti Sancti, *Roma* versus decimum lapidem ad martyrium euntes, apud *Stabiam* pertransire. Accedit, quod locus ille, qui pro *Saxis Rubris* celebratur, prope ponticulum quendam antiquum, non nisi aliquantulum terræ cum vena rubra habeat, cæterum nec caverna, nec petræ ibi tali colore reperiuntur. Et illa monumenta, instar *Protei*, modo pro *Saxis Rubris*, modo pro *Aris Mutiis* vulgata & accepta sunt; quum tamen & hæ & illæ urbes aut Castella essent distincta. Non alia *Saxa Rubra* per *Flaminiam* reperiri, non ita libere dicatur; ego id agam, ut ea monstrem suo tempore. Interim necesse est concludere, etiamsi non reperiantur, quodvis aliud de iis judicium plus fundamenti habere, quam istam illarum eo loci translationem; sed si quis velit videre, quam male de istis *Saxis* divinetur? legat *Livium*, ubi mentionem illorum facit. Exercitus *Fabiorum* erat ad *Cremeram*, *Hetruscorum* apud *Saxa Rubra*, & idcirco longius a *Roma*, quam *Cremera*. Prœlio prope *Cremeram Hetrusci* sunt *fusi retro ad Saxa Rubra*. Ergo in *Vejentem* ulterius. *Terra Rubra* prope *Stabiam* tria aut quatuor milliaria propius quam *Treja* versus *Romam* est. Itaque aut non est locus, quem *Saxa Rubra* vocat *Livius*, aut inverso ordine hodierno, *Veji* fuerunt versus *Romam*, & *Roma*, ubi est *Civitas*; aut postremo *Cremera* non fuit *Treja*, sed alius fluvius propius *Romam*, quam illa *Saxa*, qualis *Civitatem* accedere aut præterlabi nequaquam potuit. Ita si illa fuerunt *Saxa Rubra*,
121 *Civitas* non fuit *Vejorum* urbs. Talibus consequentiis tam obstinatæ conjecturæ inserviunt.

Negat mihi Novus Defensor minorem, quum vocat propositionem, dicens: *Saxa Rubra hodieque novimus esse a parte Vejorum, usque vicina, ad latus, & in flexura istius fluminis, sed non idcirco prorsus trans Cremeram, quemadmodum vult Nardinus.* Et inferius: *Poterant quidem stare, sicuti hodie etiam stant a latere, & in qualicunque proportionata distantia ab isto flumine.* Sed si flumen erat terminus (idque verissimum est) quomodo poterant in *Vejente* inter flumen & *Romam* stare? Et si steterint a latere ad flexuram prope flumen ([b] ita frustra laborat stricturam argumenti evadere) quomodo hoc conciliatur cum antiquis illis monumentis, quum non oblique sane, sed via recta a *Roma* reperiantur tria aut quatuor milliaria ante *Trejam*? Inauspicato sane, ut pote, qui nequeat istis suis torsionibus se extricare, versus finem ostendit, quam sibi vim faciat argumentum meum, ab ipso tanquam suum proprium explicatum.

Quintum, quod a *Cava Furiana* desumitur, validissimum foret, si illa caverna esset Cuniculus factus a *Furio* in obsidione *Vejorum*, aut aliunde appareret, ipsius illud esse opus. Sed certum est, non esse Cuniculum, qui subterraneo ductu in Arcem duxerit, & via tam commoda ne per somnium quidem videri potest facta ante annos bis mille. Hodiernum opus est; nec anni *Noæ* sunt, ex quo *Flaminia* ad illam [c] excipiendam accommo-

A data fuit. vivaque adhuc ejus rei memoria *Romæ* forisque est. Quapropter præ nimio affectus fervore factum est, ut illi tam cito nomen *Furii* inderetur, ad persuadendum antiquam illam esse. Sed habeatur pro tali; *Quid inde*? quæ necessitas inde resultat, ut *Civitas Castellana* sit urbs *Vejorum*. Si *Camillus etiam* obsedit *Falerios*, duobus milliariis a *Civitate*, aut ad easdem cum ea 122 ripas juxta *Cluverium* sitos? Hæc dicta sunto differendi gratia, non pro necessitate responsionis.

Sextum, quod est *Campus Fabialis*, non majoris nervi est. Potestne fieri, ut a bis mille an-
B nis & amplius adhuc exstent vestigia Castelli, refugii gratia exstructi ab hominibus, ad hujusmodi opera, nonnisi levia & parvi momenti, assuefactis? An credibile est, *Vejentes* illud non prorsus solo æquasse, ne sequentibus temporibus restaurari posset? Erat illud Castellum ad flumen in rupe quadam prærupta. Vestigia, quæ illi narrant, procul a flumine sunt, in clivo quodam ascensu non admodum difficili, cui hodie nomen *Campo* est, & *Campo Favale*, quod ad hodiernam & popularem pronunciationem accommodatum expressius ac verisimilius id genus leguminis sonat, quod ibi forsan seri solebat. Accedat hic *Persius* & ex-
C clamet:

O Curas hominum! o quantum est in rebus inane.

De loco autem, qui dicitur *la Rotta del Campo*, quod septimum est argumentum, quid dicemus? tales memoriæ, quanto plures sunt numero, tanto magis apparet illas esse affectatas. In cæteris *Italiæ* urbibus & *Romæ*, quæ jam abhinc annis MCC. suam habebat magnitudinem, & semper homines doctos habuit, saltem respectu temporum, quæ insecuta sunt, non datur traditio rerum antiquarum, sed ad agnoscendum id, quod eo de
D genere cernitur, haud parum laborant; *Et Veji*, qui ante *Romanas* illas fabricas, quæ hodie antiquitatis monumenta sunt, jam antiquati erant, post tot secula servaverint vivas & recentes memorias camporum, ne dicam collium, saxorum, & rei tam pusillæ, ut caverna est, cum nominibus in contemptum terum adversarum, quas *Italia* perpessa est, rotundis, politis, & cum *Thuscis* articulis, ac si annis abhinc paucis demum iis imposita fuissent; interea dum venerandum illud nomen *Vejorum*, 123 quod majoris erat momenti, plane deperditum fuerit? Quare non ostenditur adhuc ille tam cele-
E bris Cuniculus a *Camillo* factus? Quomodo a latere rupis non ostenditur ejus apertura? Stupesco, inter tot inventa, nulli ex speluncis illis animantium, quas in topho suo *Civitas* habet, aliquod nomen venustum accommodatum esse, quo sese pro illo Cuniculo venditaret.

Enixe Defensor novus in eo operam suam collocat, ut pro Cuniculis antiquis habeantur cavernæ illæ subterraneæ, quas dicit esse in urbe: Sed minus notum est, loca in scopulis tophaceis fundata, fere omnia cavernis imminere & super iis pensilia quasi esse. Deprehendo sane, nimiam facilitatem ad judicandum & credendum aliquid de
F rebus antiquis, apud non neminem, & forsan apud plures, fuisse præsagium tot nominum postei rebus impositorum, tantarumque ex proprio cujusque judicio earum contorsionum.

Repetamus locum, *Rotta del Campo* dictum. Quod indicium cædis *Fabiorum* hinc trahatur nescio. Fuitne *Italia* & *Hetruria* semper ita quieta, ut hoc nomen a nulla alia *Rotta* h. e. *clade* queat esse profectum? Quid autem absurdius audiri potest? Est ille locus ad *Trejam*, Campus potius, quam *Collis*, & *Colli* aut *Campo Fabiali* (ubi creditur illud præsidium fuisse positum?) vicinissimus.

a Ital. *non lo dice in Tedesco.*
b *Ita*, nimirum *co'l fianchеggiare e co'l serpeggiare.*
c *Per imboccarvi.*

mus. *Livio* describitur ut Collis excelsus, & in parte prima visum est, a *Cremera* non potuisse minus quam uno duobusve milliariis abfuisse. Profecto, si hoc loco clades illa commissa est, *Treja* non fuit *Cremera*, igitur nec *Civitas* urbs *Vejorum*. Qui est consuetus lapis, in quam impingunt hæc figmenta. Compertum habeo, multos senes apud *Castellanenses*, id quod bona fide faciunt, illum locum appellare, non *Rotta*, sed *Grotta del Campo*, propter *Grottam*, h. e. speluncam quandam, ad profluentem aquam fluminis
124 expositam, & valde notabilem ob piscium copiam, quos aqua hyeme increscens ibi relinquit. Sed nimis in rebus tam frivolis prolixus fui. Quibus, responsi loco, subridere, sufficeret.

Aliquantulum diversa est Defensoris novi de *Fabiorum* cæde sententia; nam posthabita mentione istius nominis, factam illam dicit in quodam clivo *Campi Fabialis*, ubi die quodam e terra tantam *ferri acuti, armorumque hastilium seu missilium*, *copiam* collegisse gloriatur, ut integrum lintrem (quod, etiamsi fungos diceret, tamen stupendum foret) iis repleverit. Attamen hic Collis *Fabalis* flumini vicinus est, & plus quam alter ille, cui fingitur illud Castellum inædificatum esse. *Fabiorum* cædes longissime a Castello, & a flumine, sicuti probavi, edita fuit. Non obstante igitur testimoniorum [a] naviculari onere, longissime ab hoc Colle illa *Rotta*, h.e. clades, remota fuit.

Fundamentum octavum, quod est Epitaphium, primo aspectu solidissimum videtur; sed evadit (quanquam e marmore tractum) omnium debilissimum. Omitto illud marmor non habere formam antiquam, adeoque ex ejus characteribus non posse fieri judicium, an vere antiquum, an ad antiquum aliquod confectum sit, sicuti etiam, an illud *Vehiis* ibi lectum, sit sincerum an adulteratum; sed accedo ad id, quod præ manu est. Primo littera L. quæ vult dicere: *Lucii*, prænomen patris, nunquam adhibita ab antiquis absque F. id est *Filio*, rem ipsam suspectam reddit. Nec Descriptor argui potest illam omisisse; nam in typo, quem Porta Suburbii [*il Portone del Borgo*] exhibet, ita tamen legitur. Sed dicat aliquis Artificem in incidenda Inscriptione errasse. Quomodo poterat illud marmor de *Vejis* loqui tempore *Neronis*; quo *Veji* Pastorum & Messorum Campus erant? Qua de causa expressa ibi fuisset vox *Vehiis*, si sepulcrum
125 *Vejis* erat? Ubinam in more fuit unquam in epitaphiis notitiam loci ponere? an forsan potius non sepultura, sed littera erat, involvendis, alioque mittendis ossibus illis comparata? Confectum porro illud marmor fuit tempore *Neronis*, quando bonæ litteræ adhuc florebant, cui seculo eo minus vox *Vehiis* cum aspiratione respondet. Præterea illud marmor, ex quo hodie chartaceum tantum monumentum ostenditur, si vere in ea *Vejorum* facta esset mentio, quomodo credi potest conjectum fuisse in angulum Conventus illorum hominum, qui de hoc nomine adeo æstimantur, an gloriabantur? Et quemadmodum ubique, prout potuerunt, eam inscriptionem inciderunt, aut depinxerunt, nonne tabulam illam marmoream in memoriam perpetuam, aut in Curia aut in Foro, aut alibi suspendissent, postquam appendicibus ejus, tanto minoris pretii ornamentis, Portam adornassent? Fuissentne porro passi, ob rem tam parvi sumptus monumentum tam egregium vastari? Nonne autem tum temporis in Magistratu erat *Franciscus Micus*, homo pro ista opinione acerrimus? aut saltem ille, qui ea diligentia usus est, ut procuraverit, simplicem inde descriptionem, nonne dedisset operam, ut publicum Instrumentum fieret in præsentia testium peregrinorum? Nonne *Micus* professione Doctor Juris, taliumque rerum studiosus erat?

[b] *Stupido è ben, chi non intende il resto.*
Cætera quis nescit? certe satis id sapienti est.

Sed ex inscriptione, quæ exstat in Porta Suburbii (*Portone del Borgo*) satis superque res clara est; nam illi, qui tunc temporis illam intemerata fide ibi posuerunt, non testantur sepulcrum in urbe *Vejentum* fuisse; sicuti secure fecissent, si vox *Vehiis* tunc ibi exstitisset; & commode id facere poterant, adjungendo istis verbis: *Reliquias sepulcri P. Glitii* &c. hæc: *Vejis defuncti*, aut *sepulti* cum 126
relatione ad *Glitium*, vel: *positi* cum relatione ad sepulcrum, quibus bene subjungebantur reliqua: *Vetustate collapsi &c.* Ut plene tandem appareat, quam intricata sit, recognoscatur illa dedicatoria. *Roderico Boriæ*, *&c. Vehientes Reliquias sepulc. P. Glitii L. Galli Trib. Mil. leg. Pr. IIIViri Capit. Candidati vetustate collapsi*, *&c.* Heic ad verbum refertur tabulæ Inscriptio; sed amplius legitur *Candidati*, quæ vox in Tabulæ scriptura non conspicitur; nam ejus loco legitur *Vehiis*. Jam unde illi, qui istam Inscriptionem posuerunt Cardinali *Valentino*, somniarunt de voce *Candidati*? & quare vocem non veram, nec ad rem facientem, addiderunt, ad reticendam illam, quæ ipsorum gloria erat, *Vehiis*. Nonne argumentum hoc evidens est, in antiquo marmore, ubi exemplum, quod illi suppeditant, habet *Vejis*, fuisse *Candidato*? Quis non videt, illud marmor, aut post adulteratum esse per substitutionem vocis loco alterius, & quia forte impolitum opus relinqueretur, remedium sumptum esse ab ejus depravatione, aut depravatum esse, ad conservandam scripturam ab originali diversam? Sic scriptum est *Vehiis* in spatio vocis *Candidato*, salvo ordine versus, & forsan quia *Vehiis* paucioribus litteris constat, litteræ T. & O. in P. & Q. conversæ sunt. Postremo corruptor istius Epitaphii scripturæ antiquæ nec peritus nec gnarus fuisse debet. Nam litterarum vocem *Vehiis* præcedentium O. P. habuisset rationem, quæ quoties non ponuntur prænominis loco, quod significat *Opiter*, plerumque efferuntur, *Optimo*, vel *Optioni*, quarum lectionum neutra cum *Vehiis* conjungi potest. Sed utraque commodissimam suppeditat lectionem cum *Candidato*; & hoc loco significat: *Optioni*, *Candidato*, ambo hono- 127
rifica munera *Militiæ*. De *Optionibus* agunt *Nonius*, *Festus* & *Varro* lib. IV. *de Lingua Latina*, & de *Optionibus* & *Candidatis* claram facit mentionem *Vegetius* lib. secundo cap. septimo. Reliquæ abbreviatarum vocum literæ præbent & illi suspicioni locum. tam differentes illas reperias, ab aliis Inscriptionibus, non isto solum, sed & insecutis reliquis sæculis exaratis, ut quocunque auxilio & *Gruteri* & aliorum, nullus sensus, antiqua illa puritate dignus, inde exsculpi queat. Fuerunt forsan aliunde descriptæ, & male ob vetustatem suam, aut ei, qui remedium adhibere voluit, quo melius defectum celaret, turbare sensum per omnes versus placuit. Cum hoc Epitaphio sic accommodato mirifice conspirant egregiæ illæ cæterarum rerum proportiones, de quibus supra dictum est.

Nonum; sigillum est, & monumenta cætera. Hæc omnia, recentioris memoriæ sunt, nec annos bis centum excedunt, profecta ab aliquo, qui errare potuit, & in similibus negotiis bellaria conficere, qualia jam detecta sunt. Et, si non refert, quam

a *Una zaina di testimonii.*

b Videtur Auctor Mazzocchii Doctoratum velle tangere, quod aperte faciet pag. 175. *Edit. vet.*

quam opinionem multi in illa Urbe habeant, non item refert, quid scribant, incidant, aut pingant in publicum. Quam insolitum remedium est, ad possessionem provocare, in rebus, quæ sola ratione discutiuntur; præsentibus uti veritatibus in pertractandis antiquis, & (ut ipsis verbis juris loquar) proprietatem stabilire possessione, quacum nihil commune habet? & quali possessione? sese a seipsis domi suæ sic appellatos ac scriptos esse. Quid dicerent, si auctoritate Bullarum Papalium haberent possessionem minus imaginariam *ab immemorabili*? Sic *Montefiascone* dici potest habere nomen *Falisci*; & tamen an mons *Faliscus* sit,
128 hodie clarissimum est. Si ita aliter sentienti silentium imponere licet, per viam litis agi & obtineri causa potest.

Ad decimum, de traditione; ut *Myrsilii Lesbii* auctoritas, ceu fumus in auras, evanescat, dicere sufficit, illum unum e scriptoribus ab *Annio* confictis esse. Sed vera sit. Loquitur (ut bene dicit *Massa*) de Scriptoribus indidem oriundis, aut ex locis vicinis, quos majori cum fundamento rerumque notitia scripsisse statuendum est, quam cæteros, ubi amor Patriæ illos occæcare non potuit. Idque verum etiam est, ubi in universum agitur de traditione, quæ paucas annorum centurias spectat, non item, quando ad annorum milliaria assurgit. Insignis foret simplicitas; a *Venetis* petere res *Turni* & *Rutulorum*, *Neptunenses* consultare de *Volscis*; & de *Mezentii* ac *Porsennæ* rebus gestis, *Cervetanis* & *Clusinis* potius, quam Historicis credere. Roga *Santorestanos*, ubi fuerint *Falisci*, nesciunt quid dicant; consulantur *Montefiasconenses*, dicent sese esse *Faliscos*; & tamen quomodo verum est? an credendum illud est, quod ab annis bis mille, in *Civitate* (nec per communem seniorum traditionem, sed sola persuasione ac pertinacia quorundam) divinatur, quæ etiamsi urbs *Vejorum* fuisset, per totas annorum centurias destructa jacuisset, & postea a confluentibus hinc inde hominibus reædificata fuisset? Incursiones aliaque infortunia, quæ abhinc sæculis vix duobus, misera *Italia* eluctata est, tanta illam barbarie perfuderunt, ut quævis elegans temporum Reip. *Romanæ* memoria prorsus & ubique perierit. Cognitio, (ut cætera omittam) quæ *Romæ* est, & *Romam* antiquam spectat, an derivatur ex traditionibus senum *Romanorum*, an vero ex investigationibus tot eruditorum ingeniorum. Quam pulcre illud
129 dixit *Petrarcha* lib. VI. epist. II. *Qui enim hodie magis ignari rerum Romanorum sunt, quam Romani Cives? invitus dico. Nusquam minus Roma cognoscitur, quam Romæ.* Nimis verum esse deprehenditur, non solum *Lugdunenses* (ut *Micus* dixit) sed etiam *Germanos*, inquirendo cum diligentia indefessa per *Italiam*, quicquid antiquum est, nos ipsos docere posse, ut revera faciunt. Sed non nisi in vanum adeo fatigor, ut orbi litterato, id quod novit, & cuiquam id, quod ipsi non placet intelligere, ostendam.

CAPUT III.

Nova pro Civitate Castellana *adducta Argumenta non esse majoris ponderis.*

PRæcedentia decem argumenta etiam in *Vejis Defensis*: præterque ea alia multa adducuntur; quæ operæ pretium est examinare. quamobrem statui in hoc Caput ea referre seorsim. Nec ordinem mutabo; Sed si quid, ad quod responsum sit, occurret, ad vitandam inutilem prolixitatem, id suo loco relinquam.

In primo, quod *Mici* Nonum & Decimum est, Defensor *Vejorum* recolligit non solum possessionem antiquam, & sigillum, sed etiam traditionem, & omnem aliam mentionem, quæ in libris impressis reperitur de *Civitate Castellana* cum *Vejorum* nomine, ad *Scoppam* usque & *Galesinum*. Ad quæ respondere velle, vanum esse scio; Quoniam non tantum a credulitate hodierna cuncta oriuntur, sed etiam inferuntur ab hominibus, qui nullo ratiocinio adhibito de hac re ex aliorum opinione loquuntur. Præterquam quod quorundam hic allegatorum nemo sanus ullam rationem habere queat. Primus, qui est *Gi-* 130
nesius, scriptor est *Hispanus*, in *Italia* tam parum versatus, ut paulo ante quam agat de *Civitate Castellana*, *Viterbium* Caput *Umbriæ* pronunciet. *Baronii* auctoritas plurimum apud me valeret, eique acquiescerem, si vidissem e præstantissimo illo calamo profluxisse propriam ipsius sententiam, sicuti deprehendo, illum, ubi *Civitatem Castellanam Vejentes* appellat, ne tempus terat in antiquitate instituto suo inferiori, contentum esse, eos tantum, quibus ita videatur, in hac re sequi. Idem *Baronius* in Annotationibus ad Martyrologium XXIX. Julii, *Cære* in *Faliscis* ponit; an illud idcirco credendum erit? Non versabatur in hisce Regionibus ac Urbibus institutum tam præclari scriptoris.

Pro magno fundamento Defensor habet testimonia duorum Pontificum litteratorum. Prius ait esse *Leonis* X. quum in frontispicio Palatii Conservatorum *Civitatis* legatur: LEONIS X. IN VEIOS LIBERALITATE. Nec videt, illud non esse facinus vel donum *Leonis*, sed inscriptionem aut monumentum isti Papæ ab illa Communitate, quæ *Vejorum* nomine appellari voluit, ut in altera illa Card. *Valentino* dedicata, positum. Alterum narrat esse *Clementis Octavi*, *qui profectus ad recuperandam Ferrariam, quum diverteretur in Arce Civitatis Castellanæ, ad quosdam, qui hac de re in Vestibulo forte inter se contendebant, dixit: Et quis unquam dubitavit, quin Civitas Castellana sit urbs Vejorum?* Auctoritas Pontificis tam docti (præsertim quum ipsius aliorumque Paparum Bullæ Pontificiæ, editæ circa Beneficia Ecclesiastica de *Montefiascone*, per nomen *Montis Falisci* non revera *Montem Faliscorum* illam antiquam Urbem faciant) sufficeret apud me ad consecrandam pro *Vejis Civitatem Castellanam*, si 131
illud plane ex animi sententia dictum, nec tanquam per jocum Aulicum prolatum videretur, ad demulcendas aures *Castellanensium*, quos sua præsentia dignabatur. Quo pacto, quæso, rem aliquam indubitatem dicere, quæ ab omnibus Antiquariis, quotquot de ea scribunt ex professo, non solum in dubium vocatur, sed etiam refutatur, potuit, absque indicio manifesto, verbis suis Ironiam subesse? Imo, si succincta illa verba: *E chi dubitò mai, che Cività Castellana non fosse Vejo?* bene observentur, declarabunt indubitatum hoc & certum, *Civitatem Castellanam* non esse *Vejos*. Sic sapiens ille Princeps tunc temporis id agens, ut aliorum genio obsecundaret, [a] sagaciter iis adulatus, a vero non recessit.

Pro argumento Octavo (ut cætera, ad quæ alibi respondi, omittam) dicit, *haberi pro concesso, Capenam & Faliscam esse hodie Canepina & Fallari: duobus hisce populis vicini erant Vejentes, ut bene ostendit Massa &c. Hodie tamen aperte videre est, agrum Civitatis Castellanæ contiguum esse agro urbis Fallari, illumque vicinum Canepinæ; & etiamsi territoria illorum tam sint contigua & vicina ab uno latere, a reliquis lateribus tamen valde remota & ab invicem distantia sunt.* Sed, ut suo lo-

a *Con sagacità ungendoli.*

loco relinquam, *Capenates* alibi fuisse, & per distantiam longe majorem a *Civitate*; velim recordetur, Logicam non admittere in secunda figura argumentum, quod ex meris affirmativis constet, pro concludente. Et admissa etiam argumenti forma, major ab ipso pro concessa habita, falsa est. Tres illas urbes sibi invicem contiguas seu conterminas fuisse, merum est mendacium, Contigui seu contermini erant populi, sed de Urbibus eorum principibus, id nemo est qui dicat; nec nisi contrarium affirmare potest, qui in omnium trium situs bene inquisiverit. Ubinam legitur, *Vejos Faliscæ*, & hanc *Capenæ* contiguam fuisse, licet
132 ille id pro confesso habeat? Sed si jam ita comparatum fuerit, qui amplexando aliquem nimis constringit, ut *Hercules Antæum*, idem facit occidenti potius, quam blandienti. Vicinos & contiguos *Vejis Faliscos* & *Capenates* faciat, & ferri illud utcunque poterit; sed hos duos populos inter *Civitatem* & antiquam sylvam *Ciminiam* adeo coarctare, *quæ pars est?* Dicit, *territoria eorum ab reliquis lateribus valde remota & ab invicem distantia esse*; & a quibus lateribus? Quodnam illud ab urbe *Fallerio* ad *Tiberim* spatium est? quatuor milliariorum. Ab urbe *Falerio* ad *Nepesinum?* paucissimorum. In quantum a *Cimino* debebat ista sylva versus *Falerios* sese extendere plus, quam nunc? Et si id verum, quodnam spatium inter Sylvam, *Falerios*, & *Tiberim*, *Capenatibus* reliquum erat? Imo hisce inde sublatis, quantum agri inter *Falerios*, *Tiberim* & horrendam illam Sylvam esse poterat? utique minus quam *Nepesinus* & *Sutrinus* complectebatur, quorum non ita potentes, nec ex *Hetruriæ* principibus civitates erant.

Argumentum XIV. desumitur a *vinis tenuibus & subrubris*, *quæ fert Civitas Castellana conformia prorsus illis*, *quæ olim Vejentana* dicebantur; quæ propter tenuitatem dicit Antiquis parum æstimata fuisse. Sed illa nota (quod pace viri dixerim) bono palato contrarium potius sapit. Spreta olim vina tenuia, non constat. Inter vina, teste *Plinio* lib. XIV. primus locus concedebatur *Setinis*, secundus *Falernis*, quibuscum vina *Massica* pari honore erant, tertius *Albanis*, quartus *Surrentinis*. *Athenæus* lib. I. eadem recenset, sed ab *Albanis* incipit; eademque millies celebrantur apud *Horatium*, *Martialem*, alios. Ex hisce *Setinum* ob tenuitatem in
133 pretio erat, teste *Athenæo* ibidem. *Albanum* jam notum est, non esse grave, sed delectabile. *Surrentinum* celebratur (testibus *Athenæo* & *Plinio*) tanquam tenuissimum. Porro non æstimabatur olim vinum, nisi bene inveteratum. Idcirco *Juvenalis* Sat. V. dixit.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus Patriam, titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ.

Cicero & ipse dicit lib. de Claris Oratoribus; *Ut si quis Falerno vino delectetur; sed eo nec ita novo, ut proximis Coss. natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium, & Anitium Coss. quærat.* Et *Martialis* lib. VII. ridet Consulem illum, qui vinum novum dabat:

Potavi modo Consulare vinum
Quæris quam vetus, quamque liberale?
Ipso Consule conditum, sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, Consul.

Plinius lib. XIV. dicit nullum vinum approbatum nisi anni præteriti; & lib. XXIII. testatur, *Falernum* [a] modicæ senectutis esse ab anno quinto decimo. [*media ejus ætas ab anno decimo quinto incipit.*] Sed destinctius *Athenæus* libro citato dicit; *Falernum ab annis decem est potui aptum, & a* XV. *usque ad* XX. *&c. Albani quoque duæ sunt species, hoc dulce, illud acerbum. Ambo decimo quinto anno vigent, &c.* Et celebre est vinum *Opimianum* centum annorum; quo cœnam *Trimalcionis* tam opipare instruit *Petronius Arbiter*. Vinum inveteratum amittit fumum, perdit gravitatem, & in fæces demittens quicquid habet terreni, incalescit & attenuatur. Aversabantur itaque Antiqui crassitiem & fæculentiam. Hinc ad exemplum *Græcorum* soliti fuerunt vino [b] immiscere, ut docent *Columella* XII. & *Palladius* undecimo. Ratio illorum erat, juxta *Palladium*, quod *non ætatem solum vino*, *sed splendorem coloris afferre* studerent; 134
& quemadmodum plenius testatur *Cœlius Rhodiginus* lib. XXVI, cap. VIII. aqua illa *crassum ac terrestre id*, *quod in vino est ponderosum* præcipitaret *in ima*, faceretque *sedimentum*, *& fæces*; *quibus de causis relinquitur vinum defæcatum*, *puriusque*. Et si amarunt Antiqui vinum attenuatum, & defæcatum, quodnam potuit fuisse illud, quod ipsis maxime displiceret? *Vejentanum*, non tenue, sed fæculentum, & crassum dicitur a *Martiale* lib. I.

Et Vejentani bibitur fæx crassa rubelli.

Idque patet ex qualitate terræ istius agri, de quo *Livius*: *Uberior Romano agro.* Terræ pingues non nisi vina sibi similia, crassa, fæculenta, & colore gravi ferre solent, unde *Vejentanum* epitheti loco *Rubellum* appellatur, id est *Subrubrum*. Hinc *Martialis* in disticho a Defensore allegato:

Olfacere hæc malo pocula quam bibere.

tam parvo contentus est.

Opem ille mutuatur ab æstimatione, in qua vinum *Græcum* erat. Sed cogitet velim, illud non fuisse idem cum eo, quod hodie *Græcum* dicitur, a genere uvæ, unde fieri solet. Erant in *Græcia* vina exquisitissima, quorum catalogus habetur apud *Plinium* lib. XIV. & *Athenæum* lib. I. prout nos hodieque *Malvasia* ac *Romania* gustamus. Nec approbabantur, nisi valde inveterata. *Plinius* lib. VIII. *Omnia transmarina septem, aut sex annis ad vetustatem mediam pervenire existimantur.* Concludamus. Spretum fuit olim vinum *Vejentanum*, tanquam nimis densum, non tanquam tenue. E contrario vina *Civitatis Castellanæ* tenuia, clara & subtilia sunt, convenienter solo suo tenui ac macro, exceptis quibusdam Vallibus, *Tiberi* 135
vicinis. Quare nec vinum nec ager quicquam cum *Vejentano* commune habet.

Argumento XV. vult, Ecclesiam *Civitatis* Cathedralem prope Arcem stare in ruinis antiquissimis Templi *Junonis*. *Accedit*, *quod in Civitate Castellana stet Arx juxta Templum Sanctæ Mariæ totum ruinis antiquis inædificatum*, *cum elegantissimis marmoribus & antiquis columnis convenienter Plutarchi verbis*, *qui de Vejis dixit*: *Arx erat juxta Templum Junonis.* Sed concedamus, aliquod fragmentum muri antiqui alicubi in illa Ecclesia exstare, an igitur Templi *Junonis* reliquiæ sunt? Sunt saltem alterius alicujus Templi? *hoc opus.* Et quia hodie ibi Arx est, an idcirco etiam olim? Addit frustum marmoris repertum in *S. M. del Arco* (quæ Ecclesia Cathedrali opposita est, tanquam alterum caput diametri istius urbis) cum litteris, quæ dicunt: SACRÆ IVNONI; creditque *fuisse fragmentum aliquod ornamenti istius Templi.* Sed quare ex illo marmore non potius consequentiam, eamque solidam trahit, *Civitatem* non fuisse *Vejos*? Post direptionem *Vejorum Juno Romam* transportata

a Plinii verba sunt; *media ejus ætas ab anno decimo quinto incipit.*

b *Cuocere nel vino.* q. d. vino incoquere. *F. Nardinus.*

tata; nec in illa urbe, quæ exstincta fuit, amplius adorata est. Quapropter, postquam *Veji Romanorum* fuere, illud utique marmor incidi non potuit. *Vejis* ante expugnationem nec character nec Idioma erat *Latinum*. Incisæ itaque illæ litteræ sunt tempore, quo *Civitas* erat *Romanorum*, ideoque urbs a *Vejis* diversa, in qua debuit *Juno* habuisse Templum; sicuti *Dionysius Faleriis* exstitisse testatur sua ætate antiquissimum quoddam; nec minus in aliis urbibus *Faliscis* adorata fuisse debet, siquidem illa præcipuum Numen omnium *Hetruscorum* esset, teste *Appiano* lib. v. de Bell. Civ.

136 Sextum decimum, enarratio est duorum aliorum antiquitatis fragmentorum, quæ dicit reperta in Civitate Castellana: Unum *parvum est marmor figurâ ovatâ* [a] *utpote fragmentum aliquod, cui hæ litteræ inscriptæ sunt*, VIENTICII. S. P. Q. R. Alterum *elegantissimus est Æsculapius ex metallo, in cujus basi erant hæ solæ litteræ*, PRO VEIENT. Ex primo quænam umbra *Vejorum* resultat per nomen *Vienticii*, quod ibi legitur? Quid rei *Vejis* fuit cum stirpe aut familia *Vienticia?* Nonne legitur ibi Senatus *Romanus?* habitata igitur est *Civitas* sub *Romanis*, adeoque non fuit urbs *Veji*. Profecto oculis *Vejorum* urbe gravidis omnia videntur esse *Veji*. Ex altero tam obscuro illo nihil judicari potest. Præterquam quod litteræ PRO VEIENT. nullam conjecturam suppeditent, *Vejos* ibi fuisse. Deus novit, an mere illæ omnes antiquæ sint, an nulla earum aliunde expressa, aut addita sit, vel etiam, an ipsum illud marmor, quod magis suspicari possemus, ibi sincere repertum, an vero suppositum sit. O quot præclara, hoc genus, facinora pluribus locis edita ac nota sunt! Et de *Civitate* quid judicandum est? Tot illa nomina, veluti *Cava Furiana*, *Campo Fabiale*, & alia, indicio sunt, illum qui nominibus rem gesserit, [b] etiam a lapidibus ac metallis non abstinuisse manus, & *Glitii* Elogium suspecta reddit quæcunque narrantur.

Septimum decimum est, reperiri *apud Livium aliosque Auctores, Vejos nominari cum Faliscis & Capenatibus, aut Nepesinis & Sutrinis; & eosdem Civitatem Castellanam vicinos agnoscere*. Hos quinque populos conterminos inter se fuisse, quis in controversiam vocat? spatii, quod inter *Ciminum* & *Romam* est, parte versus mare, *Tarquiniensibus* & *Cæritibus* relicta, omne reliquum versus *Tibe-*
137 *rim* inter illos divisum erat. Et si tantus erat tractus, quem possidebant, valde parum fundamenti quidem habet opinio, quasi quinque eorum Urbes principes in angusta quadam paucorum milliariorum vicinia omnes coarctatæ fuerint. Colligi video, tantum *Vejentes*, *Capenates*, & *Faliscos* regionis, atque imperii seu ditionis habuisse, quantum hodie habent Agri *Civitatis*, *Falleri*, & *Canepinæ*.

Adducit præterea Epitaphium *Hereniæ*, quod *Aldus Manutius* exstare dicit in Ecclesia Cathedrali *Nepesina*, veruntamen male descriptum. In originali ita scriptum est:

HERENIAE. C. F. IVSTAE
M.APISIVS.M.F.PAL.SABINVS.DVVMVIR
VEIOS IIII. VIR. NEPETE
VXXORI. SANCTISSIMAE
ET PIENTISSIMAE. ET
DE. SE. OPTIME. MERITAE
TESTAMENTO. FIERI
IVSSIT

Ex qua Inscriptione nihil amplius, quam dictum supra est, eruitur. *Apisium* Civem *Romanum* ex Tribu *Palatina*, primo Duumvirum *Vejis*, post Quatuorvirum *Nepete* fuisse; id quam necessitatem infert, ut *Veji* & *Nepete* fuerint Urbes confines, ne dicam vicinas? Num quis est qui velit, cum uno eodemque tempore in una Duumvirum, in altera Quatuorvirum fuisse? Eruditi id non dicent; sed si fuerit etiam, credendum erit, Urbes vicinas fuisse *Nepete* & *Vejos*, sed vicinas pro modo Regionis. *Vejis* repertis, constabit, quæ ipsorum vicinitas cum *Nepete* fuerit. Interim ipsi illud: *Vejos* pro *Vejis*, non videri debet error, quoniam in fine videbimus, ita bene se habere, nec præter necessitatem.

Decimum Octavum sumptum est a *Castello* quodam diruto in agro *Civitatis Castellanæ*; de quo dicit: *De Umbrico reperitur antiquissima basis in-* 138
scripta, in Palatio DD. Cæsiorum apud Vaticanum (estque in Impluvio a sinistra) unde apparet Umbricium quendam Vejentanum desumto a Patria nomine) monumentum dedicare, &c.

DIS. MANIBVS
C. VMBRICIVS
VEIENTANVS
SIBI. ET VMBRICIAE. DELPHIDI
CONIVGI. SVAE.
ET. VEIENTONI. FILIO. SVO
VIXIT. ANN. XII.

Et pergit: *Hoc nomine Umbrico clarum est, in Vejentano fuisse Castellum, ut refert Cato in Originibus, quemadmodum etiam eruitur ex hac Inscriptione, &c. Et ipse Annius Auctor contrarius itidem testatur, Umbricum vicinum esse Civitati Castellanæ, & apud Treliam flumen Lexicon Geographicum.* En ad fabulas nos redactos? *Umbricum* Castellum olim fuisse tali nomine, quis potest dicere? Attamen verum sit: fuisse illud in *Vejente*, nec ficto *Annii Catoni* credendum est, nec ipsi *Annio*, qui quum crederet *Civitatem Castellanam* non *Vejos*, sed in *Vejente* sitam esse, nomine *Catonis* illud testatur more suo. Postremo consequentiam de *Umbrico* trahere ex nomine *Umbricii*, quod in illa Inscriptione exstat, o quam longe a recto rationis usu recedit! *Umbricius* non est nomen Patriæ, sed stirpis. In antiquis Inscriptionibus non nisi rarissime Patria ponebatur, & tum nunquam proxime a Prænomine. *Umbricius* quis non ex ipsa terminatione in IVS perspicit antiquum nomen esse Gentis *Romanæ*? Nonne conspicitur etiam fœminis appositum, quæ (teste *Plutarcho* in Problematibus suis) non nisi unum aut duo nomina habebant; eaque (saltem primum) desumebantur 139
a Familia? Non de *Umbricia Delphide* tantum loquor, sed illud marmor in fine adjuncta habet & hæc verba:

ET VMBRICIAE DIDONI
VIX ANN. XX.

Dicetne gentem *Umbriciam* nomen ab isto Castello accepisse? si foret cognomen; omnino sane, sed quotaquæque Familia antiqua nomen a Patria, ut ille dicit, habuit? Imo ne quidem alterum illud: *Vejentanus*, signum declarativum Regionis paternæ est, sed merum agnomen (diversum quippe a filii & uxoris agnomine) idque potius positum esse occasione quadam, quæ ignoratur, sicuti de *Fabricio Vejentone* jam dixi. Multa cognomina & agnomina *Romæ* erant ab Urbibus aut Provinciis derivata, sed ob diversas rationes, veluti: *Messallæ*, *Privernates*, *Rhegillenses*, *Fidenates*, *Numantini*, *Isaurici*, *Africani*, & tot alia. Sic Col-

a *Come una breccia.*

b *Non habbia tenute le mani a cintola con le pietre &c.*

Collatinus illud agnomen habuit a *Collatia*, cui Præfectus fuit; *Lentulus* dictus est *Caudinus* a fœdo eventu ad *Furcas Caudinas*; *Marcellus Æserninus*, quia apud *Æserniam* captus est; & sic *Cajus Umbricius* cum filio suo, quum alter *Vejentanus*, alter *Vejento* agnominetur, non possunt locum præbere consequentiæ, illos ex agro *Vejente* oriundos fuisse.

Exspatiatur in fine, pompam ducens antiquitatum Patriæ suæ diligenti collectione fragmentorum, marmorum & Inscriptionum, quæ ibi conspiciuntur. Inter alia profert tanquam notatu dignum unum cum hisce litteris incisis:

ARTI. VOLVMNIO

In quo multum fundamenti ponit; *quia Lars Tolumnius fuit Rex Vejentium. Hic forsan* (subjungit) *littera prima L. deest, & Volumnio etiam fuit in*
140 *usu apud antiquos, idque inter recentiores, scripsit Volaterranus*, &c. si in illo marmore revera exstarent litteræ, quas ille refert, adulteratum illud crederem ab homine imperito, qui *Arti* pro *Larti* ponens crediderit, litteram L. esse articulum *Thuscum* nominis *Arte*. Cum *Tolumnio* Volaterranus *Volumnium* confudit. sed inter antiquos nunquam *Volumniorum* fit mentio, nisi tanquam civium *Romanorum*. Non errasset homo *Vejentanus* in Inscriptione Regi suo adornanda. Nec charactere ac idiomate *Latino* illam exarasset. Sed cesset omnis argumentatio. Legitur in illo marmore L. VOLVMNIO; & supra nomen *Volumnii*, utpote in fragmento, legitur SIBI. Quare, defensor ab enarratore parum diligente deceptus est. *Lucius Volumnius* igitur, homo Familiæ *Romanæ*, ibi legitur. judicium cæteris conforme, *Civitatem* urbem fuisse habitatam a *Romanis*, & non *Vejos* idcirco.

Aliam magnam partem Inscriptionum collegit ex pluribus Auctoribus, qui dicant illas in *Civitate Castellana* reperiri; hæ autem pariter monstrant, illam non fuisse *Vejos*; nam ex ipso contextu patet, factas iis temporibus, quibus *Veji* jacebant jam destructi. Ex duabus in primis hoc aperte colligitur. Imperante *Augusto* specificum exstat testimonium *Propertii* & *Strabonis*, *Vejos* non amplius exstitisse; & tamen adducitur, sequens Elogium factum in *Civitate* a *Magistris Augustalibus*, qui quantum ex *Festo* aliisque Inscriptionibus colligere est, erant præfecti ludis publicis; vel potius, juxta eundem *Festum* in v. *Vici*, præerant viis aliisque ædificiis publicis extra Urbem.

HONORI
IMP. CAESARIS. DIVI. F
141 AVGVSTI. PONT. MAX
PATR. PATRIAE. ET. MVNICIP
MAGISTRI. AVGVSTALES
C. EGNATIVS. M. L. GLYCO
C. EGNATIVS. C. L. MVSICVS
C. IVLIVS CAESAR. LISOCHRYSVS
Q. FLORINIVS. Q. L. PRINCEPS
VIAM. AVGVSTAM. AB. VIA.
ANNIA. EXTRA. PORTAM. AD
CERERIS. SILICE. STERNENDAM
CVRARVNT. PECVNIA. SVA
PRO. LVDIS

De tempore *Trajani Florus* tam aperte loquitur, ut *Vejorum* exterminium non possit expressius explicari; & tamen tunc temporis, aut paulo post, in *Civitate* sepultum esse *Quintum Albium*, strenuum militem, habetur in Inscriptione, quæ sequitur ab illo inter alias in medium prolata.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI
7. LEG. XX. V. V
CORNICVLARIO. PR. P. R
DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVG
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTICO. ET. AB
IMP. CAESARE. TRAIANO
HADRIANO. AVGVSTO. HASTA. PVRA
ET. CORONA. AVREA.
AVILIA. SOTHERIS. MATER
FILIO. OPTIMO. PIENTISSIMO
L. D. D. D.

Hisce tertio loco addi potest *Glitii Galli* ista, quæ 142
a *Neronis* tempore est, & media quasi inter hasce duas; quo tempore *Vejos* non habitatos fuisse clare testatur *Lucanus*; & ex omnibus concludere licet, *Civitatem* esse urbem antiquam, & consideratu dignam, sed nunquam *Vejos* fuisse.

Trium aliarum Inscriptionum, allatarum solummodo, quod *Tribus Vejentani* mentionem faciant, & ordinis *Vejentium*, tertia producitur a *Smetio*; sed ante *Smetium Panvinus* illam posuit in Commentariis de Fastis ad annum *ab Urbe condita* MII. eaque hæc est:

VICTORIAE
AVGVSTAE
SACRVM
RESTITVTAE. POST. ANTI
QVISSIMAM. VETVSTA
TEM
ORDO. VEIENTIVM

Sed ubi hæc Inscriptio fuerit, nec *Smetius* nec *Panvinus* dicit. Ego dicam suo loco, id quod palam faciet, quem *Veji* a *Civitate Castellana* abfuerint.

Corollarii loco in *Vejis Defensis* parte ultima adducitur *Anastasius*, Bibliothecarius, qui in vita *Adriani I.* de Agro *Vejentano*, & *Capracoro* sic mentionem facit: *Unam quidem domum cultam, quæ vocatur Capracorum, positam in territorio Vigentano, &c.* Quod *Capracorum* dicitur esse *Caprarola*, propter id, quod in libro Censuum Tabularii S. *Petri* scriptum reperitur. *Nepesina Diœcesis Ecclesia S. Johannis diruta prope Castrum Capracorum, seu Caprarolæ, &c. in territorio Vigentano.* Sed quomodo potuit *Anastasius* intelligere 143
Caprarolam; quum subjunxerit *Capracorum* a *Roma* quindecim milliaria abesse? *In Territorio Vigentano milliario ab Urbe Roma plus minus quinto decimo, ex qua primus fundus ipsum Capracorum, &c.* & e situ clarum fit; quoniam *Capracorum* situm est in *Cimino* post Agrum *Faliscum*; quo *Vejentanus* ager non potuit pertingere; Nec *Nepesinæ* Diœcesi rei quicquam cum isto tractu fuit, qui eam ne quidem conterminam habet.

Positis tandem armis rationis, Propugnator *Civitatis* voluntate sese munit; libereque profitetur induratam perseverantiam. Dicit: *Omnino Populus noster vult esse Vejens*; & paulo post: *Vejentes utique Volumus vivere ac mori.* Cui sententiæ ut ut violentæ apud illum populum, nunquam accedam. Sed quum tali modo Patronus ejus se velit defendere, ego, qui non alia arma, quam ratiocinii adhibeo, voluntati tam duræ cedo libens, eique velle id, quod ipsi placet, permitto.

CAPUT IV.

De Antiquitate Civitatis Castellanæ.

CRedit *Massa*, *Civitatem Castellanam* urbem esse non antiquam, sed e ruinis *Faleriorum* extructam. Ipsumque male habet, quod non reperiat primam ejus mentionem. Videtur confirmari ipsius opinio, quod *Civitati* subjectam vi-

deamus Diœcesin *Fallerii*, ibique coli corpora San-
ctorum *Gratiliani* & *Felicitatis*, quæ juxta testi-
monium Martyrologii *Romani* in *Fallerii* Ecclesia
asservabantur. Sed mihi durissimum videtur, de-
structa illa urbe, conditam esse & Ecclesiam &
urbem novam a fundamentis, quum sedem Epi-
144 scopalem multo facilius in locum istius Diœceseos
dignitatis majoris transtulissent, eamve alii Epi-
scopo commendassent, quemadmodum cum tot
aliis Urbibus destructis actum esse notum est.
Locis novis parva, tenuia, & incommodis plena
sunt initia, nec ad magnitudinem aliquam excre-
scunt, nisi longo tempore, aut potentiæ alicujus
magnæ viribus. Istis temporibus destruendis ma-
gis, quam exstruendis Urbibus intenti erant. *Ci-
vitatis* situs tam notabilis est mirabili illa altitudi-
ne, præcipitio, & convenienti amplitudine, ut
plane videatur non potuisse fieri, ut ab antiquis
neglectui habitus, aut non observatus fuerit.
Et tot fragmenta marmorum, & inscriptionum
ostendunt, Urbem fuisse Ditionis *Romanæ* non
ignobilem.

Sed si urbs antiqua fuit; & non *Veji*; quænam
tandem potuit esse?

Blondus, *Volaterranus*, *Annius*, *Alberti*, & alii
credunt fuisse *Fescennium*, Urbem *Faliscorum* no-
bilem. Pro ea opinione nonnihil facit, quod apud
Strabonem, *Solinum*, & *Dionysium* fere semper *Fale-
rii* una cum *Fescennio* memorentur, & ambæ
istæ urbes pari modo habeantur, tanquam duæ
principes Regionis *Faliscæ*. Idemque facit *Virgilius*
libro septimo agens de populis a *Messapo* condu-
ctis in gratiam *Latini*.

Hi Fescenninas acies, Æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva.

Annius quæstione XXXVII. *Anniana* solitis suis
argutiis circa nomen intentus, ab Armato Equite,
quod *Civitatis* insigne est, vult derivari nomen
Fescennii, quod in Lingua Aramæa *Fescen* Equi-
tem significet; Quæ deductio parum fundamenti
præ se fert. Insignia urbium Regionumque ho-
die usitata, non sunt usus antiqui. [a] Sigilla ac E-
145 logia non Urbium, nec familiarum olim chara-
cteres fuerunt, sed cujusvis hominis privati, qui
pro lubitu suo illa eligebat, usurpabat, & identi-
dem mutabat. *Augustus*, referente *Suetonio* cap. L.
initio, pro sigillo *Sphinge usus est*, *mox imagine
Magni Alexandri*, *novissime sua*. Loco insignium
hodiernorum Familiæ antiquitus utebantur Ima-
ginibus Majorum suorum, cum obtentorum gra-
duum insignibus, idque eo magis, quod *Plinius*
lib. XXXV. hac de re scribat. Quas etiam in scutis
depictas fuisse, præter *Plinium*, habetur apud
Josephum, ubi narrat de iis, quas *Hierosolymis*
publico exposuit *Pilatus*, & apud *Trebellium*,
qui scuti in honorem *Claudii* in Curia positi men-
tionem facit. Ab hisce imaginibus vel scutis pi-
ctis, profluxisse usum Insignium hodiernorum, col-
ligit *Budæus* non minus celebris Antiquarius,
quam Jurisconsultus, lege ultima *ff. de Orig. Jur.*
Fieri etiam potest, uti mos iste ab [b] Emblematibus,
quæ in scutis depicta in bello gestari solebant,
derivatus sit, sicuti de *Aventino* fingit *Virgi-
lius:*

Pulcher Aventinus, clypeoque insigne paternum
*Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hy-
dram.*

Sed communis usus profecto non fuit antiquus.
Urbes & Populi ne ipsi quidem habebant Insignia
aut sigilla. Consules *Romanos* ostendit *Livius* pro-

a *I Sigilli, e l'Imprese.*
b *Imprese.*

A prio sigillo ordines signasse. *Sparta*, [c] sola Tesse-
ræ nota utebatur; nec aliud credi potest de re-
liquis Urbibus. Signa Militaria etiam diversi usus
fuerunt. Non omnis populus semper signo aliquo
utebatur; sed cuique populo cum numero Cohor-
tium, & Centuriarum crescebat varietas & nu-
merus Vexillorum, ipsæque Legiones *Romanæ*,
juxta *Plinium* lib. X. non ante *Marii* Consulatum
secundum, Aquilam constituerunt præcipuum
signum suum. Dici forsan posset, *Civitatem* ob 146
memoriam Equitis Armati, unde nomen traxerit,
illum signi loco in prœliis extulisse, temporibus
B autem minus antiquis Insignium loco habuisse.
Sed parum certa est hæc conjectura. Colligit præ-
terea *Annius* ex loco *Virgilii* jam allato;

Hi Fescenninas arces, &c.

Arcem & *Castellum*, adeoque *Arcem Fescenninam*
& *Civitatem Castellanam* idem esse. Sed dicere suf-
ficeret, omnia *Virgilii* exemplaria habere *Acies*;
nec aliter potuisse scribi ob Cacophoniam, quæ ex
iterata voce *Arces* in duobus istis versiculis resultaret.

Dionysius lib. I. dicit, *Faleriis* & *Fescennii* suo
tempore asservatas fuisse reliquias quasdam gene-
ris *Pelasgi*, veluti ornamentum armaturæ, scuti
Argolici, itemque hastæ. Et quis scit, an non
C usus istorum armorum *Fescennii* longo tempore
conservatus, & in ista memorabili urbe superstes,
postea occasionem dederit illa insignium loco eri-
gendi? Quod tamen, pro consideratione obiter
perstricta, non fundamento haberi velim.

Clamatur e contrario in *Vejis Defensis*: *Circum-
stantiæ Civitatis Castellanæ nihil quicquam cum Fe-
scenninis commune habent. nec apud ullum Auctorem,
tam valido situ fuisse, tot marmora, columnas, se-
pulcra, & inscriptiones, Fescennium habuisse, legitur.
Sed loco Vejis dicto omnia probe conveniunt.* Sed
quisnam scriptor loquitur de sepulcris, inscriptio-
nibus, & columnis *Vejorum*? Dicetne aliquis,
D *Vejis* inscriptiones *Latinas* fuisse? Et quis Auctor
est, *Fescennii* non fuisse? An igitur, quia scripto-
ribus non usu venit, tale quid memorare, *Fescen-
nium* non fuit valido situ? an idcirco non fuit
condita in scopulo, sicuti major pars locorum cir-
cumcirca est? An, quia non reperitur annotatum
tale quid, non habebat *Fescennium* columnas,
marmora, inscriptiones, sepulcra? credimusne 147
Falerios habuisse? & tamen quis Auctor est? Ni-
mium foret profecto, si quævis minutiæ urbis
antiquæ in libris deberent annotatæ reperiri. An
exigua ipsi circumstantia *Fescennii* videtur, quod
Dionysius ab *Romanis* illam urbem habitatam dicat?
E Hi ubinam sepulturæ mandabantur? *Romæ?* En
agnitas Inscriptiones, quæ in *Civitate* leguntur,
Volumnii, *Aquinii*, *Vienticii*, *Magistrorum Augusta-
lium*, cæterorumque.

Philippus Cluverius novo invento putat *Civi-
tatem Castellanam* fuisse antiquos *Falerios*, caput
Faliscorum. Movet illum auctoritas *Zonaræ* II.
Annalium, ubi narrat, *Manlium Torquatum* cum
Faliscis commisisse prœlium; *eos* inquit, *domuit,
armis, equis, supellectilibus, servitiis & agri dimi-
dia parte mulctatos. Postremo etiam Antiqua Urbe
in arduo sita monte destructa, aliaque in planitie
condita oppugnatu facilis.* Hinc argumentatur, hoc
F *Fallerium*, cujus muri & Ecclesia adhuc exstant,
in lata planitie situm, fuisse secundum, non pri-
mum, quod loco multo munitiori stetisse debuit.
Nec per omnem tractum ipsi reperitur alius ma-
gis proprius, præter *Civitatis* illum reve-
ra arduum ob rupes suas ac scopulos. His ad-
jungit *Plutarchum*, qui in *Camillo Falerios* pla-
ne describit, tanquam *Urbem natura munitam.*
Va-

c *Della sola cifra della Tessera si serviva.*

Valet etiam apud ipsum *Strabonis* locus, ubi *Falerios* in *Flaminia*, sicuti *Civitas* est, collocat; *Falerios, quam nonnulli Æquum Faliscum vocant, in via Flaminia sitam inter Ocriculos, & Romam.* Postremo sententiam suam confirmat Tabula *Peutingeriana*, quæ in via *Amerina Falerios* inter *Nepete* & *Castellum Amerinum*, creditum ipsi esse *Bassano d'Orti*, justo *Civitatis* spatio, id est XII.
148 milliariis *a Bassano*, & V. a *Nepete* recenset. Hinc concludit: *Postquam igitur Falisci novum oppidum Falerios aliquamdiu in dicta planicie incoluerunt, tandem hoc, vel sua sponte, relicto, vel externa aliqua vi expugnato, atque exciso in antiquam sedem lares suos retulerunt, oppido illic instaurato. Hinc etiam postea Cathedralis Ecclesia, & in ea corpora SS. Graciliani, & Felicissimæ Virginis posita sunt.*

Cluverii Sententia ingeniosa est. Sed Auctori *Vejorum Defensorum* non valde placet, quanquam mox sese componit ad concedendum, *Civitatem*, si non possint esse *Veji*, *fuisse Falerios*.

Credit parum *Zonaræ*; dicitque: *fore, ut cuncta bene procederent, si Zonaras id, quod dicit, diceret desumpsisse ex Auctore aliquo antiquo, sed ipsi, utpote Auctori Græco, qui minus abhinc quam* D. *annis scripserit, non ita multum haberi fidei, maxime in rebus, tempore pariter ac loco tam longe ab oculis ipsius remotis.* sed an parum ipsi videtur, quod *Zonaras* hoc testetur? an in sommio scripsisse putat? An non dicit, se illud hausisse ex Auctore antiquo, & in reliqua sua Historia Auctores citat? Non est Historicus, sed Epitomator & collector scriptorum alienorum, e quibus credere par est, illum res a se tempore ac loco remotas traxisse. Scriptor est recens; sed in *Græcia*, quum scriberet, nondum alibi, præterquam in *Italia*, factis *Barbarorum* incursionibus, libri antiqui & boni, unde id peteret, adhuc reperiebantur. Hinc *Zonaræ* & *Cedreno*, licet scriptoribus non antiquis, fides habere solet, quoties non aliunde lux suppetit. De rebus gestis istius temporis non nisi Epitomas habemus. *Livii* secunda Decas; *Sallustii* & tot aliorum Historiæ perditæ sunt. Solus nobis *Polybius* superstes est, cui libro primo usu veniebat aliquid hac de re scribere; sed præter so-
149 litum sibi morem id tam succincte facit, ut inde sese expediat sequentibus verbis. *Romani statim cum gente Faliscorum bellum gerere cœperunt; Quod tamen intra paucos dies Civitate eorum potiti terminarunt*; Sed ita esto, ut vult. An desiderat confirmationem Auctoris antiquioris? *Jornandes* a me citatus in parte prima; *Laborat enim*, inquit *annalium fides, ut Vejos, Fidenates, Faliscos fuisse credamus.* nonne destructionem trium illarum antiquarum Urbium clare decantat? An ipsi nondum sufficit? audiat etiam *Marcellinum* ab ipso adductum, *Faliscos ita oppressit, & Vejos, ut suadere nobis laboret monumentorum veterum fides, ut has Civitates aliquando fuisse credamus.* En igitur duo testimonia parallela, & auctoritate plena, affirmantia destructionem *Faleriorum*, non ad lubitum a *Zonara* memoriæ proditam esse.

Ut porro *Zonaræ* omnem prorsus fidem adimat, negat *Faliscos* a *Manlio Torquato* victos. *Nec quidem reperio*, inquit, *Manlium Torquatum unquam debellasse Faliscos; probe scio, Coss. Q. Lutatio, & A. Manlio ultima clade affectos ex Eutrop. in fine lib.* II. *Oros. in* IV. *& Flor. in Epit. lib.* XIX. *& postea factos Coloniam Romanorum, &c. Adde quod reperiam* CC. *annis post illam debellationem Faliscos tamen in eodem loco munito ac valido fuisse, non autem in planitie, ut constat ex Ovidio, qui vixit tempore Augusti, Q. autem Lutatius, & A. Manlius vixerunt anno ab Urbe condita* DXII. *finito bello Carthaginensi primo, quemadmodum legitur apud Livium lib.* X. *& in Fastis Consularibus.*

A Sic bonus Defensor vult *Zonaram* commentum esse novum quendam *Manlium*, in Fastis non notatum; nec novit, *Aulum* esse prænomen, *Manlium* nomen stirpis, *Torquatum* cognomen alicujus ex familiis *Manliorum*. Citat *Orosium*, *Eutropium*, *Florum*, & *Fastos Consulares*; addi potest 150
Cassiodorus; sed *Fastos Consulares Capitolinos*, quos citat, non vidit. Siquidem litteris majusculis ad annum ab Urbe condita DXII. qui secundum *Varronem* erat DXIII. præter prænomen *Auli* & nomen *Manlii* legisset cognomen *Torquati*, & præterea etiam agnomen ATTICI plane sic in ordine Triumphorum.

B A. MANLIVS. T. F. T. N. TORQVATVS ATTICVS. COS. II. DE. FALISCEIS ANN. DXII. IV. NON. MART

Sed parum exercitato ignoscens, laudo viri diligentiam non exiguam, laboremque ab ipso pro Patria susceptum. *Ovidius*, quem allegat, [a] probe considerandus est.

Cum mihi pomiferis Conjux foret orta [b] *Faliscis*
Mœnia contigimus victa, Camille, Tibi.

Versu secundo omnino loquitur de *Faleriis* primis; sed non idcirco inde efficitur, habitatam
C fuisse. Sensus est, quum uxor ipsi esset de gente *Falisca*, ipseque versaretur etiam in *Faliscis*, oblatam sibi occasionem esse videndi *Falerios* primos, destructos; & ecce quo modo:

Casta Sacerdotes Junoni festa parabant,
Percelebres ludos, indigenamque bovem.
Grande moræ pretium ritus cognoscere, quamvis
Difficiles clivis huc via præbet iter.

Dicit per occasionem istius apparatus cupiditate spectandi sese detentum, ipsumque spectaculum moræ pretium satis magnum fuisse, quamvis iter
D ab Urbe ad locum, ubi festa illa celebrarentur, qui erant *Falerii* veteres, ob clivos difficile esset, quo ipso declarat, Urbem novam in loco plano ac depresso sitam fuisse, antiquam autem destructam in rudi & acclivi; ubi Lucum religione plenum, & Aram rudis & incultæ opus antiquitatis monstrat ac describit. Mox narrat Pompam ritus *Græci*, 151
illamque in fine dicit institutam ab *Haleso*, quum conderet in illa altitudine Urbem.

Dato itaque, verum esse, quodcunque de priorum *Faleriorum* destructione & secundorum in planitie ædificatione dicit *Zonaras*, verane etiam erit *Cluverii* sententia, *Fallerium* hodiernum esse
E secundum a *Manlio* conditum, & *Civitatem Castellanam* jam esse primum? Ego, salva reverentia, quam immortali scriptoris tam præclari eruditioni debeo, a me impetrare non possum, ut ei adsentiam, & rationes sunt plurimæ, quæ me retinent.

Primo. *Falerii* secundi, de quibus loquitur *Strabo*, fuere in *Flaminia. Urbemque eorum Falerios, quam nonnulli Æquum Faliscum vocant, in via Flaminia sitam inter Ocriculos, & Romam.* E quibus verbis video, errasse *Cluverium*, quod *Civitatem* in *Flaminia* hodierna viderit, ignarus,
F antiquam illam hanc longe præteriisse. Ideo dixit: *Fuisse autem Falerios eodem situ, quo nunc Civitas Castellana in via Flaminia, &c.* quare excusari meretur.

Secundo. *Falerii* hodierni sedes non est *In Planitie.* Sita est urbs ista in obtuso angulo duarum rupium, quæ amnem habent ad pedes; quarum una, etiamsi tam commoda reperiatur, ut Curribus

a Ital. *và considerato ben bene.*
b *Phaliscis* hoc loco scripsit Auctor.

bus hodie teratur, nihilominus facile intelligitur ita effecta, partim a longo isto bis mille annorum spatio, partim ab eo, qui viam *Amerinam* per illam duxit, partim denique ab hominibus nostri temporis, qui adæquarunt illam in orbitam vehiculorum a *Cimino* ad *Tiberim*; Nec *Manlius*, quum voluerit destruere primam, hanc urbem rupi alicui ac fossæ ullo modo tam vicinam condidisset.

Tertio. Tot alios scopulos præruptos cir-
152 cumcirca habet, ut longe lateque pluribus, sed inordinatis ordinibus, antemuralium, Peninsularum & Insularum urbem cingant, & a tribus lateribus adversentur, ab Occidente autem antiqua illa *Ciminia* Sylva ita ei immineat, ut multa cum ratione *Falisci* omnem suam fiduciam in soli sui asperitatibus collocare potuerint. *Nulla alia re fidentes ea loca tuta esse, quam difficultate aditus, confragosis circa, & partim arctis, & partim arduis viis.* *Manlium* itaque destructis prioribus *Faleriis*, alteros condidisse propius centrum tot illorum peninsularium præcipitiorum, exercituum expeditionibus ac itineribus fere impenetrabiles, incredibile videtur.

Quarto. Si *Ovidius* ad spectacula illa ivisset, a *Fallerio*, ad *Civitatem Castellanam*, nullum ascensum fecisset, ut dicit; sed potius descendisset, idque commode; prout illa via est.

Quinto. Ex *Peutingeriana*, quam *Cluverius* consuluit, major lux oritur. Hæc in via *Amerina* post *Nepe* quinque millia ponit *Faleros*; & certum est, ibi non intelligi *Falerios* viæ *Flaminiæ*, nec silices illam viam a *Nepete Civitatem Castellanam*, sed *Fallerium* usque ferunt, per spatium quinque milliariorum antiquorum linea recta. Id quod magis adhuc est in promptu, nomen *Faleros* est in accusativo, unde conficitur, ubi hodie *Fallerium* est, non fuisse *Falerios*, sed aliquem locum, Vicum, aut Diversorium, positum in divisione alterius viæ, quæ duceret *Falerios*, sicuti videre est. Ubi hodie *Fallerium* est, antiqua silex bifariam dividitur. Sequitur una recto cursu iter *Amerinæ* versus *Bassanellum*; altera sese incurvando ascendit *Borgettum*, cujus pars est fragmentum illud viæ stratæ, quod in via *Flaminia* hodierna inter *Civitatem* & *Borgettum* occurrit. Po-
153 tuitne igitur alibi fuisse sita urbs *Falerii*, quam in planitie *Borgetti*? Hic verisimile est, *Manlium* illam ab altitudine illa *Fallerii*, quæ instar montis ardui tendentibus ab *Ocriculis* per *Flaminiam*, eamque suspicientibus, assurgit, ablatam, condidisse & tanquam in loco humili, & expugnatu facili, deposuisse. Hisce concordant verba *Strabonis*: *In via Flaminia inter Ocricolos, & Romam.* Consonat nomen plurale *Falerios*, Cives potius e nido suo antiquo abductos, quam urbem denotans, & alterum illud *Æqui Falisci* (quod eos tunc assumpsisse oportet, quia huc deorsum transportati essent) pariter monstrat, Urbem *Faliscam* dejectam, simulque planitiei istius fundi, ac observantiæ *Romanis* debitæ adæquatam fuisse. Nonne vox *Æquum* significat planitiem; *Cicero pro Cæcinna*: *Sed ne æquo quidem & plano loco, &c.* Hos *Æquos Faliscos*, colligere est, factos partem Suburbiorum *Romæ* (nam teste *Marcellino* hæc continuabantur a *Roma* ad *Ocriculos* usque, ad instar unius Urbis) postea a *Barbaris* una cum cæteris suburbiis desolatos esse.

Quod si *Æqui Falisci* fuerunt in planitie *Borgetti*; *Falerii* priores fuerunt, aut ubi hodie est *Fallerium*, aut non longe ab eo in eadem altitudine. Nec fidem excedit, aliquo tempore post habitatam hanc urbem per modum *Coloniæ* a *Romanis*, iisque forsan, quibus obtigit pars Campi, *Faliscis* mulctæ loco ablati. Id credibile fit inde, quod a *Frontino* dicatur *Colonia Junonia*, *quæ appellatur Faliscos.* Quod nobis in memoriam revocat, quæ de Templo *Junonis*, quæ ibi erat, deque festis ibi celebratis, ascendens ab *Æquis Faliscis* narrat *Ovidius* convenienter iis, quæ *Dionysius* lib. I. dicit: *Templum est Faliscum Junonis, Argivo illi simile, ubi & sacrorum ritus erant iidem, & curatrices Templi sacrificulæ, & puella* 154
innupta, &c. ad hæc Chori Virginum patrios hymnos in laudem Deæ canentium, &c. Certum est, *Romanorum* fuisse, Colonias deducere; nec poterant populi Coloniæ *Romanæ* fieri [a] suo arbitratu, ut putat Defensor, qui dicit: *Et postea facti sunt Colonia Romanorum.* [b] (*E si fecero poscia Colonia de' Romani*, ac si diceret: *se fecerunt.*) Hanc autem a Triumviris assignatam esse, *Frontinus* testis est. Quapropter non absque ratione creditur, potius in sedem priorum *Faleriorum*, præstantiorem, commodioremque, quam posteriorum, prope *Tiberim* Colonos *Roma* missos esse, Coloniamque nomen assumpsisse a Templo illo, quod antiquum ibi ac memorabile reperiebatur. Imo nomen illud *Faliscos* in accusativo, consonum nomini *Faleros*, quod in Tabula Itineraria est, satis clare ostendit, Coloniam illam collocatam fuisse in illo viæ *Amerinæ* diverticulo, quod ad *Æquos Faliscos* ducebat, id est, in ipsa *Fallerii* sede.

Reperitur porro apud *Ptolemæum* locus dictus *Falerinum* non longe a *Tiberi*. Et quis scit, an non hanc Coloniam *in Falerino* sitam intellexerit? Verum est, illum describi satis multo viciniorem *Romæ*, quam *Fallerium* est; Sed quam crasse debeant apud illum Geographum accipi distantiæ locorum *Italiæ*, nimis profecto notum est. En quæ dicenda habeo de *Faleriis*, in tantis dubiorum tenebris.

Ut *Civitatem Castellanam* redeamus, illam non fuisse priores *Falerios*, præter ea, quæ jam dixi, novo insuper illustratur, aut majori etiam, lumine, ab Inscriptione *Magistrorum Augustalium* supra allata:

HONORI 155
IMP. CAESARIS. DIVI. F.
AVGVSTI. PONT. MAX.
PATRI. PATRIAE. ET. MVNICIP.

id est, *Patri Patriæ, & Municipii. Falerii* tempore *Augusti* aut non habitabantur, aut erant Colonia. *Civitas* omnino habitabatur, & non Colonia, sed Municipium *Romanum* erat, prærogativa diversa ac digniori. Quæ diversitas durasse etiam legitur ad tempus *Hadriani* apud Gellium lib. XVI. *Municipes sunt Cives Romani, ex Municipiis suo jure, & legibus utentes, muneris tantum cum Pop. Rom. honorarii participes*; ubi narratur ex relatione *Hadriani*. *Prænestinos maximo opere a Tiberio Imperatore petisse, orasseque ut ex Colonia in Municipii statum redigerentur: idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus sub ipso Oppido ex capitali morbo revaluisset.* Quod si Municipium fuit, multo minus fuit urbs *Veji*; cujus campus legitur primo in Coloniam redactus postea desolatus esse. Verum si nec *Veji* nec *Falerii* fuit *Civitas*; quid igitur fuit?

In Regione *Falisca* plures fuere Urbes, sed quatuor a scriptoribus memorantur. Harum una est *Fescennium*, de qua jam verba feci. Altera est *Flavina*, de qua dixit *Virgilius* lib. VII. ℣. 696.

Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva.

&

---

a Sic verto: *a lor posta.* quod & verti forsan posset: *in sua ipsorum sede.*

b Sic sonant ipsa *Mazzocchii* verba, quæ hic ex mente *Nardini* exposita, per parenthesin inserenda putavimus.

& *Silius* lib. VIII. ℣. 491.

Hos juxta Nepesina Cohors, Æquique Falisci,
Quique tuos Flavina focos, &c.

& absque ulla conjecturæ efficacia multis creditur esse hodiernum *Flavium* (*Fiavo*) ex sola nominis similitudine. Alia est *Statonia*, de qua *Strabo* dixit:
156 *At in mediterraneis præter jam dictas Urbes sunt Aretium, &c. tum crebra Oppida; Blerati, Ferentinum, Faleria, Falisca, Nepet, Statonia, & alia plura.* Si tamen *Statonia*, quamvis a *Strabone* recensita inter istius tractus reliquas, urbs *Faliscorum* fuerit: Quarta denique *Falisca* est, locus a *Falerio* diversus, etiamsi *Cluverio* aliter videatur secundum id, quod hodie saltem e *Strabonis* textu colligitur. *Solinus* quoque tanquam de diverso loquitur: *Quis ignorat, condita esse Agillam a Pelasgis, ab Haleso Argivo Phaliscam, a Phalerio Argivo Phalerios, Fescennium quoque ab Argivis?* Sed quænam harum quatuor fuerit, probe dispiciendum est. Quum *Halesus* relictis *Agillæ* maritimis in Campo *Falisco* consedisset, non est statuendum, illum omnem Regionem, *Faliscam* postea dictam, continuo occupasse; sed urbes tres priores, juxta *Solinum*, ab ipso ac sociis conditas, brevem viciniæ ambitum fuisse complexas. Hoc posito, ex locorum sedibus, quæ circum *Fallerium* conspiciuntur (illis saltem, quas credibile est Sylvam *Ciminiam* antiquitus non complexam fuisse) duæ consideratu in primis dignæ sunt, *Civitatis* nempe, & *Gallesii*. Quapropter duas *Fallerii* socias, id est *Faliscam* & *Fescennium* has ipsas fuisse, in promptu est credere. Nec mihi probatur, quod *Cluverius* dicit, *Massam* nimio erga Patriam affectu argumentatum esse; si *Gallesium* ipsi credita fuerit *Falisca*, ex duabus istis *Civitas Castellana* verisimilius *Fescennium* fuisse videtur: Nam, ut taceam monumenta *Romana* marmorea, quæ supra attigimus, testimonio *Dionysii*, qui *Fescennium* a *Romanis* habitatum dicit, convenientia, urbe *Fallerio* destructa, Sedes Episcopalis Diœcesis *Faliscæ* in *Civitatem* translata est; aut si jam hic etiam fuerit Episcopus (cujus nul-
157 la memoria exstat, quum in nullius Concilii subscriptione amborum nomina appareant) huic alteri commendata, & conjuncta fuit. Erat itaque *Civitas Castellana*, aut Urbs Episcopalis etiam ipsa, aut saltem habita ac observata *ab antiquo* tanquam sedes secunda; Et per consequentiam, quum illa Regio ab Ecclesia *Romana* Pastore aut Pastoribus ornaretur, locus erat (ablatis inde *Faleriis*) cæterorum omnium amplissimus ac spectatissimus, & quod majoris adhuc est momenti, a *Romanis* honorifice habitus, & prærogativa Municipii jam inde ab *Augusti* tempore auctus. *Fescennium* constat inter cæteras *Faliscas*, urbem spectatissimam fuisse; *Virgilius* ordine primam illam recenset; *Plinius* Catalogum præcipuarum *Hetruriæ* urbium pertexens, illam non omittit; *Solinus* ut unam e tribus primis *Faliscorum* memorat; Celebre ac valde usitatum in nuptiis *Romæ* fuit genus versuum, utpote licentiosum, qui *Fescennini* dicti sunt; *Dionysius* illam semper tractat ut urbem sociam & æqualem *Faleriis*. Quid ni ergo credamus, *Fescennium*, si non Ecclesiæ pariter Cathedralis, saltem sedis a *Faleriis* secundæ loco habitam fuisse? Et deficientibus *Faleriis*, quis alius locus præter *Fescennium* iis succedere debebat? Quod si, ut & hoc accedat, Municipii Privilegium, non nisi locis valde conspicuis a *Romanis* concedebatur, quæ urbs Regionis *Faliscæ* hac Urbe frequentius memoratur apud Scriptores? Si etiam non præter meritum solebat dari; fortasse *Fescennium* non consensit in rebellione *Faleriorum* tempore *Manlii*; id quod *Romanis* prodesse ad hoc potuit, ut tam celerem ac tam facilem victoriam nacti fuerint; & propterea forsan non fuit & ipsa hæc urbs e situ suo valido dejecta, & in locum depressum, transportata. Non est, quod doleat illa urbs tanquam a me male tractetur; cui vivum apud me servo ac foveo affectum, quo erga illam, [a] quum ibi essem, correptus sum. Nam scio me 158
illam honorifice habere, dum assero non solum situs antiquitatem, sed sanguinis claram ac nobilem originem, & continuatam sub *Romanis* magnitudinem, multo magis, quam si commendaretur a loci situ, ubi, si unquam *Veji* fuerint, utique horridum postea ac fragosum domicilium fuit ferarum ac serpentium, occupatum denique ab hominibus novis, qui huc in unum, (Deus novit unde? & quomodo?) confluxerant. Omnino cum fundamento sic statuimus: Si *Civitas*, quæ ex tot characteribus recognoscitur, ut urbs, quæ stare & in pretio haberi perpetuo perseveraverit, antiqua *Falisca*, aut *Fescennium* fuerit, gloriari potest iste populus de origine celeberrima ab *Haleso* filio *Agamemnonis*, regis istius *Argivorum*, qui summus universæ *Græciæ* Dux ac Imperator destruxit *Trojam*. Si *Vejorum* sedem ac situm occupat, non alio potest haberi loco, quam fungus, natus, ubi quondam arbor fuit.

Hac inquisitione per antiquitatis tenebras facta, conjiciamus nunc oculos in tempora recentiora, ad investigandam, quoad fieri potest, originem nominis hodierni. Non id ago, ut dicam hoc loco cum Defensore ejus, Castella antiquissima, *Vejis* ablata per *Ancum Martium*, prope *Campum Salinum*, aut Munimenta illa, quibus *Camillus Vejos* durante obsidione cinxit, Latinis *Castella*, vulgo *Le Baracche, e le Case Matte*, nominis originem dedisse *Civitati Castellanæ*. *Civitas* (etiamsi *Cluverius* in genere contrarium credat) apparet esse nomen urbis non ab antiquo in Episcopalem erectæ; nec desunt exempla; Et adjectivum *Castellana* verisimiliter videri potest de reliquiis esse nominis primarii; Quo posito, observetur constitutio Imperatoris *Ludovici* Primi allegata alio fine a *Massa*, & annotata in Canone CXXX. Distinctione LXIII. Decreti *Gratiani*, sed non integre; cujus *Massa* dicit se exemplar antiquum ha- 159
buisse litteris *Longobardicis* exaratum. Confirmatur ibi in potestate Pontificia possessio *Romæ*, cæterarumque Urbium ac locorum *Thusciæ*; cujus particulam profert *Massa*; in qua ordine, quo sitæ sunt, recensentur: *Portum*, *Centum cella*, *Cera*, *Manturanum*, *Blera*, *Sutrium*, *Nepa*, *Castellum*, *Gallesium*, *Orta*, *Polimartium*, *Ameria*, *&c.* An hic illud *Castellum* positum inter *Nepam* & *Gallesium* (obstupesco a *Massa* id non observatum esse) de alio loco, quam *Civitate*, nondum adhuc Urbe facta, in qua etiam postea nomen *Castellana* retentum sit, intelligi potest? *Castel S. Elia* nunquam nomen *Castelli* habuit, sed *Castrum* dicitur, & appellabatur *Suppentonia*; nec *Castellum Amerinum* tanti erat momenti, ac magnitudinis, ut in illa serie collocari mereretur; & longius quam *Gallesium* a *Nepete* distabat. Quodnam aliud *Castellum*, aut Oppidum inter *Nepam* & *Gallesium* tunc poni potuit; ita ut in illo Diplomate *Castellum* nominaretur? Hoc argumentum a me jam annis abhinc multis scripto explicatum est, & *Romæ* ac alibi cum amicis aliquot, virisque spectatis communicatum, qui in meam hanc sententiam concesserunt. Id etiam fieri in *Vejis Defensis*, multa cum voluptate vidi; ita ut securus sim, rem non prorsus levem esse, nec a me

a *Quando fui in quel Governo.*

me derivatam, sed etiam aliis observatam; a quibus sentio me persuaderi, ut liberius eam in publicum producam. Ab nomine *Castelli* antiquum illud *Fescennium*, vel (ut *Dionysius* & *Servius* dicunt) *Fascennium*, sono non multum discrepat. Sed nimium *Civitati* immoratus sum. *Vejos* revertor.

160 ## CAPUT V.

Non fuisse Vejos, Ponzanum, Meanam, Martinianum, Scrofanum.

Blondus Flavius cum *Francisco Fiano* poeta *Fianensi*, valde ab ipso ob Historiæ peritiam celebrato, judicat, *Vejos* antiquos fuisse, ubi est *Ponzano*; & nulla probatione addita, ad illum Scriptorem provocat, cujus ego opera non vidi.

Sed exclusa *Civitate* eadem opera excluditur etiam *Ponzano*. Cujus a *Roma* distantia, si non eadem, utique non ita multo minor est; quum Regioni *Faliscæ Soracte* includatur, *Ponzano* relinquitur aut in *Faliscis* aut in *Capenatibus*, id quod ex fonte *Vitruvii* confirmatur. Quod flumen ei ex propinquo interfluat, quod *Cremera* queat esse, & quo *Romanis* a *Vejentano* agro distingui potuerit intra sextum, aut septimum, aut octavum maxime lapidem, mihi ad hoc usque tempus incognitum est. Longius, quam *Civitas Castellana* a via *Cassia* abest. Situs loci, etiamsi in rupe conspiciatur, non videtur magnæ alicui Urbi sufficere. Ad *Tiberim* situm est illud oppidum, sed nihil inde demonstrari scio.

Raphaël Volaterranus in *Commentariis Urbanis* & cum eo *Andreas Fulvius*, paulo propius *Romam* accedentes, aliquanto æquius atque opportunius *Vejos Romam* inter & *Soracte* quærunt, extra terminos *Faliscorum*; Et subsistunt in loci cujusdam destructi ruinis, unde *Vejos* reformant, ac muris suis antiquis ac nomini restituunt. En id quod *Volaterranus* sentit. *Vejentum populi infra* XX. *ab Urbe lapidem sunt apud Liv.* V. & *apud Plin.*
161 XVI. *e regione Crustuminorum medio Tiberi*; *qui Antiquariorum judicio apparent esse Castra, quæ partim procerum Romanorum partim Cœnobii S. Pavii sunt, videlicet Fianum, Natianum, Lyprignanum, Turrita, Civitella, Arianum, Castrum novum. Veji autem ipsi inter hos omnino putantur, ubi nobilia Veteris Oppidi vestigia sub Ursinorum ditione apparent, quæ adhuc Veana appellantur*; Quæ verba significant, non *Volaterrani* tantum, sed communem Antiquariorum sui temporis hanc opinionem fuisse. Illa tam nobilia vestigia, *Veana* dicta, puto esse pauca quædam monumenta antiqua prope *Fiano* (quod oppidum conditum forsan in illis ruinis, inde etiam nomen accepisse potest) ibique Caupona est, quæ *Meana* aut *Miana* hodie dicitur. *Volaterranus* igitur non loquitur, ut Defensor *Civitatis* refert, de *Viano Castello*, quod est inter viam *Cassiam* & *Clodiam*, triginta milliaria a *Roma*; Qua re nimium viri istius Litterati, cæterorumque bono judicio derogatur, qui si in *Vejorum* characterem verum non inciderint, nihilominus ad istius populi loca, propius quàm ille, accesserunt.

Meanam audio esse paucas reliquias structuræ alicujus antiquæ situ quidem prærupto, sed satis misero, nec ulla nota aut indicio singulari prædito, ita ut difficulter abs te impetres, ut credas esse *Vejos*. Ejus a *Roma* distantia non parum viginti milliaria excurrit, si antiqua ad amussim computentur. Non minus longe quam *Ponzano* a via *Cassia* abest. In *Capenate* reperitur, non in *Vejente*; quumque ei non reperiam vicinam *Cremeram*, prorsus illum locum excludo. Addo, *Vejis* inquirendis antiqua monumenta nequaquam suppeditare; de sono autem, quo nomen alicujus loci pronunciatur, si nihil aliud concurrat, quæ conclusio fieri potest? Tales soni nullius momenti sunt. Nulla alia accedente conjectura nihil efficiunt, sin ad alia bona indicia accesserint, decies illa centies millies conduplicant. Fines *Crustumi-* 162
norum multo cum judicio hic observantur. Sed tredecim illa passuum millia, quæ *Plinius* a *Roma* numerat, si computentur ad antiqua, *Rianum* vel non attingunt, vel non excedunt. Et de *Meana* hæc sufficiant.

Johannes Annius, *Cæsar Nicolini*, & *Leander Alberti* contendunt *Vejos* esse *Martinianum*. (*Martignano*.) Est hic [a] locus quidam prope Lacum *Sabbatinum*, hodie *Anguillaræ*, qui in Collem elevatus gremio suo Lacum non parvum includit. Nec ullum toto ejus ambitu signum habitationis veteris reperitur, præter paucas quasdam muri reliquias in parte verticis ejus. Sed piscatores referunt, in attrahendis retibus, aut subducendis naviculis in parte quadam ripæ istius Lacus deprehendi offendicula tam dura; ut nihil aliud esse credantur, quam structurarum veterum vestigia.

Potissimum argumentum, pro *Martiniano* (*Martignano*) (omissis fabulosis auctoritatibus *Catonum*, & *Antoninorum Annianorum*) est, quod *Livius*, narrans expeditionem trecentorum & sex *Fabiorum* contra *Vejentes*, dicat, profectos illos esse *Roma* per *Janiculum* versus *Lacum Sabbatinum*. Apud *Livium* solummodo legitur: *Infelici via a dextro Jano Portæ Carmentalis profecti* (Fabii) *ad Cremeram flumen perveniunt*. Ubi quum ne ullum quidem vestigium istius viæ reperiatur, nihil aliud statuere possum, quam *Annium* cæterosque credidisse, *Janum dextrum* duxisse ad Lacum illum. De *Jano dextro Ovidius* loquitur II. Fastorum:

Carmentis portæ dextro est via proxima Jano.
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos, &c.

Portam *Carmentalem*, ex *Plutarcho* in *Camillo*, con- 163
stat fuisse inter *Tiberim* & *Capitolium*; & esse potuit apud *Piazza Montanara*. Non igitur profecti sunt *Fabii* a *Janiculo*; quia hæc porta erat lateris non *Trans-Tiberini*, sed a parte *Latii*; Nec *Janus dexter* ex *Festi* sententia *Janiculus* erat, sed Templum *Jani*, quod stabat extra illam Portam, ubi postea, juxta *Publium Victorem*, *Marcellus* Theatrum exstruxit, quod hodie Palatium *Sabelliorum* est. Convocato ibi, juxta *Festum*, Senatu, *Fabii* ab illa parte viam ingressi sunt, diversam propterea plane a *Janiculo*, qua non nisi trajiciendo *Tiberim Roma* proficisci poterant; *Tiberis* autem non nisi ponte *sublicio* trajici poterat, qui *Romæ* unicus erat, collocatus inter Portam *Trigeminam* & *Carmentalem*, ubi *Ripa magna* est. Sed, quæso, si per *Carmentalem* egressi sunt *Fabii*, ubi deinde flumen trajecerunt, ut *Vejos* pergerent, quæ in *Thuscia* erat? Suis ipse se verbis intricat Defensor *Civitatis Castellanæ*, quum dicit, egressos illa porta, per *sublicium* tetendisse ad *Janiculum*, & solum *Janiculum* fuisse Portam, qua *Romani* in *Thusciam* exspatiarentur. Sed quonam pacto hæc omnia in ipsius Idea disponi possunt? Qui egrediebatur *Carmentali*, tergum obvertebat *sublicio*, qui intra *Romam* erat; nec illa Porta, foras euntem ullo modo ad pontem istum ducere poterat.

Debuit isto tempore, mea sententia, alius fuisse Pons

[a] *Una Tenuta.*

Pons extra *Romam*, per quem in *Septempagium* commode tenderetur ab iis, a quibus *sublicius* remotior erat. Is potuit esse, ubi hodie est *Ponte Molle*, aut inde non procul abfuit; ubi magnus ille *Tiberis* flexus semper aliquem pontem requisivit; aut forsan, ubi hodie sunt duo isti Pontes in Insula, quæ olim extra Urbem erat, Pontes
164 si non lapidei, saltem lignei erant, ut *sublicius*, iisque struendis occasionem præbebat facilitas angustiæ divisi Fluminis, & necessitas commercii istius Insulæ, in qua, ante *Æsculapium* colebantur *Jupiter* & *Faunus*. Ut verbo dicam; etiamsi per *Janiculum* profecti sunt *Fabii Vejos* petentes, tollantur illi duo pontes, quos extra *Romam* ego supposui, non alia via in ullam *Hetruriæ* partem pervenire potuissent; ita ut ab omni parte cadat argumentum *Annii*.

Pluribus rationibus *Micus* excludebat *Martinianum*. (*Martignano.*) Dicebat amplificatum esse *Martinianum* a *Vejis Hetruscis*, ergo *Vejos* prius extitisse, & *quid diversum* fuisse. Dicebat, plus quam tredecim milliaria a *Tiberi* distare, nimis procul a *Flaminia*; nec posse contermínos habuisse *Sabinos*, *Faliscos*, & *Capenates*, ita ut interpositi fuerint fines *Sutrii* & *Nepetis*.

Sed facile responderi poterat. Ex nullo Scriptore constat, *Vejos* a *Vejentibus* conditos esse. Non insolitum est, ut Populus aliquis elegerit in sedem rerum ac fortunarum suarum Urbem, a sese non conditam sed amplificatam solummodo. Distantia a *Flaminia* parum ad rem facit, illa a *Tiberi Pontio* non fuit impedimento, & *Vejis* cum *Martiniano* pro eodem habitis, potuit eorum ager contermínos habuisse *Sabinos*, *Faliscos*, & *Capenates*.

Opponebat præterea, *Vejos* prærupto cuidam & altissimo scopulo inædificatos fuisse. *Martinianum* Collem esse modicum, totumque aratro subigi.

Nonne jam dixi, ut *Veji* modo *Civitas* fiant, amplificari hyperbolas, & magis adhuc in altum extolli? Altum *Dionysius*, non autem altissimum *Vejorum* scopulum dicit; nec *Athos* ei aut *Olym-*
165 *pus* pro mensura datur. Scriptores, qui evidentiæ student, verbis suis, nolentes etiam, plus hyperbolarum, quam efficaciæ immiscent; Et idcirco securius modificantur, quam amplificantur. *Micus Martinianum* (*Martignano*) aut non videt, aut non ab omni parte; Nam, etiamsi versus *Romam* & *Mare* videatur collis, qui possit esse scopulus subactus, & complanatus aratro per tantum numerum annorum; *Baccanum* versus præruptas tamen rupes habet, quibus iste scopulus valli imminet; quique cum conscendit ab illa parte, ubi credit esse planitiem, deprehendit sinum montis in vastam pelvim Lacus deprimi, quæ ad instar antiqui alicujus Circi *Romani* versus Occidentem rotundatur, ab Oriente autem subjacet cortinæ cuidam rupium per lineam rectam dispositarum, quæ in aquis tanquam speculo sese contemplantur.

Verum enim vero, etiamsi hic conditiones meliores, quam reliquis in locis jam dictis concurrant, *Martinianum* (*Martignano*) tamen non possunt esse *Veji*.

Primo ob nimiam ejus a *Roma*, parvam autem a *Sutrio* distantiam. Tabula Itineraria *Vejos* ponit ad duodecimum a *Roma* lapidem, viginti & unum a *Sutrio* milliaria. *Martinianum*, juxta communem sententiam, sedecim a *Roma* milliaria abest, Sed quum *Baccano* stet a latere, qui locus juxta *Antoninum* & Tabulam ad vigesimum primum a *Roma* lapidem est, duodecim a *Sutrio* milliaria, ad easdem cum *Vejis* a *Sutrio* & a *Roma* distantias inverso ordine *Martinianum* reperitur.

Secundo. Ob distantiam supervacuam a *Tiberi*.
A Non ad *Pontii* natationem hic provoco; sed credibile non est, *Mamercum* apud *Martinianum Gallos* e *Sabina* aut *Latio* exspectasse, ibique stetisse in procinctu, ad trajiciendum subito *Tiberim*; Et militibus ab *Allia* profugis non suppeditasset *Martinianum* e tam longinquo refugium commodum pro ipsorum lassitudine; Nec a *Marti-* 166
niano Romam nuncius cladis in tempore pervenire potuerat.

Tertio. Vertex ejus, quantumvis amplus, quum Lacus in ipsius medio subsidat, non habet spatium capax Urbis magnæ.

Quarto. Creditu difficile puto, *Martinianum*
B fuisse in agro *Vejente*, valde dubitans, an non fuerit in *Cæritano*, sicuti dicturus sum.

In illo cacumine, quo [a] Urbi alicui situm præstantissimum præbet, credidit *Micus* sitam fuisse antiquam illam *Artenam*, quam *Livius* in finibus *Cæritum* ac *Vejentum* collocat. Et profecto conjectura haud contemnenda est. Erat *Artena Cæritum*, sed a multis *Vejentana* credita. Unde *Cluverius* existimat; fuisse in finibus, sed intra agrum *Cæritanum* a dextra *Arronis* fluvii, qui ex ipsius mente istos duos Populos disterminabat.

C Sed accurate loquamur. *Artena* in isto limite tam manifesto nimis distincte cernitur esse urbs *Cæritana*. Sed *Martinianum*, utpote plus ultra *Arronem*, in dubium revocari poterat, illorumne an horum fuerit, & horum potius, quam illorum videri. Finis eorum potuit esse collis ille, qui a Lacu *Baccano* dividit Lacum *Martinianum*, & illum, qui cognominatur *di Stracciacappe*, quos duos unum fuisse Lacum altiorem, postea autem aperturæ subterraneæ ope subsidendo divisum esse credibile est.

Nomen, quod ex *Arteniano* corruptum videtur, non obscuro etiam indicio est. Et quamvis
D vanum videri possit, nomen alicujus loci, jam a Regibus *Romanorum* destructi, tamdiu servatum esse; Nihilominus solus Lacus suffecit, donec Urbs, aut Villa, aut aliud quippiam, cujus hodie reliquiæ sunt fragmenta illa murorum, quæ ibi conspiciuntur, temporibus recentioribus ibi ædi- 167
ficaretur; idemque Lacus id cum illo communicare potuit.

Sed cogitata hæc tam egregia disturbari videntur a *Frontino* lib. primo de Aquæ Ductibus, ubi verbis apertissimis pronunciat, Lacum illum esse *Alsietinum*, describens aquam ipsius. *Concipitur ex Lacu Alsietino via Claudia milliario* XIV. *diver-*
E *ticulo dextrorsus passuum sex millium d. &c.* & libro II. *Alsietinæ conceptionis modus*, *&c. cum ex Lacu Alsietino*, *& deinde citra Cereias ex Sabbatino*, *&c.* Juxta *Frontinum* illæ antiquitates, quæ exstant in Colle *Martiniano*, vestigia erunt urbis alicujus, quæ *Alsietum* fuerit dicta, vel *Halsientum* juxta *Publium Victorem*, unde *Halsientena* dicta sit aqua illa. Quod si hoc verum est; unde quæso postea revixit vetustissimum nomen *Artenæ*, & jam inde a tempore Regum *Romanorum* oblivioni traditum? Si *Martinianum* post *Alsietum* temporibus recentioribus conditum est, cur potius
F tam antiquum *Artenæ*, quam a Lacu *Alsietino* nomen recentius habuit? Quis rudibus istis ac indoctis temporibus *Artenæ* situm primitivum ibi divinare potuit? Si temporibus antiquioribus, qua occasione Lacus non *Artenianus*, sed *Alsietinus* dicebatur? Profecto, quamvis negare non possim, *Artenam* ibi potius quam alibi fuisse sitam, argumenta, quæ a similitudine nominum desumuntur, minus secura esse, plane deprehendo. Tem-

a *Per una Terra.*

F. Nardinus. F

Temperare interim mihi nequeo ab hoc tractu, de quo loquimur, invitatus, quin similem ex nomine quodam conjecturam traham. Inter *Martinianum* & Lacum *Sabbatinum* quod est spatium, *Polline* appellatur. Jam quis scit, an non derivetur illud nomen a *Polla* illa, quæ in lege *Rutilia ff. de contr. empt.* Lacum emisse dicitur. *Rutilia Polla emit Lacum Sabbatenem Angularium, & circa eum Lacum pedes decem, &c.* Habuit *Polla* procul dubio Villam aut aliud quid apud Lacum illum. Et nomen *Polline* indicio est, eam omnem illum tractum ab illa parte possedisse. Observetur præterea, Oppidum *Anguillare* non ab anguillis, sed ab angulo, quem ibi Lacus iste facit, assumpto nomine, forte *Angularium* dictum fuisse; sed *Artenam* redeamus.

168

Enimvero caret omni bono sensu Opinio *Annii* & *Alberti*, *Artenam* esse hodie *Braccianum*, ab ipsorum *Catone* & *Antonino Arcenum* & *Artenum* appellatum, quod inter *Martinianum* & *Cervetere* medium est. Et quomodo potuit *Artena* poni a *Catone*, si a Regibus *Romanis* destructa, temporibus *Livii* nil nisi nomen residuum habebat? *fuisse credat, fuit, & fuerat* termini sunt, quibus *Livius* de ea verba faciens utitur. In *Peutingeriana* clare videmus, *Braccianum* esse, ubi fuit antiqua *Sabbate* seu *Sabatia*, quæ nomen Lacui *Sabbatino* dedit. Atque adeo apud animum meum cogito, nomen e *Sabbate* vel *Sabatia* in *Sabbatiano* detortum esse, ut tot aliis factum est; & e *Sabbatiano* postea in *Braccianum* contractum.

Cluverius, ut attendenti palam est, de *Vejis* mentem suam non satis explicat, ostendens, modo *Scrofanum* ipsum, modo alium aliquem locum istius tractus sibi placere. *In edito colle* (dicit alicubi) *ut nunc est Scrofanum, sitos olim fuisse Vejos.* Alibi rursus: *Patet Vejos Urbem fuisse eo tractu, ubi nunc Oppidum vulgari Vocabulo Scrofano conspicitur.* Et in Institutione Geographica dicit: *prope Scrofanum.* (*presso Scrofano.*)

Sed præterquam, quod positura *Scrofani* sub montibus altis depressi, in modico colle & brevi ambitu, ei contradicat, ut satis recte *Vejorum* Defensor disputat, hinc etiam convincitur ille Vir doctus, quod eo non per viam *Cassiam*, sed per *Flaminiam* eatur usque ad *Primam Portam.* In
169 *Cassia* ad duodecimum ab Urbe lapidem non potuit unquam esse diverticulum, quod *Scrofanum* duceret; tam longe inde distorto ac difficili tractu abest. Quod antiquam viam *Cassiam* per *Scrofonum* linea recta *Sutrium* duxisse, *Cluverius* palam credat; ejus contrarium potius evincitur ex reliquiis silicum antiquarum, quæ, paucis interruptis, passim reperiuntur, & per *La Storta*, *Baccanum*, & *Monterosium* versus *Sutrium* ferunt. Quumque *Cluverius* tam brevi temporis spatio, quo in *Italia* commoratus est, non potuerit illa loca satis recte observare, quid mirum, si hic aberraverit? Adversatur ipsi etiam *Scrofani* a *Roma* distantia XVIII. fere milliariorum mensuræ antiquæ, a *Sutrio* autem plus quam duodecim, valde differens a *Vejorum* illa, quæ in Tabula definitur duodecim a *Roma*, & viginti unius milliariorum a *Sutrio.*

Nemo ad hunc diem usque rectius de re tota statuit, quam *Massa*, qui nulli loco speciali adstrictus libere dicit: *Cæterum, quo in loco Civitas Vejentum sita olim fuerit, quid nos assequi conjectura valeamus, cum dicat Propertius, &c.* & recte. Constituerat *Faliscorum* res, non *Vejentum*, inquirere. *Massam* secutus est, imo ad verbum exscrisit, *Paulus Merula.*

Acriter eum objurgat Patronus *Civitatis Castellanæ*, affirmando, illum dicere *Vejos* esse *Rignanum*; quum dicat solummodo, fines *Vejentum* eo usque se extendisse. *Vejentes a principe ipsorum*

A *Civitate sic dicti, possidebant quidquid agri est a Cremera Fluvio Urbi in pratis vicino usque ad Soractis Faliscorum montis confinia, ubi nunc est Oppidum Arinianum.* Sic nullo personæ respectu habito, alterum dicere aliquis cogit, quæ nunquam vel somniavit. Sed parum inde aut nihil detrimenti capiunt illi, qui per scripta, jam omnium conspectui exposita, etiam mortui, semper 170
loquuntur. Meum solummodo fuit apud Orbem litteratum id defendere, quod libere & festinante calamo ad Amicum scripsi.

B

CAPUT VI.

Quæ fuerint antiqua Saxa Rubra, quod flumen Cremera, & ubi fuerit Castellum Fabiorum.

Exclusis tot locorum sedibus, ubinam igitur Urbs *Veji* sita esse potuit? reliquum est ut alibi illam quæramus. Sed quoniam [a] pedetentim itur, convenit, ne operam perdamus, e longinquo viam ingredi, & primo illa specialia istius tractus, quæ *Vejos* nos ducere possunt, investigare. Ante omnia igitur quæramus *Saxa Rubra*; quia hæc ad *Cremeram* nos ducent, *Cremera*
C autem *Vejos.*

Removeantur primo ab oculis ficta illa *Saxa Rubra*, *Civitati Castellanæ* vicina, jam satis superque exclusa. Et si quem majoris lucis ergo scire juvat, quænam fuerint monumenta illa antiqua, quæ ibi conspiciuntur; Erat ibi locus, qui in *Peutingeriana* dicitur *Aqua Viva*, positus in antiquo Itinerario *Hierosolymitano* duodecim milliariis ab alio, qui *Ad Vicesimum* dicitur. Distant a Diversorio *Stabiæ Civitatem Castellanam* versus circiter milliarium, ubi nova *Flaminia* a veteri dividitur. A via sinistrorsum plus minus
D duos ictus sclopeti; ibique ex muro quodam scaturigo fontis erumpit, cui nomen *Acqua viva* adhuc continuatur. Ulterius paulo Ecclesia quædam conspicitur, cui nomen est *La Madonna d' Acqua viva*; & ab altera parte *Flaminiæ* ponticulus ille antiquus est, apud quem terra rubra est; 171
id autem, quod ponti subjacet, *Rimozzo* dicitur. A *Castel nuovo*, quod erat *Ad Vicesimum*, ad hæc Monumenta sunt circiter duodecim milliaria antiqua; & a *Rignano*, quod erat *in vicesimo octavo lapide* quatuor sunt.

Saxa Rubra constat agnosci in *Grotta Rossa.*
E Diversorium illud est in *Flaminia* ad ascensum collis cujusdam, non longe a *Roma.* Hæ conditiones accedente nomine probabile redderent argumentum, nisi cogeret nos dicere, *Cremeram* fluvium *Romæ* viciniorem quam *Saxa Rubra*, *fuisse* illum rivum, qui prata *di Tor di Quinto* præterfluit; quod brevi me ostensurum spero, quam non possit subsistere. Ut nimiam ejus cum *Roma* vicinitatem taceam, quæ id etiam dissuadet.

Nos, antequam ad illa inquirenda accingamur, meminerimus, tribus potissimum rationibus illa e Scriptoribus antiquis innotescere. Aliis *Saxa* &
F *Lapidicinæ Rubræ* dicuntur, aliis commemorantur ut Urbs dicta *Rubræ*, & postea *Lubræ*, aliis recensentur ut Locus, qui dictus sit *Ad Rubras*; cujus distinctionis ductu, ut plenam eorum habeamus notitiam, nostra hæc disquisitio instituenda erit.

Ad *Saxa Rubra Aurelius* & *Tacitus* manu nos ducunt. Si in *Flaminia* a *Roma* aberant ad novem milliaria antiqua, hæc, id est sex illa a *Ponte Molle*

a *Si và a tentoni.*

Molle complentur, ubi *Prima Porta* est. Unde credibile est, *Saxa Rubra* fuisse vel omnes [a] pendulos illos colles, qui inter *Primam Portam* & *Tor di Quinto*, *Flaminiæ* transitum præbent, vel Tophos illos, qui supra *Primam Portam* conspiciuntur, per totum illud spatium, quod viis *Scrofani* & *Fraxineti*, quas *Flaminia* a latere habet, interjacet. Quorum Tophorum uni inædificatum est diversorium illud, quod ulterius est in ascensu. Adeo, ut Sancti Martyres *Abundius* & *Abundantius*, martyrio affecti *in via Flaminia decimo ab Urbe lapide*, ut de illis testatur Martyrologium,
172 *Primam Portam* transgressi sint, ultra quam ad duo milliaria, aut paulo plus, reperitur in loco depresso, & rupibus clauso residuum illud Sacelli cum Turre, ubi Corpora Sanctorum *Marciani* & *Johannis*, quos isti socios habuerant, reperta sunt, quæ res indicio est, Martyrium illorum, ibi, aut inde non procul peractum fuisse.

Locus ille, seu Villa fuerit, seu Diversorium, qui modo *Ad Rubras*, modo *Rubras* dicitur, & in via *Flaminia*, novem ab Urbe milliaria in Itinerariis removetur, quomodo potest esse dubius? fuit iste *Prima Porta*; ubi videre est, a *Flaminia* disjungi viam, quâ *Fraxinetum*, *Rianum*, *Fianum*, aliaque *Capenatium* loca adeuntur, fuitque hæc *Tiberina*, & incipiebat *ad Rubras*, quemadmodum dicturus sum: Dixi jam, solere in Itinerariis indicari in accusativo cum præpositione *Ad*, aut sine ea, viarum divortia, quæ ab recta deflectentia alio tendebant. Locum *Ad Rubras* fuisse Diversorium, aut Villam, videri potest in Itinerario *Hierosolymitano*; ubi legitur non *Civitas*, sed *Mutatio*. Et vero *Primam Portam* semper fuisse primam stationem viæ *Flaminiæ*, (vulgo *Posata*, aut si mavis *Posta* dicitur) videtur esse evidens. Hinc *Marcus Antonius*, postquam ad vesperam usque perpotasset, conscenso cisio *Romam* pervenire, haud agnitus, potuit, antequam Muliercula, quam amabat, cubitum iret. Nihilo plus ultra illas planities *Primæ Portæ* fieri potuit, ut *Maxentius* cum exercitu *Constantino* obviam ierit; de quo *Sextus Aurelius* dicit: *In Saxa Rubra novem ferme milliaria.* Nam campi illi mire ipsius instituto inserviebant angustia sua, qua flumen inter & rupes coarctabantur; dicente *Nazario* in Panegyrico: *Apud Tiberim suos instruxit sic ripæ locatos, ut ultimorum vestigia præsagio quodam eventuræ cladis unda fatalis allueret*; Et subjiciente alterius Panegyrici Auctore: *A fronte*
173 *armis, a tergo Tiberi flumine premeretur.* Et *Constantinus* illum ex campis istis in fugam agens, eodem illo primo impetu fugientem ad Pontem *Milvium* usque persequi facile potuit. quod cum nullo alio loco a *Roma* remotiori conciliari potest.

Exigua Urbs, *Rubræ* dicta, juxta testimonia allata, non in via fuit, sed eo ducebat diverticulum quoddam a *Prima Porta*. Illa quæ *Lubræ* dicitur, pari modo intelligitur, a latere *Flaminiæ* intra decimum lapidem sita fuisse; Quoniam in historia Sanctorum illorum dicitur: *prope Civitatem Lubras*; ubi de transitu illorum per *Flaminiam* agitur.

Erat igitur, aut ad sinistram versus *Scrofanum*, vel potius ad dextram versus *Fraxinetum*, & forsan, in uno illorum collium, qui ibi in circuitu conspiciuntur; Nec absurde collocabitur, ubi nunc [b] Villa quædam est Canonicorum Sanctæ *Mariæ*, ruderibus antiquis inædificatum, in Via Lata. Collis ille Castello alicui egregie opportunus videtur. Surgit fere a fronte *Fidenarum*, expositus prospectui Montis *Marii* præ quovis alio loco æqualis distantiæ. Qui Mons, dubium non est, quin illa pars *Janiculi* sit, quæ Ponti *Milvio* impendet, ubi *Martialis* habebat hortos suos. Et *Rubras* ac *Lubras* unum eundem locum fuisse (etiamsi Defensori distincta fuisse videantur) quis potest controvertere, quum unius solummodo litterulæ differentia utraque a latere *Flaminiæ* ad milliaria fere decem, & sic eodem in loco ad digitum fere indicentur. *Cluverius* putat, *Rubras* & *Lubras* (non distinguens Lapidicinam aut tale quid) fuisse diversorium illud, quod est inter *Primam Portam*, & *Castel Nuovo* dictum *Borghetto*. Sed, ut taceam, hoc in *Flaminia*, non *prope Flaminiam* esse, a *Roma* ad *Borgettum* duodecim milliaria hodierna sunt, & inde ad *Castel Nuovo*, quod erat *Ad Vicesimum*, quatuor, &, quod magis adhuc clarum est, multo plus ultra 174
sacellum illorum Martyrum est; quod est ultra decimum lapidem Martyrii eorum; adeo ut S. S. *Abundius* & *Abundantius* non potuerint illic pertransiisse.

Sed si inter *Ocriculum* & *Primam Portam* triginta quinque milliaria erant, quamvis antiqua, una sola die (dicebat *Micus*, & dicit Defensor novus) non potuisset exercitus *Antonii Ocriculis* eo pervenire. Imo ego propterea, quod essent triginta quinque milliaria, existimo hunc locum ipsum fuisse, quo exercitus iste, qui festinabat, & magis, quam Dux suus, sollicitus erat, pervenerit *multo jam noctis*. An *Hetruscorum* exercitus, ab obsidione *Romæ* discedens (id quod non nisi lente fit) *Civitatem*, ut illi volunt, pervenerit; hic autem, qui præ desiderio festinandi fere volabat, tantum iter non potuerit confecisse *multo jam noctis*? Sed quid opus est verbis? *Sextus Aurelius Saxa Rubra* non ultra *Primam Portam* ponit. Itineraria hæc inter & *Ocriculum* numerant milliaria triginta quinque. Ab hoc ad illum locum legimus exercitum pervenisse vespera sera. Non oportet de eo disputare, quod expressis verbis legitur.

Quod si *Prima Porta* cum suis *Saxis Rubris* in *Vejente* fuerit, Villa *Ad Gallinas*, quæ a *Dione*, ac *Plinio*, collocatur & ipsa ad nonum lapidem, & ad *Tiberim*, valde opportune a *Suetonio* dicitur in *Vejente* fuisse; Quæ proinde merito ibi, aut inde non procul remota, fuisse creditur. *Cluverius* putat fuisse, ubi *Fraxinetum* est; sed quum *Prima Porta* ad milliarium nonum sit, Villa ista inde non nisi prope abfuit. Locus ei egregius est, sive in viarum divisione, sive in ipsis illis pendulis rupibus, quibus prospectum præbent Montes *Crustumini*; limbi usum *Tiberis* 175
præstat, & Camporum longi tractus subjacent, quorum penes istam altitudinem dominium est.

Sed Auctori *Vejorum Defensorum* non placet illa sedes. *Miratur, quo pacto, si Villa Liviæ Augustæ (dicta Ad Gallinas, pariterque Vejentanum, utpote in isto agro sita) Saxis Rubris tam vicina fuerit, nulla horum mentio fiat apud Suetonium, qui de illa scripsit in Galba, nec apud Plinium, qui lib.* xv. *cap. ult. eandem dicit fuisse ad* ix. *lapidem Tiberi impositam Flaminia via.* Et quid vellet? ut *Suetonius*, qui, pro solita sua brevitate in istius *gallinæ* historia, hanc Villam solummodo ut *Vejentanam* indigitasse merito contentus fuit, exactius eam, & speciatim cum confiniis suis descripsisset, ut solent Notarii in conficiendis Instrumentis? Si *Plinius* ad illam commonstrandam dicit: *Ad* ix. *lapidem Tiberi imposita Flaminia via*, nonne evidenter & tanquam digito id facit? quid præterea illum dixisse oportuit, Domine? an desideratur legi: *Prope Saxa Rubra?* quare non etiam: vicina *Rubris* e regione *Fidenarum*, haud procul

a *Pendici.*
b *Un Casale.*

a *Cremera* & villis, quotquot erant in isto tractu? Notarii cum omnibus suis cautelis & cavillis in Instrumentis, contenti sunt duorum solummodo confiniorum mentionem facere. *Plinius* tria designat, & hæc non sufficiant? Pergit: *Et tamen quum esset Villa Cæsarum, locus erat notissimus istis temporibus. Proinde in hac sententia confirmor, his locis olim Saxa Rubra non fuisse vicina.* Bone Deus! fuitne locus notissimus? cur ergo postulat, superfluo isto argumento suo, ut *Plinius*, ejus mentionem faciens, & *Suetonius* obiter illum tangens, referant insuper vicinitatem ejus ad speluncam quandam ac diversorium? Ipse, qui Doctor utriusque Juris est, & hoc titulo prodit, nequaquam ignorat, fundi per se cogniti, non opus esse, ut ex-
176 plicentur confinia. *Bartoli* doctrina communiter recepta est *in l. cum pater §. fin. ff. de legat. 2. & in l. libellum, ff. de accusat*; *Et in l. cum servo ff. de contr. empt.* Cujus legis *cum servo* verba clara sunt: *Demonstratione fundi facta confines nominare supervacuum est.*

Ex omnibus iis, quæ hactenus disputata sunt, jam porro ob evidentiam majorem, collatis inter sese, & in unum collectis Itinerariis, una cum Historia illorum Martyrum, fragmentum institui potest Itinerarii a *Roma* ad *Ocriculum* distinctioris; idque cum locis hodiernis collatum ita disponi:

Ponte Milvii	*M. P. III.*	*Ponte Molle.*
Ad Rubras	*VI.*	*Prima Porta*
Ad Vicesimum	*XI.*	Borgo di *C. Nuovo*, seu, M. della *Guardia*
Rostrata Villa	*IV.*	Presso *Morolo*
Prædium S. Theodoræ	*IV.*	*Rignano.*
Aqua viva	*IV.*	Presso l'Hosteria di *Stabia*
Ocricolis	*XII.*	*Otricoli.*

Omissa *Civitate Castellana*, quæ non erat in *Flaminia*,

Restat hoc solummodo dubium, a qua rubedine illæ rupes *Saxa Rubra* appellata sint. Sed nulla meditatione prævia responderi potest: Ab eadem illa, unde hodie *Grotta Rossa*. Si per *Saxa Rubra* intelligantur, ut ego credo, Lapidicinæ vel Petræ, tota ista rupium series venam habet e rubro, vel saltem eo prope accedentem. Et quamvis præ vetustate saxum, aëris injuriis expositum colorem mutaverit, specimen nihilominus aliquod retinet. Sed quæ rubedo major desiderari potest illâ, qua Tophi supra *Primam Portam*
177 intra tres illas vias præditi sunt? Hi forsan proprie *Saxa Rubra* fuerunt, a quibus omnis iste tractus nomen assumere potuit.

Aggrediamur jam *Cremeram* quærere; quæ inter hæc & *Romam*, intra spatium novem milliariorum debuit esse collocata. In toto hoc tractu tres sunt fluvii. Unus prope *Primam Portam*, Alter apud *Valcam*, Tertius aliquantulum a *Tor di Quinto* abest. Horum itaque unus olim *Cremera* fuit.

Massa aperte satis dicit, *Cremeram* esse illum *Romæ* viciniorem, qui prope *Tor di Quinto* satis inops aquarum labitur, haud procul a pratis; unde aliquatenus colligere est, illum credidisse *Grottam Rossam* esse *Saxa Rubra*. Sed ut taceam vicinitatem ejus cum *Roma* nimiam, utpote vix trium milliariorum, qui terminus *Septempagio* parum sufficeret, ut & inopiam aquæ, cujus ille nullam rationem habet, fons ejus, a *Roma* parum remotus, ostendit, nuspiam illum *Vejis* vicinum fuisse. Forsan *Massa* non de hoc rivulo, sed de altero illo apud *Valcam* locutus est, qui etiam potest dici *Romæ* vicinus esse, & prope illa prata labi, quæ ibi conspiciuntur propter *Tiberim*. *Blondo*, *Annio*, *Cæsari Nicolini*, *Leandro Alberti*, *Cluverio* & aliis *Cremera* dicitur fluvius iste apud *Valcam*.

Volaterranus de *Cremera* verba faciens, tanquam de communi consensu affirmat, ut videtur, esse illum alterum apud *Primam Portam*. *Cremera fluvius ille existimatur, qui nunc vicinus Primæ Portæ quinto ab Urbe milliario, &c.* Sed fortasse & ipse intellexit illum, qui apud *Valcam* est; qui pariter *Primæ Portæ* vicinus dici potest. Et *Valcam*, tanquam Diversorium ignobilius tacuit, Sed numerum milliariorum ad hodierna computavit.

Oritur aliquod dubium circa hos duos fluvios, 178
sed explicatu facile. Potest & hic & ille fuisse terminus agri *Romani*, quoniam intra nonum milliarium labuntur ambo. Et hic & illic *Fabii* præsidium collocare potuerunt; quoniam in utriusque margine reperiuntur abruptæ rupes; & uterque memorabilis est, & ultra duodecimum a *Roma* milliarium oritur. Sed ille qui ad *Primam Portam* est, cujus unus Ramus *Flaminiam*, alter *Scrofanum* satis longe a *Cassia* accedit, non potuit *Vejis* esse vicinus. *Valca* autem majorem suam ac remotiorem originem trahens a lacu *Baccano*, & *Cassiæ* e transverso incurrens, in *Tiberim* se exonerat quinque milliaria hodierna a *Roma*. Quamobrem statui cum Antiquariorum venia potest, hunc fuisse *Cremeram*. Nomen ejus proprium non apporto, non habet enim; Et quod *Abrahamus Ortelius* in suo Thesauro Geographico dicat, sibi inquirenti de eo responsum esse, hunc *Valcam* appellari, & illi apud *Primam Portam* nomen *Fossæ* esse; omnino id male intellexit, nec aliud ipsi potuit esse responsum, quam alterum *della Valca*, a Diversorio, quod ei a latere est, appellari, alterum esse *un Fosso*; pro more, quo solent appellari fluvii non ita magni.

Valcâ (ut & nos ita loquamur) ad *Tiberim* terminari potuit *Septempagium*; Cui trans *Tiberim* respondebat, ad amussim fere, finis agri *Fidenatibus* a *Romulo* prius adempti; qui necessario fuit inter *Castel Giubileo* & *il Teverone* (*Anienem* olim) fluvium. Unde *Plinius Fidenati* agro ac *Latio* præcise *Vaticanum* opposuit. Qui velocem hujus *Fluvii* cursum, inter montes fere semper ac 179
scopulos a *Baccano* ad *Tiberim*, contemplatus fuerit, probe agnoscet Epithetum *rapacis*, quo utitur in eo describendo *Ovidius*:

Ut celeri cursu Cremeram tetigere rapacem;

Quod *Trejæ* male convenit, quæ ut plurimum leni ac lento cursu labitur. Aqua ejus (*Valcæ* nim.) clara est; sed qui viderit illum inter pluvias hybernas procedentem, nequaquam præter modum exaggeratam dixerit copiam ac turbulentiam aquarum, quas secum ducit, apud eundem *Ovidium*; quum dicit:

Turbidus hybernis ille fluebat aquis.

Dicit *Vejorum* Fictorum Defensor, *Valcam* non posse esse *Cremeram*; quia *Romæ* vicinior fuisset quam *Vejis*, tali syllogismo usus: *Ex verbis Dionysii idem colligitur*, qui dixit: *non longe a Vejis abest, unde apparet, viciniorem Vejis fuisse, quam Romæ; Quod si iste fluvius fuisset Valca, ut isti volunt, dixisset: non longe ab Urbe labitur, quum hic locus quinque milliariis Romæ propior sit, & ad Romam etiam magis pertineat, quam ad Vejos.* Sed ostendit se cursum istius fluvii non habere cognitum; qui, si ei loco, ubi in *Tiberim* labitur, septem circiter milliaria a *Roma* abest, in fonte suo, qui est Lacus *Bascanus*, viginti & unum ab ea distat, quot numerantur ad ipsum Diversorium usque. Jam si *Vejorum* a *Roma* distantia duodecim, tredecim, octodecim, vel etiam viginti milliariorum

rum fuit ad viam *Cassiam*, non potuit non *Valca* fluvius e propinquo ipsos præterlabi. Sed hujus rei veritas ex notitia veri *Vejorum* situs, melius patebit. Unde plura addere hoc loco superfluum est.

Castellum Fabiorum, quod a flumine nomen *Cremeræ* sortitum est, quo præcise loco fuerit, jam facile erit investigare. Si *Cremera* fuit fluvius
180 *Primæ Portæ*, *Castellum* in illa ripa potuit stare,
quæ flumini in via *Flaminia* imminens, supra pontem prope Diversorium angulum facit. Non alius in istius fluvii margine locus conspicitur opportunior. Sed ubicunque fuerit, *Saxa Rubra* tamen, cum ei in conspectu, tum magis versus *Romam* remanebant, ubi *Hetrusci* non posuissent castra.

Si *Fluvius Valcæ* pro *Cremera* habetur, non deerunt loca commoda, eaque egregia, isti Castello. Toto suo cursu a *Baccano* ad *Tiberim* usque, ab utraque parte rupes habet cum scopulis & promontoriis sæpe, quæ Peninsulas faciunt. Harum una notatu valde digna se offert in *Flaminia*, ea nempe, cui Diversorium *Valcæ* inædificatum est. Est hæc rupes insulari forma, satis ampla, & arte quasi abrupta a reliquis. Sed quoniam durum videri potest, *Castellum* illud in *Saxorum Rubrorum* parte exstructum fuisse, quum credibilius sit, Castra *Hetruscorum* fuisse ad saxa multo rubriora, quam erant supra *Primam Portam*, quæ habuerint fortasse nomen illud sibi privum, omittamus hanc, & aliam quæramus. Dico tamen etiamsi ibi non fuerit illud *Castellum*, fuit utique ibi aliud quid, memoratu dignum. Hæc, aliæque rupes tam præruptæ, quæ reperiuntur per illum tractum, & in via, inducunt me, ut credam, illas ipsas castris ponendis præbuisse locum tot exercitibus, quos legimus temporibus antiquis ad *Saxa Rubra* constitisse. In illarum una contra *Fabios* se collocare potuit *Hetruscorum* exercitus. Hic locum castris idoneum forsan cepit *Antonius*, *Romam* petens contra *Vitellium*. Hic *Severus* consedit & ipse, de quo dicit *Spartianus*: *Egressus ab Urbe in Saxa Rubra seditionem ingentem ob locum castrorum metandorum ab exercitu passus est. Con-*
181 *stantinus* & *Maxentius*, quis dixerit, an alibi sese
communiverint? Sed quæramus id, quod potissimum nos premit.

Ad cursum *Fluvii* loca multa sunt, & egregia; sed unus a *Cluverio* observatur, a fronte ostii, quo fossa *di Formello* in *Valcam* exit, præter quem locum revera non alius opportunior apparet. Non tamen cum *Cluverio* contendere statui, *Fabios Roma* profectos, per viam, quæ *Vejos* proxime ferret, in illo *Saxo*, utpote proposito suo favente, constitisse, juxta *Livium*: *ad Cremeram perveniunt, is opportunus visus locus communiendo præsidio.* quum a me impetrare nequeam, ut verba *Livii*, in talem sensum contorqueam; sed non possum non confiteri, illum locum isti præsidio mihi aptissimum videri. Rupes elevata & prærupta dominatur non solum in valles subjacentes, sed etiam tumulis oppositis multorum tractuum. Quum creditu valde difficile sit, agrum *Romanum* ulterius cum illo Flumine processisse; verisimile est, ibi relicta *Cremera* versus Meridiem flecti cœpisse; Atque adeo *Romani* ad *Cremeram* nulla agri sui parte *Vejos* propius accedere potuerunt, quam isto puncto.

Reliquum esset, ut *Fabiorum* Collem investigaremus; sed quum nihil singulare, quod ad ejus situm spectet legamus, nisi quod fuerit *leniter editus*, ineptum foret, hic aliquid divinare. Omnis iste tractus spatii, quod est inter *Scrofanum*, *Formellum*, *Insulam*, *Primam Portam*, & *Borgettum* (intra quos terminos a *Fabiis* pugnatum est) vallibus & collibus refertus est; & tanta ibi arborum sylvarumque derasarum copia conspicitur, ut ad oculum appareat, antiquitus ibi latebras insidiis
aptas fuisse. Nec opus est, ad fidem faciendam, 182
hisce & illum contineri Collem, in quo *Fabii*, primo circumdati ab hoste, mox cæsi gloriose occubuerint, ut chimæras creemus, aut in colle, plus millies aratro subacto, [a] testimonia lintrium, ferro acuto ac hastis repletorum, mendicemus, aut comminiscamur.

CAPUT VII.

Ubi fuerint Antiqui Veji.

ECce in eo jam sumus, ut *Vejos* investigemus; nec sine spe; etiamsi sine duce hodie aut desperetur de isto opere, aut fugiatur iste labor. Quapropter, qui eo accingitur, dicere solet, ut *Massa*, fore, ut ibi reperiantur, ubi alter minime cogitet, & ob oculos forsan, & ante pedes sint, sed aut sylvis occupati, aut longo temporis tractu vastati, ut nemo eos agnoscat. Imo (ut nonneminem dicentem audivi) si vel ipsi *Vejentes* resurgerent, ob magnam immutationem difficulter reperturos, aut agnituros, ubi ipsi habitaverint. Profecto in sublunaribus hisce regionibus, tot tantæque sunt rerum elementariarum variationes, eæque continuæ, ut post lapsum qualemcunque sæculorum velle videre antiquam alicujus loci faciem mera sit vanitas. Quot Montes olim fuere, qui hodie Lacus sunt? Quot flumina labuntur, ubi antehac arabatur? Quot campos integros, ne dicam glebas, ab una ad alteram Regionem transtulerunt. *Tyrus*, ac *Pharus Alexandriæ*, quæ olim Insulæ fuere, hodie in continente sunt. *Siciliam*, quæ non angusto spatio ab *Italia* distin-
guitur, *Diodorus*, *Tertullianus*, & *Claudianus* re- 183
ferunt, partem continentis fuisse; & an hodie spes erit, videndi intactam faciem scopuli, qui ante annos bis mille & amplius basis fuerit Urbis alicujus? Qui id cuperet, perinde faceret, ac si in homine decrepito (qui sane est *Microcosmus*) vultum quæreret, quem habuisset in infantia. Aquæ, glacies, germina, aratra, terræ motus, turbines, fulmina, torrentium impetus, hominum occursus ac studia diversa, centum mille insperati casus, anni ipsi, ac naturalis senectus, ac mors individuorum, in procreandis aliis;

[*Invida fatorum series summisque negatum*
Stare diu.)

vastant, revolvunt, reformant semper Mundum, ut ceræ aut cretæ massam. Quod si autem verus *Vejorum* situs reperiri non poterit cum antiqua sua forma, at de nonnullis saltem seu reliquiis, seu vestigiis reperiendis, non est desperandum; sicuti etiam homines decrepiti qualecunque saltem lineamentum formæ juvenilis in facie retinere solent.

Iis reperiendis, quum haud procul a *Cremera* fuerint, eandem cum hoc fluvio viam, sed cursu contrario, more piscium, insistamus.

Si illa fuit fossa *Primæ Portæ*, paulo ultra istud diversorium illam videre est diffindi in duos ramos, quorum Australis prope accedit *Scrofanum*, locum, quem jam dixi non potuisse esse *Vejos*. Septentrionalem, quæ sub *Flaminiam* per depressam atque angustam Vallem serpit, post iter fere sex milliariorum videmus dividi in alios duos; inque illo angulo, ubi aquæ sibi invicem occurrunt,

---

a Defensoris verbis, jam supra, pag. 124. *edit. vet.* allatis, ludit hoc loco Auctor eaque falsè ridet.

runt, surgit, quod iterum dico, promontorium
184 quoddam tali situ, ut, si alia de causa nequeat esse *Vejorum* sedes, ipsius utique gemella fuerit, a Natura facta.

Inter utramque ripam, attollitur ac prospectat supra præruptum tophaceum scopulum vasta quædam Peninsula, cui nomen est *Celano*; a latere autem Boreali eo accedit scopulus, qui Orientem versus sese dilatans, vertice acuto per motum Pyramidis in terra distensæ; Occasum versus, continuato solo vastam planitiem efficit, cursu recto per plusquam milliarii spatium, quæ nuda, ac viva silice aspera, æqualis autem ubique altitudinis, non nisi oculis admiratione plenis lustrari potest, ac vulgo *Belmonte* vocatur. In vertice scopuli inter planitiem ac marginem strata via est, recta, aggere seu vallo, fabricato ex eodem saxo, divisa, qui agger, plus uno loco per modum laciniarum arte dissectus, transitum præbet e planitie intra rupem. Prope extremitatem aliquot reliquiæ sunt murorum, sed non valde antiquæ. Planities in isto fastigio vasta est. Conspicitur ibi fragmentum quoddam muri e lapidibus magnis quadratis exstructi; Reperiuntur ibi bases, & fragmenta marmorea; cuncta Urbis antiquæ indicia manifesta. Situs est iste locus inter *Scrofanum* & *Castel Nuovo*, isti valde vicinus, sed in hujus territorio. Et forsan illum locum multo cum judicio intellexit *Cluverius*, sicuti indigitare videntur hæc ejus verba: *Propter viam Flaminiam sinistrorsum Veji*. Situs ejus præter munitionem etiam pulchritudine præditus est; Cujus in conspectu *Roma* est. Non ultra quatuor milliaria ab illo ramo *Valcæ* distat, qui a *Formello* venit, adeoque haud procul a *Cremera*. Quod si postremo etiam tantum convenientiarum concursum cum [a] nullulo arithmetico quasi multiplicare velimus, a *Castelnovensibus* altissima *Cellani* rupes, quæ scopulo *Belmonte* proxima est, vocatur *Co-*
185 *sta di Fieji*. Vocabulum corruptum esse apparet; nec melior sonus illi assignari potest, quam *Veji*. Littera I. ante E. non tantum ex idiomate *Hetrusco*, ab usu linguæ *Latinæ* hac in re discrepante, ponitur; sed præterea etiam in pluribus vocibus, in quibus littera I. ab elegantia *Hetrusca* non admittitur, a Vulgo tamen in istis regionibus pronunciatur, ita ut prima corruptio vocis *Veji* potuerit esse *Vieji*. Littera F. sæpe vicem V. consonantis implet, ac facile pronunciatio ab una in alteram incidit. Hinc apud Græcos τὸ Υ. postpositum in Diphthongis, ubi vim τȣ̃ V. consonantis ante Θ. Κ. Ξ. Π. Φ. Χ. exercet, cum sono τȣ̃ F. usurpatur. *Suetonius* dicit, *Claudium* Alphabeto *Latino* duas litteras adjecisse, *Tacitus* dicit tres; sed neuter indicat, quænam fuerint. Una, quæ forte V. consonans fuit, per F. inversam scripta conspicitur in hac inscriptione:

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAES. AVG.
GERMANICVS. PONT. MAX. TRIB. POT. IX
IMP. XVI. COS. III. CENSOR. P. P. AVCTIS
POPVLI. RO. FINIB. POMERIVM. AMPLIAↃIT
TERMINAↃITQ.

Ac pulcra fuit inventio, sed quæ sequaces forsan non habuit, quod parum accepta *Claudii* vita universas ejus res sublestæ fidei redderet.

Sed hic situs a Tabula Itineraria excluditur, quæ præterea & *Civitatem Castellanam*, & cætera loca omnia postponit. Collocantur illic *Veji* ad *Cassiam*, *Romam* inter ac *Sutrium*. His locus ad *Flaminiam* est a *Cassia* plus quam septem milliaria distans. Quanquam apparet antiquum ac me-
186 morabilem fuisse; illumque in medium protuli, ut ostenderem, aptiores dari cum situs locorum

A tum nomina antiquam formam referentia, quam *Civitas Castellana*, & *Cavæ Furianæ*, & *Arimozzi*, ac cætera suppeditent. Itaque non nisi circa cursum veræ *Cremeræ* prope viam *Cassiam* quærendi *Veji* sunt. Ac distantiarum solummodo ratione habita, cogitandum est: campis ac Urbibus naturale esse mutare faciem, sed nunquam saltus facere.

Duodecim a *Roma* milliaria, per viam *Cassiam* *Baccanello* tenus, vulgo procedere putantur. Hinc extra viam pauca milliaria dextrorsum duo loca sunt, *Vejis* perquam opportuna. Inter *Campanianum* (*Campagnano*) ac *Formellum*, ad spatii fere dimidium, inter præcipitia rupium Ecclesia est
B *S. Mariæ del Sorbo* Patrum *Carmelitanorum*. Stat illa Ecclesia forma insulari in angusto saxo, duobus grandibus ac præcelsis scopulis subjecto, qui a fronte ac e propinquo loco observati, saxum illud quasi opprimunt, divisi rivulo, qui intra milliarii dimidium in *Cremeram* a latere scopulos illos præterfluentem labitur. Horum alter versus *Campanianum*, alter versus *Formellum* duos magnos ambitus describunt, capacem utrumque amplæ alicujus Urbis. Et quamvis non undique ad amussim abscissos sese ostentent illi scopuli, suggerunt nihilominus præsenti suo ac decrepito aspectu,
C quales olim in annis juvenilibus fuerint. Hi situ ac distantia *Vejis* convenientiori, nequaquam *Civitati Castellanæ* munitissimam illam altitudinem suam invideant.

Attamen, si milliaria ad antiqua computentur, locus uterque in decimo octavo reperietur; & quamvis cum Tabula hoc conciliari queat, quum ibi *Vejos* in accusativo legamus, adeoque ad lapidem duodecimum habeamus divisionem viæ, qua *Vejos* a *Cassia* iter esset; nihilominus parum sufficit, quod sic videamus *Eutropium* potius quam *Dionysium* vera prodidisse. Quamobrem, ut in ju- 187
D sta sua distantia illos reperiamus, ita differimus.

Tabula *Antonino* consentiens *Romam* inter & *Baccanum* ponit XXI. milliaria, quæ a *Ponte Milvio* ad *Baccanum* sunt octodecim. Ad ipsum spatii hujus dimidium, hoc est, ad nonum a *Ponte Milvio*, ut & nonum a *Baccano* milliarium occurrunt *Veji*. Illud autem istius spatii, inter *Baccanum* & *Pontem* illum, dimidium, ubi erit? Profecto non nisi apud *Insulam* (*Isola*) Castellum *Stortæ* vicinum. Id Castellum situ non ita amplo est. Sed etiamsi hodie vere Insulam referat, videre nihilominus est, rupem ejus Occidentalem temporis tractu, abruptam esse ab aliis majoribus; a
E quibus non multum disjungitur; hæ autem, ingenti angulo relicto, ab uno latere *Stortam* versus se extendunt, ab altero sese dilatant juxta Rivulum suum a fronte Diversorii, dicti *dell' Isola* in via *Romana*, & ulterius, servantes ita hodieque pro magna parte formam Peninsularem. Numquis autem dubitat, an in illa planitie antiquitatis vestigia conspiciantur? an in hac *Insula* (*l'Isola*) dentur Inscriptiones? Inter alias ista, quam Defensor *Civitatis Castellanæ* e *Smetio* producit, sed non dicit, ubi reperiatur, exstat in Ecclesia Sanctæ *Luciæ* Castelli *dell' Isola*; ibique etiam tempore *Ligorii* erat, sicuti testatur in collectio-
F ne sua M. S. Inscriptionum antiquarum. *Basis*, Marmorea est; & superne excavata usum Pilæ continendo vasi Aquæ sanctæ præstat. Inscriptio ista ita se habet:

VICTORIAE
AVGVST
SACRVM
RESTITVTAE POST ANTI 188
QVISSIMAM VETVSTA
TEM
ORDO VEIENTIVM

Ad

---

[a] *Un zero*.

Ad cujus dextrum latus minoribus litteris legitur: A
DEDICATA
III NON IAN
AEMILIANO II ET AQVILINO COS
P SERGIO MAXIMO
M LOLLIO SABINIANO
II VIR Q Q
CVRA AGENTE
VEIENTIO IANVARIO LIB ARK

Hoc autem marmor nonne sufficiens erit testi-
monium de *Vejorum* situ? si penes *Civitatem Ca-*
stellanam esset, quis inde clamor excitaretur?
Hic non de chartæ fragmento agitur; neque tri- B
cæ *Glitii Galli* recensentur; sed in propatulo &
cuivis expositum est, quod adducimus, *Romæ*
valde vicinum. Qui noluerit credere, eat ac vi-
deat.

Hæc omnia dicta sunto, ut pateat, quam erronea
hypothesi utatur Patronus *Pseudo-Vejorum*, quan-
do dicit; pag. 20. *Hic situs ita descriptus, seu sco-*
pulus, aut promontorium, si mavis, a lateribus suis
& undique præruptum, nuspiam in loco alicujus mo-
menti circa Romam reperitur, præterquam in Civita-
te Castellana. Simul etiam, ut in aperto sit abs-
que necessitate transportandi *Vejos* intra *Faliscos*, C
in justis distantiis suis urbes *Vejos* multas futuras,
si a situs circumstantiis fieri posset argumentum
189 concludens *per necesse*. Pro jocis habeantur huc
usque factæ investigationes; nunc autem de *Vejis*
veris dicamus.

Veji erant extra viam *Cassiam*. Id nos docet ac-
cusativus *Vejos* in Tabula. sed si viam egredi-
mur, non multum nobis vagandum erit. Di-
verticulum viæ, quod *Vejos* ducebat, clarissi-
me cernitur inter *Stortam* ac diversorium *In-*
sulæ, *Româ* proficiscenti ad dextram; estque via,
quæ hodie ducit ad *Formellum*. Per hanc ponte,
qui super fossam *Insulæ* jungitur, trajecto, ac D
paulo ulterius brevi valle peragrata, statim sese
offerunt rupes, depressæ quidem illæ, sed quæ an-
te mille annos (quum tophus ibi tener & contri-
tu facilis sit) altiores esse potuerunt. Hæ ad amus-
sim semper Orientem versus procedentes, simu-
latque a fronte *Insulæ* eo pervenerint, ubi rivus
interveniens, illas incipit alluere, statim crescit al-
titudo earum, fiuntque magnæ ac mirandæ. Sic
semper altæ ac præruptæ pergunt per longum
spatium ambitu ovali, ac tandem ducunt in pla-
nitiem, satis amplam, in qua Rivulus ille cum
Cremera aquas suas communicat, ac unus fit flu- E
vius. Qui, jam in planitie, se convertens saxum
respicit, cujus extremitas fere acuta, sed flexa
versus Austrum sub undantibus herbis per modum
scopuli alicujus aut promontorii surgit, effigiem il-
le verborum *Plutarchi* cernit; *Cum durum aspe-*
rumque promontorium intueretur. Hinc flectenti ad
latus septentrionale, ac secundum *Cremeram* con-
trario cursu tendenti, occurrunt rupes sese circum-
ducentes, abruptæ & acclives, quæque magis ad-
huc præcipites aliis temporibus fuisse videntur;
inter quas & depressiores camporum oppositorum
reliquas, Fluvius medius in angusta profunditate
interfluens, horrorem movet. At oculis contem- F
plari *Vejos* licet in fragmentis illis murorum anti-
190 quissimis, quæ illic exstant. Rupes, utpote na-
tivo situ, non tam exacte in orbem circumduci-
tur, quin sinus faciat; horum autem in uno,
qui [a] grande aliquod propugnaculum refert, duo
sese offerunt fragmenta murorum ex lapidibus qua-
dratis grandibus ac pulcris; unum ab una parte
ac foras, suntque exiguæ hæ reliquiæ, alterum
ab altera parte, ac intro spectans, duratque adhuc
ad aliquot cannarum mensuram. Offerunt sese hæc
fragmenta, sed non exstantia supra terram, quum
inserta ad marginem in scissura saxi, unde [b] con-
scendi propugnaculum debebat; aggesta terra sco-
puli filum sequantur. Ulterius per milliarii fere spa-
tium, aliud fragmentum reperitur, sed exiguum,
eodem habitu. Quorum conspectus attendenti
declarat verba *Livii*; *Urbe valida muris, ac situ*
ipso munita; Et *egregiis muris, situque naturali*
Urbem tutantes. Item *Plutarchi* illa: *Altis muris,*
longisque, ac duris oppidani Urbem cingentes, &c.
Quod opus in alta illa planitie, ut in Parte pri-
ma dixi, non erat de nihilo. Muri eximii, alti
ac duri erant, præter exstructos in Isthmo Pe-
ninsulæ, insertos scopulis, & aggesta terra muni-
tos, ut arte supplerentur naturæ defectus; in
quorum altitudine extensa illa verticis planities,
ac tanta sustinens opera, non poterat non spirare
admirationem. Inde non procul in *Cremeræ* plani-
tie, pulcrum & intactum adhuc Cuniculi alicujus
ostium conspicitur, paulo amplius quam tres pal-
mos latum, altum fortasse novem (nam aqua pro-
hibitus metiri illud nequivi) superne acutum, sed
ad tres quatuorve palmos intro obturatum. Fora-
men hoc, arte fabricatum, nihil aliud quam cunicu-
lum esse apparet; idque ipsum *Camilli* opus esse,
ad penetrandum in Arcem quis dubitare potest?
Circa ejusdem locum res occurrit majori adhuc ad-
miratione digna. Rupes, ubi descensioni incipit in- 191
servire, distendens per planitiem vallis pedem sui
saxi per modum pontis, *Cremeræ* per sclopeti ictus
fere tractum sub se transitum præbet; At si quem
juvat ad ipsum aquæ alveum descendere, is transi-
tum istum arte factum esse videt, latum fere duabus
cannis, altum forsan tribus, ductumque per lineam
rectam ab uno ad alterum caput; Opus *Vejen-*
tium, inque finem haud contemnendum ab ipsis
exstructum, utpote quo Urbem suam munitio-
rem redderent, curando, ut ibi etiam ad pedem
rupis ac infra laberetur illud flumen, quod per
aliquantulum spatii flectendo inde removeretur.
Sub ponte illo paululum intra ostium aquæ de-
prehenditur alius cuniculus, sed minor, ab aqua
per plus quam cannæ spatium elevatus. Oppor-
tunitas occulte ibi laborandi inducere obsessores
potuit [c] ad illam viam in Urbem moliendam. Et
hi debent esse cuniculi, qui facti sint. *Livius* u-
nius solummodo mentionem facit: qui omnino
prior ille, major, & conspectui magis expositus
erat. Forsan etiam *Plutarchus* & *Florus* cuniculo-
rum mentionem injicientes, modo indefinito u-
num intelligunt; aut fortasse unus ille in plures
dividebatur ramos. Sed quomodocunque se res
habet, bene hoc loco procedit. Saxum ibi reperi-
tur tanta duritie, ut *Plutarchus* illud vere *durum*
asperumque dicere potuerit; quod *Civitatis Castel-*
lanæ topho non bene convenit. Super hoc ponte,
quem *Insulani* (*gl'Isolani*) *Sodo* appellant (quasi
dicas *Firmum* aut *Solidum*) ad altitudinem circiter
duarum cannarum a terra aliud fragmentum muri
eodem cum cæteris habitu servatur; quod non
nihil confert ad fidem faciendam, fuisse ubi unam
Portarum Civitatis. Ejusque clivi satis facilis ap-
parere videntur vestigia; per quem humi repe-
riuntur per seriem iidem lapides quadrati, quos
antiqui munimenti esse patet. Ultra rupem retro-
eunti, sed non multum, inter illam ac fluvium 192
agellus jacet, ubi nuper Operarii repererunt tria
frustula plumbi antiquissimi, glandis magnitudi-
ne ac forma, sed extremitatibus acutis, per mo-
dum ossium olivarum; quæ agnoscuntur ex illo
glan-

a *Un grand' Orecchio di baloardo.*

b *Dalla quale in sù seguiva la salita a scarpa.*
c Ital. *adoprar la scala per vantaggiarsi.*

glandium ac plumbi esse genere, quod olim fundis jaci solitum tradunt *Sallustius*, *Virgilius*, *Ovidius*, *Livius*, aliique. Quamobrem præ curiositate illas mihi comparavi, ac penes me servo. Sequuntur mox cum *Cremera* rupes, sed depressæ, aratro in formam collis subactæ & complanatæ, quibus porro ponte *Cremeræ* trajecto, facilis ascensus est, ac brevi in angustam quandam planitiem pervenitur; & hinc descenditur in alteras illas rupes, a quibus orsus sum. Collum hoc erat Peninsulæ, quod angustum, ac leniter elevatum (altius autem fuisse debet temporibus antiquis) *Baccanellum* versus se extendit. Cui imminens Urbis ambitus (non tam edito loco tamen, quin Turres, Arietes ac Vineæ ei admoveri potuerint) & Meridiem versus ovalem formam claudere pergens, figuram scopuli abscissi, ac περιῤῥώγος tam bene complet, ut, quæcunque de eo dixerint Scriptores, mirabiliter & exacte undique referat. Hic apertura quædam recta, quæ in medio illo Isthmo illum ambitum dividit, evidenter situm Portæ Urbis Occidentalis monstrat. Et paulo ulterius, fere ad descriptum a me tophorum principium, mihi dictum est, aliud muri fragmentum esse in vertice sub rubeto quodam, non diversum a cæteris; At ego pluribus indiciis perlustrandis jam defatigatus, non ulterius progressus sum.

Summitas egregia est. Plana non undiquaque, sed interdum leniter aut concava aut tumida; cujus multæ inæqualitates (quis dubitare potest?)
193 a ruinis ortæ sunt. Ibi auditur *Livius* animo intonans verba plebis: *Cum pulcherrima Urbs Veji, &c.* atque *Appii* altera illa: *In conspectu prope Urbis nostræ.* Cuncta hodie in sylvas & campos divisa sunt; ubique autem tanquam seminata conspiciuntur frusta [a] *Tiburtinorum* lapidum, saxorumque a vetustate contritorum, [b] inque assulas aut buccellas reductorum; Cujus planitiei pars illa, quæ Orientem spectat, communi vocabulo *La Jella* vocatur, quod corrupte *Vejos* sonat.

Spatiosa ista planities jam inde a *Formello* ac *Baccanello* conspicitur elevata ac magnæ alicujus Urbis capax; adjuta autem muris, qui ad præcipitia saxi sese erigentes, quam amplissimam illam continebant, major adhuc olim apparere debuit. Ambitum facit quinque milliariorum antiquorum & amplius; præter quem (si parum videtur) Urbs versus *Baccanellum*, salva ista firmitate sua, sese extendere potuit; præterea etiam situs *Insulæ* (*dell' Isola*) tam commode ipsi ad latus accedit, cumque eo rotunditas ambitus tam pulcre procedit, ut e longinquo unum idemque saxum videantur. Nec alienum a fide videtur, ope pontis (quandoquidem *Veji* ab ædificiis superbis ac magnificis celebrentur) & ipsam Urbis partem fuisse.

Primo intuitu *Romæ* nimium vicina videtur. Sed rei veritas facile detegitur. Distantiæ locorum duobus modis computari solent. Primo per lineam rectam, metiendo illas per aëra ab una ad alteram extremitatem. Deinde ex opinione communi, exordiendo ac terminando in Portis. Illa ratio Geographorum potius, quam Historicorum est; neque Itinerariis unquam inserviit. Juxta quam situs *Insulæ* (*dell' Isola*) in minori, quam duodecim milliariorum distantia foret. Hac autem computandi ratione, quæ vera est, quamque scri-
194 ptores in hoc negotio sequuntur, utitur opinio communior atque commodior, per viam *Cassiam*; quum alia via rectior ne hodie quidem unquam teratur. Jam spatii, inter *Pontem Milvium* & *Baccanum*, dimidium per hanc viam, quod novem

a *Tevolozze.*
b *ò in schieggie, ò in bocconcini.*

A milliariorum est, & ad Diversorium *Insulæ* (*dell' Isola*) se extendit, justissimum mihi videtur; ac plus spatii esse a *Ponte Milvio* ad locum, quem descripsi extra viam, quam ad illud Diversorium, experientia illorum, qui hæc loca lustraverint, constat. Novem illa milliaria a *Ponte Milvio*, duodecim eaque grandia sunt a *Roma*. Quum inter illum Pontem ac Portas, quæ sub *Capitolio* erant, tria sint; futura fere quatuor, si a Columna Fori computationem exordiare. Unde hic plane ad amussim centum illa *Dionysii* stadia reperientur. Num autem hæc adæquatio ex verbis etiam Patroni *Civitatis Castellanæ* elici queat, dicamus.
B Fatetur ille circa finem, antiqua *Vejorum* milliaria duodecim, ex usu hodierno esse decem. At quis nescit milliaria hodierna decem communi consensu æstimari, ac dici a Diversorio *Insulæ* (*dell' Isola*) ad *Romam?* Quid igitur altercatione opus est?

Num melius *Castellum Fabiorum*, quam circa hunc locum collocari potest? haud procul inde abest. Propter Agrum in bonam etiam Urbis partem dominari potuit; facitque, ut illud *Dionysii* jam intelligam: *prope flumen Cremeræ, quod non longe abest a Vejis, Castellum muniverunt.* In quibus verbis, illud: *quod non longe, &c.* frustra ad-
C ditum foret, nisi voluisset intelligi, *Fabios* Castellum illud exstruxisse ad *Cremeram*, *ubi non longe abest a Vejis*, hoc est in illo Agri *Romani* ac *Cremeræ* situ, ubi minimum a *Vejis* aberant. Nec minus clare id inde colligitur, quod *Vejentes* dicat præ metu *Castelli* non ausos fuisse portas egredi.

Artena autem antiqua, sive fuerit, ubi nunc 195
Martinianum (*Martignano*) est, sive, ut *Cluverio* placet, ad ripam *Arronis*, aut inde haud procul abfuerit (nam alibi esse non potuit) nonne fuit plane inter *Cervetere* ac *Insulam?*

D At *Tiberis* forsan inde tam longe abest, ut *Romani* non potuerint facilius eo quam *Romam* sese ex clade *Allia* recipere? sed notandum est, non nisi quinque milliariorum spatium intercedere. *Mamerco*, qui *Vejis* adventum Gallorum exspectabat, non aptior alius locus reperietur, quique *Sabinis* ac *Latio* modo tam æquali esset oppositus, ad subitaneam *Tiberis*, sive supra sive infra *Anienem* (*il Teverone*) cum exercitu trajectionem, aut ad iter *Romam* recta instituendum, prout opus esset; neque in quem melius quadraverit illud: *Longius discedi non placuit.*

E Postremo etiamsi ad milliaria, quæ memorantur a scriptoribus, ex mente Defensoris *Civitatis Castellanæ*, non opus fuisset exspectare, nihil in traditionibus historicis occurrit, quod non in hunc locum quadret. *Valerium* eo a media nocte profectum, ac duos exercitus ante lucem prœlio vicisse, nihil difficultatis habet. *Hetruscos* soluta obsidione *Janiculi*, tanquam proximum locum *Vejos* petiisse; *Livium* mirari; quod milites ex *Alliensi* clade superstites inde nihil nuntii de eventu pugnæ *Romam* miserunt; *Romulum*, cujus temporibus bella ultra septimum ab Urbe milliarium non solebant geri, *Vejentes* prosecutum esse usque
F ad muros; Bellum *Vejentanum* apud *Silium* dici vicinum ac sub portas; Solitosque *Romanos* ac *Vejentes* crebris illis ac victricibus suis incursionibus, statim ad hostium muros pervenire; distantiæ cuncta non majoris testimonia sunt. Consilium Plebis *Romam Vejos* transportandi, sive eo migrandi, ostendit multo commodiorem illum locum ipsorum agris fuisse; atque alterum illud, quod a *Plutarcho* memoratur, e *Ro-* 196
ma ac *Vejis* duas *Romas* faciendi, ejusdem Senatus ac Populi, non tam absurdum fuit, quam fuisset circa Urbem minus propinquam. Quod *Veji* *He-*

Hetruriæ propugnaculum vocentur, idem plane A
est, ac si in margine *Hetruriæ Romæ* opponerentur.
Quumque videamus apud *Eutropium* eodem ordi-
ne cum *Vejis* circum *Romam* collocari *Crustume-
rium*, *Fidenas*, *Antemnas* ac *Cæninam*, loca
septimi, quinti ac tertii milliarii, his verbis: *Hæc
Oppida Urbem cingunt*; accedente *Paterculo*: *Tam
vicinis Vejentibus*, pro certo asseverare possumus, non
alibi illos fuisse.

Accedunt Habitatores *Insulæ*, (*dell' Isola*) qui
cum antiqua sua traditione huic opinioni subscri-
bunt. Dicebat mihi unus ex illis, quo duce ute-
bar in lustranda hac regione, ex communi ac pu-
blico Majorum suorum consensu, Urbem illam B
potentem fuisse, obsessam ac destructam a *Caro-
lo Magno*, [a] ipsiusque *Paladinis*. Addebatque ali-
quot aniles cantilenas tam gratiosas, ut, si *Myr-
silio Lesbio* auctore ipsi fides habenda fuisset, egre-
giam mihi viderer comparasse accessionem cogni-
tionis antiquitatum. Profecto grandem aliquam
Urbem, *Vejis* parem, ibi stetisse, negari nequit.
Locum ipsum in *Vejente* esse, Sole meridiano cla-
rius est. *Vejos* inde non longe remotos saltem fuisse,
satis superque visum est. Quænam igitur Urbs
potuit illa esse *Vejis* vicinissima (si non ipsa *Veji*
fuerit) haud procul a *Cremera*, & bene munita,
atque ampla, æque ac *Veji* ipsi? C

CAPUT VIII.

De Agro Vejentano.

Tot tantisque situs indiciis congruit Ager, qui
totidem iisque certioribus *Vejentanum* etiam
se ipse prodit.

197 Primo terra fere omnis, quæ circa *Insulam*
(*all' Isola*) est, per tractum aliquot milliariorum
ab omni parte illam, quæ *Romam* propius accedit,
soli bonitate ac fertilitate vincit. Quæ ipsa Agri
Vejentani qualitas est, sæpius jam decantata; *U-* D
berior Romano agro; ex qua ubertate, non nisi fæ-
culentum vinum atque crassum, quo titulo *Ve-
jentanum* innotuit, nasceretur. De vino *Insulano*
non loquor; quia non nisi paucas vineas is locus
habet, easque in topho, in quo Urbs erat, plan-
tatas.

Præter hæc admiratione dignum est spatium,
quod est inter *Formellum*, atque *Insulam* omne pensile,
ob tot cuniculos, quos habet, subterraneos. Multi
rivi per longos sub terra meatus transeunt stupen-
do opere, unde forsan sibi nomen *Formello* com-
paravit. Multa ibi alia foramina subterranea re- E
periuntur, manufacta; quorum unum, quod ex
minimis est, in [b] Impluvio Diversorii *Insulæ* pro-
pe cellam ostenditur illic divertentibus; & aquæ-
ductus fuisse videtur, tendens versus antiquos
Vejos. Sed eximium quoddam præ cæteris occur-
rit inter *Formellum* & *Insulam*, quod longe præ-
stantissimum est. Formam habet Xysti (*d' un an-
dito*) affabre facti, in topho; Ad mensuram for-
san cannæ latum, plus quam sesquicannæ altum,
quod servat adhuc pro magna parte [c] gypsaturam,
ac multum calcis, & a lateribus crebræ sunt fe-
nestræ; per quas caverna lumen accipere potuit, F
hodie terra obturatæ, quæ eo illapsa meatus illos
plus uno loco coarctavit, & obstruxit. In
plures ramos dividitur; atque ita perhibent
per aliquot milliaria procedere, ac recta ver-
sus *Vejos* tendit; ubi autem diruta aut ob-
turata caverna est, fenestrarum reliquiæ detegun-
tur, quæ similiter sequuntur. Crederem anti-
quam formam *Trajanam* fuisse, si tam crebræ fe-
nestræ pro vaporariis haberi possent. Sed quicquid
sit, tot cavitates, ut plurimum opus populi haud 198
imbecillis, tractum illum spectatu dignum omni-
no reddunt.

Non minus observari meretur in illa regione
series ista collium, qui *Vejorum* situi assurgunt,
prope *Formellum* ac *Scrofanum*. Hi facile agnoscun-
tur esse, de quibus *Dionysius* scribit *Lib.* IX. ubi
narrat, *Hetruscos*, fusos fugatosque a *Fabiis*, par-
tim in Urbem, partim in montes vicinos sese re-
cepisse.

Sed vivam imaginem Agri *Vejentis* dicerem can-
dem illam terræ faciem, nisi pro imagine res ipsa
patefieret. Quantum est spatii a *Formello* ad situm
descriptum, & ab isto situ versus *Romam*, per
multa milliaria id omne distenditur in planitie,
sed in series rectas. Observes instar manus apertæ
cum digitis paulum disjunctis. Sic ista planities
vallibus & cavis angustis ac longis, ad instar co-
lumnæ striatæ, fimbriata ac distincta cernitur; quæ
suo per lineam rectam progressu, quem tandem
omnes circa *Vejorum* situm terminant, divisos illos
campos in fascias redigunt. Si quem juvat illarum
audire descriptionem, & compendiosiorem, con-
sideret id, quod de solo regionis *Vejentis* in libro
de Coloniis *Frontinus* dicit: *Circa oppidum Vejus
sunt naturæ locorum, quæ vicem limitum servant,
sed non per multa millia pedum concurrunt.* Adver-
tat expressiorem aliam hisce verbis; quibus regu-
las istius Coloniæ præscribit: *Riparum cursus ser-
vantur, earum tamen, quæ per multa millia pedum
recturas, separationesque agrorum ab initio suo usque
ad occasum custodiunt.* Quibus aliis poterat *Fronti-
nus* vocibus melius tam notabilem loci faciem (*di-
visatura*) depingere?

Vult Auctor *Vejorum Defensorum*, agnosci hoc
loco descriptum agrum *Civitatis Castellanæ*. At o 199
quantus impostor est affectus! Quam vicem limi-
tum ordinatam, quem per lineam rectam progres-
sum novit ille agnoscere in scissuris illis grandibus
ac inordinatis, quæ nulla aut mensura aut regula,
modo per longum, modo per breve spatium cir-
cumflectuntur, ac retorquentur quaquaversum?
Nota vocem: *recturas*, ac cætera illa: *ab initio
ad occasum.* Cavæ, quas *Insulana* regio habet,
omnes Orientem versus dirigi conspiciuntur, &
linea recta. Qui agri *Civitatis Castellanæ* illas abs-
que præjudicio adverterit, videbit illas distorte ac
immoderate per omnem partem flectere. Non mi-
nus clara sunt & hæc verba: *Ne id aliquando se-
quamini, quod major pars limitum, recturarumque
non confirmat. Sed si conventionis causa eo partes,
inter se constituendas censuerunt, non recturæ im-
putandum est, &c.* Hæ recturæ profecto, seu hi
per lineam rectam progressus a *Frontino* limitum
loco habentur ac observantur. Notentur & hæc
verba: *Est enim viarum, riparum, cavarum, mul-
torum agrorum separandorum permeantium cursus ser-
vandus.* Hæ sunt tot illæ ripæ cavæque longæ,
& crebræ, ac rectæ, quæ infra supraque situm
Vejorum conspiciuntur, divisionibus agrorum ma-
gnitudinis modicæ, ut erant assignati in Coloniis,
aptæ. E contrario in agro *Civitatis Castellanæ*,
plana inter unam ac alteram rupem, vastissima
sunt. Ita ut minorem limitum partem consti-
tuissent scopuli. Sed apud *Frontinum* descriptam
etiam istius agri naturam habemus in *Falisco*,
ac phrasi ab hoc nostro *Vejente*, diversa: *In
locis quibusdam rivi finales, & cavæ, quæ pactio-
ne sunt designatæ, hanc tamen, quæ recturam
limitum recipiunt, &c.* Unde intelligere est,
paucos tantum istorum rivorum limitibus aptos
fuisse.

a *E da suoi Paladini.*
b *Cortile.*
c *l' Intonacatura.* Ad oram hoc loco Mazzocchius: *se si guarda bene*, inquit, *visaranno anche delle pitture.*

Indiciorum istius Regionis (quum *Plinio* cre-
200 dendum sit, *Aras Mutias* in *Vejente* fuisse) sigil-
lum sit solum illud ad *Aras Mutias*, de cujus
natura *Plinius: Ad Aras*, inquit, *Mutias in Ve-*
jente, *& apud Tusculanum*, *& in Sylva Cyminia*
loca sunt, in quibus in terram depacta non extra-
hantur. Nec multus labor requiritur investigan-
do illi tractui. Tam singularis ac notabilis est,
nimiumque notatur, designatur, pariterque evi-
tatur ab istius soli cultoribus. A *Vejorum* situ
paulo plus quam duo milliaria, a *Formello* forsan
totidem, ac circiter tria a *Scrofano* in agro dicto:
La Pedica di S. Vincenzo, prato cuidam conjun-
cto, terra quædam est tam tenax, ut non solum,
quæ ei infigantur, multo demum labore inde ex-
trahantur, sed etiam pluviosis temporibus aratro
proscindi omnino nequeat; Unde sæpe inculta re-
linqui debet; habetque inde non longe plus quam
unum fragmentum murorum antiquorum. At-
tractoria ista qualitas ea est, ut admirationem mo-
vens suadeat ridere illam, quæ in agro *Civitatis*
Castellanæ dicitur *Rimozzo*.

Anastasii duo testimonia exstant de *Agro Ve-*
jente. Sed antequam ea proferam, præmonere con-
venit, solere *Anastasium* sæpius de agris seu ter-
ritoriis, non Regionum aut Provinciarum, sed
Urbium semper facere mentionem, nisi quando
nominat territorium *Sabinam*, Regionem a scripto-
ribus semper tractatam, ut unam solummodo Ci-
vitatem; adeoque quum de *Vejentano* loquitur,
non fines antiquissimos intelligit Regionis *Vejen-*
tis, suo tempore jam oblivioni traditos atque con-
fusos, sed agrum seu territorium Urbis *Vejo-*
rum destructæ, cujus ager, prout in Coloniam re-
ductus, *Romano* adjectus, sed seorsim a *Trajano*
in Tabula ærea descriptus est, conservat nomen
ac memoriam semper, tamquam Regionis alicujus
Romanæ. Hoc posito,

Primum *Anastasii* testimonium habetur in vita
201 *S. Sylvestri*; ubi refert *Gallicanum* Ecclesiæ *SS.*
Petri, *Pauli*, & *Johannis Baptistæ* ædificatæ in
urbe *Ostia* a *Constantino*, donasse *Fundum Surorum*
via Claudia Territorio Vegentano præstantem solidos
quinquaginta sex. *Vejentanum* igitur erat in via
Claudia, quæ a *Cassia* abscissa apud *Stortam* fle-
ctit *Braccianum* versus, & intacta adhuc silicum
divisio conspicitur. Stabant idcirco prope *Clau-*
diam quoque Veji. Surorum fundus non ita procul
a *Storta* poterat esse versus *Braccianum*; nam ter-
ritorium *di Galera*, olim *Careiæ* dictæ, inde fere
incipit; vel si versus *Romam* non longe a *Storta*
erat, poterat etiam esse ab illa parte; quum inde
non longe *Vaticanus* ager inciperet. Quare in
Insulæ vicinia illum collocari videmus, pariterque
fieri non posse, ut *Civitatem Castellanam* usque
sese distenderit.

Secundum est, quod in *Vejis Defensis* de *Ca-*
pracora profertur. In *Adriano I.* dicit *Anastasius:*
Fecit, *atque constituit noviter domus cultas quatuor.*
Unam quidem, *quæ vocatur Capracorum*, *posita in*
territorio Vigentano milliario ab urbe plus minus
quintodecimo, *ex qua parvus fundus ipsum Capraco-*
rum &c. Ecce *Capracorum* ad quindecim circiter
milliaria antiqua a *Roma*; quæ via *Cassia*, qua *Ca-*
prarolam itur, *Baccanellum* prope accesserunt,
adeoque *Insulæ* (*all' Isola*) valde vicinum *Capra-*
corum fuit. Ut reperiamus præcisum locum, ad
Anastasium in eodem *Adriano* redeamus. *Hic idem*
sanctissimus præsul in domo culta, *quam Capraco-*
rum vocant, *quam ex jure suo proprio obtulit pro*
alimoniis pauperum Beato Petro, *Apostolorum Prin-*
cipi, *nutritori suo*, *a solo fundavit*, *atque ædifi-*
cavit Ecclesiam, *simulque speciose ornavit*, *& in*
nomine ejusdem Deo factori suo dicavit, *&c. recondens in*
202 *eadem reliquias*; *In quam Ecclesiam cum cuncto Cle-*
A *ro*, *Senatuque Romano*, *&c. translatavit atque in-*
troduxit in eam corpora SS. Martyrum, *simulque*
Pontificum, *videlicet corpus S. Cornelii Martyris*;
atque Pontificis, *successorisque ejus*, *S. Lucii Mar-*
tyris, *atque Pontificis*, *& corpus S. Felicis simili*
modo Martyris, *seu Pontificis*, *pariterque corpus*
S. Innocentii Confessoris. Circa quæ corpora sancta
difficultas occurrit; fuerunt enim ac sunt, *Romæ*,
magnam partem. *S. Cornelii* corpus asservatur in
Basilica *di S. Maria* in *Trans-Tiberinis*; cujus anti-
quæ lectiones dicunt, ab *Arenaria di Lucina* illud
eo translatum per *Gregorium IV.* qui triginta tres
annos circiter post *Adrianum* floruit. Imo *Ana-*
B *stasius* in *Gregorio IV.* sibi ipse contrarius nar-
rat, corpora sanctorum *Calisti*, *Cornelii*, & *Ca-*
lepodii fuisse in illa Ecclesia, sed, quia *in medianæ*
plaga Ecclesiæ tumulata post tergum populi jacentia
non condigne honorificabantur, collocata ab illo Pa-
pa situ meliori. Alterum *S. Lucii* in *S. Cæciliæ*
Trans-Tiberinorum est. *Anastasius* dicit, *Paschalem*,
qui Pontifex vigesimo sexto anno post *Adrianum*
factus est, eo transportasse e Cœmeterio *S. Sixti*
corpus *S. Cæciliæ*, cumque eo corpora *SS. Vale-*
riani, *Tiburtii*, & *Maximi* Martyrum, & *Urbani*,
ac *Lucii* Pontificum & Martyrum; quæ cuncta
concordant cum Bulla *Paschalis*, recitata a *Ba-*
C *ronio* Tomo nono. Ultimum *S. Innocentii* simili-
ter *Anastasius* dicit, una cum aliis transportatum
in *S. Martino de' Monti* a *Sergio Secundo*; ac vetus
& rudis inscriptio, quæ in illa Ecclesia est, te-
statur, illa deprompta *ex Cœmeterio Priscillæ via*
Salaria. Necesse igitur hic erit, juxta generale
præceptum datum a *Ferrario*, in erudito suo *Ca-*
talogo Sanctorum Italiæ, ut credamus, *Adrianum*
Pontificem non corpora, sed partes solum ac re-
liquias (idque etiam credibilius in Ecclesia rusti- 203
ca) collocasse in *Capracora*; Et ope hujus lucis
illud repertum est. Sancti *Cornelii* asservatur ho-
D dieque Caput apud *Formellum* in Ecclesia *S. Lau-*
rentii cum traditione firma, istas reliquias & Cam-
panas olim ablatas fuisse e *S. Cornelio*, Ecclesia
istius Regionis diruta, dicta a multis corrupte:
Santa Cornelia. Cujus muri ac Turris magna ex
parte reliquiæ adhuc exstant. An absurdum vi-
deri potest, si ab insignibus illius sancti Reliquiis
nomen *S. Cornelii* fragmentis istis ecclesiæ reman-
serit? Tria milliaria antiqua a *Vejorum* situ abest,
quæ a *Roma* quindecim illa *Capracori* sunt, num
quis igitur dubitare potest, quin hoc sit *Capra-*
corum ab *Anastasio* memoratum, & ab *Adriano*
ædificatum.

E Id, quod in libro Censuum Basilicæ Sancti *Pe-*
tri legitur: *Nepesina Diœcesis Ecclesia S. Johan-*
nis diruta prope Castrum Capracorum, *seu Capra-*
rolæ, *cum omnibus pertinentiis suis posita in territorio*
Vegentano, *ubi dicitur Treia*, *sive Trequati debet*
annuatim dictæ Basilicæ Vatic. lib. III. ceræ labo-
ratæ, *prout ex Censuale longo anni MDXXXV.* nihil
nobis molestiæ creare potest; nam nomina *Capra-*
cori & *Caprarolæ* ibi confundi patet. *Caprarola*
non tantum plus quam quadraginta milliaria id ge-
nus abest, sed cum Diœcesi etiam *Nepesina* nihil
commune habet, ut in altera parte dixi. Sed in
F illa Diœcesi est locus *di Formello*, ac situs Ec-
clesiæ *S. Cornelii* positæ non longe a regione di-
cta *Li tre Fossati*, a tribus rivis, qui illic in u-
num alveum confluunt, & unum Fluvium effi-
ciunt; in quos nomina *Trequati* & *Treia* probe
quadrant, qualia olim istiusmodi aquarum concur-
sibus dabantur, unde verisimile est, etiam *Treiam*
Civitatis Castellanæ suum esse sortitam. En duas
Agri *Vejentani* oras *Vejis* nostris minutatim de- 204
tectas. Unam a Meridie, alteram a Septentrio-
ne! Quid porro?

Nihilne autem de locis, quæ hodie isto territo-
rio

rio comprehenduntur, dicendum est? Diruta Civitate aliqua, reliquiæ ejus occasionem præbere solitæ fuerunt ad alias inde in vicinia condendas. *Vejorum* destructorum vastitas, sicuti abundantem materiarum copiam ad ædificandum suggerebat, non est cogitandum, quin originem præbuerit plusquam uni loco. Sed quid conjectura opus est? Fidem facit *Strabo*, supra a me laudatus, *Romanos*; *Vejis* destructis, alia loca condidisse; *Condita a Romanis, cum hi Fidenas & Vejos oppressissent sæpius rebellantes*, quæ si quærantur, præter *Vejorum* ratificationem, novas alias forsan urbes *Vejos* nobis monstrabunt.

Prope magnum illum situm proxime vicinus Locus est *Insula* (*l' Isola*) qui ei a fronte est. Illud Castellum, an antiquum sit, e structura non colligitur. Indicium nihilominus antiquitatis ostendunt in frontispicio Ecclesiæ, quæ foris est, parva aliquot muris sine ordine immissa fragmenta antiquorum marmorum, operis anaglyphi; & ad latus sinistrum Portæ Castelli grande aliquod marmor, quod pars est sacrificii. In ædificiorum parietibus & Ecclesiæ pavimento conspiciuntur marmorum & Inscriptionum frusta nonnulla. Alia fragmenta ibi operis coronarii sunt. (*di scorniciati*) Extra Ecclesiam neglecta in terra occurrit antiqua sedes marmorea. Concha seu alveus Baptisterii opus est antiquissimum, ac cœlatura pulcra, in alios forsan usus destinatum. Sed præprimis aliorum oculorum lustratione digna est Inscriptio *Vi-*
205 *ctoriæ Augustæ*, quam in superioribus produxi. Is lapis satis magnus, quadratus, & ponderosus est; neque existimandum est, eo transportatum, propter pondus atque incommoditatem, absque aliquo proposito. Quum apud istos homines *Vejorum* ratio non haberetur, ut ut pro *Vejentibus* haberentur. Inscriptionem *Vejorum* veterum non fuisse, certissimum est; quum facta fuerit tempore *Philippi Augusti*, qui vixit anno ab Urbe condita MII. ab humana salute CCL. ut colligit *Panvinus* ex Consulibus, qui illic memorantur. Duo alia ibi exstant marmora cum inscriptionibus, quas ista multo antiquiores esse, negari nequit. Grande aliquod occurrit ante Ecclesiam, quam dixi *S. Luciæ* cum sequentibus litteris grandibus ac pulcris:

L. MVNATIO
FELICI
PATRI

Alterum minus, ante alteram Ecclesiam, quæ extra Portam est, hanc habet inscriptionem.

D. M.
ARTIDIAE. PROCVLAE. T. F
DOMINAE. OPTIMAE
ET. SANCTISSIMAE
SVIQVE AMAN
TISSIMAE. ET. TIB
CLA. CALISTI
C. IVLIVS. HELIO
DORVS. FECIT

Neque hæc profecto fuerunt Antiquorum *Vejorum*, multoque minus aliunde allata in illam scopuli extremitatem. Unde sequitur istius Castelli fuisse; Quod conditum esse ex *Vejorum* ruinis credi posse videtur absque metu credulitatis notam incurren-
206 di; dictumque esse: *Ad Vejos*, & *Vejos*, utpote prope viam, qua *Vejos* iter esset, ex *Peutingeriana* pro indubitato venditatur. Fuit hæc forsan *Colonia Vejens* a *Romanis* condita in campis illis *Vejentibus*, qui ab exstirpatione *Vejorum* inter Plebem divisi sunt, nam *Romanos* eo etiam ritu solitos fuisse fundare Colonias, ex *Appiano* constat lib. primo de Bello Civili: *Mos erat Romanis nunc hos nunc illos Italiæ populos subjugando par-*

A *te agri mulctare, in eamque Colonias deducere, aut in jam ante condita Oppida novos Colonos suæ gentis ascribere, &c.* Idcirco a *Frontino* dicta est *Vejus* & *Vejos*, prostrata primo tempore *Augusti*, mox paulatim resarcita forsan ab istis Camporum patronis, qui supererant; nam post oppugnationem *Augusti* transibant ejus Campi ab Imperatoribus & assignabantur habitatoribus *Romæ*. Hic inscriptio *Herenniæ*; quæ est in Cathedrali *Nepesina* lucem accipit. De quibusnam aliis *Vejis* loqui potuit? antiqui tempore Duumviri alicujus *Romani* non amplius supererant; cui Magistratui

B DVVMVIR
VEIOS. IIII. VIR NEPETE

Consonant, inscriptio quæ occurrit a latere *Victoriæ Augustæ* in *S. Lucia dell' Isola* II VIR QQ. & fragmentum, quod est in pavimento alterius Ecclesiæ; ubi de Duumviro quodam hæc legimus:

ILIT. LEG. XXII 207
DVVMVIR. AII
GLADIATO.

Quare accusativus *Vejos* pro *Vejis* manifesto intelligitur de loco *Vejos* dicto, hoc situ in Tabula Iti-
C neraria posito. *Vejus* & *Vejos* nomina indeclinabilia esse ex *Frontino* patet; qui modo dicit: *Circa oppidum Vejus sunt naturæ, &c.* modo; *Pars autem intra Hetruriam proximæ coloniæ Vejos omnis limitibus intercisivis est assignata.* Permutatio reciproca litterarum U, & O *Latinis* valde usitata, millies apud *Festum*, *Plautum*, ac *Terentium* deprehenditur. Adeo non opus est, ut antiqui *Veji* revixerint; & Solœcismi absolvitur marmor *Nepesinum*, cujus non Artifex, uti duplicis X quæ ibi occurrit, sed Compositor culparetur.

Ab altera parte *Formellum* est ad quatuor milliariorum distantiam. An locus antiquus sit, nec a
D Scriptoribus lux, nec ab Habitatoribus fumus oritur, unde id pateat. Mihi tamen credibile videtur, aut ibi aut inde non procul olim aliquam Urbem exstitisse. Via quædam antiqua silice strata disjungitur a *Cassia* prope vineas *Romæ*, ubi *Turris scissa* (*Torre spaccata*) & falso dictum *Neronis* sepulcrum est, quæ via sinistram versus descendens in vallem, mox rursus ascendens, *Vejorum* situm subit, indeque prope *S. Cornelio* ejus reliquiæ recta *Formellum* versus tendentes conspiciuntur. Alia e *Flaminia* exit inter *Castel Nuovo* & *Morolo* prope *Monte della Guardia*, eodem recta
E & continue ferens; Et audio exstare adhuc aliam, ubi erat Sylva *Baccano* (*il Bosco di Baccano*) quæ 208
pariter e *Cassia* progressa *Formellum* spectet; atque ibi fere, abhinc annis non multis, magnum canalem plumbeum effossum esse, qui eo plane reflexus esset. Situs itaque, ad quem, tanquam centrum peripheriæ duarum insignium viarum, *Romani* olim iter faciebant, ac vias muniebant per tres lineas, dat gustum non antiquæ solum, sed & celebris Urbis.

Colonia Vejens, quæ tempore *Augusti* mox destructa est, forsan hic, aut hinc non ita procul remota fuit. Cui rei multum fidei facit inscriptio,
F quæ inter cæteras a *Ligorio* collectas, servatur cum manuscriptis magni illius Antiquarii in Libraria *Vaticana*; ibique legitur, eam apud *Formellum* esse.

HON. SACR
C. ATINIO. C. F. PAP
SICINIO
XVIR. STLITIB. IVD
IC. PATRONO. POP
VEIENTVM. ORDO
STATVAM. LATENT
V. O. OBTVL

A Hæc Inscriptio ibi hoc tempore non reperitur; quoniam cum aliis marmoribus devastata est; ex quibus, diversis temporibus, vas Aquæ Sanctæ, Baptisterium, aliæque res factæ sunt. Ea *Italiæ* calamitas est, ut antiquitatis suæ reliquias diripi videat ab hominibus parum illas cognoscentibus, ac minus curantibus. Calamitas haud parvi momenti: quoniam præter lucem, quam hac ratione perdunt bonæ litteræ, talium monumentorum etiam
209 imminuitur existimatio apud Ultramontanos; quorum bona pars a curiositate mota, repræsentare studet vestigia antiquitatum illarum admirandarum, quæ in Historiis *Romanis* occurrunt. Atque in
B tantum nobis sufficiat testimonium, quod in scriptis *Ligorii* ad rem præsentem asservatur.

Deleta hac Colonia, conditum fortasse est Castellum *Insulæ* (*dell' Isola*) a paucis istis possessoribus agrorum, qui supererant; vel forsan, quum prius istud territorium amplum, & Coloni multi essent; pars eorum convenit ad ædificandum apud *Formellum*, pars apud *Insulam*, & utrique cum nomine ac prærogativa Coloniæ habebantur. Postremo ne plura in hoc verisimilitudinis fundamento fundemus cogitata, nobis sufficiat, hunc pariter & illum Locum plus, quam probabiliter, fuisse habitatum à Colo-
C nis *Romanis*, ibique floruisse *Ordinem Vejentum*.

Ab hac Colonia, quæ post *Augustum* & ipsa desolata fuit, sumpsit forsan *Eutropius* mensuram octodecim milliariorum inter *Vejos* ac *Romam*; quot exacte juxta antiquam rationem a *Roma* ad *Formellum* sunt. Rudera Coloniæ, quæ tempore *Eutropii* multo magis quam *Vejorum* debebant apparere, forsan tunc temporis occasionem confusionis in multis præbebant. Juxta quam sententiam ille Historicus in illo milliariorum numero non discreparet a fidissimis. Postremo sic epitheton *Veteres*, quo *Propertius Vejos* describit:

Et Veji veteres, & vos tum Regna fuistis

quod ibi otiosum videtur, distinguendæ Coloniæ, & ipsi destructæ inservit, & consideratu dignum ac momentosum evadit.

Paulo ultra *Formellum* occurrit *Scrofanum*; cujus nulla, quod ego sciam, referri potest antiquitas. Vicinitas antiquorum monumentorum, quæ retuli, loci, qui dicitur *Belmonte*, videtur nobis 210
persuadere hunc locum inde exstructum esse. Quid si autem *Belmonte* fuerit antiqua urbs *Aræ Mutiæ*? Si fuerit Locus habitatus, nomen, quod opus *Romanum* sonat, innuit illum conditum & ipsum ex ruinis *Vejorum*, ut loci vicini. Si non urbs sed nudum Solum fuerit cum Altaribus, aut Templis rusticis (neque hoc præter verisimilitudinem est, quoniam plures reliquiæ antiquitatis apud illud tam tenax solum durant) omissis pluribus argumentis, absque majori luce, ipsum solum pro co agnitum nobis sufficere debet. Et ne ulterius extra Metam exspatiemur, contenti simus hoc loco, quod ex cunctis, quotquot occurrunt in scriptis veterum, proprietatibus Agri *Vejentis*, nulla circa vestigia *Vejorum*, quæ hodie conspiciuntur, desideretur.


INDEX
NOMINUM ET RERUM
NOTABILIORUM.



Ar-

Fe-

FINIS.



DOMINICI MAZZOCCHII
J. U. D.
VEJORUM DEFENSORIS,
EPISTOLA APOLOGETICA;

In qua discutiuntur multæ Oppositiones illi factæ a VEJORUM eorundem INVESTIGATORE.

Ex Italico Latine *vertit*, *Præfationem Notulasque adjecit*

ABRAHAMUS PREIGERUS.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Civitatis atque Academiæ Typographi.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
ABRAHAMUS PREIGERUS.

Ea humani ingenii natura eſt, ut ſapientes omnes videri velimus, & nemo non gloriolæ pruritu tangatur. Avide (nam Doctorum Virorum ea in primis Palæſtra eſt) novum quid in lucem proferimus; Avide id Vulgus excipit.

DOMINICUS MAZZOCCHIUS J. U. D. *hoc Thyrſo percuſſus, non indiligenter in eodem Stadio ſeſe exercuit, ut ex* VEJIS DEFENSIS, *quos ſuperius inſpicere licet, videre eſt. Verum gravem nactus adverſarium* FAMIANUM NARDINUM, *cui ipſe impar erat, uſque adeo Herbam porrigere noluit, quaſi & ipſe nihil contra dicere poſſet. Hanc itaque exaravit* EPISTOLAM APOLOGETICAM, *inpreſſam* Romæ, *apud* Maſcardi MDCLIII. *in qua, ſi non opinionem priſtinam (ut in Prioris Operis Præfatione diximus) ſolide ſtabilire potis eſt, tamen viciſſim* NARDINO *quoque, dicenti quæ velit, audienda quæ nolit, opponit. Ceterum ſcias, a Nobis idem & hic, quod in prioribus Libellis, obſervatum fuiſſe.*





ILLUSTRISSIMO ET ECCELLENTISSIMO DOMINO
PATRONO COLENDISSIMO
DOMINO PRINCIPI
D. CAMILLO PAMPHILII.
Generali Sanctæ Ecclesiæ Sedis, ac Nepoti Domini Nostri Papæ
INNOCENTII X.

Inter otia, quæ E. V. in negotiis gravibus raro conceduntur, tantam tamque fortunatam patientiam offenderunt *Veji* mei *Defensi*, ut libellum istum totum uno die non dedignata sit evolvere; eique lecto non modo applauserit, sed & pro solita sua humanitate, Auctorem ipsius proprium eccellentibus encomiis extollere in animum induxerit. Agnosco benevolentiam illam, qua E. V. humilem suum ac veri nominis Clientem prosequitur, eique acceptum refero, quod debito plausibilius illud Opus visum fuerit. Sed non eandem illam apud omnes indolem experti, nonneminem offendimus, qui livore vel alio quodam, id genus, stimulo motus, multa ei opposuit, ad quæ primo Epistola, deinde (ut amicorum instantiis satisfacerem,) specialiori Apologia mihi visum est me defendere. Diu tamen a publicando hoc qualicunque opusculo præ modestia abstinui; sed excitatus tandem per vivas rationes, per Amicos, ac per gustum, quem E. V. tanquam informata inde capere posset, statui in lucem illud sub glorioso E. V. nomine emittere; ac tanquam rem suam, natam atque educatam in Eccellentissima Domo, sua; ipsi consecrare; quam profunde veneratus, Dominum nostrum Deum supplex oro, ut generosa ipsius vota secundet. Romæ XV. Octob. MDCLIII.

V. E.

Humillimus ac Devotissimus cliens

DOMINICUS MAZZOCHIUS.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiss. Sacri Palatii Apost. Mag.

A. Episc. Verul. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Candidus, Sacri Palatii Apost. Mag. Ord. Præd.

Defensoris *titulus mihi datus est ab* Investigatore, *ob* Vejos Defensos, *ipse autem a* Dissertatione investigativa Vejorum Veterum *suum sibi comparavit.*

DO-

9

DOMINICI MAZZOCCHII EPISTOLA,

Qua, ut Defensor Vejorum, Imputationes sibi ab Investigatore Vejorum Antiquorum factas diluit.



Eji jam sunt defensi; causa istius defensionis justa fuit, & bene, an male defensi sint, judicium esto penes orbem litteratum. Ego operam dedi, ut quovis genere argumentorum, rationum, opinionumque virorum insignium causam eorum agerem, & quascumque per me adinvenire potui conjecturas, quæcunque momenta, eo conferre conatus sum. Si quid horum post me alius attigerit, suo sibi usus ingenio est. Enimvero, nisi lectori movere 10 tædium, aut materiis tam rancidis & aridis molestiam creare crederem, multa reponere nupero Investigatori *Vejorum* antiquorum possem, pluribusque eum confutare; sed ne inutiliter tempus perdam, quum ille tot ac tanta dixerit; cuncta prætermitto; meque solummodo restringo ad diluendas illas maculas, quibus indebite ab illo aspergor, ratus oportere, ut qui aliorum causam defenderim, jam meam ipsius defendam.

Ingenue confiteor, sicuti semper scripta hujus Auctoris admiratus sum, aureum vere & istum futurum fuisse librum mea sententia, quam modo typis evulgavit, majoremque habiturum aliquando applausum fuisse, si in ista tam vehementi (quam dicit) præcipitantia sibi temperare quivisset, ne qua stilla livoris vivacitatem styli sui inficeret. Unde eruditio, non illa, quam requirit, puritate conspicua, pro parte obfuscatur potius a passione, quam illustratur pro merito. Ut taceam, toties eadem repeti, ut nauseam citius ex istis repetitionibus, quam delassationem ex ipsa prolixitate Lector sentiat. Et si paulo modestior, nonnullam Patriæ caritatem in me tolerasset; vel (ut inter homines liberales ac litteratos fieri solet) contentus fuisset, mea per simplicem propriæ opinionis propositionem taxare; majori 11 profecto cum sinceritate cogitata sua explicuisset; nec forsan tam facile nunc detegerentur ipsius σφάλματα.

Quumque in sua ad Lectorem excusatione vel ipse confiteatur, se tam honorifice a me in libro meo exceptum esse; addo, jure id a me factum; sed ipse vicissim data opera me male tractavit; dumque me titulo illo, quo plurimum gestio, sinceritatis nimirum & ingenuitatis, privare studet, indesinenter me objurgat, modo, quod ipsius cogitata usurpaverim, modo, quod ipsius rationes partim extenuatas, partim in sensum alienum distortas protulerim; imo aperte negat nonnullas conclusiones, quæ sole clarius in iisdem leguntur. Equidem miror, quod tale ejus ingenium eousque se abripi patiatur, ut illud negare velit, quod quovis tempore cuivis patere potest, quodque, ut ipsi melius quam mihi notum est, penes se habet in iisdem scriptis suis, per exemplaria descripta jam publicatis; quibus quod succincte usus fuerim, insimulari possum, sicuti & reliquis aliorum scriptis, non autem, quod illa unquam detorserim, aut male intellexerim. In hac re mihi concedat necesse est, me honorifice illum tractare voluisse, sicuti ipse noscit, mihique ibidem ea de re gratias agit.

A Quod argumenta ipsius aut silentio præteriri, aut integra & sincere in medium proferri debuerint, 12 ut ille postulat: ad prius dico, mihi id integrum non fuisse, quum necessario ad cuncta illa, quæ in contrarium reperiri poterant, respondere deberem; sicuti etiam feci ad scripta *Nicolini*; quod ad alterum attinet, grande nimis volumen (brevitatis imprimis amatoribus) evasisset, si integra cuncta in illud contulissem; quod autem *& sincere* addat, in hoc de industria me offendit, ut visuri sumus.

Sed ipsius vicem dolere cogor, qui nimis ferventi sanguine, ut ipse asserit, Opusculum percurrerit, B dicens in ista præfatione insuper, se, ut primum sibi nunciatum esset, *Vejos* meos in lucem prodiisse, statim erubuisse, atque indoluisse. Quid autem iste dolor sibi vult? An nescit, *Deum Mundum tradidisse disputationi eorum?* quumque nos tam varii cerebelli fecerit, quanto plures diversæ opiniones occurrant, non solum in rebus dubiis, ac profanis, sed etiam in litteris sacris, tanto magis magnitudinem suam detegere? Interim sicuti ego igneæ ipsius indolis misereor, ita spero illum similiter erga me affectum iri in excusanda mea phlegmatica, dum animo sedato veritatem narro.

C Sciendum est igitur, me ex scriptis, quæ primitus proprio suo instinctu ad [1] sacerdotem Primarium *Micum* misit; quæque postea in manus meas pervenerunt, rem contentam breviter excerpsisse, 13 vel pauca aliquot verba peculiarium quarundam conclusionum, ad quas visum mihi est respondere (nam communibus rebar communiter cum cæteris satisfecisse) & licet nullo ordine illas excerpserim, iisdem tamen numerorum notis, quibus illas in *Vejis Defensis* produxi, adhuc penes me in dicta ejus Apologia M. S. signatæ sunt; quarum brevitatem Investigator non nisi injuste dolere potest; quoniam non solum D non pejori loco illum præ cæteris habui, sed peculiari quadam reverentia etiam prosecutus sum; atque eodem ordine ac modo, quo *Cursium* & *Cluverium*, etiam ipsum posui, studens æqualiter, tam ex hisce quam ex illis, tantum compilare compendium, quantum explorandis pariterque refellendis eorum opinionibus (ita ut sese habent) veris ac realibus sufficeret. Compulsus sum idcirco existimationis meæ liberandæ ergo, omnibus palam facere hoc scripto, duo solummodo aut tria exempli gratia, quæ in editis negat se dixisse in scriptis suis; ex quibus paucis (ut prolixitatem vitemus) de reliquis omnibus judicium E fieri potest; ut imputationibus me subtraham, & publice constet, quam semper a veritate steterim.

Ac primo pag. 72. novi sui libelli mihi imputat quasi dixerim, *Virgines Vestales* eadem vespera, 14 qua *Antonius* ad *Saxa Rubra* pervenisset, eadem, inquam, vespera etiam rursus dimissas esse, &c. Ego autem hoc non dixi (quemadmodum videre est in libro meo sub tertia conclusione pag. 87.) sed ibi quidem illud dixi, quod ipse mox de meo fideliter profert; nempe: *Vestales*, ex ipsius opi-

[1] *Arciprete.*

opinione, postquam *Antonio* supplicassent, eadem vespera *Romam* regressas; & hoc ipsum ex supra dictis manuscriptis ejus hausi, ubi pag. 12. sic loquitur: *Ille auditis Legatis, deinde & Vestalibus, has dimisit (Misellæ vespera redeuntes ad Primam Portam divertere debuerunt!)* hæc ipsissima ejus verba sunt: ex quibus quæ consequentia trahi potest, nisi vespera *Romam* pervenisse? Et tamen ibidem pag. 72. hæc subjungit: *Chimæra mea ridicula fuisset talis hypothesis, si ego illam fecissem. Et facti me pudere deberet, sicuti non possum non ægre ferre, id tanquam meam opinionem publico exponi, &c.* Sed bis peccare hoc loco deprehenditur; primo, quod verba mea invertat, quibus quum de solo reditu loquar, ille etiam adventum vult innectere. Deinde, quod se ipse confundat, negando in impressis exemplaribus, quæ in scriptis asserit. Quæ si, postea errore deprehenso, sic retractare voluerit, hoc nihil ad
15 me; qui jam ante annum libellum meum in lucem dederam; nec aliud quicquam ab eo, præter scripta priora legeram; hæc altera autem, quæ jam multos ante annos *Ostendio* dedit, & per hanc occasionem nova accessione locupletavit, post mea prodierunt.

Secundo, pag. 18. supponit meum inventum esse, & non aliquando suum ipsius dictamen fuisse, *Vejentes Sabinos* non habuisse conterminos; & tamen Apologiæ ipsius pag. 26. leguntur hæc verba: *Inter Sabinos ac Vejentes apud modo dictos Auctores nunquam, quod memini, confinia speciatim memorantur, sed vicinitas, aut tale quid. Et etiamsi memorentur, Crustumini sunt populi Sabini, &c.* Hic vide: uter nostrûm fallatur. Porro quod ad vocem *Sabinis*, textui *Livii* animi causa (*per galanteria*, ut ille dicit) adjectam; nempe ut ita sese habeat: *Sabinis Etruria erat vicina:* non meum est inventum, sed magnorum virorum; quin & clare patet ex ipso Historiæ contextu, non nisi de *Sabinis*, intelligi posse. Proinde videat, ne, dum nimis fucata ostentatione cuncta rejicere velit, & veritati parum fidei habeat, ipse fidem perdat.

A Tertio pag. 29. & 30. dolet, quod male interpretatus sim, *Vejentes*, post *Fabiorum* cladem, eadem nocte exercitum *Menenii* adortos esse, &c. 16
Quod a me non ita probatum, sed ab ipso (more suo solito) immutatum est; ut ex collatione libri mei in sexta conclusione pag. 90. patet: ubi dixi, *Vejentes* post cædem *Fabiorum* adortos esse exercitum *Menenii* Consulis, quatuor inde milliaria distantem, illumque eadem nocte fusum, *Romam* se recepisse, &c. & hæc omnia una sola nocte accidisse. Inspiciamus nunc illud, quod (tanquam *Dionysii* dictum) in Apologia sua allegat pag. 32. *Hetrusci post Fabiorum cædem castra Menenii aggressi* B *sunt, &c. Omne diei reliquum ipsi insultantes, & ne nocte quidem intermissione facta, castra expugnarunt, hostesque inde Romam fuga se receperunt, &c. Hæc omnia una sola nocte contigerunt:* (imo addit) *Geminum præclari istius facinoris ad Saxa Rubra apud Tacitum, de quo dici posset, quod Fidentius dixit, &c.* Hactenus ille. Quumque mentem suam non potuerit clarius explicare, non debet mirari, alterum tenebris involvi, dum cuncta ab eo ad unam solam noctem referantur.

Et quoniam persuasus sum, *Lectorem* ipsum intellecturum, multa præter hæc alia mihi impu- C tari, quæ non sunt in libro meo; pauca hæc pro multis, quæ dici possent, indigitasse mihi sufficiet. Quod reliquum est, solatii loco Viri 17
cujusdam Litteratissimi dictum illud ad animum revocans, nempe ob tres rationes me, brevi hoc de *Vejis* opusculo, majorem semper gloriam habuisse: primo, quod Patriam defendissem; deinde, quod jam per annorum centurias aliquot hoc titulo gavisa sit; tertio denique, quod opinionem, non novam, nec a me inventam, sed inveteratam, ac sæculis præteritis a multis magnis viris controversam defenderim; in præsentia, hoc encomio delinitus, meam ipsius solummodo D causam hic egisse, cuncta autem, publico hominum judicio, prudenti operum alienorum cognitori, permittere contentus sum.

18

DOMINICI MAZZOCCHII
APOLOGIA,

Qua Auctor Vejorum specialius se defendit ab Imputationibus.



QUum anno 1647. *Dissertatio quædam Investigativa de Vejis Antiquis* in lucem prodiisset, qua tantum non directe & ex professo *Veji* mei *Defensi* oppugnarentur: statueram ei nullam reponere responsionem, sed præcedentium harum litterarum solo remedio culpam omnem simpliciter diluere; quod tunc feci: modestiæ meæ & Amicorum satisfactioni sufficere ratus, si crederer amplius etiam, ubi opus fuisset, me potuisse defendere. Sed illorum mox instantiis, ac importunis petitionibus instigatus, ut imputationes ab *Investigatore* mihi factas publico exponerem & paulo specialius recenserem; tandem anno 1650. statui (idque magis, ut illorum curiositati, quam meo ingenio obsecundarem) breve compendium illorum, quæ in dicto libro errata occurrunt, aut parum sincere contra me adducta, hic subjungere. Quumque
19 ad illos orationem meam dirigam, qui disserta- E tiones nostras cognitas habent, ac solummodo in animo habeam, me defendere, non vindicare, in convicia non excurram, sed respondebo solummodo, ubi lacessitus fuero. Facto itaque exordio in *Vejis Investigatis* pag. 13.

Primo introitu, quo incipit de me loqui, non audens me nominare: quod dubitaret forsan, an ego quidem is sim, cujus nomen in fronte libri mei legitur, me culpat, seseque effert hunc in modum: *Sed quoniam Auctor*, &c.

Hic profecto ira obfuscatus se ipse decipit: quum nesciam, ubi unquam ullum Auctorem F correxerim; & si ob notatum unum illud vitium apud *Plinium: XIII. mil. pass. Urbis* (quod in *Vejis Defensis* produxi, & hic infra repetam) mihi hanc notam impingere velit; injuriam mihi facit, quum idem ille locus jam ante me observatus sit a *Josepho Castalione* in Syntagmate suo, ut pag. 56. dixi.

Postquam contendisset pag. 12. locum *Aremozzo*, seu *Aremutie* (*Aras Mutias*) non fuisse in *Ve-*

Vejente, & *Plinium*, siquidem dixisset: *Ad Aras Mutias in Vejente*, omnino errasse, ac debuisse
20 dicere: *in Falisco*: tandem pag. 200. id retractans fatetur illas esse in *Vejente*; quod tunc ipsi sic usu veniret, nunc autem non item.

Et quare non & mihi sic usu veniat, si præter auctoritatem *Plinii* in meum favorem, tota etiam Auctorum recentiorum cohors itidem *l'Aremutie* (*Aras Mutias*) in *Vejente* ponat, & proprie quidem in territorio *Civitatis Castellanæ*, sicuti in Argumento meo VI. demonstravi?

Negat pag. 14. & 17. textum *Plinii* supra citatum: *mox citra XIII. millia passuum Urbis*, *Vejentem agrum a Crustumino dirimens*, *&c.* corruptum esse. Quod tamen ex constructione sibi non constante clarum est. Et mihi mox mea verba exprobrat, dicens: *Et hoc non est confundere memorias Auctorum?*

Dico differentiam esse, quando textus corruptus est, ut hic & alter clarus est, ut supra citatus ille de *Aris Mutiis*.

Quum alicubi dixerim, *Faliscos Vejentibus Romæ* viciniores fuisse; ea de re prolixe disputat pag. 14: sed illud, quod pluribus locis dixi, nempe agrum *Vaticanum Falisco* quidem vicinum, sed non idcirco contiguum fuisse, ut *Vejentem*, non observat. Quin imo dixi, agrum *Vejentem* a parte *Tiberis Romano* conjunctum fuisse, &c.
21 Si autem *Faliscos Vejentibus Romæ* propiores semel posuerim (quæ & *Castalionis* opinio fuit propter duo illa *Livii* loca lib. x. *Alii duo exercitus haud procul urbe Etruriæ oppositi*, *unus in Falisco*, *alter in Vaticano agro.* Et: *Ni Faliscos quoque allatum foret*, *arma Etruscis junxisse.*) Ea vis fuit argumenti mei VII. ubi ostendi *Faliscos* non tam proprie fuisse *Etruscos*, ac *Vejentes*, ob rationes ibi allatas. Deinde in principio illius argumenti dixi, non ex mea opinione, sed *si juxta Strabonem & Gratium* (*ut multi volunt*) *Falisci &c.* Itaque hoc supposito, illa inde consequentia resultabat, quam indicavi.

Pag. 15. Vult me dixisse: *Nepesinos ac Cærites fuisse extra Etruriam.*

Hic patet sane, perturbationem animi ipsum & verba mea perturbare coëgisse. Ego hoc nunquam absolute dixi, sed semper cum reservatione quadam locutus sum, addito: *forsan*, vel *non proprie*, vel *extra propriam* seu *proprie dictam Etruriam.*

Paulo autem inferius pag. 15. me etiam vult facere dicentem: *Faliscos non fuisse in Etruria.*

Dixi *fuisse*, ut pag. 5. libri mei, *in secunda gente Etruriæ*, attamen non proprie, ut *Vejentes*, idque multorum auctoritate, ut supra significavi.

Id ipsum tamen repetit de *Nepete*, *Sutrio*, *&c.* Pag. 45. & 106. & quoties sese occasio offert.
22 Quod nunquam absolute dixi; sed semper indeterminate loquens, *forsan* addidi, vel *non proprie*, &c. ut videre est pag. 4. 26. 27. & 92. libri mei.

Dicit pag. 16: *Urbem Vejos subjugatam simul & dirutam.*

Hoc non est verisimile; quum longo tempore post habitata tamen occurrat. Et pag. 27. sibi ipse contradicit, allegando verba *Livii*: *Cum pulcherrima Urbs Veji in conspectu sit* (non dicit autem *fuerit*) post *Vejos* expugnatos; idemque *Livius* lib. v. dicit: *ut relictis* (*Romæ*) *ruinis*, *in urbem paratam Vejos transmigrarent.* Ut *Frontinum* taceam, qui ad suum usque tempus (quod *Trajani* fuit) Coloniam illam fuisse testatur, & quamvis dicat: *deficientibus his*, *ad urbanam Civitatem associandos censuerit divus Augustus*: ibi de habitatoribus & de Campo *Vejente* loquitur, non de loco. Adeo ut in comperto sit, longe postea habitatam fuisse.

A In septima conclusione, *Vejentes Sabinis non fuisse conterminos*: supra in Epistola visum est, quomodo se res habeat. Deque vocabulo *Sabinis*, ibi dictum est, & hic rursus dicendum erit.

Miror præclarum istud ingenium, quod tam distortas interpretationes textus *Livii* faciat, ut, ubi de *Sabinis* clare loquitur, iste de *Romanis* illud intelligere velit. En ipsissima verba Lib. I. *Sabini haud parum memores*, *& suarum virium partem*, *&c. circumspicere & ipsi externa auxilia.* 23
Etruria erat vicina, *proximi Etruscorum Vejentes*: ille explicat hæc verba: *Etruria erat vicina*, id est, *vicina & proximi Romæ*, *non Sabinis*: & ta-
B men præter Eruditorum judicium, ipse *Livianus* index illum locum citat: *Etruria vicina Sabinis*: sicuti evidenter etiam ex historia patet.

Imo statim pag. 18. etiam subjungit: *qui volentes Romanis bellum inferre*, *auxilia ab hostium vicinis petebant.*

A vicinis suis, dico ego, non autem hostium. Quod quamvis perinde esset, nihilo minus per omne id, quod sequitur, illud paradoxum vult sustinere. At postremo tandem *Sabini* revera *Vejentes* ad se trahebant, *externa & vicina auxilia.* Hic jam confirmari videtur, quod isto versiculo dicitur:

C *Impedit ira animum*, *ne possit cernere verum.*

Dicit pag. 26. *Quis unquam scripsit: agrum Vejentem a Romanis paulatim usurpatum fuisse?*

Videre id potest in libro meo pag. 84. & bis pag. 86. Nonne autem & ipse dicit, sæpius a Regibus usurpatum fuisse? Hi porro *Persæ* an *Romani* erant?

Egregie pag. 28. confundit Comparativum *Ulterior*, & Correlativum *Citerior.* Nec ego nisi de oppositione locutus sum.

Pag. 28. dicit: *me insistere ipsius fundamentis*, *sed recitatis tanquam meis.* 24

D Non nego, nonnulla a me dicta esse, quæ & ipse dixerit, & e converso; sed sciendum est, priora illius scripta allegationes valde raras habere: & meus liber in materiis a me tactis ipsi inserviit in inprægnando suo: sicuti ex Apologia ipsius M. S., & *Vejis* meis clare videre est, quam semper fuerit *facile inventis addere.*

Quod pag. 29. & 30. neget se dixisse: *Hæc omnia una sola nocte contigerunt*; supra visum est, quomodo procedat.

Pag. 34. dicit: *Sciendum Plinium citra XIII. millia passuum a Roma Tiberim dividere campum Crustuminum a Vejente*, *ergo intra illa civitatem istius agri sitam fuisse.*

E Respondeo, si per *intra illa* intelligat, intra illum agrum, sive in medio sive in parte pone tredecim millia sitam fuisse Urbem, concedo; sed si per *intra illa* intelligat (ut semper intelligere videtur) Urbem illam ad XIII. milliaria, aut intra illud spatium, a *Roma* fuisse sitam, nego consequentiam; quum, præterquam quod textus iste corruptus sit, non ad amussim seu lineam rectam Urbs cum agri finibus poni debeat; de hoc autem, non de illa, *Plinius* ibi verba fecit. Porro textus clariores de majori distantia habemus.

Repetitur passim pag. 34. & mille aliis locis,
F Tabula *Peutingeriana*, quam nuperrime repertam esse puto; quoniam ejus mentionem nullam fieri video, nec apud recentiores, nec apud medii ævi, 25
neque etiam apud hodiernos Auctores, excepto *Cluverio*; cui hæ tabulæ, nuspiam nempe exactæ, sæpe cerebrum movent, ut in *Ital. Antiq.* lib. II. testatur, ubi *ad Gallinas* in hunc modum loquitur: *In Tabula*, *itinera*, *hac etiam Etruriæ parte*, *ut supra circa Clodiam viam*, *vehementer corrupta sunt*, *& conturbata*: Id quod & supra dixit ad locum *Careiæ*: *Tabula toto hoc Etruriæ tractu*

mirum in modum corrupta est. Unde standum erit?

Et ut hoc credam inducor, quod Investigator pag. 56. & mille aliis locis (majus fundamentum præter hoc non habens) semper illam repetens, hic dicat: *Juxta Peutingerianam urbs Veji sita erat non in via Flaminia, sed Cassia.*

Ad quæ respondeo: Si *Vejentes Sabinos* conterminos habuere (ut ostendi argumento tertio, & hic supra pag. 18.) & his *Proximi Etruscorum Vejentes* fuere, falsum esse deprehendetur, *Vejos* in *Cassia* aut *Cassiæ* vicinos fuisse, quum aliæ superessent Urbes per *Flaminiam*, *Sabinis* propiores quam *Vejentes* illi, veluti *Fescennium*, *Falerii*, itemque *Capenates*, ex ipsius sententia.

Præter quod etiam dixi: *Saxa Rubra in Flaminia ostendere, Vejos in Cassia non potuisse esse sitos;* ad quæ respondet, pag. 98.

Quis unquam dixit Saxa Rubra Vejis vicina fuisse?

26 Nonne clarum est? Si *Vejentes*, commisso apud fines suos cum *Romanis* prœlio, ab ipsis retrosusi ad *Saxa Rubra* sunt, idque quum hæc intra Agrum suum essent, & (ex ipsius etiam opinione) novem milliaria a *Roma* distarent, *Veji* autem duodecim; Quæ longinquitas hic poterat esse? Et qua fronte negat, illa *Vejis* vicina fuisse?

Dicit, pag. 40. me opponere: *Milliaria hodierna non respondere, præcise antiquis.*

Quis hoc in dubium vocat? Et falsam inde conclusionem trahit, quanquam veram assumptionem meam exhibeat, &c. Quamobrem subjungit: *Et qua ratione Romani vias munientes per clivos illas longiores reddebant?*

Id jam dixi: ut Valles, aliosque transitus incommodos vitarent; nonne etiam cernimus, quam tortuosos giros faciant? Idque demonstravi testimoniis, allegatis in Notis ad *Martyrium quatuor Sanctorum*, a Patribus *Collegii Romani* editis; quas ille etiam in usus suos transtulit. Nonne autem pag. 101. contra id, quod hoc loco dixit, fatetur: multo magis sese flexisse vias, & in longius extensas fuisse. At hic mox (paulo inferius eadem pag. 40.) in viam redit, & mecum rursus facit, dicendo: *verum est, milliaria antiqua valde diversa fuisse ab hodiernis;* & paulo post: *Tantum variant hodie.* Ita ut dicat & retractet quidvis pro lubitu.

27 Opponit pag. 41. *Dionysium & Plinium vixisse temporibus, quibus viæ jam stratæ erant.*

Dico verum esse; sed illa diversoria, quæ memorant, fuere eorum Temporum, quibus non erant stratæ: deque his idem, quod de cæteris, judicium fieri potest.

Repetit etiam pag. 44. populum *Vejentem Romæ omnium Etruscorum proximum fuisse, ac dici ipsis verbis Livii lib. primo: Proximi Etruscorum Vejentes.*

Sed *Livius* hoc nunquam de *Roma* dixit, qui ibi de *Sabinis* verba fecit, sicut visum est supra. Dixit quidem *Dionysius* de *Vejis*, *quæ Civitas Etruscarum erat sibi proxima*, id est *Romæ*. Sed respondi, non absolute proximam fuisse, sed respectu Locorum *Thusciæ*, ideo ponitur ibi illud *Etruscarum*, non autem simpliciter dicitur: *quæ civitas erat sibi proxima.*

Idque quod pag. 45. adjungit, exercitum *Etruscum* præsidio decedentem, una nocte *Roma Vejos* pervenisse, ob *Dionysii* illa verba: *Motisque castris nocte Vejos petiit.*

Parum credibile est, nam in meo *Dionysio* non item legitur *petiit* (quod utique significaret, profectam sc. manum *Etruscorum* illâ, seu viam ingressam noctu, sed non statim eorundem adventum apud

A *Vejos* ipsum) sed luculentius hic legitur: *noctuque profecta Vejos petebat:* idque a contextu verisimilius fit, nimirum: *Manus Etruscorum, quæ Janiculum montem occupaverat, quoniam domo nulla submittebantur auxilia, decrevit præsidio decedere, noctuque profecta Vejos petebat*, &c. id est: *partitasi di notte se ne andava a Vejo:* non autem dicit, illa nocte *Vejos* pervenisse, sicuti ex illo alterius Interpretis: *petiit*, cavillatur. 28

Refellere studet pag. 48. IV. meum argumentum de flumine *Allia*, ac diversis probationibus atque argumentis cupit ab isto flumine *Vejos* magnam deducere vicinitatem, sed horum nihil B stringit; imo aliquibus in locis ita se ipsum, ut mihi quidem videtur, confundit, ut nequeam illum intelligere, en ejus verba: *Ne somniavit quidem ille Historicus inferre, Romanos milites ab illa ripa Tiberis, in quam enataverant, deposito omni naturali affectu, ad proximum refugii locum propelli debuisse, quod sicuti ex verbis non potest colligi, ob scriptoris gravitatem etiam non est admittendum.* Hæc mihi in favorem meum dici videntur.

Et inferius: *Quod si major vicinitas obtinet, stupendum est, quod Romam ire neglexerint, sin æqualis prævalet, aut major distantia, & idcirco* C *plus itineris, aut ulterior a domibus propriis discessio, in miseris istis profugis, &c. videre est incredibile quid, ac portentosum.*

Et tamen miratur *Livius*, dicens: *major pars, &c.* Postremo sic argumentatur ille: *Galli erant ad flumen Alliam, & infesto agmine Romam petebant. Milites Romani debebant adversus Gallos Romam nuncium mittere & auxilium* (notetur mirifica hæc conclusio) *Ergo milites Romani a Roma aut propius, aut non ita multo longius aberant, quam flumen Allia.* Pergit: *Minor propositio fit: Atqui hi milites Vejis erant. Ergo urbs Veji a Roma aut propius, aut non ita multo longius, aberat,* D *quam flumen Allia.* Atque ita præclaro hoc argumentandi modo, quasi re bene gesta, exultans, contendit: *Stat syllogismus: valet conclusio.* 29

Exquisite, respondeo; sed nescio, quid velit. Ego recitavi verba *Livii: Major pars Vejos in hostium urbem cum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam, ad conjuges & liberos, fugerat.* Quæ clare ostendunt, milites *Romanos*, metuentes ne *Gallorum* præda fierent, *Vejos*, ut in locum munitiorem, & ab ipsorum invasionibus securiorem, sese recepisse; idque tanto magis, quod hi victricibus armis *Romam* peterent, illorum autem, *pavor fugaque occupaverat animos.*

E Excursio, quam facit pag. 52. de *Gallorum* tumultibus per tot eorum adventus ac recessus excitatis, longe major est illa ipsa, quam iidem *Galli* per omnem *Italiam*, L. annorum spatio, fecerunt. Quamobrem victas do manus; & quamvis mea etiam posset salvari opinio (per illa quæ pag. 95. a me allegata sunt) potuisse tamen *Gallos* istos aliunde, quam a *Campania Romam* venire, ut revera venerunt, omnino tamen ipsi Campum cedo, ut hæc lis hic decidatur; at non tamen ista de *Vejis*. 30

Dicit pag. 55. *Mici jam sectator est Defensor* F *Pseudo-Vejorum.*

Respondeo: MICUM priorem me fuisse, nemo negat: sed jam anni sunt XV. quum vellet in *Civitate* argumenta mea videre (ut Cives mei norunt) ego autem ipsius, vel potius (ut ipse dicebat & notum est etiam) parentis sui argumenta nunquam videre potui, se excusantis, quod *Romæ* illa reliquisset, &c. nisi quod tandem occasione Apologiæ M. S. & hæc & illa in manus meas pervenerint.

Quod autem *Pseudo-Vejorum* nobis notam impin-

pingat, nimis arroganter facit, ac præter id, quod hominem liberalem, qualem profitetur, decet: nam judicem simul & Accusatorem agit.

Livorem suum celare nequit pag. 66. dum me, quasi Magistri alicujus partes suscepissem, insimulat.

Quis autem id ipsum iracundius ac majori cum ostentatione, quam ille ipse, facit? Qui in animum inducat suum, non alterum elegantius quid assequi potuisse, nisi ex suis ipsius argumen-
31 tis? Atque idcirco omnem captat occasiunculam, ad me insimulandum; sed ne dubitet; captator iste & ipse captabitur. Dicit hoc loco; pag. 66.

Roma habuit quatuor portas tempore Romuli, & hic agitur de tempore Augusti.

Quis temporum hanc distinctionem non agnoscit? Supra dixi: *Urbes olim satis parvas fuisse, & Romam primis istis temporibus non nisi quatuor portas habuisse: ac solum Augusti tempore crescere cœpisse, & ædificia hoc tempore, splendore ac pulcritudine, antiqua longo post se intervallo reliquisse.* Nescio, quid velit, si sic sonant verba mea, ab ipso eodem hoc loco recitata, & a me in *Vejis* meis pag. 89. & 90. prolata.

Sæpius mihi vitio vertit: *Quod lassus a defendendo, animi causa in Adversarium mutor*, ut pag. 68. loquitur.

Non muto sententiam; sed cui libuerit contrarium defendere, ei ista suppedito argumenta, quæ mihi minus nota videntur, ac majoris efficaciæ; non autem ab ipso (etiamsi nonnihil eodem recidat) sumpta, ut videri poterit. Et ubi ille se totus diffundit, ac maxima vi in distantia milliariorum utitur, inde ego nihil assumo, imo in contrarium disputo.

Quod insuper asserit, *quasi libere postea affirmarem, me revera non aliter sentire*,

Hoc ipsius commentum est, nec unquam in meo libello reperietur.

32 Enimvero ridicula prorsus res est: quod iste homo de argumentis suis tantopere glorietur, ac si de cœlo illa venire, nec ulli humanæ menti, præterquam suæ illabi posse putaret; dolens sæpius, an jactans? nescio, uti pagg. 28. 66. & 68. *a me ipsi argumenta sua ablata esse.* Ut vera dicam; jam ab anno 1635. illud opus absolvi (licet postmodum illud aliquantulum locupletaverim) sed aliquamdiu ab edendo abhorrui tamen, quod & fortibus argumentis pro parte contraria repertis, causam hanc *per utrum* defendere meditarer. Tandem ob superabundantes, quas habebamus, rationes, in favorem nostrum illam pertrahere constitui. inde mox inductus fui, ad exhibenda in fine libri etiam argumenta illa pro parte contraria solidiora, quod minus nota, aliisque minus observata essent; veluti: *Saxa Rubra nullo modo potuisse esse Civitatis Castellanæ illa*, ob rationes, quas reperi apud multos Auctores, ab *Romæ* vicinitate valde magna: sicuti pag. 107. & seqq. ex *Tacito*, *Cicerone*, *Livio*, *Dionysio*, *Spartiano*, *Victore*, *Vitruvio*, *Martiale*, & *Cluverio* ostendi. Multis annis postea in manus meas pervenerunt illius manuscripta, eaque vere miratus sum (ut semper feci), sed ad corroborandum illud modo dictum argumentum, non nisi *Dionysius*, *Livius*
33 & *Tacitus* citabantur. imo toto ipsius libro nulli, nisi *Plinius*, *Cato*, & *Solinus* præter modo dictos apparent. Jam vide, an ego ejus opera indiguerim. Idemque de cæteris argumentis judicium esto, quæ animi causa (*per bizzarria*) contra me ipsum protuli; de quorum nonnullis ille *nec verbum quidem.* At ego præter Auctores supra allegatos cæteris meis argumentis adjunxi

A *Ovidium*, *Plinium*, *Straboncm*, *Plutarchum*, *Zonaram*, *Sigonium*, *Cursium*, & *Ugelium*, ipsi nequidem nominatos, sed tantum in impressis, postquam in *Vejis* meis illos reperisset citatos, ac laudatos. Ita ut se ipse interdum prodat, & palam faciat, rem e contrario, ac præ se ferat, comparatam esse. Si meam hic detego modestiam, se ipsum culpet, quod eo me pertraxerit. Quomodo ergo non pudet ipsum dicere: *me fundamentis suis insistere, recitatis tanquam meis?*

Quod ad conclusionem tertiam de *Vestalibus* spectat, quas ibi torsiones adhibeat, pag. 72. supra visum est.

B *Aurelii Victoris* locus, de certa distantia *Saxorum Rubrorum*, valde singularis est; & quantum videre potui, a nemine allegatus; quare illum a me una cum aliis multis productum solummodo possum dicere; at ille eo ornari vult: Felix, qui, quem sequeretur, habuit!

Miror equidem, cur *Cluverius*, Scriptor tam exactus, inter tot alia loca, quæ super *Saxis Rubris* allegat, non & hunc, qui tam probe ad rem faciat, produxerit; quum in viro tam studioso ac diligente, ejus ignorantia supponi nequeat; sed profecto neglectum ab illo hunc lo- 34
cum puto, tanquam Auctoris sublestæ fidei. At-
C tamen rationibus magis, quam auctoritate contentus, rem ipsam refero ad ea, quæ adduxi in *Vejis* meis pag. 77. 78. 79. 80. 81 & 87.

Quod dicit, *in antiquo illo Sacello, quod paulo plus quam decem milliaria a Roma conspicitur, Flaminiæ a sinistra, reperta fuisse corpora Sanctorum Marciani & Johannis, & inde postea in Civitatem transportata*,

Falsum est. Et Historiam, ab ipso pag. 103. citatam hisce prorsus contrariam legit; mimirum hoc modo: *eadem nocte* (qua Sancti *Abundius*, *Abundantius*, *Marcianus* & *Johannes* omnes quatuor martyrium passi sunt) *venit Theodora mater*
D *cum pueris suis, & posuit eos in vehiculo suo, & deportavit eos in prædium suum milliario ab Urbe Roma vigesimo octavo*, quod postea fuit *Rignano.*

Ibique addit: *ubi Corpora illa Sancta primo reperta sint.* pag. 103.

Si *Rignani* primo reperta fuerunt, quo modo hic dicit: *in isto Sacello? Et inde postea in Civitatem Castellanam transportata?*

Imo *Otho III.* Imperator, a *Rignano*, ubi primo condita, ac post DCC. circiter annos reperta fuerunt, *Romam* portanda curavit corpora 35
Sanctorum *Abundii* & *Abundantii*; *Crescentianus*
E autem Episcopus *Civitatis Castellanæ* corpora Sanctorum *Johannis* & *Marciani* in Ecclesiam suam; sic dicit Historia eorundem Martyrum pag. 25. & 28. Et illud Sacellum supra nominatum potuit esse locus Martyrii, qui fuit *apud Lubras.* Et tamen pag. 172. oblitus, quæ scripserat pag. 103. repetit: *in isto Sacello reperta fuisse Corpora Sanctorum Marciani & Johannis*; bis sibi ipse contradicens in Historia, quam ipse allegat.

Mirum ei videtur, pag. 77. quod dicam: *Rubras esse Lapidicinas illas, quas memorant Martialis & Vitruvius*: quum *Martialis* illas ut Castellum quoddam depingat.

F Ego autem dico, eundem illum locum, aut prope illum esse Lapidicinas istas a *Vitruvio* memoratas: *Sunt circa urbem Rubræ Pallienses, Fidenates, &c.* Quænam ibi est discrepantia?

Postquam multo cum clamore contendit, *Cremeram* finem fuisse inter *Vejentes* ac *Romanos*, quod ego neque negabam prorsus, neque concedebam; tandem pag. 78. se restringit, his verbis: *Cremera flumen non toto cursu suo ab ostiis ad fontes debebat esse finis inter Vejentem & Romanum, sed per aliquem tantum tractum. quare illo tractu,* qui

qui erat a latere Urbis, statuendum est, non fuisse
36 *finem, quum non sit verisimile, Urbi tam amplæ hostes fines suos extendisse ad muros usque.*

Sequitur pag. 79. *Etsi Cremera etiam Castellum dicebatur, apud Livium tamen, qui de nomine Castelli nuspiam mentionem facit, & quoties de eo loquitur, præsidium Cremeræ illud appellat, nomine Cremeræ intelligendum est flumen, & nihil aliud; etiamsi fictis illis Vejis Defensis id parum bene cedat.*

Respondeo (præter illa, quæ jam monui in *Vejis* meis pag. 88.) Et quando *Livius* dixit, *ante deductum Cremera Romanum præsidium*, quid intellexit, aquam an vero Castellum? nisi forsan præsidium illud jumentorum more vadatum ierit.

Fidenas etiam statim exstinctas fuisse vult pag. 83.

Et tamen multis post sæculis, tempore *Tiberii* (testibus *Tacito* & *Suetonio*) florentissima civitas erat, festis ac ludis, qui ibi celebrabantur; quando Theatri ruina supra viginti hominum millia perierunt. Imo *quinquaginta hominum millia* (ut *Tacitus* auctor est) *eo casu debilitata, vel obtrita fuere.*

Pag. 94. & 95. multa producuntur argumenta pro vicinitate *Faliscorum* cum *Civitate Castellana*, & *Veji* consequenter in mediis collocantur *Faliscis*, & *Soracti* monti annectuntur, qui tamen *Faliscorum* erat.

Respondeo: me jam dixisse in libro meo pag. 7. & 11. quo modo sese *Vejentanus* ager ad *Faliscum*
37 habere posset; cui autem ista non satisfecerunt, ac potius *un' oglia pudrida de Territorii* conficere videantur, is & hæc præterea consideret, quæ sequuntur.

Quum *Vejentes*, post multas clades a *Romanis* acceptas, primo paulatim Agro suo exuti, mox debellati sint, & Senatus, metuens, ne *Veji* rursus inhabitarentur, jusserit, ut agri *Vejentani septena jugera plebi dividerentur;* postremo etiam Urbs ipsa interierit: quis scit, an non prorsus spoliati fuerint, eorumque vicini istius Agri residuum deinceps usurpaverint? Quumque *Falisci* essent amici & Colonia *Romanorum* (apud quos odiosum erat nomen *Vejentium*) an non illis, ut vicinioribus, ac benevolentioribus divisa & assignata fuerit ista soli lacinia, quæ *Soracte* terminatur, atque ita hic postea *mons Faliscorum* dictus fuerit? Qui antea, *Vejorum* tempore, apud neminem hoc nomine appellatur.

Imo *Virgilius* lib. VII. ista loca describens; prout olim *Æneæ* tempore erant, *Soracte* a *Faliscis* distinguit, his verbis:

Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva.

Manifesto indicio, divisos fuisse primis istis
38 temporibus, ac diversas habuisse regiones; quarum catalogum (ut *Macrobius* dicit) ibi explicat *Virgilius*. Idemque *Silius Ital.* lib. VIII. (clariore adhuc distinctione usus) nobis ostendit:

Hos juxta Nepesina cohors, æquique Falisci,
Quique suos Flavina focos, Sabbatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, & sacrum Phœbo Soracte frequentant.

Horatius pluribus locis similiter *Soracte* per se ponit: idque quod *Plinius* refert de *Hirpiis* lib. VII. cap. II. plane nobis favet, quum de familiis illis, quæ agri *Faliscorum* erant, & *Soracte* frequentabant, verba faciens, ita loquitur: *Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes, non aduruntur.* A quo

A non dissentit ipse *Cluverius Ital. Antiq.* lib. II. quando ait: *Feroniæ lucus, & templum conterminum fuit Falisco agro, & monti Soracti;* idem paulo inferius de *Capena* dicit: *Ex his patet, Capenam cum luco Feroniæ, fuisse prope & Faliscorum, & Vejentium fines, & Soractem montem, &c.*

Adeo ut credere possimus, *Soracte* antiquitus non fuisse *Faliscorum;* quumque *Vejentes* præ odio *Romanorum* non amplius nominarentur, accensitum esse illum montem contiguis *Faliscis.* 39

Porro quod apud *Catonem*, *Strabonem*, aliosque istius sæculi Scriptores mons iste *Faliscorum* audiat, nihil mirum est; nam hi, prout res sese
B habebat, ac suis temporibus appellabatur, scripsere, cæteri autem antiquo solummodo nomine, absque ullo additamento novo, usi sunt.

Infiniti fuere *Italiæ* motus; & millies accidit, ut agri, & confinia regionum, & nomen & dominium mutarent; quemadmodum *Livius* (ut exemplo hoc confirmem) in principio libri X. de *Sora* narrat: *Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites.* Quin nostro quoque tempore nonne idem ditioni *Castrensi* (*dello stato di Castro*) accidit? *Sed in rebus tam antiquis, si, quæ similia veri sunt, pro veris accipiantur, satis habeam,* dixit *Livius.*

C Sequitur pag. 94. *Campi Falisci, quænam dici poterunt, nisi planities illæ, quæ Soracte Civitatemque juxta Tiberim interjacent?*

Ego nunquam neque legi, neque fando audivi, *Faliscos Tiberi* vicinos fuisse; sed probe scio, *Vejentes Tiberi* ac *Sabinis* vicinos fuisse: sicuti supra in Epistola, in *Vejis* meis, ut & in hac Apologia pag. 18. aliquoties ostendi.

Et in frontispicio sub porticu Ecclesiæ Cathedralis *Civitatis Castellanæ* lapis positus est ante mea tempora, in quo leguntur hæc verba:

D *CLEMENTI OCTAVO* 40
PONT. OPT. MAX.

Qui octo præcipuis S. R. E. Cardinalibus comitatus, Pontis molem super Tiberim inter Vejentes, & Sabinos a Sixto V. felic. rec. olim delibatam, modo suo jussu, & ære constructam, oculata fide exploraturus ad Vejos divertit, &c.

Quæ confirmant opinionem antiquam, *Vejentes* nimirum, non autem *Faliscos* ad *Tiberim* conterminos habuisse *Sabinos:* Sicuti *Plinius* id clare
E dixit lib. III. cap. V. *Ubi* (referente Castalione) *infra Ocriculum ventum est, loca, quæ Tiberis præterfluit, enumerat: Tiberis,* inquit, *per CL. millia passum non procul Tiferno, Perusia, & Ocriculo Etruriam ab Umbris, ac Sabinis, mox citra XIII. millia passuum Urbis Vejentem agrum a Crustumino, dein Fidenate Latinumque a Vaticano dirimens, &c.*

Hic juxta *Tiberim* campos *Faliscos* recenseri non video.

In descriptione *Vejorum*, quam facit *Dionysius;* his verbis: *Distabat Roma centesimo stadio: erat Athenis non minor, fundata in excelso, & undique prærupto scopulo, &c.* Scriptoris istius ille mise-
F retur pag. 97. hoc modo: *Pauper Dionysius quatuor res duobus versibus dicit, distantiam centum stadiorum, æqualitatem cum Athenis, altitudinem saxi,* 41
& præcipitium undique abruptum: Prima negatur prorsus, Altera conturbatur ita, ut refutetur, Tertia, quæ altitudo est, voluit ut intelligatur potius in superlativo gradu. Quarta, quæ concernit vocabulum undique, *discrete trium tantummodo partium respectu explicatur.*

Respondeo. Quod ad primam: indicavimus

mus cum *Castalione* errorem, qui subesse potest. Secunda nuspiam refutatur, nam iste situs *Athenis* æqualis poterat esse, & major. Tertia falsa est, quoniam sufficit altitudo, quæ ibi est, & quam ille 300. *Cannarum hyperbolice sumptarum* credit esse. Quod ad Quartam: verum est, opus esse discretione; inque eo consentit ipse, quando dicit: *cum grano salis:* Verum an non meminit se dixisse pag. 60: *vocem*, circumscissus, *non carere hyperbole, nec intelligendam toto suo rigore de saxo undique prærupto?* Imo clarius pag. 64. addit: *se non intelligere præcipitium ab omni parte abruptum*, ut infra etiam videbimus. Quid igitur de sese pariter ac aliis idque immerito queritur?

Viam inter Nepete & Civitatem, nullius usus fuisse dicit pag. 101. *antiquis temporibus; quia, præterquam quod ne ullum quidem ejus rei signum reperiatur; in occursu Civitatis subsidat per rupem tam præcipitem, ut horreas, & quotquot ibi pertranseant, ab equo descendant.*

42 Respondeo. Et ista via usus est Papa *Julius Secundus* cum omni suo Comitatu, ut in Itinerario suo narrat Cardinalis *Hadrianus*, & *Paris de Grassis*, in *Vejis* meis pag. 19. citati. Idemque refert *Johannes Broccardus* (qui simul ipsi a Cœrimoniis, & *Civitatis Castellanæ* Episcopus fuit) Diarii sui libro octavo, his verbis: *Papa ex Nepe veniens introivit Civitatem Castellanam per portam Burgiensem, & equitavit usque ad Ecclesiam Beatæ Mariæ de Arcu, ubi accepit amictum, stolam, &c. Postea equitavit ad Ecclesiam Civitatis, in qua benedixit populo, & rel. Postea se recepit ad Castrum* (Arcem puta, ab ipso perfectam, ubi septem dies moratus est) &, quod notandum est, quo *Bononiæ* iter majori industria promoveret, duobus diebus anticipatis (sic pergit idem *Broccardus*) *transtulit Festum Sanctorum Johannis, & Marciani, quod celebrare debebat die Martis 16. Septembris, ad Dominicum* 14. *ejusdem &c. Interfuit missæ majori cum sex Cardinalibus sedentibus, &c.*

At quæ via, quæ paulo sit infrequentior, vel etiam ex frequentissimis, non habet suas id genus incommoditates, pro locorum, ubi reperiuntur, natura? Tritissima via *Italiæ*, uti est illa, quæ *Roma Lauretum* fert, plenam huic rei fidem faciet, quoties inter præcipitia, quæ illic occurrunt, vitandi periculi causa, e vehiculis descendendum est. Supponere etiam oportet, tempo-
43 ribus debitis vias istas restaurari, ne incuriâ prorsus devastentur, ut huic nostræ contingit, qui parvi usus est. Per antiquas autem, ubi in usu fuere, nonne reperiuntur dumeta, fruticeta, talesque saxorum asperitates (*sconolgimenti*) quæ illas prorsus inutiles reddunt? & quota quæque hodie teritur, quæ omni prorsus antiquitatis vestigio careat?

Magna circa milliaria sub judice lis est (*è in campagna*) de quibus ille pag. 101. Sed quoniam libri mei pag. 61. & 109. satis fuse egi, nihil aliud dico; mihique sufficit, quod antiqua ac hodierna differant; & ille id denuo ratum habet pag. 102. quando dicit: *diversissima a nostris hodiernis sunt.*

Miror solummodo, quod homo tam strenuus ad fucum mendicatorum auxiliorum confugiat, ubi tot exquisitis probationibus instructus est; quamobrem ego præ pudore, quo suffundor, hoc loco lubens tres falsas hypotheses annotare supersederem, quas in brevi sex tantummodo linearum periodo prodit; nisi ipsius veritatis defensio me ad illas detegendas compelleret, ne ita ad vivum resectus (*intaccato*) esse videar, ac tales notas mihi impingi patiar.

Prima est, ubi ille dicit: *Restat ultimum De-*

A *fensoris refugium, quod est rixam movere circa diversitatem milliariorum antiquorum.* Altera: *qua postulat, ne ullius milliariorum, qui legitur apud Scriptores, numeri ratio habeatur.* Tertia: *sed rixa sua sese ipse irretit, quia quotquot exempli causa allegat, hodiernis pariter cuncta minora sunt.* 44

Quod ad primam attinet; Ego nunquam de diversitate milliariorum antiquorum locutus sum, sed, uti videri est in libro meo pag. 60. & 109. dixi: *Milliaria hodierna milliariis istorum temporum non præcise respondere.* Idque exemplis manifestis *Rignani*, *Ameriæ*, & *Sulmonæ* adstruxi.

B Quod ad alteram: pag. 62. dixi solummodo: *juxta sæcula* (de antiquis & hodiernis loquens) *tantam milliariorum variationem in iisdem intervallis reperiri;* quemadmodum etiam dixi pag. 10. *Vejorum a Roma distantiam tam varie poni apud Historicos, ut nemini illorum secure fides haberi queat*, propter ibi subjectas rationes &c. non autem dixi (*generice, nec specifice*, ut ille opponit) *nullius milliariorum numeri rationem habendam esse.*

Quod ad tertiam. Ecquis nescit, milliaria antiqua hodiernis minora esse? Eaque adeo adduxi; & supposui etiam pag. 80. ubi dixi, XXX.
C milliaria hodierna XL. circiter antiqua facere. Exempla item *Rignani*, *Ameriæ*, ac *Sulmonæ*, quid aliud declarant, quam antiqua (in iisdem intervallis) numero plura, diversa, & minora hodiernis esse. Hoc autem: si non præcisius dixi; ut rem notam prætergressus fuero; aut saltem non contradixero. Quid igitur mihi imputat? 45

Hæc sunt arma, quibus digladiatur Adversarius meus.

Idque quod de *Ponte Centeno* & *Centesimo* adducit pag. 103. & 104; ut & alia exempla, quibus nobis jugulum petit: cuncta conformia sunt
D istis, quæ ego adduxi: quapropter, quid sibi cum tam magnifico apparatu (*col tanto sbragiare*) velit, nescio.

Quum dixerim: *Tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit* (*observandum hic Tarquinium ab Etruscis divisum*) docet me pag. 106. *ibi non de Tarquiniensibus, sed de Tarquinio Rege, agi.*

Idque quum videat me statim subjungere: *Ut omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Vejens, Tarquiniensisque suas quisque abirent domos.* Quis non intelligit, per istum *Tarquinium* intelligi Principem cum suis?

E Quum dixerim argumento meo quinto: *Camillum adversus Vejentes cum exercitu Roma profectum, ut eo perveniret, fudisse prius in agro Nepesino Capenates & Faliscos, &c.* & *Vejos petentem prius obviam habuisse hostes in agro Nepesino;* me criminatur, quod *verba Livii adducam, quæ id non dicant, ut & Plutarchi, quæ mihi contraria sunt;* dicens:

Si Camillus copias duxit adversus Faliscos, quomodo igitur verum est, Roma eum profectum esse adversus Vejentes? & ut Vejos perveniret? 46

Respondeat *Livius*: *Profectus, cum exercitu ab Urbe*, cum iis, quæ sequuntur, usque ad: *Inde ad Vejos exercitus ductus.* Jam de verbo *flectere* non
F illum, sed *Calepinum* audio, qui clare dicit: *Flectere iter, est iter instituere* (inviarsi) *& reflectere, est retrorsum flectere.*

Sed obstupesco, quum Investigatorem, circa profectionem *Camilli* a *Roma*, *Vejentibus* obviam euntis, tam strenue laborare video, ut contrarium evincat, inque eo quatuor sermonum (*diecerie*) paginas consumere: quum supra pag. 108. etiam dixerit:

Temere supponi, Camillum Roma egressum Vejos petiisse;

petiisse; aliasque contradictiones, &c.

Ego redarguendo simili errori (non opinionis ipsius puto, sed pervicaciæ) accommodatioribus verbis uti nescio, quam suis ipsius, quæ in me vibrat pag. 52. quamobrem, jam tempus esse mihi merito videtur, ista in illum, & ex vero quidem, retorquere.

Itane vero? hoc dicit? Vide, quam non inspexerit historiam, antequam calamum hic arriperet? Quare *Camillus* novum exercitum contraxit? Pro qua expeditione votum fecit, antequam *Roma*
47 proficisceretur? Profectus, ubi primo commisit prœlium, ubi deinde victoriam prosecutus est? *Mecum eat, neque contentus legisse solum pauca illa textuum verba, non longe discedat*, imo propius accedat, ut paucula ex superioribus etiam legat, *& campos Historiæ peragrando in rem præsentem veniat.*

Veniat, & inspiciat hic Livium, eodem lib. v. ubi de bello *Vejente* verba faciens: *Igitur fatalis Dux*, inquit, *ad excidium illius urbis, servandæque Patriæ M. Furius Camillus Dictator dictus, &c. Omnium, primum in eos, qui a Vejis in illo pavore fugerant, more militari animadvertit, &c.* Et mox: *ipse interim Vejos ad confirmandum militum animos intercurrit; inde Romam ad scribendum novum exercitum redit, &c. Peregrina etiam juventus, Latini, Hernicique ad id bellum venere: quibus cum gratias in Senatu egisset, ludos magnos ex S. C. vovit, Vejis captis, se facturum, &c.* Ac deinde subjungit: *Profectus cum exercitu ab Urbe, &. in agro primum Nepesino cum Faliscis, & Capenatibus signa confert, &c. Inde ad Vejos exercitus ductus.* Et Plutarchus: *Post vota*, inquit, *Camillus, &c. Deinde ad Vejorum obsidionem flectit iter.*

Observa, quæso, illud: *Primum in agro Nepesino*, deinde illud: *Inde ad Vejos*, &c. vel illud: *Deinde ad Vejorum obsidionem, &c.* ubi apparet, illud *Primum* fuisse medium accidentale, illud *In-*
48 *de* autem, sive *Deinde* proprius, ac præcipuus ejus finis. O quum opportune dixit ille: *Historiæ probe insistendum esse.* Et, si *Livium* paulo superius legisset de *Genutio* ac *Titinnio*, ab ipso hic allegatis, non supersedisset, credo, legere verba sequentia, quæ modo adduxi, cuncta *Vejos* concernentia. Quo ore igitur dicit: *me verba Livii adducere, quæ id non dicant, & Plutarchi, quæ mihi sunt contraria?* Sed video, [1] calliditatem nimiam interdum ingenium pervertere.

Inter potiora argumenta, quæ pro *Vejis* habemus, unum est Tertium illud de *Sabinorum* cum *Vejentibus* vicinitate (visum etiam supra pag. 22. & 27.) alterum Quintum argumentum est, de *Camillo.* Et utrumque Adversarius noster tam strenue non nisi cum præclaro illo extorsionis ac negationis textuum effugio oppugnat.

Quid hoc aliud est, quam *fiancheggiare* & *serpeggiare*; quod mihi exprobrat pag. 121.

Et addit insuper pag. 110. *Et verba illa: Deinde ad Vejorum obsidionem flectit iter; nonne sententiæ definitivæ sunt, Vejos non fuisse Civitatem Castellanam?*

Nescio, quæ sententia definitiva ista sit; si omnia sic obtinet, [2] præclare nobiscum actum est.

Ex decem Argumentis a *Mico* adductis tria mihi etiam falso attribuuntur pag. 112. nempe
49 Quintum de *Cava Furiana*, sextum de *Campo Fabiali*, & septimum de loco dicto *la Rotta del Campo*, quorum nunquam rationem habui, nec mentionem feci; atque ita etiam Nonum mihi assignatur, in quo non solum de sigillo, sed etiam de Traditione, cæterisque de rebus, ab

1 *Accortezza.* 2 *Stiamo freschi.*

A Auctoribus hodiernis in favorem nostrum memoratis, egi. Et tamen ille

Pag. 129. dicit: *Præcedentia decem argumenta etiam in Vejis Defensis adducuntur.*

Hoc loco patet, ipsi non alium finem esse propositum, quam exiguum id, quod præstiti, attenuare, *Mico* me non solum inferiorem, ipsiusque sectatorem, sed etiam Exscriptorem faciens, quo me deprimat. Perlustrentur Argumenta mea serio, certus sum, tale quid nuspiam repertum iri, qualia hic homo fingit, & depingit: nisi, quod argumento XI. *de Cremera* per occasionem obiter *Campum Fabialem* attigerim;
B sed argumenti loco nequaquam recensui, ut ille supponit. Ita ut septem solummodo forent rationes, de quibus inter nos convenerit, ac restant plusquam decem aliæ, quas *Micus* ne cogitavit quidem unquam, nedum attigit.

Hæccine autem certamina ac sermones, inter Bonos agi solita sunt? Vanæ mihi potius imposturæ videntur. Et legit tamen procul dubio apud *Cic.* de Orat. *Primam esse historiæ legem: ne quid falsi dicere audeat.* Quæ fuse explicatur ab *Augustino Mascardi* Art. Hist. tract. II. cap. III.

Dicit pag. 117. *Si supra Arcem sese extendisset* 50
C *urbs, ubi sese explicat planities, major ejus pars planitie, ipso situ parum munitâ, comprehensa fuisset &c.*

Imo, inquam, si magnitudinem *Romæ* atque *Athenarum* adæquare potuit, planitie ista & magna quidem pro parte opus habebat; nec usui erant montes infausti ac scopuli. estque ibi planities satis pulcra, & situ habitabilis, sed probe munita, & extremis partibus ac scopuli confiniis prærupta, utpote fossis valde profundis circumdata.

Quia autem ab ista planitie continua sola hac Arcis parte scopulus non est abruptus, dicit, *illum cum verbis Dionysii, undique prærupto, nihil com-*
D *mune habere.* pag. 117.

Nec videt, se sibi ipsi contradicere, qui supra pag. 60. voluerit: *Dionysii vocem illam*, circumscissus, *non carere hyperbole, nec intelligendam toto rigore de saxo undique prærupto.* Imo pag. 64. clare dixit: *Etiamsi Dionysius fundatam urbem Vejos dicat in scopulo celso, & circumscisso, non tamen intelligere præcipitium ab omni parte abruptum.*

Oportet esse memorem.

Vult, me dicere: *supra Arcem reperiri antiquæ sepulturæ reliquias.* pag. 118.

Quam facile verba mea immutat, & diversimode adducit? Ego dixi pag. 90. *Videri locum il-* 51
E *lum habitatum fuisse propter aliquot monumenta antiqua & sepulcralia, quæ ibi reperiantur.* Et commodum [3] Primarius noster Sacerdos *Porphyrius* (nam præter hanc occasionem illud indicare supersedissem) litteris mecum communicaverat nuper, Rusticum quendam supra prædictum locum, *Valsiarosa* appellatum, non longe a monumentis quibusdam antiquis, quæ post vineas occurrunt, arantem, aratro suo effodisse aliquot aquæductus plumbeos, ad unius duarumve unciarum crassitudinem: non prorsus rotundos, sed a parte superiori acutos, cum pulcherrimis characteribus fusilibus in hanc formam:

F DAPHNVS FEC. AVRELI. LVC

reliqua desiderabantur, quod aquæductus integer non esset, sed frustatim repertus.) Referre mihi videntur tempora probatiora *Antoninorum*, similes prorsus istis, qui *fusilibus litteris* in fundamentis Collegii *Romani*, & Sancti *Ignatii* reperti fuere; & quos, ut *Hadriani*, *Narcissi*, ac *Matidiæ* pag. 294. de-

3. *Arciprete.*

descripsit, & delineavit *Donatus (il Donati)* lib. III. cap. XVIII. dicens esse (illos aquæductus) *lato, hiantique, qualis majorum Bombardarum extrinsecus solet esse, tubo: nec omni ex parte tereti, ac rotundo, sed paulum acuminato, ut latius, qua fluebat in imo aqua, spatium esset.*

Et sic quod de *Antiquis monumentis*, non *sepulcralibus* dixi, constat.

Attamen pergit pag. 118. *Nec videt, id potius*
52 *contrarium evincere. Si ibi sepulturæ locus fuit, situ ab urbe divisus esse debuit.*

En alterum, quod me dixisse vult: *Posito uno absurdo, &c.* Non dixi generaliter, ibi sepeliri solitum fuisse, sed ibi esse, seu exstare *aliquot monumenta antiqua, & sepulcralia, (alcune anticaglie, e sepolture.)*

Deinde: aut revera monumenta illa antiqua ac sepulcralia erant primorum istorum temporum: & poterant ita intra urbem exstructa esse: quoniam nondum exstabant leges XII. Tabularum, quæ hoc vetabant. nam illo sæculo commodum, quo hæc promulgabantur, *Vejentes* debellati sunt: Sed quid dico? Quid *Etruscorum* intererat, quibus legibus *Romani* uterentur?

Aut postea facta sunt illa sepulcra. Et Magnatibus quibusdam, & illustribus, aut in aliqua dignitate constitutis hominibus permittebatur sepeliri intra urbem, ut mos iste ex multis, quæ *Romæ* erant, sepulcris intelligi potest, atque annotatur a *Thoma Dempstero* Antiq. Roman. lib. V. cap. XXXIX. & lib. VIII. cap. VI. Quando dicit: *Verum etiam post latas XII. Tabulas fuerunt quidam in ipsa Urbe sepulti* (& exempla ejus rei profert) *quos tamen legibus solutos virtutis causa id consecutos fuisse Cicero existimat.* Sed quid verbis opus est? Nonne in ipsa urbe *Vejis* erat sepulcrum *Glitii Galli?*

Eadem pag. 118. patet nimiam subtilitatem illum ad ineptias redigere; ubi summo cum stupore video: illum ab *Orvieto* similem etymolo-
53 giam trahere, dum illud nomen *idem sonare* facit, *quod Urbs Vejentum.*

Dicit pag. 120. *Non potuerunt isti Sancti Roma versus decimum lapidem ad Martyrium euntes de propinquo Stabiam præterire.*

Potuerunt, inquam. (idque ipsius more adsevero.) quoniam *Lubram* petebant, non autem *Saxa Rubra*, quæ (ut dixi in *Vejis* meis pag. 77. & 78. a *Lubra* diversa erant.

Addo, quod nullo modo idem esse potuerunt, quandoquidem tempore *Diocletiani*, qui circa annum Domini nostri CCLXXXIV. vixit, pariter utrumque floreret; nempe: *Lubra* (ut legitur in historia quatuor Martyrum) oppidum Viæ *Flaminiæ* vicinum, nominatum etiam a *Frontino*, qui *Nervæ* ac *Trajani* temporibus vixit (ut supra dixi pag. 77. & 78) & *Saxa Rubra* locus in ipsa *Flaminia*, qui tum reip. temporibus (ut apud *Ciceronem* & *Livium* citatos in argumento meo decimo videre est) tum etiam temporibus Imperatorum *Vespasiani*, *Severi*, & *Constantini*, nomine isto appellabatur: sicuti apud *Tacitum*, *Spartianum*, & *Aurelium Victorem* reperiri notavi in libro meo pag. 108. ubi ex eodem *Victore* ostendi, *Maxentium*, quum ad *Saxa Rubra* pervenisset, &c. Inde a *Constantino* depulsum, fugaque
54 sese ad *Pontem Milvium* recipientem, ab eodem ibi victum ac superatum esse circa annum Domini CCCXII.

Ita ut *Saxa Rubra*, & ante & post *Diocletianum*, dicta sint, quum florerent etiam, urbs *Lubra*, & alter ille locus a *Vitruvio* ac *Martiale Rubræ* dictus. Quare credendum est, cuncta a se invicem diversa fuisse: vel certe, si vel maxime velimis dicere, *Rubras* ac *Lubram* idem fuisse, diver-

A sum quid *Lubram* ac *Rubras* a *Saxis Rubris* fuisse.

Quæ ratio autem postulat, ut loca quædam ejusdem nominis distincta sint, illa autem, quæ nomine differant, unum idemque sint.

Pagg. 124. 182. & 192. aliquoties mendacii me insimulat, ac ipse solus Veridicus vult haberi.

Sed pulcrum illud Sancti *Ambrosii* dictum nescit: *Morale est omnibus, ut, qui fidem exigunt, fidem astruant.* Non vult mihi credi illud ferrum acutum armorum hastilium, missiliumve, quod vidi & collegi, sed ipse per stuporem suum in fungos transformavit; & sibi credi vult glandes illas plumbeas, quas reperit, & ipse pro oliva-
B rum animabus salutavit. Si ferri istam a me repertam copiam videre ipsi lubet, Musæum *Angelonii*, ut & *Civitatem Castellanam* adeat. Quæ ille reperit credo, nec me tanta istorum admiratio tenet.

Pag. 129. vitio mihi vertit, quod cum cæteris etiam *Scoppam* & *Galesinum* commemoraverim. 55

Sic sane admittit reliquos illos præstantissimos viros, quos nominavi. Mihi animus erat, quam possem plurima in favorem nostrum colligere (quem in finem addere etiam potuissem *Franciscum Stellutium*) quum scirem, hac parte potissimum nos laborare. Et pondere pariter ac nu-
C mero Adversarios longe superavimus.

Pag. 130. *Baronius*, aliique reprehenduntur.

Vellem vel unicum saltem monstrari mihi Auctorem, quocum hic homo, quando secum non facit, non, tanquam de injuria sibi facta, expostulet.

Dicit pag. 131. *Tres illas Urbes sibi invicem contiguas seu conterminas fuisse, merum est mendacium. Contigui seu contermini erant populi, sed de Urbibus eorum principibus, nemo est qui dicat.*

Et tamen adducit verba mea (superius hic allegata) quæ non loquuntur de Urbibus, sed de populis; ubi dixi: *duobus hisce populis vicini erant*
D *Vejentes.* Quæ hæc est oscitantia! vel ut melius dicam, quis spiritus contradictionis! qui ubi detrahendi occasionem non habet, nasci facit; crediderim potius, præ ira illum oculos amisisse.

Quod dixi de vinis tenuioribus; apud antiquos in minori pretio fuisse habita, quam gravia, id auctoritate locorum, XIV. argumento allegatorum, probavi, quum reperiantur *Massica* generosiora languidis *Vejentanis* contradistingui. Cæterum ille etiam suam opinionem probe defendit pag. 132. tantum in *Martialis* disticho illo:

Vejentana mihi misces, tibi Massica potas: 56
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

E Illum errare video, dum de Vino *Vejentano* poëtam dicit tam parvo contentum fuisse. Quum non sit verisimile, illum vini istius odore (si quidem tanto crassius ac fæculentius fuerit) delectatum fuisse, & contempsisse *Massicum*, quod fragrans ac melius erat. præterquam, quod in verbis: *Olfacere hæc malo pocula*, particula *hæc* juxta regulas Grammaticales ad vicina *Massica*, non autem ad *Vejentama* remota referri debeat; idcirco Poëta vina *Vejentana* (quibus Amicus ipsum per jocum excipiebat, reservatis sibi bonis *Massicis*) respuens dixit:

Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

F scilicet illa. Atque ita etiam Commentatores hunc locum exponunt.

Opponit pag. 135. *Quare ex illo fragmento marmoris SACRÆ JVNONI reperto in Sanctæ Mariæ del Arco, quæ Ecclesia Cathedrali opposita est, tanquam alterum caput diametri istius Urbis, non potius consequentiam, eamque solidam trahit, Civitatem non fuisse Vejos?*

Respondeo. Eodem plane modo, quo ille ex marmore suo VICTORIÆ AVG. colligebat

Insulam fuisse *Vejos*, & nos ex nostro colligimus, *Civitatem* pariter fuisse *Vejos*; & quamvis ipsius illud marmor non obtineret locum proprium, ubi ab initio positum fuisset; hodie nihilomi-
57 nus transportatum reperitur (sicut nostrum) in Ecclesiam istius loci, ac vasis aquæ Sanctæ (ut ipse refert) usum præstat.

Quid, quod & ex monumentis, quæ *Romæ* olim erant, aliquot hodie *Constantinopoli* reperiantur?

Sed hac de re pressius infra, ubi ad pag. 142. responsuri sumus.

Nec mihi quis dicat, marmor illud *Insulanum* clare de *Vejentibus* loqui, nostrum non item. Hoc, inquam, non minus clare, quam illud, loquitur, utpote expressum continens nomen *Junonis*, quam a *Vejentibus* in templo nobili adoratam, (ut indicavi argumento XV) in eorum excidio *Camillus* victor solemniter transportandam *Romam*, & in *Aventino* collocandam curavit, quemadmodum lib. v. *Livius* dixit: *Integramque in Aventinum æternam sedem suam, quo vota Romani Dictatoris vocaverant, perlatam. Ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.*

Eadem pag. 135. dicit: *Vejis, ante expugnationem, nec character, nec idioma Latinum erat.*

Quæri ab ipso potest: unde illud hauserit, & quomodo probet? Non est autem verisimile ob vicinitatem *Latii*, neque cognitionem, neque usum Linguæ *Latinæ* apud *Vejos* fuisse. Sed (præter mille conjecturas, quæ afferri possent) senex ille Aruspex *Vejentanus*, qui postquam in agro
58 vaticinatus esset: *Priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret, nunquam potiturum Vejis Romanum*; in Senatum perductus est; qua lingua locutus est? non *Etrusca*, nam *Livius* clare dicit lib. v. collocutum esse cum *Romanis* pariter atque *Etruscis*, dum in stationibus suis ac militaribus excubiis ea de re inter se contenderent: *Jam per longinquitatem belli commercio sermonum facto.* Atque adeo *Latine* locutus est, & ab omnibus intellectus.

Et quod ad marmor SACRÆ JVNONI attinet, etiamsi *Vejis* istius Deæ simulacrum non amplius exstaret, nonne ibi templum tamen remanere poterat? sive integrum, sive semirutum? æque ac in *Faliscis*, ubi solemnitatibus eorum tot sæculis ab ipsorum expugnatione *Ovidius* interfuit.

Dicit pagg. 136. & 140. *Habitata igitur est Civitas sub Romanis, adeoque non fuit urbs Veji.*

Nego consequentiam; quia utique *Romani Vejos* (seu *Civitatem*) inhabitarunt, quum facta esset Colonia, &c. Cuncta igitur e contrario se habent.

Æsculapii illud PRO VEIENT. inducit: negat omnia, ac plane

Se gradì solo, e fuor di se in altrui,
Sol qualch' effetto de' begli occhi sui.

Sequitur eadem pag. 136. *Profecto oculis Vejorum urbe gravidis, omnia videntur esse Veji.*

Dico: Verissima sententia est, ipsi approbata,
59 mihi vero plausibilis; nemo enim majori cum voluptate concipit, ac in mente format *Insulæ* ac *Formelli* secretas illas cavernas ac rubeta, ut aliquos inde *Vejos* tandem edat, quam ipse facit.

Quodque magis stupendum est, reperit in illis tractibus, imo parturit mirabiles quosdam abortus quaternorum quinorumve *Vejorum*, de pulcritudine inter se certantium. pagg 184. & 186.

Præprimis ipsi locus occurit, pagg. 193. & 191. qui, quantumvis *hodie in campos ac sylvas* totus *divisus*, ut ait, portas tamen ac plateas adhuc refert, cum trium palmorum cuniculo, quum ulterius visu penetrari nequeat.

A *Idque ipsum Camilli opus esse, ad penetrandum in Arcem, quis*, inquit, *dubitare potest?* pag. 190.

O suavis credulitas! Quasi vero bis mille annorum spatium non sufficisset ad istos locorum situs transformandos, ne ab ipso recognoscerentur, atque ad eorundem descriptionem, quæ apud Auctores occurrat, repræsentarentur!

Imo pag. 193. *Ibi*, inquit, *auditur Livius animo intonans verba plebis: cum pulcherrima Urbs Veji, &c.* ac nomina etiam *Fieji*, & *Vieji*, & *Jella* confert pagg. 185. & 193. quæ singula ipsi *Vejos* corrupte sonant.

Quod porro asserat, *Insulam*, tractumve ei
B vicinum esse veram *Vejorum* sedem; dico, plures illud implicare difficultates, quam si *Civitatem Castellanam* dicas; nam si *Civitas*, ut *Blondo* placet, non potest esse *Veji*, quia *Tiberis* inde nimis longe remotus sit (qui nondum duo inde mil- 60
liaria abest) quid *Insulæ* fiet, quæ XII. circiter milliaria a *Tiberi* abest? Ut omittam *Sabinos Etruscis* vicinos fuisse, iisque proximos *Vejentes* (juxta *Livium* ac *Plinium*, quos supra vidimus) adeoque *Civitatem*, quantumvis a *Roma* remotiorem, *Tiberi* tamen ac *Sabinis* valde vicinam esse; *Insulam* autem e contrario *Romæ* nimis vicinam, atque a *Sabinis* ac *Tiberi* etiam nimis dis-
C terminatam.

Dicit pag. 138. *Umbricum castellum olim fuisse tali nomine, quis potest dicere?*

Cato, inquam, aliique, & hodierni collatio; & quamquam hic Auctor dubiæ fidei est, *antiquitatis tamen non omnino contemnendæ* illum appellat *Panvinus*.

Opponit pag. 139. *Sed quotaquæque Familia antiqua nomen a Patria, ut ille dicit, habuit?*

Respondeo: Plurimæ, cum a Patria, tum a Provinciis, aut locis expugnatis, ut sunt familiæ *Tarquiniorum* a patria *Tarquiniis*, *Collatini* a *Collatia*, *Africani*, *Coriolani*, &c. Idem accidit Do-
D mibus nonnullis nostrorum temporum, quæ hodieque florent.

Hic paulo post subjicitur: *Multa cognomina & agnomina Romæ erant ab Urbibus aut Provinciis derivata*, &c.

Ego vero repono: An cognomina non sunt
familiarum nomina? ergo hæc saltem ab Urbibus 61
aut Provinciis derivabantur, ut hic dicit.

Imo, si nomen & cognomen omnibus ac singulis, qui sint ejusdem familiæ, communia sunt, ac speciatim solo prænomine quisque distinguitur; observandum est, in *C. VMBRICIO VEIENTANO* nostro, sive hoc, sive illud a loco sit
E derivatum, conjunctionem illam τῷ *Umbricius* cum τῷ *Vejentanus* omnino facere ad propositum nostrum: quum centum alia similia cognomina derivata sint (sicuti dicturi sumus) a patriis, aut a locis expugnatis, aut ab aliquo alio titulo: quemadmodum exempli gratia in Fastis legimus: *C. Aquinius Tuscus*, *A. Claudius Sabinus*, *L. Sergius Fidenas*, *Ser. Sulpitius Camerinus*, & similia.

Eadem pag. 139. me videtur reprehendere, quod *pompam duxerim* (ut ille loquitur) *antiquitatum Patriæ.*

Non ignorat ille, quantum ei debeamus, quibusque incitemur stimulis etiam ad illam aman-
F dam. Et quoniam hinc plenæ sunt chartæ; afferam hic duo tantum testimonia, alterum Poëtæ, alterum Oratoris. Prius *Ovidii* est, de *Ponto*:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Alterum est *Ciceronis* in Somnio *Scip. Omnibus,*
qui Patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, 62
certus est in cœlo, ac definitus locus, ubi beati ævo sempiterno fruantur.

De

De *ARTI VOLVMNIO* recte dicit, pagg. 139. & 140. Nam Exscriptor me decepit; non tamen aliquid fundamenti in eo posui, ut ille supponit, siquidem obiter tantum per modum conjecturæ illud retuli, nec in argumentorum serie collocavi. Sic etiam *Capracori* illam considerationem coronidis tantum loco apposui, &c.

Cæteras illas varias Inscriptiones non adduxi ad colligendum, *Civitatem Castellanam* fuisse *Vejos:* sed ad evincendam urbis antiquitatem; sicuti legit in libro meo pag. 40. ubi dixi, me illas producere, *ut mendacii convincerem illos, qui contenderent nullum ibi antiquitatis signum occurrere.* uti *Cursius* fecit, &c. Excipit me nihilominus his verbis: *Hæ autem pariter monstrant, illam non fuisse Vejos, nam ex ipso contextu patet, factas iis temporibus, quibus Veji jacebant jam destructi.*

Quis autem hoc nescit? Sed ecce, quam opportune Captator ille capiatur.

Unam harum Inscriptionum, dictam *VICTORIÆ AVG.* in suum usum adhibet, pagg. 142. & 187. quam tanto cum clamore apud *Insulam* esse jactat, idque nemini præterquam sibi soli cognitam esse; hæc ipsi *Vejos* digito monstrare, atque in lucem producere videtur; de qua ipsissimis suis verbis ei repono:

63 *Et hæc pariter monstrat, illam non fuisse Vejos, nam ex ipso contextu patet, factam in tempore, quo Veji jacebant jam destructi:* scilicet (ut ex Consulibus colligere est, qui in ea memorantur, & a me in *Vejis* annotantur) mille annis a *Roma* Condita & CCL. ab nativitate *Christi.* Quid ergo?

Sequitur porro, pag. 188. *Hoc autem marmor nonne sufficiens erit testimonium de Vejorum situ?*

Respondeo: Excellentissimum! Sed oblitus est, se in M. SS. suis pag. mihi 5. dixisse: *Nullum argumentum infirmius est ad probandos locorum situs, quam illud, quod a marmoribus petitur, nam transportari possunt, & revera inde semper transportantur.*

Per ipsum res decisa est.

Pag. 146. circumstantias *Vejorum* proprias ad *Fescennium* etiam vult trahere, quando dicit: *Et quis auctor est, Fescennii non fuisse?*

Habemus utique de *Vejis: Magnificentia publicorum, privatorumque tectorum:* Et, *Opum, ac deliciarum splendore clarissima;* &, quod ipse ex *Plutarcho* adjungit: *Urbem omnibus rebus ornatam.* Quod de *Fescennio* non legimus.

Dicit pag. 149. se non credere, *destructionem Faleriorum a Zonara ad libitum memoratam esse, utpote confirmatam etiam a Floro, Marcellino, & Jornande.*

Repono: hoc inter nos convenit. Sed isti Auctores non ideo etiam testantur, quod nos
64 quærimus, scilicet, *aliam in planitie conditam,* ut dixit *Zonaras.* Quem, quum, tuendæ meæ opinionis gratia, oppugnare conor, non ob hanc rem ei omnem fidem adimo. Væ *Cluverio, Baronio,* aliis, si ob contradictiones sibi ab ipso factas, omnem fidem amiserint! Quotquot autem contra *Aristotelem, S. Thomam,* & *Virgilium* scripsere, numquid de eorum gloria vel hilum detraxerunt? Verbo suo: *discreditare* (q. d. *omnem fidem alicui adimere*) cuperet quidem aliis omnem adimere fidem; sed nihil novi accideret, si contrarium aliquando ipsi eveniret; ac suo solius infortunio ingemiscens, cantaret hunc versiculum:

Heu patior telis vulnera facta meis.

Sequitur pag. 150. *Sed Fastos Consulares Capitolinos, quos citat, non vidit.*

Fastos *Capitolinos* nunquam vidi, fateor, neque citavi, at Fastos Consulares *Antonii Contii,* & *Cassiodori,* profecto & apud me habeo, & vi-
A di: in quibus multos *T. Manlios Torquatos,* aliosque *A. Manlios Torquatos* reperio, sed Collegam *Q. Lutatii* reperio tantum *A. Manlium,* nuspiam autem *A. Manlium* cum *T.*

Super ista *Ovidii* Elegia XII. lib. III. *Amorum,* gravissimas contentiones audias, *ac pro suo quemque judicio* (ut ipsius verbis utar) *illam torquere* video; sed necesse est proprium hic textum repetere, ut pateat, quid de re tota sit:

Cum mihi pomiferis Conjux foret orta Phaliscis:
Mœnia contigimus victa, Camille, tibi. 65
Casta Sacerdotes Junoni festa parabant
Per celebres ludos, indigenamque bovem.
B *Grande moræ pretium ritus cognoscere, quamvis*
Difficilis clivis huc via præbet iter.

Reliqua istius Elegiæ de Festi illius ritibus agunt.

Ex his versibus nihil aliud eruetur, nisi quod, quum conjux ejus e *Phaliscis* esset oriunda, utrique placuerit, ad spectandum sumptuosum illud Festum, quod ibi celebraretur in honorem *Junonis,* eo concedere; & quamvis ascensus valde incommodus fuisset, operæ pretium nihilo minus ipsum spectaculum fuerit. Jam vide, quid ille ex hisce colligat.

Primo: *Versu secundo,* inquit, *omnino loquitur*
C *de Faleriis primis, sed non idcirco inde efficitur, habitatam fuisse.*

Attamen, inquam, a populo ibi magnum Festum celebrabatur: Quænam inde consequentia trahi potest? Deinde nonne infra scripti versus asseverant, habitatam fuisse?

Ducuntur niveæ, populo plaudente, juvencæ.
It per velatas annua pompa vias.

Deinde; *oblatam* dicit *ipsi occasionem esse videndi Falerios primos destructos.*

Respondeo: si per *victa* intelligit *Ovidius destructa:* do manum Investigatori. Sed quomodo ex istis versibus *Falerios* veteres, & *Falerios* novos,
D primos, & secundos eruat, nescio; ego ibi non 66
nisi unicos *Falerios* recognoscere possum, quo festinabant; tum quod patria conjugis esset, ubi illa debebat habere sua bona; tum quod ibi prædictum Festum spectare vellent; & credo potius *Roma* illos eo pervenisse, propter vim istius versiculi:

Difficilis clivis huc via præbet iter.

Dicit pag. 151. *Fallerii hodierni sedes non est in planitie.*

Ego tamen locum vidi, neque magis in plano mihi videtur stare posse. Et *Cluverius,* quem pag. 147. citat, nonne illum aperte *positum in*
E *planitie magna* testatur?

Pag. 152. *Fallerio* applicat ista: *Confragosis circa, & partim arctis, & partim arduis viis.*

Quæ mihi videntur isti loco applicari non posse; ac *Faleriis* antiquis tantum convenire. Nec, unde hauserit, scio: *Si Ovidius Fallerio Civitatem Castellanam ivisset, nullum ascensum fecisset.*

Credo: sed quis illum cogit ad viæ necessitatem istam? Tota hæc ipsius chimæra est, ab omni parte vero dissimillima.

Pag. 153. *Falerios* in *Borgetti* planitie reponit: quod non probatur; nam si erat *in Flaminia inter Ocricolos, & Romam:* illud *inter* non bene ad
F viæ dimidium, nedum ad portionem aliqualem adaptaretur, quum *Ocricolis* nimis vicina, a *Roma* nimis remota est; ita eum sufficeret dice- 67
re: *In Flaminia post Ocricolos ultra Tiberim.*

Quia dixi: *Si fecero poscia Colonia de' Romani* h. e. *postea facti sunt Colonia Romanorum;* ille pag. 154. *non poterant,* inquit, *populi Coloniæ Romanæ fieri suo arbitratu.*

O Critica subtilis! sed tali viro parum digna. Quis illud: *si fecero,* pro *effecti sunt,* & *non se fe-*

cerunt, non accipiet? Tribus autem locis, ni fallor, *Coloniæ* mentionem feci; pag. 14. dixi: *e dall' hora in quà si fecero soggietti, e Colonia de' Romani:* secundo: *doppo che i Veji (gia divenuta Colonia) furono superati:* tertio; qui hic est de *Faliscis*, reprehendor, libri mei pag. 105. *e si fecero poscia Colonia de' Romani.* Sed si legeret proxime sequentem versum, hanc Coloniam *a* III. *Viris esse assignatam;* concederet profecto, me primo, atque iterum ac semper intellexisse Coloniam per se ipsam fiere nullam posse. Sed ille dissimulat legisse, ne quam occasionem me reprehendendi amittat. Porro si me de idiomate linguæ accusat: non alio utor, quam Communi illo Aulico, quo solemus dicere: *doppo si fecero le nozze, li giuochi, li banchetti, e simili:* [Latine ad litteram: *deinde se fecerunt nuptiæ, ludi, epulæ*] quæ tamen etiam non a se ipsis, sed ab aliis celebrantur seu fiunt.

Sed si in Censorem tam severum incidere sperassem, majori cura operam dedissem, ut actiones hasce leves effugerem. Quamquam, qui
68 *Vejos* ipsius *Investigatos* perscrutari voluerit; non unum solum, sed centum, id genus, σφάλματα in iis deprehendet. veluti in præcedentibus pag. 79. ubi utitur vocabulo (*mai*) pro negativo; & pag. 143. bis particula (*le*) in dativo masculino pro (*gli.*) pudet me tales minutias observare. Et hæc ipsi valde usitata, non tamen a bonis recepta sunt.

Dicit pag. 155. *Augusti tempore Civitas omnino habitabatur, & non Colonia, sed Municipium erat.*

Unde, inquam, hoc novit? & quomodo appellabatur? Si in Inscriptione, a me adducta de *Magistris Augustalibus*, hanc suam opinionem fundat: inde nunquam *Civitatem* eruet, quamquam in *Civitate* reperta sit.

De cujus antiquitate deinceps bene Investigator differit, nec *Massæ* ullo modo consentit, qui dicebat, *non reperiri illic memoriam antiquiorem tempore Adriani IV.* cui contradixi, & in libro meo, pag. 121. multo majorem antiquitatem ostendi, quam ille credebat. Et hic insuper etiam addo; quod, quum paucis abhinc annis a Sacerdotibus nostris nescio quid foderetur in *S. Cratiliano* (sub fornicibus suggesti Ecclesiæ Cathedralis) ibi reperta fuerit Basis, sive Ara marmorea solida (quæ hodie, deficiente solummodo particula quadam in latere dextro, omnium conspectui exposita reperitur in eadem Ecclesia) & sicuti ex characteribus colligitur, facta tempore *Con-*
69 *stantini Magni*, postquam, ille per totum terrarum orbem exstrui publice Ecclesias jussisset; & *S. Sylvester* itidem constituisset, ut cuncta Altaria ex lapide fierent. Quod marmor certissime cognoscitur, non aliud esse posse, quam Altare istorum temporum, nam præter magnam, quam in fronte refert, Crucem, opere anaglypho, & incavatam a parte superiori arculam reponendis reliquiis (super quibus jam antea *Felix Primus* constituerat, ut celebraretur) etiam in sinistro latere exhibet verba sequentia:

DEDICATA IDIBVS APRILIS
DN. N. CONSTANTINO M. AVG.

Ex quibus confirmatur verissimum esse, quod de *Civitate Castellana* dicit *Ugellius*, quodque loco supra citato retuli: quanquam interim haud negandum sit, multo jam ante Episcopali dignitate fuisse ornatam, &c. & sicuti Investigator dicit, cum ob situm conspicuum, tum ob copiam tot marmorum, non potest non ab antiquis temporibus habitata esse.

Quod deinde dicat pag. 156. *Destructa urbe Fallerio sedes Episcopalis Diœcesios Faliscæ Civita-*
A *tem translata est, aut si hic jam etiam fuerit Episcopus (cujus nulla memoria exstat, quum in nullius Concilii subscriptione amborum nomina appareant) huic alteri commendata & conjuncta fuit.*

Falsa est, inquam, parentheseos hæc ultima 70
periodus, nam præter id, quod jam libri mei pag. 113. commemoravi [1] de semel tantum facta harum Ecclesiarum unione &c. observare licet in Concilio *Romano*, celebrato sub *Leone Quarto* anno DCCCLIII. distinctas subscriptiones utriusque Episcopi prædictarum Ecclesiarum, eodem tempore factas, nempe *Rodericus Castellanæ*, & *Johannes Faleritanæ*, &c. Ex *Baronio* Annal. x.

B Quum primo dixi, *Civitatem Castellanam* nominis sui originem ducere potuisse ab istis *Castellis*, circum *Vejos* exstructis, ac postea destructis: lusi in vocibus: *Colonos Castellanos*, quæ apud *Dionysium* occurrunt; alterum autem, quod posui, de *Castello*, vera sententia mea erat, cui & ipse applaudit, &c.

Quod *Castellum* (unde nomen suum trahere potuit *Civitas Castellana*) suum dicit argumentum pag. 159.

Respondeo: potuit ipsi de hac opinione mecum convenire; sed jam annis ab hinc quinde-
C cim hoc scripsi, neque unquam ab ullo homine audivi; & bene mecum actum existimo, quod id tanquam meum non convicietur, at contradicat; sed nimirum suum etiam est.

Volaterranus, inquit pag. 161. *non loquitur de Viano (sicuti Defensor Civitatis refert)*

Respondeo: Nunquid flagitium est, *Viano* pro *Veano* accipere? Nonne etiam hi homines *Volumnium* pro *Tolumnio* accepere? Et quot ille 71
nomina mihi immutavit ac imputavit?

Si hic parvus error meis scriptis irrepsit, inde factum est, quod crederem, corrupte idem esse, sed non ut ei quicquam derogarem (ut ille mihi
D imputat) qui nunquam animo tam tetro fui.

Porro nimis quidem rigida censura est, velle Viro Litterato, uti *Volaterranus* est, unica littera *i*, derogari statim fidem.

Dicit pag. 163. *Portam Carmentalem non fuisse lateris Trans-Tiberini, sed a parte Latii.*

Verum est; sed a *Latio* ibant in regionem *Trans-Tiberinam.*

Ubi Palatium Sabelliorum est, dicit *esse Theatrum a Marcello factum (il Theatro fatto di Marcello)*

Bene dixisset, & suffecisset, ibi fuisse *Theatrum Marcelli*, sed quod addat illud *fatto*, [qua-
E si *Marcellus* ibi Theatrum hoc exstruxisset] dico errorem esse, quia *Marcellus* nunquam aliquod Theatrum fecit, idque, quod de ejus nomine appellatur, omnes a *Cæsare* inchoatum, deinde ab *Augusto*, in honorem *Marcelli* istius Nepotis sui, instructum seu absolutum volunt.

Hic non ignoscam ei, tanquam parum exercitato, ut ille mihi fecit pag. 150. quod non vidissem *Fastos Capitolinos*, sed ut parum diligentem ac minus accuratum accusare possem.

Dicit pag. 163. *Pons Sublicius collocatus erat* 72
inter Portam Trigeminam & Carmentalem, ubi Ripa magna est.

F Respondeo: Melius dixisset *inter Portam Carmentalem & Trigeminam, apud Ripam magnam:* sed nec etiam exquisite. Et si inter has duas Portas erat, a *Carmentali* ad istum Pontem brevis ambitus relinquebatur, adeoque exeuntibus ab illa ob commoditatem publicam debuit etiam alia via esse ad redeundum, uti videbimus.

Sed probe perspicio, illum nescire, ubi olim fuerit *Porta Trigemina.* Ego longum viæ tractum

---

1 *per una sol volta l'unione di queste due Chiese, & prima Crescentiano solo Vescovo di Civita.*

ctum reperio ab ista Porta, ad eam ripam Tiberis, quæ est e regione Ripæ magnæ, unde haud procul, si antiqua vestigia advertamus, prædictus Pons esse potuisset; sed si scriptorum quorundam auctoritati locus esse debet, hi ponunt illum post Pontem Senatorium (hodie *Sanctæ Mariæ*) & *Trigeminæ* vicum (quæ hodie est Porta *Sancti Pauli*, alio translata primo a *Claudio*, deinde, ubi nunc est, restaurata a *Belisario*) sed olim paulo propius huc accedebat, & juxta communem sententiam, ubi maxime hodie est *Schola Græca*, antequam *Aventinum* ascendere incipias. Et certum est, referente *Livio*: *Ædiles extra portam Trigeminam, in Aventinum, porticum stravisse.* Et *Panvinus*, aliique, & recentior illis *Alexander Donatus*, in *Roma* sua, accuratissime illam
73 ponit *apud Scholam Græcam cis Aventinum.* Si autem hic istius Portæ locus est, quomodo inter hanc & *Carmentalem* poterat *Sublicius* ad Ripam magnam stare? *Sed* (ut ipsius verbis utar) *quodam pacto hæc omnia in ipsius Idea disponi possunt*?

Rogat porro eadem pag. 163. *Si per Carmentalem egressi sunt Fabii, ubi deinde flumen trajecerunt, ut pervenirent in Thusciam?*

Dixi: per *Sublicium*, quum istis temporibus non alium ibi haberent Pontem. Ille audacter hoc negans, ita pergit:

Qui egrediebatur Carmentali, tergum obvertebat Sublicio, qui intra Romam erat.

Respondeo: *Sublicius* erat ad *Ripam magnam* sub radicibus *Aventini*, ubi ad hæc usque tempora apud *Salinas hodiernas* ejus fundamenta in *Tiberi* comparent (quemadmodum cum multis aliis *Palladius* & *Marlianus* volunt, & in eorum sententiam concederem lubens) idque probabile est, quia inter illas, ac *Pontem Sanctæ Mariæ* non alia antiquitatis vestigia conspiciuntur: nec ab ullo quidem Historico proditum est, ibi alios Pontes aut ædificia, præter illum *Sublicium* fuisse (qui postea lapideus factus, *Æmilius* etiam dictus est) & in hoc casu non poterat esse inter Portam *Carmentalem*, & *Trigeminam*, quoniam necessario extra hanc, adeoque extra *Romam*, erat. Quumque *Aventinus* Pomœrio non
74 comprehenderetur usque ad *Claudium* Imperatorem, Pons etiam, qui illi adjacebat, necessario extra Pomœrium erat. Nam si *Insula Tiberina* extra Urbem erat, multo magis *Trans-Tiberina* regio, & *Janiculus* (prout multis testimoniis evincit idem ille *Donatus* lib. I. cap. VI.) quæ loca quamvis circumdarentur muris, ut *Aventinus*, non tamen idcirco isto tempore intra Pomœrium erant; & sic Pons ille, quum extra illud Pomœrium esset, omnino excludebatur, neque ullo modo intra Urbem erat.

Vel, si Pons iste (ut alii volunt) inter ambas has portas erat, non poterat ad *Ripam magnam* esse, quia *Trigemina* (ut vidimus) erat apud *Scholam Græcam*, & procul ab illa *Ripa*, ita ut Investigator utrobique intricetur ac toto erret cœlo. Atque hoc modo *Sublicius* etiam prope *Carmentalem* deberet stare, quare exeuntibus, quamvis *Sublicio* terga obverterint, commode tamen alia via restare debebat ad Pontem illum, uti dictum est, & dicetur amplius. *Fabii* igitur per *Carmentalem* egredi potuerunt, ac revertentes brevi post, muros seu habitatam Urbis regionem propter *Tiberim* deinde *Sublicium* conscendere, ut in *Thusciam* pergerent: quandoquidem, nisi volaverint, non alia via restaret.

75 Si porro iter suum longius fecerunt, id vel ex voto, vel pro lubitu, fecerunt, ut ceu pompam exercitum suum circumducerent, qui (ut *Livius* dixit) *admiratione hominum per Urbem incessit.* Ac si clarius hoc sibi expositum cupit, le-

A gat hæc Festi verba: *Religioni est quibusdam Porta Carmentali egredi, & in Æde Jani, quæ est extra eam, Senatum habere: quod ea egressi sex & trecenti Fabii apud Cremeram omnes interfecti sunt; cum in Æde Jani S. C. factum est, ut proficiscerentur.*

Certum est, inter *Tiberim* ac Urbem Pomœrium fuisse, circa quod *Livius* libro primo a *Tullio* mandatum fuisse refert: *Ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam contingunt; & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod
B post murum est, quam quod murus post id Pomœrium Romani appellarunt.* Quum notum etiam sit ex *M. Messalla*, hoc *per totius Urbis circuitum* fuisse; adeoque viam eamque facilem ibi necessario fuisse, quia ab omni parte ad Pontem prædictum perveniri posset. Et commodum *Livius* incendium quoddam describit, quod *Punici* belli secundi tempore eadem via exarsit, hisce verbis: *Mox extra Carmentalem per Ripam Tiberis in Fortunæ, ac Matutæ Templa debacchatum est usque ad portam Trigeminam.*

Jam vero per *Ripam Tiberis* non intelliguntur 76
ædificia *Tiberi* annexa, sed via, quæ hunc inter
C ac domos vicinas, aut muros erat, ut clare nobis ostendit *Suetonius* in *Tiberio* cap. LXXII. qui *Romam* repetens, *triremi usque ad proximos Naumachiæ hortos subvectus est, disposita statione per Ripam Tiberis, quæ obviam prodeuntes summoveret.*

Idem *Tacitus* asserit, circa finem libri tertii *Hist.* ubi dicit: *Tripartito agmine, pars ut astiterat Flaminia Via, pars juxta Ripam Tiberis incessit, tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat.*

Quum eodem recidant Scriptorum testimonia, statuendum est, *Sublicios* duos fuisse (sicuti revera
D fuere) sed unum post alterum: hoc est, alterum ligneum loco antiquo apud *Scholam Græcam*, factum ab *Anco Martio*, alterum lapideum, factum ab *Æmilio Lepido* Prætore, prope *Ripam magnam.* Sed quia ob viarum commoditatem apud priorem postea *Senatorius* exstructus est; *Æmilius*, in restaurando priori ex lapidibus, ne tam vicini *Senatorius* ac *Sublicius* essent, hunc in locum paulo inferiorem transportavit, & ad sufficientem distantiam ab altero collocavit (dictus est autem *Sublicius* pariter atque *Æmilius.*) Et hic est pons ille, cujus hodieque vestigia ac fundamenta apud *Ripam magnam* conspiciuntur. 77
E Sed videamus, in quem scopulum Investigator a contradictione impingat, ead. pag. 163. Fingit Pontem, qui ibi nec est, nec fuit, nec erit unquam. (Et parum non esset, si unus ex istis, qui desiderantur, refectus fuisset.) nam omnes scriptores, veteres ac recentiores, non nisi octo Pontes admittunt, qui omnes, a *P. Victore* recensiti, plane noti sunt. Quamobrem si illic omnino fuit ista via temporibus illis primis, quid quæso chimæris istis, ac præter mentem omnium Historicorum nove inventis Pontibus opus est?

Dicit porro eadem pag. *meis memet verbis me intricare.*

F Neque quicquam hic intricatius quam ipsum video. Non concedit, *solum Janiculum fuisse portam, qua Romani in Thusciam exspatiarentur*; legat *Panvinum* in *Urbe Roma*, ubi ipso statim principio, quo de isto monte loquitur, reperiet: *Janiculum (inquit Sex. Pompejus) dictum, quod per eum Romanus Populus primitus transierit in agrum Etruscum.*

Gravis error est in eo, qui tam libere campos Historiæ percurrat, quinquies, sexies, aut septies

ad eundem lapidem offendere. Sed humanitati nostræ ignosco; & concedens in sententiam *Justi Lipsii*, quam scriptam reliquit in fine Dispunct. Cod. Mirand. his verbis : *Pauca adeo, non omnia, homines scire nati sumus ; nec firmiter*
78 *scire : humano generi error concomitatur. Frustra volumus omnia ad liquidum perducere, & ad unguem exigere: aut homo aut ætas alia aliud suggeret, & docebit.* Assero verissimam esse propositionem ab Investigatore libri sui pag. 67. factam: *Examinandis, & impugnandis ac refellendis alicujus dictis requiri multo plus lucis ac studii, quam alii quidem crederent.*

Pergit tamen asserere pag. 164. *Sublatis duobus illis Pontibus, quos extra Romam supposuisset, supposuerat ipse, non alia via in ullam Etruriæ partem perveniri potuisse.*

Falsa est hypothesis, quæ ipsi mentem occœcavit. Nonne supererat *Sublicius*, quem diximus, qui in regionem *Trans-Tiberinam*, ac *Janiculum*, quæ in *Etruria* sunt, ferebat? An non clare dicit *Livius* lib. v. *via, quæ Sublicio ponte ducit ad Janiculum?* Sed suæ opinioni insistebat ille, quod non crederet a *Carmentali* retroflecti potuisse, ut supra ostendi, per ripam *Tiberis*, quum iste tractus ad Pontem usque paulo plus quam tres quatuorve sclopeti ictus efficere posset.

Quod si *Fabii* per istam Portam Religionis causa exierint, nonne potuere per eandem etiam regredi, ut per *Sublicium* in *Etruriam* transirent?

Reprehendit me pag. 169. quasi *Massam* fecerim dicere, *Vejos fuisse Rignano.*

Dixi ex mente illius Scriptoris: *Vejos potuisse esse, ubi hodie sit Rignano*, quum esset *inter Tiberim, maritimam regionem, atque agrum Nepesinum.*
79 Neque istis ipsius verbis : *ubi nunc est oppidum Arinianum*, deceptus sum, sed *Castalionis* illis, quibus *Massam* reprehendit, quod *Arignano faveat, & Vejos ibi collocet, quod oppidum ab Urbe viginti absit passuum millia, quot apud Livium Vejos distare Appius dicat.* Sed ille in observandis rebus alienis, nullis qualibuscunque minutiis ignoscens, an talionis pœnam evasurus sit, nescio.

Dicit pag. 175. *Ipse, qui Doctor utriusque Juris est, & hoc titulo prodit.*

Si *Capannacciis* gloriari potuissem, ut ille, non
A solum dissertationi meæ id inseruissem, sed ipso statim principio in Tabula Geographica, ac pariter ad finem libri in Indice rerum, locum ipsum collocassem, quo omnibus innotesceret, *Vicum Matrini* meum esse patrimonium seu possessionem. Sed quum nec fortuna nec meritis tantum polleam, curta ista, quæ domi mihi erat, supellectile contentus fui. Et quamvis in edendis multis aliis libris nullo unquam titulo me insigniverim, in hoc tamen iste pruritus me invaluit, ac titulo ornatus prodii, ut ipse vicissim ad idem faciendum invitaretur.

Et hoc titulo *Felix Contilorius* in modo edito
B libro suo, qui *Genealogia Fam. Comit. Romanorum* inscribitur, plus mihi superbire videtur, quam quod *Prælatus* & *Canonicus S. Petri* audiat. Quidni autem & ego hoc titulo gloriarer, quum tot erudita ingenia sese eo ornaverint? an ego id primus, aut usurpatione falsa id feci?

Dicit pag. 194. *Inter Pontem Milvium ac Portas, quæ sub Capitolio erant tria sunt, futura fere quatuor milliaria, si a Columna Fori computationem exordiare.* 80

Res valde nova est. Cumuli loco integrum milliarium isti spatio, quod est a Portis & radicibus *Capitolii*, ad *Campum Vaccinum*, adjicere.
C Bene alio loco ipse dixit : *O quantus est Impostor affectus?* Omnia autem Itineraria, ab ipso adducta, ac toties repetita, non nisi de tribus unquam ab ista Columna ad Pontem milliariis mentionem faciunt.

Clausulæ loco hic isto *Urbani* versiculo videmur uti posse:

O vanas hominum curas & inania vota!

Qui in scriptis alienis totus quantus *Argus* videri vult, proprio idem affectu occœcatus sæpius in Talpam degenerat. Quapropter libere hoc loco subscribere nobis licet: *Non omnia possumus omnes. Omnia bene dicere, in aliquo non errare, potius di-*
D *vinitatis, quam humanitatis.*

Ego vero & ipse confiteor, me tempus meum in hoc negotio nimis inutiliter perdidisse: Sed Cœlorum dispositionem non potui non sequi; nam juxta Ecclesiastem : *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.*

FINIS.



IN-

INDEX
NOMINUM ET RERUM NOTABILIORUM.

Pa-

F I N I S.



POMPEJI ANGELOTTI,

J. U. D. Romani,

DESCRIPTIO
ET
ANTIQUITATES
URBIS REATE,

Sabinorum Antiquissimæ,

Saturni & Rheæ quondam Regiæ.

Ex Italo Latine vertit, Notulis, Indicibus atque Capitum Argumentis auxit

SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Editio nova, priori præstantior atque emendatior.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographus.

NOVÆ EDITIONIS LECTORIBUS

S. P.

SIGEBERTUS HAVERCAMP.

*Vino vendibili, quod ajunt, non opus est suspensa hedera. Itaque Vos paucis dimittimus. Nam Auctor quis sit, ex addito ejusdem cognoscere est Elogio. Quæ vero & quanta exiguo hoc contineantur Libello Capitum docebit Elenchus. Hunc enim accuratius persecuti sumus, ut & vicem Præfandi expleret, & uno quasi obtuitu cuncta atque singula ante oculos simul proponeret. Quod ad cætera, Interpretis, & fidi, officio functi sumus, nihil addendo, nihil demendo, id enim Interpretationis exigit regula, nec enim (ut opinor) quisquam aliud, quam quod Interpretis est, a nobis exiget. Id de ipso Libello dictum volumus, nam & Notulas, ubi necesse visum, adjecimus, * Inscriptiones Veteres, Angelotto*

* *Inscriptiones Veteres*] Incognitæ seu præteritæ *Pompejo Angelotto*, tamen ad memorias *Reatinas* spectantes hæ sunt. Ex *Grutero* pag. CCXLVIII. Num. 6.

Romæ.

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI PARTHICI
FIL. DIVI NERVAE. NEP.
TRAIANO HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB.
POTEST. COS. II. P. P.
. IIII. VIR. VIAR.
Q. TAMVDIVS. Q. F. PALAT.
GRAIVS. VIENNA.
L. AVRELIVS. L. F. OVF
TYRANNVS. INTERAMN. NAHAR.
TI. IVLIVS. TI. F. STEL
VERECVNDIANVS BONONIA.
Q. TAMVDIVS. SEX. F. ARRIVS
REATE. FAC. CVR.

Ex eodem pag. CCCLIV. Num. 3.

Reate.

C. ANNAEO C. F.
QVI. PVDENTI
MIL. COH. III. PR. VET.
C. ANNAEVS. C. F. QVI.
PASTOR.
IIII VIR. IVR. DIC. AED.
P. L. MAG. IVV. Q. R. P.
PATRI DVLCISSIMO.

Ex eodem pag MXXX. Num. 5.

Romæ apud S. Agnetis, via Nomentana.

D. M.
CASSIANVS HIPPARCHVS. EQ. REAT
HOC MONVMENTVM CONIVGI SVAESINAE.
FECIT.

Ex eodem *Grutero* pag. MXXXI.

Reate in Cippo.

C. OCTAVIO. C. F. VERO
PAST. PVBL. A. SIG
LEG. VIII
DEDVCTVS AB DIVO
AVG. REA....
OCTAVIAE. C. L. RVFAE
SECVM. CONIVGI Φ
C. OCTAVIVS. TROG.
OMNI HONORE.....
C. L. R. V. H. S.

Ex *Reinesio* pag. 221.

LVAE SACRVM.
L. ALBANIVS L. F. CLAVDIA
SABINVS RHEAT.
PRAEFECTVS FABRVM
ALETR. VI. VIR. AVGVST.
PATRONVS. COLONIAE
EIVSDEM II. VIR. QVINQ.
TER. D. D.
T. FL. DOMITIAN. AVG. IX. T. VIRGINIO
RVFO COS.

to incognitas, notavimus, varias earundem Lectiones indicavimus, Veteris Editionis paginas ad oram adjecimus, Indices collegimus & disposuimus, accurate omnia ut ederentur prospeximus. Vos valete atque istis pluribusque fruamini.



EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO

CARDINALI DE BAGNO, EPISCOPO REATINO.

Pia mea observantia erga EMINENTIAM VESTRAM, sanguine hæreditata, atque cordis affectu creta, amorque Patriæ, qui natus simul cum anima, una cum vitæ ordine adolevit, amabili vi atque jucunda necessitate coegerunt debitum Tributum, in communi felicitate, afferre PRINCIPI PASTORI vigilantissimo, Patriæ benigne concesso ab illo, quem Magnum Vicarium suum Rex Regum constituit.

Hocce Tributum, intimo cordis servitio, EMINENTIÆ VESTRÆ præstando, atque naturali in Patriam affectu absolvitur. Utrique autem satisfaciam parti, EMINENTIÆ VESTRÆ quidem rude Carmen, & pro tenuitate mea accinens Idyllium, quod Patriæ contineat laudes; Patriæ autem ipsi, descriptione rerum gestarum ab Augustissimis Heroibus progenitoribus EMINENTIÆ VESTRÆ, quæ pluribus etiam Mundis sufficientes, præclara sua laude eandem illustrarunt.

Gaudebit hæc certe multo multum Regiâ Antiquorum REATINORUM gloriâ in compendium redactâ, felicior jam Paterna EMINENTIÆ VESTRÆ Protectione, quam olim laudatissimorum Imperatorum incunabulis.

Triumphabunt Cives mei, Domino gaudentes, qui Caput est Nobilissimæ Domus COMITUM GUIDORUM, Regiæ illius & fœcundæ Excellentissimorum Principum; sed & insuper suis virtutibus conspicuum, multa nova Ornamenta Majorum suorum adjungens Imaginibus, sepultosque tanquam honores REATINÆ Urbis excitans virtutibus, quæ supra nostram sunt commendationem.

Ego quoque præclara ejusdem benignitate, ut & communis Patriæ meritis honoribus incitatus, tanto magis testabor obsequii mei promptitudinem, sicut & nunc perpetuæ EMINENTIÆ VESTRÆ servituti, non sine summa humilitate, meipsum devoveo & addico.

Romæ XV. Julii, Anno MDCXXXV.

REVERENDISSIMÆ EMINENTIÆ VESTRÆ
Multum devotus atque obligatus servus

POMPEJUS ANGELOTTUS.

ALL'

E L O G I A.

ALL' EMINENTISSIMO E REVERENDISSIMO
C A R D I N A L E D I B A G N O.

I. *VANNE, Sacrato Heroe, dove ti guida*
II. *Del Santissimo URBAN l'amica Stella,*
III. *Nel Cor d'Italia, * à quell' antica è bella*
IV.* *Regia, di glorie altrui ministra, e fida.*

V. *Se'n quel beato Sen Rosa s'annida,*
Suol ben spesso acquistar pompa novella;
Che'l Serafin terren propitio à quella
Fa, in Vatican che l'Oro all' Ostro arrida.

VI. *Qui più Sommi Pastor posaro il piede,*
VII. *Quì stabilì Saturno il suo bel Regno,*
Quind'Ugolin, di PIERO hebbe la Sede.

VIII. *Quivi nascendo hebber tre Augusti un segno.*
IX. *Di Rea quest' è Città, del nome herede;*
Quivi acquisto farai tu ancor più degno.

* Perche il mio sentimento, come racchiuso in pochi versi, non sarà così facilmente da tutti capito, mi è parso conveniente aggiugner' alcune reflessioni, acciochè meglio s'intenda.

P O M P E J U S A N G E L O T T U S
L E C T O R I S A L U T E M.

Mirari haud debes Urbis tam Antiquæ tamque Nobilis Memorias tam angusto constringi volumine. Persuasum potius habeas offerri Tibi hic opusculum, quod

—— *in exiguo corpore magna premit.*

Sed neque consummatam Tibi hic trado Historiam, verum *Idyllium* quoddam cum simplici ejus explicatione. Animus enim non fuit Annales texere Historicas, ne scilicet devius a studio Legum, cui me addixi, aberrem, verum Notas quasdam atque Observationes singulariores Patriæ nostræ in publicum edere. Neque nego satis magna volumini istis & similibus impleri posse, verum lubens hunc honorem meliori cedo ingenio.

Ante omnia vero precatum Te volo, ut ita hunc meum interpreteris laborem, qualem ipse haberi volo, conatum scilicet, ne Memoriæ hæ, maximam partem industria mea ex chartis atque libris MSS. collectæ, perirent atque extinguerentur; excusatum etiam meipsum, si forte quidam in scripto hoc inveniantur errores, sive Orthographiam spectantes, sive Latinitatem Veterum Inscriptionum passim allegatarum, ita enim in Marmoribus atque Inscriptionibus inveniuntur. Alios vero * errores typothetarum seu correctorum admissos incuria, ad finem Libri emendatos videbis.

* Erores] *Curavimus ut hi omnes fuerint in ipso Opere sublati.*

H Y A C I N T H I G I L I I
J. U. D. R O M A N I
E L O G I U M.



OMPEJUS ANGELOTTUS V. J. D. Reatinus *historiarum compendium scripsit Civitatis suæ, in quo, præter cætera, quæ laudabiliter, copioseque tractavit, ejusdem Civitatis Viros Illustres, & omni laudum genere cumulatos diligenter recensuit. Permulti enim semper in ea floruerunt Viri, tum admirabiles ob vitæ sanctimoniam, Christianarumque virtutum incomparabilem observantiam: tum multi celebres propter doctrinam, ac litteras, multiplicemque in artium liberalium studiis eruditionem: tum etiam multi, quos Bellicæ Laudis studio gloriaque ab otio, quieteque subtractos, inter Hostium acies, armorumque tractationem virtus fecit esse clarissimos. Et quidem hoc industriæ suæ Partu, Pompejus, præstanti se virum ingenio præbuit, virtutisque suæ specimen clarissimè demonstravit: cunctisque inde licet facile existimare, quantum Patriæ suæ splendoris, ac dignitatis ipse quoque sit allaturus; qui majorum suorum Nobilitatem, & Gloriam ita sectatur; ut non minorem familiæ suæ splendorem, atque amplitudinem; quam ab eadem ipse nascendo acceperit, additurus esse videatur. Habuit enim* Pompejus *quà Paterni, quà Materni Generis Majores adeo præclaros; ut illorum virtutes, atque memoriam, jamdiu patefacto ad immortalitatem aditu, nulla unquam obscurare possit oblivio. Siquidem Gens* Angelotta, *inter* Reatinas *Familias Illustriores non ultimo loco recensenda, persæpe viros peperit Domi, Militiæque clarissimos, quique aliis ubique gentium esse possint ad rectè, beatèque vivendum amplissima documenta: inter quos, ne longum sit omnium nomina recognoscere, non reticebo* Angelottum *de* Angelottis *Juris Utriusque Doctorem Egregium, cujusprudentia, virtus, atque doctrina, cùm in Patria apud Cives suos, tùm apud alias quoque Civitates, ac viros Principes probatissima fuit. In condendis enim municipalibus sanctionibus, atque statutis,* Reatinus *Populus potiorem nullius adhibere maluit diligentiam, atque judicium, quàm* Angelotti. Calistus *quoque III. Romanus Pontifex, totius illum Marchiæ* Anconitanæ *Moderatorem fecit: Idem Summus Christianæ Religionis Antistes eumdem* Angelottum, *Judicem Provinciæ Patrimonii Generalem, motu proprio declaravit. Renatus autem Rex* Hierusalem, *atque* Siciliæ *maximopere illum dilexit, singularemque illius virtutem amplexatus; Urbis* Neapolitanæ *Tribunalis Præsidem quo ad viveret esse voluit. Hæc in viro togato maximarum virtutum argumenta commemorantur. At* Joannes Angelottus *clarissimus*

 ductor

ductor Exercitus, ac Bellator gloriosissimus, cujus virtus à Carolo V. *Invictissimo Imperatore in* Senarum *Obsidione mirum quantum existimata fuerit, quippe qui ejus fortitudine atque industria superatis Hostibus felicissimè bella confecerit. Neque vero desunt, vel hodie huic familiæ Viri præstantissimi, qui se omni honore dignissimos sine dubitatione demonstrant; quique uno tempore, & familiam, & Patriam sua laude mirificè amplificant, quorum nomina (eorum mihi vim afferente modestia) silentio cogor involvere: sed non ideo eorum splendor virtutum noctis tenebris obstruetur, quippe qui non inter domesticos solùm parietes elucet, quin etiam foris irradiat; Principesque viri, quique maxime inter cæteros eminent Dignitate, illos sibi suorum numerum ministros, atque Participes fieri maxime concupiscunt. Habet item* Pompejus *noster in Materno Sanguine, unde maxime glorietur. Avus enim illius* Pompejus Catilina *copiarum Ductor eximius, primùm pro Veneta Republica, tùm pro* Pio V. *Pontifice Maximo in ea, quæ de Turcarum Tyranno Classe triumphavit: demum Peditum ductor Avenione contra infestissimos Hæreticorum conatus, sub* Gregorio XIII. Clemente VIII. & Paulo V. *Romanis Pontificibus, iisdemque maximis ita se gessit, ut immortali laude, æternaque nominis fama à* Vannozio, *in suis miscellaneis Epistolis fol. 799. & 95. universoque gentium consensu sit dignissimus judicatus.*

SONETTI DIVERSI

In Lode dell' Autore.

Del Signor

BULGARINO BULGARINI

ALL' AUTORE.

Lampeggiar, ò Pompeo, veggio immortali
D'illustre fama in te gemini albori,
Che duo Numi del Ciel con voglie eguali.
T'arrichiscon' il sen de'lor splendori;

Orna Astrea la tua man d'armi fatali,
Cinge Apollo il tuo Crin di Regii allori,
Tronca quella al furor del Tempo l'ali,
Nutre questi alla Gloria eterni honori.

Cedon le nubi homai pallide, e meste,
Mentre giorno felice à te destina
Col rivolger de i dì Rota Celeste;

E precorrendo già luce divina.
Vinte del ciec' oblio l'ombre funeste,
Il Sol de'merti tuoi il Mondo inchina.

Del Signor

GIACINTO GIGLI

ALL' AUTORE.

Scrittor facondo, il cui fiorito stile
Di Purpurato Heroe dispiega il vanto,
E di nobil Città l'inuiti in tanto,
Aricourar nel seno alm'e gentile.

Mentre discuopri in lei quas' un monile
Di gratie, ond' hebbe'l ciel cortese tanto
O con qual'arte, ò con che dolce incanto
Ciascun' desti à goder gioia simile?

Ma la tua penna, ond'hor t'inalzi a volo.
Tal promette di te glorie maggiori,
Ch'andrà'l tuo nome anch' ad estranio Polo.

Così dimostran gl'odorati fiori,
Che seguirà di frutti un vago stuolo,
Così l'Alba, del Sol mostra i splendori.

Del Signor

GIUSEPPE SEMPITERNI

ALL' AUTORE.

Le Patrie, amene Valli ammiri *Amsanto*
Inondare'l Velin di Gemme, e d'Ori,
E nuove rifiorir palme, & allori,
Hor che saggio Pompeo ne spieghi'l vanto.

Che quanto hà'l Cielo entr'al gemmato manto
Fulgide stelle, e quanti'l suolo hà fior
Tanti della tua Patria eccelsi honori
Celebri à sacro Heroe con prosa, e canto.

Siegui Angelotti'l vol là vè la Dea
Nemica dell' oblio, ti guid' al monte,
Ch'i sacri ingegni eternamente bea;

Quinci del tempo l'ali audaci, e pronte
Tarpando fia, che la tua antica Rea
Coronata di Torri il Ciel sermonte.

Del Signor

OTTAVIO TRONSARELLI

ALL' AUTORE.

Pompeo, col Plettro tuo, che'l Tempo atterra;
Ha la Città di Rhea saldi gli honori,
Patria de' Flavii Heroi, cum diede allori
De gli Idumei la trionfata Terra.

Il Velin, che tra balze amante n'erra,
E strepiti, in cader, forma canori,
Perch' à te di corona il crin' honori,
Gemmata in sen d'argento Iride serra.

Ond' homai sò, perche di morte acerba
A l'antico Pompeo, ch'erse trofei,
Italia non alzasse urna superba.

Anco fin'hor contr' i destini rei
Generosa per te l'Europa serba
Vivi, in honor d'Italia, i suoi Pompei.

Del Signor

VINCENZO MARIA SAVARELLI

ALL' AUTORE.

Pompeo, s'à Thebe, da l'Aonia lira,
Vide l'Ismeno alzar caduche mura,
A Rhea, dal Plettro tuo, con più ventura,
Ora eterne il Velino ergerle ammira.

Per te la Reggia di Saturno aspira,
Ch'oda Quirine palme, età futura;
Et al gran BAGNI, onor d'Enotria, in cura
Gli Augusti Figli suoi vivi rimira.

Ceda Beoto à Sabo omai gli onori,
Che se già immersa è la Beotia in pianto,
La Sabina ancor serba i bei splendori.

Mentre fra Toschi Cigni ottieni il vanto,
Cedan l'Argive Muse à te gli allori,
C'hai Celeste Anfione empireo il canto.

APPROBATIO.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Magist. Sac. Pal. Apost.

A. Torniellus Vicesg.

Imprimatur, Fr. Iacinthus Lupus Soc. Reverendiss. P. Magistri Sac. Pal. Apost.

I N-

CAPITUM ELENCHUS.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

Sa-

FINIS.



POM-

POMPEI ANGELOTTI
DESCRIPTIO
URBIS REATE.

Ad Eminentissimum atque Reverendissimum Dominum

CARDINALEM DI BAGNO,

Episcopum REATINUM.

CAPUT I.

2 ### VANNE SACRATO HEROE.

Dom. Cardinalis de Bagno variis de causis merito titulo SACRATI ornatur. Supereminentia Cardinalitiæ Dignitatis. quomodo eadem a S. Bernardo appelletur. Cur eundem vocet Heroem. *Genus ejus referri potest ad Othonem Imperatorem, cognomine Magnum. Quomodo per nepotem ejus Guidonem, variorum Guidonum Familiæ descenderint, ut & Guidonum de Conte-Bagno, ex qua Familia Cardinalis di Bagno. Accurata Gentis & Familiarum recensio, ut & rerum ab iisdem præclare gestarum enumeratio.*



Recte & vere Eminentissimus Dominus Cardinalis SACRATUS appellatur, & quoniam consecratus Archiepiscopus est *Patrassi*, quem olim sibi titulum gloriosa morte decorus adscivit *S. Andreas* Apostolus; & quoniam *Cerviæ*, & nunc adeo *Reatinæ* Urbis electus est Episcopus; Tanto etiam magis, quoniam juveniles annos impendit S. Sedis ministerio, dum applaudentibus cunctis populis, primarias Ecclesiastici Status provincias rexit, a Vicaria *Avenionis* Legatione transeuns ad *Flandriæ* Nunciaturam, & dein *Galliæ*; sicut denique, pensandis tot meritis incomparabilibus, Cardinalitia ornatus est Purpura xx. Decembris die, Anno MDCXXIX. dante illam S. Pontifice *Urbano* VIII. magno illo virtutum & gratissimo meritorum æstimatore.

3 Quæ quidem dignitas, post Christi in terris Vicarium super omnia Sacra eminet, teste Cardinale *Jacovaccio* in Libro *de Consilio*, longeque Episcopali præstat, ratione Regiminis Universalis Ecclesiæ, prout Eminentissimus affirmat *Turrecremata Capitulo* LXXXI. & LXXXIII. & *Bellarminus* in Libro *Controversiarum.* Hinc *S. Bernardus* Cardinales appellat *Collaterales Coadjutores, sedulos, & intimos Pontificis Orbisque Judices.* Ex quibus cunctis patet, quam vere sine ulla vanitate SACRATI titulus Domino Cardinali conveniat.

Neque minori de causa HEROEM appellamus. Si enim nomen illud iis conveniat, qui suis rebus gestis gloriam, quæ majoribus jam competebat, auxerunt, Heroem certe Heroum appellare decet Principem nostrum.

Origo enim ejus ad invictissimum Imperatorem *Othonem* refertur, Filium *Henrici Saxoniæ* Regis, coronatum a *Joanne* XII. Anno Adeptæ Salutis DCCCCLXII. quique rebus suis magnifice & feliciter gestis *Magni* acquisivit nomen, & præterea A splendidissima donaria ex argento, auro, & pretiosissimis gemmis, magno numero obtulit Ecclesiæ *Romanæ*; restituit etiam donata quondam a *Carolo Magno* & *Pipino*, verum rapta a Tyrannis, prout patet ex Aurea Bulla, quæ servatur inter Archiva hodieque in Castello *S. Angeli*, prout testatur Cardinalis *Baronius*.

Ab hoc, inquam, *Othone*, aliisque illo simillimis, originem trahens Dominus Cardinalis noster, semper egregiis suis factis majorum ampliavit Gloriam. Quod quidem, ne ad lubitum a me effictum 4 videatur, fide dignis adstruam porro Scriptoribus, B S. scilicet *Antonino*, Archiepiscopo *Florentino*, *Blondo Ricordano*, *Leandro Alberto*, *Platina*, *Collenuccio*, *Sansovino*, *Poggio*, *Hieronymo Rosso*, & *Carolo Sigonio* in *Italiæ Regno*, multisque aliis, quos brevitatis gratia omitto, qui quidem omnes conveniunt in illis, quæ quidem jam ad decus Illustrissimæ istius Domus in compendium contraham.

Veniens itaque in *Italiam* Imperator ille *Otho Magnus*, ex *Saxonia* adduxit secum nepotem quendam suum, *Guidonem* nomine, fratris sui *Henrici* Ducis *Bavariæ* Filium. Hic regio præditus animo, & fortitudine excellens, factus a patruo est C Comes *Romaniæ*, atque ista occasione remansit in *Italia.* Ibi paullo post uxorem duxit *Englaradam* Comitissam *Modiglianæ*, filiam *Martini*, nobilissimi & celebratissimi Patricii *Ravennatensis*, accepto in dotem validissimo isto Castello. *Ravennas* ubi se postea contulit, ea morum fuit illi suavitas, ut Pater Patriæ sit appellatus. Atque hoc pacto ex illo fluxit nobilissima Gens Comitum *Guidorum di Bagno.* Habuit tres filios, quorum primum suo nomine *Guidonem* appellavit, secundum *Sampsonem de Saxonia*, quod inde ipse traxisset originem, tertium *Flaminium*, quoniam *Romaniæ* Provincia *Flaminia* appellatur. Vixit itaque feliciter & tranquille D satis longo temporis spatio. Verum, sicut solet instabilis Fortuna ima summis permutare, accidit, ut unus ex nepotibus ejus, vi quandoque nobili illata virgini, totam propter tam atrox facinus accenderit civitatem ad vindictam, quæ cum Gentis istius quæsita fuit internecione. Eva- 5 sit solus puerulus quidam *Guidettus* nomine, qui cum nutrice sua erat in Castello *Modigliana* dicto. Hic quum ad adultam pervenisset ætatem, tam acerbe parentum suorum ultus est necem, ut *Guido Buevisangue*, id est, *Sanguinem Bibens* sit vocatus.

Idem quum *Florentiam* dein concessisset, per E longum ibidem tempus est commoratus, atque filium procreavit, quem in patris memoriam nominavit

Guidonem Majorem.

Circa illud tempus in *Italiam* venit Imperator *Otho* III. atque per aliquot dies *Florentiæ* est com-

moratus. Ibi quum *Guido Major* parentelæ fœdera commemoraſſet, pro cognato ab Imperatore eſt agnitus. Nec multo poſt regiam idem indolem & nobilem virtutem in illo admiratus, uxorem dedit *Gualdradam*, nobiliſſimam virginem *Florentinam*, filiam *Bellinzonii de gl' Uberti*, ex cujus familia ille *Farinata* fuit, vir quondam celeberrimus, & *Gibellinæ* factionis caput; pro dote autem dedit *Caſentini* bonam partem, cum Caſtellis, *Galeata*, *Poppi*, *Bibiena*, *Porciano*, *Prato Vecchio*, *Battifolli*, & *Romena*.

Excitavit vero ex nobiliſſima hac matrona prolem numeroſiſſimam, habuit enim filios quinque, quorum hæc ſunt nomina:

Guilhelmus,
Rogerius,
Guido Quartus.
Romeus,
Tigrinus.

Horum primus *Guilhelmus* cunctos ſui temporis ſcientia rerum urbanarum ſuperavit; ſæpiſſime itaque fuit adhibitus magnis in rebus a Republica
6 *Florentina*, & moriens nominis ſui atque Statuum hæredes reliquit filios,

Guidonem, dictum *Novellum*,
& *Simonem.*

Rogerius autem ſecundus, belli pariter & pacis eminuit artibus, ſed unum modo reliquit filium, qui, hæres paternæ laudis, a bellico ſtudio dictus fuit

Guido Guerra.

Tigrinus fortitudine excellens, Summus Imperator fuit exercitius Papæ *Honorii* III. contra *Tancredum Guiſcardum*, & ſubegit regiones *di Lecce* & *Monteſcaglioſo* dictas. Ex uxore ſua, quæ *Frederici* Regis filia fuit, reliquit

Guidonem, dictum *Tigrinettum*, &
Philippum.

Guido ille *Novellus*, pariter bello potens, & egregius *Gibellinarum* partium Dux, duos reliquit filios,

Rogerium &
Manfredum.

Guido Guerra longo tempore *Guelphis* pro Duce fuit, & Apoſtolicæ Sedi acquiſivit *Viterbum*, *Modenam* & *Rhegium*; fuit enim Summus Dux Papæ *Clementis* IV. & *Caroli Andegavenſis*. Ad me-
7 liorem vitam tranſiit *Florentiæ*, Anno MCCLXXXI. annis poſt *Guidonem* Primum CCCXX. Reliquit filios,

Bandinum Epiſcopum *d'Arezzo*, &
Chinolphum Comitem *Romaniæ*.

Simoni,glorioſiſſimo in *Sicilia* Inſula *Caroli Andegavenſis* Duci, nati ſunt filii duo,

Hugo &
Guido.

Guido ille poſtremus, antiquæ hæres gloriæ, pariter filios reliquit duos,

Riccardum &
Petrum.

Riccardus, præterquam quod Vice Regis *Siciliæ* præfuerit, multos reliquit ex ſe prognatos, literis pariter atque armis inclitos, hi fuere

Petrus.
Guido.
Carolus.
Robertus.

Ex *Roberto* prognati ſunt

Ioannes Franciſcus,
Guido Guerra II. &
Nicolaus.

A Quum vero Statibus ſuis dejectus eſſet per vicinos Barones potentiores, primogenitus ejus *Petrus* tranſiit ad aulam Marchionis *Ferraræ*, ſicut *Guido* conceſſit *Mantuam* ad *Gonzagas*, ubi com- 8
moratus originem dedit nobiliſſimæ Familiæ Comitum *Guidonum de Bagno*. Ex qua fuit *Camillus*, elegans juvenis & virtute præſtans. *Robertus* ad *Sforzas* ſe contulit; *Carolus* ad *Malateſtas Arimini*; pater autem illorum *Riccardus* ſeſe *Mediolanum* contulit tempore *Innocentii* VII. Ibi in honore habitus permanſit uſque ad mortem *Guidonis* filii, qui *Mantuam* conceſſerat, quo dum hæreditatis cauſa proficiſcitur, vitam claudit.

B *Jo. Franciſcus* filius *Roberti*, dum *Mantuæ* commoratur, in magno honore a Marchionibus eſt habitus; a Papa etiam *Sixto* IV. Ducatum accepit ſexcentorum equitum, & quadringentorum peditum. Quum egregie Apoſtolicæ Sedi inſerviiſſet, remuneratus fuit ab *Innocentio* VIII. feudis, *Montebello*, *Gineſtreto*, *Montetifi*, *Luce*, *la Pietra*, quæ Caſtella ſunt in Regione *di Montefeltro*, juncta Caſtellis, quæ acceſſerant illi pro dote, cum uxore *Armellina Malateſta*, ſcilicet *Giazzuolo*, *Fontana Fredda*, *Caſtagneto*, *Bonalta*, *Petrella*, *Mercorio*, & *Valle di Pondo*. Habuit idem multos
C filios, inter quos fuerunt

Guido Guerra III.
Nicolaus, &
Rogerius.

Quum per proditionem nefarie a *Pandulpho Malateſta* occiſus eſſet *Guido Guerra*, juvenili vero ætate *Romæ* deceſſiſſet *Rogerius*, omnium iſtorum Statuum hæreditas ad *Nicolaum* pervenit. Fuit hic præclarus militiæ Dux. Præmium itaque illi pro multis in Eccleſiam meritis, *Gatteo* & *Monteſcutolo* aſſignarunt *Leo* X. & *Clemens* VII.

Uxorem habuit *Sylviam di Somma*, neptem
D *Proſperi Columnæ*, Ducis eximii, & filiam *Fabricii* Baronis *Mirandæ*, & ex illa duos filios, 9

Jo. Franciſcum Secundum, &
Fabricium.

Jo. Franciſcus primo quidem ſeptingentorum militum, pro Sede Apoſtolica, Dux fuit, dein ſub *Carolo* in expeditione *Algerina*, mille pedites duxit. Ex hoc Principe & Domina *Bianca*, filia *Laurentii Rangoni*, naſcitur

Fabricius, Marchio di *Montebello* &
Comes *di Bagno*.

Ex illo autem & *Laura Columna*, filia *Pompeii*
E *Columnæ*, Ducis *Zagaroli* & Comitis *Cicoli*, prodiere Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Dominus, Cardinalis *Jo. Franciſcus de Conti Guidi di Bagno*, Præsbyter titulo *S. Alexii*, & nunc *Reatinus* Epiſcopus, & Excellentiſſimus Dominus *Nicolaus*, Marchio *di Montebello*, & Comes *di Bagno*, olim Præpoſitus Generalis Rei Bellicæ *Anconæ*, nunc vero, pro Sede Apoſtolica, *Ferraræ*; uterque paterno pariter & materno genere ſplendidiſſimi, & Antiquæ Domus ſplendorem ſuis adaugentes meritis, atque heroicis virtutibus.

Hos quoniam laudibus noſtris majores ſunt, neque illorum ſe modeſtia celebrari pro dignitate
F ſinit, celebrandos poſteritati relinquimus atque 10
admirandos; mihi nunc dicere ſufficiet, dignos eſſe ramos generoſiſſimæ ſtirpis Comitum *Guidonum*, atque adeo amplam triumphalibus laureis materiam; Et ſane affirmare licet hæreditariam eſſe penes illos religionis ſtudium & bellicam gloriam, velut olim propria *Piſonum* Familiæ creditur fuiſſe moderatio, *Læliorum* prudentia, *Metellorum* religio.

Atque adeo originem ſuam referunt ad invictos illos Heroas, qui nati ſunt inter prælia, educati inter victorias, & inter applauſus conſenuerunt.

Qui

Qui iidem bellicas suas virtutes aliorum a se prostratorum scripserunt sanguine, tropæa vero sua ex victorum erexerunt manubiis, & rapto hostium ære immortalitatis sibi conflaverunt tubam, qua in omnibus mundi oris rerum gestarum gloria celebretur. Hisce Panicus terror pro præcursore esse solebat, vigilantia pro custodia, consilium pro Imperatore, liberalitas pro thesauro, silentium a Secretis, pro machinis existimatio, animus pro armis, honos pro consultore, & admiratio pro comite.

Filii & Nepotes Principum, qui dextra magis quam læva confisi manu, ubi id res postularet, ubi prælium esset accerrimum, ubi contentio maxime periculosa, & plurimum funderetur sanguinis, optime de Statu Ecclesiastico & Sede Apostolica sunt meriti.

Ut vero de *Catone* cecinit *Lucanus*, inter horrendos belli strepitus animum & vultum contra varios rerum exitus firmaverunt, contra sortis inconstantiam & fortunæ volubilitatem erexerunt.

Verum imponit mihi silentium, ne ulterius progrediar, modestia illorum, de quibus sermo institutus est, tam inimicorum auscultationis laudum suarum, quam promptorum, ad easdem sibimet vindicandas.

11

CAPUT II.
DEL SANTISSIMO URBAN L'AMICASTELLA.

Stellæ titulo cur ornetur ab Auctore Cardinalis Franciscus Barbarinus Protector Urbi Reatinæ. Tribus Franciscis ejusdem Urbis cura commendata, Francisco di Bagno Episcopo Reatino & Cardinali; & Cardinali Francisco Barbarino, Protectori Reatinæ Urbis atque Ordinis S. Francisci; & denique ipsi S. Francisco de Assisiis.

SUb STELLÆ allegoria comprehendo Eminentissimum Dominum Cardinalem *Franciscum Barbarinum*, hoc tempore *Reatinæ* Urbis Protectorem.

Hic enim, velut STELLA a Solis radiis, ita ab magno *Urbano* VIII. Pontifice Summo, patruo suo, clarissimam mutuatus lucem, influxum habet gratum in Urbem nostram curæ suæ commissam. Eaque gratia ornavit eandem tanto Heroë, quantus est Eminentissimus ille Dominus *Cardinalis di Bagno*. Ut ita conspicuus simul sit amor paternus, quo Summus Pontifex nostram dignatur Urbem, dans illi Protectorem tantis conspicuum
12 dotibus; & Protectoris ejusdem benevolentia, qua Pastorem nacti sumus illuminatum assidue radiis supremi Solis Ecclesiæ, influxum recipientem a felicissima Stella illi proxima; quæ scilicet secura sunt auspicia felicis eventus; quum tanto felicius omen tres pariter *Francisci* afferre videantur, Patriarcha *S. Franciscus* Protector *Reatinæ* Urbis, cui quidem plurimum debemus; utpote qui per alterum [1] *Franciscum*, Cardinalem *Barbarinum*, magnum Religionis suæ Protectorem, sicut & Urbis nostræ, concessit nobis tertium *Franciscum*, Dominum Cardinalem *Jo. Franciscum di Bagno*, decus & corculum Sancti ipsius, & *Franciscanæ* pariter familiæ.

CAPUT III. 13
NEL COR D'ITALIA.

Reate Cor Italiæ. Id alii dicunt esse Campum Pensilem, alii Montem Gurgulum, alii ipsam Urbem Reate. Columella in meditullio ejus posita. Amsanctæ Valles. Servius atque Donatus refutati. Virgilius illustratus. Velini Rosea Rura. Amænitas agri Reatini, ejusdem fertilitas. Quid veteres de illis Auctores prodiderint. Reate in meditullio Italiæ, atque adeo Cor ejusdem. Marmora unde dicta, miraculum ejus quoad lapides in flumine concretos. Aqua ibi primum per M. Curium Consulem Romanum emissa, unde Aqua Curia dicta. Lis super ejus fluxu tempore Ciceronis Reatinorum cum Interamnatibus. Villæ ibidem permultæ & mansiones Nobilium Romanorum. Villa Axia. Pisces in lacubus Reatinis. Aquas has lapidum multitudine concretas emisit etiam Papa Paulus III. a quo dictæ sunt Paulinæ. Ultima vice temporibus Papæ Clementis VIII. impensis Civitatis repurgatæ per Dominicum Fontanam. In lacu Velino nullo non die cœlestis apparet arcus.

NUllum oriri dubium potest, quin [1] COR ITALIÆ fas sit appellari *Reate*, ut enim in medio humani corporis cor est, ita in medio *Italiæ* est *Reate*. Id quod *Varronis* auctoritate confirmat *Plinius*, & post illum *Leander Albertus* in *Italiæ Descriptione*, & novissime *Merula*, *Cluverius*, multi alii gravissimi Scriptores, & omnes Geographi. Licet iidem in ejus positione præcisa minus conveniant.

Nonnulli enim volunt, esse locum, qui a nobis vocatur *Campus Pensilis*, alii Montium nostrorum *Appenninum*, qui vulgo dicitur *Urolo*, quique a *Latinis* appellatur *Mons Gurgulus*; alii denique ipsam Urbem *Reate*, in cuius meditullo Columella posita est prope Ecclesiam *S. Rufi*.

Dominus *Marianus Victorius*, Episcopus & Patricius ejusdem Urbis, vir suo tempore apprime doctus in Antiquitatibus & variis Linguis, ita scribit in initio Carminis cujusdam quod adhuc est ineditum: 14

„ Siede sul Cor d' *Italia* honesta altiera
„ Un' antica Citta, cui la Gran Madre
„ Di tutti i Dei, se *Rea* l'alto, e leggiadre
„ Mura, ch' hor son di gente ampia e severa.

Multi autem cum *Virgilio* statuunt meditullium *Italiæ* esse *Amsanctos Valles*, prope Lacum *Velinum*, vulgo *le Marmora*, dicit enim *Æneid. Lib.* VII. *versu* 563.

Est locus Italiæ in medio, sub Montibus altis,
Amsanctæ Valles, densis hunc frondibus atrum
Urget utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis & toto vertice torrens.

Videamus itaque hic sub altis & asperis Montibus placidissimam describi Vallem, undique densis Sylvis circumdatam, quam permeans *Velinus*, tantum ubique fragorem excitet, ut quasi ad cœlum sonitus pertendat.

[2] Scio ego *Servium*, Commentatorem *Virgilii*, agnoscere locum illum in medio *Italiæ*, prope *Venosam*, ubi *Hirpini* sunt, ad latus *Campaniæ* atque *Apuliæ*, quoniam ibi sint aquæ Sulphureæ & graveolentes umbrosissimis Sylvis circumdatæ. Scio

---

1 COR ITALIÆ] *Plinius Lib.* III. *Cap.* XII. ita Scribit ex auctoritate *Varronis*: *In agro Reatino Cutiliæ Lacum, in quo fluctuet Insula, Italiæ umbilicum esse M. Varro tradit.*

1 *Scio ego Servium*] Verba *Servii* hæc sunt: *Hunc locum umbilicum Italiæ Cosmographi dicunt. Est autem in latere Campaniæ & Apuliæ, ubi Hirpini sunt, & habet aquas sulphureas: ideo graviores, quia ambiuntur Sylvis.* Addit paullo post: *Unde etiam Donatus dicit Lucaniæ esse, qui describitur locus, circa fluvium qui Calor vocatur.* Ad *Virgilianam* autem descriptionem *Plinii* facit locus *Lib.* II. *Cap.* CIII. *In exitu paludis Reatinæ saxum crescit.* qui quum mire Auctoris nostri Opusculum illustret, prætermitti non potuit, sicut etiam sequenti *pag.* ab eodem adducitur.

Scio etiam *Donatum* velle prope *Canosam* esse locum hunc, circa Fluvium *Calorem*. Verum qui sequentia apud Poëtam consideraverit, inveniet utrosque gravissime errasse, dum collocant in *Apulia*, neque enim ibi terrarum Montes & Valles *Virgilianæ* inveniuntur; nisi dicere velimus cum *Blondo*, locos hos Valles esse respectu Montium,
15 qui in *Italia* sunt, quæ quidem nimis dura est explicatio.

Nihilominus videntur ibi agri fertiles, ut sunt & illi in territorio *Reatino*. At licet fœcundi sint *Apuliæ* campi, prope *Venosam* & *Casonam*, non tamen tantæ sunt fertilitatis, quantæ *Rossellani*; idem enim *Servius* ista *Virgilii* explicans *Lib.* VII. *versu* 712.

—— —— & Rosea rura Velini.

tantam illorum laudat fertilitatem [1] secundum *Varronem*, ut causam quandam agens *Cæsar Vopiscus* apud Censores, campos *Italiæ* amœnos *Roseæ*, (qui *Tempe* (ΤΕΜΠΗ *Græcis*) a *Cicerone* dicuntur, & ab eodem *Varrone*, pinguedo *Italiæ*, seu ut ipse dicit *Italiæ Sumen*) dixerit, tantæ esse fertilitatis, ut herba resecta per diem, de nocte tantum accrescat, ut postridie mane satis grande lignum coöperiat. Concordat id cum illis quæ scribit *Plinius Lib.* XVII. *Cap.* IV. fertilitatem enim *Reatini* agri etiam ad animalia producens ibidem, alio similiter in loco dicere audet, *in Agro Reatino mula peperit.*

Hinc errasse mihi *Servius* simul atque *Donatus* videntur, alieniorem *Virgilio* appingentes sententiam; Campus enim *Reatinus* umbilicus est *Italiæ*, prout affirmant *Lycurgus*, & allatus a *M. Varrone Cæsar Vopiscus*, aliique, superius a Nobis adducti.

Verum cur ad auctoritates confugimus, præsentibus rerum testimoniis?

Videre sane unusquisque potest, quod quum inclusa Mari *Adriatico* atque *Mediterraneo* sit *Italia*, inter utrumque autem æquali intervallo distet *Reate*, necessario eandem *Cor Italiæ* appellari debere, atque in medio ejusdem sitam esse. Id præterea satis evincunt & Montes *Appennini*, sub quibus *Reate* invenitur, mediam *Italiam* secantibus. Quare rectissime citato loco *Virgilius* dixit,

Est locus Italiæ in medio sub Montibus altis.

Si itaque *primum vivens*, juxta Philosophos, Cor sit in animali, *Italiæ* Cor est *Reate*, utpote ab
16 *Aboriginibus*, imo ipso *Saturno*, primo *Italiæ* Rege ante omnes alias condita.

Sed quoniam *Marmoræ* superius injecimus mentionem, ejus Etymologiam perscrutari fas est. Vocatur itaque, secundum quosdam, *Marmora*, quasi *ab aquarum murmure*, tantum enim in cadendo strepitum excitat, ut quasi omnes circum vicini concutiantur resonantia Montes.

Ibi flumen *Velinus*, prout elegantissime scribit *M. Tullius*, *interciso Monte in Nar defluit.* Iste inquam *Velinus*, a Nympha quadam ejus regionis *Velia* ita dictus, placide ex duobus fontibus nascitur, altero prope Oppidum *Reale* dictum, altero supro *Diodocum*, Diœceseos *Reatinæ*. Serpunt autem salutiferæ ejus aquæ, sulphureas inter venas, per valles amœnas & felices agros *Reatinos*, & dissecta media Urbe, ad *Marmoram* usque est navigabilis. Truttam & Tincam, nobiles pisces gignit, sine spina, nisi media majori. Aqua ejus, secundum *Plinium*, contra calculum valet, jumentorum etiam ungulas vadis suis indurat. Addit idem Naturæ Interpres, quod, si aliquid conjicias in Lacum *Velinum*, imo vel lignum, brevi mutetur in saxum. Quod certe Naturæ miraculum ab aqua non procedit, tunc enim *Plinius*, qui virtutem ejus laudat in calculi morbo, sibi ipsi esset contrarius; verum ego credo id fieri per alveum illum, per quem permeat aqua, quæ magno & vehementi impetu *Marmoræ* allisa, talem effectum spuma sua producit, unde & dixerit *Plinius* petram in agro *Reatino* crescere.

Confirmat idem *Marianus Victorius Cap.* IV. *de* 17
Antiquitatibus Reatinis, civis cujusdam sui citans distichon, quod ad *Marmoræ* alludit Etymologiam & tale est:

Marmora marmoribus fossis fodiuntur, & inde
Deficiunt nunquam Marmora marmoribus.

Neque hyperbole est in amplificatione, nam sane ubi concrescere nimis ista saxa solent, necesse est ferro aperire viam ut in *Nar* defluat, ne obsepta vicinos mergat campos.

Marcus Curius Consul, primus fuit, qui Anno ante partam Salutem CCLXXIII. concrescentia illa saxa aperuit, unde *Curiana* dicta fuit illa fossa, prout adnotat curiosus Scriptor *Hyacinthus Lilius* in *Chronologia Romæ*, & prout clarissime edocet, testis oculatus, eloquentiæ pater *Lib.* IV. *Epist. ad Atticum Ep.* XIV. ubi narrat quomodo a *Reatinis* contra *Interamnates*, qui prohibere volebant dilatationem oris fluvii *Velini*, fit advocatus. Verba ejus hæc sunt: *Reatini me ad suam Tempe duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates, apud Consulem, & decem Legatos, quod lacus Velinus a M. Curio emissus, interciso monte in Nar defluit: ex quo est Villa siccata, sed humida tamen modice Rosea. Vixi cum Axio, qui etiam me ad Septem Aquas duxit.* Erat ille *Axius*, Eques *Reatinus*, verum Senator *Romanus*, habebat autem in prædicta *Rosea* Villam pulcherrimam *Luculli* parem, quod hodieque ejus rudera testantur, quæ adhuc supersunt, quasque vastas ruinas accolæ hodie vocant *Grotte de S. Nicolo*. Magnitudo ejus ducentorum erat jugerum, ibique per æstatem, ut multi nobilissimi *Romanorum*, degere solebat. Clara ejusdem rei signa sunt antiquissima marmora, quæ in regione nostra inveniuntur.

Dionysius Halicarnasseus aperte dicit etiam *Hist.* 18
Rom. Lib. I. usque ad suum tempus *Romanos* nobiles in agro *Reatino* habitasse, utpote *Coriolanos*, *Cottas*, *Canneios*, *Cocceios*, *Clodios*, *Munios*, *Oppios*, *Quartios*, *Serenos*, aliosque magno numero, delectatos regionis istius deliciis.

Sed &, prout refert *Columella*, tentarunt in lacubus *Reatinis* conservare lupos & auratas, ut ita

1 *Secundum Varronem*] Ad meliorem intellectum operæ pretium esse duxi, utriusque adscribere locum. Dicit itaque *Varro*, *Libro de Re Rustica* I. *Cap.* VII. in fine: *Cæsar Vopiscus Ædilitius, caussam cum ageret apud Censores, Campos Roseæ Italiæ dixit esse sumen, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam.* Commentatoris autem in *Virgilium Servii* hæc sunt verba: *Velinus Lacus est circa Reate, juxta agrum, qui Rosulanus vocatur. Varro tamen dicit Lacum hunc a quodam Consule, in Narran vel Narren fluvium (nam utrumque dicitur) esse diffusum: post quod tanta est ea loca secuta fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superarit herbarum: quin etiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctes crescebat. Quod Virgilius ad suam provinciam transtulit, diceus,*

Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet:

Quod autem narrat *Plinius* de mulæ partu, ipse ad ostenta refert, dicit enim *Lib.* VIII. *Cap* XLIV. de mula: *est & in Annalibus nostris peperisse sæpe, verum prodigii loco habitum.* Quod & confirmat in *Galbæ* Vita *Suetonius*, qui scribit *Cap.* VIII. nihil æque *Galbam* confirmasse in Imperii spe, quam mulæ partum; Avus enim ejus aliquando ad spem Imperii, quod posteritati ejus portendi dixerat haruspex, responderat, *Sane, cum mula pepererit.*

ita sine mari marinis fruerentur deliciis, unde magnam in illos piscium copiam immiserunt, *lupos & auratas* (inquit) *seminarunt*.

Verum ut redeamus illuc, unde diverteramus, scilicet ad *Marmoram*, dicimus singulis centenis annis præ innatorum saxorum abundantia occludi ejusdem ostium, unde semel in seculo ferro eorundem vis rescindi debet. Septem ora inventa sunt, saxis obstructa singula, post *Curionem* a *Reatinis* adaperta, prout ex penultimo ore conjectare licet, quod apertum fuit auctoritate Summi Pontificis *Pauli* III. opera *Antonii Sangalli*, celeberrimi ista ætate Architecti. Ipse etiam Papa, captus curiositate tam amirabilis rei, multis Cardinalibus, Prælatis & Principibus comitatus, eo ad videndum & coram examinandum accessit, prout animadvertere licet ex Libris Reformationum istius anni; unde & hodieque abolito pristino *Curii* nomine *Paulina* vocatur ista emissio.

Septem horum ostiorum claram mentionem facit *Papirius*, cujus hæc sunt verba: VELINUS FLUVIUS *Reatinum agrum secat, qui paludem in subluco a Romanis effectam ingreditur: hinc septem meatibus, sulphureas petit, quas Naris aquas vocant.* Apparet *Virgilium* eo allusisse canentem *Æn.* VII. *versu* 5.7.

Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini.

19 Ultima vero vice idem peractum fuit per *Dominicum Fontanam*, celebrem Architectum, ex auctoritate Papæ *Clementis* VIII. qui rursus *Curianum* istud ostium aperuit, cum maximis Urbis vicinorumque Dominorum expensis. Ipse etiam magnus ille *Clemens*, nihil *Paulo* concedens, præsens rem hanc videre voluit, sicut peregit, dum proficisceretur ad recuperandam *Ferraram*. Hinc jam rursus insignis iste labor pro antiquo suo *Curii* & *Pauli*, nomen *Clementis* est sortitus; Quare bene *Sabinorum* honor *Stephonius* ita carmine lusit:

Et nomen pertæsa, vetus per Rosea Clemens,
Nunc Clemens, olim Curia dicta means.
Curia Clementis magno molimine Patris
Legitimo cursu ferre coacta pedem.
Amsancti colles, quas florea rura coronant,
Glandiferumque premit lympha Velina solum.

Neque sine justa curiositatis ratione magni isti Pastores præcipitem hunc fluvium videre cupiverunt, ibidem enim experimentum capere potuerunt horum, quæ dicit *Plinius* Cap. LXII. *in lacu Velino nullo non die apparere arcus*, id est, Iridem quotidie ibi conspici, prout per refractionem lucis quotidie etiamnum, non sine maxima illorum, qui varios ibidem ejus colores admirantur, voluptate cernitur, ut sit plane ex præscripto Poëtæ *Æn.* IV. 701.

Mille trahens varios adverso Sole colores.

20 CAPUT. IV.

A QUELL' ANTICA, E BELLA.

Tribus præcipue rebus pulchra efficitur Civitas. Reate loco pulcherrimo sita. Non longe a Roma. Fluvius Turanus. Vallis & fluvius Rivana. Gobio piscis. Colles pascendis pecoribus. Eremus S. Magdalenæ. Circa Turani pontem amænissima regio. Suburbium Reatinum. Ecclesia S. Cæciliæ, Reginæ Cœli. Portæ duæ. Monasterium S. Salvatoris. Ecclesia & Conventus S. Antonii del Monte. Corpora ibidem Beatorum. Bibliotheca antiqua MSS. Apotheca bene instructa. Porta di Ponte super Velinum lacum seu fluvium exstructa. Turris portæ imposita adversæ. Ecclesia S. Francisci artificio Gothico, immensæ molis, S. Croce a Crucis figura dicta. Variæ in eadem Capellæ. Corpora Beatorum & Reliquiæ ibidem depositæ. Ecclesia S. Nicolai, S. Luciæ. Monasterium S. Claræ. Ecclesia della Madonna del Pianto, Confraternitatis S. Petri *Martyris Regio illa omnis* le Vadi *dicta, & unde. Fabricæ antiquæ & novæ. Ecclesia S. Petri. Forum Urbis. Palatium quam amænum & a quibus inhabitatum. Ecclesia S. Joannis Evangelistæ. Palatium novum & Templum a S. Prosdocimo exstructum, Virgini Mariæ tempore Honorii III. consecratum. Templum illud Ecclesia & Cathedralis Reatina. Varii ejusdem Conditores. Episcopi Reatini. Catalogus eorum secundum ordinem Temporis. Cur tam exiguus illorum numerus, & tam pauca de iisdem sint cognita. Templum Gloriosi Præcursoris. Descriptio ejus & S. Reliquiæ, ut & Corpora multorum Beatorum. Templum Priapi. Capellæ seu Sacella artificiosa, in eodem Templo Præcursoris, Augustissimi Sacramenti & Reginæ Cœli. Chori artificium. Sedes & Palatium Episcopale. Vasta ibi aula & valde vetusta. Templum ibidem Rheæ Deorum Matris quondam. Palatium Imperatoris Vespasiani. Porta Cynthia. Ecclesia S. Dominici. Conventus Patrum Prædicatorum, Ecclesia S. Donati, Monasterium S. Agnetis. Ecclesia & Monasterium S. Scoliasticæ. Palatium Potestatis. Ecclesia Confraternitatis S. Mariæ. Collegium Artium Liberalium & Militarium. Forum Leonis. Seminarium Cardinalis Amulii. Templum & Conventus S. Augustini. Ecclesia Abbatis S. Antonii. Porta Concha. Porta d' Arci. Ecclesia Visitationis S. Virginis. Fontes ex fluvio Cantaro orti. Monasterium S. Benedicti. Ecclesia S. Leonardi. Galli ibidem, vel circa illa loca cæsi. Via Nomentana & Salaria. Ecclesia S. Maronis. Conventus Capucinorum. Velinus. Ecclesia S. Eleutherii. Fons salutifer. Ecclesia S. Eusanii, Spiritus S. Hospitale Romanum. Forum. Fluvius Cantarus viam mediam secans. Ecclesia S. Catharinæ, S. Bartholomæi. Acarana regio, olim Hercolana, a Templo Herculis. Statua marmorea Ciceronis basi humili imposita. Ecclesia S. Leopardi, S. Claræ, SS. Fabiani & Sebastiani, S. Georgii, S. Basilii, S. Vincentii, S. Juvenalis, S. Pauli, S. Rufi. Confraternitas Pietatis Principiatæ. Conclusio, & recollectio situs Urbis. Aër saluberrimus. Incolarum multitudo, præstantia & bonitas. Ciceronis de illis testimonium. Aliorum item de Sabinis. Correse, seu Curis Colonia Reatina. Numa Pompilius Curitis. Bellica civium laus vetusta pariter & nova. Fides Reatinorum in Romam Antiquam & Novam. Privilegia illis concessa. Viri clari. Flavius Clemens, Flavia Domitilla, eorundem martyrium. Cardinalis Probinus. Probinorum Familia, Inscriptio Vetus. Cardinalis Joannes Reatinus, item Petrus Tartari. Multi alii, pietate, literis, armis incliti. Patricius Secenarius. Pompeius Catalina Auctoris avunculus. Variæ Inscriptiones Antiquæ Reate repertæ.*

TRia quidem, ut videntur mihi, pulchram & laudandam reddunt Civitatem. Ut scilicet bene sita opportunas habeat ædes; ut aëris gaudeat salubritate, omnibus, quæ ad vitam faciunt humanam, abundans; & multis iisque virtute præditis exornetur incolis.

Quis autem non videt Urbis *Reatinæ* situm multo esse pulcherrimum, utpote prope *Romam*, ut adeo vicinum sibi Mundi illud habeat caput, cui, sicut in humano corpore, quo propiores, eo nobiliores sunt partes, ita & nostra Civitas frequentatissimis duabus viis *Salaria* & *Nomentana* juncta fuit. Hæ enim & plurimum fuere magnificæ & valde celebratæ.

Si vero propius ejusdem situm contemplari velimus, statim, ubi descenderis a sublimioribus collibus, via nunc dicta *Romana*, a Meridie seu Austro, prout dicere lubet, ad primum ingressum, dextram versus manum currit Fluvius *Tu-* 21

ranus, ita a loco unde oritur dictus; natura sua amœnus nec magnus, nisi nivium & aquarum delapsu, spatio ejus riparum nimis arcto, exundet in vicinos agros, non sine damno aliquo, quod tamen omne optimorum piscium captura compensare solet. Facit idem & alter rivus vicinus, qui labitur per Vallem *Rivanam*, unde & nomen suum sortitur, producitque piscem sani & boni gustus, qui a nostris *Roviglione* dicitur, *Gobio* antiquorum tam laudato simillimus. Mentionem hujus primus fecit *Juvenalis Satyra* XI. *versu* 37.

Nec Mullum cupias, cum sit tibi Gobio tantum
In loculis.

Dein *Martialis Libro* XIII. scribens *Ep.* 88.

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ Gobius esse solet.

A sinistra manu leniter [1] surgunt amœni colles, qui serpillo atque aliis bene olentibus herbis saporis admodum delicati reddunt carnes pecudum, quæ ibidem pascuntur, & propter pastus præstantiam ex *Apulia* immittuntur. Ad radices earundem sæpissime gelidi erumpunt fontes & rivuli ad sedandam sitim peropportuni. Sacer eremus, dicatus *S. Mariæ Magdalenæ*, viæ supereminet. Versus *Turani* pontem tam delectabilis aperitur regio, ut quasi continuus viatoribus sit hortus. Cernuntur enim ibi arbores vitibus suis jun-
22 ctæ in ordinem dispositis, quem *quintuncem* appellat *Cato* apud *Tullium*, antiquo serendi ritu servato. Solum ibidem frugibus nitet, & leguminibus, melonibus multisque aliis salutiferis herbis varie distinctum, & prout anni tempus est virore vel flore oblectatos pascit oculos viatorum, usque dum ad portam Suburbii, quæ *Romana* dicitur, venias.

Hic ubi pontem transieris fossæ, quæ ramo *Velini* circumdat Suburbium, quæcunque ibi in vicinia circumquaque visebantur, complanata sunt Anno MDLVII. Pontifice *Paulo* IV. ut magis valida *Reate* redderetur, quo tempore sibi metuebat a *Regnicoli* & Duce *Albano*. Factum id omne fuit ex consilio Dominorum *Julii Bufalini*, & *Bernardini Savelli*, prout apparet ex Notulis Cancellariæ Prioralis. Plurimæ & ab hac & ab illa parte artificum observantur officinæ, propter multitudinem agricolarum ibidem habitantium.

Suburbium in sese continet Ecclesiam *S. Cæciliæ* Collegiatam, novam Ecclesiam a fundamentis excitatam Anno MDCXXXIV. & Reginæ Cœli dedicatam, sub titulo *Madonna del Soccorso*, & Præpositura *S. Angeli*. Illuc versus duæ existunt portæ; quarum altera ducit versus Badiam seu Monasterium *S. Salvatoris*, ejusque Castella, quibus Præpositura subjacet, quam nunc habet Reverendissimus Dominus Cardinalis *Barbarinus*, licet trecentis annis sub ditione fuerit *Reatina*, prout ex proprio statuto liquet clarissime, *Libro* I. Capitulo LXXXIX. Altera porta ducit ad *S. Antonium del Monte*, Ecclesiam & Conventum primarium Patrum Reformatorum *S. Francisci*, nobilitatum atque illustratum venerabili corpore Beati *Rainaldi Reatini*, Beati *Angeli du Monte Leone*, multisque aliis Beatorum corporibus, prout legere est in Annalibus *Minoritarum P. Lucæ Waddingi Tomo* I. Anno MCCXLI. Num. XV. fol 602.
23 Hic Bibliotheca antiqua est MSS. & Apotheca bene instructa, ad quam confugiunt, quotquot circa illa loca ex ordine *Franciscanorum* Observantum, aliqua infirmitate laborant. Locus orna-
A tur hortis amœnis, lucis pulcherrimis, frigidissimisque fontibus, qui simul & devotionem inspirant & animum recreant.

Verum ut redeamus ad Portam *di Ponte* dictam, quoniam desuper Pontem, qui super *Velinum* jacet, fabricata est, super eandem Portam ejus oppositam parem, immensæ molis assurgit turris, quæ ad ejusdem tutelam fabricata fuit; recte vero per illam longa via, partim saxis partim lateribus strata, & solidissimis innixa fornicibus, insensibiliter ascenditur ad Forum Urbis & Curiam. Ve-
B rum antequam adscendas, ubi pontem superaveris, dextram versus si deflectas, via te conducet post multas ædes privatas, usque ad Ecclesiam *S. Francisci*, Minorum Conventualium, haud mediocris magnitudinis, & in crucis formam *Gothico* artificio fabricatam. Appellata hinc fuit *S. Croce*, fuitque pristinis temporibus Hospitale famosissimum, dein vero *S. Francisco*, vivo Crucifixi imagini consecratum, & a Reverendis Ordinis istius Patribus præterito Anno pavimentum ejus fuit restauratum, & præter solitum ad duas cannas elevatum, atque solidissimo fornice substru-
C ctum, ne ulterius damnum accipiata *Velini*, prout quotannis experiabatur, inundationibus.

Multæ in eadem sunt Capellæ varie exornatæ, pricipue illæ, *della Santissima Nativita*, *della Concettione di S. Antonio di Padua*, *di S. Bernardino da Siena*, & *del Sagro Cordone*. Verum ante omnia suspici meretur venerabile Corpus Beati *Thomæ Florentini*, socii quondam in terris *S. Bernardini*, una enim Angelico more vixerunt. Cœleste revera Corpus; post tot enim sæcula, & tam frequentes, quibus humectatum fuit, *Velini* inundationes, integrum adhuc remanet.

D Præteritis annis, quum pupillam oculi sancti 24
depositi attigisset Dominus *Petruccius*, Archiepiscopus nunc *Senensis*, non solum tenera adhuc reperta fuit, verum impressionem, prout hodieque videre licet, servavit digiti.

Mortuus est vir iste Sanctus *Reate*, ultimo die Octobris, Anno MCCCCXLVII. Legimus autem *Parte* III. *Libro* II. *Capitulo* XXVIII. XXIX. & XXX. *Chronicæ Minoritarum*, Dei hunc servum tanta post mortem patrasse miracula, ut impediverit Canonisationem *S. Bernardini Senensis*. Motum itaque his, viventem tunc temporis, Bea-
E tum *Jo. di Capistrano*, & contendisse ad Sepulcrum hujus *Thomæ*, precatumque eundem esse, ut tantisper a faciendis Miraculis cessaret, quoad Canonisatus esset *S. Bernardinus Senensis*. Res mira! exaudiit illum Beatus, neque ante Canonisationem quæsitam ullum fecit Miraculum, verum post impletam eandem, prioribus etiam plura, ad devinciendos sibi devotos, patravit.

Non recensebo jam Sacras Reliquias, quæ in Ecclesia ista asservantur, nec vasti Conventus describam amplitudinem, dicam tantum locum esse, ubi propter bonam custodiam fiant Capitula Provincialia.

F Ne itaque longius divagando aberrem a proposito, ad Pontem redibo; ibi ad sinistram si deflectas, præter ædes Nobilium privatorum, civiumque, invenies Ecclesiam *S. Nicolai*, Parochiam *S. Luciam*, Monasterium Ordinis *S. Claræ*, raræ observantiæ; aliquanto longius Ecclesiam *Della Madonna del Pianto*, Confraternitatem satis nobilem, eodem in tractu Ecclesiam Venerabilis Confraternitatis *S. Petri Martyris*, divitem, numero-

---

1 *Surgunt amœni colles*] Agros *Reatinos* inter præstantissimos celebravit *Cicero Agraria* II. Cap. XXV. his verbis. *Libet agros emi, Primum quæro, quos agros, & quibus in locis? Albanus ager est* &c. *Ab alia porta, Capenas, Faliscus, Sabinus, Reatinus, Venafranus, Alifanus, Trebulanus.*

meroque Fratrum abundantem. Omnis iſta regio uno vocabulo *le Vadi* appellatur, quoniam in decliviori Urbis eſt loco.

25 Jam ad caput rurſus redeuntibus per plateam rectam Pontis, quæ directe ad Palatium conducit, ad dextrum atque ſiniſtrum latus multæ antiquæ atque novæ ſunt fabricæ, quas, tædium fugiens, prætereo. Cernitur ibi antiqua Eccleſia Parochialis *S. Petri* Apoſtoli, ſequuntur dein multa ædificia, infra quæ multæ artificum atque divitum mercatorum ſunt officinæ.

Longa peracta via venitur ad Forum, in cujus medio (eſt auten proportionatæ magnitudinis) antiqua viſitur columna, prope quam ultimis annis civitatis opera limpidus fons eſt excitatus, cujus aqua in varias inde domos, ad habitantum commoditatem derivatur. Æquali magnificentia & amœnitate ſurgit ibidem Palatium, quod partim Illuſtriſſimus Dominus Gubernator, partim Magiſtratus habitant. Situs ſe ipſum amœnitate vincit. Eſt enim in altiſſima Urbis parte, unde libere quatuor gaudet ventis ad placitum inhabitantium, non ſolum Urbi dominans, ſed etiam vicino agro, præſertim verſus Orientem & Aquilonem, opus ſane dignum provida Antiquitate, vincitur enim utilitas delectatione.

In Foro, verſus Occidentem, ſita eſt Eccleſia Parochialis *S. Joannis Euangeliſtæ*, Collegiata, *di Semplici Canonicati* cum ſuo Archipresbytero, antiqua devotione veneranda. Sequuntur duo pulcherrimi ordines fabricæ elegantis, poſt quos novum cernitur Palatium proportionatum ad auguſtius Templum, quod glorioſiſſimum *S. Proſdocimum*, diſcipulum *S. Petri*, fundatorem agnoſcit. Prima vice Anno MXCIX. ſub Pontificatu *Paſqualis* II. quaſi a fun-
26 damentis fuit reſtitutum a Domino *Benincaſa*, Epiſcopo tunc Eccleſiæ iſtius, prout conſtat ex Notulis *Victorii*, plurimis vicibus a me citati; poſtea vero Anno MCCXXV. tempore *Honorii* III. reſtauratum fuit, & in honorem Omnipotentis Dei, & Glorioſiſſimæ ſemper Virginis *Mariæ* conſecratum a Pontifice eodem II. Septembris, aſſiſtentibus multis Dominis Cardinalibus & Prælatis, prout patet ex publica memoria, quæ inter Archiva Canonicorum eſt.

Hæc eſt antiqua Eccleſia Cathedralis *Reatina*, illuſtrata a Sanctiſſimis Epiſcopis, ampliata a zeloſiſſimis Cardinalibus, quorum quidem viſum mihi eſt hoc in loco ſatis opportune contexere catalogum & Chronologiam, in brevem, quantum fieri poteſt, & piam eorundem recordationem.

Primus, ut dixi jam, qui Eccleſiam iſtam fundavit, ex antiqua traditione, Calendario *Reatino*, ex Picturis, & Numiſmate Sancti iſtius imagine ſignato, & a Domino *Laurentio Cicchino* devote ſervato, probatur fuiſſe *S. Proſdocimus*, poſtea Epiſcopus *Patavinus* factus.

Anno CCCLXX. prout ex Martyrologio *Romano* XV. Martii patet, Epiſcopus fuit *S. Probus Reatinus*. Summarium miraculoſæ ejus vitæ & mortis *S. Gregorius* deſcripſit breviter *Lib.* IV. *Cap.* XII. & noviſſime *Jo. Severanus* in Libro inſcripto, *Pretioſæ mortes juſtorum.* litera P. pag. 454.

Anno CCCCXCIV. eandem Eccleſiam gubernavit ſub *Gelaſio* I. Cardinalis *Probianus*, titulo *S. Euſebii*, prout ex *Gratiano* colligere licet.

Paſtoralem eandem Curam Anno DII. habuit Dominus *Urſus*, prout apparet ex Tomo II. *Conciliorum*, *Parte* I. *Fol.* 522. *litt. E.* eumque Prælatum ejuſdem credo fuiſſe familiæ, quæ patrona
27 fuit Caſtelli, quod vocatur *Poggio Perugino*, Urbi noſtræ ſubjecti Anno MCCCXIV. prout fuſius ultimo *Capite* perſequemur.

Anno DL. vel circa illa tempora, Prælatum Cathedralis iſtius Eccleſiæ invenio *Albinum*, cujus meminit *S. Gregorius Lib.* I. *Dialog. Cap.* IV. *verſ. Opus Petre* &c. expreſſis hiſce verbis, *Reverendiſſimus vir Albinus Reatinæ Autiſtes Eccleſiæ*, & quæ ſequuntur.

Anno DC. ipſius *S. Gregorii Magni* temporibus, Civitatis iſtius Epiſcopus fuit *Probinus* Cardinalis ſub titulo *S. Cyriaci*, prout *Gratianus* & *Ciacconius* teſtantur.

Gregem rexit Anno DCXLII. *Reatinus Gaudioſus*, ita appellatus *Tomo* II. *Concilior. Parte* II. *fol.* 215. *littera E.*

Anno autem DCCCLIII. Cardinalis *Baronius Tomo* X. *fol.* 102. *litt. D. col.* II. ponit *Reatinum* Epiſcopum *Colonum*, ita etiam appellatum a Papa *Leone* IV. in Epiſtola quadam ſcripta ad *Lotharium* & *Ludovicum* Auguſtos, quæ legi poteſt apud *Gratianum Diſtinct.* LXIII. *C. Reatina*, atque ita ſe habet,

LEO PAPA IV. LOTHARIO ET LUDOVICO AUGUSTIS.

Reatina Eccleſia, quæ per tot temporum ſpatia paſtoralibus curis deſtituta conſiſtit, [1] dignum eſt, ut brachio Amplitudinis veſtræ ſublevetur, ac gubernationis regimine protegatur. Unde, ſalutationis alloquio præmiſſo, veſtram manſuetudinem deprecamur, quatenus Colono, humili Diacono, eandem Eccleſiam ad regendum concedere dignemini: ut, veſtra licentia accepta, ibidem Deo adjuvante conſecrare valeamus Epiſcopum. Sin autem in prædicta Eccleſia nolueritis, ut præficiatur Epiſcopus; Tuſculanam Eccleſiam, quæ viduata exiſtit, illi Veſtra Serenitas dignetur concedere: ut conſecratus à noſtro Præſulatu, Deo omnipotenti veſtroque Imperio grates peragere valeat.

Refert dein idem *Gratianus Capite* proxime 28
ſequente, quod incipit, *Nobis Dominus Imperator*, Papam eundem ſcripſiſſe ad Comitiſſam *Ritam* in hæc verba:

Nobis D. Imperator, & Imperatrix per ſuas Epiſtolas dixerunt, ut Colonum in Reatina Eccleſia, quæ paſtoris Officio per longa jam tempora deſtituta videbatur, Epiſcopum facere deberemus: ſicut & fecimus.

Nihil itaque mirari debemus tanto temporis intervallo diſtare a ſe invicem Antiſtites, id enim temporis infelicitati eſt referendum, quo miſera Urbs, imo toto *Italia*, mille modis a Tyrannis fuit vexata, unde prædictus Papa, miſericordia commotus, tantopere Eccleſiæ iſtius curam Imperatori commendavit.

Anno MCIX. Paſtoralis cura Domino *Benincaſæ* fuit commiſſa, quem, prout jam ſuperius hoc Capite diximus, ut reſtauratorem Eccleſiæ Cathedralis hujus laudat *Victorius*.

Anno MCLVI. Pontifice *Adriano* IV. cum zelo Paſtorali præfuiſſe Eccleſiæ Religioſum invenio Antiſtitem, qui *Dodo* appellatur in Marmoribus quibuſdam collocatis in *Monte Leone* (antiquitus *Trebula* dicta) *Sabinorum* loco inſigni, & Diocœſeos *Reatinæ*. Conſervantur Marmora iſta in Eccleſia *S. Victoriæ*, atque hiſce exornantur Inſcriptionibus:

EGO DODO, REATINÆ ECCLESIÆ EPISCOPVS DEDICAVI ECCLESIAM S. VICTORIÆ VIRGINIS, CVM TRIBVS EPISCOPIS, VIDELICET ANSELMO FVLGINATENSI EPISCOPO, ET BERARDO FVRCVNEN. EPISCOPO, ET BEN: MARSIO EPISCOPO, IN OCTAVA DEDICATIONIS SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI.

Aliud

1 *Dignum eſt*] Ita in Exemplari meo inveni, ubi an typorum fuerit vitium, pro *digna eſt*, an pro ætatis iſtius locutione ſit accipienda, ambigo. Indicari tamen debuit.

29 Aliud item, quod sub Altare Majori ejusdem Ecclesiæ servatur, sequentem habet Inscriptionem: EGO DODO, REATINÆ ECCLESIÆ HVMILIS EPISCOPVS, CONSECRAVI HOC ALTARE AD HONOREM B. MARIÆ VIRGINIS. ET S. NICOLAI, ET S. CHRISTOPHORI, ET S. LEONARDI, ET S. BLASII: IN QVO RECONDIDI RELIQVIAS SS. SEBASTIANI, ET FABIANI, S. PAVLINI, PROTI, HYACINTHI, PRIMI, FELICIANI, LAVRENTII, ANNO MCLVI. IND. IV. KAL. IVN. TEMP. ADRIANI IV. P. P.

Anno MCLXXIX. prout ex ejusdem Cathedralis Archivis apparet, Ecclesiam eandem rexit *Odo*, quem in Notulis suis testatur *Victorius* consecrasse Ecclesiam Abbatiæ SS. *Quirici* & *Juliettæ*, prope *Antrodocum*, ejusdem Anni die Septembris decimo.

Anno MCLXXXV. Pontifice *Lucio* III. *Reatinus* Episcopus fuit *Benedictus*, eodem tempore quo in Urbe illa nuptiæ celebratæ sunt inter *Henricum*, Imperatoris *Friderici* filium, & *Constantiam*, filiam *Rogerii*, Regis *Siciliæ*, cujus rei memoriam servat hodieque Marmor vicinum portæ majori Domus Episcopalis, ita inscriptum:

ANNO DOMINI MCLXXXV. INDICT. III. MENSE AVGVSTI, DIE XXVIII. TEMPORIBVS LVCII PAPÆ III. FEDERICI RONANORVM IMPERATORIS, ET BENEDICTI REATINÆ SEDIS EPISCOPI, ET CONRADI DVCIS SPOLETI, REX HENRICVS FILIVS EIVSDEM IMPERATORIS RECEPIT REATE REGINAM CONSTANTIAM, FILIAM ROGERII REGIS SICVLI, IN VXOREM PER LEGATOS SVOS, CVM MAXIMA MVLTITVDINE PRINCIPVM, ET BARONVM.

30 Anno MCXCVI. Episcopus erat *Adinolphus*, quod non tantum constat ex *Archivis*, sed & ex *Baronio Tomo* XII. *fol.* 892. *lit. A. Anno* MCXCVI.

Anno MCXCVIII. vel circiter, Cardinalis *Ugolinus de' Conti*, seu *de Comitibus*, Diaconus Cardinalis *S. Eustachii*, hanc honorabat Ecclesiam, prout constat ex Archivis, & præterea ex *Capite* XVIII. *Florum S. Francisci.* Adeoque & Purpura ejus Civitati nostræ decori fuit, & quod esset Nepos S. illius Pastoris *Innocentii* III. vitæ præterea tam exemplaris, ut ad unguem observaverit regulam P. S. *Francisci*, quæ hodieque *Reate* invenitur; prout notat *Ciacconius*, & diffuse demonstrat *Waddingus*, qui & adjungit, eundem Anno MCCXVII. locum quendam P. S. *Francisco* consecrasse, qui dicitur *La Madonna della Foresta.*

Anno MCCLI. Episcopus fuit *Thomas*, Antistes piissimus, cujus rei testimonium est lapis positus in magno Cathedralis Campanili, quod ejusdem temporibus videtur esse exstructum.

Anno MCCLX. Episcopatum accepit *Gotifredus*, prout notat *Jo. Ludovicus Lælius* in Historia *Montis Regii*, seu *Monrealis*, *fol.* 35. qui subjungit ibidem, post ejus Antistitis mortem, septem ex quatuordecim istius Capituli Canonicis elegisse *Jacobum*, dictum *Saracenum*, sex vero reliquos Fratrem *Benevenutum*, Ordinis *S. Francisci*, unde magnæ turbæ inter duos istos electos sint secutæ. Quum enim negotium hoc *Gregorius* X. commisisset Cardinali *Anchero Pantaleoni* tituli *S. Prasſedi*, nepoti *Urbani* IV. & post longas controversias, evectus interim ad Pontificatum *Nicolaus* III. ex *Ursiniana* Domo esset, Papæ huic *Jacobus* res suas commendavit, qui, rejecto *Benevenuto*, ut impare votorum numero, *Jacobum* elexit, & Episcopum *Reatinum* fecit.

31 Anno MCCLXXVIII. *Soræ* antea Episcopus, post hujus Urbis, *Petrus* fuit, tantæ existimationis, ut idem Pontifex Nuncium illum Apostolicum declaraverit, in gravissimis rebus, ad *Alphonsum Sapientem*, Regem *Castiliæ*. Anno vero MCCLXXXI. instituit eundem Collectorem decimarum *Siciliæ*, inprimis commendata illi cura, quantas posset, colligeret eleemosynas, ad subsidium Expeditionis in Terram Sanctam. Quæ cuncta accurate apud *Lælium* recensentur.

Anno MCCLXXXIII. Papa *Martino* IV. curam Cathedralis gessit idem Episcopus *Petrus*. Cujus rei sufficiens testimonium præbet Marmor positum super vestibulum Palatii Episcopalis, quod egregie ex ruinis vicini Amphitheatri *Vespasiani* fuit excitatum, Est autem hæc ejus Inscriptio:

IN NOMINE DOMINI AMEN. ANNO
DOMINI M. CC. LXXXIII.
EX QVO PRÆFVERAT MARTINVS
QVARTVS IN VRBE,
AC ORBIS TVRBÆ TERTIVS ANNVS ERAT:
PRÆSVLIS INCOEPTVM FVIT CVM
TEMPORE PETRI,
CRESCAT IN EFFECTVM FACTOR
ADOPTO METRI.
CONSILIO SANI GVILLIELMI FOEDVS INITVR,
IVSSV PISANI, SIC OPVS INCIPITVR.
ANDREAS OPERI PRAEFECTVS,
MENTE PERITVS,
HOC STVDIO FIERI FECIT, ET
ARTE CITVS.

Anno MCCXCII. prout testatur Inscriptio Campanæ majoris quæ in Domo est, præsidebat *Andreas* quidam, vir sanctorum morum. Leguntur in eâdem hi versus.

Virtutem largire Deus, cum Virgine, miram.
Urbem Reatinam Pater Andreas cathedrabat,
Qui decus Ecclesiæ simul & virtutis amabat.

Anno MCCXCIII. prout ex Archivis liquet, *Reatinus* Pastor fuit Dominus *Berardus*. 32

Apparet clarissime ex *Ciacconio* Anno MCCXCVIII. *Reatinam* Ecclesiam rexisse *Theodoricum Ranieri*, *Orvietanum*, qui eodem Anno in *Reate* Cardinalis fuit factus a *Bonifacio* VIII. die IV. Decembris, sub titulo *S. Crucis in Hierusalem.* Antistes iste magnorum meritorum vir fuit; unde pro Collectore in *Germaniam* missus est a *Martino* IV. & a *Bonifacio*, præter Purpuram, *Cameralegati* titulo fuit exornatus, ut & Legatione ad Provinciam *del Patrimonio.* Ita ut de eodem agens *Ciacconius*, concludat hisce verbis: *tranquille provinciam & integre rexit.*

Successit Cardinali illi Anno MCCCVI. *Joannes*, cujus, ut & reliquorum ejus nominis, cognomen nullo modo in Memoriis reperire potui.

Mortuo *Joanne* hoc, Anno MCCCXVIII. Ecclesiæ hujus Episcopatum impetravit *Johannes Muto de Papazurris*, Nobilis *Romanus*, Canonicus *Lateranensis*, prius *Imolæ* Episcopus, prout egregie patere potest ex Epitaphio Sepulchrali, quod est in loco, ubi ossa ejus conclusa sunt, in Basilica Lateranensi, atque ita sese habet: 33

D. O. M.
IOANNI MVTO DE PAPAZVRRIS NICOLAI
F. LATERANENSIS SACROSANCTÆ
BASILICAE CANONICO,
IMOLENSI, AC REATINO EPISCOPO,
SACELLI B. CONSTANTIAE ERECTI,
LVCEMBRV, TVSCVLANO FVNDO,
VT SACRVM IN EO QVOTIDIE,
QVOTANNIS VERO DVO ANNIVERSARIA
FIERENT, DOTATI
A CLEMENTE PAPA VIII. CANONICIS,
CHORI STRVENDI CAVSA DIRVTI

EGRE-

EGREGIO FUNDATORI
ANNO 1336. VITA FUNCTO
CURTIUS MUTUS DE PAPASURRIS EIUSDEM BASILICAE CANONICUS, REI GESTAE IMMORTALITATI CONSULENS, ANTIQUUM ILLIUS MONUMENTUM HUC E DIRUTO LOCO DEDUCTUM IN HOC VETERIS SACELLI INGRESSU GENTILI SUO POSUIT. A. M. DCVII.

Anno MCCCXLIV. Pastor vivebat *Raimundus*, quod ita docent Antiquæ Scripturæ inter Archiva asservatæ.

Anno MCCCXLVIII. eandem Ecclesiam rexit Episcopus *Biagius*. Confirmat id *Statutum Reatinum Lib.* III. *fol.* 55. ubi confirmantur certæ conditiones inter Clerum & Urbem in materia Jurisdictionali, Anno MCCCLIII.

Circa Annum MCCCLXXI. florebat in Ecclesia ista *Petrus Tartarus Reatinus*, Cardinalis S. Ecclesiæ creatus a *Gregorio* XI. orbatus vero Purpura, ob causam, quam narrat *Ciacconius*, a Papa
34 *Urbano* VI. Anno MCCCLXXXV. verum quatuor post annis restituit hanc illi dignitatem *Bonifacius* IX. Licet vero non expresse affirmet *Ciacconius* Antistitem hunc fuisse *Reatinum*, nihilominus citatus ab ipso *Thomas Waddingius*, & Catalogus *Montis Cassini* nullam illi litem movent.

Quoniam dignitatibus suis Ecclesiasticis privabatur Cardinalis *Tartarus*, Anno MCCCLXXXVIII. Episcopatus ad *Bartholomæum Mediovaccam*, Nobilem *Bononiensem*, pervenit, Rotæ Auditorem, postea etiam Cardinalem, sub titulo *S. Marcelli*, de quo testatur *Ciacconius*, quod fuerit *ad maxima quæque negotia pertractanda promptus*, qui tamen simillimam variæ sortis cum Cardinali *Tartaro* expertus est fortunam, prout legere est apud *Ciacconium*.

Anno MCCCXCVII. *Reatinus* nobilis *Lucius Alfanus* eo honore potitus est, qui, quum in loco quodam Diocœseos suæ esset, nefarie a cognatis suis inimicis trucidatus est.

Eodem Anno MCCCXCVII. successit illi *Ludovicus*.

Anno MCCCCXLVII. alius cognoscitur, nomine *Matthias*.

Anno MCCCCLVII. *Angelus* quidam *Esculanus*.

Anno item MCCCCLVII. Episcopus fuit *Angelus Capranicus Romanus*, & cum in eadem Urbe esset Episcopus Anno MCCCCLX. *Pius* II. eum creavit Cardinalem, sub titulo *S. Crucis Hierosolymitanæ*, propter merita & vitæ innocentiam, cui Pontifici *Pio* in gravissimis Ecclesiæ rebus operam suam navavit. Utque multis parcamus verbis, *Ciacconii* plenissimo utemur testimonio, cujus haud multis regulis eximia ejus viri laus continetur, Dicit itaque: *Legatus fuit Bononiæ & totius Italiæ: in*
35 *rebus religionis ad Principes Italos fuit ferme Angelus, nomine, moribus atque doctrina: magna memoria, maxime in Theologia, non solum testimonio Pii II. sed totius Urbis Romæ.* Adjungit hisce *Vitorellus* & illa: *Solers in Pastorali creditæ Ecclesiæ cura, annis pluribus conciones ad populum habuit Angelus.* Cernitur adhuc in *Cathedrali* sacra religiositatis ejusdem memoria, Porticus, tam Ecclesiæ quam Sedis Episcopalis, cum Capella *S. Catharinæ* ab ipso exstructa.

Anno MCCCCLXXIII. honor hic collatus est in Dominum *Dominicum*, & licet in Epitaphio ejusdem non exstet cognomen, magnæ tamen apparet fuisse auctoritatis prout conjicere licet, & peritus literarum pariter atque armorum; multi vero dicunt fuisse ex Domo *Carnassalio*, & utpote familiaritate maxima *Capranicæ* familiæ junctum, eadem adoptasse insignia; multi autem ex ipsa *Capranicorum* Domo illum deducunt. Memoria hujus Antistitis invenitur ad pedes imaginis ejusdem, quæ exstat in muro quodam prope Sacellum *S. Sacramenti*, atque istius fa-

A bricæ occasione cancellis inclusa est. Est autem talis:

Cernite sum Pictus miser hac Imagine Præsul
Dominicus, Populi fama, salusque mei.
Te primum rexi stabili [1] *Themone Rheate,*
Mox, & Cæsenæ mœnia lance pari.
Hungariæ Regem pressi tibi Roma latrantem;
Me Duce persensit gens Perusina jugum.
Ad Cesenates tandem prope fata remissus,
Factus ea clausi languidus Urbe diem.

D. O. M.
DOMINICO EPISCOPO RHEATINO.
B. M. V
B VINCENTIUS NEPOS CANONICUS 36
RHEATINUS FACIUNDUM C.

Legitur de eodem alibi: *Dominico propria virtute Episcopo Reatino.*

Anno MCCCCXCIII. gubernavit Cathedralem hanc *Joannes Columna*. Cardinalis Diaconus, sub titulo *S. Mariæ in Aquiro*, creatus a *Sixto* IV. Postquam autem ultro dignitati suæ renunciasset, quum illi cum *Alexandro* VI. non conveniret, mortuus est die decimo sexto Septembris anno MDVIII. Cardinalem hunc Episcopum *Reatinum* fuisse patet ex Epistola ejusdem scripta ad Canonicos, quam servat penes se Dominus *Laurentius Cecchinus*, est
C autem talis.

JO. DIACONUS CARDINALIS } DE COLUMNA

Venerabiles Viri, nobis carissimi, salut. Inteso quanto per li vostri Oratori ci è stato esposto della nuova deputatione, che havete fatta con eleggere due Beneficiati Camerlenghi, & un Canonico Depositario, la quale cosa non volemo omnino vada innanti, perche non volemo, che tali consuetudini, quali per lo passato non furno mai in questo Capitolo, che al presente meno s' innovino, E così havemo scritto al nostro Vicario, che tale cosa non habbia effetto l' havemo ben scritto, che veda de rascione tutte le differentie,
D *che sono fra li Canonici, & li Beneficiati, e che administri giustitia generale; alla quale ve esortamo vogliate restare patienti, & attendere al ben vivere,* 37
& culto Divino. Unde possiamo de voi sempre aspettare bone relationi, e così v' esortamo vogliate fare. Nec alia, bene valete. Romæ 18. Junii 1507. Hæc propria manus est Cardinalis. *Etiam vos, etiam cum vestris Beneficiatis, & Clero* [2] *debeatis pacifice, & unite, postposito odio, & malevolentia, semper cum charitate, & bonitate, cum quibus cultum divinum incessanter vobis commendo.*

Loco ✠ Siglli.

E JO. CARD. DE COLUMNA.

Anno MDIX. *Sansovinus* in Libro de *Familiis Illustribus Italiæ*, agens de Domo *Columnæ fol.* 93. enumerat ibi *Fabium* filium *Octaviani Columnæ*.

Anno MDXI. usque ad Pontificatum Julii II. Episcopus *Reatinus* fuit *Pompejus Columna*, prout testantur *Guicciardinus Lib.* X. & *Ciacconius* in Vita *Julii*, litera B. Cardinalitia dignitate exornatus fuit a *Leone* X. postquam autem retento Episcopatu usque ad Annum MDXXXII. illum tradidisset titulum *Mario Aligero*, eodem Anno, mense Augusto *Neapoli* diem suum obiit.

Annum circa MDXXXII. *Marius* iste *Aligerus*
F *Reatinus*, Episcopatum, traditum sibi a Cardinale *Columna*, ut diximus, accepit; fuit autem vir tantæ experientiæ & virtutis, & tantopere adamatus a Cardinale *Columna*, ut suæ Domus illum nomine exornare voluerit. Testatur illud, ut alia jam mittam, Monumento ejus marmoreo insculpta indelebilis Inscriptio. Conspicitur vero in ejus Sacello in Ecclesia Cathedrali, atque ita sese habet:

D.

1 THEMONE] Puto scribendum TEMONE, id est, gubernaculo.

2 Debeatis] Sensus imperfectior est, leg. forte degatis. *P. Angelotti.*

B

D. O. M

MARIO ALIGERO DE COLVMNA, RELIGIONE, INTEGRITATE, PRVDENTIA, ET POMPEII COLVMNAE CARDINALIS VICE CANCELLARII LIBERALITATE EPISCOPO REATINO, QVI SVMMAM NOMINIS CELEBRITATEM IN REGENDIS, ANCONA, PICENO, BONONIA, PLACENTIA, PERVSIAQVE SVB PAVLO III. PONTIFICE MAXIMO AVCTAM LEGATIONEM IN HISPANIAM AD CAROLVM V. IMPERATOREM PRO CONCILIANDA INTER CHRISTIANOS PACE ILLVSTRAVIT.

FABRITIVS REAT. ARCHIDIAC. IVR. CONS. FRATRI DE SE OPTIME MERITO POSVIT. VIXIT ANNOS 63. MENSES 3. DIES 28. OBIIT PRIDIE NONAS OCTOBRIS 1555.

Anno MDLIX. Ecclesiam rexit *Joh. Baptista Osius*, *Romanus*, eaque de re interfuit Concilio *Tridentino*, prout videre est ex *Tomo V. Conciliorum*. Mortuus est *Spoletæ*, redierat enim *Tridento* ad Episcopatum suum, Anno MDLXII. Novembris die XII.

Anno MDLXIII. huic Ecclesiæ *Pius* IV. præfecit *M. Antonium Amulium*, Nobilem *Venetum*, Sacerdotem titulo *S. Marcelli*. Vir fuit magni ingenii, & eloquio pollens, unde illud elogium
39 ejus apud *Ciacconium* legitur: *Vir sapiens pariter atque eloquens*. Vivit adhuc secretus focus inextinguibilis pietatis magni istius Antistitis in sanctis muris Seminarii *Reatini*, ab illo cum sanctis institutis fundati atque ordinati. Ante alios omnes vero promovit jussa Concilii *Tridentini*, cui etiam ipse interfuit.

Anno MDLXX. quum subita morte raptus esset *Amulius*, successor illi datus est Dominus *Marinus Victorius*, *Reatinus*, vir eminentissimus in omni genere scientiarum. Testantur id *S. Hieronymi* Opera, doctis Commentariis ab illo illustrata, ut & Liber, qui inscribitur *De Sacramento Confessionis & Antiquis Pœnitentiis* contra Hæreticos scriptus, tanto cum Zelo & Spiritu Catholico, ante oculos Cardinalis *Moronis*, per quem, utpote Theologus, interfuit S. Concilio *Tridentino*, & a Patribus ibidem congregatis in maximo pretio fuit habitus. Et nisi egregios ejus conatus immatura mors interrupisset Anno MDLXXII. non solum, per exaltationem in gradu Ecclesiastico, majori decori patriæ suæ fuisset, verum utilitati universæ Ecclesiæ Christianæ adhuc magis inservisset. Constituerat enim diversa alia opuscula in lucem edere contra inimicos istos Ecclesiæ *Romanæ*.

Ut autem tanto magis de ejusdem meritis atque exemplari vita constet, omittere nolui Distichon quoddam, quod scriptum legitur in fronte paternorum ejus tectorum. Est autem hoc:

ROMULIDO, GRAIO, ASSYRIO, SOLYMOQVE, SACRISQVE
FLORVIT ELOQVIIS, AC PROBITATE NITENS.

Anno MDLXXII. Dominus *Binarini* consecratus fuit in Episcopum Ecclesiæ istius, qui eandem incredibili tranquillitate & pace administravit.

Anno MDLXXVI. vel circa illa tempora, *Gregorius* XIII. ad eundem Episcopatum promovit
40 Dominum *Constantium Bargelinum*, Nobilem *Bononiensem*, suumque affinem, Ordinis *S. Francisci*, & *Romæ* Gubernatorem, prout in fine Memoriarum *Victorii* legitur.

A Anno MDLXXXV. *Julius Cæsar Segni*, Nobilis *Bononiensis*, postquam Senator Urbis *Romæ* fuisset factus, ab eodem *Gregorio* factus est Episcopus *Reatinus*, cujus æquum & sapiens regimen adhuc prædicatur.

Anno MDCIII. usque sequentem annum, Sedem, hanc tenuit Dominus *Desiderius Jo. de Comitibus da Norcia*, qui nisi repentina morte præventus fuisset (obiit enim rupta subito in pectore vena) satis magnum pro Ecclesia sua zelum præstitisset.

Anno MDCIV. dignitatem hanc a *Clemente* VIII. accepit Dominus *Gasparus Pasqualis*, natus *Monte Regii* in *Abruzzo*, Diocœseos *Reatinæ*, Theologus insignis Ordinis *Minorum Conventualium S. Francisci*, quique, propter virtutem suam, ante obtinuerat Episcopatum *Rubenensem* in *Calabria*. (B)

Ut autem ab ulteriore ejus laude parcam, facit Epitaphium, quod in honorem ejusdem erectum legitur in Ecclesia *Reatina* Cathedrali, ubi ille sepultus jacet, quodque ita concipitur:

D. O. M.

GASPARI PASQVALI DE MONTE REG. ORDIN. MINOR. CONVENT. THEOLOGO INSIGNI. EPISCOPO PRIMVM RVBEN. A SIXTO V. MOX REATINO A CLEMENTE VIII. VIRO PIO AC VITAE INTEGERRIMO. (C)

POST MVLTA RELIGIOSE GESTA, MAXIMEQ. IN PAVPERES, PRAESVLATVS SVI AN. XXIII. AETAT. LXXV. VITA FVNCTO IDIBVS IVN. 1612. HERCVLES PASQVALIS, CANONIC. REATIN. FRANCISCVS NEPOS, GASPAR PRONEPOS FRATRI, ET PATRVO OPTIMO MESTISS. P. P. 41

Anno MDCXII. mortuo *Pasquale*, Ecclesiam hanc *Paulus* V. Sanctæ Memoriæ, tutandam dedit *Petro Paulo Crescentio*, *Romano*, Sacerdoti Cardinali (tunc quidem) sub titulo SS. *Nerei* & *Achillei*, ad eandem dignitatem evecto ab eodem Pontifice die decima septima Augusti Anno MDCXI. Pastoralem ejus Ecclesiæ curam toto *Pauli* Pontificatu obtinuit: verum a *Gregorio* XV. Felicis Memoriæ, translatus ad Ecclesiam *Orvieti*, ibi adhuc eandem regit, cum satisfactione & fructu omnium illius incolarum, prout Dominus *Cerronius Cerronii* nobilis *Reatinus*, Vicarius ejusdem, aliique multi concorditer prædicant. (D)

Anno MDCXXI. *Gregorius* XV. quum, ut diximus, *Reate* transtulisset *Orvietum* Eminentissimum Dominum Cardinalem *Crescentium*, & Ecclesiæ *da Tivoli* præficere volens Em. Cardinalem *Bartholomæum Cæsium*, summopere ab illa desideratum, Ecclesiæ *Reatinæ* Antistitem fecit, qui *Tivoli* Episcopus erat, *Jo. Baptistam Tuscum Rheginensem* ex *Lombardia*, Cardinalis *Tusci* nepotem. Hic ub per duodecim nostra in Urbe annos vixisset, diem clausit duodecima Decembris, Anno MDCXXXIII. (E)

Anno MDXXXIII. qui nunc sedet Pontifex Summus *Urbanus* VIII. Ecclesiam istam dedit *Gregorio Nari*, *Romano*, Cardinali titulo *SS. Quiricii & Juliettæ*, ab eodem ad Purpuram evecto mense Decembri, Anno MDCXXIX. qui egregium (F)
suum zelum testatus tam erga populum suum & 42
Ecclesiam, quam erga Monasteria, & peculiariter erga Cathedralem Ecclesiam, dum ejus fabricæ renovationem animo molitur, ad meliorem vitam transiit *Reate*, die septimo Augusti, Anno MDCXXXIV. insolabili civium mœrore, cujus corpus post anni tempus *Romam* transportatum fuit, ut sepeliretur in Capella familiæ suæ, in Ecclesia *S. Mariæ Supra Minervam*.

Tantorum Virorum insistentem vestigiis providen-

videntia Sanctiſſimi Pontificis *Urbani* VIII. *Reatinum* Epiſcopum & tot animarum cuſtodem habemus hodie Eminentiſſimum & Reverendiſſimum Dominum *Joannem Franciſcum* Cardinalem, ex Comitibus *Guidorum di Bagno*, Præsbyterum Titulo *S. Alexii*, Paſtorem tanto zelo procurantem ſalutem animarum ſibi commiſſarum, quanto ſuam quoque propriam vero Dei cultu exornantem; qui varia ſua doctrina, providentia, & aliis heroicis ſuis virtutibus, egregio Regiminis ſui initio tanta & tam clara omnigenæ virtutis edidit ſpecimina, ut pleniſſime amiſſionem illorum qui præceſſere per ſe compenſet, unde recte cum Poëta dicas Æn. VI. verſu 143.

—— —— *Uno avulſo non deficit alter*
Aureus.

Si quis vero illorum, qui hæc legerit, nimis ſuccinctam hanc noſtram exiſtimet Chronologiam, tam reſpectu exigui numeri Epiſcoporum, pro tanto, a quo cepimus, tempore, quam exiguæ cognitionis majoris illorum partis, & quoad proſapiam, & quoad mores reſque geſtas, ille hæc ſequentia conſideret.

Eccleſia hæc ſæpe (ut alibi dixi) per integra aliquot ſecula Paſtorali cura caruit, tam ante Pontificatum *Leonis* IV. ut ex ſequentibus ejuſdem verbis patet: *Eccleſia Reatina, quæ per tot temporum ſpatia Paſtoralibus curis deſtituta conſiſtit*; quam
43 *Gregorii* pariter X. prout teſtatur *Jo. Ludovicus Lælius* in Hiſtoria *Montis Regii pag.* 35. Atque adeo (ut opinor) facilis in his venia mihi concedetur. Quod autem multorum Antiſtitum nomina duntaxat, non vero res geſtas & reliqua accurate recenſere potuerim, id inde evenit, quoniam perditus eſt *Liber Capitularis*, in quo per Annales digeſti erant omnes ejus Eccleſiæ Antiſtites, quæ res multum mihi laboris creavit, quo cuncta Concilia pervolvere, & multas diſperſas in Urbe hac Memorias inveſtigare & perſcrutari ſum coactus.

Verum tempus eſt, ut ad Eccleſiæ redeamus deſcriptionem. In extremo Atrii angulo cernitur Glorioſi Præcurſoris Templum, cum Baptiſmi ſeu Lavacri fonte in medio, ſuperbo præterea exornatum Campanili, ex lapidibus quadratis, in quo quinque longe maximæ pendent campanæ, ſuavem concentum concordi ſono efficientes. Eccleſia tota in tres naves ſeu partes diſtincta eſt, cum Cruce ſua, & tecto faſtigiato in rotunditatem ſupra altare, quod altero itidem faſtigiato rotundo tecto, ſed minore, quatuor ſuſtentato columnis, apprime exornatum conſpicitur. Sub eodem aſſervatur pretioſiſſimus theſaurus Corporis *S. Barbaræ* Virginis & Martyris, antiquæ *Reatinæ* Urbis Protectricis. Virgineum hoc depoſitum, olim illuc (ut Eccleſiæ Acta teſtantur) miraculoſe deportatum, a magno Pontifice *Honorio* III. ſub Altari iſto cum honorifico ornatu fuit collocatum, una cum Corporibus *S. Julianæ* Virginis & Martyris, atque ejuſdem *S. Barbaræ* ſororis, & *S. Probi*, veteris Epiſcopi *Reatini*, & parte Corporis *S. Dionyſii*, patre *S. Pancrati* Martyris, ut & parte Corporis *S. Cornelii*, & brachio *S. Victorini*, fratris *S. Severini* Martyris. Prius ibidem erant repoſitæ Reliquiæ Corporum *S. Hermetis*, *Hyacinthi*, & *Maximi* Martyrum, aliorumque, quæ jam ex auctoritate Papæ *S. Gregorii*
44 (ut patet ad oculum ex *Regiſtro Epiſt.* XII.) repoſitæ ſunt ſupra fornicem ſubterraneæ concamerationis ſeu Grottæ, quæ ſub Cruce ejuſdem eſt Eccleſiæ, nunc dedicatæ Sacro Stemmati Seraphici Patris *S. Franciſci*, cum Confraternitate, quæ ſub vexillo cœleſtis iſtius miniſtri devote militat.

Hic, vigente Idolorum cultu, Templum fuit

A *Priapi.* Sed recenſebo porro alias ex multis Reliquias, quæ viſenda cuique in Argenteo Reliquiario aſſervantur. Inter illas brachium eſt *S. Andreæ* Apoſtoli, quod perpetuo miraculo, gummam facit; ut & caput *S. Balduini Reatini*, Abbatis Monaſterii *S. Paſtoris*, cujus Corpus in eadem conſervatur Eccleſia. Caputius *S. Franciſci d' Aſſiſiis*, & pars Corporis *S. Eleutherii* & *Antiæ*, Martyrum.

B Velut in labyrintho, nullum invenirem exitum, ſi deſcribere inſtituerem amplitudinem & pulchritudinem auguſtiſſimi iſtius Templi, quod & ab Illuſtriſſimo Sodalitio Sanctiſſimi *Sacramenti*, & devoto Populo duobus Capellis ditatum & ampliatum eſt, artificioſiſſime ad latera ſummi Altaris exſtructis, quarum altera honori Auguſtiſſimi *Sacramenti*, altera Reginæ Cœli dedicata eſt, ſub titulo *Madonna del Popolo.* Chorum tamen præterire nequeo egregie ex nucis arboris ligno elaboratum, atque in tres ordines ſedum variorum diſtinctum, quorum infimum Clerici, medium Beneficiati, ſupremum occupant Cano-
C nici, qui cum Archidiacono ſuo honoratum quadragintorum ordinem efficiunt Virorum Sacrorum, circa Tronum Epiſcopalem. Superfluum eſſet catalogum contexere divitiarum tam temporalium, quam ſpiritualium hujus Eccleſiæ, ſeu (ut *S. Gregorius* appellat in *Regiſtro Lib.* VII. *Ep.* XII.) antiquiſſimæ Baſilicæ; concludo itaque hiſce, dignum eſſe ornamentum Cordis Italiæ pretioſamque gemmulam.

Vaſtiſſima in Epiſcopali Sede aula eſt, ad nu- 45
meroſam Diocœſeos Synodi, quæ ibi congregari ſolet, multitudinem adaptata, verum tota præ
D nimia vetuſtate nigredine obducta. Palatium, Antiquum magis quam exornatum, plus majeſtatis habet quam pulchritudinis; & tamen ſæpenumero Pontificibus *Romanis* commorationem præbuit, ut ſuo loco oſtendemus.

Eodem plane in loco Templum olim fuit Deæ *Rheæ Matris*, a Gentilibus in iſta Urbe cultæ. Paullo autem antrorſum Amphitheatrum & Palatium Imperatoris *Flavii Veſpaſiani*. Hæc bene habitata regio extendit ſeſe uſque ad *Portam Cynthiam*, quod nomen ab antiquo *Berecynthiæ Rheæ* cognomine adhuc retinet. Verum antequam ulterius pergas, admirari licet Eccleſiam *S. Dominici* Pa-
E triarchæ *S. Franciſci* nihilo inferiorem, eodemque fabricatam artificio, & a Sociis S. Nominis *Jeſu* atque *Sanctiſſimi Roſarii* devotione maxima celebratam. Adnectitur illi Conventus Patrum Prædicatorum cum Tirocinii loco atque Monaſterio eleganter illuſtrato ſanctis picturis Beatæ Virginis *Columbæ Reatenſis*, iſtius Ordinis Monachæ & fundatricis Monaſterii *Perugienſis*, quod ex ejus vocatur nomine; prout affirmant (præter *Sebaſtianum Peruginum*, Theologum Ordinis Prædicatorum, qui diſtincte miraculoſam Beatæ iſtius Vitam deſcripſit) elogio conveniente in
F *Commentariis* ſuis *Raphaël Volaterranus*, titulo *Philologia*, & *de Frugalitate & Abſtinentia*, in fine *Libri* XXXII. ut & *Blondus*, & *Albertus*, multique alii, quos brevitatis gratia miſſos facio.

Jam ſi ab Occidente Orientem verſus reverta- 46
ris, occurret tibi Eccleſia Parochialis S. Epiſcopi *Donati*, poſt quam illa *S. Agnetæ* ſequitur, Monaſterium Religioſorum Ordinis *S. Catharinæ Sienenſis*; Paullo longius eſt Eccleſia & Monaſterium *S. Scolaſticæ*, Ordinis Patris *S. Benedicti*. Ab altero latere Palatium Poteſtatis conſpicitur, junctum Eccleſiæ Confraternitatis *S. Mariæ*, omnium antiquiſſimæ atque ditiſſimæ. E regione vero eſt Collegium recens erectum in Urbe opera Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis *Creſcentii*, Muſis & ingeniis *Reatinis*, pariter A-

pollini & Marti operam suam præstantibus. Sub
illa in aula amplissima, dedicata Tragœdiarum
atque Comœdiarum actionibus, majores nostri
contignationem & scenam stabilem erexerunt,
cum ingeniosis machinis, ad honestam populi
exhilarationem. Ex opposito Ecclesia est *S. Libe-
ratoris* devote culta a Sociis suis, cui e regione
opposita est in loco eleganti sublimiori Ecclesia
S. Philippi & *Jacobi*.

Emensa platea hac, quam permulti habitant ar-
tifices, antequam intres in magnum Forum, quod
Leonis dicitur, Seminarium est piissimi Cardinalis
Amulii, ad voluntatem S. Concilii *Tridentini* ve-
lut aliorum idea primum ante omnia fundatum. Fo-
rum, quod ibi cernitur, exercitiis militaribus
apertus est campus, & *Leonis* dictum, ab animalis
ejus marmorea effigie, quæ ad fontem cernitur.
In vicinia Templum est magni istius Doctoris,
& Theologorum Principis *S. Augustini*, cum
Conventu suo, exstructum ad formam Templorum
SS. Francisci & *Dominici*, exornatum Corpore
Joannis Simplicis, *Reatini*, istius Ordinis Beato,
prout fidem facit Frater *Josephus Pamphilus* in *Chro-*
47 *nica Ordinis Eremitani fol.* 56. & in *Catalogo Bea-
torum Augustinianorum*, quem isti pariter libro
subjunxit una cum Beati istius vita. Ad dextram
manum Ecclesia est Abbatis *S. Antonii*, artificii
recentis, descripta ab *Honorio Longo*, Architecto
excellentissimo, Societatis Sanctissimi Sacramenti,
exornata egregie, & donata Religiosis *Fati ben
Fratelli*, ut solita pietate & cura hospitalitatis stu-
dium administrent. Sub illam, versus Aquilonem,
Porta visitur, a situs concavitate *Concha* dicta, a
qua usque ad Portam *d' Arci*, duæ novæ exten-
duntur viæ, recenter a civibus ædificiis excultæ,
in quarum medio, in commodum regionis istius
est Ecclesia *Visitationi S. Virginis* consecrata, &
frequentata a fratribus Societatis *S. Josephi*, ibi-
dem ante paucos annos exstructa. Aliquanto lon-
gius varii scaturiunt fontes aquam suam a flumi-
ne *Cantaro* mutuati, pulchrique ibidem virent
horti.

Jungitur ibi publicis Civitatis muris Mona-
sterium *S. Benedicti*, quod spatioso suo situ, tan-
quam terrestri paradiso, devotas includit virgun-
culas. Juxta ripam fluvii *Cantari* ambulans, per-
venies usque ad Ecclesiam *S. Leonardi*, a Socie-
tate *Suffragii*, multa cum pietate & devotione
restauratam & exornatam. Juncta eidem est Porta *d'
Arci*, ita appellata a valida, quæ ibidem olim ex-
structa fuit, Arce. Forum ejusdem & Ager cœ-
miterium olim extitit rapacium *Gallorum*, qui post
Romæ direptionem Urbem deprædantes, ipsi ibi-
dem prædæ facti sunt.

Hæc antiqua illa *Via Nomentana* est, in quam
exit *Salaria*, quæ ducit ad *Ascolum*, *Aquilam*,
& famosissimas *Amiterni* ruinas. Extra illam Por-
tam, in vertice alti, verum commodissimi Montis,
48 antiqua visitur Ecclesia *S. Maroni*, Martyri *Rea-
tino*, dedicata, ubi ipse martyrium subiit, & Re-
liquiæ ejus asservantur, prout facile colligitur ex
Surio in Vita *SS. Nerei* & *Achillei*, *Tom.* III.
die XII. *Maii.* & ex *Baronio*.

Locus iste recenter in elegantem formam re-
ductus est, & Conventus ibi factus, atque Ti-
rocinium Reverendorum Patrum *Capucinorum*,
qui multorum annorum sudore Montem istum,
per unius milliaris circuitum, pulcherrimum &
amœnissimum fecerunt hortum, muris bene ex-
structis & maceriis stupendis cinctum; cujus ve-
nerandis vestigiis leni aqua subterfluens *Velinus*,
nescio Divinitatem magis Templi, an Montis
stupeat structuram.

In planicie vero *S. Eleutherii* visitur Ecclesia,
Monasterium olim Sanctorum Monachorum, in
A quo floruit *S. Stephanus* Abbas *Reatinus*, cujus
sanctam vitam & mortem felicissimam enarrat *S.
Gregorius Lib.* IV. *Moralium Cap.* XIX. *super E-
vangelia*. Prope destructum illud Monasterium
salutiferâ aquâ fons surgit, quæ debita devotio-
ne ab infirmis gustata eosdem sanos reddit.

Ad *Reatinam* Urbem revertentibus ad sinistram
manum Portæ *d' Arci* Ecclesia est Parochialis
S. Eusanii, & infra illam *S. Barnabæ* Ecclesia
Confraternitatis plurimum eximiæ. Regiones istæ
B agricolarum commodis inserviunt habitationibus,
qui a loci natura natandi arte exercitatissimi sunt.
Hæ sunt aliæ illæ regiones, quas complanatas
pariter in *Memoriis* suis annotat *Victorius* anno
MCCCLIX. ut Civitas melius contra hostes defendi
posset, quæ tum temporis oppressionem vereba-
tur a validissimo exercitu, qui a parte *Todi* versus
Reate proficiscebatur.

Inde si regrediaris recta semita, quæ ad Pala- 49
tium Magistratus seu Curiam & Forum ab illa
Porta te conducit, visuntur vetera atque nova
ædificia, a generosissima Nobilitate inhabitata, un-
de locus iste varie amœnus est. Surgit ibi *Spiri-
C tui S.* dedicata Ecclesia, *Hospitali Romano* agglu-
tinata. Juxta est Forum, & Fluvius *Cantarus*
cursu suo mediam viam secans, usque dum per-
venis ad Ecclesiam Parochialem *S. Laurentii*, &
Catharinæ, *Benedictinorum* vetus Monasterium,
ubi in duo dispertitur brachia, commodo usu
molarum, coriariorum, tinctorum, similiumque
officinarum, insigni Civitatis cum utilitate, tan-
dem in *Velinum* labitur.

Sequitur Ecclesia *S. Bartholomæi*, in Regione,
vocata *Acarana*, olim vero *Herculana*, propter
Templum ibi *Herculis*, superbo surgens fastigio.
Illo in loco, præter continuum variorum edulium
D mercatum, humili imposita basi cernitur Statua
marmorea, multum æstimata, utpote, quæ anti-
quissimis temporibus Patri Eloquentiæ *Romanæ
Tullio* erecta fuit a *Reatinis*, grati animi causa,
propter ejusdem patrocinium in *Marmoræ* causa
apud Consulem & X. Legatos, ut superius *Cap.*
III. *pag.* 17. demonstravimus. E regione Eccle-
sia est *S. Leopardi* Parochialis. Dehinc ubi in
altum via surgit in plurimas dispertitur plateas.

Ad lævam ibi manum cernitur Ecclesia recens
S. Claræ, supra antiquissimæ *S. Stephani* Martyris
fundamenta condita. Adnexum Ordinis sui Re-
E formati habet Monasterium, ubi multæ primæ
nobilitatis virgines in sancta vivunt simplicitate.
Adjungitur & Ecclesiæ *SS. Fabiani* & *Sebastiani*
ejusdem Ordinis Monasterium. Sequitur Ecclesia
S. Georgii, valde dives Confraternitas, & pecu-
liari privilegio destinata, pietatis ergo ut adsit
condemnatis ad mortem, indulgentia autem Sum-
morum Pontificum quotannis liberat a morte
unum ex proscriptis seu Banditis.

Ad dextram Ecclesia *S. Basilii* apparet, Reli- 50
gionis *Melitensis*, & illa *S. Vincentii* numero se-
dium pollens. Post domus aliquot, retro illam,
est Ecclesia Parochialis *S. Juvenalis*, devota &
F frequentata admodum, quoniam ibi duæ sunt So-
cietates, *Carminis* & *S. Caroli*. Dein pervenitur ad
S. Paulum, quæ Ecclesia est Reverendorum Pa-
trum *Doctrinæ Christianæ*, cui contiguæ sunt Sco-
læ Publicæ. Prope *Mons Pietatis* est, ubi pau-
peres subsidium egestati suæ inveniunt. Retro
post aliquot domos ad sinistram manum Parochia-
lis *S. Rufi* est, ubi in prioribus meditullium *Ita-
liæ* esse diximus. Unita cum illa est *Madonna degl'
Angioli*, nationis *Bergamascenæ*, Confraternitas il-
la sub titulo *Pietatis Principatæ*, multa cum ca-
ritate mortuorum attendit sepulturæ.

Atque hic Urbis, prout nunc est, descriptio-
nis finis esto, ex cujus situ partim amœnis in val-
libus,

libus, partim specioso in Monte, circumdato hinc validissimis propugnaculis, inde *Velino* flumine, quo secura & tuta redditur, clarissime apparet illam longe pulcherrimo in loco esse positam.

Ex multitudine autem Ecclesiarum & Monasteriorum, ex ædificiis spectandis, amœnis hortis, quæ quidem omnia singillatim a me enumerata non sunt, ne tædiosa forent; ex Officinis præterea omnigenarum artium multitudo incolarum iniri potest.

Aër ibidem (primus inter elementa, utpote sine quo vivi non potest) summæ est perfectionis. Junctus inde cum optima terra, undique copiosis fluminibus & fontibus abundanti, non potest non abundantem copiam omnium proferre eduliorum,
51 quorum facile longa enumerari posset series, nisi *Reatini* agri fertilitas a *Græcis* pariter & *Latinis* Scriptoribus summa laude fuisset celebrata. Dicam tantum, quod si *Sicilia* vocata fuerit horreum Populi *Romani*, merito *Reate* vocandam esse Populorum vicinorum Horreum, & Cellam Vinariam uberrimam circum jacentium Montium, quibus glacialis rigor vites negat. Ab aëris certe bonitate & omnium rerum abundantia allecta civium multitudo illuc confluxit. Unde haud mirum est, si *S. Gregorius* IX. *valetudinis causa reversus est Reate*, prout docent *Ciacconius*, & quicunque Paparum historiam diligenter composuerunt.

Jam si sapientissimi Regum verum est, ut est, dictum, *in multitudini Populi dignitatem esse Principis, & in paucitate Plebis ignominiam*; clarissime sequitur, non posse non gloriosissimam esse *Reate* atque celeberrimam, utpote Principis antiquæ *Sabinorum* terræ, & ut novam *Berecynthiam* numerosissima prole beatam.

Atque hæc de Urbe *Reate*, prout nunc est, dicta sufficiant; de Antiquitate vero ejusdem ut & finibus, inferius dicendi locus erit.

Quod ad Incolarum attinet præstantiam, id modo dicam, quod *M. Tullius* de *Sabinis* scribit in quadam ad *Trebatium* Epistola, Lib. XV. Ep. XX. *Oratorem meum* (inquit) *Sabino tuo commendavi, Natio me hominis impulit, ut recte putarem, nisi forte candidatorum licentia hic quoque usus, hoc subito cognomen arripuit, etsi modestus ejus vultus, sermoque constans, habere quiddam a Curibus videbatur.*

Notissima sunt, quæ de iisdem scripserunt *Virgilius*, *Ovidius*, *Plinius* aliique, quorum loca videri possunt in *Manutii* Epistola ad Cardinalem *Amulium* scripta. Subjungam modo laudem quam
52 in genere *Sabinis* Scriptores tribuunt, multo magis *Reatinis* in specie deberi, ut illorum quasi primo mobili, prout uberius *Capite* IX. docebimus.

Quis nescit *Curim* (vulgo *Correse* dictam) a *Reatina* Colonia fuisse ædificatam, & præsertim a *Modio Fatidio*, religiosorum rituum gnaro, *Reatino*? unde narrans hæc Reverendissimus noster *Victorius*, Coloniam vocat *Reatinam*. Inde natus est *Numa Pompilius*, non murorum Urbis *Romæ*, verum pectorum conditor, qui legibus Urbem *Romam* melius firmavit, quam *Romulus* mœniis; unde bene dixit *Livius*, de *Numa* loquens *Lib.* I *Cap.* XVIII. *Instructus opinor, non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica, ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit.*

Huic gloriæ illa militiæ quoque jungitur, de

A de qua *Virgilius*, laudes *Italiæ* recensens, *Libro* II. *Georg. versu* 167:

Hoc genus acre virum Marsos, pubemque Sabellam
Extulit.

ut & *Æneid.* VII. *versu* 706.

Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus.

Et paullo post versu 712.

Qui Nomentum Urbem, qui Rosea Rura Velini
Qui tetrice horrentes rupes.

B Quæ ab interpretibus *Servio* & *Donato* ita explicantur: *Reatini milites Æneæ & Trojanorum armis obstiterunt.* Sæpenumero etiam recenset *Livius* prælia inter utrumque populum varia fortuna gestum, donec *in partem data Roma Sabinis.* Ipse *Cicero* in *Oratione* pro *Quincto Ligario* Cap. XXXII. eosdem *robur Reipublicæ* appellat hisce: *Possum fortissimos Sabinos, tibi* (ad *Cæsarem* loquitur) *probatissimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiæ, & robur Reipublicæ proponere.* & *Libro* IX. *ad Atticum*, quum magno fervore Civilia inter *Cæsarem* & *Pompejum* bella gererentur; 53
C scribit, intellexisse se *Reatinorum* multitudinem a præsidio Reipublicæ recessisse, unde (destituta eâdem tam forti manu militari) angi sese supra modum atque cruciari.

Maxime autem inde omnium enituit *Reatinorum* in *Romanos* fidelis opera, quod gravissimis in periculis Pater Patriæ *Cicero* iisdem sit usus, prout affirmat Oratione III. *in Catilinam* hisce verbis: *Ex Præfectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera utor assidue in Reipublicæ præsidio, cum gladiis miseram.* Narrat etiam *Valerius Maximus Lib.* I. *Cap.* VIII. [1] *P. Vatinium* Præ-
D fecturæ *Reatinæ* virum, & magnæ experientiæ, prædixisse Senatui, Regem *Macedonum Persen* ab *Æmylio* captum, verum cum Senatus existimaret id magis timore adversæ quam spe prosperæ fortunæ dici, in carcerem eundem fuisse conjectum. At, sicut non conveniebat extingui antiquam erga Imperium *Romanum* fidelitatem *Reatinorum*, non modo verum dixisse, sed & prædixisse eundem *Vatinium* adnotat *Valerius Maximus*, unde non tantum vinculis fuit liberatus, sed & *insuper agro, ac vacatione donatus est.*

Postquam vero longis temporibus sub *Romanæ* Reipublicæ tutela stetit *Reate*, prout clarius *Cap.*
E *Ultimo* demonstrabimus, Anno DCCLXXIII. quum crudeliter affligeretur *Italia* a *Desiderio* Rege *Longobardorum*, & contra illum cum *Carolo Magno* stetisset, misere ab illo deformata fuit. *Reatini* enim, hæreditaria, qua majores erga Rempublicam *Romanam*, & Imperatores fuerant, fide in *S. Petri* Imperium, primi fuerunt, qui ex cunctis *Italiæ* 54
populis Pontifici *Adriano* obedientiam suam præstiterunt, tributarii facti, capillo præterea barbaque rasa jusjurandum, in signum veræ devotionis præstiterunt. Quorum exemplo, ut in *Adriani* I. *Vita* refert *Platina*, pariter *Osimani* & *Anconitani* Apostolico Throno sese subjecerunt.

F Nihil itaque mirum, si Pontifices, *Innocentius*, *Cœlestinus*, *Honorius* & *Gregorius* IX. propter eandem fidelitatem infinita privilegia *Reatinis* concesserint, quæ opportunius a nobis recensebuntur *Cap.* VI. unde & multi Pontifices in dissensioni-

[1] *P. Vatinium*] *Vatieni* ejusdem (ita enim appellat) & Præfecturæ *Reatina* mentio etiam est apud Cicer. II. de Nat. Deor. Cap. II. *P. Vatienus cum e Præfectura Reatina, Romam venienti, noctu duo juvenes cum equis albis dixissent, Regem Persen illo die captum, Senatui nunciavit, & primo, quasi temere de Republica locutus, in carcerem conjectus est: post, a Paullo litteris allatis, cum idem dies constitisset; & agro a Senatu, & vacatione donatus est.*

fionibus *Romanis* ad illos, ut fibi maxime fidos, refugerunt.

Neque antiquiffimæ huic Civitati defuere, qui illam dignitate, literis atque armis illuftrem reddiderint. fuperfedeo jam illos enumerare, qui omnes cœleftibus curis intenti, vitæ pietate Sanctitatis meruere lauream, quum de hifce alibi fuis in locis hoc Opufculo fatis egerim, unum tamen *Flavium Clementem* filere non poffum. Hic quum una cum *Trajano* Conful effet fub *Domitiano*, quoniam *Chriftianorum* fecutus erat religionem, morte ab eodem plexus fuit; uxor vero ejus *Flavia Domitilla* una cum nepte, relegata ob eandem caufam fuit In Infulam *Pandatariam*, prout non folum affirmat *Panvinius Cap.* CCCLX. verum etiam *Baronius* in *Martyrologio*, in Martyrio *S. Flaviæ Domitillæ*, neptis Imperatoris *Flavii Vefpafiani*, prout probat *Jo. Severanus Parte Prima*, *pag.* 472. *Sacrarum Memoriarum VII. Romæ Ecclefiarum*, Imperatoris autem ejus meritum celebrabimus elogium *Cap.* VIII.
55 Sancta hæc Infulæ *Pontiæ* a *Domitiano* inclufa fuit, ubi candidis virginitatis liliis adjunxit rubeas Martyrii rofas; quæ itaque inde digno religionis cultu a *Chriftianis* celebratur.

Ut itaque ordiamur, quis non erit, qui renovari velit memoriam *Probini*, Cardinalis titulo *S. Eufebii*; & *Probiani*, Cardinalis titulo *S. Cyriaci*, Epifcoporum olim *Reatinorum*, prout fuperius diximus? Cardinales hi duo ex familia *S. Probi* fuerunt, cujus nepos, infignis fanctitatis Monachus, *Probus* vocatus fuit, prout legimus apud S. Gregorium *Lib.* IV. *Cap.* XII. *Dialogorum.* Reticere itaque hac occafione nolo virginem *Mufam*, *S. Probi* neptim, cujus miraculofam memoriam fervat *S. Gregorius Dialogorum* fuorum *Libro* IV. *Cap.* XVII. narrans invitatam eandem fuiffe a Regina Cœli, ingenti Virginum numero comitata, illam vero acceptata hac invitatione XXIII. fere poft diebus totam puellaris vitæ formam immutaffe, & dein rurfus inclamatam, refpondiffe. *Ecce Domina venio*, *Ecce Domina venio. In qua etiam voce* (concludit Sanctus Pontifex) *Spiritum tradidit*, *quæ virgineo corpore*, *habitatura cum Sanctis Virginibus*, *exivit.* Quæ cuncta, ut clariffime apparet, nominis, probitate fua, æquant fignificationem.

Iftius familiæ tempore Gentilium exftitiffe hic memoriam teftatur Infcriptio, quæ in Urbe vifitur in Marmore, quod ad pedes fcalarum feu graduum Epifcopalis Palatii, muro eft infertum, eft autem hoc:

[1] M. CORNELIVS FORTVNATVS
SIBI ET M. CORNELIO
PROBO PATRONO
DE SE BENEMERITO
56 ET HOSTILIAE TROPHIMAE
POSTERISQVE SVIS.

Joannem quoque Cardinalem titulo *S. Marci*, filere nequeo, *Leonis* IX. creaturam, illud enim apparet ex multis Scripturis inter Archiva *Farfana.*

Ultimus, qui inter *Reatinos* Cardinalitia enituit Purpura, fuit Cardinalis *Petrus Tartari*, Monachus prius *Olivetanus*, poftea Abbas *S. Laurentii*, extra *Romæ* muros, dignitate ifta ornatus a *Gregorio* XI. ut affirmat *Thomas Valfinguamius* in *Brevi* fua *Hiftoria* ufque Annum MCCCLXXXV. Antiftes ifte multis doctrinis excultus vir fuit, propter rationes autem, quæ apud *Ciacconium* legi poffunt, privatus fuit Purpura ab *Urbano* VI. verum in integrum reftitutus a *Bonifacio* IX. & ut fuperius diximus, conftitutus Epifcopus *Reatinus.*

Jam fi ad inferiora defcendimus tempora, non

1 M. CORNELIVS] Hæc infcriptio apud *Gruterum* non exftat.

A minori gloria patriam exornavit Dominus *Barnabas Secenarius*, & *Bernardus Sanctis*, quorum uterque *Aquileienfis* fuit Epifcopus. Alter evectus fuit a *Pio* II. & multis Nunciaturis functus, donec tandem in *Germania* eft mortuus. Alter, hunc honorem adeptus, poftquam Advocatus Confiftorialis fuiffet *Romæ*, prout apparet ex, *Confilio* inpreffo in favorem *Catharinæ* Reginæ *Angliæ*, in quo ingenii fui capacitatem atque vim magnus ifte Vir demonftravit, in materiis Theologicis pariter & Legalibus, unde, ut diximus, *Aquileienfis* Epifcopus creatus fuit; poft etiam Sedi Apoftolicæ operam fuam præftitit, a *Clemente* VII. Gubernator Urbis *Romæ* factus;
B & a *Paulo* III. miffus Nuncii titulo in *Flandriam* & *Alemanniam*, prout ex publicis, quæ apud Gentiles fuos affervantur, Memoriis evidenter apparet; fervaturque ejufdem ut *Aquileienfis* Epifco- 57
pi Memoria in magna Epifcopalis domus ejufdem Urbis Aula.

Ejus veftigiis ingreffus eft Dominus *Marius Aligerus*, qui poft *Bononiæ* Vice-Legationem, & *Marcæ* Gubernationem, Anno MDXXXII. factus fuit Epifcopus *Reatinus*, & ut talis intervenit Sacro Concilio *Tridentino*, de quo jam fuperius fatis egimus *Capite* hoc IV.

C Nec diffimilis gloria fuit immortalis, tempore *Pii* IV. Domini *Mariani Victorii*, Sacrarum pariter & Profanarum Literarum fcientiffimi, Epifcopi *Reatini*, egregiæ famæ & fapientiæ Antiftitis, quod fatis fuperque oftendunt *S. Hieronymi* Opera labore illius illuftrata induftrio, poft monftri illius *Erafmi*, mille erroribus obfcurationem. Sicut & Liber infcriptus *De Sacramento Confeffionis & Antiquis Pœnitentiis*; ut & Catalogus *Epifcoporum Cantuarienfium*: Hiftoria MS. *de Antiquitatibus Italiæ & Urbis Reatis*, in quatuor divifa Libros; & ne repetam, quæ de illo jam fuperius hoc *Capite* diximus, dignis ibidem a nobis ornatus vir
D encomiis.

Haud inde abit Dominus *Martinus Capelletti*, qui per Rerum Civilium fcientiam (prout apparere mihi etiam poteft ex Tractatu quodam ejus MS.) tantæ apud magnum iftum Pontificem, *Sixtum* V. fuit auctoritatis Cardinalis (& merito) ut graviffimas quafque res ab hoc fuo Auditore tractari voluerit; idem temporibus fequentibus permultas obtinuit dignitates in Aula *Romana*, & nifi matrimonii alligatus fuiffet vinculo, quod majoribus illum incrementis exclufit, certiffime promotus fuiffet ulterius, non modo a *Sixto* & a *Clemente*, fed & a *Paulo* V. qui fatis fæpe de *Martini* ifto vinculo
E matrimoniali eft conqueftus. Sed & *Clemens* VIII. 58
infuper, tanta ejus viri merita agnofcens, multa cum approbatione ejus opera ufus eft, primo enim illum Confultationibus fecit a Secretis, dein & Urbis *Romæ* Senatorem. Hic tandem octogenarius *Romæ* ad meliorem vitam tranfiit, die XXVIII. Octobris, Anno MDCXXII. Reftat autem æternum ejus monumentum in fronte Capitolini Palatii, quod Senatorum eft conventus, eft autem tale:

CLEMENTI VIII. PONT. MAX. POST GALLIAE REGNVM RECONCILIATO REGE HENRICO IV. CONSTITVTVM.
F PANNONIAM ARMIS AVXILIARIBVS SERVATAM, STRIGONIVM A TVRCARVM TIRANNIDE VINDICATVM, RVTHENOS ET ÆGYPTIOS ROMANÆ ECCLESIÆ RESTITVTOS, PACEM, COMPOSITIS REGVM MAXIMORVM DISCORDIIS CHRISTIANÆ REIP. REDDITAM, FERRARIAM PETRI ALDOBRANDINI CARDINALIS DVCTV FERRO INCRVENTO RECEPTAM, SANCTISSIMAQ. PRÆSENTIA CONSTABILITAM, OPTATO REDITV IN VRBEM PV-

PUBLICÆ HILARITATIS, SECURITATISQ. REDUCTORI.
MARTINUS CAPELLETTUS REATINUS,
URBIS SENATOR,
OPTIMO PRINCIPI DEVOTUS POSUIT
M. D. XC. VIII.

Subjungeremus hisce fratres duos Prælatos, *Alexandrum* & *Franciscum Canales*, nisi crudeles *Parcæ* abrupto vitæ stamine, præclaris illorum invidissent conatibus.

59 Sed nec Oratoriæ laus *Reatinæ* defuit Civitati, quum Eloquii parens inter excellentes Oratores reponat *Lucium Octavium*, scribit enim ita in *Bruto: Et Lucius Octavius, Reatinus, qui, cum multas jam causas diceret, adolescens est mortuus.* Huic accedant *Murius* & *Fiscellus Pavones*, familiares *Varronis*, qui de illis agit *Libro* III. *Cap.* III. *de Re Rustica.* Et inter Epistolas *Symmachi* in *Secunda*, quæ responsoria est Patri suo, de *Terentio Reatino*, non Comico illo, sed ejus laudis alia in re æmulo, hæc leguntur: *Scis Terentium non Comicum, sed Reatinum illum Romanæ eruditionis parentem, Hebdomadon libros, Epigrammatum adjectione, condidisse; illud nos, si fors tulerit, conabimur imitari.*

Blondus quoque indesinenter celebrat doctrinam & merita *Thomæ Moronis*, istius tempore celeberrimi Oratoris.

Anno MCCCCLXXXII. floruit *Baptista Alexander Jaconellus, Reatinus,* qui ea prout tum loquebantur lingua, vertit multa diligentia omnia *Plutarchi* Opera, *Aquileiæ* impressa per *Adamum Rotvilum Alemannum.* Ut autem appareat genius loquendi, isto tempore usitatus, visum est Idyllium ejusdem Auctoris, quod in principio Versionis suæ reposuit, hic collocare, ut de illo ex reliquis judicari possit.

Battista Alessandro Jaconello Reatino in argumento dell' Opera presente; Ad Messer Jacomo de Peccatori de Aquila, Judice della Vicaria Integerrimo.

Lo excelso ingegno, e fantasia sublime
Dell' inclito Plutarcho Cheronese,
C' un bel schietto judicio hor fa palese
Chi fra Greci, e Roman sue laude ha prime.
60 Lui el fin' ne mostra di chi virtù estime,
Et del contrario suo l' accerbe offese,
Lui tutte nostre Historie, e Greche Imprese
Quanto tutti altri libri, solo exprime.
Se adunqua el viver nostro è vera norma
L' Historia. che 'l passato dimostrando,
Et al presente, & al futur ne informa.
Qui certo se dimostra, e 'l spesso inganno
Della Dea ceca, e de sua falsa forma,
Che 'l nostro viver gira in pena, e danno,
Quì tutti exempli stanno
D' Imprese e de' travagli in ogni stato,
E como chi li fugge, e più beato.

Apud Fr. *Lucam Waddingium, Tomo* III. Annalium, eminens doctrina & grandis agnoscitur spiritus Fr. *Lucii Antonii*, Minoris Conventualis, Prædicatoris valde celebris istis temporibus.

In Civitatis nostræ *Statutis pag.* 66. Jurisconsultorum quorundam servatur memoria, quorum opera enituit in reformandis Legibus Municipalibus, inter istos numerantur *Petrus Sanctus Severus*, & *Nicolaus Allegrus.*

Sixtus Senensis in *Bibliotheca Sancta* diffuse enarrat laudem *Tullii Crispolti*, Theologi celebris, qui mortuus est *Romæ*, die XXIV. Martii, Anno MDLXXIII. educatus autem ab *Matthæo*, Episcopo *Veronensi*, & Sanctissimæ Vitæ fuit. Multa ejus feruntur isto in genere composita, ut *Passio Domini*, *Commentarii Vulgares super S. Matthæum*, & multa alia Opera Spiritualia, ita ut de illo sic concludat *Roscius Libro* IX. *Romæ novi angusto (sed si dicere fas est) beato commanentem cubiculo, sacris undique libris sparso, Tullium Crispoltum, Reatinum, omni tempore, aut meditantem Res Divinas, aut loquentem, aut legentem, aut scribentem.*

Sed neque oblivisci decet *Pamphili Erillacti*, 61 Medici expertissimi, cujus eruditionem docent libri duo, alter *de Natura Aquarum*, alter de *Podagra*, docte elaborati. Ut nec *Martii Fagianelli*, in omnibus scientiis versatissimi: prout existimare licet ex Latina ejus Explicatione in omnes Hymnos Sacros, quatuor libris distinctos, & Libro *de Passione Domini*, atque aliis multis Opusculis MSS. quæ ab hæredibus ejus asservantur.

Enumerare autem multos vivos supersedeo, & quoniam id contra institutum nostrum est, & quod vel minimam illorum laudem enumerando assequi me posse desperem, certus tamen haud defore talem, qui illorum merita quandoque Æternitati consecrabit Nomina.

Ut jam a Literis ad Arma transeamus, non defuere, qui æmuli antiquæ gloriæ militaris *Vespasianorum*, *Titorum*, *Sabinorum* (hos enim simul nominare cum laude decet) nomina sua æterne celebranda fecerunt. Illos inter fuit *Bernardus*, per antonomasiam ab *Villanio Libro* IV. *Cap.* CXXII. *Reatinus* appellatus. Hic Magnus *Florentinorum* Connestabilis, Anno MCCLXXXVIII. per victoriam virtute sua obtentam contra *Pisanos*, Eques *Corredinus* factus est, honoribus magnis, atque ingentibus cumulatus donis.

Haud dissimilem virtutem ostendit in S. Sedis servitio alter ille Dux magnus *Mattheus Poianus*, qui ideo ab *Nicolao* V. donatus fuit Castello *di Pie di Luco*, prout apparet ex Decisione MCCCLVIII. Eminentissimi *Seraphini* Auditoris S. Rotæ *Romanæ*, neque prudentiam ejus reticuit *Platina* in *Vitis Pontificum*, in *Vita Calixti* III.

Verum paucioribus abhinc annis cognosci sese fecit *Patricius Secenarius*, hunc enim Magnus 62 Dux *Hetruriæ Ferdinandus* misit in *Hungaricam* expeditionem *Giavarinam*, contra *Sinam* Bassam, in qua expeditione quum prudenter, ut in omnibus sese gessisset, in bellis scilicet *Italicis* & *Africis*, annuum ab isto Principe quamdiu vixit stipendium obtinuit. *Antonii* idem *Secenarii* prudens imitator. Fuit autem iste familiaris *Pio* II. & multa sibi ab illo commissa gravia negotia inter Principes *Italiæ* administravit, ut appparet ex *Breviario*, servato a nobili *Cosmo Secenario.*

Hæreditario velut jure in easdem vitutes successit Colonellus *Pompeius Catilina*, qui revocatus a Summo Pontifice *Pio* V. ex munere quod apud *Venetos*, ut Colonellus, obtinebat, eandem dignitatem pro S. Sede & tota Christianitate obtinuit in bello navali contra *Turcas*. Et quum operam suam præclare contulisset sub ductu magni istius Archithalassi *Marci Antonii Columnæ*, egregia illa, quæ quotannis adhuc celebratur, consecuta est victoria. *Pio* autem ad meritam abeunte gloriam, a *Gregorio* XIII. contra *Hugenotos* est missus, in defensionem status *Avenionis*, & post XL. annos fideliter S. Sedi impensos *Avenione* est mortuus, quum ex Rescripto Summi Pontificis Summus Dux Status *Avenionis* esset. Probatus quoque summopere idem fuit a *Clemente* VIII. & egregie remuneratus; ut & ab *Henrico* IV. qui sua sibi virtute *Galliarum* Regnum acquisivit, a quo Cruce *S. Michaëlis* donatus est, magni istis temporibus pretii; maximo autem habitus in pretio a *Ferdinando*, Magno *Hetruriæ* Duce, diem (ut diximus) obiit

obiit sub Pontificatu *Pauli*, maximo *Reatinorum*
63 damno, ab illo enim militaribus exercitiis egregie exculti, & ad honorem provecti fuerunt. Ego quidem non ausus fuissem honestam hanc ejus viri mentionem injicere, utpote ejus ex Matre Nepos, nisi jam publice innotuisset ejusdem virtus, conscriptis & celebratis a *Vanotio* laudibus.

Sub ductu autem tanti Ducis multi magni evasere Capitanei, & inter illos tres cives ejus, Capitaneus scilicet *Joannes Mattheucci*, qui ipsi in Colonellatu successit, & *Mutius Chiavelloni*, sicut etiam *Pyrrhus Caccaponi*, omnes magnæ in re militari experientiæ. Neque aliis deficimur, qui bellica gloria & Status sibi & titulos acquisiverunt. Sed quoniam adhuc in vivis sunt, ne modestiæ illorum vim afferam, lubens transmitto, dignis suis laudibus a meliore famæ suæ buccinatore aliquando celebrandos.

Atque hæc sufficiant in tanta caligine vetustatis (quæ omnia devorat) quantacunque undique poteram diligentia collecta ad illustrationem *Reatinorum* nostræque Civitatis. Illud certe Urbis est infortunium, quantumvis antiquæ & nobilis (*Reatinorum* enim multorum genus mirum in modum nobile asserit *Strabo Libro* v. *de Situ Orbis*) quod vicinioribus sæculis privata fuerit Scriptoribus, qui illam reddiderint parem antiquæ gloriæ, respectu nobilium quos produxit filiorum, commemoratis Annalibus rerum præclarissime gestarum. Nam certe penuria Scriptorum perierunt multæ heroicæ actiones, & merentur illi qui ingenio aut rebus gestis famam sibi peperere, ut a dignis celebrentur laudatoribus, atque posteritati in exemplum tradantur. Omnis *Achil-*
64 *les* suo dignus est *Homero*, omnis *Cyrus* suo *Xenophonte*. Sudorem miscet cum sanguine fortis, ut gloriæ apicem summum occupet, verum illa cito perit, deficiente docta manu, quæ post fata etiam illi vitam tribuat. Infelices certe! deleta cadem, nullum æmulationis & imitationis propositum sibi habent exemplum; ut adeo & ipsi Heroes suo honore, & posteritas illorum defraudetur cognitione.

Hoc est, quod nostræ accidit Patriæ, cui licet non defuerint post *Natum Christum* aliarum rerum Scriptores, nullus tamen fuit, qui conservaverit memoriam tot Sanctorum Dei Servorum, tot zelosorum Ecclesiæ Antistitum, & infinitorum Ducum fortissimorum. Maxima pars illarum Memoriarum, hisce pauculis exceptis, quas nos multo cum sudore collegimus, & breviter in hoc Opusculo disposuimus, confuse jam sepulta jacet sub tenebris oblivionis. Sed tamen non est cur illorum posteri, sive qui post nos venturi sunt, animum despondant. quum pauca licet respectu perditorum, satis tamen multa habeant, unde excitentur ad majorum suorum imitationem, atque adeo ipsis certa sit spes proposita, fore ut & aliquando indelebili monumento æternitati famæque consecrentur.

Huic scopo inservire possunt *Inscriptiones* sequentes Antiquissimæ, quæ (præter illas quas oblata occasione sparsim memoravimus) in variis Urbis Ecclesiis atque privatis inveniuntur Ædibus. Ex hisce quicunque Vetustatem amat & intelligit, Antiquitatem, Nobilitatem, Magnitudinem atque Virtutem *Reatinorum* cognoscere potest, præter illa quæ de iisdem infiniti Auctores protulerunt.

In Porticu Ecclesiæ Cathedralis hæc exstat *Inscriptio*, verum multis literis præ vetustate fugientibus. 65

[1]IMP. VESPASIA. . . . . .
ANTISTIO BV. . . . .
QVARVM L. . . . .
SPORTVLAS DI. . . . .
CVRIONIBVS B. . . . .
. . . . NIBVS NS. V
. . . . VI. S. H. S. V.
VRBANAE SV. . . .

In alio *Marmore* sub Pulpito in eadem Ecclesia hæc inveniuntur

D. VALERIO MARTIALI
Q. HONORIVS HONORATVS
VI. VIR. AVG. PATRI
PIISSIMO POSVIT.

In Crypta sub Ecclesia Cathedrali, in descensu scalarum hæc sunt literæ:

X X X X I I.
D. D. D. N. N. N. F. F. F. L. L. L.
VALENTINIANO, VALENTI, ET GRATIANO,
PIIS FELICIBVS
AC TRIVMPHATORIBVS SEMPER AVGGG.
VOTIS X. [2]MVLTIS XX.
B. C. N. O. R. P. N. 66

In Suburbio *Reatino* prope Ecclesiam *S. Angeli* hæc exstant

PITVANIA LL. DELPHIS
FECIT SIBI ET
P. MVCIO [3]NEDYMO VIRO SVO
REDEMPTORI OPER. CÆSARVM
L. PITVANIO ELEGANTI PATRI
VI. VIR. AVG. REATE
PITVANIAE SECVNDAE MATRI.
FRONTIDI SORORI.
PITVANIAE MARCELLAE [4]FIL.
L. PITVANIO AMANDO
L. PITVANIO LATINO
L. PITVANIO REATINO L: SVO ET
[5]LIBERIS LIBERTABVS POSTERISQ. EORVM.

Eodem in loco sequentes duo *lapides* inveniuntur.

D. M.
[6]VALERIAE IVCVNDAE
QVAE FVIT CORPORE IVV.
VIXIT ANNIS XVII. M. IX.
T. [7]FL. SABINVS
VI VIR. AVG.
MAG. IVV. 67

[8]CORNELIAE DORCADI M. AVRELIVS
PAVLVS CONIVGI INCOMPARABILI
CVM QVA VIXIT ANNIS XXXVII. SINE
VLLA QVERELA.

Pro-

1 IMP. VESP.] Hæc inscriptio abest a *Gruteri* Collectione. Absunt & sequentes duæ; aliæ item quædam, quas suis locis diligenter adnotavimus.

2 NEDYMO] Ita etiam *Grut.* sed in nova ejus Editione ex *MS. Pigh.* & *Fabretto* editum NEDIMO.

3 FIL.] *Grut.* FILIAE

4 LIBERIS] *Gruterus* habet LIBERTIS. quod melius ad sensum, ut hic putem vitium esse a Typothetis. Affertur autem a *Grutero* ex *Aldo* & MS *Pighii*. tanquam *Reate*, in *S. Angelo*. unde patet locum accuratius ex Nostro posse distingui.

5 VALERIAE] Hæc *Inscriptio* non exstat. apud *Gruterum*.

6 MVLTIS] In ipso lapide forsan est MVLTIP. vel MVLTIPLICATIS, nisi dicas abbreviate scriptum prout exstat.

7 FI.] In lapide forsan est FL. *Sabinis* enim plurimis *Flavii* nomen hæsit, utpote Gentile.

8 CORNELIAE] Adjungit in initio D. M. *Grut.* pag. DCCLXXV. 9. & in extremo legit QVERELLA.

Prope Ecclesiam Parochialem *S. Petri.*

[1] D. M.
C. CARANTIO
C. FILIO VOLTINIA
VERECVNDO
VIENNE VETERANO
CHO. VII. P. R. DEDVCTO
AB DIVO VESPASIANO REATE, ET
CARANLIO PHOEBO, ET
CARANLIAE ET AENNEIENI
LIBERIS POSTERISQVE SVIS
IN AGRO P. VI. IN F. P. V.

Sequentia duo *Marmora* conservantur prope Ecclesiam *S. Maronis* Martyris: B

[2] POMPONIA P. L.
CLEOPATRA
VOLVMNIA PRISCA
IN AGRO P. XII.

[3] P. VETTIVS
DIPHILLVS
SIBI ET PATRI ET CONLIBER.

In *Monte Pietatis Reatino*:

68 [4] TI CLAVDIO TI.
LI. FAVSTO
TI CLAVDIVS TI. C
LIB. VI. VIR. AVG.
PATRI OPTIMO.
P.

[5] C. COMINIO. C. . . . .
VETERANO MIL.
PR. MARTIALIS MI.
DEDVCTVS REATE A DIVO
VESPASIANO VIX. A.
C. COMINIVS C.
SECVNDVS PATRI BENEMEREN.
COMINIA C. L. F. C.

In Palatio Urbis sequens hoc legitur: D

[6] QVARTA DECIA L. L. SALVE
MERAVIT C. FILIVS.

Sequentes duæ *Inscriptiones* visuntur in Ædibus *Cicchinis*,

[7] C. IVLIVS FAVSTVS
RELIQVIT MONVMENTVM
LIBERIS LIBERTABVS POSTERISQ. EORVM
MEMORIA SVA
C. IVLIVS HERMES FECIT
DVAS OLLAS CONSERVAE SVAE.

[8] C. IVLIO T. CLAVDIO AVG. L. FELICI
69 GLICEROTI SCAPVLANO D. III. Q. III. E

1 D. M. Apud *Gruterum* pag. DXXXV. Num. 8. hæc *Inscriptio* sic concipitur.

C. CARANTIO. C. F.
VOLTINIA.
VERECVNDO.
VIENNA VETERANO.
CHO. VII. PR. DEDVCTO.
AB. DIVO VESP. REATE. ET.
CARANTIO. PHOEBO. ET.
CARANTIAE. EPENALIENI.
LIB. POSTERISQ. SVIS.
IN. AGRO. P. VI. IN. F. R. V.

2 POMPONIA] Abest a *Grutero*.
3 P. VETTIVS] Et hæc *Inscriptio* abest a *Grutero*. F
4 TI. CLAVDIO] Abest a *Grutero*.
5 C. COMINIO] Plenius exhibetur apud *Gruterum* p. DXXXVIII. 2. hoc pacto.

D. M.
C. COMINIO C. F. PAR.
VETERANO. MIL. COH. V. PR.
7. MARTIALIS. DEDVCTO
REATE. AB DIVO VESPASIANO.
VIX. AN. XXXI. M. V. D. III.
MILIT. ANN. XVIII.
L. COMINIVS. C. F. SECVND.
FLAVIA. COMINILLA. FIL.

A QVINQVENNAL. IMMVNI.
FELICIS SCAPIIANIAE TRIPLIPLICARIO BEMEMERENTI, EX CONSENSV DECVRIAE VNIVERSAE.
D. II. Q. SI. NONIS CAVSA ZOTHECAM PVBLICE DEDERVNT.
ATEMETVS L. SVA PAECVNIA ADORNAVIT.

In Ædibus Colellis in *Marmore* ista visitur *Inscriptio*, cui desuper insculpitur corona laurea:

[9] DIS MAN.
CLAVDIAE PRIMAE.

In Domo *Eusebii* sequentia duo visuntur *Marmora*:

D. M.
[10] SERIAE
EXPECTATAE
C. SPELLIVS
FVDIDIANVS
CONIVGI B. D. M.

[11] P. VATINIO. . . . .
PREF. REAT.
AGRO VACATIONE
DONATO. . . . . .
L. AEMILIO PAVLO II. } COSS.
C. L. CINIO CRASSO }

In Ædibus *Fagianellis*:

[12] C. VALERIO EPAPHRE 70
Q. AVRELIVS VERVS POSVIT.

In Ædibus Savarellis hæ duæ sunt *Lapides*:

[13] DIIS MAN.
CLODIA VITALIS A. CLODIO TACINO
PATRON. BENEMERENTI FECIT ET
SIBI POSTERISQ. SVIS.

D. M.
CARMINI ERMETIS FECIT M.
VVLPIVS AVG. LIB.
FILETVS ARMINIANVS FRATRI
PIENTISSIMO B. M.

In Domo *Severi*

[14] C. IVLIO C. FILIO
LONGINO
DOMO VOLTINIA
PHILIPPIS MACEDONIA VETERANVS
L. VIII. AVG. DEDVCTVS
AB D. AVGVSTO
VESPASIANO QVIRIN.
REATE SE VIVO FECIT
SIBI
PAT. . . . . . B. M.
FECERVNT.

6 QVARTA] Abest a *Grutero*.
7 C. IVLIVS] Legitur alia scriptura apud *Gruterum* pag. DCCCLXXIV. hoc scilicet modo:

D. M.
C. IVLIVS. FAVSTVS. RE
LIQVID MONVMENTVM.
LIB. LIBERTABVS. POSTE
RISQ. EORVM. MEMORIA.
SVA. Q. IVLIVS. HERMES. FECIT.
DVAS. OLLAS. COSERVAE. SVAE.

8 C. IULIO] *Inscriptio* hæc propter multas Antiquitates admodum est notabilis. In Opere *Gruteriano* illam non inveni.
9 DIS. MAN] Abest a *Grutero*.
10 SERIAE] Et hæc *Inscriptio* abest a *Grutero*.
11 P. VATINIO] Neque insignem hanc *Inscriptionem* apud *Gruterum* invenire licet sed in fine legendum LICINIO. In basi olim, ut existimo Statuæ ejusdem *Vatinii*, de quo supra pag. 26. lit. C. D. ut jam & de scriptura nominis constet.
12 C. VALERIO] Abest a Collectione *Gruteri*.
13 DIIS. MAN] Etiam hæc abest ut & sequens.
14 C. IVLIO] Exhibet hanc *Gruterus* p. DXLVI. n. 2. sed in nonnullis discrepat.

SIBI, ET IVLIÆ C. LIBERT.
HELPIDI CONIVGI SVÆ
71 ET C. IVLIO C. LIBERT. FELICI
ET POSTERISQ. SVIS FEC.
ET C. IVLIO C. L, DECAMBRO
ET IVLIÆ C. L. VENERIÆ
ET C. IVLIO C. PROSDOXO.

In Domo *Sonantii*:

[1] DIS MANIBVS
C, RVSTICELIO FELICI
AFRO, SIGILLARIARIO
VIX. ANN. L. FECIT.
OPPIA.

In Ædibus Vecchiarellis autem multa servantnr *Marmora*, in quibus & hæc sunt:

DEÆ TELLVRI
SACRVM
M. AVRELIVS THREPTVS FECIT.

D. M.
[2] M. AVRELIVS DOMITIANVS SE VIVVS
EMIT, ET COMPARAVIT LOCVM VIRGINEM
A SOLO FECIT SIBI LIBERTIS LIBERTABVSQ.
POSTERISQ. EORVM.
ITEM BEBIÆ PARTHENOPE CONIVGI
SANCTISSIMÆ IN FRONTE PEDES P. M.
XVI. IN LATVS PEDES XVI.
72 ITEM IN LATVS IN VIA RHEATINA
RESPICIENTE
LONGV PEDES P. M. XXIII. ET LATV
PEDES X.
Y. H. M. EX H. N. S.

D. M.
[3] AELIAE SECVNDAE Q. FABIVS CHRISAVOR AMICAE B. M. ET LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM

D. M.
HOC MONVMENTVM SIVE SEPVLCHRVM COMPARAVIT SIBI RVBRIA, IVLIA, ET M. RVBRIO ZOSIMO PATRONO OPTIMO, ET LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQ. EORVM. IN FRONTE PEDES XX. IN AGRO PEDES XIX. CONCESSV AB M. SCANIANO IANVARIO.

D. M.
HOC MONVMENTVM SIVE SEPVLCHRVM COMPARAVIT T. AVRELIVS
73 ANTIOCHVS SERENO F. DVLCISSIMO, QVI VIXIT ANN. X. MEN. VI. D. XVI. ET SVIS LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM. SI QVIS HOC MONVMENTVM SVPRASCRIPTVM DONAVERIT DABIT POENAE NOMINE AERARIO P. R. HS. XX. M. N.

D. M.
SEX. ANNI IANVARI VEXTIARI, VIXIT ANN. XIX. SEX. ANNIVS HILARVS, ET ANNIA HELPIS MATER SCELERATA, QVAE HOC FACINVS VIDIT. FILIO DVLCISSIMO FECERVNT. ET SEXTO ANNIO ANOPTE PATRONO BENEMERENTI.

[4] LIBERTATIS D. N. FLAV. GRATIANO FORTISSIMO, INVICTISSIMOQ.
A PRINCIPI SEMPER AVGVSTO FLAVIVS MAXIMVS V. P. PRAEF. VIG. D. N. M. Q. EIVS.

[5] LEGVM DOMINO ROMANORVM IVSTITIAE, EQVITATISQ. VECTORI, DOMITORI GENTIVM BARBARARVM, CONSTRVCTORI LIBERTATIS D. N. FL. VALENTINIANO FORTISSIMO INVICTISSIMO PRINCIPI SEMPER AVGVSTO FL. MAXIMVS V. P. PRAEF. VIG.
B D. N. M. Q. EIVS.

D. M.
TI. CLAVDIVS TROPHIMVS FEC. SIBI, ET CLAVDIAE PHOTIDI CONIVGI 74
SVAE, ET T. CLAVDIO TROPHIMO, ET, TI. CLAVDIO VICTORINO, ET TI. CLAVDIO [6] EVDEMON FILIIS SVIS, ET LIBERTIS LIBERTABVS POSTERISQ. EORVM.

D. M.
SCANTIA VENVSTA EMIT SIBI, ET
C SCANTIO PROTOCONIVGI SVO, ET TI. CLAVDIO REGILLO AMICO CARISSIMO INTRANTIBVS PARTE DEXTERIORE DIMIDIA LIBERTIS, LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.

In Ædibus *Victorinis*:

[7] AVRELIAE MARCIANAE
AVRELIVS EVPHROSINVS
CONIVGI IN OMNIBVS
CASTISSIMAE.

In fluvio *Velino*, prope Ecclesiam *S. Angeli*
D in Suburbio, inventum fuit *Marmor*, quod indicabat fuisse ibi Templum *Neptuni*, quod donatum fuit Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali *Petro Aldobrandino*, Felicis Memoriæ; erat in illo hæc *Inscriptio*,

[8] NEPTVNDO SACRVM
C. ANNIVS NEPTVNDIALIS
VOTO SACRAVIT.

CAPUT V. 75

S' IN QVEL BEATO SEN ROSA S' ANNIDA,
SVOL BEN SPESSO ACQVISTAR POMPA NOVELLA:
CHE IL SERAFIN TERREN, PROPITIO A QVELLA
FA IN VATICAN, CHE L' ORO ALL' OSTRO ARRIDA.

E *S. Franciscus ut plurimum in solitudinibus Reatinis commoratus. Monasteria ejus quatuor Crucis figuram dant Urbi. Descriptio Monasterii primi, in Monte Raniero, & Rupis ibidem Miraculosæ; Descriptio secundi prope Castellum Grecce. Tertii, non longe a Poggio Bastone; Quarti, prope Castellum Franco. Ibi plurimum vitæ transegit S. Franciscus, Zelosissimus ejus Ordinis protector Episcopus, Cardinalis Ugolinus de' Conti; Cui & Papatum prædixit S. Franciscus.*

Seraphinus Terrenus & Seraphicus Pater *S. Franciscus d' Assisi*, hoc enim glorioso titulo appel-
F latur

1 DIS MANIBVS.] *Inscriptio* hæc abest a *Grutero*; abest & illa quæ sequitur.

2 M. AVRELIVS] Emendata a *Fabretto* exhibetur in nova *Gruteri* Editione pag. MCXXXIX. 12. ubi non tantum legitur ARDEATINA, pro RHEATINA, verum tres etiam in fine adduntur versus, & quædam aliter scribuntur vocabula.

3 ÆLIÆ] Hæc *Inscriptio* una cum quatuor sequentibus non invenitur apud *Gruterum*.

4 LIBERTATIS] Citat hanc, ut exstantem *Romæ* in Impluvio *S. Anastasiæ*, qui versus alio modo collocat, *Gruterus* pag. MLXXXVI. 10.

5 LEGVM] Citat ibidem N. 10. *Gruterus*, ut *Romæ*, in *S. Anastasiæ*, in pavimento. Legit ibidem RECTORI pro VECTORI. & CONSERVATORI. pro CONSTRVCTORI. & addit QVE. post INVICTISSIMO.

6 EVDEMON] *Gruterus* legit EVDEMONI. pag. DCCLXXII. N. 1. ubi hæc *Inscriptio* exstat una cum sequenti, tanquam visenda *Romæ*, ad *Minervam*, in Ædibus *Porcariorum*.

7 AVRELIAE] Simile Cœnotaphium alteri uxori, AEMILIAE, AVITAE idem maritus posuisse videtur apud *Gruterum* pag. DCCLI. 13. nec enim unum eundemque puto esse lapidem.

8 NEPTVNDO] Non videtur exstare apud *Gruterum*.

latur vulgo, propter sacrum Seraphini Stemma, quod accepit, unde & ad majorem ejus Gloriam communis *Seraphici* titulus Ordini ejus accessit. Hic, quum exemplari sua Vita consacraverit complura solitaria circa *Reate* loca, largas semper gratias & benignitates a Benigno Numine in illius Urbis commodum expressit, nec cessat etiamnum intercedere efficaciter apud Deum pro ejusdem
76 incolis. Paterno certe velut affectu exornat, in Crucis speciem conditis quatuor devotis Eremis una cum Monasteriis sui Ordinis annexis, quæ ipse etiam fabricavit, & præ omnibus, Miraculosis operibus illustravit.

Primum & celeberrimum illud est, quod est prope *S. Eliam*, Castellum *Reatinum*, in alto Monte, olim vocato *Monte Raniero*, dein *Fonte Palomba*, a dominis scilicet, in quorum fuit possessione. Ibi præter Conventum Patrum Reformatorum, Novitiis illorum destinatum, eo magis devotum quo solitarium est maxime, præter varietatem Oratoriorum, partim Sancti istius, partim devotarum animarum, quæ istis in locis solitariam traduxerunt vitam & contemplativam, sparsim in Sacro isto Specu admirandorum, stuporem simul atque devotam admirationem incutit in prærupta maxime Montis parte media diffissa Rupes, quam Waddingus (qui diffuse de illa agit *Anno* MCCXVII. *Tomo* I. *Numero* XIX.) affirmat eandem esse, quæ in Passione Redemptoris nostri miraculose discissa fuit. Ascensus autem in istum locum, licet omni opera a Patribus istis accessus facilior sit redditus, maxime est terribilis.

In ista igitur Rupe Sanctus Patriarcha, dictante Summo Deo, silici quæ ad manum erat, Anno MCCXII. Cœlestem & Sanctam Regulam Seraphicæ suæ Religionis inscripsit. Locus sane (liceat illud mihi dicere) non inferior magno Monte *Sinai*; si enim ibi a *Mose* data fuit *Lex Timoris*, hic a *Francisco* conscripta fuit *Regula Amoris* & *Renovatio Legis Evangelicæ*. Fervido itaque Spiritu plenus Sanctus Pontifex *Sixtus* IV. visitans locum istum & quidem nudis pedibus, ut respectum sanitatis suæ haberet admonitus a Cardinalibus & Antistitibus, qui cum illo erant, amare
77 flens prorupit in hæc verba, quæ apportat *Waddingus* supracitato loco: *Locus iste Sanctus est.* Atque ingressus in Speluncam, addidit: *Hic locus ille est, in quo Evangelica renovata est vita: hic a Deo data Regula Fratrum Minorum.*

Secundum Monasterium est prope *Grecce*, quod itidem Castellum est *Reatinum*, multis nominibus celebre; præsertim propter dulcem apparitionem cœlestis infantis *Jesu* in amplexu Sancti, & miraculosam ejusdem fundationem, de qua acturi sumus *Cap.* IX.

In tertio, quod non longe est a *Poggio Bastone*, & ipso Castello *Reatino*, velut in Templo Gratiæ, plena culparum obtinetur remissio; de illo autem Sancto loco plenius disseremus *Capite* IX.

Quartum est prope Castellum *Franco*, quod pariter ad *Reatinos* pertinet, in regione *della Foresta*, & miraculum multorum mirandorum. Ibi enim, intercedente Sancto, musti multiplicatio facta est, plenis ad stuporem videntium doliis. Verum & hujus Sancti loci recensionem pleniorem ad suum locum servabimus.

Hodie omnes istæ Ecclesiæ inhabitantur cum religiosa pietate a Minoribus Observantibus, atque in illis quidem majorem vitæ suæ partem Seraphicus Sanctus transegit; præcipue vero illo tempore, quum in Urbe nostra Episcopus esset Cardinalis *Ugolinus de' Conti*, admodum dilectus a *S. Francisco*, qui etiam primus zelosissimus protector fuit Religionis ejusdem, ut bene probat *Ciacconius*. Unde in *Chronicis* & *Floribus Cap.* XVIII. legimus, sæpius ab illo Cardinale *Reatino* fuisse invitatum, ut acciperet salutare aliquod remedium pro infirmitate, ex quo laborabat Sanctus, oculorum. Tantus autem affectus ille fuit, quo in Sanctum 78
istum Antistes *Reatinus* ille ardebat, ut de illo dicat *Thomas Celanus* hæc verba: *Conformabat se moribus fratrum: & in desiderio sanctitatis erat cum simplicibus simplex, cum humilibus humilis, cum pauperibus pauper: erat frater inter fratres, inter minores minimus: & velut unus cæterorum, in quantum licitum erat, vita, & moribus se gerere studebat. Erat in Ecclesia Dei lucerna ardens, & lucens, sagitta electa, parata in tempore opportuno. O quoties depositis pretiosis vestibus, vilibus indutus, discalceatis pedibus, quasi unus ex fratribus incedens rogabat ea, quæ ad pacem sunt.* Sæpissime Sanctus Patriarcha *Franciscus* prædixit illi Cœlitus destinatum ipsi Pontificatum. O loqui si possent silvæ taciturnæ eremorum *Ranieri*, *Grecci*, *Bastoni*, & *Forestæ*, quanto cum sonitu reboarent repetitas sæpissime prædictiones, quas in servitium Ecclesiæ Universalis Cardinali fecit Sanctus! Et tandem, ut concludit *Waddingus Anno* MCCXVII. *Num.* X. *Tomo* I. publice Sanctus iste per literas illi scripsit, *Reverendo Patri, ac Domino Hugoni, totius Mundi Episcopo, & Patri Gentium futuro.*

Dicimus itaque Seraphicum Patrem, ut peculiarem Urbis nostræ Advocatum in *Vaticano* Purpuram mutasse in Aurum, id est, Episcopo isti *Reatino* ponderosa Intercessione sua Papatum a Deo impetrasse, prout & impetravit quatuor aliis suæ Religionis Pontificibus. Ut ita libere effari liceat:

FA IN VATICAN, CHE L'ORO ALL' OSTRO ARRIDA.

CAPUT VI. 79

QIU PIU SOMMI PASTOR POSARO IL PIEDE.

Tres Pontifices Summi Reate commorati sunt. Honorius III. qui Ædem Cathedralem restauravit & Urbem in Protectionem S. Sedis recepit. Gregorius IX. qui olim ejusdem Episcopus, ibi multa notatu digna gessit: ut & Nicolaus Quartus, & Bonifacius VIII. qui ingentem ibidem Terræ Motum est expertus, & excommunicatione Columnensibus condonata, Urbem Pelestrinam destruxit in summo monte sitam, & ad radices ejusdem, sub nomine Papalis Urbis transtulit: multos præterea ibidem creavit Cardinales. Quintus fuit Sixtus S. Francisci ingens admirator. Sextus Paulus III. qui Marmoræ locum perlabentis aquæ saxis concretum aperuit & restituit.

Pontifices Summos numero sex *Reatinam* Urbem commoratione sua illustrasse invenio. Primus autem qui hoc illi decus attulit, fuit ipsius *Romæ* honor, *Honorius* III. tum, quum multis Cardinalibus comitatus consecravit Ecclesiam Cathedralem sub Pontificatu suo renovatam, ut superius *Capite* III. diximus. Annum cum dimidio Pontifex iste *Reate* transegit, sive totum Annum MCCXXVI. & partem anni MCCXVII. quo tempore non modo confirmavit Regulam Patrum Carmelitanorum, prout videre est apud *Bollarium Tom.* I. (*Datum Reate* III. *Kalend. Febr. Pontif. anno* X.) & canonizavit *S. Laurentium* Archiepiscopum *Dublinensem*, filium Regis *Hiberniæ* (*Datum Reate III. Idus Decembris, Pontif. Anno* X. *Tomo* I. *Bollarii*) sed & simul cum Sacro Collegio 80
Cardinalium *Reatinam* Urbem recepit sub tutela seu protectione immediata Sedis Apostolicæ, prout eo jure gaudebat *Campania*. Ratio autem, quæ ad id Papam permovit, fuit, prout annotare est

ex Bulla quam *Victorius* Notis suis inseruit, propter constantiam & fidem, quæ servavit eadem Ecclesiæ *Romanæ*, tempore illo, quo obsessa fuit ab Imperatore *Othone*. Quæ singula fusius in Bulla ista enarrantur.

Secundus autem *Gregorius* fuit IX. dignus nepos *Innocentii* III. & honoratus successor laudati modo *Honorii*. Hic propter amorem *Honorii*, qui illum præcesserat, erga Urbem hanc, & quoniam ipse prius ejusdem fuisset Episcopus, Papa creatus, in pristinam suam Sedem anno MCCXXVII. *valetudinis causa profectus est Reate*, prout affirmat *Ciacconius*, ubi etiam notandas res peregit; incarceravit enim ibi in Castello *Reatino* Dominos *di Miranda*, refugium Banditorum seu proscriptorum, atque hæretitorum; eisque (subjungit *Ciacconius* ibidem) *Arcem illam*, *insanorum hominum asylum*, *vi eripuit*. Anno autem MCCXXXIII. in eadem Urbe canonisavit *S. Dominicum*, Patriacham Ordinis Prædicatorum. Paullo item post, quasi illecebris ejusdem Civitatis allectus, illuc est reversus, ubi salutatus fuit a *Frederico* II. qui postea ibidem cum illo egit in favorem filii sui *Henrici* in Ecclesiam rebellis; Postquam vero (ut plenius differit & distincte narrat *Ciacconius*) ibidem longam traxisset moram, variaque gravia peregisset negotia, atque cuncta Urbi confirmasset privilegia, quondam illi a Papis *Innocentio* III. *Cœlestino III. & Honorio*, præcessoribus suis concessa, *Romam* est reversus, atque ibi, mense Septembri, Anno MCCXLI. mortuus.

81 Tertius ordine est *Nicolaus* IV. *Asculanus*, *S. Francisci* olim Discipulus, qui nata *Romæ* seditione quadam, cum tota sua Aula in nostram sese recepit Civitatem, ubi promotionem fecit sex Cardinalium, prout legere est apud *Lucam Waddingum*, in *Annalibus Minorum Tomo*, II. *Anno* MCCLXXXVIII. *Vigilia Pentecostes*. verba ejus hæc sunt: *Nicolaus* IV. *propter seditiones Romanorum*, *in Reatinam Urbem Sabinorum profectus*, *in Vigilia Pentecostes Cardinales sex creavit*, *nullo habito delectu status aut conditionis*, *sed tantum virtutis*. & *Joannes Villanus Libro* VII. *Cap.* CXXIX. narrat Pontificem illum in eadem Urbe *Carolum*, filium Regis *Ludovici Neapolitani*, prima istius Regni Nobilitate comitatum, corona ornasse.

Quartus autem fuit *Bonifacius* VIII. Hic anno MCCXCVIII. ibidem in Episcopali habitavit Palatio, ubi in quibusdam arcuationibus & pilis adhucdum familiæ ejus conspiciuntur insignia. Tantus autem eo tempore Terræ Motus exortus est, tamque terribilis, ut non possim non *Ciacconii*, *Platinæ*, atque *Panvinii* verbis eundem referre: *Tanto repente terremotu terra tremuit*; *quanto nunquam antea auditus esset: quo multis diebus per intervalla durante*, *ædificia multa corruere. Pontifex Reate in Sabinis cum Curia erat: qui metuens, ne ruina ædificiorum premeretur*; *cubiculum ex subtilibus asseribus in medio Fratrum Prædicatorum Claustro*, *prato admodum lato*, *ædificari jussit*, *eoque in loco* (*quamquam horrenda hyems esset*) *aliquandiu resedit: ea enim perturbatio die festo S. Andreæ fuit. Apparuit sidus cometes*, *grandis*, *magnæ alicujus futuræ calamitatis indicium*, *&c.*

Ubi cessavit idem Terræ motus, anno MCCXCIX. Pontifex iste absolutionem concessit *Columnensibus*, antea ab illo, occasione, quam narrat Platina, solemniter excommunicatis, ista tamen conditione,
82 ut cederent sibi *Pelestrina*, prout fecerunt; atque ipse dein Papa non modo superbam istam Arcem solo æquavit, verum ipsam Urbem, quæ in summo montis erat, ad radices ejusdem traduxit, *Papalis Urbis* indito nomine. Insuper *Reate* duo publica habuit Consistoria, alterum anno MCCXCV. quatuor Adventus temporibus, septem creatis Cardinalibus, alterum Anno MCCXCVIII. die quarta Decembris, sex Cardinalibus ad Sacram Purpuram promotis, inter quos, ut superius diximus, fuit & *Theodoricus Ranieri*, Episcopus *Reatinus*.

Quintus fuit ordine *Sixtus* IV. qui quum filius esset *S. Francisci*, eo tempore, quo *Joannes Columna*, Cardinalis ab eodem creatus, Urbis nostræ esset Episcopus, non solum diu in *Reate* est commoratus, verum etiam nudis pedibus singula visitavit loca veneranda illa patris sui *S. Francisci*. Scribit de eo *Waddingus Tomo* I. *Num.* XIX. hoc pacto: *Sixtus IV. jam Pontifex*, *omnia perlustrare voluit*, *nudis pedibus*; *monitusque a quibusdam Cardinalibus*, *præcipuisque sui comitatus viris*, *ut saluti caveret*, *respondit: locus iste Sanctus est*, & quæ ibidem sequuntur.

Sextus atque ultimus fuit Pontifex *Paulus* III. qui, quum intellexisset immane damnum, quod accepisset *Reatinus* ager ab inundatione fluvii *Velini*, concreta ibi saxea mole medio in vado, ubi in *Ner* effluere solebat (ut superius *Capite* III. diximus) ipse illuc accessit. Omnes enim maxime amœnos, fertiles & præstantia sua commendabiles agros istius tractus aquæ inundaverant, multæque relatæ & crebræ erant jam olim preces ab Urbe, & præsertim tempore *Leonis* X. anno MDXIV. quando negotium illud Civitas commiserat *Francisco Eusebio*, prout constat ex Libro Reformationum istius anni folio 539. qui de re illa egit cum Cardinale *Bernardo Tarlato*, tituli 83
S. Mariæ in Porticu, eo tempore intimæ apud Papam admissionis, & Thesaurarii Generalis S. Ecclesiæ, & ad quem ejus rei cura pertinebat. Motus itaque & præcedentibus illis & recentibus querelis atque malis, jussit (ut superius diximus) aperiri ferro saxeam istam ibidem in aquis concretam molem, & ipse etiam, ut insolitum hoc Naturæ videret miraculum, *Marmoram* sese contulit, & dein *Reate*, ubi Pontificales pompæ apparatus, Arcus Triumphales atque alia lætitiæ signa erecta fuerunt. Captus itaque pulchritudine loci, ubi & multi alii habitarant Pontifices, per longum ibi tempus est commoratus.

Quæ quidem cuncta ex *Reformationum* apparent Libro, ita ut quum *Reate* sit locus, ubi superius enumerati Summi Pontifices commorati fuerint, verissimum illud appareat a nobis dictum

QUI PIU SOMMI PASTOR POSARO IL PIEDE.

CAPUT VII. 84

QVI STABILI SATURNO IL SUO BEL REGNO.

Saturnus, *seu Sabazius Reate condidit. Saturni Ægyptii seu Chami filius. Frater Saturni Babylonici. Quare Sabazius dictus. Uxorem Rheam habuit*, *variis nominibus appellatam. Et ex illa duos filios Berzenem Arabum Regem*, *& Sabum. Bello a Saturno Babylonico seu Belo petitus*, *fugit ad Caspios*, *dein ad Bactrianos*, *hinc in Pontum*, *denique in Italiam. Janus Italiæ Rex. Ejus laus. Sabinorum in agro & Reate habitavit. Saturnus ista Regni parte ab illo donatus. A Sabo*, *filio ejus*, *Sabini dicti. Reate ab illis in uxoris & matris honorem condita. Idyllium Mariani Victorii. Saturnus etiam Sanctus appellatus. Inscriptio Vetus. Alia versibus Ennianis a Lucio Munio ob Victoriam Parthicam posita. Loca multa in Agro Reatino Conditorum nomen servant. Suetonii locus. Herculis ubi locus*, *nunc Ancharano dictus. Inscriptio Vetus. Per quot annos steterit Reate.*

MAxime evidens, ut & pernotum est, Urbis *Reatinæ* conditorem atque auctorem fuisse *Saturnum*, etiam *Sabazium* dictum, & *Sabum*, ejus-

ejusdem filium, prout feliciter probat ingeniosa penna Domini nostri *Mariani Victorii*, in *Historia* sua MS. quam breviter & succinctè jam delibabo, addito ejusdem Idyllio quodam, quod mox integrum suo loco proferemus. Dicit itaque,

Saturno il Gran, che Sabbatio dett'era,
Alti. consorte, e di Sabo Almo Padre &c.

Saturnus ille de quo loquimur *Sabazius* alias dictus, ne erremus ambigui inter tot *Saturnos*, filius fuit *Saturni Æthiopis*, qui *Chus* vocatur in *Sacris Literis*, primus *Æthiopum* Princeps atque progenitor, filius alterius *Saturni Ægyptii*, id est
85 *Chami*, seu *Zoroastris* (ita enim in *Sacris Literis* vocatur) qui *Africæ* & *Ægypto* originem dedit, verum filius *Noachi*, patris universi post diluvium generis humani. Habuit *Sabazius* iste alterum fratrem, *Saturnum Babylonicum* appellatum, a quo descendit Regnum Babylonicum, post se relinquentem *Jovem Belum*, ex quo *Ninus* originem duxit.

Sabazius voce barbara appellatus fuit *Saturnus* noster, prout narrat *Dionysius*, a Festo & Saltationibus *Bacchi*. Idem affirmat *Amphitheus Libro* II. Pontifex fuit & Augur consummatissimus, in *Schythia* primum imperavit, Rex *Sacarum*, uxorem habuit *Rheam Phrygiam*, a *Græcis* pariter atque *Barbaris*, propter variam virtutem diversimode appellatam. Vocatur enim ab illis *Deorum Mater*, *Vesta*, *Cybele*, *Angidista*, *Brinone*, *Syria*, *Magna Dea*, *Idæa*, *Dyndimena*, *Philena*, *Festinuntia*, *Berecynthia*, aliisque insuper nominibus. Habuit autem *Rhea* duos ex *Sabazio* filios *Berzenen* & *Sabum*.

Saturnum itaque nostrum *Berosus* aliique, qui fideliter veteres res gestas literis consignarunt, atque Historiæ *Syriæ*, affirmant regnasse ab *Armenia* usque ad *Bactrianam*, toto isto terrarum tractu, qui *Persarum* lingua *Scythia Sacra* appellatur. *Arabum* autem Rex appellatus fuit filius ejus *Berzenes*, illosque populos longa pace cum multa laude omnes rexit. *Saturnus Babylonius* Regnum adeptus *Syriæ*, & naturali regnandi libidine ictus, ad universalem adspiravit Monarchiam. Quum vero illam consequi non posset, nisi subjugatis prius vicinis Regnis, insidias patruo suo *Sabazio* tendere cœpit, nescio quas prætexens causas injuriarum. Hic quum sola saluti via fugæ pateret, retrocessit quanta maxime potuit celeritate clam
8 ad *Caspios*, ubi aliquantum temporis secure vixit. Verum & ibi ab invidiosa *Beli* ambitione haud ulterius tutus, ad *Bactrianos* confugit, ubi ad mortem *Beli* mansit, cui dein in Regno filius *Ninus* successit, qui non modo adhortante patre, & propria regnandi aviditate novas infelici *Sabazio* insidias tetendit, ita ut coactus fuerit, relicto filio suo Rege *Berzene*, ut narrat *Diodorus Libro* IV. in *Pontum Sarmaticum* sese recipere, anno Regni *Nini* istius XLIII. cum apud *Sicuonios* regnaret *Ægialeus*, ante Redemptoris nostri Adventum annis circiter MMXV. & post novem in *Ponto* transactos annos venit in *Italiam*, anno primo Regni *Semiramidis*, quæ post *Ninum* occupavit *Syriam*.

Regnabat tunc temporis *Janus* in *Italia*, vir vere pius atque religiosus, de quo & *Augustinus Libro de Civitate Dei* VII. scripta reliquit hæc verba: *De Jano non mihi facile quidquam occurrit, quod ad probrum pertineat.* Apud *Berosum Babylonium* invenitur, *Janum* eundem cum *Noacho* fuisse, & vini inventorem, quod Hæbræis *Jain* dicitur. Confirmant id *Græci*, qui *Janum* vocant O Enotrium, a vini pariter inventione. *Josephus Hebræus*, Scriptor diligentissimus, nepotem *Noachi* existimat, *Japheti* filium, quem *Javanem* appellat *Moses*, qui primus in *Græciam* navigavit, *Hebræis* ab ejus nomine *Javana* dictam.

Hoc jam præsupposito, & *Jano* primo *Sabinorum* Rege, prout testatur *Cato* in *Originibus*, æquum est pulcherrimo ibidem loco resedisse, qui nullus alius quam *Reate* esse potest. Et ne quis violentius id arreptum existimet, evidenter hæc conjectura nostra nititur fonte quodam prope Civitatem, qui ad hoc usque tempus non tantum ipse, sed cum toto illo tractu, *Fons Jani* dicitur, & vulgari idiomate *Fontiano*. 87

Ibi itaque *Saturnus* exul ab cognato suo *Jano* benigne fuit exceptus, imo brevi post etiam in parte Regni locatus, data ei tota hac ditione, quæ postea a filio ejus *Sabo* appellata fuit *Sabina*, prout egregie prorsus canit *Silius Lib.* VIII. *versu* 422.

—— Et læti pars Sancum voce canebant
Auctorem generis. Pars laudes ore ferebant
Sabe tuas, qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Certo itaque existimo quinque istis annis, quibus in *Sabinis* regnavit *Sabazius*, usque XXII. Annum Regni *Semiramidis*, seu ante Adventum Servatoris MCMLXXXIII. totoque isto tempore, quo privatus, regnante filio *Sabo*, XXV. annis scilicet, vixit *Saturnus* (mortuus enim est centenarius, ut scribit *Porcius Cato*) Certo inquam existimo, eo tempore *Reate* Urbem conditam fuisse a *Saturno*, seu *Sabazio*, si ita appellare malimus, atque filio ejus *Sabo*, in honorem uxoris matrisque *Rheæ*, unde canit *Silius* ibid versu 417.

—— —— Magnæque Reate dicatum
Cœlicolum Matri.

Condidit itaque Urbem nostram *Sabus*, filius *Saturni* atque *Rheæ*, Abnepos *Noachi*, prout ex ista serie apparere potest, & affirmat *Marianus Victorius* infrascripto *Idyllio*, qui illos *Reates* Conditores facit *Silii* aliorumque gravium Scriptorum testimonio nixus. Est autem tale

IDYLLIUM DOMINI MARIANI VICTORII. 88

Siede su'l cor d'Italia, honesta, altiera,
Vn' antica Città; cui la gran Madre
Di tutt' i Dei fe Rea l'alte, e leggiadre
Mura, c'hor son di gente ampia, e severa.
Saturno il gran, che Sabatio dett'era,
A lei consorte, e di Sabo almo Padre,
Fuggendo con l'alpestri Caspie squadre,
Pos'ivi la sua ricca aurea bandiera.
Da Sabo poi Fidio nomato e Santo,
Che di Noè si tien vero Abnipote,
Detti fur li Sabini, honesti tanto.
Tre piu ch' età dopo il Diluvio pote
Primo Rè farlo il Padre al Mondo Santo,
Hor vive a noi su le marmoree note.

Præter allatas rationes docet etiam Templum *Saturni*, qui juxta *Silium* omnesque Antiquos etiam *Sancus* appellatus fuit, *Reate* ab illo fuisse conditam. Fuit autem id in arduo colle in Campo *Reatino*, prope *Contigliano*, formæ rotundæ superne cœlum versus apertum. Locus iste etiamnum *Colle di Santo*, seu *Sanci Collis* appellatur. Sed & insuper Vetus id evincit *Inscriptio*, in Marmore quodam inventa, atque adhucdum asservata in Civitate, in *Pennichorum* Ædibus, licet alicubi mutila, hisce inscripta literis:

[1]PATRI REATINO SACRVM.
89 OB HONOREM AVGVST.
VI. VIRI AVGVST.
TITVS BETVLNVS FELIX
AVLVS LICINVIS SVCCESSVS
TITVS POMPONIVS MODERATVS.
PVBLIVS VETIVS MODERATVS.
LVCIVS FLAVIVS HERMEROS
C, ACHORISTVS.
L D.
D D.

Visitur etiam Antiquus Lapis in *Monte Pietatis*, sex versibus *Ennianis* conscriptus, a *Lucio Munio*, ob Victoriam *Parthicam*, qui prout narrat *Dionysius Libro* II. solitam decimam dedit Deo *Sanco*, id est *Sabo*. *Inscriptio* autem ipsa hæc est.

[2]S A N C T E.
DE DECVMA VICTOR TIBEI LVCIVS MUINUS DONUM
MORIBUS ANTIQVEIS PRO VSURA HAC DARE SESE
VISVM ANIMO SVO PERFECIT TVA PACE ROGANS TE
COGENDEI, DISSOLVENDEI, TV VT FACILIA FAXEIS
PERFICIAS DECVMAM, VT FACIAT VERÆ RATIONIS,
PROQVE HOC, ATQVE ALIEIS DONIS DES DIGNA MERENTI.

Adjungo hisce nullibi in *Sabinis*, quantumvis magna regione, tot locos esse, qui nomina magnorum suorum Conditorum retineant, quot in *Reatino*. In eo enim, præter nominatos jam, est locus *Pistignano* (qui *Latinis* est *Pistinianus*) dictus a deo *Pistio*, eodem cum *Sanco*, a quo tres aliæ regiones denominantur, *Valle di Santo*, *Voto di Santo*, *Colle di Santo*. In ipsa etiam
90 Urbe restat adhuc Porta *Cynthia*, ita dicta a *Rhea*, matre *Sabi*, quæ etiam *Berecynthia* fuit dicta. Quæ certe omnia clarissima sunt indicia *Reate* Regiam fuisse *Saturni*, tot habens locos sanguini ejus atque nomini dicatos.

Infirmari aliquantum hæc veritas videtur ex *Suetonii* loco in Vita *Vespasiani Cap.* XII. affirmat enim irrisisse magnum Imperatorem illum quosdam, qui genus ejus ad Conditores *Reatinos*, & comitem quendam *Herculis* referebant. Verba *Suetonii* hæc sunt: *Quin & conantes quosdam originem Flavii generis ad Conditores Reatinos, Comitemque Herculis, cujus Monumentum exstat Via Salaria, referre, irrisit ultro.* Hinc jam sequi videtur, plures numero fuisse, qui *Reate* condiderunt, atque inter illos *Herculis* quondam comitem, non vero *Saturnum Sabazium* filiumque ejus *Sabum*. Verum summovet difficultatem hanc *Aldus Manutius*, probans in Epistola *Reatina* ad Cardinalem *Amulium*, mille modis istum *Sabum* a veteribus fuisse appellatum, velut a *Lactantio* quidem *Sancum*, ut & a *Martiano*, ab *Ovidio* autem *Sanctum Fidium* & *Semipatrem*, a *Catone* vero *Dium Fidium*. Subjungit idem insigniter ad propositum nostrum, *Et putabant hunc esse Sanctum ab Sabina lingua, a Græca Herculem.* Pro *Hercule* certe capit *Propertius*, dicens Lib. IV. El. x. versu 71.

Sancte Pater, salve, cui jam favet aspera Juno.

Et affirmat idem *Festus* hisce verbis: [3] *Proterviam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est Deus.* Fidemque rei facit Templum in antiquo Urbis loco situm, quod hodieque dicitur *Herculanum*, licet corruptum a vulgo in *Acharano*. Legitur insuper *Inscriptio* sequens in Ecclesia Cathedrali, posita in Sacello *S. Catharinæ*.

[4]LOCVS CVLTORVM HERCVLIS
RESPVBLICA SVB QVADRIGA 91
IN F.P. XXX.
IN AGRO PEDES XXV.
HVIC LOCO.
Q. OCTAVIUS COMMVN.
T. FVNDILIVS QVARTIO.
IN P. F. XIIII. IN AGRO P. XXV.
DONAVERVNT.

Ex hisce clarissime colligitur eundem, qui a *Sabinis* fuit dictus *Sanctus*, a *Græcis*, qui *Reate* habitatum venere, *Herculem* fuisse appellatum

Concludimus itaque, a *Saturno*, id est *Sabazio*, & a *Sanco* id est *Sabo*, filio ejus, *Reate* fuisse conditam, atque *Rheæ* dedicatam Anno a *Mundo Condito*. MCMLXXVII. & CCCXXI. post *Diluvium Universale*, quod scilicet accidit Anno MDCXXXVI. ab *Orbe Condito*, juxta calculum *Philonis Hebræi*, & *Jacobi Saliani*, ante felicem *Romæ* natalem MCCCXXIV. ante *Natum Christum* annis MMMCCXXI. secundum *Baronium*, secundum *Rosaccium* vero MCMXXXVII. *Victorium*, MCMLXXXIII. *Salianum* autem MMLXXV. ita ut a prima ejus nativitate usque ad præsentem annum MDCXXXV. per MMMMDCCCLVI. annos fuerit *Reate*, si juxta *Baronium* calculum ponamus, si vero, qui *Hebraicam* sequitur Versionem, juxta *Salianum*, MMMDCCX.

CAPUT VIII.

QUIVI NASCENDO HEBBER TRE AUGUSTI UN SEGNO. 92

Flavii Vespasiani Prosapia ex Reate. Avus Titus Flavius Petronius. Pater & frater Flavius Sabinus. Fi-

---

1 PATRI] Apud *Gruterum* pag. XCVI. 8. ita scribitur.

PATRI REATINO. SACR.
OB HONOREM. AVGVSTI.
VI. VIRI. AVGVST.
TITVS. BETVNIVS. FELIX.
AVLVS. LICINIVS. SVCCESSVS.
TITVS POMPONIVS MODERATVS.
LVCIVS. FLAVIVS. HERMEROS.
C. SABINVS. ACHORISTVS.
L. D.
D D.

2 SANCTE] *Inscriptio* seu Carmen votivum ita legitur apud *Gruterum* pag. XCVI. 7.

SANCO. FIDIO. SEMOPATRI.
DE DECVMA. VICTOR. TIBEI. LVCIVS. MVMIVS. DONVM.
MORIBVS ANTIQVEIS. PRO. VSVRA. HOC. DARE. SEMPER.
VISVM ANIMO. SVO. PERFECIT. TVA. OPE. ROGANS. TE.
COGENDEI. DISSOLVENDEI. TV. VT. FACILIA. FAXEIS.
PERFICIASQ. DECVMAM. VT FACIAT. VERAE. RATIONIS.
PROQVE. HOC. ATQVE. ALIEIS. DONIS. DES. DIGNA. MERENTI.

3 *Proterviam*] Apud Festum legitur *Propter viam.* Sed consule & Notas *Scaligeri.*

4 LOCVS] Immane discrepat *Gruterus*, qui ita legit pag. CCCXV. 6.

L O C A
. . . .
CVLTORVM. HERCVLIS.
REATIN. IN. FVNDO. QVADRIGANO.
IN. FR. P. XXX.
IN AGR. P. XXV.
HVIC LOCO AMPLIVS.
C. OCTAVIVS COMINIVS.
T. FVNDILIVS. QVARTIO.
IN. FR. P. XIIII. IN. AGR. P. XXI.
DONAVERVNT.

Filii etiam Reatini. Natus in villa non procul a Reate. Ibidem mortuus. Ut & filius ejus Titus. Templum Pacis, Coliseum, Vespasiani opera. Ejusdem laus militaris & civilis, opera & mors. Filii item ejus Titi, perfectissimi Principis. Felicitas & laus Reatina.

NOn potuere ex nobilissima patria, tanquam lucidissimo Sole, nisi clarissimi exire radii, qui suo splendore Regiam & Monarchicam coruscare fecere coronam. Quis enim non reverebitur gloriosum *Flavii Vespasiani* nomen, tantæ existimationis tantæque virtutis Ducis, ut merito bellicum thoracem stupendis suis victoris, ex tenebris emergens, purpureo Imperii illustraverit paludamento, armataque tempora glorioso, non tantum Romæ, sed & universi Orbis Imperator cinxerit diademate.

Neque hoc mirum fuit, *Titi* enim *Flavii Petronii*, avi sui, in *Pompei* olim castris Tribuni Militum, prudens imitator, atque *Flaviorum Sabinorum*, quorum alter pater ejus, fortis etiam fuit Tribunus, alter frater, Urbi *Romæ* Præfectus, insistens vestigiis, parem haud sibi novit Atlantem *Romanum* sustinendo ponderi universalis Monarchiæ.

Neque enim ullum est dubium, magnos hos Principes una cum *Tito* atque *Domitiano* fuisse *Reatinos*, ut & tota illorum prosapia; id enim clarissime testatur *Suetonius* in *Vita Vespasiani*, una cum *Beroaldo* Commentatore suo. Statim enim in initio scribit: *Titus Flavius Petronius*, *Municeps Reatinus* &c. & paullo post: *Vespasianus natus est in Sabinis ultra Reate, vico modico, cui nomen est Phalacrinæ*. In villam enim suam seu vicum istum nunc deletum (sed ex cujus ruinis *Civita Reate* dictum Oppidum natum putat *Victorius*) secesserat *Reate* pater ejus *Flavius Sabinus*, ut ibi cum uxore sua *Polla Vespasia*, quæ ex nobilitate *Nurcina* erat, æstatem transigeret. Ibi dum ad mensem *Decembrem* usque moratur, natus illi est eo mense filius *Vespasianus*. Hanc vero villam idem, Imperator postea factus, adeo dilexit, ut etiam mortem ibi obire voluerit. *Cutilias, ac Reatina rura, ubi æstivare quotannis solebat, petiit.* Quod & ipsum primogenitus ejus *Titus imitari voluit*, scribit enim in fine *Vitæ* ejus *Suetonius* de eodem, *Excessit in eadem, qua pater, villa.* Ipse vero *Vespasianus* morti proximus, dixisse ibi fertur: *Imperatorem stantem mori oportere.*

Imperium ejus tam gratum fuit, non tantum Reipublicæ *Romanæ*, verum universo Mundo, continuis bellis quasi fesso & destructo, ut in gratiam beneficiorum ejus, *Romæ*, in medio Foro, excitatum fuerit immensum illud Templum Pacis. Sed neque hoc contentus, ejus quasi lætus honoribus, in ejusdem Urbis medio, Via Triumphali, vastum illud Theatrum populus excitavit, dedicavitque publicæ lætitiæ, quod *Colosseum* præ immensitate operis merito fuit appellatum. Sed & etiamnum illustre cadaver (ut ita dicam)
94 honorem ejus atque famam servat, illa, quæ adhuc restat parte, testante magnam conditoris potentiam. Altitudo enim horrorem incutit, vastitas admirationem, artificium dilectationem excitat, & maiestas reverentiam: artisque miraculo ita brevi crevit, ut momento quasi super se ipsam excrevisse *Roma* cerneretur. *Martialis* inde grande illud tribuit illi Epiphonema Lib. I. Ep. I.

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Et merito: Neque enim conjurata barbarorum ad delendam *Romam* manus, vetustis pariter recentibusque temporibus; nec ipsa in sua viscera, antiqua lanians ædificia novis struendis, crudelis *Roma*, post tot sæcula Orbis hoc insigne miraculum convellere valuit.

Verum ego haud ita admirandam istam Machinam, cum tot ab illo restitutis Urbibus obstupesco, quantumvis magnificis, quam Imperatoris ejusdem prudentiam, qua restituit disciplinam militarem tantum non exstinctam. Nec sumtibus nec operæ pepercit, donec ad eam redegerit formam, qua universis magnis parvisque prodesse poterat. Modestia vero in tanto Imperatore omnem exsuperavit admirationem. Colossos sibi fieri vetuit, titulum *Patris Patriæ*, tot a se nominibus meritum, usque ad extremam senectutem recusavit. Scurrarum præterea sprevit dicteria, injurias dissimulavit, æternisque tenebris sepelivit; imo tantæ in tam alto fastigio fuit clementiæ, tantæque magnanimitatis, ut læsæ etiam maiestatis reos, verbis modo correctos, dimiserit. Non nego pecuniæ colligendæ operam dedisse, verum sine aliorum injuria, & ut eadem summa liberalitate in majestatem Imperii *Romani* uteretur. Pri- 95
vata sæpe commoda contempsit, ut publica procuraret. Quatuor his præclaris cinctus virtutibus secure affirmare potuit, aut filios post sese regnaturos, aut neminem. Factumque est, ut prædixerat.

Vix mortem obierat *Vespasianus*, quum primogenitus ejus *Titus*, paternarum virtutum hæres, & ipse virtutibus dives, ad Imperium ex omnium voto pervenit. Non opus tot ejus heroicas enumerare res gestas, quibus merito clarus evasit. Sufficit duobus illum annis feliciter ad finem perduxisse obsidionem *Hierosolymitanam*, ab Augustissimo ejus patre duobus ante annis inchoatam. Sufficit reverentia ejus, & per illum militiæ ejus erga regiam *Davidis* stirpem. Ante omnia vero testatur virtutem ejus elogium illud, quod communi consensu nullus Imperatorum, præter illum meruit, gratissimum subditorum præmium, quo dictus fuit *Amor & deliciæ generis humani.* Fuit enim in pace eloquentissimus, in bello fortissimus, erga delinquentes clementissimus, in omnes liberalissimus, ita ut negaverit quemquam *a vultu Principis tristem discedere oportere*, & recordatus aliquando nihil eo die quidquam alicui tribuisse, aureum illud emiserit dictum, *Amici diem perdidimus.* Sed neque pares sibi ante se magnificentia habuit. Amphitheatrum & Thermas dedicavit. Venatum quinque ferarum millium exhibuit: inclitum Philosophum *Musonium Rufum* ab exilio revocavit, atque amicitia *Asconii Pediani*, viri doctissimi, admodum fuit delectatus. Mortuus vero est anno Imperii secundo, perpetua memoria dignissimus Princeps. Publico dolore, ut Patrem Patriæ, Senatus pariter, atque
Populus *Romanus*, flevit, atque ita veri Monarchæ 96
summique perfectissimum posteritati exemplar reliquit. Hinc de *Vespasiano* filioque ejusdem *Tito* in *Triumpho Famæ* ita cum ratione cecinit *Petrarcha*:

Poscia Vespasiano col figlio vidi,
Il buono, il bello, e non già il bello e rio.

Tito fratri, ut auguratus pater fuerat, successit *Domitianus*. Qui licet virtutis via a gente sua deflectens, extinguere tamen non potuit funditus clarorum ejusdem meritorum lumen, imo penitus amor *Flaviorum* pectoribus populorum inhæsit. Hinc factum est ut complures excellentes viri *Flaviorum* assumserint nomen, sive quod revera aliquo modo ad istam pertinerent familiam, ut *Flavius Claudius*, prout affirmat *Trebellius Pollio*, & in *Chronologia* sua *Romana* notat *Hyacinthus Lilius*, ad Annum *Romæ* MXX. & *Nati Christi* CCLXIX. atque *Flavius Constantinus* Imperator,

rator, prout probat *P. Severanus Parte Prima pag.* 472. VII. *Ecclesiarum Romanarum*; sive mera ex ambitione, ut *Flavius Justinianus* aliique, nomine quasi Imperatorum istorum famæ sibi favorem conciliaturi.

Reate igitur magnorum istorum Monarcharum est patria, *Reate* est genetrix. Civitas illa, quæ prima *Sabazii Saturni* fuit Regia. Civitas illa, cujus nati inter primos *Romæ* fuere habitatores, prout affirmat *Varro Libro* IV. *de Lingua Latina*, & *Cato* in *Originibus*; ita enim scribit: *Palatinum Collem Roma, Itali filia, sed prius Palatinum Aborigenes tenuerunt, qui ex agro Reatino profecti sunt.* Civitas illa, quæ antiquorum *Sabinorum* primaria, invicta semper bello fuit habita. *Reate* illa est, quæ magnis & superbis, quales usquam tellus tulit principibus atque Regibus ob-
97 jectare sese ausa fuit, *Othoni* scilicet Imperatori, atque *Neapolis* Regi *Ludovico*, aliisque, prout in Notis suis commemorat *Victorius*. Victoriosa & semper felix. Hæc est illorum Principum patria.

Nobilis itaque, magna, atque admiranda mihi hæc Civitas videtur, ut mater invictorum istorum Imperatorum: magnique mihi & admirandi præclari illi censentur Heroes, velut ejus tam claræ Urbis filii, ut ita merito concludere liceat:

QUIVI NASCENDO HEBBER TRE AUGUSTI UN SEGNO.

98 CAPUT IX.

DI REA QUEST'E CITTA DEL NOME HEREDE.

Perperam quidam Etymologiam Urbis a Græco Ῥέω deducunt, ridicule etiam a Rhea, Romuli & Remi matre, tanquam ibi locorum defossa. Deduci a Deorum Matre Rhea debet. Fuit ante Romam Conditam, & quot annis. Caput Sabinorum. Pomærium ejus vetus & novum. Præfectura, Municipium, Respublica. Veteres Lapides. Insigne Urbis, unde deductum disquiritur. Ager Reatinus, & Castella Urbi subjecta. Castelfranco. Lissæ, antiquissimæ Civitatis, vestigia. Cantarus fluvius. In ejus medio fons Neminius. Ecclesia S. Nunciatæ, & Conventus P. Franciscanorum. Palatium seu Palazzo, Aboriginum quondam sedes. Unde Monte Gambaro dictus sit ille locus. Prædium Bastone, & Ecclesia S. Jacobi, a S. Francisco structa, cujus ibi multa miraculosa vestigia. Vedutri. Septem-Aquæ. Puregge, etiam Bernardesco dicta. Castellum Morro, Græcis Marruvium. Castellum Moggio, ita dictum a Modio Fabio, Reatino. Piè di Luco, unde ita dictus locus. Massimo. Insula Issa ab Aboriginibus inhabitata. Grecce. Istorum locorum singularia miracula. Monte Calvo. Di Alatri. Contigliano, an antiqua Cotilia, Cotiliæ Colonia. Citta Ducale recens Oppidum. Cotilia antiqua ubinam sita. Lacus ingens, & in eo Insula parva natans. Cotiliæ Antiqua olim Diœceseos Reatinæ. Antrodocum. Ejus antiquitas, Ecclesia, Monasterium, Aquæ salubres, Cotioscolæ dictæ. Contigliano illustratum opera Andreæ Fulvii. Vestigia Monumenti Sepulchralis Memmii Apollinaris. Rudera Templi Sanci seu Sabi. Ecclesia S. Eleutherii. Monasterium S. Pastoris valde vetus. Val Canera a nobili Canneorum Familia ita dicta. Inscriptio Vetus. Fluvius Canera. Col Vaccaro aliaque Oppida seu Castella. Enumeratio seu Catalogus universalis omnium Oppidorum seu Castellorum, vicorum &c. Diocœseos Reatinæ.

QUantumvis a nobis superioribus ostensum fit multimode, a Dea *Rhea* nomen *Reate* sortitam, cum tamen opponi possit ita dictam forte a *Græco* verbo Ῥέω, quod *fluere* significat, tanto magis, quoniam tanta passim in ejus agro fluminum, & lacuum est copia, respondeo, inventam illam esse Etymologiam a recentioribus, qui *Græcæ* Linguæ gnari, cuncta ad ejus trahunt originem. Insignis certe esset stultitia propter recentiorum somnia a vetustis Auctoribus discedere, qui prout clarissime a nobis *Capite* VII. est demonstratum, originem ejus deducunt a *Rhea*, quæ uxor materque fuit *Saturni Zabazii*, atque *Sabi*, Civitatis conditorum.

Atque adeo nullius momenti Etymologia est, 99
quam dat *Jo. Villanus* in *Histor iis* suis, *Libro* I. *Capite* XXV. ubi dicit *Reate* ita appellatam fuisse a *Rhea*, quæ *Romuli* atque *Remi* fuit mater; quoniam scilicet patruus *Amulius* propter commissum incoestum (ut ille dicit) vivam eandem defodi curaverit eodem in loco, ubi nunc *Reate* Urbs est, quæ ab illo tempore *Reate* fuerit appellata. Quod est tam falsum, quam quod est falsissimum. Ostendimus enim superius, multis sæculis ante Conditam *Romam* Urbem suam habitasse *Reatinos*, quod & *Cato* testatur in *Originibus*, & commemorat pariter *Varro Libro* IV. *de Lingua Latina*. Hæc enim ejus sunt verba: *Aborigenes venisse Reatino ex agro, tenuisseque Romæ Collem, qui ab ipsis, quod Palatini dicerentur, Palatium sit postea appellatus.* Concludit etiam *Festus Reate Sacranos exortos esse, qui e Septimontio Ligures Siculosque ejecerunt.* Urbs certe tam antiqua nostra est *Reate*, ut *Jodocus*, in *Italiæ Descriptione*, peculiari de *Sabinis* titulo *Cap.* VI. ad illud releget tempus, quo nondum nati erant conditores Urbis *Romæ*. Scribit enim in hunc modum: *Inter primarias Urbes Sabinorum fuit Reate, cujus vetustissima est origo: quippe quam Aborigines, Urbe sua Lista pulsos, intra se recepisse Dionysius Libro* I. *testatur: quod ante Bellum Trojanum factum est.*

Tot itaque adstipulantibus Auctoribus, *Silio* etiam, *Jodoco*, atque Reverendissimo *Victorio* nostro, *Marmoribus* etiam atque *Inscriptionibus*, quæ in Urbe nostra supersunt, tuto affirmare licet, conditam fuisse *Reate* annis MCCCXXIV. ante Reginam Mundi *Romam*.

Tantæ autem fuit potentiæ, ut non modo *Sa*- 100
binarum Civitatum caput fuerit, ut & *Jodocus* in *Italiæ Descriptione* probat *Capite* II. *de Italiæ Finibus*, hisce: *Reate Sabinorum quondam caput, Episcopali titulo insigne.* quibus addunt *Merula* & *Cluverius* dominium istius Urbis eo tempore extendisse se a *Mentana*, quæ *Latinis* vocatur *Nomentum*, usque ad *Amiternum*, prope *Aquileiam*, dicunt enim, *a Nomento usque ad Amiternum*, & post, *usque ad Interocreum*, prout clare patet ex *Antonini Augusti Itinerario*, *Strabone* atque *Merula*, unde haud mirum est, Ecclesiasticum *Reatinæ* Ecclesiæ jus eo usque etiam hodie extendi, quum in Diœcesi *Reatina* CLVIII. circiter Pagi, Castella, atque Oppida inveniantur, quorum singulorum atque omnium in fine hujus Libelli attexuimus Catalogum. Verum & longe jam ante, & sub Imperio *Romano* celebris admodum ejus fuit Præfectura, ut colligere licet ex *Cicerone Libro* II. *De Natura Deorum*, & III. *Oratione in Catilinam*, ut & *Livio Libro* XXXVIII. atque *Valerio Maximo Libro* I. *Cap.* VIII. *Aldus Manutius* etiam, ubi *De Quæsitis per Epistolam* agit de *Reate*, dicit, *Præfectura fuit ex illo genere, in quas ibant Præfecti a Prætore Urbano Roma missi.* Et *Suetonius* in *Vita Vespasiani*, atque *Manutius De Romanis Antiquitatibus*, probant fuisse Municipium. *Cicero* etiam alibi in *Libro de Legibus* eam pro Republica habet. Id quod convenit cum verbis illius *Inscriptionis*, superius allatæ, in qua legitur

LOCUS CULTORUM HERCULIS
RESPVBLICA.

ut & cum alio *Marmore*, quod exstat in Ædibus *Pennichorum*, in quo legitur

SALLVSTIANVS
REIP. REAT.
L. S. F.

& pariter in alio quodam *Piccatorum* prædio

REATINVS. SALLVSTIANVS.
REIP. REAT.
LIB. S. F.

Ex quibus auctoritatibus colligi potest, pro diversitate temporum fuisse Municipium, Præfecturam aut Rempublicam.

Duo adhucdum explicanda atque recensenda restant. Arma scilicet seu Insigne Urbis *Reate*,
101 quod in fronte Operis locatum a nobis est, ut & Agri *Reatini* descriptio, eorumque, quæ illi subjacent, locorum.

Insigne Urbis *Reatinæ* est Clypeus æqualiter in medio divisus. Superiori in parte, in Campo Rubro Virguncula conspicitur vexillum tradens Equiti armato, ex adverso invecto. In Inferiori, in Campo Cœruleo Rete conspicitur, atque inclusi duo Pisciculi, qui cum infra posito Pisce majori triangulum efficiunt, verum ille extra rete conspicitur. Sunt autem omnes ejusdem metalli, id est, ex Argento, discoloribus, ut diximus, Campis, Rubeo atque Cœruleo.

Varia varii de origine hujus proferunt, mihi per Rete leges subintelligi posse videntur, quæ anima corporis sunt civilis, seu illud Civitatem, seu Provinciam, seu Regnum constituat. Omnia inter se constringunt & in sese leges, prout definivit *Demosthenes* Orator, atque repetit in *Institutionibus* suis *Martianus Libro* I. ejusdem etiam qui sunt sanguinis cum ipso comprehendit legislatore, prout determinat *Pomponius Libro* XXI. *Variarum Lectionum*, atque definitur *Lege fin. §. de Legibus*; unde & *Remo* fraternarum contemtori legum mors pro pœna fuit:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

prout canit *Lucanus Libro* I. *versu* 95.

Subditi itaque seu cives duobus istis significantur pisciculis, in rete inclusis, binarius enim primus multitudinis apud Arithmeticos est numerus. Maior piscis Magistratum significat, cui & unitas & magnitudinis eminentia convenit. Nam licet a compluribus simul geratur, illi tamen omnes unum Reipublicæ caput repræsentant. Jam Magistratus ipse licet rete non comprehendatur, apparet tamen cum eodem unitus illique agglutina-
102 tus, & velut magister discipulis suis adhærens, legesque exemplo vereri edocens, sicut secundum dictum Poëtæ,

A bove majori discit arare minor.

Agnosco quidem cunctas Civitates rete sibi vindicare posse ut legum Symbolum; unde & illi, qui exprimere voluerunt felicitatem *Timothei*, magni illius *Græcorum* Ducis, in Civitatibus expugnandis, ad invidiam ejus depingebant Fortunam rete captas Urbes in sinum ejus trahentem: verum ego quidem intendo id recte dici posse de quiete, quam securam carpere possunt Magistratus & Princeps æquis Legibus devincta Civitate. Quæ quum ita sint, *Reatinæ* Urbi præsertim conveniunt, quum certe *Reatini* illi sint, qui *Curim*, unde *Romanorum* Legislator *Numa*, ut dictum est *Cap.* IV. Leges edocuerint.

Virgo autem illa, quæ vexillum Equiti por- 103
rigit, videtur esse *Rhea* mater, cujus scilicet honori a marito *Saturno* seu *Zabazio* dedicata Urbs *Reate* fuit. Hinc scribit *Silius Italicus* Lib. VIII. versu 417.

——— ——— *Magnæque Reate dicatum*
Cælicolum Matri.

Sicut & nostro Idiomate Victorius:

——— ——— ——— *Cui le gran Madre*
Di tutt' i Dei fè Rea l'alte e leggiadre
Mura, ch' hor son di gente ampia, e severa.

Conveniebat enim, ut Urbis regimen viro *Saturno* traderet, forti & bellicoso, ipsa mulier, nec imperiis apta.

Hinc igitur recte *Saturno* Vexillum tradit *Rhea*, unde idem canit Poëta:

Saturno il Gran, che Sabatio dett' era,
A lei consorte, e di Sabo almo Padre,
Fuggendo con le Alpestri Caspie squadre;
Pos' ivi la sua ricca aurea Bandiera.

[1] Atque hæc sunt, quæ super antiquissima ista Insignia in mentem mihi venerunt, quorum mihi vetustas probatur ex æreo Numismate *Reate* invento in maxime profundo loco fundamento rum Palatii Domini *Mariani Petri Vecchiarelli*, Decani Signaturæ *Gratiæ*.

Jam itaque tandem accingor, ad finiendam operam nostram, descriptioni atque enumerationi Agri *Reatini* atque Castellorum &c. illi subjectorum, quum jam supra *Cap.* IV. satis multis ipsam illustraverim Civitatem.

Quum itaque partim in plano condita sit *Reate*, partim in colle, ad Australe Montium latus,
post spatiosam satis planiciem propius a collibus, 104
longius vero a montibus, tanquam corona cingitur.

Ab Oriente in amœno admodum colle *Castel-Franco* apparet, quod rupe sua a quacunque incursione omnem subjectam defendit planiciem, prout & aliquando accidit, unde omnibus telonii oneribus exemtum a *Reatinis*, tritici, vini, olei, cœterarumque frugum valde ferax est.

E regione ejus alter est collis, in quo apparent vestigia antiquissimæ Urbis *Lissæ*, quam *Aborigines* olim habitarunt, verum destruxere *Sabini*, quam & ipsam *Lissam* apellant *Dionysius* atque *Albertus*.

Amœna in valle medius inter istos colles, evicinis descendens montibus gelidissimâ aquâ surgit subterraneis meatibus fluvius, *Cantarus* a *Græcis* vocatus. Ubi autem nascitur, quasi ad incunabula ejus, vix per unius manus spatium, circumrotatur mola granaria, & dein extra Civitatem atque intus, mediam enim percurrit, similiter sex aliæ agitantur; fluviusque idem calidissimis æstatis temporibus, summa utilitate, subjecta prædia ripæ suæ recreat. Solet

1 *Atque hæc sunt*] Quis nobis dicet an non vicinitas retis cum *Reate* Urbi hoc insigne dederit, satis conveniens, utpote lacubus, & piscatu abundanti. Sæpius autem id accidere solet, ut minoribus captis piscibus majores saltu supra rete facto juxta oras ejus elabantur. Nisi & illo ipso, qui foras rete conspicitur, nobis innuatur, quotcunque captis piscibus, alios tamen futuræ piscatui supermanere. De vexillo nihil amplius dico, quam veteribus tale forma in usu non fuisse. Verum magna mihi est suspicio, innui sacram aliquam in Terras Sanctas expeditionem; unde facillime tale insigne nacta fuerit Urbs Statui Ecclesiastico devota, illa enim tempora omnino mihi redolere videtur, & forsan plura dici possent & certiora, si ipsum Numisma depictum in ære attulisset Auctor, quod Medii (ut vocant) Ævi fuisse, vix est ut dubitem, qualia scilicet illa cum insigni Urbis *Patavii* attulit Doctissimus *Pignorius* in *Antiquitatibus* suis *Patavinis & Antenore*, cui pariter, ut & aliis similibus huic opusculo, lubentes operam nostram addiximus.

Solet in isto fluvio scaturire a *Plinio* laudatus fons, atque *Neminius* appellatus; qui incrementis suis atque decrementis futuræ fertilitatis clarissima præbet indicia. A nostris *Acqua Rea* appellatur, atque ita a Patre *Bernardino Stephonio* decantatur:

Fons unus uno promicat loco nunquam,
Neminius vocatus in Reatino,
Uber, saluber, purus & fugax humor,
Et hos & illos exitus sibi quærit.

Non longe inde abest Ecclesia Sanctissimæ *Nunciatæ*, cum Conventu Patrum *Eremitarum*, atque in vicinia est *la Foresta*, Conventus Patrum *Discalceatorum*, nobilitatus stupendo isto vineæ mi-
105 raculo a P. S. *Francisco*, quod plenissime enarratur *Florum Cap.* XVIII. & a *Waddingo Tomo* I. *Anno* MCCLVII. *Num.* XVIII. qui insuper dicit consecratum fuisse a Papa *Gregorio* IX. & Patribus *Clarenis* aliquando inhabitatum, tandem vero ab Episcopo quodam *Reatino* restitutum Patribus Observantibus. Servatur ibi hodie miraculosa imago Virginis, & ipsum illud vas in quo vinum multiplicatum fuit a P. S. *Francisco*.

Paullum inde distat collis elevatior, antiquitus *Palatium* dictus, ab ipsis inhabitatus *Aboriginibus*, qui juxta proximam paludem, a *Velino* factam, secundum *Varronis* supracitati testimonium *Libro* IV. *de Lingua Latina*, & *Dionysii Libro* I. incoluere locum, & nomen imposuere *Palatio* seu *Palazzo*, & Romæ monti *Palatino*. Recentioribus temporibus *Monte Gambaro* appellatur, a familia forsitan *Monte-Gambarorum*, a quibus possessa fuit. Id quod mihi non tantum constat ex traditione, verum & ex Epitaphio unius ex ista familia, in Cathedrali *Reatina* Ecclesia sepulti, quod ita sese habet:

HIC REQUIESCIT NOBILIS ET EGREGIVS VIR DOMINVS CHRISTOPHORVS DE MONTE GAMBARO DE REATE SCRIPTOR ET ABREVIATOR APOSTOLICVS, QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCCXXXXV. 30. DECEMBRIS.

Cernitur in illo nunc pulchrum munimentum seu arx, communi sumtu ad defensionem plani, quod subjacet, exædificata.

Ad dextram, Aquilonem versus, in monte ma-
106 xime sublimi cernitur prædium *Bastone*, quod Castellum honoratum quondam fuit mansione Protectoris nostri *S. Francisci*, & Ecclesia ab eodem ædificata in honorem *S. Jacobi* Apostoli, in eo ipso remissionis peccatorum suorum a supremo Deo certiore facto. Locus iste custoditur a *Minoribus Observantibus*, inque eo adhucdum multa Sancti istius miraculosa sunt vestigia. Ubi enim ille solebat pœnitentiam agere, adhucdum rupi impressæ visuntur figuræ genuum ejus, capitis, & pedum, sicut ex regione ejus Dæmonis forma gigantea. Inter Conventum etiam atque Castellum, in media via, *Waddingus* sæpe laudatus, *Tomo* I. *Numero* XXI. *Anno* MCCXVII. scribit in concava rupe impressam esse figuram Breviarii *S. Francisci*, quando ex improvisæ pluviæ timore sese illuc reciperet; ipsaque illa impressio respondet etiam Breviario istius Sancti, quod in *S. Damiano Assisio* servatur, licet præ vetustate temporis fere evanescere jam impressionem illam mihi indicaverint in miraculoso isto saxo devoti ejusdem Sancti cultores.

Abest inde paululum *Vedutri*, Castellum ita dictum, ut volunt, *quasi a duobus rivulis circumdatum*, vel ut alii volunt, *quasi a Velubris Populis ædificatum.*

Inferius inveniuntur vestigia Villæ *Axiæ*, su-
A perius a me commemoratæ, ubi ad dextram atque sinistram lacus sunt duo omni genere optimorum piscium abundantes. Hi undecunque viridibus circumdati arboretis, pulcherrimam, quasi in lucido speculo, in limpidissima aqua, excitant imaginem atque umbram. Visuntur inter illos Septem-Aquæ, quæ mox simul unitæ navigabilem una fluvium faciunt, tructis piscibus plenum, & tandem in *Velinum* sese exonerant.

Sequitur *Puregge*, Villa media sui parte diruta, 107
& regio antiquitus appellata *Bernardesco*, quum sub dominio esset *Bernardi Arroni*, referta Ca-
B stellis, ut *Melese*, *Agnese*, *Monte Rotondo*, *Miranda*, *Rocchete*, *Cocoione*, aliisque, quorum major pars (in ruinas autem satis multa prolapsa sunt) ad ditionem *Reatinam* nunc pertinet.

Ubi vero ad aliud veneris Castellum, nostris *Morro*, *Græcis* autem *Marruvium* dictum, Occidentem versus deflectenti ascenditur Castellum di *Moggio*, ita dictum, quoniam ædificatum fuit a *Modio Fabio*, *Reatino*, qui pristinis temporibus possedit insuper & *Labrum*, prout ex multis Memoriis patere potest, & præsertim ex *Lapide*, qui in Ecclesia Cathedrali est, in quo *Nobiles de Alabro* leguntur; quod & a *Godefriducio Anchaiano*,
C in *Vita* Domini *Baptistæ Cantalicii*, Episcopi *Atriensis* atque *Pennensis*, manifeste probatur. Iidem Anno MCCXCV. *Reatinis* vendiderunt tribus millibus & trecentis aureis Castellum & Montem *Monte Calvo*, cum omni sua jurisdictione, prout in Notulis suis annotat *Victorius*,

In descensu porro observatur *Piè di Luce*, locus ita dictus a Castello quodam *Luco* dicto, quod olim illi loco superstetit. Istius Castelli gratia acris olim pugna orta est inter *Reatinos* atque *Spoletinos*. Quum enim lis orta esset inter Dominos *di Labro* atque *di Luco*, propter *Montem Capernum*, in quo ædificare ceperant *Odo di Luco* fraterque
D ejus *Mattheus*, quem montem Domini *di Labro* ad sese pertinere asserebant, *Reatini* Dominorum *di Labro* partes amplexi sunt, *Spoletini* autem contrariæ adhæserunt. Inde ubi ad arma ventum est,
interceßione *Bonifacii* VIII. anno MCCXCVIII. ab 108
illis temperatum est, qui judicium super illa re Cardinali *Sabinensi*, qui *Petrus* dicebatur, atque *Mattheo Ursino*, Cardinali *S. Mariæ in Porticu* permisit. Hi tandem jusserunt, ut ab ædificatione desisterent Domini *di Luco*, neque idem quis attentaret sine permissu Pontificis, & similes conventus fecerunt, qui distincte enarrantur a *Victo-*
E *rio* in Memoriis suis, ubi subjungit lites inter *Reatinos* atque *Spoletinos* sopitos fuisse anno MCCCLXXVII. tempore *Urbani* VI. *Petro*, Comite *dell' Anguillara*, Duce *Spoleti*.

Prope Castellum illud *Piè di Luco*, erat Castellum *Massimo*, & Insula *Issa*, ubi habitavere *Aborigines*, undique lacubus circumdatum, prout auctores sunt *Dionysius* & *Antonius Augustus*.

Ulterius in Monte elevatiori *Grecce* conspicitur, a *Græcis* conditoribus nomen suum adeptum, verum longe celeberrimum propter Oratorium atque Conventum P. S. *Francisci*, quod sinu agri sui amplectitur, Miraculosum illud, inquam, prout &
F dicit *Waddingus Tomo* I. *Anni* MCCXVI. *Num.* XII. Quum enim prope *Grecce* exiguum Conventum, inter duas carpinos ædificasset, verum fratribus nimis incommodum, præsertim nobili cuidam *Jo. Velitæ*, qui præ nimia pinguedine oneroso erat corpore, anxie ab eodem rogabatur *Velita*, ut cum sociis suis ad *Grecce* reverteretur, atque ibi novum extrueret Monasterium. Respondit Sanctus, hoc sese illi largiturum si in eo Cœli Dominus consentiisset, atque si signum illud conspiceretur, ut a parvulo puerulo extra *Grecce* in sublime jacta ardens titio alicubi cecidisset, ibi locorum sese Conven-

109 ventum suum stabiliturum. Evenit autem, ut leviter a puerulo jactata titio ceciderit abinde milliaris spatio in silvestri quodam monticulo, cujus dominus erat Nobilis *Velita*, media rupe, ut hodieque cernitur, perforata. Hec ubi accidit, e vestigio accolæ Ecclesiam atque Monasterium Sancto exædificarunt, qui prius illud relinquens Oratorium, ad novum sese contulit. Ibi postea infinita ab eodem miracula patrata sunt, quæ in Ordinis ejus Chronica distincte enumerantur. Verum inter omnia illa unum propter eximiam ejus singularitatem recensebo, quod Seraphico Dei servo isto in loco accidit. Hic quum Evangelium Vigiliis Natalis Domini caneret, & ad verba ista pervenisset, *Et verbum Caro factum est*, ante oculos omnium qui aderant, & præsertim Nobilis *Velitæ*, Verbum illud Incarnatum comparuit in brachiis Sancti, vel ut alii volunt in præsepi inter fœnum, ibidem ad istum usum præparatum. Hinc originem traxit pia ista & laudabilis consuetudo præsepia fabricandi, quam ubique terrarum Christiana amplectitur pietas. Ibi Sanctus ille, prout pergit *Waddingus*, prædixit magnas discordias inter *Perusinos* futuras. Illuc sese contulit *Bonaventura*, ut accuratius contemplatione *Seraphici* Doctoris frueretur, ut & Beatus *Joannes Parmensis*. Illic Beatus *Angelus Tancredus*, *Reatinus*, primus Vitam S. Patriarchæ scripsit, ut & conversionem suam, prout legitur in Annalibus *Minoritarum* Fratris *Lucæ Waddingi*, *Tomo* I. *Anno* MCCX. *Num.* III. *pag.* 6. *Suæ conversionis seriem* (inquit) *ipse Angelus adamussim humiliter expressit, in illo, quod scripsit, Opusculo de Francisci gestis in partibus Reatinis.* Socius fuit idem *S. Francisci*, prout colligitur ex eodem loco, his verbis: *Ob-*
110 *vium habuit Franciscus nobilem quendam militem, Tancredum nuncupatum.* Idem docet Frater *Franciscus Gonzaga*, Ordinis *Seraphicæ* Religionis, in *Titulo Beatorum pag.* 92. dicit enim *B. Angelus Tancredus, Reatinus, primo miles, deinde socius B. Patris Francisci: Assisio, in Ecclesia S. Francisci, non longe a tumulo B. Patris conditus est: qui signa & miracula vivens atque mortuus edidit.*

Ut jam tandem institutum iter prosequamur, a *Grecce* pervenitur ad *Monte Calvo*, quod est Castellum ita disjectum anno MCCCCLXXXIV. ab *Andrea di Palombara*, ut ibidem vix sex homines habitent. Appellatur autem *Calvo*, a montis calvitie, ubi hodie fortissima adhuc Arx superest.

Prope est destructum Castellum *di Alatri.* Vicinum vero magis *Reate* in pulcherrimo colle *Contigliano* est, antiquæ *Cotiliæ* colonia, quam *Plinius* nominat, ut & *Dionysius*, *Cluverius*, aliique permulti, intra Antrodocum & *Reate* sitæ, prout discere est ex *Antonino Augusto*, quam etiam opinionem sequitur *Victorius Libro* III. & IV. MSS. suorum. *Anchaianus* autem, quem & superius nominavimus, in Vita Domini *Cantalicii*, reprehendit *Leandrum Albertum*, qui asserit esse illum locum, qui nunc dicitur *Contigliano*, quum in destructione ejus Urbis a *Gothis* facta, incolæ ejus huc illuc sint dispersi, & varias condiderint colonias, atque inter illas *Contigliano*.

Et certe, ut bene argumentatur *Xylander Num.* XIV. & XV. adductus ab *Anchaiano*, antiqua *Cotilia* sita fuit, ut latius mox demonstrabimus, intra *Antrodocum* atque *Civita Ducale*, antiquioribus etiam temporibus, inter *Antrodocum* & *Reate*, nondum extructa scilicet, ut recte ibidem subjungit *Anchaianus*, quæ serius excitata est, *Civita Ducale.* Anno enim MCCCVIII. condita fuit ex au-
111 ctoritate *Caroli* II. & *Roberti*, primogeniti sui, Ducis *Calabriæ*, Septembris die XV. & Regni *Caroli* anno XXIV. Apportat Auctor idem pro sententia sua Imperatoris Indultum (ut vocant) unde apparet ex filii *Roberti* titulo voluisse appellari *Citta Ducale.* Ducentis post annis a Pontifice *Julio* II. anno MDVIII. Novembris die XV. Episcopali dignitate exornata fuit, quum ante Diœceseos esset *Reatinæ*. Primum autem Pastorem illi dedit *Jacobum Alpharabium*, qui occupavit sedem illam mense Januario, anno MDIX. prout liquido omnia ista cerni possunt in autentico MS. Domini *Baptistæ Cantalicii*, Episcopi *Atriensis* & *Pennensis*, qui Antistes magna eruditionis fama inclaruit tempore *Alexandri* VI. habitus auctor verax, quique magna cum concinnitate Bella *Neapolitana* literis mandavit.

Sed & alia præterea argumenta petere licet ex *Dionysio Halicarnasseo*, quæ plenius examinat *Victorius.* Colligitur autem ex illo, *Cotiliam* sitam fuisse (ut diximus) inter *Antrodocum* & *Civita Ducale*, verum ne longius evagemur, contenti hoc uno erimus. *Cotilia* sita fuit ad lacum immensæ profunditatis, tantæque magnitudinis quantæ quatuor alii simul conjuncti, in cujus medio erat Insula parva quinquaginta pedum, quod nunc ad hoc nunc ad illud latus fluctuare solebat, locumque illum sedem amatam Diis suis Gentiles credebant, unde appellabant *Sacrum*, prout ex *Dionysio* non tantum & *Plinio*, sed & *Blondo*, *Alberto*, aliisque constare potest. Jam vero, quoniam iste lacus non exstat prope *Cotiliam* recentem, seu *Contigliano* (prout appellare lubet) verum inter *Antrodocum* & *Civitatem Ducalem*, necessario dicere debemus, antiquam *Cotiliam* juxta lacum illum fuisse sitam, tanto adhuc magis, quoniam tota ista regio etiamnum deletæ Civitatis nomen 112
retinet. Licet autem hodie parva ista natans Insula in isto lacu non conspiciatur, attamen, quoniam dimensio quadrat, dicere cum *Victorio* possumus, longinquitate temporis absorptam & dissolutam ab aquis fuisse Insulam.

Contra autem inferri nequit, *Cotiliam* in agro fuisse *Reatino*, adeoque eandem, quæ hodie vocatur *Contigliano*, quæque in dominio *Reatina* sita est, quum illud non pertingat ad locum illum, qui est inter *Antrodocum* & *Civitatem Ducalem.* Si enim quis ad illa attendat, quæ in in initio hujus *Capitis* scripsimus, inveniet, pristinis temporibus jus *Reatinum* usque ad *Amiternum* & *Antrodocum* porrectum fuisse, prout superius ex *Strabone* probavimus. Quod sane bene intelligens *Torquatus Tassus*, ubi de Aquarum Mirabilibus in Mundo suo Creato agit, ita canit:

Perche tacc' io le meraviglie antiche
De Stagni di Riete, in cui vedevansi
L' Isolette ondeggiante, e quasi à nuoto?

Ciacconius etiam, ubi agit de Fratre *Petro Reinaluccio*, Antipapa, æmulo *Joannis* XXI. illique opposito a *Ludovico Bavaro*, anno MCCCXXXI. *Corvaro* nominans patriam ejusdem Papæ, vitio creati, alias nobilis & literati, prope *Aquileiam*, & in dominio *Reatino* ponit, scribens: *Pseudo-papam designavit quendam fratrem Petrum Reinalutii, de vico agri Reatini Corbario, nobili Familia, Ordinis Minorum, Apostatam & Scismaticum, antea tamen optimæ vitæ & morum habitum.*

At quoniam *Antrodoci* incidit mentio, opportunum videtur brevi digressione lucem aliquam illi accommodare, ut loco eminentori Diœceseos *Reatinæ*.

Antrodocum itaque antiquissimum est Oppidum, 113
cujus *Strabo* & *Antonius Augustus* crebram faciunt mentionem, ita ut de vetustate vel cum destructa *Cotilia* certare possit. *Antrodocum* vero dicitur Urbs, quasi condita *inter montium ocreas ac radices.* Radices enim Montium *Ocreæ* appellantur *Latinis*.

Oppidum hoc, sub titulo Marchionatus varii pos-

possidere Barones. Domini *Savelli* illud olim habuerunt, dein Eminentissimus Dominus Cardinalis *Bandini*, felicis memoriæ, Protector *Reatinus*, hodie vero possidet Dominus Marchio *Giugni*, *Florentinus*.

Ecclesia Oppidi Vetus ædificata fuit anno MXLIX. tempore Papæ *Leonis* IX. & *Henrici* III. Imperatoris. Invenio etiam floruisse in Monasterio *Corporis Christi* singularis Sanctimoniæ Monacham *Antrodocensem*, Ordinis *S. Francisci*, dictam *Bonaventuram*, cujus admirabilem vitam exacte narrat Frater *Marianus Florentinus Libro* V. *Cap.* XXI. *pag.* 133. MSS. suorum, quæ conservantur in Bibliotheca Serenissimi Magni Ducis *Hetruriæ*, & sæpissime adducuntur a *Waddingo*. Initium Historiæ ejus Virginis venerabilis ita incipit: *Fuit alia Soror in supradicto Monasterio Corporis Christi*, *Bonaventura nuncupata*, *de Oppido*, *quod Introdoco dicitur*, *conversione*, *& vita satis admirabilis &c.*

Quod ad situm Oppidi attinet, ab altero latere Viæ *Salariæ* inveniuntur certæ aquæ, quæ ab Antiquis, præsertim a *Strabone* appellantur *Cotioscolæ* nomine. Incolæ etiamnum *Cotiscoli* appellant. Medici asserunt istius aquæ mineral esse ferrum cum alumine & nitro commixtum, unde
114 admodum conferre dicitur leniendo dolori renum & calculi.

Decus etiam Oppido adfert, quod in proximo est, antiquissimum Monasterium SS. *Quiricii* & *Juliettæ*, restauratatum anno MCLXXIX. a *Sinibaldo*, Abbate Ordinis *S. Benedicti*; sub cujus instituto vivebant isti Monachi, & cujus temporibus ruinam (*sub quo combustum fuerat*, dicit *Victorius*) passus fuerat. Ecclesia autem ejus eodem anno fuit consecrata Septembris die X. ab *Odone*, Episcopo *Reatino*, postea anno MCXCV. *Cœlestinus* III. illud Monasterium recepit sub protectione *S. Petri*, ad exemplum *Innocentii* II. & *Alexandri* II. Antecessorum suorum. Ex Bulla illa manifeste apparent ejusdem Monasterii annui reditus, jurisdictio atque dominium, Licet vero jam abaliquot sæculis destitutum fuerit Monachis atque destructum, tamen haud periere memoriæ, in quibus eiusdem dominium continetur. Hinc est, quod Summi Pontifices pro tempore ad Commendationem referant, adeo ut morte Cardinalis *Bandini* vacuum, ab eo qui nunc sedet Summo Pontifice *Urbano* VIII. delatum sit Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali *Alexandro Cæsarini*, Diacono tituli *S. Cosmi* & *Damiani*, qui solita sua vigilantia, atque diligenti norma, non modo conservat antiqua dominia, tam Castelli *Macigliani*, quam plurimarum Ecclesiarum proprias grancias, magnumque numerum territoriorum, in illa Bulla aliisque Scripturis comprehensorum (quæ cuncta ostendere mihi, felicis memoriæ, *Julius Corona*, *Reatinus*, & *Marcus Antonius de Benedictis*, *Romanus*, Jurisconsulti & Theologi insignes, successivi ejus Auditores) verum etiam sollicite inquirit modum recuperandi abalienata bona & loca, prout idem *M. Antonius de Benedictis* mihi affirmavit.

115 Verum ut jam in viam, a qua deflexeramus paululum, redeamus, id est ad *Contigliano*, Coloniam (ut probavimus) antiquæ *Cotiliæ*, illud tantem mihi dicere restat, descriptum atque illustratum erudita penna *Andreæ Fulvii*, Scriptoris *Antiquitatum Romanarum*, non minus ligata quam soluta oratione nobilis, fuisse.

In agro ejus restant adhuc vestigia Monumenti Sepulchralis *Memmii Apollinaris*, Summi Ducis Imperatoris *Trajani*, & rudera Templi *Sanco* olim, seu *Sabo*, primo *Sabinorum* Regi forma testudinea dedicati. Vicina etiam conspicitur Ecclesia *S. Eleutherii*, quam aliquando adiit etiam *S. Franciscus*. Verum inter omnia eminet venerabile Monasterium S. Pastoris, in Collem istum translatum e loco plano, aquis inundato, anno MCCLV. prout in *Lapide* inscriptæ sequentes docent literæ:

Anno Domini 1255. tempore Alexandri Papæ IV. vacante Imperio, mense Maji, Die quinta intrante, fundata fuit Domus ista sub Abbate Andrea, & Ruperto Priore, & Subpriore Palmerio, & Domno Angelo Magistro operæ, qui primus cæpit fundamenta prædictæ Domus: Animæ quorum requiescant in pace.

Hoc autem, ut diximus, Monasterium, primitus, temporibus *S. Bernardi*, inferioribus maxime locis, in plano fuit, conditum a *S. Balduino*, Abbate *Reatino*, & discipulo *S. Bernardi*, prout patere potest ex Epistola CCI. istius Sancti ad discipulum suum scripta. Possident hodie venerabile illud Monasterium Canonici Regulares *Lateranenses* dicti, Commenda autem est, seu ad rationes & reditus pertinet Illustrissimi & Reverendissimi, Domini *Angeli Cæsii*, Episcopi *Ariminensis*, veri imitatoris virtute & sanctitate prædictorum Antistititum veterum. 116

Sequitur *Val Canera*, ita dicta a nobilissima Familia *Canneorum*, quorum in Ecclesia *S. Valentini* sub eadem Valle sita, antiquissimum hoc conspicitur Epitaphium.

[1] D. M.
CANNEO. C. F. QVI. PVDENTI. MIL. CON. IIII.
PR. VII. CANNEVS. C. F. QVI PASTOR
IIII. VIR. TVR. DIC. A. P. MAG. IVV.
Q. R. P. PATRI DVLCISSIMO.

Vallem istam admodum limpidus lambit fluvius, quem probabilius nonnulli a *canoro* murmure, quam a *Canneis* appellant *Caneram*. Coronatur collibus rite pulchreque dispositis, cum Arce *Canera*, & Castello destructo, cujus in *Statutis* nostris fit mentio.

Sequuntur *Col Vaccaro*, *S. Martino*, *S. Filippo*, alio nomine *Scarnabehc*, *Cerchiara*, *Poggio Fidoni*, *Latinis* illud *Circularia*, hoc *Podium filiorum Junonis* dictum, ut & *Poggio Perugino*, quod venditum fuit Civitati *Reatinæ*, anno MCCCXIV. a *Bertholdo* & *Poncello di Urso* (quos *Ursinæ* Domus fuisse existimo ex *Ciacconio* in *Vita Clementis* V. & *Urbani* IV.) una cum arce & agro suo centum quinquaginta aureis, tempore, quo vacabat Sedes Apostolica, morte *Clementis* V.

Ubi dein ab Occidente reversus ad Austrum fueris, ante omnia occurrunt Castella *Santo Elia*, *Catroco*, *S. Benedetto*, *Magliano*, & tandem *Santo Giovanni*, ædificatum a *Reatinis* ante CCCC. circiter annos (prout patet ex *Statutis*, Libro III. *Cap.* LXXXVIII.) superius ad Viam *Romanam*. 117

Possidet & præter illa Castella etiam *Catino* atque *Poggio Catino*, venditione acquisita a *Sixto* IV. anno MCCCCLXXVII. pretio septem mille ducatorum. Ad Ecclesiam enim reciderant morte *Ludovici di S. Eustachio Romano*. Quoniam vero gravi incidente necessitate, quam commemorat *Vivius Com. Opin. Lib.* II. *Opin.* CCCCL. magnæ pecuniæ Civitati essent colligendæ, non modo coacta fuit hæc duo Castella Dominis *Capizucchis*, unde actionem juris in illa Marchio *Olgiati* habet, verum etiam sese ipsam mille modis oppignerare.

Hic denique terminatur viride Theatrum Montium diversicolori vestitu ornatorum, atque bene cultorum Collium, qui spatiosam circumdant planiciem circuitus milliarium XXXIV. a supremo qui cuncta fecit, Architecto, ab æterno præparatum

1 D. M.] Præter multas alias in hoc Opusculo Inscriptiones, etiam hac augeri potest *Gruterus*.

ratum nobilissimæ *Reatinæ* Civitati, atque non sine summa prudentia ab ejusdem Conditoribus primis electum, peculiari sane *Summæ Sapientiæ* dispositione, quæ *pertingens a fine usque in finem fortiter*, *disponit omnia suaviter*.

Quam quidem nos humili voto suppliciter oramus, ut, quum nobis inter tot gloriosos Antistites, concesserit in præsens Eminentissimum & Reverendissimum Dominum Cardinalem *di Bagno*, per intercessionem Gloriosissimi Patriarchæ *S. Francisci*, nostri Protectoris, propter merita ejusdem dignetur conservare & complecti eundem favore suo in commodum nostrorum omnium.

118 # CATALOGUS

Castellorum, seu Oppidorum, vicorumque Diœceseos Reatinæ, illiusque Episcopali Sedi subjectorum.

Excerpta ex Cancellaria Episcopali.

Castella seu Oppida dominii Reatini.

Contigliano.
Grecce.
S. Filippo seu *Scarnabech.*
Poggio Perugino.
Cerchiara.
Poggio Fidoni
S. Elia.
S. Benedetto.
Magliano.
S. Giovanni.
Castel Franco.
Poggio Bastone.
Rivedutri.
Apulegie.
Cocoione.
Morro.

Castella seu Oppida Cameræ Apostolicæ.

Monte S. Giovanni. Urbs.
Monte Leone in Sabinis. Urbs.
Ornaro.

Sacræ Consultæ.

119 *Labro.*

120 Domini Marchionis Matthæi.

Bel Monte.
Rocca Sinibalda. Urbs.

Dominis Marchionis Cæsii.

Oliveto.

Domini Ducis Cæsarini.

Torricella.

Domini Marchionis Giugni.

Antrodoco. Urbs.

Abbatiæ SS. Quiricii & Juliettæ, Eminentissimi Domini Cardinalis Cæsarini.

Micigliano.

Serenissimi Ducis Parmensis:

Monte Reale.
Poggio Cancello.
Masicone.
Capitignano.
Mompolino.
Aringo.
S. Lucia.
Cesariano.
S. Lorenzo.
Favignano.
Colle Cavallaro.
Piede Colle.
Sivignano.
Paterno.
Colle Novero.
Aglione.
Pagho.
Marignano
Castiglione Verice.
Colle Verrice.
Santa Vittoria.
Pellescritto
Cesa Proba.
Cabia.
Marano.
Butio.
Paganica.
Fano.
Castello.
Colle.
Monte Aviano.

Regni Neapolitani.

Civita Reale. Urbs.

Serenissimi Ducis Parmensis.

Posta. Urbs.
Sigillo.
Vacugno.
Borbone.

Domini Alexandri Ursini.

Scai.
Consigni.
S. Giorgio.
Paviano.
Rocca Salvi.
Alegia.
Turrita.
Colle Gentilesco.
Bagnolo.
Rocca Palli.
Cornellano.
Campotosto.

Serenissimi Ducis Parmensis.

Leonessa. Urbs.
Blesio.
S. Vito.
Commurata.
Commulato.
Colle Secco.
Volciano.
Vindoli.
Sala.
S. Clemente.
Imagine.
Vall' Impune.
Carpineti.
Albaneto.
Piedi Poggio.
Colle Varo.
Campli.

Domini Ducis Savelli.

Pesculi.

Domini Ducis Cæsarini.

Rocca Ranieri.
Torre di Taglia.

Domini Ducis Savelli.

Macchia Simone.

Domini Pompei Columnæ, Principis di Gallicano.

Girgenti.
S. Pietro.

Domini Ducis Cæsarini

S. Elpidio.
Poggio S. Giovanni.

Domini Ducis Savelli.

Peschieto.
Civitella.
Nesio.
Vaccareccia.
Pace.
Lofrini.
Castellaccio.
S. Lucia.
Tonnico d a
Rocca Bernarda.

Domini Principis di Gallicano.

Taglieto.
Fluminata.
S. Hippolito.
Magna Sede.
Colle.

Domini Connestabilis Columnæ.

Corbaro.

Domini Ducis Cæsarini.

Castel Manardo.

Dominorum Cæsarini & Marieri.

Colle Fegato.
Borge di Colle Fegato.
Villa di Colle Fegato.
Spedino.

Domini Connestabilis Columnæ.

Latuscoio.
Turano.
S. Anatolia
Cartorio.

Domini Principis di Gallicano.

Petrella. Urbs.
Staffuli.
Marieri.
Mercato.
Flaminiano.
S. Agapito.
Fonte Fredda.
Orano.
S. Salvatore.
Mazzoleno 122
Brusciano.
Faggio.
Fornello.
Sambuci.
S. Lucia.
Radicaro.

Dominorum Soderini.

Coll' Alto.

Domini Marchionis Cæsii. 121

Postucciola.

Domini Ducis Cæsarini.

Stipes.

Domini Principis Borghesii.

Colle Piccolo.
Castel Vecchio.

Domini Marchionis Matthei.

Antuni.

Dominorum Marieri.

La Serea.

Dominorum Soderini.

Paganica.

Comini Marchionis Palumbaræ.

Pietra Forte.

Dominorum Soderini.

Hespulo.
S. Lorenzo.
Colle Giove,
Ricetti.

Dominorum Marieri.

Marscetelli.

Dominorum Sacchetti.

Rigatti.

INDEX AUCTORUM,

Qui in hoc Pompei Angelotti Opusculo citantur illustrantur.

INDEX
NOMINUM ET RERUM,

In Pompei Angelotti opusculum, seu Descriptionem Reate Urbis, locupletissimus.

Colum-

INDEX NOMINUM ET RERUM.

F I N I S.



